FABRITII PAULUTII FOROLIUIENSIS PRIMI EPISCOPI ... IN...

Fabrizio Paolucci, Francesco Paolucci

FABRITII PAVLVTII FOROLIVIENSIS PRIMI EPISCOPI CIVITATIS PLEBIS.

IN PENTATEVCHVM: LIBROS HISTORICOS,

Et omnes tàm maiores, quàm minores Prophetas, atquè Machabæos,

COMMENTARII.



ROMAE,
Ex Typographia Guilelmi Facciotti. Anno Iubilæi, M.DC.XXV.
SVPERIORVM PERMISSV.

Et ... um maiores, quàm minores Prophe-
tas, atque Machabæos,

ROMAE.

VRBANO VIII.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

FRANCISCVS PAVLVTIVS FOEL.

FABRITIVS Paulutius Patruus meus (Beatiſsime Pater) primus Ciuitatis Plebis Epiſcopus, Apoſtoli præceptum illud, quo Timothæum admonet, vt ſibi attendat, & doctrinæ, eo magis ad ſe pertinere mente reputans, quod ille in Eccleſia, nouaquè ſede conſtitutus Paſtor, non ſui tantùm præſentis forma gregis re vera fieri deberet; ſed in ſequentibus etiàm ſe Paſtoribus ad imitandum exemplar proponere, eò curas ſempèr omnes intendit, vt ſuas abundè muneris vtriuſq. partes expleret. Itaquè vitam, quam non ſinè innocentiæ, ac probitatis opinione iam duxerat, multo diligentius virtutibus inſtruxit, vt ſibi attenderet, atquè vt etiàm

doctrinam minimè præteriret, continentèr sacrorum voluminum lectioni, meditationiq. intentus, non pauca conscripsit, quæ tùm sibi, tùm verò etiàm posteritati prodessent. Horum ego monumentorum partem, quibus mors Auctoris inuidisse vitam visa est, editurus in lucem, vt memoriæ optimi Antistitis, patruiquè mei amantissimi seruiam; multis de causis Augustissimo Sanctitatis Vestræ nomini, quicquid tandèm id est, dedicandum esse iudicaui. Primo quidèm, vt æquissimam eiusdem mei Patrui voluntatem exequerer: qui, cùm Beatitudinem Vestram excellenti quadam opinione admiraretur, summaquè pietate veneraretur, & coleret, hoc iàm pridèm ipsum animo destinauerat. Deindè verò, nè quid opus hoc præsidij minùs, atq. ornamenti, quàm cætera eiusdem scriptoris haberet: aùt quicquam esset, quod reliquis quasi fratribus posthumus inuideret. Quin potius cùm lucubrationes suas reliquas Auctor ipse viuens in Sedis Apostolicæ patrocinio collocatas esse voluerit; id æquius à me fieri debuit, vt opus quasi pupillum communis parentis tutelæ commendari peroptarem, & vellem. Mea postremò idem à me priuata causa postulauit, vt hac testificatione, tùm sęculo nostro, tùm posteris etiàm,

me

me in Barberinæ clementiæ clientela vixisse palàm fiat. Et dùm immortale quòad fieri potest immortalis vestræ in me benignitatis nonnullum monumentum extat; pignus simùl aliquod non S. V. solùm; sed Illustrissimus etiàm Cardinalis, totaq. præstantissima Barberina gens habeat meæ addictissimæ, atquè ad suos nutus obsequentissimæ voluntatis. Hoc verò si consequar, adeptum me sanè putabo satis. Non quo merita vlla ex parte me sentiam adæquasse: sed quod sperare nihil vltrà potuerim. A Deo interim optimo Maximo, qui vnus reddere paria, & concedere maiora potest, fœlicitatem vobis quàm cumulatissimam votis omnibus opto.

LECTORI

LECTORI.

HOC Volumine Moysis, Pentateuchus, Regum, Prophetarum, alijquè sacræ Scripturæ Libri explicantur, & illustrantur. Sequitur Auctor puram, simplicèmquè sententiam, quæ litteralis appellatur: cæteras, quoniàm apud Scriptores obuiæ sunt, prætermittit: Nec aliorum Commentarios memorat multos; sed eos tantùm, qui interdùm, aùt probandi sunt, aùt confutandi. Quæ sita Scholastica, & Hæresum sophismata, cùm ab instituto viderentur aliena, præterijt. Quin ea quoquè permisit alijs, quæ in Hebraici, aut Græci sermonis ponderatione sunt posita, Latina nimirum, ac Vulgata, eaquè Romana dùmtaxat editione contentus.

Vbì nodi non sunt, nèc vllæ difficultates offenduntur ab alijs explanatæ, transitum facit ad cætera, ratus absurdum esse, vel lucubrationibus alienis explere volumen suum, vel in re minimè dubia abuti otio, ac tempus frustrà conterere.

Hæc volui Lector nescius nè esses, tequè rogare, ut si quid rei tuæ accommodatum inueneris, id præpotenti Deo referas acceptum, CVIVS HONORI, ET GLORIÆ Auctor, cùm hæc scriberet, operam dabat.

Ex Com-

EX Commissione Reuerendiss. P. Magistri Sacri Palatij Apostolici, perlegi Commentaria in *Genesim: Exodum: Leuiticum: Numerum: & Deuteronomium*, Perillustris, ac Reuerendissimi Domini Fabritij Paulutij Primi Episcopi Ciuitatis Plebis, & nihil in eo reperi, quod Catholicæ Fidei: Concilijs, & Sanctis Patribus, vel bonis moribus aduersetur: ideò digna iudico, vt Typis mandentur ad publicam Ecclesiæ vtilitatem: In quorum fidem, &c.

Ego Fr. Io. Matthæus Rispol. Ord. Præd. Sacr. Theol. Mag.

EGO Fr. Dominicus de Grassis Sacræ Theologiæ Magister fidem facio me legisse, & reuisisse ex commissione Reuerendissimi Patris Magistri Sacri Apostolici Palatij Commentaria in Libros *Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Esdræ, Tobiæ, Iudith*, & *Esther* ædita ab Admodum Illustri, ac Reuerendiss. D. Fabritio Paulutio Primo Episcopo Ciuitatis Plebis, & in eis nihil non dignum, & contrà Fidem Catholicam, & bonos mores inueni, sed omnia plena eruditione, ac pietate, ac propterea iudico eadem Commentaria Typis mandari posse ob communem Reipublicæ Christianæ vtilitatem. In quorum fidem, &c. Apud Cœnobium Sanctæ Mariæ supèr Mineruam. Die 24. Aprilis, 1625.

Fr. Dominicus qui suprà manu propria.

EX Commissione Reuerendiss. P. Fr. Nicolai Rodulfij Ord. Prædic. Mag. Sac. Palatij Apost. diligentèr legi, & recognoui Commentaria in *Isaiam*, & *Ezechielem Prophetam*, Perillustr. & Reuerendiss. D.D. Fabritij Paulutij primi Ciuit. Plebis Episcopi; & in eis nihil Catholicæ Fidei Rom. Ecclesiæ, ac bonis moribus contrarium inueni: quinimò summum Auctoris ingenium, & eruditionem reperi; quare dignissima censeo, vt Typis mandentur ad Dei gloriam, & proximorum vtilitatem. Datum Romæ in Conuentu S. Mariæ supèr Mineruam die 2. Maij, 1625.

Ego Fr. Franc. Lerma Sac. Theol. Mag. & Præd. Gener. Ord. Præd.

EGO Fr. Ioannes Cenninus Sacræ Theologiæ Lector Ordinis Prædicatorum, ex commissione Reuerendissimi Patris Fr. Nicolai Rodulfij, Sacri Apostolici Palatij Magistri, perlegi Commentarios in *Hieremiam, Danielem*, & omnes *Prophetas Minores*, Admodum Perillustris, ac Reuerendissimi D. Fabritij Paulutij primi Episcopi Ciuitatis Plebis. In quibus non solùm nihil reperi, quod Fidei, Concilijs, Sanctis Patribus, & optimis moribus repugnet, verum ità claritatem cùm breuitate, eruditionem cùm solida Theologia in literali sensu explicando coniunxit, vt Ecclesiæ vtilissimos futuros arbitrer. In Cœnobio Sanctæ Mariæ supèr Mineruam, Romæ die 11. Iunij, 1625.

Fr. Ioannes Cenninus, qui suprà.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacr. Palat. Apostol.

A. Episc. Hierac. Vicesg.

Imprimatur, Fr. Nicolaus Rodulfius Ordinis Prædic. Sacri Apost. Palatij Mag.

INDEX

I N D E X

Librorum Teſtamenti Veteris, quos Auctor in hoc Volumine interpretatur.

GENESIS

CAPVT PRIMVM.



1 IN principio creauit Deus cælum, & terram.
2 * Terra autèm erat inanis, & vacua, & tene-
bræ erant supèr faciem abyssi: & Spiritus Dei
3 ferebatur supèr aquas. * Dixitquè Deus: Fiat
4 lux, Et facta est lux. * Et vidit Deus lucem
quòd esset bona: & diuisit lucem à tenebris.
5 * Appellauitquè lucem Diem, & tenebras No-
ctem: factumquè est vespere & manè, dies
6 vnus. * Dixit quoquè Deus: Fiat firmamen-
tum in medio aquarum: & diuidat aquas ab
7 aquis. * Et fecit Deus firmamentum, diuisitquè
aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ
8 erant supèr firmamentum. Et factum est ità. * Vocauitquè Deus firmamentum,
9 Cælum: & factum est vespere & mane, dies secundus: * Dixit verò Deus:
Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et
10 factum est ità. * Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationesquè aqua-
11 rum appellauit Maria. Et vidit Deus quòd esset bonum. * Et ait: Germinet ter-
ra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fru-
ctum iuxtà genus suum, cuius semen in semetipso sit supèr terram. Et factum est
12 ità. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxtà genus suum,
lignumquè faciens fructum, & habens vnumquodquè sementem secundùm spe-
13 ciem suam: Et vidit Deus quòd esset bonum. * Et factum est vespere & mane,
14 dies tertius. * Dixit autèm Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diui-
15 dant diem, ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos: * vt lu-
16 ceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ità. * Fecitquè
Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei: & luminare mi-
17 nus, vt præesset nocti: & stellas. * Et posuit eas in firmamento cæli: vt lucerent
18 supèr terram, & præessent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras: Et
19 vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est vespere & mane, dies quartus.
20 * Dixit etiàm Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile supèr

21 *terram sub firmamento cæli. * Creauitquè Deus Cete grandia, & omnem ani-*
mam viuentem atquè motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, &
22 *omne volatile secundùm genus suum. Et vidit Deus quòd esset bonum. * Bene-*
dixitque eis, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: aues-
23 *què multiplicentur supèr terram: * Et factum est vespere & mane, dies quintus.*
24 ** Dixit quoquè Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumen-*
25 *ta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas. Factumquè est ità. * Et*
fecit Deus bestias terræ iuxtà species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in
26 *genere suo. Et vidit Deus quòd esset bonum, * & ait: Faciamus Hominem ad*
imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatili-
bus cæli, & bestijs, vniuersæquè terræ, omniquè reptili, quod mouetur in terra.
27 ** Et creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum,*
28 *masculum, & fæminam creauit eos * Benedixitquè illis Deus, & ait: Crescite,*
& multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini pi-
scibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur su-
29 *pèr terram. * Dixitquè Deus: Eccè dedi vobis omnem herbam afferentem semen*
supèr terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui,
30 *vt sint vobis in escam: * & cunctis animantibus terræ, omniquè volucri cæli,*
& vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant
31 *ad vescendum. Et factum est ità. * Viditquè Deus cuncta quæ fecerat: & erant*
valdè bona. Et factum est vespere & mane, dies sextus.

IN *principio* exordio temporis, de quo infrà; sic Psal. 101. & tu Domine in principio terram fundasti, &c. Heb. 1. 10. antè quod æternitas, & nil creatum, *creauit* sex dierum spatio, vt infrà, ex nihilo, respiciendo ad materiam informem ex nihilo creatam, quod constat iuncto hoc verbo cùm præcedenti. Chrysost. hom. 2. & 2. Machab. 7. 28: Peto à te, nate, vt aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligis, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: vocat enim quæ non sunt, tamquàm ea quæ sunt. Rom. 4. omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil. Io. 1. *Deus* omnipotens *cælum, & terram*. Hæc vniuersalia præmittit pro proemio dicendorum: at sub his omnia creata siuè apparentia, siuè inuisibilia. Vndè pluriès scriptura de Deo omnium factore: qui fecit cælum, & terram, sub his omnia comprehendens; at omnia distinguit posteà Moyses per sex dies, quibus facta creatio. August. de Gen. ad litt. lib. 1. cap. 3. & cap. 14. in fin. Eugub. in sua Cosmop. fol. 10. Gloss. Chrysost. Ambr. in Hexa. lib. 1. cap. 2. subdens id dictũ ad explicandam celeritatem. Pintus Dan. 14. Et alia opinio August. lib. 1. de Gen. contrà Manichæos cap. 7. parùm ab hac discordat. Hæc opinio comprobatur.

Primò, quia infrà vers. 27. cùm dixisset: *masculum, & fæminam creauit eos*, posteà cap. 2. explicat quomodò quemque eorum creauerit, & vers. 11. postquàm egit de herbis, & plantis, posteà cap. 2. 5. clariùs, & pinguiùs de eisdem; & cap. 5. liber generationis Adam, &c. posteà particularitèr se explicat, sic Ecclesi. 1. Vanitas vanitatum, &c. & deindè procedit ad singularium explicationem; sic Matthæus cap. 1. liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, Filij Abraham: hos duos principales, quibus facta promissio primò nominat, deindè de singulis, & eisdem.

Abra-

Abraham autèm,&c.Dauid autèm Rex,&c. quandò feriem narrat, proùt etiàm Moyses subdens de terra vers. 2. & 10. & de cælo vers. 8. sicùt enim Matthæus non reassumpsisset loqui de eisdem Abraham,& Dauid, si in prima mentione intentioni suæ satisfecisset, sic nèc Moyses de terra, & cælo subiunxisset, si in his verbis narrationi satisfecisset;sic idem Matthæus cap.25. in parabola Virginum præmittit obuiasse sponso, & sponsæ pro proemio dicendorum, non quòd obuiassent: nàm repetit quandò obuiauerũt, & semèl tantùm id factum.

Secundò,quia verba,*creauit Deus cælum, & terram*,sunt narratiua,quandò autèm effectiua,pronunciat:*Dixitquè Deus:fiat lux, &c.* ex August. de Gen. ad litt. cap.3. in fin. Non obstat, dicit narrando, quia non erat cui iuberet: nàm numquàm alicui creaturæ iussit dum creauit,nèc in aliquam creaturam verba direxit, sed simplicitèr pronunciauit: *Fiat lux, fiat firmamentum*, & sic de singulis.

Tertiò, quomodò tùnc creatum cælum, & terra, si creata lux ad dies distinguendos, & primus dies fuit in creatione lucis? si primus ille, ergò nullus antecedit. si nullus, nullum ergò tempus antecedens, nulla creatio.

Quartò, si creatum cælum, & terra antè tempus, ergò creata in æternitate, quod est falsissimum, tempus ergò priùs dandum, vt in tertio. ita Philo de mundi opific. pag. 2. Non negamus tamèn Deum potuisse antè creare mundum, seù aliqua, sed tùnc tempus daretur:at antè primam hanc diem nullum datum, vel cognitum. Vide Abulen. Ios.11.quæst.53.& 81.

Quintò, si cælum tùnc antè alia, cur secundo die cælum creatum,cur lux primo die creata cælo non infixa, sed vaga, cur si illa sol(iuxtà aliquos) deindè quarto die creatus Sol,& infixus in firmamento?

Sextò, si tùnc terra, cur tertio die apparuit arida, terra appellata?

Septimò, post sex dierum creationem, cap.2.1. dicitur: Igitur perfecti sunt cæli, & terra,& omnis ornatus eorum, ergò non antè sex dies.

Octauò, cap. 2. 4. Istæ sunt generationes cæli, & terræ, quandò creata sunt in die quo fecit Dominus Deus cælum, & terram, sub his omnia intelligens per ordinem, vti præmiserat: sed illa prima die facta lux, ergò antè nequè cælum, nequè terra. ex August. de Gen. ad litt. lib.5. cap. 3. 4. 5. Accedit, quia vnit cùm cælo, & terra omne virgultum agri, hoc autèm factum tertio die, ergò sicuti de hoc sumus certi, sic de cælo, & terra vnitis.

Nonò,in sex diebus facta creatio cæli,terræ,& omnium quæ in eis sunt, vt hìc, & infrà cap.2.4.in die, quo creauit Deus cælum, & terram, & Exod. 20.& 31. qui textus clari sunt, & hoc indubitatum, ergò nequè antè, nequè posteà, ideò excluditur omnis alia creatio vltrà sex dies, & quandò vis aliquid creatum,in his persistere debes; & hoc fundamento multa eliduntur, vt in progressu. Non dicas, parua mora fuit intèr primum diem,& creationem cæli,& terræ,ità vt creatio hæc cæli,& terræ vel antè, vel sub primo die comprehensa dici possit. Nàm excluditur hoc argumentum: dum enim dicis antè primum diem, reducis creationem ad æternitatem, & loqueris contrà textus prædictos omnia sub sex diebus ponentes,non antè. si sub primo die, constat ex textu primo die creatam lucem tantùm,non aliud. Secundò alijs diebus sequentibus distinctis creatam terram, & cælum: non enim potest dari duplex tempus,vel duplex creatio, & standum creationi distinctæ, & claræ per dies, non illi prætensæ indistinctè positæ.

Decimò, quandò creata lux primo die, materia informis erat, & propterea dicitur: *diuisit lucem à tenebris*, nondum erat cælum, & terra; Non dicas, subdit de terra. *Terra autèm erat inanis & vacua, &c.* tamquàm de existente: nàm negatur hoc, & dicam suo loco; & si hoc intendisset, priùs de cælo egisset terra nobiliori.

Non obstat Psalmus 21. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, quasi cælum, & terram antè omnia fecerit: nàm verbum (initio) intelligitur in principio temporis, quo omnia in sex diebus à Deo creata sunt iuxtà historiam Moysis: sub cælo enim & terra omnia comprehendit Dauid, cuius scopus est facere

cere D ... m creatorem, non alium. Non dicas, terra erat in abysso: nàm primò nego, abyssum, vel materiam informem creatam antè hunc diem primum, cùm non esset tempus, nèc etiam creatio. Secundò, quia etsi extitisset antè abyssus, seù materia informis, illa tùnc terra dici non poterat, sed materia informis, quæ non recepit, aùt recipere potuit denominationem nisi facta separatione, proùt nequè alia elementa, aliòqui vana fuit distinctio hæc Moysis per singulos sex dies, quibus narrat vnumquodque factum Deo ordinante; Vndè de hac informi non intellexit Moyses, de qua posteà subdit. *Terra autèm erat inanis & vacua,* & si de illa intellexisset, non poterat cùm illa combinari cælum, de quo non loquimur; proùt de materia informi: difficiliùs enim sub illa comprehenderetur.

Vltimò, id seruit prò hac opinione, quia adhùc erat sub materia informi, eaquè terra, seù arida appellanda erat. hanc opinionem tenet Alchuu. interr. 28. in Genes.

Non dicas sub cælo intelligere cælum empyreum.

Primò, quia si terra exlusa ex præmissis, & cælum empyreum illi iunctum.

Secundò, quia si de illo, reassumpsisset sermonem de eodem nobiliori, proùt de terra inferiori.

Tertiò, quia in sex diebus omnia creata, ergò non antè cælum empyreum.

Quartò, quia incongruum fuisset illud inuisibile cùm terra vnire, quæ est de apparentibus, & visibilibus.

Quintò, quia sicùt de terra tertia die, & firmamento secunda die, ità & de illo cælo mentionem aliquam fecisset: et ideò mentio clara firmamenti, seù cæli, & terræ facta in secunda, & tertia die excludit præsumptam, & tacitam creationem empyrei anteriorem:

Sextò; meminisset inuisibilium sub cæli vocabulo, posteà absquè eo ordine illorum nunquàm meminisset, quod esset absurdum.

Septimò, cælum empyreum à Theologis præsumitur factum cùm alijs coæuis, tempore, Angelis, prima materia, non cùm terra, ergò inuerisimile cùm terra poni creatum.

Octauò, si de cælo empyreo egisset, vnisset & alia coæua, quod cùm non fecerit, non præsumitur de illo intelligere.

Non obstat, Moysen nō omissurum quod maius erat, non alibi de illo, ergò in primis verbis; nàm nequè de Angelis cælo empyreo maioribus egit in creatione, sed alibi illos ostendit, sic nequè de tempore, etsi subintelligatur, & non exprimit etiàm clarè de igne, & aere, nisi cōprehendantur tacitè sub secunda die, sub qua & empyreum comprehendi infrà videbimus. Vide Caiet. pag. 1. vers. existentibus.

Non obstat, Moyses dixit de omnibus cælis notis in distinctione aquarum sub firmamento, & suprà firmamentum secunda die facta, ergò in primis verbis de empyreo: nàm non concludit argumentum, cùm sub illo verbo, *cælum*, intelligat de eo quod subiungit, & de influentibus. Vel etiàm de empyreo in secunda die, si aliquo modo in nos influit, vt per S. Thom. part. 1. quæst. 66. artic. 3. ad 2.

Non obstat argumentum conuenientiæ creationis cæli empyrei: nàm tendit ad probandam existentiam cæli, quàm non controuertimus, sed dicimus Moysen in primis illis verbis de illo non intelligere: quo autèm tempore ponenda illius creatio, infrà dicemus.

Similitèr sub verbo *cælum* non potest intelligi natura Angelica, cùm distet à proprietate verborum, à qua non debemus recedere, & sit mysticus intellectus, & obstent præmissa, & de tempore horum creationis infrà.

Vltimò, non placet sub illo verbo, Moysen intelligere de omnibus cælis, qui à principio creati fuerint in substantia sinè luce, motu, & syderum distinctione, quia de directò contrariatur verbis Moysis, creationi firmamenti secunda die, luminarium quarta die, & quia lux, seù sol prima die in eo infigendus fuerat, quod factum non fuit, & Moyses sub inuolucro verborum, & absquè distinctione de cælis, qui sunt intèr opera augustiores, egisset, infirmiora distinguens, quod est absurdum: ideò standum in intellectu Chrysost. August. Ambr. & aliorum citatorum, verba illa seruire prò proemio, seù introductione dicendorum.

Terra autèm erat inanis & vacua, & te-

ne-

nebræ erant supèr faciem abyssi. Præmisit vniuersalia, quæ tractare intendit, nùnc statum rei, ex qua omnia facta: ideò subdit de materia informi sub his verbis, vt intelligamus, quæ materia ex nihilo creata ad mundum ædificandum in sex diebus, qui subsequuntur, nō quòd antè hunc primum diem creata sit, cùm non detur tempus antè primum diem, nequè creatio, sed ad nostram intelligentiam, & capacitatem. Dum ergò nominat terram, intelligit de illa, quæ sub materia informi surgenda erat, terraquè nominanda tertia die iuxtà mentem August. de Gen. contrà Manich. lib. 1. cap. 7. Eugub. supèr verbis, *ferebatur supèr aquas*. fol. 16. Hinc illam vnit cùm tenebris & abysso, seù chaos: vndè inanitas, & vacuitas non est attribuenda ex quo deficeret plantis, hominibus, & alijs ornamentis, sed quia nondum erat: vndè quicquid erat creatum tùnc ex nihilo, materia informis erat, ergò dicas sic. *Terra autèm*, quam nùnc videmus, *erat* tùnc *inanis & vacua*, quid vacuum & inane, seù abyssus, quasi enim abyssum præmiserit subdit: *& tenebræ erant supèr faciem abyssi*, quasi inuisa Sapien. 11. 18. ex inuisibilibus enim, scilicèt nondum distinctis, informibus, tenebrosis, visibilia facta. Heb. 11. nondum ergò erat terra, sed inanitas, confusio sinè corpore. August. de Gen. contrà Manich. lib. 1. cap. 4. & cap. 7. in fin. idem dicit de aqua, & alijs, & quòd omnia erant informia, sic tamèn nominata, vt res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus; idem de Gen. ad litt. cap. 9. Ambros. in Hexa. cap. 7. lib. 1. col. 12. sic nequè aer esse poterat, quia elementorum non erat facta distinctio, quæ adhùc non erant. August. de Gen. contrà Manich. lib. 1. cap. 12. & hanc opinionem tenet Eugub. in sua Cosmop. in cap. 1. Gen. fol. 5. à tergo bis, & fol. 10. supèr verbo, *in principio*, & in vers. *inanis & vacua*.

Nō obstat prædictis, si tùnc terra, & aqua non erant, non apparet quandò producta; nàm imò constat de vtriusque: aqua enim secunda die, terra tertia die in separationibus factis, quod sit clarius ex dicendis.

Et quia si Deus terram, & aquam produxisset à principio, non diceret fuisse terram inanem, & vacuam, & cum aqua abyssum, sed dedisset cuique sedem suam à principio, quod secunda, & tertia die tantùm factum fuit.

Prætereà, cur aquæ, & terræ hoc priuilegium, vt pura elementa illicò crearentur, & non ex materia informi, proùt alia omnia, etiàm cæli ipsis nobiliores? non potest dari specialis ratio. Videndus Augustin. de Gen. contrà Manich. lib. 2. cap. 12. Hìnc Petrus; cæli erant priùs, idest, primò facti (secunda enim die facti, & aqua tertia die) & terra de aqua educta, & per aquam consistens, quia vnà cum aqua, seù materia illa informi mixta, vel ex ea educta, & per aquam consistens, quia sinè illa in puluerem resolueretur, vt dicunt ibì omnes interpretes.

At cur Moyses reassumit. *Terra autèm, erat inanis & vacua*, omisso cælo digniori & primò nominato? Respondeo, nominauit illud quidèm tamquàm dignius: at vtrorumquè denominatio seruiuit ad rerum vniuersitatem demonstrandam: sed cùm ad capacitatem nostrā præmittere vellet in narratione sua statum materiæ informis, ex qua terra arida fienda, & nominanda comprehendebatur cùm alijs informibus, non autèm cælum quod nondum creatum erat, (& hoc seruit ad corroborationem præmissorum) imò creandum ex materia illa informi: ideò de illa priùs, quàm de cælo, de quo tamèn secunda die antè terram, quæ tertia die creata fuit.

Et Spiritus Domini magnus *ferebatur supèr aquas*, idest materiam informem, ignotam, in aquas intèr alia conuertēdam. Moyses præmisit in sua narratiua vniuersalia, *cælum, & terram*, deindè materiam informem, *Terra autèm, &c.* nùnc auctorem, creatorem quasi architectum considerantem materiam antè oculos suos congregatam, ex qua opus conficiat, & quomodò se gesserit, ad nostram capacitatem, proùt Eccles. 24. de Sapientia; Gyrum cæli circuiui sola, & profundū abyssi penetraui, in fluctibus maris ambulaui, &c. & quandò præparabat cælos, aderam, &c. Prouerb. 8. 27. cùm seqq. & de fabro, & architecto. Eccles. 38. 28. & 29.

Dicas ergò; *Spiritus Dei*, Diuinus, virtus, bonitas, potentia, efficacia Dei, *ferebatur supèr aquas*, materiam informem quasi præpa-

rans, aptans ad opus.& Sap.9.9. dicitur; & tecum sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & adfuit tùnc, cùm orbem terræ faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis,& quid directum in præceptis tuis. Intelligo de Deo indistinctè,quia scopus Moysis retinetur loquentis de Deo simplicitèr absquè personarũ distinctione;Hebræi enim non cognouerũt mysterium sanctissimæ Trinitatis saltèm explicitum; ideò sempèr stat in vocabulo *Dei*,& aptantur scripturæ: Verbo Domini, Virtute Domini cæli firmati sunt,& spiritu oris eius omnis virtus eorum. Emitte spiritum tuum, potentiam, virtutem tuam, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Vox Domini supèr aquas. Vox Domini in virtute: ideoquè subdit: *Fiat lux,&c:* & retinens eandem phrasim Moyses infrà cap.2. 7. dicit: Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. & Christus insufflauit in discipulos. Accedit, quia potentia & creatio attribuitur Patri; sic dicitur spiritus virtus ea, qua omnia conseruantur. Psal. 103. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur: in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus: & hunc puto veriorem sensum, à quo non dissentit Aug.de Gen.ad litt.cap.5.& consentit Eugub. in verbis, *& spiritus Dei ferebatur,*

Non credo autèm posse intelligi de aere, vel vento,vel igne,diciquè ea spiritum Dei: cur enim his hæc denominatio, quæ non datur aquis? & aduertit Ambr. in Hexa.cap.8. lib. 1.col.2. dicens satis fuisse spiritum nuncupare. Aùt quomodò hæc, quæ nondum extabant in prima die materia adhùc informi persistente Ambr. in Hexa. lib.1.c.7. col.2. nondum enim elementa creata, & distincta, ità vt hæc omnia sub materia illa informi clauderentur. Aut quid hæc spirando, vel vrendo purgare poterant, vel debuerant in materia informi? aut cur his ministerium assignare, cùm absquè ministerio extraneo omnia operatus sit Dominus in his diebus? At quomodò sub verbo, *spiritus*, ignis veniat,non assequor.

Prima dies.

Dixitquè, iussitquè *Deus, Fiat lux, & facta est lux. Dixitquè Deus*, cuius spiritus ferebatur supèr aquas, vocans quæ non sunt, tamquàm ea quæ sunt: ego Dominus,& non est alter,formans lucem, & creans tenebras. Isa.45.7. *Fiat lux*, lux è tenebris ex materia informi splendeat. 2. Cor.4. illuminans tenebras, & abyssum per diem. *Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona: & diuisit lucem à tenebris*, ergò antè lucẽ hanc sola materia informis erat, & sic nequè cælum, nequè terra, quia quomodò hæc, si tenebræ? *Appellauitquè lucem diem, & tenebras noctem.* clarus textus; sed quia quarta die hæc lux non comparet,excitata sunt dubia;ex materia autèm illa informi dixi creatam lucem hanc: tùm quia consecutiuè ex ea præmissa sequitur lucis creatio: tùm quia omnia,quæ dicit Moyses creata ex illa: tùm quia ad quid hoc priuilegium dare luci, vt ex nihilo crearetur, si omnia alia ex illa materia informi creata? dices: qualis lux illa? Respondeo: splendor apparebat illuminans, & operebatur quæ dicit textus.

Aliqui putant (ne detur lucis extinctio) lucem illam fuisse solem creatum informem, seù imperfectum, qui quarto die perfectus fuit.Sed non potest defendi hęc opinio,quia scriptura hoc non dicit: ideò diuinatiua, & reijcienda. Imò scriptura dicit lucem illam factam diem, & quarto die Deum fecisse luminaria magna, intèr quæ maior sol, & stellas de nouo,& ex integro,non perfecisse, vel auxisse, & meliùs est dicere hunc quarto die perfectè creatum,cùm nihil obstet, & textus dicat, quàm imperfectè prima die, perfectè quarta die, diuinando: Dei enim perfecta sunt opera. Deut. 32.

Secundò, verisimiliùs est creatum cælum priùs, in quo infigeretur sol, quàm antè cælum solem creatum, proùt videmus factum secunda,& quarta die, non ergò lux illa sol imperfectus.

Tertiò; si opus primæ diei haberet communionem cum quarta die,non interposuisset Deus secundam,& tertiam, sed cùm primo iunxisset opus quarti diei, perficiendo solem imperfectum, & ponendo in firmamento,proùt fecit in opere diei tertij,in quo vniuit multa ad ornatum terræ.

Quartò, lux creata primo die seruiuit ad tres dies tantùm illuminandos, & diem, & no-

noctem distinguendam, huic officio quarto die subrogata luminaria, & stellæ in perpetuum, ergò lux illa temporalis non potuit esse sol perpetuus.

Quintò, parum interest an dicas, lucem creatam primo die cessasse quarto die, vel solem ex ea formatum quarto die, vel soli creato primo die maius lumen, & alia indita quarta die, nàm quouis modo videtur lux illa euacuari, & opus primi diei.

Sextò, absurdum est solem creatum imperfectum, quòd est luminare maius, & in creatione præferendum, quòd non contigit in vllo ex operibus sex dierum, & præsertim in luminari alio, & stellis perfectè creatis.

Septimò, angustamus potentiam Dei, qui potuit lucem hanc de per se, & solem de per se quarto die creare, & verisimiliùs est id fecisse, quàm imperfectè vno die, alio perfectè solem creasse.

Octauò, eò magìs corruit hæc opinio, si teneas creatum esse cælum, quandò dixit Moyses: creauit Deus cælum, & terram, quæ tamèn opinio à me reiecta fuit, nàm si sol fuisset illa lux, infixus fuisset cælo, proùt factum quarto die.

Nonò, Psal. 73. vers. 17. dicitur tu fabricatus es auroram, & solem, pro aurora autem communitèr intelligitur hæc præambula lux, de qua cum agatur distinctè à sole, non potest teneri illam fuisse solem imperfectum.

Dices præferendam potiùs hanc opinionem solis, qui durauit perfectus quarto die, quàm lucis simplicitèr, quæ non durauit; at ego dico meliùs fuisse lucem à principio perfectam in suo esse, & seruisse officio destinato, quàm solem fuisse imperfectè creatum, posteà perfectè, vt ex prædictis; & si concedis imperfectionem, potes & cessationem concedere. At certò scimus lucem non comparuisse quarto die, ignoramus solem fuisse, solem scimus quarto die creatum, cur ergò recedimus à textu, & verbis Moysis, dicentis lucem fuisse, non solem, non aliud?

Cogitabam, si dici posset. *Fiat lux*, idest lucis subiectum, fundamentum, radix, matrix, materia luminosa, ex qua posteà conficerentur luminaria magna, & stellæ, sicùt ex elementis mixta, ità vt lux illa ad hæc inseruierit, & sic saluaretur opinio. Nequè obstare, opera Dei esse perfecta. Deut. 32. quia quarto die perfecisset, quod intendebat ex illa luce: nō enim dicitur opus imperfectum, si verè perfectum fuit etsi per moram temporis. August. de Gen. ad litt. lib. 2. cap. 25. sed non placuit, tùm ex his quæ suprà dixi: tùm quia Deus non egebat huiusmodi præparatorijs ad luminaria, & stellas creandas: tùm quia aliqua mentio facta esset lucis illius, ex qua fuissent hæc desumpta, quæ cùm non fiat, remanet opinio diuinatiua, & quod dicitur de elementis, illa ad hæc deseruiunt via ordinaria, propterea non currit argumētum. Quarè non recedendo à textu, existimo hanc probabiliorem opinionem; & insupèr censeo non esse quærendum qualis fuerit illa lux, cùm in eius cognitionem venire non possimus nisi ab effectibus, quos dicit scriptura, nempè facta ad illuminandum tenebras per diem, nondum enim nocti prouisum, ad imponenda nomina diei, ac nocti, & tempus in ordine constituendū, & inchoandum, & successiuè lucem illam fuisse temporalem, & ad certum, & præfinitum ministerium constitutam, eoquè functam per tres dies, donèc Deus fecit luminaria magna perpetua, *luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas*, hisquè creatis, & subrogatis lucem illam cessasse vtì superfluam, proùt in simili de columna ignis & nubis, & stella, populum, & Magos ducentibus, tonitruis, & fulgoribus micantibus in monte Sinai. Exod. 19. nube lucida in transfiguratione. Matth. 17. claritate in pastoribus. Luc. 2. 9. linguis in Apostolis. Act. 2. eorū officio expleto; & ab euentu dignoscitur: nàm de illa nunquàm ampliùs meminit scriptura, nec apparet, nisi Psal. 73. 17. & aliæ sunt diuinationes.

Nec dicas hoc miraculum: si enìm hoc tale, & omnia alia opera sex dierū, sed Deus ad certum ministerium creauit illam, quo finito, cessauit, vt suprà.

Non obstat, omnia opera aliorum dierum cōstant, inuerisimile est opus primi diei non apparere. Nàm respondeo id clarum esse ex scriptura, & euentu: vndè in claris non egemus coniecturis. Præterea præmittendam fuisse lucem hanc temporalem, vt apparerent

rent

rent opera perficienda, & ad eorum ornatum, & decorem: hinc fide aptata esse sæcula, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Hebr. 11. & materia inuisa. Sap. 11. 18. ex luce appareret, & S. Ambros. dicit à lumine inchoãdum fuisse. Non fuisse autèm perpetuam, quia non infixa, nec infigi potuit cælo non creato, & quia ad opus, & tempus determinatum duratura facta fuit, & propterea cælo creato, sol, & luminaria perpetua creata ad sempèr illuminandum, & cælo infixa, & illud sufficiat, quod dixit Deus de hac luce: *& vidit Deus lucem quòd esset bona:* placuit enim sibi pro illo tempore durare, non vltrà.

Nonò, si lux hæc ex nihilo à Deo facta, secundùm opinionem aliquorum non tenendam, quomodò Moyses eam vniuit cùm cælis ex informi materia factis?

Vltimò, regula est pro hac opinione, quia lux, quæ erat, non est: si non est, ergò cessãuit. tu dicis in solem conuersam, sed nõ probas, remanet ergò regula. At non remansit opus vacuum, quia in illo distincta, & creata dies, & nox, & principium temporis, & deindè nocti, & diei quarto die data luminaria, quæ illis præessent, ità vt remãserit dies, & nox pro luce illa, quæ simùl sunt confusa, dum lucem diem appellauit vltrà ministerium trium dierum, quæ sola sufficiunt ad difficultatem eneruandam: non enim alia expiscanda, & figuranda vltrà textum. Et ad hanc opinionem probabiliorem reduci potest opinio hac die creatum solem informem quarto die perfectum, si dicat primo die lucem hanc creatam perfectam non sub nomine solis, & quarto die subrogatum solem: error enim, seù differentia est, quia qua die dicitur creatum solem, nos dicimus creatam lucem, qua solem perfectum, nos creatum simplicitèr.

Sed non poterat Deus luce non præambula creare? poterat, & oculis eius omnia subiecta, sed voluit splendorem operum, & distinctionem illorum per dies apparere, & tùnc tempus incipere: ideò lucem, & distinctionem diei, ac noctis præmisit.

Quærit S. August. de Gen. ad litt. cap. 11. & 16. quomodò succederet luci nox, nocti lux. Crederem, die veniente lucem superasse, die occidente noctem, seù tenebras per tres illos dies, seù potiùs actum proùt nùnc in nostro hemisphærio. At illud certum sic actum esse, quia dicit textus, à quo non possumus recedere.

Et vidit Deus lucem quòd esset bona. subdit hoc, docens omnia à Deo procedentia bona esse. *Et diuisit lucem à tenebris*. quomodò? assignando cuiquè statum, & tempus suum; ideò dicit: *Appellauitquè lucem diem, & tenebras noctem, factumquè est vespere, & mane, dies vnus*, primus tẽporis, de quo dicit in principio: dies verò perfectus, & integer constans ex die, & nocte, quia dixit: *Appellauit lucem diem: & tenebras noctem;* sic Ion. 2. & erat Ionas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, & hic non expiscandum aliud tempus præcedens hanc diẽ, quia omnia contrà textum. Hinc verè opera hæc per distinctionẽ dierum facta, non vnico actu, tùm quia Deus præmisit lucem, & distinxit dies, ac noctes: tùm quia historia est dies distinguẽs, tùm quia seruit ad exemplum nostrum operãdi sex diebus, & die septimo quiescendi: Subditur enim die septimo Deum quieuisse ab omni opere quod patrarat, nihil operans; & habetur Exod. 20. & 31. Hinc etiàm in Paradiso, & in terra positus homo vt operaretur. Gen. 2. & 3. & sempèr voluit Deus nos sui similes, & ad sui similitudinem, & imaginem creauit nos, dixit: Sancti estote, quia ego Sanctus sum. & Christus: estote perfecti, sicùt & Pater vester cælestis; & Petrus de Christo: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, &c.

Poterat in instanti Deus omnia condere, & noluit, fortè vt cognosceretur maior maiestas operum, & vt seligeretur dies ad requiem hominum, & suam gloriam perpetuus, & hebdomadarũ vsquè in finem mundi ordo æternus constitueretur, quæ etiàm ad mundi fabricam quoquo modo spectabant. Ex prædictis infertur, quòd cùm hic sit primus dies initij temporis, & antè hunc sola æternitas, & nulla creatio, necessariò nequè tempus, nequè Angelos, nequè materiam informem, & primam, nequè cælum empyreum antè diem hanc creata, sed sub hac die tempus, materiã, Angelos; & aptabitur illud. Ecclesi. 18. Qui viuit in æternum, crea-

creauit omnia simùl; quod intelligendum in materia inform. Alchuuin. inter. 19. in Gen. etsi de Angelis hic nulla mentio per Moysen, sed in progressu operis, vndè in instanti, & momento imperceptibili potuerunt hæc in hac die præcedere, scilicèt materia informis, seu abyssus, & tenebræ, quas Deus respexerit, deindè formari lux in alio instanti imperceptibili intrinseco, non extrinseco, diem constituens, & Angeli, si hi inter coæua, quod infrà videbimus. Vel hæc simùl eadem hac die, vt detur tantùm ordo prædictus, qui Deo facilis. Hinc redditur probabilis opinio August. Angelos hac die creatos, licèt non putem id exprimi à Moyse sub verbo lucis, nisi dicas mysticè, quod fortè excepit à Paulo dicente de dæmone transformante se in Angelum lucis: prout improbabilis est opinio Angelos antè mundum creatos, quia vel vnà cum eo, vel pòst creatos probatur ex 2. Pet. 2. 4. vbi illicò traditos in tartarum cruciandos, & Iudæ vers. 6. vbi reseruari vinculis æternis sub caligine. At si præparatus locus Diabolo, & Angelis eius à constitutione mundi, Matth. 25. sequeretur creatos pòst terram distinctam, vel infernus est in parte terræ, quæ sic remansit indigesta, & confusa.

Dices, Moyses præmittit de materia informi quasi primò existente antè alia. *Terra autèm erat inanis, & vacua, &c.* Respódeo, Moysen id præmittere ad nostram intelligẽtiam, & ad ordinem narrationis: nàm cùm ex illa omnia corporalia creata fuerint, voluit etiàm id nos intelligere: at non quòd antè primam diem, & antè tempus fabricata sit; sic ad nostram intelligentiam cælum, & terram creata, quæ tamèn creata esse suis diebus infrà demonstrat.

Dices, dandum esse saltèm momentaneũ tempus antè creationem lucis, & diei, quo creata sit materia informis ex nihilo, & deindè subsecuta lux in ordine dicta dies; & si ferebatur supèr materiam informem spiritus Dei, dandum est spatium antecedens creationem lucis, quæ prima fuit in creatione pòst materiam informem. Respódeo, quia hæc in momento, & in instanti fieri potuerunt, nihil demitur de die quod sit considerabile, in momento materia informis, in alio, vel eodem ferebatur spiritus Dei supèr aquas, in alio, vel eodẽ facta lux: non enim materiam illam informẽ dimisit Deus otiosam, sed illicò creare ex ea cœpit: vel omnia simùl eo modo, quo dixi, & antè per Caiet. col. 2. vers. Nec hinc nouitie. & pag. 3. vers. & si perspicaciùs.

Ex aliorum coæuis dempsi cælum empyreum, quia cùm ex materia informi creatum sit, videtur, si prima die, saltèm aliquo modo, vel instanti in creatione postponendum primæ illi materiæ informi: alia enim coæua non sunt facta ex præexistenti materia, etsi censeam ponẽdum sub secunda die.

Non dicas cælum empyreum factum ex nihilo: nàm si alia omnia corporea ex præexistẽti materia, cur hoc corporeum demis, quo iure suffultus? solùm spiritualia ex nihilo creata, & creantur.

Non dicas, ex alia præexistenti materia factum, nõ illa communi: nàm si das in creatione ordinem, illa præcedet, nec erit ipsum coæuum. Sed cur duplicas primam materiam? Deus non facit per plura, quod facere potest per pauciora, potuit ex illa materia informi vnica id præstare, nõ est credendum separatam materiam confecisse pro solo illo opere, eo magis, quia coagulare potuit hanc primam materiam iuxta suum placitum, & extendere ad quamuis pulchritudinem, ità vt necesse ei non fuerit nouã materiam condere, sicùt illã primam in meliorẽ reformat prò hominibus, quàm pro pecoribus. 1. Cor. 15. 39. Non omnis caro eadem caro: sed alia quidèm hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autèm piscium. Et corpora cælestia, & corpora terrestria: sed alia quidèm cælestium gloria, alia autèm terrestrium, & tamèn eadem est: sicùt enim non creat de nouo, sic nec credo duplicasse materiam pro corporeis; vltrà quòd duplicatio est diuinatiua non habens scripturam pro se. Præctereà, nonnè eleuatæ aquæ terrestres suprà cælos secunda die, quomodò ergò materia hæc vilis, & incongrua ad cæli empyrei creationem? nonnè ex eadem constituti alij cæli? nonnè ex terra gemmæ, lapilli pretiosi, aurum, ex aqua crystallum? homines cælo empyreo digniores? hinc videretur dicendum, cælum empyreum factum esse

esse secunda die cùm alijs cælis, ex quo factum de eadem materia, qua alij, nec videtur iungendum alijs coæuis, quæ non sunt creata ex præexistenti materia, eo magis, quia non est verisimile primam materiam informem ad locum cæli empyrei peruenisse, quod dicendum esset, ne daretur vacuum, & quia non erat necessarium proùt lux, & alia coæua. Sed cùm aquæ statutæ sint suprà conuexum firmamenti, & sic satisfactum sit secundæ diei, & suprà empyreum dari non possint, ergò illud antè creatum, nec in operibus sex dierum cõprehensum per Moysen, & propterea in secundo instanti prima die videtur creatum. At respondeo etsi aquæ infrà empyreum, & in conuexo firmamenti, tamèn non obstat quìn suprà illas non possimus comprehendere cælum empyreum, cuius non meminit Moyses, quia & infrà cælum firmamenti comprehendimus cælum aereum, locum ignis, quorum nec Moyses meminit: congruit huic opinioni, quia aliquo modo influit in alios cælos. Nec dicas sufficit non apparere, vt excludatur ab operibus sex dierum, quibus tantùm visibilia narrantur à Moyse: nàm non procedit argumentum, quia Moyses de alijs nùnc non apparentibus loqui necessariò intelligẽdus est, vt de materia informi, tempore, aere, igni, dicam etiàm Angelis, cùm per illos cæli, de quibus ille expressè, moueantur. Exploditur autèm opinio quòd sit æternum, quia omnia per ipsum facta sunt. Ioan. 1. & de cælo empyreo clarè colligitur Hebr. 9. At creditur illud in quod raptus Paulus. 2. Cor. 12.

Dices, præmittitur de tenebris, & spiritu Dei, ergò dandum spatium aliquod. Respõdeo hæc Moysen præmittere, vt appareat quænàm esset materia illa prima, & informis, quomodò situata, & rudis: at sufficit præcessisse in momento, in instanti, & proùt dixi: nàm antè hunc primum diem temporis non potest dare creationem vllam. Hìnc magna Dei prouidentia prima die cùm illis coæuis, vt dixi, creata lux ad materiam illam distinguendam, & dies dicta, vt tempus distingueretur, & dies & nox constituerentur, & possemus in horum cognitionem peruenire: & propterea postponendum cælum empyreum huic luci, quæ omnia creata ex informi materia præcessit, & antè illam nihil.

Secunda dies.

Dixit quoquè Deus: fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentũ, diuisitquè aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant supèr firmamentum, idest, quæ occupabant locum, in quo posteà situatum firmamẽtum. *Et factum est ità. Vocauitquè Deus firmamentum, cælum: & factum est vespere & mane dies secundus.* Sequitur cælorum creatio pòst lucem, seù diem creatum, cùm sint omnibus creaturis superiores, & sic ordo seruatur. Et dicas omnes cælos creatos etiàm empyreum; scriptura enim dicit cælum creatum, idest cælos creatos, vndè nullum excludendum, præsertim quia horum in alijs diebus non meminit, nisi ad ornatum in quarto die.

Empyreum non posse excludi docui in prima die, & ibì dictis addo verisimilius esse vna die, & momento creatos omnes cælos, & omnia suprà nos existentia, quàm separatim, primò empyreum, deindè alia.

Et Angelos possumus dicere eadem die cum cælis creatos, postquàm non constat qua die creati fuerint, & quamuis antè creati essent Angeli, non esset incõueniens, cùm loco, quo sisterent, non indigerent: ideò non dicas, sicutì homini præparatus paradisus terrestris, sic & empyreum Angelis, ideò empyreum præcedere: nàm sic cælum empyreum esset eis coæuum, & quia non indigebant loco corporali, vt dixi, proùt homo, & quia sola dies præcesserat, & sic nulla erat necessitas creandi empyreum antè alios: & si Deus voluisset empyreum ab alijs creaturis distinguere, & priuilegio munire, non tardasset ad hanc creationem, cùm autèm sub hac ponatur, regulãdum est iuxtà illam; pro ùt iuxtà illam plantatus paradisus terrestris, scilicèt quinto die, quo aliæ plantæ conditæ, & non est credendum vnum tantùm corpus materiale ab hac creatione exceptũ: At vt dixi, fortè verisimiliùs hac eadem die, qua creatum censeo cælum empyreum, creatos & Angelos: vidimus enìm in creatione hominem dominantẽ cæteris omnibus postpositum. Confirmantur hæc Iob 37. vers. 7.

cùm

cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent filij Dei, ex his enim verbis videtur apparere Angelos creatos antè terræ creationem, quæ creata fuit tertia die; tùm quia præsupponenda eorum existentia antè has laudes, iubila, & glorificatio illorum; tùm quia laus, & iubilum ex his verbis Dei videntur referri ad illud tempus, & instans, dũ creabat, vel illicò pòst creationem terræ, præsertìm attento contextu omnium verborum præcedentium, ex quibus præsupponitur illos præextitisse, sed primum verius videtur; imò posset illorum creatio poni prima die cum luce, vt dixi: vide Pined in illum locum Iob, cuius opinio ex his non videtur verisimilis. Cùm autèm dicat *firmamẽtum*, absquè fundamento dicitur creatum solùm cælum aereum, quod nõ est corpus solidum, & impropriè, seù æquiuocè cælum. Et quia si quarto die in firmamento hoc (non enìm aliud dare potes) posita luminaria magna, & stellæ, qui sunt alij cæli solidi, (in aereo enìm posita non sunt) ergò omnes cæli sub fundamento comprehensi; similitèr absquè firmamento dicitur firmamentum restringi ad cælum octauum, quia quarto die luminaria magna, & stellæ posita fuerunt in firmamento, cæli verò à luminaribus illis, & stellis denominati diuersi sunt ab octauo cælo, in quo nequeunt dici posita.

Non dicas, solùm aereum, quia suprà illum aquæ, de quibus hic, non suprà alios, nam respondeo.

Primò, scripturam dicere, aquas suprà firmamentum positas, ergò suprà conuexum cœlorum, qui sub firmamenti nomine veniunt, non aerei æquiuoci.

Secũdò, quia suprà aereum, quod est corpus rarius fuisset positum corpus densius, quod est aqua, quod illud portare non posset, nec portat: nàm aer ex vaporibus è terra, & mari madefactus aquas contractas non sustinens illas demittit per pluuias.

Tertiò, quia tertia die dicitur: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt*, scilicèt sub firmamento intra, quod secunda die cælum appellauerat, ergò non suprà aereum, sed infrà, & sic suprà aereum non remanserunt.

Quartò, quia Psal. 148. dicitur: laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ supèr cælos sunt: sub hac enìm pluralitate cælorum aereum solum stare non potest; & extendens cælum sicùt pellem, qui tegis aquis superiora eius, scilicèt conuexum.

Non obstat, aquæ de cælo aereo defluũt, non ex conuexo firmamenti, hoc scimus, illud ignoramus: ideò dicendum suprà conuexum cæli aerei sistere. Respondeo, non possumus ignorare, quia scriptura clarè dicit aquas positas supra firmamentum, & ab his verbis non est recedendum, & illæ certò in nos non defluunt, tùm quia retinentur à cælorum soliditate, & nimiùm distant, tùm quia non ibi positæ ad defluxum, sed permãsuræ; fluentes enim sub firmamento remanserunt; sub firmamento autèm & aer, seù cælum aereum, nimirùm si illæ solæ defluunt, non quæ suprà firmamentum.

Secundò, quomodò vis aquas tantas stare suprà cæli aerei conuexum rarum, & fragile, vt dixi, si nec pluuiales sistunt?

Tertiò, aquæ fluentes è cælo aereo sunt sub concauo, non supèr conuexo, vt experimur ex defluxu & nubibus apparentibus in concauo, & si starent, seù stare possent suprà conuexum non defluerent.

Quartò, aquæ fluentes ex cælo aereo, cõgregantur ex vaporibus ascendentibus, vt dixi, non ergò illæ separatæ hac die.

Quintò, frustrà fuisset facta separatio aquarum ab aquis si iterùm superiores defluxuræ, & vniendæ erant cùm inferioribus.

Dices, quid ibi aquæ? ne quæras, quia sat est scripturam hoc dicere, Deumquè frustrà nihil agere. Videndus Chrysost. hom. 4. August. de Gen. ad litt. lib. 2. cap. 5. in fin. Et si tandèm daretur aquas illas suprà cæli aerei conuexum remansisse, verificaretur dictum in vno cælo aereo quòad aquas. at nõ fieret quin alij cæli supra illud conditi non sint eadem die, præsertìm quia quarto die in illis iàm creatis posita luminaria, & stellæ.

Dices, creatum cælum, & cælos omnes, quandò Moyses dixit: creauit Deus cælum, & terram. Respondeo, si tùnc creati cæli, ergò & aereum cùm illis, cur enim ex tuo capite illum excludis? & hoc modo secunda dies remaneret sinè creatione: at tùnc creatos non esse cælos, neque terram, suprà satis ostẽdi: si enìm tùnc creati fuissent, in eis posita

sita essent immediatè luminaria, & stellæ, quia extitissent corpora, in quibus infigerentur, non creanda lux non infixa primo die, vel si illa, & ipsa infixa foret: cùm autèm quarto die luminaria, & stellæ cælo infixæ, lux prima die non infixa, ergò non eo tempore, non alia die, quàm secunda conditi cæli.

Iterùm, si tùnc creati cæli, quomodò aquæ secunda die situatæ suprà cõuexum firmamenti? quà transierunt?

Concludo in principio exclusam creationam cælorum ex præmissis hìc, & suprà illis verbis, *cælum, & terram*; in quarto autèm die, quandò posita luminaria, & stellæ, præsupponuntur iàm creati, quia illa in eis infixa, & non est verisimile Moysen hos omisisse; in alijs diebus nihil de illis, & in sex diebus completum omne opus, ergò necessariò creati quandò fecit firmamentum, quod vocauit cælum secunda hac die, & consequentèr suprà illos aquæ tùnc diuisæ.

Probabilem autèm credo opinionem aeris elementum infrà sphæram ignis, & ignis elementum suprà aereum situatum eadem die creata, postquàm de his duobus elementis nulla mentio specifica alibì habetur, quæ tamèn non fuissent omissa, & non videtur congruentior locus dari posse, præsertim cùm dicatur & cælum aereum. Et aduertendum, quia licèt sedes ignis sit suprà aerem, non inconuenit ad vsus, & commoditates hominum multas partes ipsius à suo elemento separatas extrà locum eius in varijs locis contineri, quod & fit in alijs elementis, cùm omnia proptèr hominem. Nèc non probabile & aquam hac secunda die creatam ex materia illa informi: nàm non est verisimile aquas positas suprà firmamentum non fuisse veras aquas, & elementares, proùt quæ sub firmamento remanserunt, sed illam rudem, & informem materiam, separãdo enìm materiam illam informem ad elementares aquas reduxit: vndæ illæ sunt veræ aquæ, & elementares, non in alias immutatæ, quod scriptura non dicit, nèc nos possumus nouitates fundare; imò tertia die non appellauit aquas, sed congregationes aquarum appellauit maria, quasi iam aquæ extarent in suo esse, cùm supèr illis semèl disposuisset. At non credas has aquas tempore diluuij defluxisse in terram: quomodò enìm id factum, cùm sint in conuexo firmamenti antè cælum empyreum in tanta distantia, ibì mansuræ, non mouendæ? non enìm præsumuntur positæ ad tempus, & opera Dei sunt sinè pœnitentia.

Ex præmissis infero, Moysen etiàm inuisibilia descripsisse, si sub cælis aereum, ignem, cælum empyreum, nec non & tempus sub prima die. Et si aliqua tacuit, seù sub alijs inuoluit, non credo fuisse ob ruditatem populi (quia quid illud magnum) si dixisset de aere, & igne, & cælo empyreo, & etiàm Angelis ex his quæ dicam? & quia profert mysterium sanctissimæ Trinitatis, quo nihil augustius & maius, infrà: *Faciamus hominem*, vt ibì per omnes & quia hæc, & alijs vltrà Hæbræos seruitura erant, sed vt ex expressis ad non expressa deuenirent, proùt idem actũ in omni alia scriptura, vt benè per Eugub. cap. 2. in vers. lignum etiàm in medio paradisi, lignumquè scientiæ boni, & mali, & in princip. cap. 7. sed & serpens erat callidior, &c. quæcunque enìm scripta sunt, ad doctrinam nostram, idest, omnium, scripta sunt, & in Machab. habentes consolationem in scripturis sanctis. Quod autèm dicitur de ruditate populi, hæc referenda ad ea, quæ pro ipso particularitèr sunt gesta, vt in lege Moysis. Hìnc si omisit Angelorum creationem, illorum tamèn existentiam nosse potuerunt ex apparente in paradiso terrestri, eiectis è cælo, de quibus 3. cap. ex Cherubim apposito ad custodiam ligni, tùm ex percussore in Aegypto, & duce in columna ignis, & nube, ex visis ab Abraham, Lot, Iacob, Moyse, Balaam, & alijs, & censuit Moyses fructuosiùs de his agere, seù illorum existentiam demonstrare ex successibus, seù effectibus, quàm ex narratione sola. Et cùm horum Iudæi tãtam habuerint notitiam, quæ non potest negari, (hìnc in natiuitate per Angelos pastores edocti, proùt Magi per stellam. Luc. 2. vbì omnes) non intrat ratio, omissos hìc à Moyse, ne Iudæi ad idolòlatriam traherẽtur: præsertim quia & Cherubim habebant supèr propitiatorio. Vide Perrerium Dan. 3. lib. 4. in Cant. trium puerorum in vers. Benedicite Angeli Domini Domino; Abul. hìc.

Ex-

Excluditur & aliud, Moysen de his non egisse tamquàm ad mundum non spectantibus: nàm includimus omnes cælos, quia influunt in nos, & alia occulta, cur non & Angelos spiritus administratorios, Heb. 1. salutem nostram procurantes, nostros custodes, cælos mouentes? Vndè si hìc in his sex diebus de illis non egit, tamèn pluriès de illis in quinque his libris suis. At cur in operibus sex dierum de illis non egerit, ratio vera est, quia Moyses tractat de creatis tãtùm ex materia informi, de qua omnia corporalia, non spiritualia: Angeli verò creati sũt ex nihilo, & hìnc est quòd neque exprimit quomodò formata anima hominis, neque de illa in Eua, quia non ex materia prima, sed ex nihilo creatur à Deo; hìnc cùm cælum empyreũ non ex nihilo, sed ex materia prima, propterea comprehenditur sub creatione operum sex dierum, vt dixi.

Tertia dies.

Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum est ità. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationesquè aquarum appellauit Maria. Et vidit Deus quòd esset bonum. Hìc creatur terra, hìc arida terra, idquè factum ex materia informi. August. de Gen. contrà Manich. lib. 2. cap. 12. & de Gen. ad litt. imperfect. lib. vno cap. 15. & de Gen. ad litt. cap. 11. alioquì enim vbi præcedit creatio terræ? prima die lux, secunda firmamentum, iamquè exclusi sub verbis (*cælum, & terram*) non exprimi illius creationem, & ex more scripturæ dicuntur tùnc res fieri cùm apparent; sic aquas produxit, cùm dixit: *congregentur aquæ*, & factum firmamentum: antè enim hæc verba arida non erat, sed tùnc in prolatione verborum facta fuit: quomodò enim apparuisset arida, nisi aridam fecisset Deus, cùm aquæ omnia superarent, occuparent, & omnia essent simùl aquis confusa? non potest enìm aridum esse quod ab aquis occupatur, & ideò benè Petrus: & terra, quæ scilicèt non erat, de aqua desumpta, & per aquam illam vnientẽ consistens, vt dixi suprà; & si secunda die dixit fieri firmamentum in medio aquarum, ergò antè nihil erat solidum, firmum, aridum, neque terra.

Itèm, si aqua, ignis, aer, tria elementa ex materia informi facta, cur & non terra? quod nàm priuilegium terræ maius, quàm aliorũ?

Sed quòd aridam fecerit Deus, etsi Moyses verbo (*appareat*) vtatur, habemus Psal. 94. 1. & aridam fundauerunt manus eius, seù siccam manus eius formauerunt. Et Ionæ 2. 10. qui fecit cælum, mare, & aridam. & Iob 38. vbi eras quandò ponebam fundamenta terræ? & vocat Deus ea quæ nõ sunt, tamquàm sint. Rom. 4. & agitur de creatione, ità vt antè nihil præsupponere possimus.

Vltimò, antè terræ creationem præmittẽda fuit creatio cæli nobilioris, quod etiàm præmisit in proemio in ordine, *cælum, & terram*. Et cùm secunda die verè creati cæli, sic hac tertia die verè creata terra, non apparuit, quæ antè non fuit: si enìm fuisset, non stetisset otiosa, proùt illicò creatam Deus plantis, & herbis ornauit. Hìncquè vanè quæritur quomodò siccata terra: nàm aridã produxit Deus: vnumquodquè enìm elemẽtum creauit in suo naturali esse; & nõnè posteà Deus siccauit mare, vt sicco pede populus pertransiret; & cùm creatio sit ad dies, profectò omnia in quolibet die perfectè creata, cùm terra perfectè, & infernus creatus, cuius pars, nec danda anticipatio ratione dæmonum, vel ratione incertitudinis eorum creationis, vel pœnæ, qua potuerunt vbiquè affici, & quia præponderat verisimilitudo infernum in terra existentem cùm terra non separatìm creatum.

Et ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxtà genus suum, cuius semen in semetipso sit supèr terram. Et factum est ità. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxtà genus suum, lignumquè faciens fructum, & habens vnumquodquè sementem secundùm speciem suam. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est vespere, & mane, dies tertius. Hæc omnia in instanti, & virtute diuina, tùm quia Deus inuentor, & creator etiàm omnium mixtorũ, tùm quia terra naturalitèr non potuisset vno die hæc omnia producere, tùm quia hæc omnia in principio referuntur creata à Deo immediatè. Sed clariùs de plantis infrà cap. 2.

Istæ sunt generationes cæli, & terræ, quandò crea-

creata sunt, in die, idest in tempore, *quo fecit Dominus cælum, & terram: & omne virgultum agri antequàm oriretur in terra*, naturalitèr, omnemquè herbã regionis priusquàm germinaret naturalitèr: non enim, &c. Quòd autèm aqua nùnc nõ superet terram, clarum est ex textu: nàm si dum superabat iussum est: *congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum; & appareat arida*, ergò clarè ne superent: quod enim apparet, eminentius est, vt de Saule Samuel, nec est verisimile Deum voluisse miraculo perenni aquas, etsi terra sublimiores, infrà terram continere. Et si aqua esset altior, vtiquè declinaret supèr terram inferiorem, & depressiorem: vndè non esset factum quod à Deo iussum est: & si essent maria altiora, non descenderent ad ea aquæ fluuiales, proùt decurrunt per decliuum.

Non dicas in alto mari aquas altiores: nàm profundiores sunt, non altiores: sicùt enim in alijs aquis fluuialibus, vel stagnantibus non videmus huiusmodi dorsa, seù altitudines, sed æqualitates, sic est in mari, & apparet intuentibus in tranquillitate.

Sed quandò mundus cõditus? credo verno tempore, si sequamur creationem herbarum, & fructuum, quæ omnia solent eo tempore pullulare, & partim in fructus excrescere, & quia credendum in meliori, & saniori parte anni Deum illum condidisse, quæ est ver: omnia enim principia solent esse florida, & eximia, & præsertim in operibus Dei, quæ sunt perfecta, & magis attendendum tempus, quo conditus mundus, quàm quo fructus maturescunt, quia quouis tempore in illo principio haberi poterant, cùm id dependeret à causa supernaturali, non naturali. At Deum tãtùm in Mesopotamia, vel alia parte, seù regione, in qua sciebat hominem è paradiso eijciendũ habitaturum, arbores fructus habentes procreasse, non in alijs partibus cõtrariatur textui generalitèr loquenti, qui non est restringendus: dicit enim *herbam virentem, & facientem semen, lignum faciens fructum, & habens semẽtem:* si enim sementem habebat, erat perfectum, & sic cùm fructibus; & quia ad decorem, & ornatum terræ magis conuenit fructus fuisse vbiquè maturos, & quia Maiestas, & potentia Dei magìs detegebatur ex hac generalitate: & si non homines, animalia vbiquè creata potuerunt ex illis vel decerptis, quibus dabatur, vel cadentibus vesci, & verisimiliùs est creationem fuisse vniformem, vt & anno succedente fieret idem terra producente, & sicùt non fuissent arbores inanes, & sinè fructu postquàm creatæ erant, & si homines defecissent, quia iuxtà naturam earum produxissent, sic & in prima earum creatione verisimiliùs est contigisse. Prætereà fructus, herbæ, & arbores traduntur homini, & animalibus in cibum, ergò omnia erant matura. Sed hanc opinionem reddit tutam quod fecit, & dixit Deus Adam de lignis paradisi. Ex omne ligno paradisi comede; de ligno autèm scientiæ boni, & mali ne comedas: ex his enim præsupponitur, omnia ligna fructus habuisse, vt verificetur de omnibus comedere potuisse: hìncquè sic argue. Arbores omnes paradisi fructus habebant, & tamèn sciebat Deus ad breue tempus ibì permansuros Adam, & Euam, & si diutiùs permansissent, illos non consumpturos vsquè ad annum subsequentem aliarum frugum oriturarum, ergò nequè in terra id factum; Insupèr, sicùt Deus omnia creauit perfecta, pisces, aues, animalia, hominem, elementa, orbes, sic credendum vbiquè plantas, & herbas cum fructibus maturis creasse.

Quarta dies.

Dixit autèm Deus: Fiant luminaria in firmamẽto cæli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos: vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ità. Fecitquè Deus duo luminaria magna: luminare maius: vt præesset diei; & luminare minus, vt præesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent supèr terram, & præessent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras. Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est vespere, & mane, dies quartus. Hoc quarto die formatus sol, luna, stellæ, non ad diem constituendum, quia in prima luce constitutus: non ad diem solum illuminandum: non temporalitèr, proùt illa lux, sed ad diem, ac noctem illuminandam, distinguenda tempora vsquè ad durationem mundi.

Quærunt aliqui, an luna, & stellæ recipiant

piant lumen à sole, credo ego virtute propria illis indita lucere, prout sic clarè distinguit Moyses: & quia inuerisimile est Deum fecisse lunam, quam nominat luminare minus, & stellas cœcas, & mutuato lumine indigentes; vltrà quòd Paulus dicit 1. Cor. 15.30. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum, stella enim à stella differt in claritate. & Isai. 30. 26. & erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, &c. & ità videtur dare lumen lunæ, dicens. cap. 4. 10. Quoniàm stellæ cæli, & splendor earum non expandent lumen suum ob tenebras, & sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo; & Baruch. *6. 66.* neque illuminabunt vt luna. At de luna tenent omnes lumen recipere à sole; vndè standum peritis in arte sua.

Qui dicit alio tēpore solem, vel hæc creata, diuinat, vt in prima die latè diximus, siuè imperfectè, siuè perfectè, siuè quouis alio modo, cùm non debeamus recedere à claris verbis textus.

Cur Deus solem, lunam, stellas pòst herbas, & plantas condidit? Respondeo, quia si antè, fuissent in nullo ministerio: nàm, terra nōdum condita, ad quid seruissent? in quodnàm influxissent? & si terra non fuisset illis ornata, nèc germinasset illa, itidèm creaturæ otiatæ essent, vltrà quod conueniens fuit præmittere creationē terræ & aquæ, in quæ elemēta hæ creaturæ agerent. Et adhùc pro lumine vigebat lux illa prima tēporalis paruula, vt creditur ad distinctionem luminarium magnorum horum.

At cur creauit illa antè animalia? quia si animalia creata forent antè illa, quomodò vixissent, cùm ex motu, & influentia orbium cælestium viuant? ideò hæc præmittenda, vt viuere possent; & vt prouideretur diurnis, & nocturnis animalibus, quibus sola luce diem tantùm illuminante prouisum non erat; & vt animalia luminaribus illis, & stellis suo modo oblectarentur: hìnc dilata etiàm creatio hominis, vt posset creatis omnibus perfectè perfrui.

Lunam autèm sicut herbæ, & plantæ in sua perfectione creatam esse puto, quia Dei perfecta sunt opera & non est ratio cur dicamus hanc imperfectè creatā, cùm alia perfectè, sol, stellæ, herbæ, plantæ, animalia, elementa, homo: sed intellige iuxtà August. de Gen. ad litt. cap. 15.

Quinta dies.

Dixit etiàm Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile supèr terrā sub firmamento cæli. Creauitquè Deus Cete grandia, & omnem animam viuentem atquè motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus suum. Et vidit Deus quòd esset bonum. Benedixitquè eis, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris; auesquè multiplicentur supèr terram. Et factum est vespere & mane, dies quintus. Clarus est textus, formata volatilia ex aquis; textus verò infrà. cap. 2. 19. formatis igitùr Dominus Deus de humo cunctis animātibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, &c. non contrariatur, quia verbū (humo) refertur ad animantia terræ tantùm: volatilia enim formata ex aquis, vt hìc. Meminit humi Moyses in animantibus, quia fuit horum vltima creatio ex illa, non vt sub illa comprehendat volatilia ex ea nō creata, quia sibi ipsi contrariaretur. Congruè autèm reptilia aquæ, & volatilia cæli sub vna die ob similitudinem volatus, & natatus.

Sexta dies.

Dixit quoquè Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas. Factumquè est ità. Et fecit Deus bestias terræ iuxtà species suas, & iumēta. & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quòd esset bonū. Cur nō terrestribus proùt aqueis, & aereis dictum: *crescite?* quia cùm eadem die terrestria, & hominem condiderit, digniori, qui est homo, hoc subiunxit, nec repetere decuit, quia si homo illis dominaturus, & illa multiplicanda, & accrescenda; præsertim quia in subiectione vniuit & aquea, & aerea, quibus clausula illa subiecta; vltrà quòd clausula hæc potest quoquomodo & illis aptari, maximè præcedente simili in aqueis, & aereis. At animalia terrestria credo vbiquè terrarum creata iuxtà genus suum, & non in particularibus regionibus, & à Deo, non à sole, vel alijs, etsi aliqui in his contradicant.

Et ait: Faciamus hominem ad imaginem,

& similitudinem nostram. Hic sanctissima Trinitas manifestatur sola operans ad indicandam hominis excellentiam: etsi enim omnia alia creata per eam in alijs diebus, nunquàm tamèn dictum, *faciamus*, & hanc excellentiam demõstrat etiàm sæpiùs repetendo factum esse hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Non ergò hic ad Angelos est sermo, quos excludit Isaias cap. 40. 41. 44. 24. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. & idem per alia verba repetit. cap. 45. 12. 18. idem colligitur. Prou. 8.

Sed quomodò ad imaginem, & similitudinem Dei? intellige in anima, & eius potentijs naturalibus in ea inditis, de quibus vide hìc apud alios. Sed puto synonima esse imago, & similitudo, quia subditur *(ad imaginem suam, ad imaginem Dei.) & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæquè terræ, omniquè reptili, quod mouetur in terra. Et infrà: Dominamini piscibus maris, &c.* Ex quibus dominium translatum, & in quasi possessione huius iuris positus fuit Adam cùm Eua à Deo, quandò adduxit omnia animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea, & singulis nomen imposuit: ideò nec perterrita Eua serpente secũ agente vti sibi subiecto ex Chrysost. ho. 10. vndè faciliùs decepta. At quãuis non in homines data prælatio, fuisset tamèn verisimiliter in statu innocentiæ, quia dictum: Faciamus Adam adiutorium simile sibi: adiutorium enìm dicit quid minus, & Eua ex Adã creata, & ab eo illi nomen impositum, tùm quia nomina animaliũ ab Adã, non ab Eua, vltrà rationes aliorum hìc. *Masculum, & fæminam creauit eos*. vt infrà cap. 2. in quo omnia per recapitulationem; sed quia videtur ob huiusmodi recapitulationem peruerti ordo, dicas hunc ordinem esse. Formato Adã, formatam illicò Euam, cui adductæ ad Adã inditum nomen, & intèr eos initum matrimonium, deindè adducta animalia, supèr quibus vtriquè datum dominium, quod sentit Tertullian. in carm. in Genes. & eisdem imposita nomina, posteà Adam, & Eua simùl ad paradisum transportati, & ibì pòst assignatos cibos præceptum datum vtriquè audienti de non comedendo ligno scientiæ boni & mali: rationes autèm huius ordinis, & contextus prosequar infrà, & cap. 2.

Sed cur Adam in terra, non in paradiso formatus? Credo, vt posset animalibus omnibus nomen imponere: non enim conueniens fuisset gratia imponendi nomina à Paradiso, qui ad perpetuam habitationem ei concessus erat, illum euocare.

Secundò, vt visa differentia terræ, è qua formatus fuerat, & paradisi, cognosceret Dei largitatem, eiquè gratias referret.

Tertiò, ne indè eiectus desperaret: duriùs enìm tulisset indè eijci, si originale solum fuisset.

Quartò, vt reminisceretur suæ miseriæ, & vilis pulueris, seù limi, è quo eductus erat, quod post peccatum Deus aduertit, & humilis fieret.

At homini iustitia originali ornato erat locus proprius, & conueniens, & pro illo fabricatus à Deo, quod dignoscitur, quia (illa amissa) indè eiectus fuit, & nùnc retinet duos iustos hospites Enoch, & Eliam: si enìm Angelis creatis cælum, cur non homini in terra locus ornatior? nàm & paradisus voluptatis quidèm, sed terra est, & homo iustus cælo à Deo donandus erat.

Sed an Adam creatus immortalis? dico quòd non, sic Paulus 1. Cor. 15. 45. si est corpus animale, est & spiritale, sicùt scriptum est, factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale, deindè quod spiritale. Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis, & tamèn si non peccasset, Deus non permisisset eum mori, sed vel ligno vitæ, vel alio modo conseruatus esset, & translatus ad gloriam: ideò Sap. 2. Creauit Deus hominem inexterminabilem; inuidia autèm diaboli mors introiuit in orbem terrarum.

Benedixitquè illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini. ad numerum hæc referẽda: ideò subdit: *& replete terram, & subijcite eam, &c. Dixitquè Deus: Eccè dedi vobis omnem herbam, &c.* à principio prouisum in omnibus etiàm irrationabilibus, ideò Christus:

stus: respicite volatilia cæli;hinc magna Dei prouidentia.Nota verò probabiliorem videri opinionem, quòd animalia carniuora carnibus vsa non sint,nisi pòst diluuium, quandò carnes homini concessæ:non enim credibile priùs datas illis, quàm homini ipsarum domino. *Viditquè Deus cuncta,quæ fecerat: & erant valdè bona. Et factum est vespere, & mane, dies sextus.*

Sed an hoc die creata Eua? & videtur, quia si dantur creationis sex tantùm dies, vt hìc & Exod.20.& 31.vltrà quos nulla creatio, ergò Eua intrà illos creata.

Secundò, si Deus vidit cuncta quæ fecerat, ergò & Euam.

Tertiò *si masculum, & fœminam creauit eos.Benedixitquè eis.* vers.27. ergò Eua illicò pòst Adamum, cùm illos iungat.

Quartò.cap.2. Igitur perfecti sunt cæli,& terra,& omnis ornatus eorum. &: Istæ sunt generationes cæli,& terræ, &c. nullus venustior ornatus homine, ergò & Eua formata.

Quintò,subditur ibidē. Compleuit Deus die septimo (exclusiuè) opus suum,quod fecerat, & requieuit, cessauit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo,quod creauit Deus vt faceret:si enim vltrà sex dies nō est operatus, ergò intrà illos, & die sexta, qua Adam formata, & Eua.

Sextò, si iunctim translatum dominium vtrique Adam & Euæ in animalia illicò pòst eorum creationem, ergò & Eua formata erat.

Septimò. cap. 5. Gen. dicitur: Hic est liber,&c.masculum,& fœminam creauit eos, & benedixit illis: & vocauit nomen eorum Adam,in die quo creati sunt. Eccè quomodò vno die ambo: at certi sumus de Adam creato in sexto die, ergò & eodem Eua.

Octauò, postquàm mulier futura erat socia, & particeps,& domina cùm Adam, est verisimile Deum voluisse eam à principio interesse omnibus quæ contigerunt, nempè nominationi animalium,dispositioni,& alijs agendis, erat enim adiutorium, ergò illicò creata.

Nonò, prouiderat Deus eodem instanti omnibus animalibus, mares & fœminas procreando, est etiàm admodum verisimile voluisse illicò prouidere de fœmina Adam formato animalibus præstantiore; hinc dictum: *masculum & fœminam creauit eos.*

Decimò,tantam curā habuit Deus Adæ, quomodò credendum defecisse in re maiori, quæ erat dare ei comparem? quid enim solus etiàm ad momentum fecisset? Scriptum est enim: Veh soli; ideò credendum in instāti Euam formatam.

Vndecimò, non est verisimile primò nominata animalia,quàm prouisum homini de societate, cùm huius, quàm illorum maior esset cura Deo:dicit Paulus,nunquid de bobus cura est Deo?nominatio autèm creditur facta die sexto, ergò creata Eua.

Duodecimò, non est verisimile solùm Adam in paradiso positum, sed cùm fœmina, vt magis lætaretur in tot delicijs; nàm quæ lætitia soli non habenti sublevantem se? positus autèm fuit in paradiso sexto die, quo omnia opera finita, ergò nata Eua sexto die.

Decimotertiò,arguitur hoc ex parua mora,quam vterque fecerunt in paradiso, de qua infrà. Vndè censeo nihil intercessisse temporis intèr ortum Adæ, & Euæ, nisi sopor ille immissus in Adam, & sequuta pòst illum.

Non obstat quòd ortus Euæ videatur poni extrà sex dies infrà cap. 2. nàm ibì Moyses non seruat ordinem, sed docet quomodò facta formatio Euæ, quod non posuit in primo hoc capite expeditè, sicùt etiam eodem capite docet quomodò formatus Adā,quod in primo capite non præstitit; patet, quia priùs narrat præceptum de non comedendo de ligno scientiæ boni,& mali, & deindè ponit formationem Euæ,& tamèn constat vtrique factum præceptum;nàm cap. 3. respondet Eua serpenti: de fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, &c. si enim & illi præcepit, ergò iàm formata erat.

Hìnc sequitur & Euam formatam in terra, non in paradiso, iuxtà opinionem Rup. Abb. lib. 2. capit. 32. Ioseph. libro 1. antiquit. capit. 1. Tertullian. lib. 2. contrà Marcio. quidquid dicat Abulens. Genes. 13. quæst. 135. deindè vnà cùm Adam in paradi-

radisum transportatam : probatur.

Primò, non est præsumendum datum locum originis meliorem Euæ, quàm Adam.

Secundò, non est verisimile Deum creasse omnia alia extrà paradisum, & voluisse vnam solam Euam in eo creare.

Tertiò, inuerisimile est Deum, antequàm requiesceret ab omni opere, hominem collocasse in paradiso voluptatis, sed potiùs omni opere finito.

Quartò, præceptum de non edendo de illo ligno, opere, custodia, in ingressu paradisi factū erat vtrique, ergò & Eua iàm nata in terra vnà cū Adam transportata de terra in illū.

Quintò, fuerunt imposita nomina animalibus in terra, vt tenui, & dicam infrà, huic actui ipsa interuenit, ergò in terra formata.

Sextò, si non fuisset cum Adam in Paradisum introducta, sed in eo formata, cùm tempore illo posterior, diabolus minùs tutè cum illa egisset, non ità illa tutò ad lignum properasset, & viro dedisset, & virum priùs interrogasset; sed quia vnà cum illo introducta, proùt vir informata, audax facta est.

Septimò, concurrūt omnes rationes, quas adduxi suprà, quòd Eua sit formata sexto die, & cur Deus Adam in paradiso non creauerit, de quibus per Abul. Genes. 13. q. 134. Hanc opinionem sequitur Tertull. in carm. in Gen. Non est autèm mirum si nulla facta mentio mulieris, sed solius Adam, quia de illa adhùc non egerat, & quia etiàm in eiectione à paradiso cap. 3. 23. nominatur solus Adam, non Eua. Sequitur etiàm ex prædictis, nomina animalibus imposita fuisse in terra, non in paradiso: tùm quia verba sunt de animantibus terræ vers. 19. tùm quia non est verisimile de terra in paradisum posita ad hunc effectum, et magis quia de solo homine transportato in paradisum dicitur, non de animantibus, quod expressisset Moyses, si sic fuisset, proùt de homine. Ex præmissis etiàm sequitur antè sex dies nullum opus fabricatum, quod & clarum est.

CAPVT II.

1 *IGITVR perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus*
2 *eorum. * Compleuitquè Deus die septimo opus suum, quod*
fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod pa-
3 *trarat. * Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum:*
quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus
4 *vt faceret. * Istæ sunt generationes cœli, & terræ, quandò*
creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum, & ter-
5 *ram: * Et omne virgultum agri antequàm oriretur in terra, omnemque herbam*
regionis priusquàm germinaret: non enim pluerat Dominus Deus supèr terram,
6 *& homo non erat qui operaretur terram: * Sed fons ascendebat è terra, irrigans*
7 *vniuersam superficiem terræ. * Formauit igitùr Dominus Deus hominem de li-*
mo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in
8 *animam viuentem: * Plantauerat autèm Dominus Deus Paradisum volupta-*
9 *tis à principio: in quo posuit hominem quem formauerat. * Produxitquè Dominus*
Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum
10 *etiàm vitæ in medio paradisi, lignumquè scientiæ boni, & mali. * Et fluuius*
egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui indè diuiditur in
11 *quattuor capita. * Nomen vni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Heui-*
12 *lat, vbi nascitur aurum: * Et aurum terræ illius optimum est: ibi inuenitur*
13 *bdellium, & lapis onychinus. * Et nomen fluuij secundi Gehon: ipse est qui cir-*
cumit

14 *cumit omnem terram Aethiopiæ.* * *Nomen verò fluminis tertij, Tygris: ipse va-*
15 *dit contrà Assyrios. Fluuius autèm quartus, ipse est Euphrates.* * *Tulit ergò Do-*
minus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, &
16 *custodiret illum:* * *Præcepitquè ei dicens. Ex omni ligno paradisi comede:* * *De li-*
17 *gno autèm scientiæ boni, & mali ne comedas. in quocunque enìm die comederis ex*
18 *eo, morte morieris.* * *Dixit quoquè Dominus Deus: Non est bonum esse hominem*
19 *solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* * *Formatis igitur, Dominus Deus,*
de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad
Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enìm quod vocauit Adam animæ
20 *viuentis, ipsum est nomen eius.* * *Appellauitquè Adam nominibus suis cuncta*
animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non
21 *inueniebatur adiutor similis eius.* * *Immisit ergò Dominus Deus soporem in Adam:*
22 *cumquè obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.* * *Et*
ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem; & ad-
23 *duxit eam ad Adam.* * *Dixitquè Adam: Hoc nunc, os ex ossibus meis, & caro*
24 *de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniàm de viro sumpta est.* * *Quamob-*
rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt
25 *duo in carne vna.* * *Erant autèm vterque nudus, Adam scilicèt, & vxor eius:*
& non erubescebant.

I*GITVR perfecti sunt cæli.* Eccè de quibus cælis loquitur, nempè de his, quos ipse perfectos dicit secunda die. *& terra, & omnis ornatus eorum.* Aduerte, omnia dicta in hoc cap. sunt per repetitionem. *Compleuitquè Deus die septimo* exclusiuè *opus suum* sex dierum quod fecerat, creãdo iam dicta. Et quòd excludat diem septimum, apparet, quia subdit: *& requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat*, cessans ab operando, prout illis sex diebus operatus erat; *Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum*, segregans ab alijs, & sic ad requiem, & honorem suum dicatus. Exod. 20. & 31. *quia in ipso cessauerat ab omni opere, quod creauit Deus vt faceret*. est Hebraismus duplicans phrases: nam ad quid fecerit, nempè de seminibus, iàm dixit in creatione, & de animalibus in verbis (crescite, &c.) & sic collige diebus sex omnia condita, vt & hic per Teodoret. quæst. 21.

Sed an dies Sabbati fuerit sub præcepto ab Adam citrà? & videtur quòd non clarè, quia vnicum præceptum fuit abstinendi à ligno scientiæ boni, & mali, quod omne aliud excludit; & quia non fit mentio præcepti, nisi in lege data Moysi, vt etiàm colligitur. Io. 7. 22. At durum est credere, vel mirum antè legem Moysis homines, & iumenta non habuisse requiei, & honori Dei diem deputatum in hebdommada. Sed non apparet, & apud ethnicos nullus meminit, quem viderim: etsi alij secùs referant.

Istæ sunt, quas dixi, *generationes cæli, & terræ, quandò creata sunt, in die*, tempore, *quo fecit Dominus Deus cælum, & terram: Et omne virgultum, &c.* non ergò expiscandæ, vel formandæ aliæ ex capite, sed standum narratis per Moysen in sex diebus, & nihil antè, vel pòst conditum putare, quod qui fecerit, tutus ibit. *non enìm pluerat, &c. Sed fons ascendebat è terra, irrigans*, inundans, *vniuersam superficiem terræ* iàm aridæ; & his verbis docet quomodò Deus sua potentia terram germinare fecerit, & quod dicitur de fonte in singulari, potest intelligi in plurali de fontibus è terra egredientibus, proùt de musca in Pharaone; sic Abulen. Vapor verò, non est fons, nequè diceretur irrigare, sed madere, & standum textui. *Formauit igitùr Do-*

Dominus Deus hominem de limo terræ, puluere terræ; *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, animam, *& factus est homo in animam viuentem*.

An puncto temporis creatus Adam?& videtur; & quamuis ex verbis videatur colligi mora, id tamèn non ex facto, sed gratia explicandi quomodò creatus sit ad nostram capacitatem; Et si in alijs operibus sex dierum nulla mora, sed in instanti, cur secùs in homine omnium principe & domino? eò magìs, quia perfectus homo creatus est, ità vt nullum argumentum desumi possit à naturali generatione humana. Sed an Angeli coagulauerint limum in forma hominis? & non videtur improbabile ex deductis à Catharino & Abulen. Iosf. 6. Ex verbis (*inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*) probatur immortalitas animæ, ex quo dicitur formata à Deo, qui nullam eius creaturam per eum formatam ad nihilum redigit, sed latiùs hìc per alios. Dixit verò *in faciem*, quia ibi spiratio & respiratio, & nos sic solemus deficientibus in faciem ad illos refocillandos insuflare: hoc enìm à communi vsu mutuatũ credo Moysen; Sic Elias 3. Reg. 17. 21. Eliseus 4. Reg. 4. 34. Paulus Acto. 20. 10. supèr pueris mortuis; Sic ad Spiritum sanctum dandum insufflauit Christus in Apostolos. Sic Ezech. 37. in ossa arida. Vide August. de Gen. ad litt. lib. 7. cap. 17.

Sed cur de limo terræ corpus hominis? ex quattuor elementis compactum est, sed pius de terra, quia terrenus, animal terrestre, terram habitaturus, & ad reprimendum superbiam, quæ iàm in Lucifero apparuerat: ideò infrà cap. 3. 19. puluis es, & in puluerem reuerteris.

Cur pòst formationem hominis non dicitur, & vidit Deus quòd esset bonum, &c. vt in alijs? dicuntur multa, quæ placent, dicas, quia factus ad imaginem, & similitudinem Dei, quod expresserat, & huic nil addì poterat, vltrà quod præfecit eum omnibus bonis, quæ omnia & proptèr hominem.

Plantauerat autèm Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, intellige die tertio, quo creata terra: *in quo posuit hominem, quem formauerat*. ex hoc verbo *posuit*, videtur denotari iussu Dei Adamũ, & Euam illùc transportatos, & magnam distantiam, vel altitudinem paradisi, quæ confirmantur ex vers. 15. *Tulit ergò Dominus Deus hominem & posuit eum in paradiso voluptatis*. & infrà cap. 3. 23. vt operaretur terram, de qua sumptus est, & de Enoch cap. 5. 25. tulit eum Deus. iuncto Ecclesf. cap. 44. & Elia in curru igneo delato. Vide dicta Apocalypf. 11. *Produxitquè Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescẽdum suaue*. dic hoc factum tertia die, vt suprà, sed nũc referri in descriptione paradisi. *Lignum etiàm vitæ in medio paradisi*, potens hominem in æternum conseruare, donèc ad beatitudinem à Deo transferreretur, vt infrà cap. 3. 23. nùnc ergò ne fortè mittat manum suam, & sumat etiàm de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum: hincquè fit clarum in alia regione lignum huiusmodi productũ non fuisse, quia aliàs ex eo loco non erat hac de causa eijciendus Adam, vel ponenda custodia, & naturalitèr illi ligno inditam hanc virtutem: tùm quòd de naturalibus hìc: tùm quòd non ob id eijciendus Adam, si supernaturalis fuisset: nàm sufficisset Deum non concurrere. De hoc ligno non comedit Adã, quia dicitur cap. 3. 22. & sumat etiàm de ligno vitæ, in negationem enim tendunt verba quoad lignum vitæ, proùt ad inclusionem quòad lignum scientiæ boni & mali, vltrà breuitatem temporis, quo ibi mansit.

Lignumquè scientiæ boni, & mali, ex quo sumpta occasio peccandi. Sed cur nominata arbor scientiæ boni & mali? ex verbis deceptorijs serpentis: eritis sicùt Dij scientes bonum, & malum; deceptio autèm fuit quòad bonum, veritas quòad malum, at non ex arbore: vndè & hìc mendacium, sed ex peccato ob prohibitionem præcedentem. Aug. de Gen. ad litt. lib. 8. cap. 6. & ab euẽtu, quia pòst esum aperti sunt oculi amborum: cumquè cognouissent se esse nudos, adde, erubuerunt, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata cap. 3. 7. nàm infrà vers. 25. *erat autèm vterque nudus, Adam scilicèt, & vxor eius, & non erubescebant*. & cap. 3. 10. Vocem tuam audiui in paradiso: & timui eò quòd nudus essem, & abscondi me, cui dixit: Quis enim indicauit tibi (eccè scientia mali) quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de

de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? aduerte quia Deus non appellat lignum scientiæ boni, & mali hic, sed simplicitèr vetitum: sic nèc Eua cap.3.3. de fructu verò ligni quod est in medio paradisi. imò neque serpens illud sic nuncupat, sed dicit: cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi? hinc ex nomine ligni non sumpsit ansam decipiendi, vndè appellatio facta cap. 2. 12. est per præoccupationem; Sed quæ arbor illa fuit, ignoramus, non ficus, nàm quæ fuit innominata, non nominaretur pro tegumento sumpta. consuerunt folia ficus cap.3.7. neque verisimile quòd qui se absćõderant & præuaricati erant in arbore, de eodem induerentur, quia seipsos magis prodidisset & quia illã odio prosecutos esse, vel horrori habuisse verisimile est; Vltrà quòd dicitur, vidit mulier lignum pulchrum oculis, aspectuque delectabile, quæ verba ficui non conueniunt.

Et fluuius egrediebatur. Vide hìc alios.

Tulit ergò Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum absque sudore, sed cùm alacritate,& voluptate. Nõ dicas, *custodiret* à dæmonibus, quia quid dæmoni cùm horto paradisi? minùs à bestijs, quæ homini famulabantur,& obediebant: & verbum *custodiret*, vt dixi est ferè idem cùm *operaretur*, vel ad idem tendit, vel *custodiret illum* sibi ipsi. Alchuu. interrog.51. in Gen. Transportatum credo Adamum vnà cùm Eua, vt dixi, proùt Enoch. de quo infrà cap. 5. 24. ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus; sic Elias, Abacuc, Philippus; præsertim quia subdit, *& posuit*, quasi iàm eleuatum posuit. Saluari potest August.lib.8.cap.11. hìc primùm appellatum Deum Dominum, si dicis secundùm ordinem rerum, non per præoccupationem.

Sed cur Deus creat Adam in terra, posteà in paradisum ponit? vbique ex terra etiàm in paradiso creabatur, vndè parum id fuisset: sed illùc eum transtulit, quia cùm præcelleret omnia animantia, decuit in meliori loco terrestri situari, & is paradisus, ob eius igitùr excellentiam augustior locus assignatus, indecẽs profectò fuisset vel locum illum frustrà creasse, vel in habitatione bestijs, homine omisso, assignasse: sed *vt operaretur* tùnc cùm magna animi voluptate, *& custodiret illum*, ibi mansurus. Vide August. de Gen. ad litt. lib.8. cap.10. non à bestijs molestiam non illaturis.

Præcepitquè ei dicens: ex omni ligno paradisi comede, permitto hæc tuæ voluntati. *De ligno autèm scientiæ boni, & mali* per anticipationem hoc nomen ex verbis diaboli datum *ne comedas*. primum non est sub præcepto, sed sub arbitrio Adæ positum: secundum sub præcepto, quod clarè colligitur: cap.3.2. vbi Eua: de fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur, ad libitum, de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis (eccè hìc præceptum) ne comederemus, & ne tangeremus illùd, ne fortè moriamur. Non fit hìc mentio herbarum, de quibus cap.1.29. quia in hoc secundo capite intentus fuit Moyses ad lignum, in quo facta præuaricatio: ideò de lignis tãtùm agit, vers.9.& vers.17. Imò videtur in pactum deductum Oseæ 6. vbi Hieron. Rupert. lib. 5. cap.33. in Genes. August. lib.16. cap.27. de ciuitate Dei, etsi hìc nihil de eo; at ex consensu, & acceptatione Adam possumus id benè dicere, id autèm præceptum datum, vt Adam mundi Dominus constitutus non extolleretur tanto dominio, sed in obseruatione mãdati sciret subiectum esse creatori suo, Alchuu. interr.7. in Genes.

Sed an Adæ soli, vel & Euæ datum præceptum? videtur vtrique, quia vterque simùl in paradisum introductus, & ipsa Eua dicit: de ligno verò, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & sic vertunt Septuaginta in plurali, nõ edetis de illo, qua die autèm ederitis: & alioqui pænam comminatam ipsa non incurrisset ignorans.

Non obstant verba directa in solum Adã, quia illud est, ex quo adhùc nihil dixerat de Eua, seù eius formatione, de qua posteà, & de præcepto illi facto infrà cap. 3. Vide Eugub. hìc vers. quod autèm.

Nõ obstat commemoratio Dei facta Adæ soli de præcepto cap. 3. 11. quia sufficiens fuit & pro Eua, cui alia dicta, vltrà quòd Eua dicit: Serpens decepit me; si enim dicit se deceptam, vtique fatetur tacitè præceptum: po-

potuisset enim excipere, hoc præceptum mihi non dedisti. Hinc nutat quod dicitur fieri mentionem præcepti in persona Adæ tantùm, quia eo peccante totum genus humanum infectum, quod non fuisset sola Eua præuaricante, id enim verum; sed non ex hoc, sed alijs rationibus, de quibus per S. Thom. 1. 2. quæst. 81. art. 5.

Sed cur sic præcepit Deus? ad reseruationem sui dominij in hominem: subiectis enim leges imponimus, & vt homo (obediendo) lucraretur, & ostenderet suam charitatem ergà Deum, qui enim diligit me, sermonem meum seruabit; ideò facile dedit præceptum: *in quacumquè enim die*, tempore, hora, *comederis ex eo, morte morieris* animæ & corporis, apposuit pœnam, vt illa deterreretur ab inobedientia. *Dixit quoquè Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum*, quia non propagaretur generatio: *faciamus* (proùt in Adam dixerat) *ei adiutorium simile sibi*, ad procreandos, & alendos liberos necessarium, vtile in alijs, fœmina ergò proptèr virum. 1. Cor. 11. *Formatis igitùr, Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli*, hi non de humo, sed aqua, *adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quòd vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitquè Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ.* Aduerte, nominum hæc impositio conueniebat statui totius orbis. Ex hoc actu, qui fuit verus, & vera adductio positus fuit in quasi possessione iuris in animalia. Cum verò agat de animalibus terræ, credendum est id factum in terra, non in paradiso terrestri, ad quem non est verisimile terrestria animalia extranea adducta: sicùt enim de formatione Euæ dixit extrà ordinem, etsi in sexto die contigerit, sic & in nomine animalium: & quia dictum tàm Adamo, quàm Euæ: dominamini, &c. hinc censui verisimile, Euam in terra, non in paradiso formatam. vide Rup. Abb. lib. 2. cap. 32. sed videtur hæc nominum impositio facta antè formationem Euæ, quia subditur: *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius:* sed non est verum: nàm verba hæc intelliguntur, *non inueniebatur*, idest non erat, non est inuentus, non fuit qui daret laudem Deo. Luc. 17. 18. iàm enim pro firmo dixerat Deus: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*, nec adduxit animalia Adæ quasi ex eis electuro similem sibi, quia quis ignorabat intèr ea similem non fuisse repertum? & illis iàm creatis dixerat Deus: *faciamus ei adiutorium simile sibi.* Sed vt daret eis nomina, pòst quem actum dixit: dominamini, &c. quæ verba capiunt Adam, & Euam, quæ iàm fabricata erat: vndè verba, & phrasis, *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius*, sunt de per se, non referuntur ad præcedentia, sed præmittuntur ad illa: *Immisit ergò Dominus, &c.* Vide Rup. lib. 2. cap. 33. At nominum impositio facta fuit lingua Hebræa, quam scimus durasse vsquè ad diuisionem linguarum. Gen. 11. *Immisit ergò Dominus Deus soporem in Adam: cumquè obdormisset, tulit vnam de costis eius*, ordinarijs, & spectantibus ad integritatem corporis Adam, non superfluis, aliòquin nèc mysticæ, nèc morales considerationes Patrum locum haberent, & inuerisimile in primo homine quicquam non rectè factum. *& repleuit carnem pro ea*, & sic suppleuit carne, non alia costa, seù subrogauit loco costæ, carnem: hìnc eò magis excluditur opinio costæ superfluæ, quia non repleuisset, seù subrogasset carnem pro ea, sed vniuisset costas remanentes disiunctas: vndè non video in quo fundetur opinio contraria.

Adam in sopore edoctum fuisse quid ageretur est admodum verisimile: solet enim id Deus; sic cùm Paulo. 2. Cor. 12. Petro Act. 10. 11. Abraham. Genes. 15. idquè manifestum ex his, quæ Adam dixit: *Hoc nùnc os, &c. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*, ex præexistenti materia formando, cum noua creatio non detur: *& adduxit eam ad Adam.* Quòd autèm cum costa & caro, probatur, quia Adã dixit: *Hoc nùnc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* & Ephes. 5. 30. de carne eius, & de ossibus eius, & ad quid purum os, si cum osse & caro extabat? *Adduxit* autèm *eam* ad Adam, vt nomen illi imponeret (& nomen impositurus à radice incipit) & illam sibi desponsaret, proùt vtrumquè fecit. *Dixitquè Adam: Hoc nùnc os ex ossibus meis,*

meis, & caro de carne mea est, hoc ad me adductum ex me, ex osse, & carne mea eductum recognosco: *hæc vocabitur Virago, quoniàm de viro sumpta est.* & ex nomine imposito apparet cur adducta, & de subiectione mulieris sub viro, proùt de animalibus nominatis in simili dictum. *Quamobrèm relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.* vndè ex hac connexione huius mulieris ex me fabricatæ, & mei, mihiquè matrimonio iunctæ nexu indissolubili, fiet idē intèr homines matrimonio iunctos. *relinquet homo* sic iunctus *patrem, &c. & erunt duo in carne vna,* proùt nùnc sumus hæc mulier & ego, vt nihil propinquius dari possit, & non sit mirum, si pater, & mater etiàm postponantur quoad hanc adhæsionem. benè hic Rup. cap. 34. lib. 2. *Erant autèm vterque nudus, Adam scilicèt, & vxor eius. & non erubescebant,* puritatem adhùc primam, in qua creati erant, retinentes, cùm qua nihil mali mixtum, quod illos confunderet. Hæc dicta per Adam à Deo infusa. Matt. 22. accomodat Apostolus suæ intentioni ex se absquè eo, quod hìc probetur, aùt intendatur, sacramentum hoc magnum est, ego autèm dico in Christo, & in Ecclesia. Eph. 5. 32. non sicùt Ioannes cap. 11. 52. qui interpretatur prophetiam Caiphæ, & non tātum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum, non enim ex se loquitur, proùt Paulus, vide scripta. 1. Cor. 2. vbi latè de interpretatione horum verborum.

CAPVT III.

1 *SED & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*
quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur
præcepit vobis Deus vt non comederitis de omni ligno pa-
2 *radisi? * Cui respondit mulier: De fructu lignorum quæ*
3 *sunt in paradiso, vescimur: * de fructu verò ligni, quòd*
est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus:
4 *& ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. * Dixit au-*
5 *tèm serpens ad mulierem: Nequaquàm morte moriemini. * Scit enìm Deus quòd*
in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicùt dij,
6 *scientes bonum, & malum. * Vidit igitùr mulier quòd bonum esset lignum ad*
vescendum, & pulchrum oculis, aspectuquè delectabile: & tulit de fructu illius,
7 *& comedit: deditquè viro suo, qui comedit. * Et aperti sunt oculi amborum:*
cumquè cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizoma-
8 *ta. * Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram*
pòst meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio
9 *ligni paradisi. * Vocauitquè Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? * Qui*
10 *ait: Vocem tuam audiui in paradiso: & timui, eo quòd nudus essem, & abscon-*
11 *di me. * Cui dixit: Quis enìm indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno*
12 *de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? * Dixitquè Adam: Mulier, quam*
13 *dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus*
ad mulierem: Quarè hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi.
14 ** Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es intèr om-*
nia animantia, & bestias terræ: supèr pectus tuum gradieris, & terram come-
15 *des cunctis diebus vitæ tuæ. * Inimicitias ponam intèr te & mulierem, & semen*

tuum

tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.
16 * *Mulieri quoquè dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolo-*
17 *re paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* * *Adæ verò*
dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comodisti de ligno, ex quo, præcepe-
ram tibi, ne comoderes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea
18 *cunctis diebus vitæ tuæ.* * *Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes her-*
19 *bam terræ.* * *In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram de*
20 *qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* * *Et vocauit Adam*
21 *nomen vxoris suæ, Heua: eo quòd mater esset cunctorum viuentium.* * *Fecit*
22 *quoquè Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos;* * *Et*
ait: Eccè Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum: nunc
ergò, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiàm de ligno vitæ, & comedat,
23 *& viuat in æternum.* * *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis,*
24 *vt operaretur terram de qua sumptus est.* * *Eiecitquè Adam: & collocauit antè*
paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atquè versatilem,
ad custodiendam viam ligni vitæ.

SED & *serpens*, verum animal, *erat callidior*, astutior *cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus* eo omnibus callidiore diabolus vti permissus ad insinuandam homini diaboli calliditatem ad eum decipiendum. *Qui dixit ad mulierem:* (illo vtebatur diabolus tanquàm instrumento, seù organo) *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi?* cur Deus dedit vobis hanc restrictionem? nititur acuere mulierem in Deum, ne tanti eum faciat, vel credat sui beneuolũ, proùt Iob. 1. significans illi omnia mala è cælo in eum defluere, vt illum inducat ad maledicendum Deo. *Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Quia adhùc Eua non erat in præuaricatione, & innocentiam, ac iustitiam suam originalem conseruabat, puto nullum dixisse mendacium in relatione præcepti, etsi addiderit, *& ne tangeremus;* id enim dictum ob horrorem, & alienationem, quam habebat illius esus, quasi glossando ex hoc prima verba, & exhorrendo etiàm principium peccati, quod erat tactus, nedum finem, qui erat esus, proùt timoratus Tobias, quia non licet nobis aùt edere ex furto aliquid, aùt contingere. Tob. 2. 21. Sic Num. 16. 26. dictum: recedite à tabernaculis hominum impiorũ, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. & Iosue 6. 18. dicitur: Vos autèm cauete ne de his, quæ præcepta sunt quippiam contingatis, &c. sic vetuit fermentatum nedum comedi, sed ne reseruari quidèm. Exod. 12. 15. ad amputandas occasiones; & Iof. 9. 19. dicit Iosue: Non possumus eos contingere, quia ad necem quærebantur.

Plusdicam, fortè Deus & illud dixerat, ne tangerent, postquàm Eua id dixit, & quamuis alibì scriptura horum verborum non meminerit, non inconuenit in vna parte scripturæ aliquid dici, in alia omitti: id enim frequens ad euitandam repetitionem, vt Io. 12. in Magdalena vocata obseruatur; vltrà quòd in maiori comprehenditur quod est minus. & verbum. *fortè*, aliquandò non est dubitantis, sed affirmantis. Io. 8. 19. etsi auxit præceptum illis verbis, *& ne tangeremus*, non diminuit certò pœnam, sed potiùs auxit, & Eua quæ erat innocens, & vestita iustitia originali non potuit dubitasse. Vel intellige, ne contingat nobis mori, sicùt infra,

ne

ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno, &c. idest ne contingat eum mittere manum, &c. & pro affirmatiuo cœpit illud serpens, dicendo: *Nequaquàm morte moriemini:* si enim illa dubitasset, hocquè colligeretur ex illo verbo, serpens nō affirmasset de morte, sed dubitatiuè iuxtà intentionem Euæ, nequè Eua excepit cum Deo, non putaram id seriò, & affirmatiuè dictum: sed *serpens decepit me*. vltrà quòd generalitèr non est admodum considerabile aliquid imminui in relatione verborum, quæ sempèr punctualitèr non referuntur; sic in simili, Deus dixerat tangentes mōtem morituros. Exod. 19. 13. & Deuter. 5. 25. dicunt absolutè: si enim audierimus vltrà vocem Domini Dei nostri, moriemur, & tamèn Exod. 20. 19. dicunt: ne fortè moriamur. & Exod. 19. 24. ne fortè interficiat illos; sic Caleb. Ios. 14. 12. dicit: si fortè sit Dominus mecum, à quo tamèn promissionem acceperat. Adde, hæc non mouerunt Euam ad peccatum, sed suggestio, *aperientur oculi vestri: eritis sicùt dii, scientes bonum, & malum,* & visus ligni. Ad hæc, non refert illud vt dictum Dei, sed vt proprium: ideò non mentitur, tacuit, & noluit omnia serpenti indicare: ad quid enim hoc? ideò non mentita est. *Dixit autèm serpens ad mulierē: Nequaquàm morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicùt dii, scientes bonum, & malum.* Serpens in his verbis primò tollit sepem, seù limites continentes mulierem in obedientia, qui erant pœna mortis; ideò præmittit: *Nequaquàm morte moriemini.* vidit enim vndè illam retrahere poterat, deindè animat illam ad esum ex magno lucro, & dicit: *Scit Deus,* quasi id certum est: nàm Deus scit. & in testimoniū Deum vocat; & ex his vult ostendere quòd Deus prohibuerit, ne euadant Dij, scientes bonum, & malum, & sic eundem facit scientem, & quasi inuidum eorum boni, & felicitatis, quod magis allicit ipsam ad fidem ei adhibendam, & præuaricationem perpetrandam. Omnia verba serpentis continent deceptionem, non ambiguitatem; imò nimis clarè se explicat, vt attrahat, & non congruit diabolo ambiguè loqui ad saluandum, quia id quid ad ipsum? at eidē congruit deceptiuè loqui ad trahendum in laqueos. Nota ex verbis *eritis sicùt dii* traxisse mundum vniuersum in idololatriam fuisseque iaculum, quo percussit omnes. *Vidit igitùr mulier quòd bonum esset lignum ad vescendū, & pulchrum oculis, aspectuquè delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditquè viro suo.* Colligo ex his primò, tantùm fuisse horrorem Euæ præuaricandi præceptum, vt antè verba serpentis nec arborem quidèm spectauerit, nimirùm, si dixit suprà: *& ne tangeremus,* at nunc *vidit.*

Secundò, illicò aurem serpenti accomodasse, quia *vidit, &c.*

Tertiò, Euam ab vno ad alium actum, & cōsummationem peccati tractam, *vidit, tulit, comedit.* Sic contigit Dauid cùm Bethsabee; non tamèn peccauit venialitèr in primis illis actibus, sed mortalitèr edendo: ideò in comestione scriptura se fundat & in Eua, & in Adamo.

Quartò, grauissimum illius peccatum, nedùm quia comedit, sed quia pòst comestionem aperti fuerunt oculi eius, cognouit se peccasse, & peccati turpitudinem, vidit impudentiam; sic Dauid 2. Reg. 24. 10. & nihilominùs ruborem continuit, non indicauit, nequè dixit diaboli technas viro suo, crudelis in virum suum fuit, dans ei de eodem cibo ad vescendum, secumquè pertrahens in gehennam, infida socia, impia Dalida Iud. 16. hìncquè in hac parte maius peccatum Euæ, quàm Adami.

Sed contrà, quia scriptura loquens de ambobus dicit non erubuisse nisi pòst esum Adami; At scriptura, ne pluriès de eadem re loquatur, ambos connectit, non autèm determinat Euam priùs non erubuisse, seu iustitia originali spoliatam non fuisse, quod tenendum videtur ob peccatum præcedens.

Sed de tanto peccato verisimilitèr Deus eam reprehēdisset, & tamèn nullum verbum de hoc. At Deus pro tùnc quæsiuit de contrauentione sui præcepti, non de opere alio malo: sed in pœna inferenda huius habuit rationem, dicens: *Sub viri potestate eris.* ex dictis tamèn Caiet. & aliorum, de quibus per Perer. lib. 5. quæst. 3. fol. 411. & ex alijs recentioribus, qui tenēt, Euam non erubuisse, & re-

& rebellionem carnis non sensisse, posset teneri, eam ad tantam malitiam non progressam, sed permanentem in eadem deceptione, in qua illam diabolus statuerat, dedisse viro pomum edendum, alioquin certè horrendum fuisset peccatum suum cum viro. Sed quę Deum posthabuit, quomodò virum curauit? Prætereà, ratio Dei dicta Adamo, quis ostendisset ei quòd nudus esset, nisi quod de ligno, quod pręceperat ei ne comederet, comedisset, viget & in Eua; Insupèr, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur; commisso ergò peccato per Euam, ea illicò incurrit in pœnam, iustitia originali, & gratia gratum faciente priuata fuit, et consequentèr carnem rebellionis sensit: quod enim de vtroque dicit scriptura, de vna Eua tenendum, & dicendum, quamuìs scriptura non exprimat, cum ratio dictet. Ad hæc scire non possumus an insurrexerint in Eua motus car nales pòst peccatum, illud certum potuisse illicò insurgere, maximè amissa iustitia originali, & pudore, ex quibus deindè motus carnales suboriuntur. Sed esto, non insurrexerunt, tamèn cum proptèr peccatum amiserit iustitiam originalem, sicùt nùnc qui illa priuati sumus ob peccatum Adami, erubescimus, sic præsumendum Euam primam peccatricem pòst amissionem iustitiæ originalis erubuisse saltèm illicò; addo & synderesi interiori commotam.

Sed fortè fuit tanta celeritas actuum, vt Euæ hæc non contigerint, & non succurrerit tanta malitia, vel non cogitauerit reuelare. At secum non erat vir quandò illa seducta, nec quandò comedit: igitùr in eo spatio, quo ad virum accessit, potuerunt hæc sibi occurrere: vndè non video quomodò Eua excusari possit. S. Thom. 2.2. quæst. 163. art. 4. & ibi Caietan. tenet Euam induxisse Adamum ad peccatum; quod si ipsa non cognouisset tale, hoc dici non posset. Post hæc scripta legi Catarinum cap. 3. fol. 202. vers. 10. hærere huic opinioni. Viden. S. Ambros. lib. de paradiso. cap. 6. Chrysost. hom. 16. in Genes. Bernard. serm. 1. de annuntiat. Bened. Fernand. cap. 3. in Genes. sect. 15. fol. 363. 3. Abulens. quæst. 528. cap. 13. in Genes. & quæst. 534. fortè posset dici non cogitasse mortem inferre viro cum ipsa peccans mortem non subijsset, sed fomitem sensisse, & de illo tacuisse, imò optasse illum in Adamo ipsa iàm percussa, & libidine vsta.

At Abulen. hìc tenet Euam non fuisse spoliatam ob peccatum iustitia originali, quæ est donum Dei, quod cùm peccato mortali stat vt Prophetia, & alia gratiosa, sed cùm iustitia originalis esset habitualis, & perpetua non puto cadere sub hac regula, nàm aliæ gratiæ gratis datæ non sunt habituales; Vndè si saluanda Eua ab hoc peccato, recurrendum ad id quod idem Abulen. dicit ex Dei permissione non sensisse motus carnales, nequè amisisse iustitiam originalē antè casum Adæ, quod tamèn non placet. Vel posset dici quòd cùm Deus dixisset tantùm de morte subeunda à trāsgressoribus, Euam, quæ illam transgrediendo non incurrerat, de ea sola cogitantem non aduertisse motus carnis, vel non putasse illos excitari ob peccatum præcedens, & propterea dedisse viro pomum edendum bona fide; si dicis saltèm erubuisset, at hoc continere potuit intrà se, nec cogitare de tegumento, cùm Adam nudus esset, à quo discrepare non licuit. Et si hos motus sensit, & erubuit, in hoc saltèm decepit virum tacendo; & tamèn si non aduertit, vel non æstimauit relatu dignum, non peccasset ex silentio.

Sed cur sub serpente elegit dæmon decipere, non alia bestia? placet opinio August. quia in ea permissus à Deo, non in alia, nihil enìm potest, nisi à Deo permittatur, vt in Iob, & Achab. & in porcis Gerasenis, in illo autèm permissus, vt sciremus eum fallacissimum, vt dixi.

Cur Moyses sempèr serpentis, nunquàm diaboli meminit? quia agit historicum non interpretem: & quia quisque facilè scire potest quis serpens ille: & hinc fit verum quod aliàs dictum est, totam Moysis scripturam historicam esse.

At Eua quomodò illum non exhorruit? quia antè peccatum ei dominabatur, nequè nocumentum pati poterat, vel timebat, vt ex Chrysost.

Sed cognouitne ex loquela latentem diabolum? non, quia serpens callidus fuit, vt citò illam aggrederetur antequàm experientia cognosceret nullum animal loquela humana

mana

mana dotatum esse. Huic tamèn rationi obstat, quia tot donis ornatam non videtur id latuisse: at facto tollitur. Vel sciuit esse diabolum, sed non vitauit illum, calliditatem illius, & seditionem ignorans.

Sed quid mouit Euam ad peccatum? Superbia, quam callidus serpens iniecit, qua ipse præuaricatus erat, dicens: *eritis sicùt dij:* non præcepti ligamen, quod suaue fuit, & portabile, non visus pomi, qui solùm fuit incentiuum.

Sed cur diabolus ad tentationem motus? respondeo ex Sap. cap. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, concepta illa ex statu excellenti hominis.

Sed quomodò inductus Adam ad esum? si iuxtà textum. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Respondendum ob obsequium, & nimium amorem mulieris dantis pomum, quòd prætulit Dei præcepto. ideò Deus: *Quia audisti vocem vxoris tuæ*, illi obediendo, seù obsequendo, *& comedisti, &c*, & ipse: *mulier, quam dedisti mihi sociam:* quasi dicat amore vehementi illius victus: non (vt alij) culpâ in Euam, vel Deum reijciens, sed fassus delictum ex hoc se excusans. Aestimauit enìm eundem amoris feruorem mulieris, quo ipse victus apud Deum in sui defensionem valiturum. Vndè si non reiecit culpam in Deum, & tamèn eiectus de paradiso, eò minùs procedet sententia August. ser. 3. de annunt. Dom. qui est 19. de sanctis, dicentis Adam à paradiso non eiectum iri, si culpam in Deum non retorsisset: iàm enìm peccando pœnam incurrerat. Nec reputandum sciuisse ex muliere tùnc tentationem, & verba serpentis, quia illa, cuius aperti erant oculi, & eius nuditatem, & ruborem cognoscebat, noluit hæc indicare, timens ne sibi obijceretur expertæ, hæc ne tibi contigerunt? & non fieret mentis suæ compos: & licèt Deus dixerit: *Eccè Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum:* non potest argui scientia Adami ex illis verbis; sed illa vel ob aliud dicta, vt infrà, vel referunt machinas serpentis cum Eua, quæ etiàm comprehenditur sub verbo, *Adam*, vt per Rup. Abb. hic, eò magìs, quia si sciisset verba illa, non diceret Apostolus: Adam non est seductus; mulier autèm seducta in præuaricatione fuit, & mulier: *serpens decepit me*, quia & ipse ex verbis perceptis seductus esset; nisi dicas, non fuit seductus à serpente immediatè, sed mediatè per Euam: at non seductio per Euam, sed per serpentem, seductor ille, non hæc seductrix: de illo apparet, non de Eua, de qua dicitur tantùm, *dedit viro suo*.

Et aperti sunt oculi amborum, qui fuerant innocentia, & simplicitate clausi, ob peccatum, & declinauerunt in iumenta, in luxuriam: *cumquè cognouissent se esse nudos* (eccè quà tendit oculorum apertio) qui iàm nudi erant, nec erubescebant, nùnc pudore confunduntur, *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*, ad tegenda pudenda, qui actus commendandus est: si enìm nùnc commendatur in nobis, cur non tùnc in illis? non enìm hæc pro velamine peccati, sed carnis, qua pudefiebant: hinc Deus fecit posteà eis vestes pelliceas, infrà vers. 22. sic cōmendantur Sem, & Iaphet, qui pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verēda patris sui, faciesquè eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt: proùt culpatur factum Cham, qui cùm vidisset verenda patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foràs, ea non cooperiens: & propterea illi benedicti, huius filius Chanaan maledictus Genes. 9. 22. cùm seqq. Vndè puto, tùnc Adam, & Euam cœpisse compungi, intrà se ipsos considerantes vndè excidissent, & in quos laqueos incidissent. Sed perpende, Adam non sustinet ruborem, quem Eua sustinuit, vt suprà. *Et cùm audissent vocem*, sonitum, fragorē *Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram pòst meridiem*, quasi more ostendentis feruidam iram, qua tenetur, & tentantis eam euaporare: lento enìm gradu diuina procedit ira, *abscōdit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi*. Frustrà quærunt latebras ab oculis Domini: Iob: vbì me abscondam? Dauid: quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? scrutator est renum, & cordium; sic frustrà Cain negat homicidiū. Vidit carnales tempore Noe, fabricatores turris, Sodomitas, quos descendens inuisit, non igna-

rus, sed docens quomodò pœnas irrogaturus accedat, proùt hic: Non potuerunt peccatores sustinere faciem Domini, valdequè timuerunt puniri *ab irato*, & deambulante omni impetu, & fragore: ideò magno cum mœrore se absconderunt; sic terribilis apparuit Deus in monte Sinai ad terrendum populum, vt explicauit Moyses; sic in die Pentecostes in sono spiritus vehementis ad populum congregandum, Terribilior appariturus in die Iudicij. Scriptum est: vox Domini in virtute,&c. Hincquè pœnitētia subsequitur amborum,quam probat latibulum: nàm & publicanus non audebat oculos in cælum leuare: Magdalena ad pedes retrò; Filius prodigus cupiens fieri tamquàm vnus ex mercenarijs domino non appropinquantibus: Petrus exi à me Domine, quia homo peccator sum. *Vocauitquè Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* more hominum alios vocantium non existentes in loco solito Deus vocat Adam, qui de facili pœnitēs, & peccatum recognoscens proposuerat vti filius prodigus Deū adire (pœnituisse enim habetur Sap. 10.) Sed pater misericordiarum præuenit eum, & vocat stolam adducturus. Luc. 15. 20. additquè ei animum, vt coràm ipso compareat;sic egit cùm Cain: Vbi est Abel frater tuus?

Sed quomodò loquutus est Deus?dic per Angelum suum. Hoc factum vniuersale, vt nemo damnetur antequàm audiatur;Sic Nicodemus Io. 7. in fin. Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?

Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiso; & timui, eò quod nudus essem, & abscondi me. Nuditati causam assignat latebræ: nondùm fatetur peccatum, nondùm dicit causam nuditatis timore correptus,sed effectum peccati. At responsio est iuxtà vocem vocantis absconditum,non quòd peccatum adhùc non recognosceret, quod ex fici folijs subligaculis, & latebra diximus apparere. Non abscondit ergò se, putans celari Domino, sed non audens nudus comparere. *Cui dixit: Quis enim indicauit tibi,quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* pudebat Adamum peccatum suum proferre, peccati grauitate, ingratitudinis mole victus, pœnæ timore sibi imminentis prostratus. At Deus misericors, moræ impatiens præuenit eum, aperitquè vlcus, & aperitionem oculorum quà tendat, obijcit, ad nuditatem scilicèt ex peccato ortam cognoscendam: & peccatum aperiendo manum antè apponit,ne neget illud, sibiquè malè consulat; sic egit cùm Cain.Vbi est Abel frater tuus? Etsi ei non profuerit neganti; sic cùm Dauid obsurdescente mittens ad eum Nathan prouocantem eum ad pœnitentiam, & recognitionē peccati.*Dixitquè Adam: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Fatetur peccatū, dicit quo motu actus absquè mendacio tàm ad excusationem, quàm ad veniam promerendam: sicùt enim mulieris amorem expertus est in se vehementem, sic putauit profuturum ad veniam: ideò illum anteponit, non autèm ad Euam accusandam,vel Deo exprobrandum, vt dixi *Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quarè hoc fecisti?* quarè comedisti? non quare dedisti viro, quia Deus non admittit excusationem Adæ. Sic credo, quia subiūxit se excusans ab esu: *Serpens decepit me, & comedi,* nimirum illi credula. Responsio enim præsumitur conformis interrogationi, & Deus non irridetur, fatetur peccatum, & factum proùt contigerat absquè mendacio. Sed tacet occasionem peccandi datam viro, fortè quia iàm ipse propalauerat factum. Vndè non credo posse dici, mulierem non respondisse ad interrogata, sic arguendo. Dixerat Adam. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* tùnc Deus mulieri: *Quarè hoc fecisti?* quasi Deus interrogauerit cur dederit viro,& illa nihil ad hoc: sed, *serpens decepit me, & comedi*, hoc enim argumentum tollitur ex præmissis; & præsumitur interrogata de propria contrauentione cōtrà Deum, non de alia in Adam. *Et ait Dominus Deus ad serpentem. Quia fecisti hoc, maledictus es intèr omnia animantia, & bestias terræ: supèr pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Hæc maledictio ad litteram de animali, sed mysticè, & sub illius corpore de diabolo, qui illud quasi pro organo assumpserat. Sed cùm serpens antè supèr pectus

grade-

graderetur, & terram comederet, nulla ex hoc videtur addita pœna: dic, quod erat ei naturale factum fuit pœnale, additum verò odium, quo illum prosequuntur homines, & inimicitiæ perpetuæ cum illis: ideò maledictus intèr omnia animantia, quæ omnia mysticè in diabolum deceptorem. Sed quòad comestionem terræ videtur nouum, quia cunctis animalibus data pro esu herba, & ligna. Genes. 1. 30. ità vt nequè nùnc carniuora tùnc carnem ederent. *Inimicitias ponam intèr te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Contraxerat ex hac locutione serpens amicitiam cùm muliere, & superbia, qua se erexerat, & deiectus erat, eadem, quam retinuit, mulierem infatuauerat, & deceperat, & eidem causa fuerat eiectionis è paradiso, Deus inimicitias ponit nedum intèr ipsos, sed intèr eorum semina, propagationem hominum, & præcipuè semen, qui est Christus, qui fecit victoriam contra serpentē diabolum: is enim insidians calcaneo eius, idest à principio vitæ vsquè ad finem, calcaneus enim finis in homine, vndè in fine ad Christum accessit. princeps mundi venit insidians, sed in me non habet quicquam, imò iudicatus remansit, princeps mundi iam iudicatus est. Nùnc iudicium est mundi, nùnc princeps huius mundi eijcietur foràs; & in inf rno alligatus. Apocal. 19. dicitur tamèn: *ipsa conteret caput tuum*. quia Beatissima Virgo edendo Christum id fecit, & meruit illum concipere humilitate sua contraria superbiæ, quia Deus respexit humilitatem ancillæ suæ. caput autem pro superbia, vel regnum mundi, quod ipse occupabat, è quo eiectus: Dando mulierem aduersariam irridet, & confundit dæmonem, nihil enim magis angit superbos, quàm humilitèr tractari.

Sed quomodò datur semen diabolo? respondeo, stat diabolus in eadem figura serpentis, in qua decepit Euam, & sicùt de semine Euæ intendit, ità & de semine diaboli. Sed quod diaboli semen? alij Angeli præuaricatores, quos secum traxit, seù peccatum, & præsertim idolòlatriæ, qua sibi mundum vindicauit in suum principatum; & hoc est zizanium, quod inimicus ille homo superseminauit in medio tritici patrisfamilias, Deo ad quod semen, & præsertim idolòlatriam auferendam venit Christus, & morte sua eiecit diabolum, & auertit homines ab illius cultu, quem adeò horruit Christus, vt in populo, ad quem missus, tempore quo missus est, noluerit illū inuenire: tùnc enim Hebræi idòla abominabantur. At calcaneo nostro, fini vitæ nostræ sempèr insidiatur diabolus, imò quia tùnc magis vrget ad perdendum: ideò de calcaneo, seù fine mentio habita.

Mulieri quoquè dixit: Multiplicabo ærūnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Non dixit mulieri: Quia fecisti, &c. proùt diabolo, & Adæ primo, *quia fecisti hoc*. secundo, *quia audisti vocem*. quia ipsam interrogauerat, *quarè hoc fecisti?* Si enìm & in pœna danda dixisset illi idē quod eis, duplicasset verba; & quia pòst verba dicta mulieri *quarè hoc fecisti?* interposuit pœnam serpentis; & verba dicta serpenti seducenti inseruiebant & mulieri seductæ: ideò illa non repetijt in muliere, nec repetiturus erat Adam. Sed quia excusauerat se sub velo mulieris: ideò dixit: *Quia obedisti voci vxoris tuæ*, quod non debueras: tibi enim ego præponendus; proptereà quia noua causa, non subiecit verba illam denotantia, Ex verbis, *quia obedisti*, cognoscitur Adam præuaricatũe ne contristaret Euam: vndè & ipse: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*.

Ex peccato ortus fomes, & propensio ad libidinem, & quò hæc augetur, & voluptati opera datur, multiplicātur in fœmina ærumnæ, angustiæ, & conceptus eidem perniciosi, & difficiles, & hi conueniunt credenti se Deam euasuram, cùm propensio, & fomes ad naturam belluinam tendat: vndè nolite fieri sicùt equus, & mulus. & Paulus: sentio legem repugnantem legi, &c. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, & datus est mihi stimulus carnis, &c. proùt dolor in partu, & aliquandò mors, proùt contigit Racheli, pro celeri gustu pomi vetiti, & subiectio pro attractione viri in peccatum. In statu autèm innocētiæ ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius vsus naturam coniugis vtriusquè.

coniunxisset, partus sine dolore, dominium viri placidum suaue, potiùs societas fida, & expetibilis.

Adæ verò dixit: quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donèc reuertaris in terrã: de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Commutauit differendo Deus pœnam mortis illicò subeundam pòst esum ligni. suprà cap.2.17. Euæ & Adæ: eos enim superuiuere passus est, sed in tot angustijs, laboribus, doloribus, vt non vita, sed mors, proùt eam vocauit Apostolus; non pax, sed militia iuxtà Iob. dicenda sit. *Quia audisti vocem vxoris tuæ:* eccè motiuum, quo Adam cecidit, non deceptio, non superbia. *& comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes,* potiùs audiẽs vxorem tuam, quam me, quem illi præponere debueras, *maledicta terra in opere tuo,* in peccato, quod comedisti, sterilis erit terra, parùm reddet: *In laboribus tuis comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas, & tribulos* in maiori copia, quàm anteà (nàm & hæc anteà erant) *germinabit tibi, & comedes herbã terræ* quod suprà cap.1.19. dixerat: sed quia dùm posuit eum in paradiso voluptatis, suprà cap.2. 17. iusserat: ex omni ligno paradisi comede. & Eua cap.3.3. de fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur. nùnc ad herbas terræ illum remittit. *In sudore vultus tui vesceris pane,* viues in laboribus, *donèc reuertaris,* nec dicit quandò, vt etsi distulerit, voluerit tamèn sempèr hominem pro mortuo se habere, incertũquè esse vitæ suæ, similariquè animali ad macellum parato iugitèr occidendo, proùt inquit Chrysost. *in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris,* vnde es figmẽtum. hæc ad illum humiliandum, & deprimendum, & superbia euacuandum. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Eua: eò quòd mater esset cunctorum viuentium.* Post pœnas assignatas à Deo serpenti, Mulieri, Adamo, transit ad alia, & præsertim ad nomen inditum mulieri, quòd an hìc suo loco, vel præposterè ponatur, dubium est. Satis est narrari hìc, vt illud habeamus, non aliud quærendum. *Fecit quoquè Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas* verè, *& induit eos.* Non potest Deus pater obliuisci viscerum suorum, iàm homines damnauerat; eiecturus erat de paradiso, miscet hanc misericordiam, nè videatur abiecisse penitùs. At induens illos pellibus mortuorum animalium, voluit eos perpetuam mortis habere memoriam, vt, quam distulerat, sempèr illis occurreret, profuit verò indumentum tùm ad instructionem cur vestitus, tùm ad approbationem actus eorum, qui se folijs fici cooperuerant, tùm ad frigus, calorem, aeris intemperiem superandam in terra, ad quam eijciendi erant, tùm ad declarationem pudenda sempèr tegenda. *Et ait: ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Sanctissima Trinitas sic loquitur datura rationem eiectionis è paradiso, quam pro pœna non apposuerat, dùm dixit: morte morieris, referens hominis statum qui factus erat ad imaginem, & similitudinẽ Dei: ideò dicit. *quasi,* non simplicitèr proùt diabolus: *eritis sicut dij scientes bonum, & malum:* fuerat enim dotatus iustitia originali, gratia, tot fauoribus, vt sciret bonum, & malum verè, bonum quod amplecteretur, malum quod vitaret. De eius scientia Eccles. 17. & per alios hìc. nec tamèn pòst peccatum his nudatus, vt nesciret sibi prospicere de eo, quod subdit, ligno vitæ sumendo: hinc ne illud sumeret, & pœnam mortis euaderet, è paradiso eiectus est, aliàs non eijciendus: ideò non est verum eiectum esse ad beneficium suum, ne edendo in æternum viueret miser, cùm habeamus causam eiectionis; & ex his infer, paradisum fuisse sedem propriã hominis, postquàm eijcitur, ne sumat lignum, non alia de causa. Non puto, verba hæc dicta per ironiam quia misericors Deus potiùs more dolentis se habet cum peccatore, cuius mortem nollet, sed conuersionem, & vitam: vel pœnitentis, pœnitet me fecisse hominem.

Non obstat Prou. 1. ego quoquè in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit. Nàm ad deterrendos homines à peccato illa prædicit,

quæ

quæ solemus ægrè ferre ab hominibus, non autèm facturus; & in scriptura multos huic similes modos habemus ad insinuandas pænas peccatoribus, vt deterreantur à peccatis; & ex facto, cùm de pellibus prouiderit, mortem distulerit, illorum curam gesserit, apparet non risisse, subsannasse, vel ironicè loquutum esse.

Nunc ergò ne fortè mittat manum suam, & sumat etiàm de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. eccè scientia boni, & mali vera, non illa diaboli vana. Suspicio verisimilis, quia sicùt de ligno scientiæ boni, & mali comederunt, ità de hoc icti, & prudentes ex malo facti comedissent: eiectio ergò è paradiso, quæ non fuerat dicta, fuit consequutio pœnæ mortis, nè pœna frustraretur. Habes ex his lignum hoc & peccatoribus profuturum. *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecitquè Adam,* & si id non esset comminatus. Eiectus verisimilitèr eodem die, quo peccauit vnà cùm Eua, nè sumerent de ligno vitæ. At quanto tempore antè in paradiso manserint, incertum: tamèn quia custodia paradisi illis data, nec verisimile citò dæmonem agressum esse Euam, & ex cognitione Adæ Dei deambulantis, quæ præsupponit frequentiam, tenent nonnulli per aliquot dies ibì permansisse, de qua re infrà cap.4. *Et collocauit antè paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atquè versatilem* ambientem vndequaquè paradisum, ne ex vlla parte pateret accessus: *ad custodiendam viam ligni vitæ*, ne quis accederet ad illud auferendum: sed pro hominibus hoc dictum, & factum vt hìc, non pro dæmonibus: nàm de his nullum verbum. Si dicas, ne ipsi frustum decerpant, & dent hominibus, & fallant; at id alienum: tùm quòd dæmoni non permittitur, nisi quantùm Deo placet: tùm quia homini nihil boni vnquàm attulit: tùm quia non deest illi alia fraus ad homines ad spem vitæ longioris alliciendos.

Sed cur Cherubim, cur flammeus gladius appositi? non sufficiebat Deum nolle quemquam ex ligno vitæ capere, aùt paradisum ingredi? sufficiens vtiquè erat voluntas Dei; sed quia fecit Angelos spiritus administratorios, proùt hi omnia alia gubernant, & ministrant, sic placuit & hunc paradisum ab illis custodiri, non tamèn in forma humana, quod non refert, præsertim quia illa vtuntur ad negocium, vel tempus momentaneum, non ad longum tempus: flammeus autè m gladius ardore consumens, & versatilis, quasi facilè euaginandus, paratus ad vindictam, & custodiam, non verus, sed sic dictus ad denotandam potestatem, & potentiam illi datam, & difficultatem, ac impossibilitatem ingressus. Ex gestis cùm Adam, colligi potest, Deum non punire ex condigno, sed magna cùm misericordia, quia non statìm mortem illi comminatam infert, pellibus vestit, vocat, audit, peccatum detegit, ne fortè neget, diabolum suasorem punit, quod est magnæ exhilarationis patienti: sed (quod omnia superat) illicò statuit de remedio prouidere, nempè incarnationem filij sui: & interìm dùm differtur incarnatio, prouidet de remedio, ne æternalitèr moriantur homines, nempè si credant in venturum, quod aliquo modo protestentur: ideò Agnus occisus est ab origine mundi. Sic pòst diluuium mitis apparet, & temperat punitionem, dùm promittit non amplius deleturum omnem carnem diluuio, & ponit signum Iridis, & cùm Dauid, ne terreatur, dicit, non deleturum semen regium, proùt fecit cùm Saule, à quo & eius semine regnum abstulit, sed propagaturum. Imò & pœnas ob peccatum illatas ad coronam conuertit, si patientèr tolerentur. vnde Apostolus de muliere. 1. Timot. 2. 14. Adam non est seductus: mulier autèm seducta in præuaricatione fuit; saluabitur autèm per filiorum generationẽ, nempè in ærumnis, & doloribus conceptuum, & partuum, quæ sunt pœnæ datæ, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cùm sobrietate, quod similitèr dicendum de Adam, & sexu masculino, cui maledicta terra, & in sudore vultus sui panis comedendus: ideò operarij ad vineam mittuntur: Matth. 20. & mors in pœnam data, si patientèr, feratur seruit ad coronam, proùt aliæ tribulationes: mala enim nostra Deus in bonum conuertit. Sed an Adam in statu innocentiæ fuerit à Deo rationabilitèr custoditus, Holkot Sap. 10. vers. 1. lect. 125.

CA-

CAPVT IV.

1 ADAM verò cognouit vxorem suam Heuam: quæ con-
cepit & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum.
2 * Rursumquè peperit fratrem eius Abel. Fuit autèm Abel
3 pastor ouium, & Cain agricola. Factum est autèm pòst
multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera
4 Domino. * Abel quoquè obtulit de primogenitis gregis sui,
& de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, &
5 ad munera eius. * Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit: iratusquè
6 est Cain vehementèr, & concidit vultus eius. * Dixitquè Dominus ad eum:
7 Quarè iratus es? & cur concidit facies tua? * Nonnè si benè egeris, recipies: sin
autèm malè, statìm in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, &
8 tu dominaberis illius. * Dixitquè Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur fo-
ràs. Cumquè essent in agro, consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & in-
9 terfecit eum. * Et ait Dominus ad Cain: Vbì est Abel frater tuus? Qui respon-
10 dit: Nescio: Nùm custos fratris mei sum ego? * Dixitquè ad eum: Quid fecisti?
11 vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. * Nùnc igitùr maledictus eris
supèr terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.
12 * Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris
13 supèr terram. * Dixitquè Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quàm
14 vt veniam merear. * Eccè eijcis me hodiè à facie terræ, & à facie tua abscondar,
& ero vagus & profugus in terra: omnis igitùr qui inuenerit me, occidet me.
15 * Dixitquè ei Dominus: Nequaquàm ità fiet: sed omnis qui occiderit Cain, se-
ptuplum punietur. Posuitquè Dominus Cain signum, vt non interficeret eum om-
16 nis qui inuenisset eum. * Egressusquè Cain à facie Domini, habitauit profugus in
17 terra ad orientalem plagam Eden. * Cognouit autèm Cain vxorem suam, quæ
concepit, & peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitquè nomen eius ex
18 nomine filij sui, Henoch. * Porrò Henoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiael,
19 & Mauiael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech. * Qui accepit
20 duas vxores. nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. * Genuitquè Ada Iabel,
21 qui fuit pater habitantium in tentorijs, atquè pastorum. * Et nomen fratris eius
22 Iubal; ipse fuit pater canentium cithara, & organo. * Sella quoquè genuit Tu-
balcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri. Soror verò
23 Tubalcain, Noema. * Dixitquè Lamech vxoribus suis Adæ, & Sellæ: Audite
vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum; quoniàm occidi vi-
24 rum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. * Septulum vltio
25 dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies. * Cognouit quoquè adhùc
Adam vxorem suam: & peperit filium, vocauitquè nomen eius Seth, dicens:
26 Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. * Sed & Seth natus
est filius, quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini.

ADAM

ADAM verò cognouit uxorem suam Heuam: postquàm ambo de paradiso eiecti,& in terram positi, multiplicationi generis humani incumbunt,proùt in præcepto habuerant à Deo.Gen.2. 28. hinc cùm nondùm præceptum diuinum adimpleuissent, credendum illos paruam moram traxisse in paradiso; si enim multam vel aliquam, ibi non essent otiati, sed illud adimplere cœpissent, & hoc præualet alijs argumẽtis quòd moram traxerint per aliquot dies in paradiso, tùm quòd datus ad custodiam, tùm quia inuerisimile serpentem illicò aggressum esse Euam, tùm Adam cognouisse Deum deambulantem, nisi aliqui dies dentur ad hanc cognitionem retinendam, quæ aliquos in contrariam sententiam inclinauerunt, quibus facilis responsio; Prima enim non vrget,minùs secunda,imò existimo serpentem citiùs quàm potuit aggressum esse mulierem, quam cùm Adam præuaricaturo credidit morituram ex Dei sententia, ne humana soboles propagaretur, si distulisset, sed sic prohibitus, & contrafaciens homo tolleretur, sicùt enim nouit præceptum de non edendo ligno, ità illud de multiplicando. tantò minùs tertia, quia Deus absquè alia Adami consuetudine se cognoscendum exhibere potuit, & voluit; *quæ concepit,& peperit Cain, dicens*, Deum recognoscens, proùt Sara Genes. 21. 6. Rachel Gen.30.23.*possedi hominem per Deum*, quasi id ex meo non merebar,quę præcepta Domini transgressa sum; at ipse misericordiam suam fecit mihi dans filium hunc, & & hinc cognosce humilitatem, ac pœnitentiam suam. *Rursumquè peperit fratrem eius Abel. Fuit autèm Abel pastor ouium*; hunc præmittit,quia in vltimis verbis de illo, non puto alia de causa; *& Cain agricola*. Eccè primæ artes, & negocia, & quomodò Deus numquàm voluit homines otiosos nec etiàm in paradiso.Genes.2.& 3.*Factum est autem*, contigit *pòst multos dies*, pòst multum tempus, & annos, postquàm hi fratres in viros, vel adolescentes excreuerant, *vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*. (eccè à principio sacrificia) quæ hi filij ab Adam eorum patre didicerunt, Messiam figurantia, & quamuis nulla mentio fiat sacrificij per Adam oblati, nil refert, quia non omnia habemus in scriptura; quæ insignia tantùm, & significantia, vel in quibus aliquid dignum scitu euenit, describit; vndè quia talia in sacrificio Adam non contigerunt, propterea tacuit, & hæc melior ratio, quàm quòd ne à peccatore fieret initium, quia imò proùt peccatoris erat offerre ad sui peccati expiationem, ità conuenientèr & initium à peccatore sumpsisse describebatur, quem nequè scriptura hoc titulo defraudasset, sicùt de illius pœnitentia. Sap. 10. *Abel quoquè obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ*, quisque de his, quæ exercebant; ideò præmisit artem vtriusquè, Cain agricola, Abel pastor ouium; non explicat, nec ornat oblationem Cain proùt oblationem Abel, quia in terræ fructibus non dantur primogenita, nec adipes, proùt in ouibus: vndè non credo in hoc defectum considerari ex parte Cain, cùm vti agricola non haberet ea, quæ Abel ad oblationem, sed diuersa ex arte sua prouenientia; at quia dicitur Abelem primogenita, & de adipibus obtulisse, videtur in his fieri fundamentum, sed respondeo scripturam ex hoc modo loquẽdi voluisse nobis innuere opere ipso cor Abelis sincerum Deo offerẽtis,& ex his demonstrare quæ tempore Moysis contigebant, vt offerentes bona,dicerentur primogenita, & adipes offerre; Vel si verè primogenita obtulit (proùt credendum, cùm ea meliora) aduerte vndè primogenitorum origo,& quomodò ex illis cor Abelis exprimat scriptura, sic de mundis Noe ex Arca egressus obtulit.Genes.8.20. ex his cognosce initium dominij particularis, & distinctionem mei,& tui,quicquid dicant legistæ, & canonistæ, *& respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*,quia opera eius iusta.1. Ioan.3. 12. sic de Zaccharia,& Elisabeth; erant ambo iusti antè Deum incedentes in omnibus mandatis,& iustificationibus,&c.Luc.1. hìc primò de Abel,quia à Deo prælatus, & quia in eo Deus sibi complacuit, quod non in Cain; *Ad Cain verò,& ad munera illius non respexit*, quia opera eius maligna erant. 1. Io.3.12. & Paulus Heb. 11. 4. fide plurimã ho-

hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, à sanguine Abel iusti, dicit Christus, testimoniũ perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhùc loquitur, Cain verò infidelis non potuit placere Deo. Fides verò Abelis constitit nedum quòd Deus, sed & quod remunerator, Cain primum credidit, aliòqui non sacrificaturus. in secundo defecit, hinc Deus misericors nititur persuadere illi se esse remuneratorem dicens. *si benè egeris, recipies, &c.* & punitorem malorum dicens, *sin autèm malè, &c.* isquè melior intellectus, quàm ille, quòd Abel vtì creatori, & redemptori litauerit. Cain creatori, non redemptori, ex littera enìm nihil habemus tale, vndè est diuinatiuus. Vel respexit ad Abel, & ad munera eius consistentia in primogenitis gregis sui, quæ occidebantur, & repræsentabant mortem Messiæ Deo gratam, non sic herbæ Cain; at hoc mysticum. Vide Aug. de Ciuit. Dei. lib. 15. c. 7. *iratusquè est Cain vehementèr, & concidit vultus eius,* proùt solet contingere ira percitis, videns præponi sibi Abelem à Deo. sic Isa 3. agnitio vultus eorum respondit eis. Sed vndè percepit Cain munera Abel Deo placere, sua non? credo pluriès hæc facta, & per plures annos successiuos, non enìm hæc vnius diei, & Deum prosperatum esse Abelem in omnibus, quæ gerebat, & ex his innotuisse Cain cõplacentiam Dei in illo; proùt dicimus de Iacob Gen. 30. 43. & 31. 8. 9. & seqq. & de Dauid. 1. Reg. 18. 12. 28. & 2. Reg. 3. 1. Sed cur Cain malè, Abel benè offerens? quia Cain ex maligno erat, cor eius abundauit malitia, & lingua sua concinnabat dolos; Abel ex iusto; ideò Deus Abelem, non Cain dilexit; sic Iacob dilexi, Esau odio habui. *Dixitquè Dominus ad eum: Quarè iratus es? & cur concidit facies tua?* quasi, ne irascaris, ne concidas: *nonnè si benè egeris recipies;* propè est enìm Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate (eccè merces operum) sin autèm malè, reassume; *nonnè statim in foribus peccatum aderit?* vtiquè. præsertìm ex pœna, quæ tibi infligetur ob illud, sic de pœna. Castr. Iere. 34. quasi, fac ergò opera bona, & non destitueris mercede; sed si malè egeris, ne putes peccatum tuum occultum remansurum; nàm mihi non celabitur, sed fiet notum in conspectu solis huius, proùt dixit Nathan ex Deo ad Dauid; ne ergò tentatio hæc te apprehendat; hìnc fortè putabat ille de homicidio occultè patrando, quasi Deus non illud cogniturus, aliàs enìm ad hæc particularia Deus non descendisset, *sed* (docet quid illi agendum) *sub te erit appetitus eius,* peccati scilicèt, quod te trahit, quo duceris; nitaris ergò illum appetitum superare, carnem declinantem fræno retinere, *& tu dominaberis illius,* si hoc enitèris facere, nempè illi resistere, Deo te adiuuante, sinè quo omnis noster conatus inualidus, frigens; Vide quomodò Deus etiàm cũ præscitis agat, & numquàm deserat, & quomodò inuidia ruit Cain, proùt fratres Ioseph. *Dicitquè Cain,* nequè Dei misericordis interpellatione placatus, aùt mutatus *ad Abel fratrem suum,* sedens aduesùs fratrem suum loquebatur, & aduersùs filium matris suæ ponebat scandalum; *egrediamur forâs,* quasi deambulaturi, auramquè capturi. *Cumquè essent in agro, consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel* odio, & inuidia motus, quæ Deo monente euomere noluit; *& interfecit eum.* diabolus tùnc erat sæuus, & diligentèr circuibat quærens semen humanum extinguere; ideoquè homicidij nouam cogitationem in Cain immisit; fuit enìm homicida à principio, vt dixit Dominus. *& ait Dominus ad Cain* misericordia motus ergà peccatorem, si fortè resipisceret; ideoquè citò eum conuenit: *Vbì est Abel frater tuus?* fortè illum occisum absconderat, ne appareret, putabatquè ignotum fore; *qui respondit, nescio.* vice confessionis delicti, quam Deus expetebat, mentitur; ex vno in aliud peccatum decidens, proùt Dauid ex adulterio in homicidium. *Num custos fratris mei sum ego?* perstat in cogitatione se non reuelandum; at impia vox cùm Deus mãdauerit vnicuique de proximo suo, sed non est mentitus hominibus, sed Deo; ideò subditur sententia. *Dixitquè ad eum: quid fecisti?* quasi vi, vel conuincendo extrahit confessionem. *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* omnia vox in mundo & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, nèc quicquam

Deum

Deum latere potest; sic Apoc.6.10. vsquequò Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra? at de terra clamabat sanguis Abel, quia nondùm cælum apertum, sed in limbum delata illius anima. Voluit dicere Deus, quomodò negas tu fratricidium, si clamore sanguinis per te fusi aures meæ sunt plenæ? *nùnc igitùr* audi, *maledictus eris supèr terram*, idèst abominabilis, & omnibus eris horrori, vitabunt te omnes tamquàm maledictum; sic Hebræi maledixerunt cœco quasi abominabili, & deindè eiecerunt eum foràs. Io.9.28.& 35. & Christus factus est pro nobis maledictũ, abominatio; maledictus enim omnis, qui pendet in ligno; horum enim sic damnatorum nedum personas, sed bona tangere veremur; vt in Chore, & Abiron, *quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua; cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos*, eo modo quo solebat: *vagus & profugus eris supèr terram*, vt quam maculasti, in ea vix sistere valeas, ægrè ab ea recipiaris, hùc, illùcquè te reijciet, excutiet; in quibus enim quis peccat, in his & patitur. *Dixitquè Cain ad Dominũ* iàm tandèm cognoscens enormitatem peccati sui Domino illum illuminante: *maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, respiciunt se hæc verba, non Deum: cognosco iniquitatem meam Domine, & video illam adeò grauem, vt ne quidèm veniam merear. magna hæc recognitio peccati, magna sui humiliatio; at non petit veniam à concessuro cuicumque gementi peccatori improbo; vndè cùm veniam non petierit, vel desperauit, quod non credo, quia aliàs Deus securitati suæ non prouidisset, proùt fecit, & non cogitauit de venia impetranda, vel quæ ad animam non curauit, quod credo verius, ideò subijcit, *ecce eiicis me, &c.* Sic Hebræi dicebant: venient Romani, de temporalibus cogitantes, non de anima Aug. Io. 12. cùm peccator in cognitionem peccati venit, optat sibi pœnam. Sic Ionas cap.2. 12. tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis; scio enim ego, quoniàm proptèr me tempestas hæc grandis venit supèr vos: at Ionæ 3. 2. orauit Ionas in angustijs positus; non sic Cain profugus, & eiectus à facie Domini, & consequentèr diffidens de Dei misericordia, tamèn pro vita sua solicitus est; subdit enim: *ecce eiicis me hodiè à facie terræ*, ità vt terra vix me sustinere velit, *& à facie tua*, à loco, in quo soles te ostendere, *abscondar*, à tua protectione, sub qua tutus viuebam, deserar, non mihi ampliùs te ipsum communicabis, proùt fecisti, *& ero vagus, & profugus in terra*, declarant hæc verba alia præcedentia, *omnis igitùr qui inuenerit me*, natorum, (iàm enim propagatur genus humanum) vel nasciturorum, *occidet me*: propterea in hoc miserere mei Domine, succurre mihi, ne occidar; de vita propaganda cogitat, non de anima infelix Cain. *Dixitquè ei Dominus: nequaquàm ità fiet*, vt occidaris, *sed omnis qui occiderit Cain, septuplùm*, grauitèr, seuerissimè *punietur*, & ob hanc pœnam, quam impono, non occideris: verbo (*septuplùm*) vtitur scriptura ad denotandam rei alicuius magnitudinem, vel decorem, vt Psalm. argentum purgatum septuplùm; & Isa.30.26. & erit lux lunæ sicùt lux solis, & lux solis erit septemplicitèr sicùt lux septem dierum in die, &c. *posuitquè Dominus Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum*, quodnam signum, incertum, non est verisimile tremorem fuisse, quia hoc signum in commodum, non in perniciem eius positum, & quia iàm sententia lata, cui Deus non addidisset; non enim punit bis in idipsum, & aliàs volens ei benefacere, diceremus eum decepisse tremorem addendo corpori. Dauid signum expetens dicebat: fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur, &c. Petrus de Figuerio Iere.32. 20. tenet fecisse Deum Cain aliquod miraculum, quo certum faceret illum non occidendum; at non videtur sententia tuta, quia signum positum fuit in Cain ab alijs inspiciendum, ne quis eum interficeret, vt hic: verisimile tamèn est, & certum illud signum innotuisse Cain. *Egressusquè Cain à facie*, à conspectu *Domini, habitauit profugus, exul in terra ad orientalem plagam Eden*; ecce quomodò diabolus cribrauit primos homines; Adam, & Eua ad peccatum; Abel occisus, Cain profugus. *Cognouit autèm Cain vxorem suam*, sororem verisimiliùs; nàm genus humanum indige-

digebat propagari, & nulla prohibitio coniunctionis cùm sorore in illis principijs, *quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificauit Ciuitatem, vocauitquè nomen eius ex nomine filij sui, Henoch*; Cain ergò primus edificator Vrbium. *Porrò Henoch, &c.* vsquè *ad Lamech*; qui accepit duas vxores. fortè tùnc id permissum à Domino ob celeriorem propagationem, permissum fuit Abraham, Iacob, Dauid, & alijs; & si tùnc malum fuisset, scriptura meminisset; non enìm peccatum hoc primum præterijsset intactum, & sub silentio; At quæ causa dispensandi, vel eum excusandi, cùm descēderet à Cain radice infecta parùm duratura, & diluuio funditùs peritura? *Dixitquè Lamech uxoribus suis Adæ, & Sellæ*, de poligamia an licuerit, & quãdò, an sit contrà ius naturale, & alia vide apud Abul Matt. 19. 9. 30. cùm pluribus seqq. *audite vocem meã vxores Lamech, meæ, auscultate sermonem meum.* nō repetit ad maiorem attentionem, sed ad celeritatem, volens citò eructare quod disposuerat: *quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum* repetit idem more phrasis hæbraicæ, non quòd duo occiderit, alioquì cõparatio cùm homicidio Cain non procederet, qui vnum tantùm occidit *in liuorem meum*, idèst per vulnus meum, quod inflixi, & per *liuorem meum*, quod intuli occiso; *in*, enim sumitur pro per multotiès; vt in Iesu Christo, idest per Iesum Christum; ecce fœtus ex malo exemplo Cain; At cur communicatio huius sceleris cùm vxoribus? furijs cõscientiæ agitatus, & timens sibi ipsi; peccator enim sempèr pauidus, videns sibi instare supplicium; timet folium volans, sibi ipsi pœnas prædicit, & expetit; sic Cain peccato cognito, *ero profugus, &c.* Ionas, mittite me in mare, &c. *septuplum vltio*, grauissima vltio *dabitur de Cain* primo occisore; *de Lamech verò*, de me, cuius punitionis exemplo arceri debueram à tanto scelere *septuagies septies*, vltio dabitur propemodum infinita. Similis phrasis Matth. 18. non dico tibi septiès, sed septuagies septiès, idèst sempèr, per hyperbolem loquitur, seù ad infinitum timore nimio correptus, quo ad hanc communicationem deuenit cùm vxoribus suis, in quibus confidebat: mœrorem animi sui hoc modo alleuiãs, & sic solet quisque, communicando enìm cùm aljs timorem, vel angustias nostras; videmur nobis aliquid de illis demere; sic pòst visum Angelum sibi ipsi timens Manue Iud. 13. 22. cùm vxore sua id communicauit, & recepit leuamen; Iacob volens à Laban discedere contulit cùm vxoribus suis Lia, & Rachele. Genes. 31. Aman contulit cùm vxore, & amicis, Ester. 5. 11. Achab cùm Iezabel de vinea Neboth. 3. Reg. 21. 5. & Tobiæ 10. vxor & Tobias simùl flebant, & conferebant de nimia mora filij, & Elcana vxorem suam consolabatur. 1. Reg. 1. & vitæ suæ timens Abraham contulit cùm vxore sua Sara, vt diceret se eius sororem. Genes. 12. 11. & Christus Dominus noster in tota eius ferè vita, sed singularitèr in cænaculo, & horto contulit cùm discipulis suis de morte sua: tristis est anima mea vsquè ad mortem, &c. Ex his exploditur, quòd Lamech interfecerit Cain, tùm quia tutus erat Cain à Domino ex signo in eo posito, & miror dici seruisse signum pro inuētoribus tantùm, & de industria occidentibus, non casu proùt Lamech; nàm fuisset decipula, & quia, vt dicit Sapiens: sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur Prou. 16. 33. vltrà quòd quam pęnam subijt Lamech à Deo Cain occidenti præfixam? tùm quia Cain erat illi tritauus, tùm quòd verba *virum, & adolescentulum* Cain seni non conueniunt, tùm quia non adduceret occisum in exemplum pœnæ, quìn & de illo ab eo occiso mentionem non faceret. Non potest referri vltio ad occidentem Lamech, proùt de Cain suprà à Domino, quia in Cain à Deo prouisum, non in Lamech, ideò intellexi de vltione in se ipsum, & quia si septuplum vltio in occidente Cain, cur sibi ipsi septuagiès septiès? alia sunt vel inuenta Rabbinorum, vel non probantur: hucusquè progenies Cain, cuius aliqui artium inuentores, vt ex textu claro. *Cognouit quoquè adhùc Adam vxorem suam*; redit ad Adam, expeditus de Cain, nō quòd Adam distulerit cognoscere Euam suam, quia instante præcepto Dei de multiplicando, non abstinuisset nequè ad horam; *& peperit filiũ, vocauitquè nomen eius Seth, dicēs: posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*; ex hoc cognosce propinquam

quam

quam occisionem Abel,& quomodò à Deo omnia recognoscat,exemplum dans successoribus omnia à Deo recognoscendi. *Sed & Seth natus est filius,quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini*, cœpit habere vsum rationis, non quòd priùs alij non inuocassent; nàm & Adã,& Eua,& Abel inuocauerant, & inuocabant; sed cur de hoc expressè? quia præcedebant peccata,& tot impij,de quibus meminerat, vt voluerit impietates illas obumbrare & tegere bonitate huius à teneris incipientis;præcesserant peccata Adam, & Euæ, Cain,Lamech, Cham, & descendentium ad terrena respicientia, Ciuitates condendas, artes inueniendas, congruum fuit de hoc ad cælestia respiciente subnectere, & vt incipiat ostendere filiorum Dei generationem permansuram extincta generatione Cain à diluuio successuro, Vndè Cain occidens nedùm ipse sublatus; sed vnà tota eius generatio,& præsertim Lamech sectator eius mali exempli,& nimirùm si Moses parùm progressus est in describenda generatione,& successione Caina diluuio delenda funditus, ità vt nèc mortem Cain descripserit, iniquorum enim sacræ scripturæ nulla cura; Videant, & considerent homicidæ.

CAPVT V.

1 *HIC est liber generationis Adam. In die, qua creauit Deus*
2 *hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. * Masculum,*
& fœminam creauit eos, & benedixit illis, & vocauit
3 *nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. * Vixit autèm*
Adam centum triginta annis: & genuit ad imaginem, &
4 *similitudinem suam, vocauitquè nomen eius Seth. * Et fa-*
cti sunt dies Adam, postquàm genuit Seth, octingenti an-
5 *ni. genuitquè filios, & filias. * Et factum est omne tempus quod vixit Adam,*
6 *anni nongenti triginta, & mortuus est. * Vixit quoquè Seth centum quinque an-*
7 *nis, & genuit Enos. * Vixitquè Seth postquàm genuit Enos, octingentis septem*
8 *annis, genuitquè filios, & filias. * Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum*
9 *duodecim annorum, & mortuus est. * Vixit verò Enos nonaginta annis, & ge-*
10 *nuit Cainan. * Pòst cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit*
11 *filios, & filias. * Factiquè sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mor-*
12 *tuus est. * Vixit quoquè Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleel. * Et vi-*
13 *xit Cainan postquàm genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitquè*
14 *filios, & filias. * Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mor-*
15 *tuus est. * Vixit autèm Malaleel sexaginta quinque annis, & genuit Iared.*
16 ** Et vixit Malaleel postquàm genuit Iared, octingentis triginta annis: & ge-*
17 *nuit filios, & filias. * Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta*
18 *quinque anni, & mortuus est. * Vixitquè Iared centum sexaginta duobus annis,*
19 *& genuit Henoch. * Et vixit Iared postquàm genuit Henoch, octingentis annis,*
20 *& genuit filios, & filias. * Et facti sunt omnes dies Iared nongenti sexaginta*
21 *duo anni, & mortuus est. * Porrò Henoch vixit sexaginta quinque annis, &*
22 *genuit Mathusalam. * Et ambulauit Henoch cùm Deo: & vixit, postquàm*
23 *genuit Mathusalam, trecentis annis, & genuit filios, & filias. * Et facti sunt*

24 *omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.* Ambulauitquè cùm Deo,*
25 *& non apparuit: quia tulit eum Deus.* Vixit quoquè Mathusala centum octo-*
26 *ginta septem annis, & genuit Lamech.* Et vixit Mathusala, postquàm genuit*
27 *Lamech, septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios, & filias.* Et fa-*
cti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est.
28 ** Vixit autèm Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium:* vo-*
29 *cauitquè nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus*
30 *manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Vixitquè Lamech, post-*
quàm genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios, & filias.
31 ** Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni, & mor-*
tuus est. Noe verò cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, &
Iapheth.

H*IC est liber generationis*, progeniei *Adam. In die*, tempore, *qua creauit Deus hominem, ad similitudinē*, imaginem *Dei fecit illum. Masculum, & fœminam creauit eos, & benedixit illis, & vocauit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt.* ex hac textura videtur colligi posse eadem die, seù tempore (successiuè tamèn) Adam, & ex eo Euam creatam esse, non diuerso die. *Vixit autèm Adam centum triginta annis.* & deindè *genuit ad imaginem, & similitudinem suam*; hoc dicit, ne putares diuersum Adam, & genitos ex eo, vel non alios homines ad similitudinem Dei, proùt ille genitos esse; & sic vt ostenderet omnes homines ad Dei similitudinem, ad quam ipse Adam formatus erat, generari, & Deum hoc modo recognoscerēt tanta in homines conferentem; vel est repilogatio omnium præcedentium: vel nè putares quòd pòst peccatum homines non dicerentur esse ad Dei similitudinem, seù imaginem; vel quia genitus ab Adam sicùt Adam, quia immediatè creatus à Deo, dicitur ad imaginem, & similitudinem Dei, & sic omnes per Adam. Non placet, quia Abel occisus, Caini generatio diluuio delenda, vndè non erat generatio ex eis remansura: quia hoc non cogit, vt dicendum esset in Seth solo ad similitudinem suam creauit eum, quia non posset inferri, nisi in hoc non defuturam successionem, quod ex illis verbis nō probatur; *Vocauitquè nomen eius Seth; & facti sunt dies Adam, postquàm genuit Seth octingenti anni, genuitquè filios, & filias*, quos non nominauit, quia ad lineam Seth respicit, & illam vult assumere, ex qua Christus, ideò de alijs non curat referre: *Et factum est omne tempus, quod vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus est* pœnitens. Sap. 10. in princip. *Vixit quoquè Seth, &c.* in hoc firmat genealogiam; *Et ambulauit Henoch cùm Deo, ambulauitquè cùm Deo*, bis explicat, vt denotet perseuerantiam, illum & eius mandata semper sequēs, illi placens, iudicium prædicans, vt amoueret alios ab eorum malitia. Iudæ. 14. *& non apparuit* intèr homines, in mundo, *quia tulit eum Deus*; vndè Sap. 4. 10. placens Deo factus est dilectus, & viuens intèr peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aùt ne fictio deciperet animam illius. At quomodò tulit? habetur Eccles. 44. 16. Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, terrestrem, vt det gentibus pœnitentiam, venturus est enim tempore Antichristi cùm Elia. Apocalyp. 11. & Heb. 11. Fide Henoch translatus est, nè videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit eum Deus; antè translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.

Sed cur Henoch reseruatus tempore Antichristi? fortè vt testaretur de his, quæ suo tempore contigerunt ab aliquibus tùnc negaturis, vt eos conuertat. At quomodò Henoch in paradisum terrestrē delatus, ibiquè non beatus degat, venturus tempore Anti-
chri-

christi cùm Elia, & extare adhùc paradisum terrestrem, dixi in Euangelijs, & latè Apocal. 11. Non video etiàm cur Hiero. ab Oleastro hìc notetur, quia dixit probabilius Henoch à Domino acceptum, cùm id probet ex tot locis scripturæ; vndè non probabile pro vero, sed probabilius dixit ob contrarias opiniones. Henoch Mathusalam, Mathusala Lamech; Lamech Noe, *dicens*: eccè quomodò prophetia & in iniquis, vt tamẽ Deus detegat iniquitatem, seù palàm fieri permittat, ne quid ascribatur eis, sed Deo soli, ***iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus***, quia & ipse laborans in sudore vultus sui; vel fortè quia inuenit vitem, & vinum expressit ex ea; vel inuenit modum faciliorem, seù instrumenta ad terram colendam aptiora. Vel ***iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra*** magno nostro sudore factis, quia pòst ipsum conseruabuntur, non ampliùs dissipabuntur opera nostra à Deo aquis diluuij, quod instat, cùm Dominus Noe dicturus sit non esse ampliùs terræ maledicturum, nequè eam dissipaturum; sic enim habet infrà Genes. 8. in fin. & per tot cap. 9. & hunc credo meliorem sensum, & augustiorem, quàm primum satis humilem, præsertìm quia hæc secuta sunt cùm Noe. Quòd autèm inuentor fuerit instrumentorum ad terram arandam nullibì apparet, & inuentio vini non aptatur verbis Lamech. Est hic intellectus cõformis Eccles. 44. 17. Noe inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio; eccè quomodò consolatus est; ideò dimissum est reliquum terræ; solæ enim reliquiæ suæ in terra remanserunt, cùm factum est diluuium; Testamenta, pacta sæculi ad mundum pertinentia, quæ fecit Deus posita sunt apud illum, conseruata apud illum solum remanentem, & quia cùm illo pactus est Deus, ne deleri possit diluuio omnis caro; & Heb. 11. 17. aptauit arcam in salutem domus suæ, & iustitiæ, obseruandorum à Deo promissorum Patribus, quæ per fidem est: credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, hæres est institutus. Vel ***consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus***, quia in eo (pòst diluuium omne genus humanum extincturum) remanebit semen, ex quo Messias nasciturus consolator dictus; Vndè ipse, alium paracletum dabit vobis, se ipsum explicans primum consolatorem; & sic de illo intelligitur Isa. 40. dicens: consolamini, cõsolamini popule meus, ità vt terrena hæc, in quibus versamur, simus reiecturi, & ad cælestia, & spiritualia respecturi à Messia prædicanda; pœnitentia enìm, & regnum cælorum suo tempore proposita; vndè terra, quæ olìm maledicta, in Messia eam ad se assumente benedicta fuit; benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. ***Noe verò cùm quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Iapheth.*** nullus antè Noe distulit tamdiù generare. Vel sterilem voluit eum esse Deus vsquè ad illam ætatem, vt recognosceretur ab eo progenies, qua mundum saluari volebat; sic de Isaac, Samuele, Ioanne ex parentibus sterilibus ortis, quibus vsus ad opera eius mirabilia; non enim verisimile Noe distulisse vsquè ad quingentesimum annum dare operam liberis, stante præcepto Dei de multiplicando, & cùm Henoch vxoratus translatus genuerit; sed obstat, quia ad gloriam Dei fit sempèr mentio sterilium, hic verò non, & quia à principio nullus sterilis nominatur. Vel dicendum alios liberos antè suscepisse, quos non commemorat Moyses intentus illis, ex quibus propagatio hominum pòst diluuium facta, quamuis videatur Moyses limitatè, & taxatiuè loqui. cap. 6. 10. dicens, ***& genuit tres filios, Sem, Cham, & Iaphet;*** & quia cùm corrupta esset caro ex colluuie libidinis, est admodùm verisimile hunc continentem fuisse, & ob suam continentiam, seù potiùs sterilitatem electum esse ad conseruationem humani generis: Sed obstat, quia continentia tùnc non erat in pretio; ideò neque Henoch continens; erat enim illa vox, crescite, &c. vndè residerem in hac opinione (quicquid sit de copula) nullos antè quingentesimum annum habuisse liberos, vt hi, qui erant tempore diluuij centenarij, essent apti proli illicò pòst diluuium ex eis propagandę; & si alios filios antè habuisset, fieret mentio, tùm quia illorum, qui genuerunt, ætas describitur tempore fœtus,

tùm quia nullus nominatur antè patres mortuus, præterquàm Abel occisus; sed an antè vsus copula, incertum ex præmissis; At nequè pòst diluuium habuit alios filios; Vndè vel abstinuit, vel vxor sterilis infrà cap. 9.

CAPVT VI.

1 CVMQVE cœpissent homines multiplicari supèr terram,
2 & filias procreassent: * Videntes filij Dei filias hominum
quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas
3 elegerant. * Dixitquè Deus: Non permanebit spiritus meus
in homine in æternum, quia caro est: eruntquè dies illius
4 centum viginti annorum. * Gigantes autèm erant supèr ter-
ram in diebus illis. postquàm enìm ingressi sunt filij Dei ad
5 filias hominum, illæquè genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi. * Vi-
dens autèm Deus quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogita-
6 tio cordis intenta esset ad malum omni tempore, * pœnituit eum quòd hominem fe-
7 cisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecùs, * Delebo, inquit, hominem, quem
creaui, à facie terræ, ab homine vsquè ad animantia, à reptili vsquè ad volu-
8 cres cæli. pœnitet enìm me fecisse eos. * Noe verò inuenit gratiam coràm Domino.
9 * Hæ sunt generationes Noe: Noe vir iustus atquè perfectus fuit in generationi-
10 bus suis, cùm Deo ambulauit. * Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth
11 * Corrupta est autèm terra coràm Deo, & repleta est iniquitate. * Cumquè vi-
12 disset Deus terram esse corruptam, (omnis quippè caro corruperat viam suam su-
13 pèr terram) * dixit ad Noe: Finis vniuersæ carnis venit coràm me: repleta est
14 terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cùm terra. * Fac tibi arcam
de lignis læuigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecùs,
15 & extrinsecùs. * Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ,
16 quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. * Fene-
stram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius: ostium autèm
17 arcæ pones ex latere: deorsùm, cœnacula, & tristega facies in ea. * Eccè ego ad-
ducam aquas diluuij supèr terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spi-
18 ritus vitæ est subtèr cælum: Vniuersa quæ in terra sunt, consumentur. * Ponam-
què fœdus meum tecum: & ingredieris arcam tu & filij tui, vxor tua, & vxo-
19 res filiorum tuorum tecum. * Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina in-
20 duces in arcam, vt viuant tecum: masculini sexus, & fœminini. * De volucri-
bus iuxtà genus suum, & de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ se-
cundùm genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, vt possint viuere.
21 * Tolles igitùr tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & comportabis apud
22 te: & erunt tàm tibi, quàm illis in cibum. * Fecit igitùr Noe omnia, quæ præ-
ceperat illi Deus.

CVM-

CVMQVE *cœpissent homines* improbi, toti terreni, *multiplicari super terram*, (eccè cur vita longa, eccè effectus iussę generationis) *& filias procreassent*; hoc dicit, non quòd plurès, quàm par, vel solitum erat, sed quia de illis in vxores receptis subdit. *Videntes* (ex visione capti, & in libidinem spumantes; ideò: auerte oculos tuos, ne videāt vanitatē, sic captus Dauid ex Bersabeæ, Holofernes ex visione Iudith) *filij Dei* ex progenie Seth, non Angeli, nō dæmones, absonum hoc; Necessarium erat multum semen humanum tot incubis, & necessarij multi succubi, si ex tali semine creatio fit, vt tanta multitudo generaretur; at effusionis illius non meminit textus, quæ cœpit ab Onan absquè succubis. Genes. 38. sed libidinosorum matrimoniorum. *filias hominum* illorum eò *quòd essent pulchræ*, venustæ, gratiosæ, *acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant*, & oculis eorum placebant; & sic sola libidine ducti, quod Raphael improbauit Tobiæ; hi enim diabolo subduntur. Non placet, quod dicunt aliqui *filios Dei*, idèst homines proceræ staturæ filias proceres duxisse ad gignendos gigantes ex Saule dicto meliori, idèst proceriori, cùm subdatur in eo ab humero, & sursùm alios superasse; vnde ibi explicatur clarè, quod hìc nullo modo, imò hìc distinctio tota consistit in filijs Dei, & filiabus hominum. *Dixitquè Deus*, iratus intrà se, non alios alloquens more hominis videntis, quæ non placent, & cogitantis quid agendum, vel ad pœnas, & vindictam: & sic inducit Moyses Deum ad nostram capacitatem; si enim cùm alijs loquutus esset, exprimeret. *Non permanebit spiritus meus*, vigor meus, potentia mea, vel spiraculum vitæ à me inditum. Genes. 2. Eccles. 17. *in homine in æternum*, subtraham auxilia mea, ne homo conseruetur in æternum, idèst ad tantam ætatem, proùt vsquè hùc factum, *quia caro est*, carnalis, ad peccata facillimè dilabēs, maximè carnalia; vndè ex peccato ætas breuiata; *eruntquè dies illius centum viginti annorum*; Vel hæc ad diluuium. *non permanebit spiritus meus*, voluntas mea *in homine in æternum* ad illum conseruandum, non complacebo ampliùs in homine; sic complacuit spiritui meo, animæ meæ, *quia caro est*, totus carnalis, totus vitijs carnalibus infectus, vt illum non possim pati, aut sustinere, *eruntquè dies illius*, (quia sic decreui) *centum viginti annorum*; vndè hæc dicta anno Noe 480. in circà, & deindè diluuio disperdam illam, & hìc tutior intellectus; nec placet viginti annos diminutos; nàm Deus verax, obseruans; ego Deus, & non mutor; sed hìc per recapitulationē, quæ antè per viginti annos dicta fuerant Noe, cui deindè data proles ad propagandum genus humanum; & reuelatio facta Noe non fuit sub vnica vice, sed pluriès; credendum ne Deum in 120. annis vna vice tantùm cùm Noe verba habuisse? primò ergò significasse possemus dicere Noe malitiam hominum; deindè quomodò pœnituerat, posteà quòd volebat delere, ipsi prolem dare, ex qua propagaretur denuò humanum genus, & vltimò quomodò vellet illum saluare, quæ omnia Moyses recapitulauit simùl: sicùt & præoccupando cùm ageret de genealogijs, præmisit his capite præcedenti in fine de filijs Noe, quos posteà suo loco in hoc capite situauit. Non obstat dictum Moysis Deut. 31. centum viginti annorum sum hodiè, nō possum vltrà ingredi, & egredi, operari, & onus sustinere, quo premor; nàm refert quid in eo erat, non quòd præscripta esset ætas à Deo, quam quis euadere non posset, cùm multi illam ætatem excesserint, vt Iob. c. fin. Iacob, & alij & excedāt. Non obstat malitia hominum excrescente Deus diminuit; nàm quandò tempus præfixit, nouerat illam futuram, nèc ex malitia hominum mutat, quæ stabiliuit, præsertìm contrà peccatores, quos expectat longanimis ad pœnitentiam, ob iustos breuiat dies malos ne cadant; rapit, ne malitia mutet intellectum. *Gigantes autèm erāt supèr terram in diebus illis* (vult dare originem gigantum) quandò? *postquàm enim ingressi sunt filij Dei*, homines per excellentiam. at Iob. 1. filij Dei. Angeli *ad filias hominum* ductas in vxores, *illæquè genuerunt*, gigantes hi orti, isti *sunt potentes à sæculo* in mundo, *viri famosi*, celebres. Iudith. 16. 8. excelsi gigantes. Sed quid sibi vult scriptura? forsitàn vult inferre ex ortu horum poten-

tentum ortas discordias, prælationes, maioratus, tyrannides, quia virium potentia alios debellabant, & subijciebant; ex Baruch. 3.26 ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magna scientes bellũ. Vide F. Thadeum Isa. 32. in digressione. de gigantibus Pineda Iob 26. vers. 5. sic Luc. 22. Reges gentium dominantur eorum; hanc autèm malitiam præmittit, tùm quia ex carne orta, id enìm permisit Dominus ad malum hominum, sicùt videmus cœcos, claudos nasci quandoquè ob libidinem parentum, tùm quia abhorrens & contraria humano generi. *Videns autèm Deus*, quem nihil latet, *quòd multa malitia hominum esset in terra*, in hominibus omnia inficientibus eorũ enormitatibus, *& cũcta cogitatio cordis hominũ intenta esset ad malum omni tempore*, vt numquàm deficerent, sic peccator obstinatus, cùm in profundum malorum venerit, contemnit, prodierat quasi ex adipe iniquitas eorum, transierant in affectum cordis. Psal. 72. *pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra*, habuit se Deus ad modum pœnitentis, quod ostendit ex flagello vniuersali, & sic loquitur ad nostram intelligentiam, non quòd Deum pœniteat, nisi ex effectibus ad modum hominis pœnitentis; reuocando, moderando, renouando, quod antè fecerat ob nostram malitiam, *& tactus dolore cordis intrinsecùs*, more humano loquitur, vt Dei iram ostendat, non quòd in Deo sint passiones huiusmodi. *Delebo, inquit, hominem, quem creaui, à facie terræ*, ità vt in terra non inueniatur, & *ab homine vsquè ad animantia à reptili vsquè ad volucres cæli*, quæ in aere volãt, proptèr homines creata, vt ostenderet Deus maiorem iram, & exerceret maiorem vindictam, & ostenderet maiorem peccati detestationem; *pœnitet enìm me fecisse eos*. homines; docet magnitudinem peccatorum, quæ Deum quasi hominem se ostendere cogat pœnitentem, in quem non cadit pœnitentia: *Noe verò inuenit gratiam coràm Domino*, fuit Domino gratus, acceptus, Dominus cùm eo, Dominus in eo sibi complacuit, quod cedit in magnam eius laudem, cùm intèr tãtam malorum colluuiem bonus fuerit, vt in Iob in terra Hus, & Lot in Sodomis aduertit S. Gregorius. *Hæ sunt generationes Noe*, descendentes Noe. *Noe vir iustus, atquè perfectus*, omni virtute ornatus fuit, *in generationibus suis*, in omni tempore suo, in omni sæculo suo, *cùm Deo ambulauit*, Domini mandata, & vias obseruans, ab illis non recedens. *Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth*, in ætate 500. annorum, vt suprà cap. 5. in fin. ideò vt ibì dixi, credo nullos alios genuisse, quia hìc taxatiuè videtur loqui; & si alios habuisset, fieret aliqua mentio illorum. *Corrupta est autèm terra*, erupta est crassitudo iniquitatis terræ supèr terram, *coràm Deo* omnia vidente, & respiciente, *& repleta est iniquitate* ad summum, ità vt efflueret à malitia inhabitantium in ea. *Cumquè vidisset Deus terram esse corruptam*, totam (*omnis quippè caro*, homo, *corruperat* transgrediendo, *viam suam*; pèr quam rectus quisque ambulare debuerat, *supèr terram* eis datam ad inhabitandum, & colendum, sic Ioannes Baptista: dirigite vias Domini, parate viam Domino) *Dixit ad Noe: finis vniuersæ carnis venit coràm me*, idèst eò vsquè progressum est per homines ad iniquitates, vt finis eorum instet, vt deleantur, iudicium sit exercendum, *repleta est terra iniquitate à facie eorum*, ità vt nec verecundia deterreantur, sed publicè peccata committantur. hoc pro ratione præcedentium. Sic infrà cap. 18. 20. clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis, descendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ità, vt sciam; *& ego disperdam eos cùm terra*, aquis diluuij submergenda; sed quia tu iustus, cùm tuis saluaberis, & in te semen humanum conseruabitur & animalia, ideò *fac tibi arcam, &c.* cuius exemplar designat; hincquè cognosce homines à Deo omnes artes excepisse. Fœdus positurum spondet, quod & fecit, vt videbimus in cap. seqq. Sic cùm filijs Dauid. si autèm dereliquerint filij tui legem meam, &c. Sed quæ confusio tùnc in mundo. At non credebant Noe narranti futura instantia. 1. Pet. 3. 19. vbì dixi. Abul. Matth. 24. quæst. 223. sicùt nèc generi Lot, ideò Christus dixit futuros dies propinquos Iudicio, proùt illos tempore Noe, & Lot, edebant, bibebant, emebant, vxores ducebant

bant

bant intrepidi, oscitantes, ad nihilum respicientes, & venerunt incendium, & diluuium. Sed quomodò ingressa animalia in arcam? Dei iussu, & Angelorum ministerio. Sed an tùnc animalia carniuora? dic quòd non, vt suprà Gen. 1. ideò nèc carnes pro illis alendis in arcam ingestæ. Nota inuerisimile in fabricanda arca annos centum insumptos, nàm principium ædificij vsquè ad perfectionem vetustate consumptum foret: vndè potiùs crederem tempore congruo tantam fabricam perfectam, quod non videtur ad centum annos protrahendum.

CAPVT VII.

1 *DIXITQVE Dominus ad eum: Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enìm vidi iustum coràm me in*
2 *generatione hac.* * *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, masculum, & fœminam: de animantibus verò immundis duo & duo, masculum, & fœmi-*
3 *nam.* * *Sed & de volatilibus cæli septena & septena, masculum, & fœminam: vt saluetur semen supèr faciem vni-*
4 *uersæ terræ.* * *Adhùc enìm, & pòst dies septem ego pluam supèr terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & delebo omnem substantiam, quam fe-*
5 *ci, de superficie terræ.* * *Fecit ergò Noe omnia, quæ mandauerat ei Dominus.*
6 * *Eratquè sexcentorum annorum quando diluuij aquæ inundauerunt supèr ter-*
7 *ram.* * *Et ingressus est Noe & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum cùm eo*
8 *in arcam proptèr aquas diluuij.* * *De animantibus quoquè mundis & immundis,*
9 *& de volucribus, & ex omni, quod mouetur supèr terram,* * *duo & duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus, & fœmina, sicùt præceperat Dominus Noe.*
10 * *Cumquè transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt supèr terram.* * *An-*
11 *no sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt*
12 *omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli aoertæ sunt:* * *& facta est pluuia*
13 *supèr terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* * *In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, & Cham, & Iapheth filij eius: vxor illius,*
14 *& tres vxores filiorum eius cùm eis in arcam:* * *ipsi & omne animal secundùm genus suum, vniuersaquè iumenta in genere suo, & omne quod mouetur supèr terram in genere suo, cunctumquè volatile secundùm genus suum, vniuersæ aues,*
15 *omnesquè volucres* * *ingressæ sunt ad Noe in arcam, bina & bina ex omni car-*
16 *ne, in qua erat spiritus vitæ.* * *Et quæ ingressa sunt, masculus, & fœmina ex omni carne introierunt, sicùt præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus defo-*
17 *ris.* * *Factumquè est diluuium quadraginta diebus supèr terram: & multiplica-*
18 *tæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra.* * *Vehementèr enìm inundauerunt: & omnia repleuerunt in superficie terræ: porrò arca ferebatur supèr*
19 *aquas.* * *Et aquæ præualuerunt nimis supèr terram: opertiquè sunt omnes montes*
20 *excelsi sub vniuerso cælo* * *Quindecim cubitis altior fuit aqua supèr montes, quos*
21 *operuerat.* * *Consumptaquè est omnis caro quæ mouebatur supèr terram, volu-*
crum,

crum, animantium, bestiarum, omniumquè reptilium, quæ repiant supèr ter-
22 *ram: vniuersi homines, * & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra,*
23 *mortua sunt. * Et deleuit omnem substantiam, quæ erat supèr terram, ab homi-*
ne vsquè ad pecus, tàm reptile, quàm volucres cæli: & deleta sunt de terra: re-
24 *mansit autèm solus Noe, & qui cùm eo erant in arca. * Obtinueruntquè aquæ*
terram centum quinquaginta diebus.

DIXITQVE *Dominus per Angelum ad eum,* Noe transactis centum viginti annis præscriptis, *ingredere tu, & omnis domus tua,* quæ vnà cùm eo constabat ex octo animabus infrà vers. 7. *in arcam,* quam me dictante ædificasti; *te enim vidi,* cognoui, nouit Dominus qui sunt eius, *iustum coràm me,* in conspectu meo, & consequentèr dignum, qui in hoc generali exitio cùm tuis salueris, *in generatione hac,* in hac ætate hominum currente. *Ex omnibus animantibus mundis* (his ad sacrificium vtebantur, ideò nouerant quæ munda, quæ immunda, adhùc enim non erant data in cibum) *tolle septena & septena, masculum, & fæminam,* vt possint pòst diluuium propagari, & crescere; *de animantibus verò immũdis* (hæc ad sacrificium non apta) *duo & duo, masculum, & fæminam* ad effectum generationis. *Sed & de volatilibus septena & septena, masculum, & fæminam,* intellige de mundis, bina de immundis iuxtà præcedentem distinctionem; iàm enim cap. 6. 20. iumenta, & volucres copulauerat, ità vt de omnibus idem iudicium, eademquè dispositio, & ideò infrà cap. 8. 20. tàm de animantibus, quàm volucribus mundis obtulit Noe sacrificium. Sed quomodò intelligenda verba illa *septena & septena?* credo iuxtà verborum proprietatem omnia coniugata, & paria, ità vt par sit numerus, & duplicatus, non autèm dispar; hinc dicta ratio, *vt saluetur semen supèr faciem vniuersæ terræ.* & cap. 8. 18. dicitur crescite, & multiplicamini, &c. postquàm egressa sunt de arca, quod in numero dispari non curreret in totum; hinc sempèr omnia combinata, suprà cap. 9. 19. bina induces, & etiam additum masculini sexus, & fœminini, & vers. 20. bina de omnibus, sic in hoc cap. 7. 2. *tolle septena, & septena, masculum, & fæminam; de animantibus verò immundis duo, & duo masculum, & fæminam,* & ver. 3. *de volatilibus cæli septena, & septena, masculum, & fæminam,* nullibi disparitas, nunquàm masculus solus; ideò non video quomodò alius intellectus concipi possit: sed vers. 8. clariùs. *de animantibus quoquè mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur supèr terram duo, & duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus, & fæmina,* & vers. 15. *ingressa sunt bina, & bina ex omni carne, &c. & quæ ingressa sunt, masculus, & fæmina ex omni carne introierunt,* vndè sempèr habes paritatem adeò claram, vt euitare eam non possis, & propterea septena paria dicenda, non imparia; & quòad hanc paritatem seruauit Deus cùm irrationabilibus, quod cùm hominibus, in quibus eadem paritas seruata, & ad quid quæso imparem numerum dare, si conseruabantur ad semen? Obijcitur impari vsus Noe ad sacrificium. quis reuelauit? dicitur cap. 8. 20. tollens de pecoribus, & volucribus mundis, & sic in plurali, non dicit vnum, in quo solo pluralitas non verificatur, & potiùs credendum bina, prout ex lege Moysis par turturum, aut duos pullos columbarum, cur masculus vnus reseruatus, & oblatus? est diuinare. Sed cur seruatus maior numerus mundorum, quàm immundorum? fortè nedum ob sacrificia, sed etiam proptèr homines post diluuium, quibus esus carnium concessus. Hinc proptèr vsum hominum futurum de mundis, & immundis dictum secundùm Alchuu. interr. 111. in Genes. At potiùs proptèr sacrificia, vt dixi à principio, vel ne cogerentur expectare nouas proles, vel potiùs vt citiùs multiplicarentur ad commodum hominum, & ad sacrificia. Et si fiat discussio quibus animalibus possent vti ad sacrifi-

crificia, regulando omnia ad legem Moysis, apparebit non fuisse in adeò magno numero, vt septena de singulis paria, & combinata dari non possent respectu aliorum immundorum; nàm tunc nulla ratio aliorum aptatur ad esum, qui permissus non erat. *Fecit ergò Noe omnia, quæ mandauerat ei Dominus;* hìnc quomodò coràm Deo ambulabat, & perfectus erat. *Eratquè* Noe *sexcentorum annorum* completorum, *quandò diluuij aquæ inũdauerũt supèr terram. Cumquè transissent septem dies,* intellige ab ingressu arcæ, quem præmiserat. *anno sexcentesimo vitæ Noe* finito, *mense secundo, septimo decimo die mensis;* clarè loquitur sicùt de annis, ità de mense habito respectu ad vitam Noe; vndè vana disputatio quinam mẽsis secundus anni currentis, & quandò mundus conditus. *In articulo diei illius* opportuno *ingressus est Noe;* replicat, quod iàm præmiserat. Collige ex his nedum non creari quicquam de nouo, sed nequè mixta deleuisse Dominum, vt noua recrearet, sed voluisse ex primis fieri multiplicationem. *Cataractæ cæli apertæ.* non dicas aquas, quæ supèr cælos sunt, crystallinum scilicèt, vel alium demissas; nàm ibì mãsuræ consistunt, non deijciendæ in terram, vt Gen. 1. aduerti; sed à cælo aëreo iuxtà solitum pluuiæ in magna abundantia, quæ innuitur verbo *cataractæ*. sic. 4. Reg. 7. vide Riber. Malach. 3. num. 32. 33. reprehendentem secùs tenentes. Caietan. hic. *Opertiquè sunt omnes montes, &c.* non tamèn paradisus terrestris, vel montes in eo situati, vt tenui in Apocalypsi cap. 11. loquitur enìm hìc de montibus in terra existentibus, quam à paradiso distinxit Genes. 2. & 3. *Consumptaquè est omnis caro, &c.* Aliqui autumant libidinem processisse vsquè ad bestialitatem, & propterea animalia cùm hominibus deleta; at non credo hoc vitium tùnc cognitum, certè non consideratum à Deo, qui pœnam hanc fundauit in hominum malitia, cap. 6. & qui cap. 8. 21. dixit, nequaquàm vltrà maledicam terræ, &(adde) contentis in ea, proptèr homines, sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum proni sunt ab adolescentia sua; non igitur vltrà percutiam omnem animam viuentem, sicut feci. *Obtinueruntquè aquæ terram centum quinquaginta diebus.* à die primo dierum quadraginta, quo cœpit pluuia obtinere terram, sicut cœpit aqua decrescere post centum quinquaginta dies infrà cap. 8. vers. 3. nàm quomodò non obtinuerunt aquæ terram per illos primos quadraginta dies, si omnia enecarunt? & si tùnc primo scilicèt die cœpit nomen diluuij, vt in toto cap. antecedenti, & sequenti, & si cœperunt minui post centum quinquaginta dies infrà cap. 8. 3? & sic fit mentio principij augmenti, sed certò id habetur ex hac computatione; nàm *anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis* cœpit diluuium vers. 11. sexcentesimo primo anno eiusdem vitę Noe, primo mense, primo die mensis imminutæ sunt aquæ supèr terram, mense secundo septimo, & vigesimo die mensis arefacta est terra, infrà cap. 8. 13. & 14. & sìc permansit Noè in arca anno vno integro, & decem diebus, in quibus computantur quadraginta dies, ergò ijdem centum quinquaginta computati; cur enìm tùnc deducti ex numero, ad quid? At hoc diluuium non ex naturalibus causis, sed diuina voluntate in pœnam impiorum factum declarat ipse Deus cap. 6. 7. 8. & 9. quo promittit non ampliùs diluuio deleturum genus humanum, quod cùm ex Dei ore habeamus certum, alijs probationibus non egemus.

C A-

CAPVT VIII.

1 RECORDATVS autèm Deus Noe, cunctorumquè ani-
mantium, & omnium iumentorum, quæ erant cùm eo in
arca, adduxit spiritum supèr terram, & imminutæ sunt
2 aquæ.* Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli: &
3 prohibitæ sunt pluuiæ de cælo.* Reuersæquè sunt aquæ de
terra euntes & redeuntes: & cœperunt minui pòst centum
4 quinquaginta dies.* Requieuitquè arca mense septimo,
5 vigesimo septimo die mensis supèr montes Armeniæ.* At verò aquæ ibant & de-
crescebant vsquè ad decimum mensem: decimo enìm mense, prima die mensis,
6 apparuerunt cacumina montium.* Cumquè transissent quadraginta dies, ape-
7 riens Noe fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit coruum:* qui egrediebatur, &
8 non reuertebatur, donèc siccarentur aquæ supèr terram.* Emisit quoquè columbam
9 pòst eum, vt videret si iam cessassent aquæ supèr faciem terræ.* Quæ cùm non
inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam: aquæ enìm erant
supèr vniuersam terram: extenditquè manum, & apprehensam intulit in arcam.
10 * Expectatis autèm vltrà septem diebus alijs, rursùm dimisit columbam ex arca.
11 * At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in
12 ore suo. intellexit ergò Noe quòd cessassent aquæ supèr terram.* Expectauitquè
nihilominus septem alios dies: & emisit columbam, quæ non est reuersa vltrà ad
13 eum.* Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminu-
tæ sunt aquæ supèr terram: & aperiens Noe tectum arcæ, aspexit, viditquè quod
14 exiccata esset superficies terræ.* Mense secundo, septimo & vigesimo die mensis
15 arefacta est terra.* Locutus est autèm Deus ad Noe, dicens:* Egredere de arca,
16 tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum tecum.* Cuncta animan-
17 tia, quæ sunt apud te, ex omni carne, tàm in volatilibus, quàm in bestijs &
vniuersis reptilibus, quæ reptant supèr terram, educ tecum, & ingredimini su-
18 pèr terram: crescite & multiplicamini supèr eam.* Egressus est ergò Noe, & filij
19 eius: vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo.* Sed & omnia animantia,
iumenta, & reptilia quæ reptant supèr terram secundùm genus suum, egressa sunt
20 de arca.* Aedificauit autèm Noe altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus
21 & volucribus mundis, obtulit holocausta supèr altare.* Odoratusquè est Domi-
nus odorem suauitatis, & ait: Nequaquàm vltrà maledicam terræ proptèr ho-
mines: sensus enìm & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescen-
22 tia sua: non igitur vltrà percutiam omnem animam viuentem sicùt feci.* Cun-
ctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, nox &
dies non requiescent.

RE-

RECORDATVS *autèm Deus Noe, cunctorumquè animantium, & omnium iumẽtorum, quæ erant cùm eo in arca*, more humano loquitur, non quòd verè Deus dicatur recordari, qui omnia conseruat,& antè cuius oculos omnia existunt;sed dicitur recordari nostrum Deus iuxtà operationes suas nobis malas,vel proficuas;malas quidem, vt de Babylone Apocal. 18. 5. quoniàm peruenerunt peccata eius vsquè ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius, & Apoc. 16. 19. & Babylon magna venit in memoriam antè Deum dare illi calicem indignationis iræ eius. & 1. Reg. 15.recensui quæcunque fecit Amalech. Dauid in memoriam redeat(Deo)iniquitas patrum eius, & peccatum matris eius non deleatur. Bonas verò,vt hìc,& infrà cap.9.15. & recordabor fœderis mei;& vers.16.Exod. 2. 24. & Daniel. 14. 37. recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Act. 10.4.orationes tuæ,& eleemosinæ tuæ ascẽderunt in memoriam in conspectu Dei; sìc Tobiæ 3. 25. dicuntur exauditæ preces, & orationes in conspectu Dei recitatæ. Ierem. 2.2.Hæc dicit Dominus,recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam,&c. Isa.49.1. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre Matris meæ recordatus est nominis mei; & Domina in cantico,recordatus misericordiæ suæ;*adduxit spiritum*,ventum *supèr terram*, exiccantem, & vrentem; sic & quandò per medium maris duxit populum Exod. 14. & nonnè siccam fundauerunt manus eius,dum eam indigestam ab aqua separauit Genes.1. & Ionæ 2. dicitur Dominus maris, & aridæ, *& imminutæ sunt aquæ*, cœperunt imminui pòst centum quinquaginta dies. *Requieuitquè arca mense septimo,vigesimo septimo die mensis supèr montes Armeniæ*, idest in illa parte,non quòd tangeret terram montium, quia adhùc cacumina montium non apparuerant; & quomodò Noe à montibus illis vsquè ad loca, vbì solebat habitare, ad quæ verisimilitèr descendit, se contulisset, & bona sua,quæ in arca seruauerat,tulisset? & cur tantum grauamen additum? hìnc vacillant quæ fiunt argumenta quot cubitis arca esset profunda intrà aquam. *At verò aquæ, &c. decimo enim mense, prima die mensis apparuerunt cacumina montium*,id vidisse potuit Noe ex fenestra.*Cumquè transissent quadraginta dies* à tempore proximè præmisso *aperiens Noe fenestram arcæ,quam fecerat*, ergò iàm erat ibì fenestra à principio, non fecit eam de nouo, & per illam nõ poterat fieri certus siccitatis, quia aliàs non tentasset scire per coruum,& columbam; *dimisit coruum,qui egrediebatur*,egressus est,*& non reuertebatur*, & non est reuersus, ità vt daret indicium siccitatis,ad quod emissus erat;vel *qui egrediebatur, & donèc siccarentur aquæ supèr terram* non erat reuersurus, ità vt ipse esset nuncius siccitatis terræ; tùnc enìm reuersus est ad suum comparem solum,cùm sit de immundis, alioqui vbì semen? vndè necesse fuit emittere colũbam pòst illum Noe optanti scire quomodò res se haberet; hìnc cognoscitur Noe non potuisse ex coruo deprehendere diluuij perfectam cessationem, non quòd coruus illi obediens non fuerit, cùm Noe, tamquàm Adæ antè peccatum omnia animalia obedierint ex Dei prouidentia,sed non potuit coruus dare notitiam siccitatis,qua de causa missus,proùt nequè columba prima vice, qua emissa fuit. *Emisit quoquè columbam pòst eum*, coruum scilicèt, *vt videret*,cognosceret *si iàm cessassent aquæ supèr faciem terræ;* si enìm coruus redijsset, id nouisset, proùt redeunte prima vice columba cognouit non cessasse,*quæ cùm non inuenisset vbì requiesceret pes eius* in sicco, quia fortè non potuit ad montium cacumina aperta peruenire, cùm non sit magni volatus, proùt coruus, nàm in cacuminibus ob decliue non potuit esse lutum,ità vt ob illud non potuerit requiescere pes eius, quem & in lutosis agris ponit, dum grana sata carpit; *reuersa est ad eum in arcam; aquæ enìm erant* adhùc *supèr vniuersam terram:extenditquè manum,& apprehensam intulit in arcam* in quam fortè per seipsam non poterat ingredi, vel nolebat. *Expectatis autèm vltrà septem diebus alijs,rursùm dimisit columbam ex arca*, vt sciret an cessassent aquæ. *At illa venit ad vesperam*, quo tempore solent in nidis quiescere, *portans ramum oliuæ* siccum ab aqua *virentibus folijs in ore suo;*gratior

tior columba, quàm coruus; propterea emisit columbam, quæ ad nidum suum solet reuerti, ictus ex non reditu corui, *intellexit ergò Noe quòd cessassent aquæ supèr terram*, *expectauitquè nihilominùs septem alios dies*, *& emisit columbam*, *quæ non est reuersa vltrà ad eum*, in arcam scilicèt; non tamèn quòd absquè compari suo abierit. De coruo etsi ad comparem reuersus, nulla alia mentio, quia de illo in primis verbis satisfecit, & quia assumpta columba in nuntium siccitatis, ideò de illa sola verba habita coruo omisso; At vbi mansit coruus extrà arcam? vel supèr illa, vel in montium cacuminibus apparentibus, in quibus & arbores, seù arbusculi solent extare; hæc enim diluuium non consumpserat, quod constat ex oliua seruata ex scriptura, de alijs incerti: & hoc verisimilius quàm quod sisterit supèr cadaueribus, cùm non esset adhùc carniuorum. *Et aperiẽs Noe tectum arcæ*, ergò ex fenestra non poterat videre an siccata esset superficies terræ, & arefacta penitùs subsequentibus diebus; Vndè diluuium durauit spatio vnius anni, & decem, vel vndecim dierum ab ingressu vsquè ad exitum, ex arca *aspexit*, *viditquè quòd exiccata esset superficies terræ*, *&c. Locutus est autèm Deus ad Noe, dicens: Egredere de arca, tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia, &c. educ tecum*, *& ingredimini supèr terram*, sicùt Deo iubente ingressus, ità eodem iubente egressus ex arca, & sic saluæ factæ sunt octo animæ, vitæ. iuxtà Petrum 1. cap. 3. & intellige de vita corporali, non spirituali, proùt audiui aliquos dicere; ideò enim Petrus dicit de arca, in qua pauci, idest octo animæ saluæ factæ sunt, & per aquam; hæc enim verba ad spiritualitatem non accomodantur, sed ad corporalia. Imò nullus posset affirmare illas octo animas spiritualitèr saluas fuisse, quia scriptura non aperit, & nos ignoramus quis odio dignus, vel amore; Potiùs nouimus Cham vnum ex illis octo in filio suo Chanaan maledictum à Noe ob facinus in eum patratum; & hanc opinionem, quæ fuit Perrerij, improbat Cornelius à lapide Genes. 6. vers. 5. ex Hyeronimo, & Ruperto. Tãtò minùs dicere possumus illas solas octo animas, & non alias adultorum saluas fuisse, quia Christus assimilans diem Iudicij diebus Noe, dicit in die iudicij vnus assumetur, & alius relinquetur. Matth. 24. 37. Luc. 17. 20. & Deus dixit Eliæ se solum superstitem cogitanti; seruaui mihi septem millia, &c. & in dubio præsumenda potiùs salus animæ, quàm damnatio. Nec quia obruti aquis omnes, ideò de omnibus æquè sentiendum malè; imò contrarium, vt in simili Christus Luc. 13. de Galilæis occisis, & casu turris Siloe; & habemus de Iosia bono occiso, & alijs, quos alibì cõgessi, & pro peccato vnius sæpè Deus corporalitèr punit populũ, vt in Achã, & Gabaitis, & alijs, de quibus alibì scripsi. Prætereà multi Patres tenent aliòs adultos tùnc saluos factos, quos hìc refert Perrer. & Abul. 2. Reg. 17. 9. 22. qui tenet multos in diluuio, incendio Sodomitico, submersione Aegyptiorum saluari potuisse, quia nõ erant in actu peccati, proùt Achitophel, Iudas, Saul. Sed quia Perrerius tractat locum illum Pauli, cùm multa dixerim in eo loco, agam tantùm hìc an descenderit Christus in anima ad locum damnatorum; nonnullis præmissis, quę rem magis dilucidant. Dicit Apostolus Petrus in 1. Epist. cap. 3. vers. 9. exhortando fideles ad patientiam: *Non reddentes malum pro malo, &c.* & vers. 14. *Sed & si quid patimini proptèr iustitiam beati*, vers. 15. *Dominum autèm Christum sanctificate in cordibus vestris, parati sempèr ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe. Sed cùm modestia, & timore, conscientiam habentes bonam:* quasi, non in fastu, non in superbia; *vt in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* Poterant autèm dicere: quarè nobis rectè agentibus hæc mala? respõdet vers. 17. *Meliùs est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes*, & quia hoc poterat eis videri arduum, ab exemplo Christi eos mouet, *quia & Christus* nedum alios sibi improperantes sustinuit, proùt vos suadeo, sed, quod plus est, *semèl* (semèl autèm cuiquè mors) *pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis*, non pro se, non ad sui vtilitatem, proùt vos facientes quæ iubeo: sed *vt nos* peccatores à peccato mundatos *offerret Deo*, quem morte sua placauit;

sic

sìc in eadem Epist.cap.2.19.& seqq.eisdem verbis, & exemplo monuerat. Poterant autèm dicere: si sìc defecit,quodnã præmium recepit, vt exemplo illius moueamur? subdit: ***mortificatus quidem carne***,dixi mortuũ, sed intelligo in carne, quia desijt anima informare corpus, ***viuificatus autèm spiritu***, quia illicò anima tota apparuit beata (etsi enìm beata erat, tamèn tegebat beatitudinem, non sinebat illam egredi, vt posset pati)& hoc illicò pòst mortem,& deindè quia resurrexit, ascendit, & ad dexteram Dei sedet, quod infrà explicat. At quomodò id probas Petre? subdit: ***In quo*** spiritu,seù anima beata ***& his, qui in carcere erant*** inferni, indè nunquàm exituris, ***spiritibus***, animabus damnatis ***veniens*** (hoc dicit motum,ergò in anima) ***prædicauit***, exprobrando eorum incredulitatem: hinc subdit: ***qui increduli fuerant aliquandò***, (dicit tempus, non quòd mutati sint,aliàs non aptabatur eis exprobratoria prædicatio, præsertìm quia aut in limbo Patrum salui fuissent, aut in purgatorio, quod inuerisimile à tempore Noe vsquè ad descensum Christi ad inferos,)***quandò expectabant Dei patientiã in diebus Noe, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, idest, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Quod & vos nunc similes formæ***(quia in aqua)***saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium***:hæc enim non coinquinant hominem, ***sed conscientiæ bonæ interrogatio*** (eccè quò pertingunt verba superiora, ***conscientiam habentes bonam) in Deum***, coràm Deo, qui falli non potest, verè ergò, non fictè, ***per resurrectionem Iesu Christi***,qui resurrexit proptèr iustificationem nostram. Rom.4. in fin. sed quomodò id operabitur ipse? dicit: ***qui***, Christus,***est in dextera Dei***,gloriosus. quomodò id fecit,vel acquisiuit?***deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur***, vt saluaremur,quod & cap.2.vers.24. dixerat: ipse enìm saluum faciet populum à peccatis eorum, dixit Angelus, & hoc per mortem: tùnc enìm deleuit, & affixit cruci chirographum, quod contrà nos erat. Coloss.2. ***profectus*** pòst mortem, & resurrectionem ***in cælum,subiectis sibi Angelis,& potestatibus, & virtutibus***: omnes enìm choros transcendit: Philipp. 2. exemplo ergò isto, quo apparet Christum passum, glorificatum,moueamini. Vndè cap.4.subdit. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, &c.

Ex verbis illis, ***In quo,&c.*** Christũ etiàm ad infernum damnatorum in anima penetrasse,tenent Athanasius in Epist.ad Epictetum.Damasc. de fid. ortodox. lib.3.cap.29. de descensu Christi ad inferos. Bellarminus de anima Christi lib.4. quæst. 16. qui refert D.Bonauenturam,& alios plures.Et est conueniens, vt sicùt dum introductus fuit in mundum, dictum fuit: & adorent eum omnes Angeli Dei.Hebr.1.& adorauerunt ipsi, & homines in terra:ità dæmones,& damnati in inferno, vt omne genu flecteretur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteretur, quia ipse est Dominus Iesus Christus, Philip.2. præsertìm quia dæmones nunquàm eum cognouerant in mundo,vt tenui in Euangelijs. Et hùc trahi possunt verba Pauli Coloss.2.15.expoliãs principatus, & potestates eorum dominio, quo in terris vtebantur, non Patribus in limbo detentis, qui sub eorum imperio non detinebantur, sed Dei: traduxit, arguit, exprobrauit confidentèr illos. Nùnc iudicium est mundi, nùnc princeps huius mundi eijcietur foràs: hinc pòst mortem ligatus satanas in inferno. Apocal.20 palàm,apertè ostendens se illis Deum in carne assumpta,quibus antè se occultauerat, sìc triumphans illos in semetipso,per semetipsum, more triumphantium,qui captiuos antè se præmittebant:vndè dici potest eos præmisisse in tartarum antequàm illùc descenderet exprobraturus, quomodò cecidisti Lucifer?&c. Isa.14.

Secundò,quid incõgruit dicere, omnium Dominum regem constitutum in cælo, & in terra penetrasse ad id, quod suum est: non enìm indè ipse quicquam mali recepturus, vel maculam contracturus erat intèr mortuos liber,vt probat Bellarm.

Tertiò, si quà Deus cælum,& terram implet, & sic etiàm tartarum, quid inconuenit dicere etiàm in anima illùc penetrasse?

Quartò,ex verbis Petri: nàm cùm loquatur de anima Christi à corpore separata,nec possit intelligi prædicatio illius nisi in exprobrationem contrà damnatos, quæ non

procedebat contrà saluos, & vt etiàm cognosceretur, & per animam id faciendum esset, cùm dicat: *in quo;* &, *veniens*, quæ dicunt identitatem, & motum, quæ in diuinitate non quadrant, profectò alius intellectus non aptabitur, vel alij erunt mystici à litterali distantes, proùt ille, quòd per Noe prædicauerit tùnc hominibus illius ætatis: nàm quomodò possit accomodari, non video: hìc enìm de anima Christi, ibì de diuinitate sola, quia tùnc nondum incarnatus: ibì hominibus viuentibus, hic animabus separatis: ibì in mundo, hìc in inferis: ibì per Noe, hìc per Christum: hic pòst mortem Christi, ibì eo nondum incarnato. Poterat Christus in limbo Patrum stans in anima hęc facere, sed voluit præsens in inferno in anima per transennam hoc operari, sicùt poterat sua inspiratione sola Paulum conuertere; at placuit sibi visibilis ei apparere in mundo, è cęlo descendens, & sic illum trahere.

Quintò, facit textus Eccl. 24. 45. quem allegat Bellarm. & priùs S. Thom. in opere de symbolo.

Sextò, Paulus Ephes. 4. 9. Quod autèm ascendit, quid est nisi, quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?

Septimò, & Abraham exprobrauit diuiti in inferno existenti: fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, quibus malè vsus es, & Lazarus similitèr mala, quæ patientèr tulit, nunc autèm hic consolatur, tu verò cruciaris, &c. Luc. 16.

Ad hanc quæst. vide S. Thom. quæst. 52. 3. par. & ibì Soarez. Lorin. in 1. Pet. cap. 3. Barrad. in Euang. de descensu Christi ad inferos. lib. 7. tom. 3. cap. 25. pag. 381. col. 2. Perrer. hic Patres allegantem, & scripta per me in d. Epist. Petri cap. 3. opinionem affirmatiuam tenet Hyeron. Daniel. 3. circà fin. *crescite, & multiplicamini supèr eam*, terram. hoc dictum Noe, filijs, & omnibus animalibus, vt ex littera clarè; hæc enim verba omnia præcedentia nominata comprehendunt. *Aedificauit autèm Noe altare Domino;* prima erectio altaris nominata in scriptura, quamuis verisimile sit alios antè sacrificantes altari vsos, à quibus Noe acceperit, & illi à Deo, & eodem credendum vsos alios successores, & præsertìm Melchisedech, de quo cap. 14. dixi Hebr. 7. *Et tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mūdis obtulit holocausta supèr altare;* sic omnes Antiqui sacrificantes animalia litabant sacrificium cruentum Domini Nostri Iesu Christi in cruce præsignificantes. *Odoratusquè est Dominus odorem suauitatis*, suauem, sibi gratum in oblatione holocausti illius animum gratum Noe declarantis, *& ait* placatus sacrificio, & magìs eo (quem repræsentabat) Agno occiso ab origine mundi, vt tutos redderet homines, & ne vilescerent quasi omni hora interimendi, *nequaquàm vltrà maledicam terræ* vniuersalitèr, vt omnia destruam, prout nunc feci *proptèr homines* malos; qui me ad tantam pœnæ acerbitatem commouerunt eorum malitia; *sensus enim*, appetitus sensitiuus, *& cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, à die qua sunt doli capaces; *non igitur vltrà percutiam omnem animam viuentem, sicùt feci* nunc proptèr eos, considerabo imposterum figmentum eorum, at *cunctis diebus terræ*, dum erit tempus Apoc. 10. 7. quo terra stabit in hoc statu (nàm in fine omnis creatura renouanda) *sementis, & messis*, in quibus homines ad labores vacant; *frigus, & æstus, æstas, & hiems, nox, & dies non requiescent*, successiua erunt tempora, non aquea, non luctuosa, prout hoc anno diluuij, poterunt sempèr homines operibus suis vacare; dabo pluuias serotinas, & matutinas, tempora variabuntur, suum cursum ordinarium peragent, prout antè diluuium.

CAPVT IX.

1 BENEDIXITQVE Deus Noe, & filijs eius. Et
dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replete ter-
2 ram. * Et terror vester, ac tremor sit supèr cuncta anima-
lia terræ, & supèr omnes volucres cæli, cùm vniuersis quæ
mouentur supèr terram: omnes pisces maris manui vestræ
3 traditi sunt. * Et omne, quod mouetur & viuit, erit vo-
bis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.
4 * Excepto, quòd carnem cùm sanguine non comedetis. * Sanguinem enìm anima-
5 rum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis,
6 de manu viri, & fratris eius requiram animam hominis. * Quicumque effude-
rit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippè Dei fa-
7 ctus est homo. * Vos autèm crescite & multiplicamini, & ingredimini supèr ter-
8 ram, & implete eam. * Hæc quoquè dixit Deus ad Noe, & ad filios eius cùm
9 eo: * Eccè ego statuam pactum meum vobiscum, & cùm semine vestro pòst vos:
10 * & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum tàm in volucribus, quàm
in iumentis & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, & vniuersis
11 bestijs terræ. * Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquàm vltrà inter-
ficietur omnis caro aquis diluuij, nequè erit deinceps diluuium dissipans terram.
12 * Dixitquè Deus: Hoc signum fœderis quod do intèr me & vos, & ad omnem
13 animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. * Arcum
meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis intèr me, & intèr terram.
14 * Cumquè obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: * & recor-
15 dabor fœderis mei vobiscum, & cùm omni anima viuente quæ carnem vegetat:
16 & non erunt vltrà aquæ diluuij ad delendum vniuersam carnem. * Eritquè ar-
cus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum
est intèr Deum, & omnem animam viuentem vniuersæ carnis, quæ est supèr
17 terram. * Dixitquè Deus ad Noe: Hoc erit signum fœderis, quod constitui intèr
18 me, & omnem carnem supèr terram. * Erant ergò filij Noe, qui egressi sunt de
19 arca, Sem, Cham, & Iapheth: porrò Cham ipse est pater Chanaan. * Tres isti
filij sunt Noe: & ab his disseminatum est omne genus hominum supèr vniuer-
20 sam terram. * Cœpitquè Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vi-
21 neam. * Bibensquè vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo. * Quod
22 cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicèt patris sui esse nudata, nun-
23 ciauit duobus fratribus suis forás. * At verò Sem, & Iapheth pallium imposue-
runt humeris suis, & incedentes retrorsùm, operuerunt verenda patris sui: fa-
24 ciesquè eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt. * Euigilans autèm
25 Noe ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, * ait: Maledictus
26 Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. * Dixitquè: Benedictus Dominus

27 *Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. * Dilatet Deus Iaphet, & habitet in taber-*
28 *naculis Sem, sitquè Chanaan seruus eius. * Vixit autèm Noe pòst diluuium tre-*
29 *centis quinquaginta annis * Et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quin-*
quaginta annorum: & mortuus est.

BENEDIXITQVE *Deus Noe, & filij eius* ad prolificandum, & ideò *dixit ad eos: crescite, & multiplicamini, & replete terram*, innouat his verba Adamo dicta, & Euæ, *& terror vester, ac timor sit supèr cuncta animalia*. Genes. 1. dictum dominamini, nunc *terror vester sit supèr cuncta animalia, &c* mutata sors ob peccatum; & sic adhuc viget; *& omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia*, (quibus antè diluuium vtebamini) *tradidi vobis omnia* scilicèt, quæ mouentur, & viuunt. Sed an antè diluuium homines vescerentur carnibus essetquè permissus illarum vsus? & non videtur; nàm Genes. 2. 28. Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur supèr terram; dominium igitùr datur supèr his, non permissio esus. Sed clariùs, quia subijcit versiculus vigesimus secundus, quòad esum. eccè dedi vobis omnem herbam afferentem semen supèr terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omniquè volucri cæli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescēdum; si enìm hæc in escam nedum homini, sed animalibus, quomodò animalia in escam data, de quibus & suprà de dominio, & hìc coniuncta cùm homine? & vnum includens censetur alium innominatum excludere. Itèm Genes. 2. 9. dùm de paradiso agitur, dicitur: produxitquè Dominus Deus de humo omne lignū pulchrum visu, & ad vescendum suaue, quasi vescibilia in his constarent, non in alijs; Itèm vers. 16. præcipit Deus: de omni ligno paradisi comede, de ligno autèm scientiæ boni, & mali ne comedas; si enìm animalia in escam, aliquid dixisset, imò adduxit ad Adam cuncta animantia ad nomina imponenda, & imposuit, & nihil de cibo. vers. 19. & 20. Itèm si permissus esus carnium, serpens tentans Euam aliquam mentionem fecisset eorum in sua propositione Genes. 3. 1. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi? & mulier: de fructu lignorum vescimur, &c. Itèm si cùm lignis, & oleribus Deus permisisset carnes, verisimiliùs Deus erat prohibiturus esum alicuius animalis gratioris quouis pomo, quàm lignum; cùm autèm lignum exceperit, credendum animalia non comprehensa. Itèm si tùnc permisisset, dedisset exceptionem sanguinis, prout hìc; at de illa nullibì antè hoc tempus, ergò nequè permissio carnium. Itèm si esus animalium permissus, non se texissent folijs ficus, sed pellibus animalium Eua, & Adam peccantes, imò indiguerunt Deo, qui illos vestibus pelliceis vestiuit. Genes. 3. 21. Præcereà vbi prouisio in arca pro carniuoris? Vltimò hic pòst diluuium Deus permittit esum animalium, quasi olera virentia, ergò antè non permiserat, tùm quia id videtur beneficij gratia factum, quod non fuisset, si priùs licuisset, tùm quia permissum vno tempore, censetur antè illud non permissum; tùm quia addit *quasi olera virentia*, innuens illa primò concessa, & illis carnes subrogare. Vnum tantùm obstat, oblatio Abelis primogenitorum gregis sui, & de adipibus eorum, quasi si non erant carnes in escam, cùr hæc dicta? respondeo Moysem loqui iuxtà tempus, quo scribebat, & illius reputationem; Vel etiàm de illo tempore magis æstimata pinguia, quàm macilenta, tùm quia primis homines magis delectari, quàm secundis potuerunt; oculis enìm prima magis placent, quàm secunda; ideò prima gratiora, & etiàm pinguium pelles, quæ tùnc vsui erant pro vestibus erāt meliores, quàm macilentorum. Prætereà, cur & de illo tempore munda magis, quàm immunda oblata? Genes. 8. 21. vltrà quòd ex hoc argumento præsumptiuo non potest elici permissio. Insupèr

supèr cognitiò boni sufficit absquè vsu, vt pinguia magis grata, quàm macilenta. & vltimò omnia tolli ex prædictis, quibus clarè constat nullam permissionem carnium esus præcessisse antè diluuium; Hinc nō puto procedere opinionem Sanctij, quòd Gigantes antè diluuium humanis, & animalium carnibus vescerētur, quia nullibì dictum in scriptura. Vide eum Thren. 2. 61. Actor. 15. 28. *excepto quòd carnem cùm sanguine non comedetis*, quòd sempèr Hebræi seruarunt, & adhùc seruant, & in concilio Hierosolymitano primo Act. 15. prohibitus fuit esus suffocatorum, & sāguinis, fortè habito respectu ad cædes hominum tùnc intèr gentes frequentes, prout ad peccatum idololatriæ, & carnis, quibus etiàm prouiderunt; at hęc non figurata locutio, ità vt prohibeatur homicidium, sed vera de esu vero carnium animalium absquè sanguine; de effusione enìm sanguinis subdit in sequentibus clarè: cauit id Deus, qui vidit Cain fudisse sanguinē Abel, ideò ne cogitarent quidem homines de sanguine humano fundendo, ad quòd viderat eos à dæmone trahi, prohibuit esum sanguinis animalium, & ad eundem scopum apponit pœnam bestijs, & hominibus hominem occidentibus. De bestijs quidèm non placet intellectus Sanctij Actor. 15. 29. permissum esse esum carnium Noe, dummodò non cùm sanguine, quasi priùs à feris comederentur carnes cùm sanguine. Nàm illud est præceptum, seù limitatio concessionis rationabilitèr facta, nequè vllo modo inferri potest ex his verbis priùs carnes comedi cùm sanguine, nequè de hoc vllibi, vndè diuinat, *sanguinem enìm animarum vestrarū*, quasi in eo resideat anima, cùm illo effuso ea diuidatur à corpore, *requiram de manu cunctarum bestiarum;* homo enìm est adeò cordi mihi, vt bestijs non concesserim illius occisionem, sed & in illas agam, vt Exod. 21. 28. ità vt velit dicere, sicuti nolo vos edere sanguinem bestiarum, sic nequè bestias vestrum humanum effundere, aliòquin sanguinem vestrum de manu illarum requiram, idquè seruit ad timorem excutiendum ab hominibus ab aggressu bestiarum; de hominibus verò, *& de manu hominis, de manu viri, & fratris eius* proximi *requiram animam*, vitam *hominis*, prout requisiuit de Abel à Cain: quomodò autèm requirere intendat, seù castigare aperit ex pœna apposita: *quicunque* siuè homo, siuè bestia *effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius* per Iudices, hæc est pœna talionis, sic Dauid executus est contrà armigerum occidentem Saulem etiàm petentem, & volentem, 2. Reg. 1. 15. & in Rechab, & Baana fratres occidentes in dolo Isboseth. 3. Reg. 4. 12. & milliès habetur in scriptura, & id non videatur acerbum, imò est conforme dignitati hominis, *ad imaginem quippè Dei factus est homo*, quam imaginem violat occisor; sic Christus in simili arcens homines à scandalo pusillorum. Matth. 18. 10. dicebat: Angeli eorum, sub quorum custodia sunt, sempèr vident faciem patris mei, qui in cælis est; & vers. 14. non est voluntas patris mei, vt pereat vnus de pusillis istis. *Vos autèm crescite, & multiplicamini, & ingredimini supèr terram, & implete eam.* repetit quæ iàm dixerat pòst inhibitam cædem, nedum vos cædibus incumbite, sed propagationi. *Hæc quoquè dixit Deus ad Noe, & ad filios eius cùm eo* existentes, ne dicerent: frustrà multiplicabimus, si diluuio pergis mūdum perdere: *Eccè ego statuam*, stabiliam, firmabo, obseruabo *pactum meum*, promissionem meam, de qua suprà cap. 8. 21. *vobiscum*, dum viuetis, *& cùm semine vestro pòst vos* singulis generationibus, *& ad omnem, &c. & nequaquàm vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij, nequè erit deincèps* vltrà *diluuium dissipans terram*, sicùt promisi, *& hoc signum fœderis*, pacti, *quod do intèr me, & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum, &c.* vsquè ad vers. 18. qui iàm pluriès apparuerat vnà cùm pluuijs; loquitur enim tamquàm de noto, & iàm condito; Deus enìm pòst primam creationem nihil noui creauit, quòd si fecisset, diceretur de arcu Iridis; tùnc ergò extabat, sed in signum nunc datus, ex quo fortè voluit intelligere cùm cælū versus respiciat, imposterum cælestem personam mittendam ad sanandum mundum, ad cælumquè respiciendum, vnde remedia prouentura; de hoc pacto Isa. cap. 54. *Erant ergò filij Noe, qui egressi sunt de arca Sem, Cham, & Iaphet:*

porrò Cham ipse est pater Chanaan, hoc præmittit, vt sciamus in quem directa maledictio. *Tres isti filij sunt Noe, & ab his disseminatum est omne genus hominũ supèr vniuersam terram*, ità vt Noe ampliùs non generante, à tribus pòst diluuium origo aliorum processerit, non autèm ab vno, prout primò factum in Adamo. Hinc verba *crescite, & multiplicamini* non comprehenderant Noe, qui non prolificauit, fortè quia Deus voluit ex solis tribus filijs genus humanum propagari. Vel hinc fortè continentia illius, quæ reddit verisimilem primam vsquè ad annos quingentos ætatis suæ; etsi (quamuis non genuerit) potuerit cognoscere vxorem, quòd tamèn ignoramus. *Cœpitquè Noe*, quasi dicat illicò ab exitu arcæ, *vir agricola exercere terram*, & serere quæ ad humanum victum erant necessaria; sic enim præsumendum, etsi textus non dicat, *& plantauit vineam*, vites, seù labruscas vniendo in vnum, & vinum ex vuis exprimendo; agit enim clarè de hac, narraturus quæ illius occasione notanda contigerunt; *Bibensquè vinum inebriatus est*, à sensibus alienus redditus, *& nudatus in tabernaculo suo*, intrà domum, seù thalamum; *quòd cùm vidisset Cham*, pro quo expresso non potest dici Chanaan, *verenda scilicèt Patris sui esse nudata*, nedum non auertit oculos, sed temerè, & inurbanè agẽs, & patrem suum inhonorans, & despiciens *nunciauit duobus fratribus suis foràs*, quasi inuitans eos ad conspiciendum patrem sic nudatum inuerecundè; *at verò Sem, & Iaphet* prudentes, & iusti, quos frater non contaminauit, *pallium imposuerũt humeris suis, & incedentes retrorsùm*, castitate indicibili vtentes *operuerunt verenda patris sui, faciesquè eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt*; & sic obsequium patri præstiterunt absquè vllo rubore. Aduerte, non potest dici Noe inebriatum, idest ad satietatem ex vino sumpsisse, quæ interpretatio pluriès habetur in scriptura; nàm ex nuditate apparet verè ebrium fuisse, aliòqui non fuisset nudatus, nec mentio nuditatis fieret, & insensibilis, seù profundi somni, ex quo nec sensit filios eum cooperientes; non tamèn puto peccasse, quia ignorabat vini virtutem; vndè nec posteà legitur ebrius postquàm sciuit. *Euigilans autèm Noe* à somno *ex vino* contracto quasi alter Adam soporatus, *cùm didicisset* à Sem, & Iaphet (præbuit enim occasionem interrogandi cooperimentum supèr eo positum, non quòd filij vltrò accusauerint Cham) *quæ fecerat ei filius suus minor*; minor non ætate, quia erat secundogenitus; talis vbiquè in scriptura, hìc, suprà 5. in fin. 6. 7. infrà 10. 1. Paralip. 1. 1. & sic præcedebat Iaphet, sed ex eius prædictione in semine minorãdus; vel minor respectu Sem; nàm minimus Iaphet, *ait*: *Maledictus Chanaan*, idest Cham *seruus seruorum*, quasi infimus intèr seruos, prout Abigail, vt lauem pedes seruorum Domini mei, *erit fratribus suis*, Sem, & Iaphet, prout explicat infrà; hìnc initium seruitutis ex peccato, quàm legistæ ex iure gentium natam dicunt malè. Dixi Chanaan pro Cham; Primò quia verisimilitèr tùnc Chanaan non erat natus, nàm illicò post egressum arcæ plantata vinea, & suo tempore vinum recollectum, quod tempus non vidit Chanaan natum, qui est quartus filius Cham, infrà cap. 10. 7. 1. Paralip. 1. 8. & in nondum natum non censetur maledictionem intorsisse. Secundò, quia dicit: *erit seruus fratribus suis*, & hæc verba non aptantur Chanaan illorum nepoti, non fratri, at rectè Cham. Et si dicis ex scriptura sub verbo *fratres* veniunt omnes cognati; nego hoc de illo tempore, quo nondum multiplicatum genus humanum, & dico verba propriè capienda, quandò id fieri potest. Tertiò quia si Chanaan tùnc natus fuisset, non erat primogenitus; vndè cur potiùs in Chanaan, quàm in alios filios Cham maledictio coniecta? Et cur etiàm in alios, cùm nihil peccassent, & si nati erant, essent infantes sinè dolo? cur filij pro patre puniendi? & ab auo? & per maledictionem? Sed hæc omnia sic adducta, vt veritas magis elucescat, nutant, ex verbis præmissis vers. 18. porrò Cham ipse est pater Chanaan; vndè in Chanaan propriè directus sermo. At cur in Chanaan, vel nõdum natum, vel quartum filium iàm natum, quòd puto verius, innocentem? Si dicis, quia iàm Cham à Deo benedictus vers. 1. ideò non potuit maledici, & maledictio in Chanaan reiecta, in quem descendisset à patre, si is potuisset maledici, seù in seruitu-

uitutem tradi;filij enim sequuntur conditionem patris, sed non placet. Primò, quia benedictio Dei continebatur in suis terminis quatenùs bonus perseueraret; at ex noua culpa poterat maledici,& puniri. Secundò, cur filius pati debuit pro patre? cur potiùs Chanaan,quàm alij filij? in summa non tollitur obiectum. Si dicis in Chanaan maledicto voluit patrem affligere, prout in puero Dauidem; maior enim afflictio in patre ex ærumnis filij, quàm proprijs; at hoc est falsum;nàm sublatis à diabolo Iob omnibus filijs petijt à Deo,vt posset in eius vitam agere,dicens: pellem pro pelle,& vniuersa, quæ habet homo, dabit pro anima sua, aliòquin mitte,&c. Iob.1.& 2. Charitas enim prima incipit à seipso; Vndè Ezechias præmonitus de malis superuenturis filijs eius, dixit: bonus sermo Domini, quem loquutus es, sit pax,& veritas in diebus meis.4.Reg.20.19. & Dominus volens exhilarare Achab humiliatum de malis ei prædictis, dixit: non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius; sic & cùm Salomone,verumtamē indiebus tuis non faciam proptèr Dauid patrem tuum, de manu filij tui scindam illud,&c. 3. Reg. 11. 12. Et si hoc intendisset ad inferendum maiorem dolorem,potiùs vxor eius maledicenda,quæ præfertur filijs.Genes.2.proptèr hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna; vndè Elcana dicebat Annæ consolans eam sterilem;numquid non melior tibi sum, quàm decèm filij? 1.Reg.1.9. sed nec tollitur dubium cur pro patre filium;id enim inconuenit vnum pro alterius delicto prægrauari. Si dicis Chanaan maledictus,quia hæres malitiæ paternæ; at tùnc vel non natus, vel infans, in quem hoc cadere non potuit, nisi prophetiam velis. Quarè omnibus deficientibus, cùm nec etiàm possit teneri Noe vnum ex nepotibus innocentibus pro filio peccante grauari voluisse, prout solet Deus visitans peccata patrum in tertiam, & quartam generationem,dicendum est, Noe non maledixisse,absit enim hoc à viro iusto; non enim iusti maledicunt, vel imprecantur, sed prophetasse pòst vigiliam à vino quid futurum erat ex sobole suorum filiorum, Chanaan scilicèt,seù eius sobolem Chananæam ab eo dictam infrà cap.10.18. fore maledicendam, & subiugandam à sobole Sem, ex quo Hebræi, qui Chananæos debellarunt, & eiecerunt, & in seruitutem redegerunt,& sic illos futuros seruos fratrum suorum, qui tùnc extiterunt natorum ex Sem, & Iaphet; sic solent maledictiones, & imprecationes Sanctorum ad prophetias, seù ventura mala cominata trahi, prout pluriès in Psalmis, & vbique in scriptura; sic concordatur, quod opponebam de fratribus; sic parum curandum vel de natiuitate, vel de infantia Chanaan,vel eius innocētia, quia hæc omnia ad eius posteros idololatras;non ad ipsum vltimū ex quattuor filijs Cham nōdum natum, si computes ex Arphaxad nato ex Sem biennio pòst diluuium, infrà cap.11. vers.10. sic componitur quod præmisit de Cham Patre Chanaan,& alia omnia:sic ex sopore iniecto euigilans Adam prophetauit. suprà Genes. 2.23.sic Iacob.Genes.49.Ioseph Genes.50. 23.Moyses Deuter.33. & hanc prophetiam Noe compleuit, & declarauit Isaac. Genes. 27.40. Viues in gladio, & fratri tuo seruies, tempusquè veniet cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis, quandò gentilitas vocata. *Dixitquè: Benedictus Dominus Deus Sem*, qui verus, qui Sem multiplicabit, extollet; *sit Chanaan seruus eius* tempore suo, vt suprà. *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem*,coniunctus sit illi; sic enim magis fructificabit, & exaltabitur,quia concordia paruæ etiàm res crescūt, vel spiritualitèr intelligendo,vt maceria eiecta vnus fiat populus, & vnum ouile, & vna Ecclesia fidelis, *sitquè Chanaan seruus eius. Vixit autèm Noe pòst diluuiū trecentis quinquaginta annis* absquè alia prole. *Et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum*, vt posset posteros instruere, præsertìm de spectantibus ad cultum Dei, & de his, quæ antè diluuium, *& mortuus est.* in Domino,cui placuit.

C A-

CAPVT X.

1 HAE ſunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Ia-
2 pheth: natiquè ſunt eis filij pòſt diluuium.* Filij Iapheth:
Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Tubal,
3 & Moſoch, & Thiras.* Porrò filij Gomer: Aſcenez, &
4 Riphath, & Thogorma.* Filij autèm Iauan: Eliſa, &
5 Tharſis, Cetthim, & Dodanim.* Ab his diuiſæ ſunt in-
ſulæ gentium in regionibus ſuis, vnuſquiſque ſecundùm
6 linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis.* Filij autèm Cham: Chus,
7 & Meſraim, & Phuth, & Chanaan.* Filij Chus: Saba, & Heuila, & Sa-
8 batha, & Regma, & Sabatacha. Filij Regma: Saba, & Dadan.* Porrò
9 Chus genuit Nemrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra,* & erat robuſtus venator
coràm Domino. Ob hoc exiuit prouerbium: Quaſi Nemrod robuſtus venator co-
10 ràm Domino.* Fuit autèm principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad,
11 & Chalanne, in terra Sennaar.* De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit
12 Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale.* Reſen quoquè intèr Niniuen, & Cha-
13 le: hæc eſt ciuitas magna.* At verò Meſraim genuit Ludim, & Anamim,
14 & Laabim, Nephthuim,* & Phetruſim, & Chaſluim: de quibus egreſſi ſunt
15 Philiſtijm, & Caphtorim.* Chanaan autèm genuit Sidonem, primogenitum
16 ſuum, Hethæum,* & Iebuſæum, & Amorrhæum, Gergeſæum,* Heuæum,
17 & Aracæum: Sinæum,* & Aradium, Samaræum, & Amathæum: & poſt-
18 hæc diſſeminati ſunt populi Chananæorum.* Factiquè ſunt termini Chanaan ve-
19 nientibus à Sidone Geraram, donèc ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, &
20 Adamam, & Seboim vſquè Leſa.* Hi ſunt filij Cham in cognationibus, &
21 linguis, & generationibus, terriſquè & gentibus ſuis.* De Sem quoquè nati ſunt,
22 patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore.* Filij Sem: Aelam, &
23 Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.* Filij Aram: Vs, & Hul, & Ge-
24 ther, & Mes.* At verò Arphaxad genuit Sale, de quo ortus eſt Heber.* Na-
25 tiquè ſunt Heber filij duo: nomen vni Phaleg, eo quòd in diebus eius diuiſa ſit
26 terra: & nomen fratris eius Iectan.* Qui Iectan genuit Elmodad, & Saleph,
27 & Aſarmoth, Iare,* & Aduram, & Vzal, & Decla,* & Ebal, & Abi-
28 mael, Saba,* & Ophir, & Heuila, & Iobab omnes iſti, filij Iectan.* Et
29 facta eſt habitatio eorum de Meſſa pergentibus, vſquè Sephar montem orienta-
30 lem.* Iſti filij Sem ſecundùm cognationes & linguas, & regiones in gentibus ſuis.
31 * Hæ familiæ Noe iuxtà populos & nationes ſuas. Ab his diuiſæ ſunt gentes in
32 terra pòſt diluuium.

HAE

HAE *sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Iaphet, natique sunt eis filij pòst diluuium*; si & Noe alij filij nati essent pòst diluuium, diceretur, prout de filijs eius. *Filij Iapheth*. Sed cur à Iapheth incipit? elegantiæ causa aliquandò fit; potuit & esse, quia Sem pro vltimo dimittebat, cùm quo iungendus Abraham, & populus Dei, & ne sumeret medium qui erat Cham, postquàm primum dimittebat, congruum censuit ab vltimo Iapheth incipere. *Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundùm linguam suam, & familias suas in nationibus suis*. hæc per præoccupationem dicuntur, facta pòst linguarum diuisionem, de qua cap. seq. *Porrò Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra*, ad alios subiugandos, prout de Gigantibus suprà cap 6. 4. Dominium rerum de iure naturali esse, vult Abul. 1. Paral. 29. q. 10. *& erat robustus venator* ferarum *coràm Domino* verè, & excellentèr; *ob hoc exiuit prouerbium*, vt volentes dicere aliquem excellentem venatorem, *quasi Nemrod robustus venator coràm Domino*. *Fuit autèm principium regni eius Babylon, &c.* non ergò Nabuchodonosor ædificator, vel Semiramis, sed si amplificatores, primus verò Nèbrod. Vide Perrer. Daniel. 4. *in Sannaar.* hoc per præoccupationem; nàm præcessit diuisio linguarum. *De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuen, &c.* hic diuersus ab Assur posito sub Sem; non enìm bis poneretur hoc nomen, si non essent diuersi, & non ponerentur sub duobus principijs: *hæc est ciuitas magna*, idest Niniue, Ionæ. 2. non Resen, aut Chale. *Chanaan autèm, &c.* Et pòst hæc disseminati sunt populi Chananæorum, qui Iudæis seruierunt iuxtà prædictionem Noe. *De Sem quoquè nati sunt, patre omnium filiorum Heber fratre Iapheth maiore.* hoc dicit, ne præponendo, prout fecit, cognationes Iapheth, putares hunc Iapheth maiorem, Sem minorem. *Ab his, de quibus egit, diuisæ sunt gentes in terra pòst diluuium.* Ab Heber non descendisse denominationem Hebræorum, sed ab Abraham transituri, seù transfluuiali. tenui Ion. 1. vbi Ribera latè. Vide suprà Genes. 14. Ios. 24.

CAPVT XI.

1 *ERAT autèm terra labij vnius, & sermonum eorundem.*
2 ** Cumquè proficiscerentur de oriente, inuenerunt campum*
3 *in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. * Dixitquè al-*
ter ad proximum suum: Venite faciamus lateres, & co-
quamus eos igni. Habueruntquè lateres pro saxis, & bi-
4 *tumen pro cæmento: * & dixerunt: Venite, faciamus no-*
bis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cæ-
lum, & celebremus nomen nostrum antequàm diuidamur in vniuersas terras.
5 *Descendit autèm Dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quàm ædificabant*
6 *filij Adam, * & dixit: Eccè, vnus est populus, & vnum labium omnibus: cæ-*
peruntquè hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donèc eas opere compleant.
7 ** Venite igitur, descendamus, & confundamus ibì linguam eorum, vt non au-*
8 *diat vnusquisque vocem proximi sui. * Atquè ità diuisit eos Dominus ex illo lo-*
9 *co in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. * Et idcircò vocatum*
est nomen eius Babel, quia ibì confusum est labium vniuersæ terræ: & indè di-
10 *spersit eos Dominus supèr faciem cunctarum regionum. * Hæ sunt generationes*
Sem:

Sem: Sem erat centum annorum, quandò genuit Arphaxad, biennio pòst dilu-
11 *uium.* * *Vixitquè Sem postquàm genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit*
12 *filios & filias.* * *Porrò Arphaxad vixit triginta annis, & genuit Sale.* * *Vixit-*
13 *què Arphaxad postquàm genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios &*
14 *filias.* * *Sale quoquè vixit triginta annis, & genuit Heber.* * *Vixitquè Sale*
15 *postquàm genuit Heber, quadringentis tribus annis: & genuit filios & filias.*
16 * *Vixit autèm Heber triginta quattuor annis, & genuit Phaleg.* * *Et vixit He-*
17 *ber postquàm genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios & fi-*
18 *lias.* * *Vixit quoquè Phaleg triginta annis, & genuit Reu.* * *Vixitquè Phaleg*
19 *postquàm genuit Reu, ducentis nouem annis, & genuit filios & filias.* * *Vixit*
20 *autèm Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug.* * *Vixit quoquè Reu post-*
21 *quàm genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios & filias.* * *Vixit ve-*
22 *rò Sarug triginta annis, & genuit Nachor.* * *Vixitquè Sarug postquàm genuit*
23 *Nachor, ducentis annis: & genuit filios & filias.* * *Vixit autèm Nachor vigin-*
24 *tinouem annis, & genuit Thare.* * *Vixitquè Nachor postquàm genuit Thare, cen-*
25 *tum decem & nouem annis: & genuit filios & filias.* * *Vixitquè Thare septua-*
26 *ginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran.* * *Hæ sunt autèm gene-*
27 *rationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran genuit*
28 *Lot.* * *Mortuusquè est Aran antè Thare patrem suum, in terra natiuitatis sua*
29 *in Ur Chaldæorum.* * *Duxerunt autèm Abram, & Nachor vxores: nomen*
vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran patris
30 *Melchæ, & patris Ieschæ.* * *Erat autèm Sarai sterilis, nec habebat liberos.* * *Tu-*
31 *lit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran. filium filij sui, &*
Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum,
vt irent in terram Chanaan: veneruntquè vsque Haran, & habitauerunt ibi.
32 * *Et facti sunt dies Thare ducētorū quinque annorum, & mortuus est in Haran.*

ERAT *autèm terra labij vnius, & sermonum eorumdem*, linguæ hebrææ. hoc præmittit, vt posteà dicat confusionem. *Cumquè proficiscerentur de oriente*, de parte orientali, *inuenerunt campum in terra Sennaar* latissimum, spatiosum, *& habitauerunt in eo*, constituerunt ibi sedes. *Dixitquè alter* inuentor huius rei *ad proximum suum*, postquàm diù habitauerant ibi: *Venite, faciamus lateres*, vel quia muri lateritij magis vniti, vel quia in ea regione non aderant saxa. *& coquamus eos igni* (eccè quàm diuturnus is mos ædificandi) *habueruntquè lateres pro saxis*, vsi sunt lateribus pro saxis, *& bitumen pro cæmento* coagulans ædificia, *& dixerunt* vnanimitèr: *venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum* aereum, *& celebremus nomen nostrum*; superbiæ igitur, & fastus causa, non diluuij euadendi, *antequàm diuidamur in vniuersas terras*, seù regiones, is magnæ superbiæ actus; sic Saul erexit sibi fornicem triumphalem. 1. Reg. 15. 12. Absalom erexerat sibi titulum, dicens: hoc erit monimentum nominis mei. 2. Reg. 18. 18. sic Iosephus, & Azarias, faciamus & ipsi nobis nomen, in Machabæis. Sed quod rem reddit claram, quia Deus eos acerbè puniuit; ideò in hac congregatione non erat Noe, nequè alij boni Deo placentes, & coràm Deo ambulantes, & ex hoc ruit opinio omnes homines in Sennaar conuenisse; nàm si in absentibus pri-

prima lingua remansit, potuerunt vniri cùm his, quibus in eodem loco lingua remanserat. *Descendit autèm Dominus*; sic describitur more humano, & ne putent homines Deum quasi ignarum iudicare; sic & cùm Adam, Cain, Sodomis, cùm aliòqui omnia sint antè oculos eius præsentia, *vt videret ciuitatem, & turrim, quàm ædificabant filij Adam*, homines; *& dixit* quasi consultans: (hæc ad nostrum captum) *Ecce vnus est populus* congregatus, *& vnum labium omnibus*, vna omnibus lingua, *cæperuntquè hoc facere* quod videmus, *nec desistent à cogitationibus suis* iàm cœptis, *donèc eas opere compleant*, perficiant; sic & suprà cap. 6 5. & cap. 8. 21. *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum* vnicam, *vt non audiat*, intelligat *vnusquisque vocem proximi sui*. puto describi Sanctissimam Trinitatem, tres personas diuinas intèr se colloquentes, non Angelos, quia inducuntur quasi intèr se consilium capientes; prout & Gen. 1. 26. faciamus hominem, &c. & cap. 3. 22. eccè Adam quasi vnus ex nobis factus est, &c. *Atquè ità dimisit eos Dominus ex illo loco* Sennaar *in vniuersas terras*, nunc ministerio Angelorum spirituum administratoriorũ. Hebr. 1. postquàm Sanctissimam Trinitatem deliberantem ad captum nostrum expressit. Angeli enim non vocantur in partem consilij, sed executio eis demandatur. sic 3. Reg. 22. 20. quis decipiet Achab, &c. sic adstantes describuntur vbiquè in Apocalyp. & Isa. 6. Raphael de se. Tob. 12. 15. & Gabriel Luc. 1. 19. *& cessauerunt* confusi *ædificare ciuitatem*, & turrim, *& idcircò vocatum est nomen eius* ciuitatis *Babel*, confusio, *quia ibi confusum est labium*, confusa lingua *vniuersæ terræ* omnium hominum, *& indè dispersit eos Dominus supèr faciem cunctarum regionum* mundi. *Hæ sunt generationes Sem*. ad hunc aspiciebat Moyses: ex hac genealogia apparet vltrà 120. annos protractas hominum ætates; & ideò cap. 6. annos centum viginti ad diluuium pertinere, vt ibi dictum. *Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran genuit Lot*. Lot ergò erat nepos Abraæ ex fratre, *mortuusquè est*, præmortuus est *Aran ante Thare patrem suum* (hoc præmittit, ne miremur, si Lot sequutus est auum Thare, & Abram patruum) *in terra natiuitatis suæ, in Vr Chaldæorum* (eccè quomodò excluditur quòd Abram liberatus fuerit ab igne, cùm Vr non ignis, sed ciuitas) *Duxerunt autèm Abram, & Nachor vxores; nomen vxoris Abram, Sarai, & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran* præmortui *patris* ipsius *Melchæ, & patris Iescha*; idest Sarai binomiæ, de alia enim non potest intelligi, cùm de amborum vxoribus iunctim agat; *Erat autèm Sarai sterilis, nec habebat liberos*, præmittit eius conditionem de illa pariente dicturus. *Tulit itaquè Thare* (id dicit per præoccupationem non rediturus ad eũdem Thare; nàm priùs præcessit iussio Dei facta Abram, de qua c. seq.) audito præcepto Dei facto Abram de migrando, hinc bonitas animi Thare, qui non curauit mutare sedem, quod solet hominibus, maximè senibus originali regioni diù assuetis esse ingratissimum, & durissimum: dulcis amor patriæ; *Abram filium suum, & Lot filium Aran filium filij sui* prædefuncti, *& Sarai nurum suam vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr* ciuitate *Chaldæorũ* (dimisso Nachor, & Melcha, qui fortè noluerunt transmigrare) *vt irent in terram Chanaan* iuxtà imperium Domini, hoc dictum per anticipationem; nàm Abram ignorabat quò eundum sibi. infrà cap. 12. Act. 7. Hebr. 11. 8. *veneruntquè vsquè Aram*, seù Charran, *& habitauerunt ibi*, Thare vsquè ad mortẽ; Abram, & Lot aliquot diebus: Sed cur Thare mutat sedem? non enim dictum sibi de egressu, sed Abraæ filio, & cur remanet in Aram, nec procedit in Chanaan vnà cùm filio, & nepote? non proptèr famem, vel aliud simile, sed puto vel ab Abram indè eductũ, vel ægrè tulisse separari ab Abram, & Lot, noluisse tamèn petere Chanaan, fortè ex odio & maleuolentia intèr illos, & Chaldæos intercedentibus, vel ne in senectute peregrinaretur, & in sedes incertas, & fortè impotens; dixit enìm Deus Abraæ cap. 12. in terram, quam monstrabo tibi, sic & Actor. 7. Hebr. 11. 8. non autèm quia præuentus morte ad terrã Chanaan descendere non potuerit; id enìm nullibi habetur, nec habet vllam præsumptionem, cùm diù ibi habitauerit, vt hic in fin. cap. 11. sed sistisse in Aram ex locorum vicinita-

nita-

nitate, filium, & nepotem, quos deperibat, sæpè reuisurus, quibus & dederat in mandatis, vt sæpiùs ad eum visurum reuerterentur. Vel fortè antè egressum ex Vr ab Abram fuit edoctus viam Dei, & monitus recedere ab idololatria, à qua cùm recessisset, noluit in eodem loco permanere, in quo poterat facilè ad eamdem reuerti, præsertim Abram & hoc suggerente, estquè id admodùm verisimile, quia si hoc non fuisset, potiùs Nachori sibi simili idololatræ, quàm Abram seruo Dei hæsisset, in habentibus enim symbolum facilis transitus, seù adhæsio. Puto etiàm Abram egisse cùm Thare, vt & Lot duceretur, timens ne si in Vr dimitteretur, contaminaretur idololatria, imò ne in Vr reuerteretur, illum secum duxisse in peregrinationem; Deus enim nullam mentionem fecerat Lot, nequè supèr Lot quicquam fabricatũ, nisi quod proptèr Abram ei prouisum in incẽdio Sodomitico, & alijs. Dicta per Achior Iudith 5.6. non aptantur Thare, ità vt excludatur ipse, vt numquàm fuerit idololatra, sed Abræ. Verba Achior sunt: populus iste ex progenie Chaldæorum est, hic primùm in Mesopotamia habitauit, quoniàm noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum; deserentes itaquè ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant, vnum Deum cęli coluerunt, qui & præcepit eis, vt exirent indè, & habitarent in Charan. Verba enim (quoniàm noluerũt sequi Deos patrum suorum) non aptantur Thare, cùm de alijs idololatris præcedentibus non constet, & verba (*qui & præcepit eis, vt exirent indè, &c.*) minùs aptantur Thare, cui Dominus non præcepit egressum, sed Abræ dum esset in Mesopotamia. Genes. 12. Iosue 24. Actor. 7.2. Hebr. 11.5. Exod. 6.3. Vndè ex his verbis Achior non potest teneri Thare idololatriæ nunquàm hæsisse, sed Abram tantùm, & fortè & Lot. At hoc redditur clarum ex Iosue 24.2. Hæc dicit Dominus Deus Israel. trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abram, & Nachor, seruieruntquè Dijs alienis, eccè quàm perspicuè de idololatria Thare, & in Mesopotamia, non in Charan, in qua, credendum Deo soli seruiuisse ex iàm dictis, & quomodò ex verbis Achior nõ potest Thare excludi, sed Abram ex sequentibus. Tuli ergò Patrem vestrum Abram de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan, &c. Et non est credendum fundatos omnes credentes in fide Abram idololatræ, & Deus seruauit sibi tempore Eliæ (quod & fortè sempèr) septem millia, qui non curuauerant genua antè Baal; sic de Gedeone fideli habitante cùm Ioas patre suo idololatra. Iudi. 6. & ibì Theod. & Serrar. sed & hoc de Abram sempèr fideli videtur innui. Eccles. 24.20. & Deus non assumpsisset idololatram ad tantum onus, & exemplum. Sed cur Abram nominatur vnà cùm Nachor etiàm in Iosue? quia numerat genealogiam, non tamèn comprehendens Abram in idololatria; nàm verba, ***Patres vestri, & Thare*** referuntur ad verba ***seruierunt Dijs alienis***, non Abram, & Nachor, & si de Nachor non ambigendum & illum in idololatriam lapsum, cùm remanserit in Chaldæa, nec sequutus fuerit Thare, Abram, & Lot, & quia filius suus Laban Dijs seruiebat; præsumitur enim sequutum esse mores paternos. Aduerte etiàm ex verbis Iudith. 5.7. quoniàm noluerunt sequi Deos patrum suorum, non probari eos quicquam molestiæ passos esse; id enim est diuinare, & certi sumus Abram mutasse sedes Domino imperante, non ob aliquas molestias, idquè etiàm non habetur Iosue 24. nequè Actor. 7. ***Et facti sunt dies vitæ Thare ducentorum quinquè annorum, & mortuus est in Haran.*** quod & habetur Act. 7. & tùnc Abrã, & Lot tulerunt vniuersam substantiam, quam possederãt, vt c. seq. Vide ad hoc c. circà Abram, quę scripsi Act. 7. & Heb. 11. Cur nulla hìc mentio Cainan ab Arphaxad, prout in septuaginta, & in Luca c 4.? placet magis illa opinio fuisse ab aliquo superadditũ septuaginta, & Lucę hoc nomen Cainan notũ in scriptura Gen. 5. nàm nedũ habemus. Arphaxad genuit Sale. Gen. 10.24. non Cainan, & 1. Paral. 1.18. sed & in Cronologia hoc c. 11. vers. 12. ***Porrò Arphaxad vixit 35. annis, & genuit Sale, vixitquè Arphaxad, postquã genuit Sale 303. annis***, ità vt si interponas Cainan, & dicas: Arphaxad genuit Cainã, & Cainã Sale, Cronologia nutabit, nec patitur vllã accõmodationẽ, & sic neq. septuaginta, neq. S. Lucæ vlla fit iniuria.

C A-

CAPVT XII.

1 DIXIT autèm Dominus ad Abram: Egredere de terra
tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & ve-
2 ni in terram, quam monstrabo tibi. * Faciamquè te in
gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo no-
3 men tuum, erisquè benedictus. * Benedicam benedicenti-
bus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atquè IN
4 TE benedicentur vniuersæ cognationes terræ. * Egressus
est itaquè Abram, sicùt præceperat ei Dominus, & iuit cùm eo Lot: septuaginta
5 quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Haran. * Tulitquè Sarai
vxorem suam, & Lot filium fratris sui, vniuersamquè substantiam, quam pos-
sederant, & animas, quas fecerant in Haran: & egressi sunt vt irent in ter-
6 ram Chanaan. Cumquè venissent in eam, * pertransiuit Abram terram vsquè
ad locum Sichem, vsquè ad conuallem illustrem: Chananæus autèm tùnc erat in
7 terra. * Apparuit autèm Dominus Abram, & dixit ei: Semini tuo dabo terram
8 hanc. Qui ædificauit ibì altare Domino, qui apparuerat ei. * Et indè transgre-
diens ad montem, qui erat contrà orientem Bethel, tetendit ibì tabernaculum
suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificauit quoquè ibì al-
9 tare Domino, & inuocauit nomen eius. * Perrexitquè Abram vadens, & vl-
10 trà progrediens ad meridiem. * Facta est autèm fames in terra: descenditquè
Abram in Aegyptum, vt peregrinaretur ibì: præualuerat enim fames in terra.
11 * Cumquè propè esset, vt ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai vxori suæ: Noui
12 quòd pulchra sis mulier: * & quòd cùm viderint te Aegyptij, dicturi sunt: Vxor
13 ipsius est: & interficient me, & te reseruabunt. * Dic ergò, obsecro te, quòd so-
ror mea sis: vt benè sit mihi proptèr te, & viuat anima mea ob gratiam tui.
14 * Cùm itaquè ingressus esset Abram Aegyptum, viderunt Aegyptij mulierem quod
15 esset pulchra nimis. * Et nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam
16 apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis. * Abram verò benè vsi
sunt propter illam: Fueruntquè ei oues & boues, & asini, & serui, & famulæ,
17 & asinæ, & cameli. * Flagellauit autèm Dominus Pharaonem plagis maximis,
18 & domum eius proptèr Sarai vxorem Abram. * Vocauitquè Pharao Abram,
& dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quarè non indicasti quod vxor
19 tua esset. * Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in
20 vxorem? Nunc igitur eccè coniux tua, accipe eam, & vade. * Præcepitquè
Pharao supèr Abram viris: & deduxerunt eum, & vxorem illius, & omnia
quæ habebat.

DIXIT autèm Dominus ad Abram in vigilia per Angelum, quia eius consensus requirebatur, quod obseruaui in Euãgelijs in Ioseph. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* hoc cadebat sub fine præcedentis capitis, vt dixi, sed quia voluit perficere omnia dicenda supèr Thare, propterea hùc distulit hanc iussionem egressus nedum de terra sua idolòlatria contaminata, sed & de cognatione sua similitèr infecta, & de domo Patris sui idòla adorante; cùm enim Deus exprimat hæc singula, denotantur omnia peruersa, & à Deo aliena, idòlisquè dedita; hincquè verum est paruam moram traxisse Abram cùm Thare patre suo in Charan, quia & à domo patris sui iubebatur egredi; necnon Thare fuisse idolòlatriæ labe infectum, quia aliàs nõ exprimeretur clarè, *& de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi*, non ergò ostendit tùnc, prout neque montem, in quo sacrificaturus Isaac; vndè maior obediẽtia Abræ, & fiducia in Deo. Et si dicis aliud significari ex verbis præcedentis cap. vt irent in terram Chanaan; respondeo illud dictum per pręoccupationem, & pòst factum à Moyse scriptum; non autèm quòd constaret Abræ descendenti quò eundum, cùm clara sint verba, *quam monstrabo tibi*, & Paulus Heb. 11.8. & exijt nesciens quò iret, & Actor. 7. Vel non fuit dictum in qua parte terræ Chanaan sedem figeret. Et hinc est, quòd Thare secum non duxit, ne senex incertis sedibus vagaretur, vel quia è domo patris sui discedere iussus; & nutat quod dicitur Abram non habuisse mandatum egrediendi nisi pòst mortẽ patris; nàm mors patris per præoccupationem dicta, & si fuisset mortuus, dictũ ei esset de domo propria, non patris tui; id etiàm clarè habetur. Act. 7. 2. Deus glorię apparuit patri nostro Abrahę cùm esset in Mesopotamia priusquàm moraretur in Charan, & dixit ad illum: exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi; tùnc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan, & indè postquã mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nùnc vos habitatis, quid clarius dici poterat? sic Iosue 24.3. tuli ergò patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus; & tùnc viuebat pater suprà Genes. 11. in fin. sic Iudith. 5.9. hic primùm in Mesopotamia habitauit, &c. qui & præcepit eis, vt exirent indè, & habitarent in Charan, hoc autèm factum Thare viuo. Gen. 11. in fin. *Faciamquè te in gentem magnam*, multiplicabo te, *& benedicam tibi*, vt multipliceris, *& magnificabo nomen tuum*, exaltabo te; quòd negauit superbis volentibus celebrare nomen suum, concedit vltrò humili Abræ; *erisquè benedictus*. sic multiplicaberis verè, non euanescet quod dico, & ne timeas in hac tua peregrinatione, *benedicam*, fouebo, protegam, *benedicentibus tibi*, benefactoribus tuis, *& maledicam maledicẽtibus tibi*; sic Christus dum mittebat Apòstolos, & discipulos; quod euenit in Pharaone subtrahente, deindè restituente Saram, vt infrà, & in Abimelech. cap. 20. *atquè in te*, & semine tuo Christo *benedicentur*, multiplicabuntur, dilatabuntur *vniuersæ cognationes terræ*, quarum credentium diceris pater. Roman. 5. *Egressus est itaquè Abram, sicut præceperat ei Dominus, & iuit cùm eo Lot* fortè Dei cultor, & ne immergeretur in idolòlatria; *iuit* vel vltrò, vel potiùs ab Abram ductus: non dicas adoptatus; nàm aliqua portio relinquenda adoptato, non à se separandus, obstat & generatio Isaac, quam Deus prænoscens non permisisset adoptionem. *Septuagintaquinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Haran*, in quem locum cùm patre Thare descenderat. cap. 11. in fin. *tulitquè Sarai vxorem suam, & Lot filium fratris sui, vniuersamquè substãtiam* mobilem, *quam possederant, & animas*, seruos, ancillas, sic infrà cap. 14. 22. da mihi animas, cætera tolle tibi; nõ potest intelligi de filijs, qui neque Abræ, neque Lot erant, *quas fecerant*, emerant, obtinuerant *in Haran*; ideò tercentum decem, & octo vernaculis liberat Lot. Genes. 14. *& egressi sunt, vt irent in terram Chanaan*, nescientes tamèn vbi sistendum: describit iter Abram, ex quo conficitur somnium esse, quòd in Damasco regnauerit. *Cumquè venissent in eam*, terram Chanaan, *pertransiuit Abram terram vsquè ad*

locum

locum Sichem, quem euerterunt posteà filij Iacob, *vsquè ad conuallem illustrem*, claram, famosam. *Chananaus autèm tùnc erat in terra* illa; nondum enìm completę erant iniquitates eorum, vt indè eijcerentur. Gen. 15. 16. *Apparuit autèm Dominus Abram* per Angelum suum in somnis, quia hìc consensus non requirebatur, *& dixit ei: Semini tuo*, non tibi; non enìm dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis. Acto. 7. 5. sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius pòst ipsum, cùm non haberet filium; *dabo terram hanc*, quam calcas, *qui ædificauit ibì altare Domino, qui apparuerat ei*, ex gratitudine animi, eccè quomodò altaribus vtebantur antè Melchisedech, *& indè transgrediens ad montem, qui erat contrà orientem Bethel, tetendit ibì tabernaculum suum* more peregrini, in casulis habitando. Hebr. 11. 9. *ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai*. designat locũ, in quo figit sedem. *ædificauit quoquè ibì altare Domino, & inuocauit nomen eius* per sacrificia ibì oblata. *perrexitquè* in sua peregrinatione *Abram vadens, & vltrà progrediẽs ad meridiem* (designat iter Abræ, qui suo exemplo gẽtes barbaras ad Dei cultum transferret) *Facta est autèm fames in terra* Chanaan, *descẽditquè Abram in Aegyptum* tùnc abundantiorem, *vt peregrinaretur ibì*, non diù mansurus, nequè sedem fixurus, quia stabat præceptum Dei de habitando in Chanaan, *praualuerat enìm fames in terra* Chanaan; aperit necessitatem illùc eundi, & simùl tentationem, & angustias viri iusti; *Cumquè propè esset vt ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai vxori suæ* ex magna prudentia: *noui quòd pulchra sis mulier, & quòd cùm viderint te Aegyptij dicturi sint: vxor ipsius est, & interficient me* (hìc timor mortis omnibus tremendus) *& te reseruabunt* abutendam. *Dic ergò, obsecro te, quòd soror mea sis*, prout es; non enìm persuadebat mendacium, nec aliud expiscandum, quià pressus necessitate famis Aegyptum petere cogebatur, nonvalens ereptioni, seù raptui illius alitèr prouidere, prouidit hoc modo absquè peccato, cætera Deo dimisit, cum enìm vrgeret fames, quam bis scriptura repetit. *Facta est autèm fames interra, prçualuerat enìm fames in terra*, & Aegyptus esset ferax, non Chaldæa, seù Mesopotamia, Aegyptum petijt; hinc non in Chaldæam, sed in Agyptum ob famem ductus & Iacob cùm suis: audiens autèm Iacob, quòd alimenta venderentur in Aegypto. Genes. 42. & seqq. vndè non expediebat regredi in Chaldæam; ideò cùm necessitate famis illùc adierit, nihil ei potest imputari; fami enìm prouidẽdum erat, quæ extabat, cætera, quæ esse, & non esse poterant, minimè attendenda; Vndè non possumus dicere periculo mortis, & impudicitiæ vxoris se committere vllo modo debuisse; nàm præferenda fuit prouisio famis certa his incertis. Prætereà non poterat prudentiùs se gerere etiàm in his duobus incertis, quia quin Sarai abuterẽtur inuita Aegyptij, si voluissent, euitare non poterat: periclitabatur vita eius, si vxor eius deprehensa esset, & eo mortuo, eò magìs pudicitia Sarai; huic prouidet, non mendacio, sed taciturnitate veritatis; quò verò ad pudicitiam Sarai, incertus erat an tentaretur ad hoc, & si tentaretur, nouerat eius constantiam, & numquàm peccato consensuram, vel alteri coniugio; & si vi cognita foret, nullam contrahi maculam, vt dixit S. Lucia, sed quod omnem aufert suspicionem, nouerat se ex Dei imperio peregrinari, Deum dixisse benedicturum benedicẽtibus ei, maledicturum maledicentibus ei, se sub Dei esse protectione, illumquè non passurum in seruo suo tantam ignominiam, & hac fiducia intrepidus ibat, consulens tamèn his, quæ modo humano transigi poterant; Vndè nedum hi non peccarunt, seù peccato se exposuerunt, sed omnia prudentèr egerunt. Quòd si addas Domino iubente Aegyptum penetrasse, non erraueris; quem enim Deus è solo paterno abstraxerat, & peregrinum in terra aliena fecerat, cui totiès apparuerat, non est credendum in hac calamitate famis eum deseruisse, imò iussisse quò illi eũdum, & tùnc nulla macula imputari ei poterit. *Vt benè sit mihi proptèr te*, quæ amaberis ab illis, *& viuat anima mea ob gratiam tui*, & viuam proptèr te sic dicentem. *Cùm itaquè ingressus esset Abram Aegyptum, viderunt Aegyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis, & nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum*, dic etiàm asserentes eam sororẽ esse, non vxorem Abra-

hæ; *& sublata est mulier in domum Pharaonis*;omnia ad Reges deferuntur. *Abram verò benè vsi sunt propter illam*, vt ipse prædixerat. *Fueruntquè ei oues,& boues,& Asini, & serui,& famulæ,& Asinæ,& Cameli*; vndè factum in parte quod dixerat Deus,*erisquè benedictus*. *Flagellauit autèm Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius proptèr Sarai vxorem Abram*.iterum factum quod dixit Deus:*maledicam maledicentibus tibi; vocauitquè Pharao Abram, & dixit ei*, admonitus à Domino,& vexatione ad se reductus,nō per Sacerdotes,quia diuinare est, & Deo nihilominùs tribueretur;non per Saram, quia à viro edocta erat, vt se sororem, non vxorem diceret, nec illa contrauenisset, *quidnàm est hoc,quod fecisti mihi?quarè non indicasti, quòd vxor tua esset? quam ob causam dixisti esse sororem tuam*, vt sic credens *tollerem eam mihi in vxorem?* quasi cur exposuisti me huic periculo, vt alienā vxorem eriperem ex tuo mendacio? *nunc igitur eccè coniux tua*, intacta, quia Deus præseruauit eam, non autèm quia Reges differrēt huiusmodi concubitus, prout in Assuero; nàm ex diuersis non infertur,& in Assuero alia ratio, quia habebat infinitas expectantes vocari à Rege, & textus præseruationem hanc Saræ innuit.Primò dicens illud tantùm,*& sublata est mulier in domum Pharaonis*; si enìm tetigisset eam, expressum esset. Secundò,quia dicitur,*Flagellauit autèm Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius proptèr Sarai vxorem Abrā*; si enìm vltrà abductionem ad domum,aliud fecisset Pharao, Scriptura diceret:stat ergò in primis terminis abductionis,& Pharao flagellatus vltrà non est progressus ex scriptura.Tertio,*vocauit Pharao* Abram,& nullam excusationem fecit secum supèr cognitione Sarai, quam ex ignorantia colorare poterat,sed *quidnam est hoc, quod fecisti mihi? quarè non indicasti, quòd vxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem?* non quòd iàm in vxorem assumpsisset, quia nec Sarai consensura, sed voluntatem illam in vxorem assumendi patefacit; ideò quia nec receperat adhùc in vxorem, sequitur ex scriptura fateri Pharaonem illam non cognouisse. Quartò, si Sarai permisisset se cognosci, non egisset tantam curam Pharao securitatis illius,Abrahæ,& suorū;eam enim fortè despexisset prout Amnon Thamar. Quintò, sufficere poterat protectio Dei, sub qua erat Abram, etsi scriptura non dixisset; non enìm credēdum permisisse Deum Abrā suum sic vilipēdi.Sextò,& quomodò Abram benè vsi essēt,si Sarai violassent?Septimò,si cognita fuisset Sarai à Rege, & Abrā scisset, quia Reges habent in se ipsos omnium oculos conuersos; vndè vsquè ad Ioab peruenit adulterium Dauid. 2.Reg.11.& tùnc aut illā non rectis oculis respexisset adulterio consentientem,& non repugnantem,aut eodem modo vsus non esset in Geraris, si cùm Pharaone res malè cessisset,cùm autèm neutrum sequutum fuerit, idquè ex scriptura constet, ex eadem igitur constat de seruata pudicitia Sarai etiàm à Pharaone;nec vis intercedere potuit ex parte Pharaonis intendentis eam habere vxorem.Cùm autèm ex scriptura habeamus Sarai à Pharaone non fuisse cognitam, frustrà inuestigamus rationes, cur hìc non expresserit,cū satìs id præstiterit ex prædictis. & si c.20.in Abimelech clarè dixit,id nihil est, quia diuersimodè se gerit Spiritus sanctus in scripturis suis, imò ex clariori facto Abimelech arguamus eādem protectionem habuisse Deum supèr Abram, & Sarai in Pharaone;vna enìm scriptura declarat aliam,& vnum factum aliud; nec alio modo potest dici in Abimelech clarè dictum, quia Isaac expectabatur; nàm scriptura. Gen. 21. clarè dicit:visitauit autèm Dominus Saram, sicùt promiserat, & impleuit quæ loquutus est,concepitquè & peperit filium in senectute sua tempore,quo prædixerat ei Deus,vocauitquè Abraham nomē filij, quem genuit ei Sara,Isaac,&c. *Accipe eam,& vade*, recede. *Præcepitquè Pharao supèr Abram viris, & deduxerunt eum,& vxorem illius,& omnia,quæ habebat* tuta. timuit Pharao virum, cognito sub protectione Dei eum esse,quod Deus illi significauit. Sed quomodò Deus procrastinatus est subuenire pudicitiæ Sarai quādò nullū videbatur adesse remediū?id facit Deus,vt eò magis ab eius potētia cognoscamus auxiliū;sic cū Dauid à Saule vallato; sic cū Susāna ad patibulū ducta,sic cū egressis ex Aegypto à Pharaone, & suis persequ.

C A-

CAPVT XIII.

1 *ASCENDIT ergò Abram de Ægypto, ipse & vxor eius,*
& omnia, quæ habebat, & Lot cùm eo ad australem pla-
2 *gam. * Erat autèm diues valdè in possessione auri, & ar-*
3 *genti. * Reuersusquè est per iter, quo venerat, à meridie*
in Bethel vsquè ad locum, vbì priùs fixerat tabernacu-
4 *lum intèr Bethel, & Hai: * in loco altaris, quod fecerat*
5 *priùs, & inuocauit ibì nomen Domini. * Sed & Lot, qui*
6 *erat cùm Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula. * Nec po-*
terat eos capere terra, vt habitarent simùl: Erat quippè substantia eorum mul-
7 *ta, & nequibant habitare communitèr. * Vndè & facta est rixa intèr pastores*
gregum Abram, & Lot. Eo autèm tempore Chananæus, & Pherezæus habita-
8 *bant in terra illa. * Dixit ergò Abram ad Lot: Ne quæso sit iurgium intèr me, &*
9 *te, & intèr pastores meos, & pastores tuos: fratres enìm sumus. * Eccè vniuer-*
sa terra coràm te est: recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram te-
10 *bo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. * Eleuatis itaquè Lot oculis,*
vidit omnem circà regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequàm sub-
uerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicùt paradisus Domini, & sicùt
11 *Ægyptus venientibus in Segor. * Elegitquè sibi Lot regionem circà Iordanem, &*
12 *recessit ab Oriente: diuisiquè sunt alterutrum à fratre suo. * Abram habitauit in*
terra Chanaan: Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circà Iordanem, &
13 *habitauit in Sodomis. * Homines autèm Sodomitæ pessimi erant, & peccatores*
14 *coràm Domino nimis. * Dixitquè Dominus ad Abram, postquàm diuisus est ab*
eo Lot: Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem & me-
15 *ridiem, ad orientem & occidentem. * Omnem terram, quam conspicis, tibi da-*
16 *bo, & semini tuo vsquè in sempiternum. * Faciamquè semen tuum sicùt pulue-*
rem terræ: si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoquè tuum
17 *numerare poterit. * Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudi-*
18 *ne sua: quia tibi daturus sum eam. * Mouens igitur tabernaculum suum Abram,*
venit & habitauit iuxtà conuallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificauitquè
ibì altare Domino.

ASCENDIT ergò Abram de Aegypto sic expulsus à Rege Pharaone, vt suprà, *ipse & vxor eius, & omnia, quæ habebat, & Lot cùm eo ad Australem plagam. Erat autèm diues valdè in possessione auri, & argenti;* eccè Domini benedictio, & quomodò spoliauerat Aegyptios; *Reuersusquè est per iter, quo venerat,* quo descenderat in Aegyptum *à meridie in Bethel vsquè ad locum, vbì priùs fixerat tabernaculum intèr Betbel, & Hai: in loco altaris, quod fecerat priùs, & inuocauit ibì nomen Domini,* sacrificium obtulit; *Sed & Lot, qui erat cùm Abram,* quasi ob illum hæc ei essent, *fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula; nec poterat eos capere terra,* in qua degebant, *vt habitarent simùl* ob pascuorum

paucitatem. *Erat quippè substantia eorum multa, & nequibant habitare communitèr.* hæc præmittit, vt sciamus cur ab inuicèm discesserint. *Vndè & facta est rixa intèr pastores gregum Abram, & Lot,* fortè ob pascua. *Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa.* hoc dicit, ne putaremus vel solos ibi Abram, & Lot habitasse, vel terram illam fuisse sub eorum dominio, cùm nec passum pedis habuerit Abrã. Act. 7. *Dixit ergò Abram ad Lot* volens resecare occasiones iurgiorum: *Ne quæso sit iurgium* imposterum *intèr me, & te, & intèr pastores meos, & pastores tuos* pascuorum gratia; *fratres enim sumus*, intèr quos concordia conseruanda, & postquàm terra hęc nos non capit. *Eccè vniuersa terra coràm te est*, in tua est potestate: *recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad finistram pergam.* Dat Abram electionem, & si ille caput, dominus, proptèr quem ditatus Lot, ne intèr eos nascatur discordia, primus maior diuidens optionem dans minori, quod in leges Cæsarum relatum. *Eleuatis itaquè Lot oculis, vidit omnem circà regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequàm subuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham*; campi enim irrigui meliores, vt in Axa, *sicùt paradisus Domini*, ergò is extans, prout tanquàm de extante loquitur, dicturus si sublatus, sicùt de amenitate Sodomæ sublata dixit, *& sicùt Aegyptus venientibus in Segor*, quæ erat vna ex illis quinque ciuitatibus salua precibus Lot, & sicùt de Aegypto, & regione extante, ità de paradiso iunctìm posito extante, ne sub vna phrasi res eædem positæ diuerso iure censeantur, vide scripta Apoc. 11. *Elegitquè sibi Lot regionem circà Iordanem*, quæ visa fuit melior oculis suis, *& recessit ab oriente*, à parte orientali, *diuisiquè sunt alterutrum a fratre suo* concorditèr. *Abram habitauit in terra Chanaan* à Deo sibi præfinita, *Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circà Iordanem, & habitauit in Sodomis* ibì incola. *Homines autèm Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coràm Domino*, in conspectu Domini, ità vt illum non reuererentur omnia conspicientem, *nimis*, erant eorum peccata grauissima. Hæc fortè subdit innuẽs iudicium hominum fallibile. *Dixitquè Dominus ad Abram postquam diuisus est ab eo Lot*, repetens quod dixerat suprà cap. 12. 7. vndè nihil hic noui, vel considerabile in diuisione à Lot, sed Abram, confirmare eum volens in primis promissis, & sic est simplex recitatio facta suo tempore. Vel si mysterium quærimus, illud erit, in solo semine Abræ promitti, ne quandò eandem promissionem fecit suprà cap. 12. Lot reputaretur secum annexus, vel eius semen: *Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nùnc es, ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem*, circumquaquè *omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsquè in sempiternum*, in generationes multas; verba enim, *in sempiternum*, intelliguntur iuxtà subiectam materiam; vel vsquè ad finem mundi, cum tunc reliquię conuertẽdę, vndè quãuis multa interualla recurrerint, quibus non possederunt Hebræi & sint adhùc recursura, antequàm illùc conueniant tempore Antichristi, tamen à termino, quo cœperunt vsquè ad terminum, quo finient, in æternum erit; Aliæ responsiones hìc apud alios. At non repræsentauit hìc Deus cõspectui Abram omnem terram, sed partem, quam poterat, inspicere voluit; hinc iubet, vt surgat, & perambulet in longitudine, & latitudine. *Faciamquè semen tuum sicùt puluerem terræ*, innumerabilem; *si quis potest hominum numerare puluerem terræ*, quod non potest, *semen quoquè tuum numerare poterit*, & cùm de puluere ad gloriã Abræ, ne capias in sinistram partem, quia litteræ non aptatur. *Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua* in signum translationis dominij tibi fiendi, & possessionis, *quia tibi daturus sum eam*, idest in semine tuo, quia ipse nec passum pedis recepit. Actor. 7. *Mouens igitur tabernaculum suum Abram* more peregrini non habentis firmam habitationem, *venit* peregrinans, fortè pòst lustratam terram iuxtà verba Dei, *& habitauit iuxtà conuallem Mambre, quæ est in Hebron*, & ibì fixit sedem, *ædificauitquè ibì altare Domino* gratias agens pro terra danda, & habitatione stabilita, & protectione eius habita; At de conualle Mãbre, & hoc nomine præmisit Moyses, in sequenti capite de hoc acturus.

C A-

CAPVT XIV.

1 *FACTVM est autèm in illo tempore, vt Amraphel rex*
Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex
2 *Elamitarum, & Thadal rex Gentium * inirent bellum*
contrà Bara regem Sodomorum, & contrà Bersa regem
Gomorrhæ, & contrà Senna ab regem Adamæ, & con-
trà Semeber regem Seboim, contraquè regem Balæ, ipsa est
3 *Segor. * Omnes hi conuenerunt in vallem siluestrem, quæ*
4 *nunc est mare salis. * Duodecim enìm annis seruierant Chodorlahomor, & tertio-*
5 *decimo anno recesserunt ab eo. * Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor,*
& reges, qui erant cùm eo: percusseruntquè Raphaim in Astarothcarnaim, &
6 *Zuzim cùm eis, & Emim in Saue Cariathaim, * & Chorræos in montibus Seir,*
7 *vsquè ad Campestria Pharam, quæ est in solitudine. * Reuersiquè sunt, & ve-*
nerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem regionem Ama-
8 *lecitarum, & Amorrhæum, qui habitabat in Asasonthamar. * Et egresi sunt*
rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexquè Adamæ, & rex Seboim, necnon
& rex Balæ, quæ est Segor: & direxerunt aciem contrà eos in valle siluestri:
9 ** scilicèt aduersùs Chodorlahomor regem Elamitarum, & Thadel regem gentium,*
& Amraphel regem Sennaar, & Arioch regem Ponti: quattuor reges aduersùs
10 *quinque. * Vallis autèm siluestris habebat puteos multos bitumis. Itaquè rex So-*
domorum, & Gomorrhæ terga verterunt, cecideruntquè ibì: & qui remanse-
11 *rant, fugerunt ad montem. * Tulerunt autèm omnem substantiam Sodomorum,*
12 *& Gomorrhæ, & vniuersa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt: * necnon &*
13 *Lot, & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. * Et*
eccè vnus, qui euaserat, nunciauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle
Mambre Amorrhæi fratris Eschol, & fratris Aner: hi enìm pepigerant fœdus
14 *cùm Abram. * Quod cùm audisset Abram, captum videlicèt Lot fratrem suum,*
numerauit expeditos vernaculos suos tercentos decem, & octo: & persecutus est
15 *vsque Dan. * Et diuisis socijs, irruit supèr eos nocte: percussitquè eos, & perse-*
16 *cutus est eos vsquè Hoba, quæ est ad læuam Damasci. * Reduxitquè omnem sub-*
stantiam, & Lot fratrem suum cùm substantia illius, mulieres quoquè & po-
17 *pulum. * Egressus est autèm rex Sodomorum in occursum eius postquàm reuersus*
est à cæde Chodorlahomor, & regum qui, cùm eo erant in valle Saue, quæ est val-
18 *lis regis. * At verò Melchisedech rex Salem, proferens panem, & vinum, erat*
19 *enìm Sacerdos Dei altissimi, * benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo ex-*
20 *celso, qui creauit cælum, & terram: * & benedictus Deus excelsus, quo protegen-*
21 *te, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. * Dixit autèm*
22 *rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi. * Qui respondit*
ei. Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli, & terræ,

23 **quod à filo subtegminis vsquè ad corrigiam caligæ,non accipiam ex omnibus,quæ
24 tua sunt, ne dicas : Ego ditaui Abram :* exceptis his, quæ comederunt iuuenes,
& partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Eschol, & Mambre : isti
accipient partes suas.*

F*ACTVM est autèm, &c.* quattuor Regibus contrà quinquè pugnantibus causa rebellionis factę post tresdecim annos seruitutis, vt quinquè (trucidatis priùs populis circumiacentibus,ne auxiliarentur rebellibus, vel quia opponebant se transituris ad præliũ, quod potiùs credo) præualuerint, & terga verterint quattuor alij Reges, intèr quos Rex Sodomorum,qui erat vnà cùm alijs socijs Regibus,qui conuenerant in valle siluestri,ibiquè aciem direxerant, *ceciderintquè ibi multi ex illis* non equidèm Rex Sodomorum, qui posteà occurrit Abrahæ, *& qui remanserant fugerunt ad montem. Vallis autèm siluestris habebat puteos multos bituminis*, bitumine enim retinetur aqua absquè alio ædificio lateritio, hoc dicit, vt doceat locum aptum bello elegisse, quia aqua non deerat militibus, non quòd ibi ob puteos bituminis ceciderint, sed quòd ibi mortui, seù occisi, *tulerunt autèm* victores illi *omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuersa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt, necnon & Lot, & substantiam eius, qui habitabat in Sodomis. Et eccè vnus, qui euaserat* ex prælio, *nunciauit Abram Hebræo*, hinc ab Abraham Hebræi, *qui habitabat in conualle Mambre Amorrhæi fratris Escol, & fratris Aner; hi enim pepigerant fœdus cùm Abram;* hoc dicit, quia & ipsi fuerunt in prælio cùm eo,vt in fine capitis. *Quod cùm audisset Abram,captum videlicèt Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos*, seruos in domo sua natos *tercentos decem,& octo*, iunctis secum Aner, Escol,& Mambre, *& persecutus est* raptores *vsquè Dan. Et diuisis socijs*(insidijs vsus more bellico)*irruit supèr eos nocte* nihil suspicãtes; *percussitquè eos,& persecutus est eos* in fugam conuersos *vsquè Hoba,quæ est ad læuam Damasci. Reduxitquè omnem substantiam*,quam à victoribus abstulit,*& Lot fratrem suum cùm substantia illius, mulieres quoquè, & populum*, quem captiuum fecerant. *Egressus est autèm Rex Sodomorum*, audito nuncio tantæ victoriæ, *in occursum eius* Abram,*postquàm reuersus est à cæde Chodorlahomor* (is erat Rex primus, cui seruitus debita) *& Regum, qui cùm eo erant in valle Saue,quæ est vallis Regis;*hoc fecit Rex causa honoris, & quia res sua agebatur, cùm exercitu, & commeatu & populo nudatus esset, vt suprà; & hinc est, quòd sic omnibus spoliatus occurrisse tantùm dicitur, & nullum commeatum detulisse. *At verò*,(vult dicere, diuersimodè *Melchisedech* à Rege Sodomorum,est enim particula, (*verò*) aduersatiua, & disiungens) *Melchisedech* sic proprio nomine dictus *Rex Salem*,qui direptionem nullam passus fuerat, nec bello petitus obuiauit, cùm commeatu, *proferens panem, & vinum*, Chald. adduxit panem, & vinum. Hebr. protulit panem, & vinum; Septuaginta protulit panem,& vinum,sub quibus omnia cibaria ex more scripturæ, ad Abraham,& exercitum reficiendum,& cibandum: & si enim aliqua ex cibarijs subreptis, vel alijs recepissent, tamèn quinquè diebus illa consumpserant exercitus Regum, & Abrahæ, & sociorum, & populus Sodomæ, & Gomorrhæ: & cibaria solent diripi, & de facili consumi vltrà alia dicta in Epist. ad Heb. cap.7. Imò & quamuis adhùc extitissent, ex eis nihil argueretur in contrariũ,quia & Rex Sodomorum, & Melchisedech id ignorare potuerunt,at vterque fecit quod potuit,Rex Sodomorum spoliatus obuiauit, Rex Melchisech & obuiauit, & cōmeatum tulit: Apposui (obuiauit) tùm ex præcedenti occursu Regis Sodomorum;contextus enim similem hunc illi facit, tùm quia illud verbum apposuit Paulus Hebr.7. ex quo videtur innuere occurrisse cùm commeatu; verbum enim (*obuiauit*) non aptatur sacrificio, vel oblationi,cùm ad Abram, non ad Deum referatur,tùm quia verbum illud èx se ea non im-

importat, aut significat, *erat enim Sacerdos Dei altissimi*, hospitalitatē exercens, id verò, ne existimaremus, quia erat Chananæus, seù Iebusæus fuisse idolòlatram, prout erāt tùnc gentes illæ, de quarū iniquitatibus. Gen. 15. & hæc verba non possunt trahi ad sacrificiū, quia & Paulus dicit: Sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ. Hebr. 7. 1. hoc enim vtrobiquè positū ad designandam eius conditionem, cùm de spiritualibus sequatur, scilicèt benedictione, & decimis soli Sacerdoti competentibus, quam conditionem in primis verbis integrè non declarauerat; solet enim scriptura in diuersis structuris, seù clausulis sermonis conditiones personarum apponere, & non sub vna tantùm phrasi, vt in legatis missis ad Ioannem, de quibus aliqua protulit. Ioan. 1. 19. nempè Sacerdotes & Leuitas, posteà vers. 25. repetit: & qui missi fuerant, erant ex Pharisæis, ideò Pagninus vertit: *& ipse erat Sacerdos Dei altissimi*; sic Chald. & ipse erat minister coràm Deo excelso. Vel *erat enim* pro autèm *Sacerdos Dei altissimi*, prout verterunt Septuaginta, & habetur Ios. 10. 16. & propterea subdit de benedictione, & sic clausula deseruit sequentibus, necnon *benedixit ei* Abrahæ, bona ei precatus est, *& ait*, præmisit temporalia, nunc de spiritualibus agit, & sic distinguendum, prout & distinguit Paulus Hebr. 7. dicens: & benedixit ei; non enim dici potest *proferens panem, & vinum benedixit ei*, sed obuiauit, & deindè, *& benedixit ei* ex Paulo qui hoc modo excludit sacrificium, & potest dici *erat enim* pro autèm *Sacerdos Dei altissimi*, & hoc præmisit, vt posteà subdat *benedixit ei*, & Abram dedit decimas. At communis interpretatio Patrum est pro sacrificio, nempè *proferens panem, & vinum*, idest offerens, pro cuius ratione, subditur, *erat enim Sacerdos Dei altissimi*, & is actus seruit pro typo, & figura sanctissimi Sacramenti, & hæc amplectenda, & tenenda, vt dixi. Hebr. 7. ibi vide. *Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum, & terram*, cui benè complacet, gratus est, *& benedictus*, glorificatus sit *Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt*, in tua potestate, & dominio cesserunt; quasi Deo danda gloria, victoria assignanda; benedicitur hìc Abram, & ad maledicendum; hinc fortè edoctus, conduxit Balac Balaam. Num. 22. *&* Abram gratus è conuerso *dedit ei* Melchisedech *decimas ex omnibus* ab hostibus ereptis, Deum hoc facto recognoscens, à quo illa receperat: ex præmissis habes cur in Rege Sodomorum nihil de cibarijs in occursu Abræ, sed tantùm de illis in Melchisedech, vt eò minùs ad sacrificia hæc aptari possint iuxtà vnam opinionem, vt dixi latissimè. Expeditus de Melchisedech interposito, redit ad Regem Sodomorum. *Dixit autèm Rex Sodomorum ad Abram*, fortè motus postquàm vidit decimas Melchisedech ab eo datas de substantijs ereptis, quasi liberalitèr agens: *da mihi animas*, homines, populum, *cætera* in substantia consistentia *tolle tibi*, tua sint omnia alia. *Qui* Abram *respondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli, & terræ*, cuius sunt omnia, illum in testem inuoco, vel illi iuro. Sic leuabo manum meam, & dicam: viuo ego in æternum, *quòd à filo subtegminis vsquè ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*, restringit se ad illa, quæ sublata fuerunt de bonis Regis Sodomorum, nihil etiàm minimum de tua substantia vindicabo, *ne dicas: Ego ditaui Abrā*, & in hoc glorieris, & quasi videar hæc rapina subtraxisse: nouerat Abram qualis Rex esset, nempè pessimus; nàm qualis populus, talis Rex. At Abram factum fuisse Dominum omnium ereptorum ab his Regibus, tenet Abulen. 1. Reg. 30. quæst. 15. vbi & de Dauid, & Iephte similia, *exceptis his, quæ iuuenes milites comederunt*, quod alitèr fieri non potuit, *& partibus virorum, qui venerunt mecum*, sociorum belli, *Aner, Eschol, & Mambre, isti accipient partes suas*, quarum ego non sum Dominus, & ipsis debentur iure belli. Ex his gestis dic Deum hanc calamitatem maximam Sodomæ, & alijs inflixisse ad conuersionem illorum; Lot permisisse vnà cùm illis pati, & deindè illis in gratiam Lot reductis, vt adiutorium à Deo recognoscerent, illiquè gratias agerent, & Lot benè vterentur; sed attende quàm pessimi, quàm ingrati Sodomitæ, vt Lot, & domui suæ, & aduenis sub suo culmine manentibus adeò turpitèr insultauerint, vt videbimus.

mus. Occasione Lot omnes alij euaserunt, quia Lot forensis nihil peccauerat; sic Christo innocenti illata passio, omnes nos peccatores liberauit, & ipse ad Dexteram Dei exaltatus, diabolo iudicato.

CAPVT XV.

1 HIS itaquè transactis, factus est sermo Domini ad Abram
per visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector
2 tuus sum, & merces tua magna nimis. * Dixitquè
Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absquè
liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Dama-
3 scus Eliezer. * Addiditquè Abram: Mihi autem non de-
disti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit.
4 * Statimquè sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus:
5 sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem. * Eduxitquè eum forâs,
& ait illi: Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit se-
6 men tuum. * Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. * Dixit-
7 què ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi ter-
8 ram istam, & possideres eam. * At ille ait: Domine Deus, vnde scire possum,
9 quòd possessurus sim eam? * Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vac-
cam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quo-
10 què, & columbam. * Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtras-
11 que partes contrà se alterinsecus posuit: aues autem non diuisit. * Descenderunt-
12 que volucres super cadauera, & abigebat eas Abram. * Cumquè sol occumberet,
13 sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum. * Di-
ctumquè est ad eum: Scitò prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum
in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis,
14 * Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & pòst hæc egredientur
15 cùm magna substantia. * Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in sene-
16 ctute bona. * Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ
17 sunt iniquitates Amorrhæorum vsquè ad præsens tempus. * Cùm ergò occubuisset
sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis
18 transiens inter diuisiones illas. * In illo die pepigit Dominus fœdus cùm Abram,
dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vsquè ad fluuium ma-
19 gnum Euphraten, * Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, & * Hethæos, & Phe-
20 rezæos, Raphaim quoquè, * & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, &
21 Iebusæos.

HIS

HIS *itaquè transactis*, victoria Regum, non iuramento tantùm, *factus est sermo Domini*, qui victoriam fecerat, & id vult innuere textus hæc illicò subiungens, *ad Abram per visionem*, in vigilia, quia respondet, credit, educitur, sacrificat, & soporatus est, *dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum* ab omnibus inimicis tuis, & te persequentibus, prout facto cognouisti in debellandis Regibus, *& merces tua magna nimis*, præmium tuum, corona tua, ego in gentem magnam te faciam supremum. Vel Deus gestiēs se communicare homini iusto, instante tempore promittendi illi sobolem, ne torperet, & destitueretur vltrò se illi conspiciendum præbet, allicitquè illum ad petendum; vult enim vt petamus etiàm nobis danda, dicitquè quasi illum inuitans: esto bono animo Abram, erigere ad magna, *ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*, quia mihi in te complaceo; nouerat autèm Deus quid petiturus Abram, quid exoptaret, quod Giezi in Sunamite; ne quæras, filium enim non habet, & vir eius senex est. 4. Reg. 4. 14. vndè ad prolem recurrit. Hinc inuerisimile timuisse Abram ob bellum præcedens; nàm in reditu apparent pacata omnia, nulla belli renouatio, nulla defensio, nulla præparatio, ex quibus possimus arguere in eo aliquem timorem, quem nec exprimit Abram, expressurus si fuisset, prout de prole, de qua erat anxius, & ob quam Deus dixit: *noli timere*. sic egit Deus per Isaiam cùm Achaz, quia enim reuelaturus erat pariturum Virginem, iubet illi: pete tibi signum à Domino Deo tuo, &c. & Christus, petite, & accipietis. *Dixitquè Abram: Domine Deus*, quem adoro, & colo; *quid dabis mihi?* & quid potes dare, vt me ad tanta ducas? *Ego vadam absquè liberis*, sum, & ero (cùm senex sim) absquè prole, quid mihi cōtingere potest gratum hac deficiente? *& filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer;* non hic Damasci conditor, aliòqui non sic vocaretur, nequè indè oriūdus, quia diceretur Eliezer Damascenus, & quia suprà cap. 14. 15. fit mentio Damasci; nec obstat fieri per præoccupationem, quia illud scimus, hoc ignoramus. (& hìc vox faucibus hæsit præ desiderio prolis, quo tenebatur) *Addiditquè*, vocem reassumens *Abram*, & repetens: *mihi autèm non dedisti semen: & eccè vernaculus meus* seruus, *hæres meus erit* me successore carente: ex petitione hac Abræ apparet illum non timuisse Reges, aut alios, quia de his nullus sermo. Non dicas Abram intendisse: dedisti semen procuratori meo, non mihi, prætulisti illum mihi, quia videretur de Deo cōqueri, quod numquàm cogitauit. *Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo* de tuis lūbis, visceribus, *ipsum habebis hæredem* me sic faciente, & ordinante. *Eduxitquè eum foràs* extrà tabernaculum, *& ait illi: Suspice cælum, & numera stellas, si potes*, quasi *sic erit* innumerabile *semen tuum* carnale; de hoc enim agebatur, dicit enim Deus, *de vtero tuo*, petitio etiàm Abrahæ erat de hoc, & responsio præsumitur conformis interrogationi, at secundùm spiritum, fidele. Rom. 4. *Credidit Abram Deo* promittenti, *& reputatum est illi ad iustitiam*, ad obseruantiam, ità vt obtinuerit ex eius fide, vt Deus obligatus remanserit hæc in ea pollicitatione promissa efficere iuxtà illud Pauli. Bonum certamen, certaui cursum cōsummaui, fidem seruaui, in reliqua repositò est mihi corona iustitiæ, &c. Non dicas ergò, iustificatus est Abram spiritualitèr; nàm iàm iustificatus erat, & de hac iustificatione prima, vel secunda non loquitur, vt latiùs dixi. Rom. 4. 3. & probatur. 1. Machab. 2. vbi sicùt alijs Ioseph, Phinees priuilegia concessa, sic Abrahæ, de quo ibidèm. *Dixitquè ad eum*, addens iam dictis, quod est proprium Dei. *Ego* ille *Dominus*, fidelis, cui credis, & obseruans, *qui eduxi te de Vr Chaldæorum*, & hùc peregrinari feci, *vt darem tibi terram istam, & possideres eam*, in semine tuo; nàm Abram nihil possedit, nec passum pedis. Actor. 7. *At ille ait: Domine Deus, vndè scire possum quòd possessurus sim eam?* non diffidit Abram, non est incredulus imò firmat se possessurum, nouerat Dei potētiam, illam expertus erat, iàm aliàs Deus terram hanc promiserat. idem in virgine dicente: quomodò fiet istud. Luc. 1. & ibì dixi; prætereà si credidit de semine suo

futu-

futuro, quod maius erat, credidit & hoc, quod erat minus; sic Gedeon non diffidens petit signa, sed de modo interrogat. Alchuu. interrog. 166. in Genes. certus de promissis, aliòquin nec fidelis suprà diceretur, nec sinè pœna dimitteretur, prout Zacharias non credens taciturnitate mulctatus, & Dominus non respondisset ei iuxtà interrogata, prout fecit. *Et respondens Dominus*, volens facto, & fœdere memorabili id ei declarare, & certum facere, prout infrà cap. 22. 16. iuramento. *Sume (inquit) mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoquè, & columbam.* Cur trima prima? ad demonstrandam firmitatem pacti, seù testamenti; nàm triennale dicimus firmum; hìnc in peccatore præsumitur mutatio à peccato, si steterit per triennium absquè peccato, de quo priùs suspectus erat; vel ad denotandum Deum velle in sacrificijs perfecta sub triennio denotata, quemadmodum nolebat maculosa; Sed cur in turture, vel columba nulla mentio temporis? quia fortè aut nullo modo, aut difficultèr ætas in eis cognosci potest, vel quia hæc citò pariunt, & fructificant triēnio nō expectato, ità Procopius Isa. 15. Non dicas metā eādem tēporis in his repetitam, quia si voluisset, expressisset, prout in præcedētibus. *Qui* Abram *tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium*, denotans obseruantiam pacti hinc indè fiendam ex parte Dei, & sua, vel seminis, & vt faciliùs incenderentur, *& vtrasque partes contrà se altrinsecùs* hinc indè ex opposito *posuit: aues autèm non diuisit*, quia cùm paruæ molis sint, faciliùs nouerat incendendas; vel quia non significabant confirmationem pacti. Ierem. 34. 19. 20. & dira in fœdifragos. prout 1. Reg. 11. 7. Iudi. 19. 29. *Descenderuntquè volucres supèr cadauera* sic exposita illi verè, mysticè dæmon superseminans, *& abigebat eas Abram*, ne contaminarentur oblata Deo; sic Prælati facere debent, vt in illa parabola; *Cumquè sol occumberet*; ideò distulit Dominus aduentum suum ad Abram; expectauit enim hoc tempus opportunum; *sopor irruit supèr Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum*, nùnc extasis, non antè; sic in Adam, quandò ablata costa ad Euam creandam. Genes. 2. *Dictumquè est ad eum* in sopore, eccè cur sopor, vt intelligeret quomodò possessurus. *Scito prænoscens* à longè, non his diebus euentura, *quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra nō sua* (prout fuit in Aegypto à tempore Iacob citrà) *& subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Exod. 1. & seqq. dic ergò, non *quadringentis annis affligent*, sed *peregrinum erit semen tuum in terra non sua*, sic & Hebr. 11. 9. *quadringentis annis*, qui anni ad alia loca vltrà Aegyptum accommodandi, & deindè quòad Aegyptum verificatur, *subijcient eos seruituti, & affligent*, & quæ sequuntur, sed vide Exo. 12. & Actor. 7. vbì & alij triginta adduntur, vbiquè dixi. *Veruntamèn gentem, cui seruituri sunt*, malè eos tractantem, *ego iudicabo*, condemnabo, vt in Exodo, *& posthæc egredientur cùm magna substantia* quæsita, & mutuo sumpta, cuius ego faciam illos dominos; hæc vltima verba non possumus interpretari, nisi de Aegypto, vt in Exodo. *Tu autèm* ne putes ad illud vsquè tempus viuere, sed *ibis ad patres tuos* antiquos in pace morieris, & deferreris ad limbum *sepultus in senectute bona*; diù tamèn viues, ne putares paruo tempore superesse. *Generatione autèm quarta*, pòst illos quadringentos annos, & sic generationem ponit centenariam, *reuertentur hùc* eiectis habitatoribus præsentibus, seù successoribus eorum; nùnc enim non est temporis plenitudo, opportunitas: *necdum enìm completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, & aliorum populorum habitantium *vsquè ad præsens tempus*, quo pœnæ sint subdendi, cœptæ sunt, perseuerant, fiet tandèm cumulus, & tùnc eijcientur; sic Christus, vt veniat omnis sanguis iustus à sanguine Abel iusti vsquè ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, &c. & ibi dictum supèr his; sic 1. Reg. 15. recensui quæcunque fecit Amalec Israeli, quomodò restitit ei in via cùm ascenderet de Aegypto, nùnc ergò vade, & percute Amalec, &c. sicùt è conuerso in Iuda inuenta sunt opera bona. 2. Paralip. 12. 13. & in Iosaphat 2. Paralip. 19. 3. *Cùm ergò occubuisset sol* (redit ad consummationem animalium diuisorum, & consummationem in sacrificium) *facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tran-*

transiens intèr diuisiones illas animalium factas ab Abram, illasquè consummens vtì in sacrificium oblatas, proùt & Iudi.13.20.diuisio enim, & transitus ad pactum, sed consumptio per ignem ad sacrificium; & sic sacrificio voluit Deus more hominum se obligare, & pacisci transeundo per medium; sic fecit Abram cùm Abimelech.Genes.21.29. Isaac cùm Abimelech,& alijs.Genes.26.27. Iacob cùm Laban. Genes.31.44. *In illo die pepigit Dominus fœdus cùm Abram, dicens: Semini tuo*, non tibi, *dabo terram hanc*, de qua interrogasti me, *à terra Aegypti vsquè ad fluuium magnum Euphratem, Cinaos, & Cenezaos, Cedmonaos, & Hethaos, & Pherezaos, Raphaim quoquè: & Amorrhaos, & Chananaos, & Gergesaos, & Iebusaos*, qui omnes populi destructi, vel maior pars eorum à populo Israel, vt in libro Iosue, & Regum.

CAPVT XVI.

1 *IGITVR Sarai, vxor Abram, non genuerat liberos:*
2 *sed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar, * dixit*
marito suo: Eccè, conclusit me Dominus, ne parerem: in-
gredere ad ancillam meam, si fortè saltèm ex illa susci-
3 *piam filios. Cumquè ille acquiesceret deprecanti, * tulit*
Agar Aegyptiam ancillam suam pòst annos decem quàm
habitare cœperat in terra Chanaan: & dedit eam viro suo
4 *vxorem. * Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit do-*
5 *minam suam. * Dixitquè Sarai ad Abram: Iniquè agis contrà me: ego dedi an-*
cillam meam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui me habet.
6 *iudicet Dominus intèr me, & te. * Cui respondens Abram: Eccè, ait, ancilla*
tua in manu tua est, vtere ea vt libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniJt.
7 ** Cumquè inuenisset eam Angelus Domini iuxtà fontem aquæ in solitudine, qui*
8 *est in via Sur in deserto, * dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, vndè venis?*
9 *& quò vadis? quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. * Dixitquè*
ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu il-
10 *lius. * Et rursùm: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non nu-*
11 *merabitur præ multitudine. * Ac deinceps: Eccè, ait, concepisti, & paries filium:*
vocabisquè nomen eius Ismael, eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam.
12 ** Hic erit ferus homo: manus eius contrà omnes, & manus omnium contrà eum:*
13 *& è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula. * Vocauit autèm no-*
men Domini, qui loquebatur ad eam: Tu Deus, qui vidisti me. Dixit enim:
14 *Profectò hic vidi posteriora videntis me. * Propterea appellauit puteum illum,*
15 *Puteum viuentis & videntis me. Ipse est intèr Cades, & Barad. * Peperitquè*
16 *Agar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Ismael. * Octoginta & sex annorum*
erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.

IGITVR *Sarai, vxor Abrã, non genuerat liberos*; erat enim sterilis. *Sed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar*(quòd hæc esset filia Regis Aegypti, est commentum Hebræorum, non tractaretur vtì ancilla, si talis,& in discessu à Rege aliqua mentio facta esset) *dixit marito suo* Abræ: *Eccè conclusit me Dominus ne parerem*, fecit me sterilem; *ingredere ad ancillam meam, si fortè saltèm ex illam suscipiam filios*, qui mihi imputentur. *Cumquè ille* Abram *acquiesceret deprecanti* Sarai; non mouetur Abram ex libidine, sed ex prole, non à se, sed rogatus ab vxore, mota, vt creditur, instinctu Dei; & si hoc fuisset malum, Deus non dimisisset intactum in viro iusto; solet enìm iustorum minimos defectus illicò redarguere; vndè dic licuisse poligamiam, quæ & in Iacob, & Dauid, & hoc est principale in hoc facto; si enìm non licuisset, nec Sarai Abram proposuisset, nec Abram acceptasset; quòd verò non libidinis, sed prolis causa id fecerit, respicit mores; sic faciendum dixit Angelus. Tob.6. 17. Illa *tulit Agar Aegyptiam ancillam suam pòst annos decem, quàm habitare cæperant in terra Chanaan*; hìnc apparet continentia Abræ, & quomodò quòad prolem totus erat in Deum remissus; *& dedit eam viro suo vxorem*, vt legitimè posset ad eam ingredi; tùnc enìm poligamia licebat. *Qui* Abram *ingressus est ad eam* iuxtà voluntatem Sarai. *At illa*, ingrata,& superba *concepisse se videns, despexit dominam suam* Sarai. *Dixitquè Sarai ad Abram*, quasi dissimulantem iniuriam illius cõquerens secum: *Iniquè agis contrà me* (reputabat illa tumorem Agar ab Abram procedere, sed falsò:) *Ego dedi ancillam meam* Agar *in sinũ tuum* in vxorem, *quæ videns quòd conceperit, despectui me habet; iudicet Dominus intèr me*, quæ bonum hoc opus feci, *& te* consentientem ancillæ in his, quæ non debes; *Cui respondens Abram: Eccè, ait, ancilla tua in manu tua est*, in tua est potestate; *vtere ea, vt libet*; & sic Abram omninò innoxium se ostendit. *Affligente igitùr eam* iustè *Sarai* (quod antè licentiam Abræ non fecit in reuerentiam viri sui) *fugam iniȷt* Agar. *Cumquè inuenisset eã Angelus* Domini *iuxtà fontem aquæ in solitudine, quæ est in via Sur in deserto dixit ad illam: Agar ancilla Sarai*, ex hoc inobedientiam innuens, *vndè venist & quò vadis* fugiens? *Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio* timens,& afflicta. *Dixitquè ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam,& humiliare sub manu*, potestate *illius*; vide quãtum placet Deo humilitas;& quomodò Deus approbauit factum Sarai; *Et rursum* Angelus: *Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum* (hebraismus ad docendum multitudinem rerum) *& non numerabitur præ multitudine*. *Ac deinceps* Angelus: *Eccè, ait, concepisti* ex Abram, (Ne dicas iuxtà commentum Hebræorum fœtum abortum reuiuificatum nùnc, quia vndè probant?) *& paries filium*, non facies abortum, *vocabisquè nomen eius Ismael, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam*, quam sustinuisti, & sustines, vel orationem in afflictione, quæ solet esse penetrabilior. Ad Dominum cùm tribularer clamaui,& exaudiuit me: eccè quomodò Deus cùm afflictis inuenitur. *Hic erit ferus homo*, agrestis: *manus*, potestas *eius contrà omnes, & manus omnium contrà eum*, pugnas exercebit contrà alios,& contrà eum exercebuntur, *& è regione* ex aduersò *vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula*, sedes, habitationem. *Vocauit autèm* Agar *nomen Domini*, qui loquebatur ad eum. *Tu Deus* misericors, *qui vidisti me*,& consolatus es me. *Dixit enìm: Profectò hìc vidi posteriora videntis me*, descendentem,& ascendentem vidi, qui consolatus est me, non facie ad faciem; sic & Moyses Exod.33. *Proptereà appellauit puteum illum, puteum viuentis*, quod est proprium Dei, qui vita est, *& videntis* afflictionem meam, & consolantis *me* afflictam; *Ipse* puteus *est intèr Cades,& Barad*. *Peperitquè Agar* ad Dominam suam reuersa iuxtà imperium Angeli, eccè quomodò scriptura id non dicit, sed vult præsupponi ex iàm dictis: simile infrà in Iacob, cùm Esau *Abræ filium, qui* Abram *vocauit nomen eius Ismael*, quod didicit ab Agar. *Octoginta & sex annorum erat Abram, quandò peperit ei Agar Ismaelem*.

POST-

CAPVT XVI.

1 POSTQVAM verò nonaginta, & nouem annorum es-
se cœperat, apparuit ei Dominus: dixitquè ad eum: Ego
Deus omnipotens: ambula coràm me, & esto perfectus.
2 * Ponamquè fœdus meum intèr me, & te, & multiplica-
3 bo te vehementèr nimis. * Cecidit Abram pronus in fa-
4 ciem. * Dixitquè ei Deus: Ego sum, & pactum meum te-
5 cum, erisquè pater multarum gentium. * Nec vltrà vo-
cabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum
6 gentium constitui te. * Faciamquè te crescere vehementissimè, & ponam te in gen-
7 tibus, regesquè ex te egredientur. * Et statuam pactum meum intèr me & te, &
intèr semen tuum pòst te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus
8 tuus, & seminis tui pòst te. * Daboquè tibi, & semini tuo terram peregrinationis
9 tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroquè Deus eorum. * Di-
xit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergò custodies pactum meum, & semen
10 tuum pòst te in generationibus suis. * Hoc est pactum meum, quod obseruabitis in-
tèr me & vos, & semen tuum pòst te: Circumcidetur ex vobis omne masculi-
11 num: * & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis intèr
12 me & vos. * Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in
generationibus vestris: tàm vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & qui-
13 cumquè non fuerit de stirpe vestra: * eritquè pactum meum in carne vestra in
14 fœdus æternum. * Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur
15 anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit. * Dixit quoquè Deus
16 ad Abraham. Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. * Et bene-
dicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritquè in nationes,
17 & reges populorum orientur ex eo. * Cecidit Abraham in faciem suam, & risit,
dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pa-
18 riet? * Dixitquè ad Deum: Vtinàm Ismael viuat coràm te. * Et ait Deus ad
19 Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisquè nomen eius Isaac, &
constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius pòst eum.
20 * Supèr Ismael quoquè exaudiui te. eccè, benedicam ei, & augebo, & multipli-
cabo eum valdè: duodecim Duces generabit, & faciam illum in gentem magnam.
21 * Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in an-
22 no altero. * Cumquè finitus esset sermo loquentis cùm eo, ascendit Deus ad Abra-
23 ham. * Tulit autèm Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus
suæ: vniuersosquè quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ: &
circumcidit carnem præputij eorum statìm in ipsa die, sicùt præceperat ei Deus.
24 * Abraham nonaginta, & nouem erat annorum, quandò circumcidit carnem præ-
25 putij sui. * Et Ismael filius tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ.

26 * *Eadem die circumcisus est Abraham, & Ismael filius eius.* * *Et omnes viri do-*
27 *mus illius, tàm vernaculi, quàm emptitij, & alienigena pariter circumcisi sunt.*

POSTQVAM verò Abram *nonaginta, & nouem annorum esse cœperat;* & sic pòst annos vndecim; *apparuit ei Dominus, dixitquè ad eum: Ego Deus omnipotens;* hoc epiteto vtitur, quia tractabat de agendis, & magnis; *ambula coràm me,* in conspectu meo rectè, & sincerè, fac mihi grata; ego enim omnia cerno etiàm intima; *& esto perfectus,* proùt ego sum, imitator mei esto, *ponamquè fœdus meum intèr me, & te,* paciscar tecum, vt sis tutus, & certus euentura quæ dixero; *& multiplicabo* (eccè intentum) *te vehementèr nimis,* vt semen tuum numerari non possit, prout dixerat cap. antecedenti. *Cecidit,* non ex timore, sed reuerentia *Abram pronus* in terram *in faciem,* prostratus, his verbis deuinctus, hoc facto suo hiscere non valẽs ob beneficij magnitudinem, & præsentis verba, gratias agens quomodò poterat. *Dixitquè ei Deus: Ego sum* tecum, protector tuus, *& pactum meum,* quod pepigi *tecum,* ità vt dubitare non debeas. *Erisquè pater multarum gentium;* pater enim credentium omnium dicèris, *nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham* plura comprehensurus, *quia patrem multarum gentium* crediturarum *constitui te. Faciamquè te crescere vehementissimè,* semen tuum multiplicando, *& ponam te in gentibus* supremum, *Regesquè ex te egredientur,* hæc ad semen suum, ex Abraham enim nullus Rex egressus, sed infrà magis declarat; *& statuam,* stabiliam, firmabo *pactum meum intèr me, & te, & intèr semen tuum pòst te in generationibus suis* futurum *fœdere sempiterno,* ne crederet hæc momentanea, parùm duratura, *vt sim Deus tuus, & seminis tui pòst te,* protector, curam vestram gerens peculiarem; sic ego ero illi in Deum, & ipse erit mihi in filium, vel populum. 1. Reg. 3. 19. 2. Reg. 7. 1. Paralip. 17. & de Samuele, Dominus erat cùm eo. *Daboquè tibi* proptèr te, *& semini tuo terram peregrinationis tua,* in qua peregrinaris, *omnem terram Chanaan, in possessionem æternam, eroquè Deus eorum,* protector, hoc ad semen carnale; Sed quomodò in æternũ, cùm à tot annis Hebræi illa careant indè eiecti? quia in fine mundi illùc reuersuri; & sic habito respectu principij, quo eis tradita, & finis, quo tradenda, verba *(in possessionem æternam)* verificantur. Vel conditionatum erat pactũ, si obseruarent, vt infrà; non obseruantibus ergò Deus non tenebatur. *Dixit iterum Deus ad Abrahã: Et tu ergò custodies pactum meum,* partem pacti mei ad me spectantis, quod ego volo, *& semen tuum pòst te in generationibus suis* futuris. *Hoc est pactum meum,* quod iubeo, *quod obseruabitis intèr me, & vos* nùnc extantes, *& semen tuum pòst te* futurum. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis intèr me, & vos,* nempè vt cognoscamini mei, & ego vestrum. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum* circumcidetur *in generationibus vestris* futuris, *tàm vernaculus,* seruus natus domi, *quàm* seruus *emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra,* si debet recipi in consortiũ, & ritum vestrum, ità vt de consensu circumcisorum facta sit circumcisio, & sic etiàm Ismaelis adulti; *Eritquè pactum meum in carne vestra* in generationibus vestris carnalibus (hìnc gentiles non inclusi) *in fœdus æternum;* eccè prouisio noua contrà peccatum originale. *Masculus* (ponit hoc ad obseruantiam maiorem) *cuius præputij caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa,* homo ille *de populo suo,* non computabitur in populo Israelitico, proùt illud, deleantur de libro viuentium, & cùm iustis non scribantur, vel adultus, & infans postquàm adoleuerit, damnabuntur à Iudice ad mortem iuxtà alios. Sed an parentes negligentes subirent pœnam mortis? dic nullibi cautum: exemplum Moysis non probat, quia speciale non facit legem, & quia Dux in populo, cuius exemplum nocere poterat legi, & pacto huic. Ex his nimirum si Christus circumcisus, ne ex

hoc

hoc capite reprobaretur, quasi non esset de populo, *quia pactum meum irritum fecit*, nõ obseruauit quod paciscor, iubeo. *Dixit quoquè Deus ad Abraham*, nunquàm satur Deus beneficijs congerendis, & multiplicandis; vndè illud verum, quò magis confert, plus conferre velle; *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram*, prout in Abraham, sic in Sarai mutatio nominis, quæ absquè dubio magnum quid denotat, vt in Petro, qui Cœphas, in Iacob, qui Israel, *& benedicam ei* ad prolificandum, *& ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum*, multiplicaturus, *eritquè in nationes* multas supremas, *& Reges populorum orientur ex eo*. considera hæc successisse Sarę postquàm humiliauerat se, ancillam dans viro. *Cecidit Abraham in faciem suam*, prostrauit se hoc facto gratias agens Deo; *& risit* ex magnitudine nuncij, quod tamèn non est interpretatus, vt sonabat; non autèm irrisit, quia à Deo reprehensus esset, proùt Sara ridens cap. 18. *Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* non hoc ex incredulitate dixit, sed putans aliò Deum tēdere; non enim rem capiebat, ideò subditur. *Dixitquè ad Deum*: *Vtinàm Ismael viuat coràm te*, tibi acceptus in vijs tuis ambulans, hoc mihi satis est, Domine: firmauerat in Ismaele semen, nec cogitabat de semine ex Sara vetula, & sterili. *Et ait Deus ad Abraham*, firmitatis verba ex repetitione profert. Genes. 41. 32. & ostendit se seriò loqui: *Sara vxor tua pariet tibi*, ex te *filium, vocabisquè nomen eius Isaac*. ex hoc magis eum certum reddit, sic Gabriel cùm Zacharia nominans Ioannem, & cùm Maria Iesum. Luc. 1. sic & de Iosia Rege nasciturо, & Cyro, *& constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius pòst eum*, ità vt in illo, & in semine suo fundentur omnia pacta, promissiones, quas adhùc tibi feci, non in Ismaele; in semine vno, non in seminibus (dicit Paulus.) Videtur ex his non credidisse Abraham semen egressurum de vtero suo, & tamèn credidisse narratur. Genes. 15. dic, tùnc credidisse Abraham, quia erat octoginta, & sex annorum, & fortè minoris ætatis. Genes. 16. in fin. at nùnc dùm erat annorum nonagintanouem credidisse quidèm, sed à principio putasse Deum alio modo intelligere, præsertìm quia iàm stabilierat cogitationes suas in Ismaele, in quo solo contentus, dicit: *Vtinam viuat Ismael*, & fortè existimauerat prima verba, & promissiones Domini cap. 15. in eo Ismaele effectum habuisse; at postquàm Deus se explicauit, omninò perfectè credidit in spe contrà spem, cùm nedum Sara corpus haberet emortuum, sed & ipse, vt dicit Apostolus; hinc *putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* & cap. 18. 11. *erant autèm ambo senes, prouectaquè ætatis*. & vers. 12. *postquàm consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* & c. 21. 7. *quis crederet auditurum Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iàm seni?* ex quibus tenendum simplicitèr corpus Abrahæ emortuum fuisse iuxtà Apostolum, proùt & Saræ, quia Apostolus de ambobus clarè, & distinctè loquitur, vt etiã ibì dixi: Credidit ergò Abraham. Magalian. Iosue 24. sect. 1. annot. 6. Nec obstat de Cetura, quia id ex viuificatione præcedēti, quæ durabat; dona enìm Dei sunt sinè pœnitentia, *Supèr Ismael quoquè exaudiui te*; nedum enìm viuet coràm me, sed *eccè benedicam ei* largitèr, *& augebo, & multiplicabo eum valdè, duodecim Duces generabit, & faciam illum in gentem magnam*, sic Deus sempèr excedit vota nostra: exempla extant in Salomone, Dauide, & alijs, de quibus alibì. *Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero* sequēti. repetit quod dixerat de pacto in Isaac stabiliendo, ne ex magnitudine Ismaelis videretur à prioribus verbis recessisse. *Cumquè finitus esset sermo loquentis cùm eo, ascendit Deus ab Abraham*; sic Angelus salutata Maria. Luc. 1. non enìm morantur negotio finito. *Tulit autèm Abraham* (eccè prompta obedientia) *Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ*, idest domi ortos, *vniuersosquè quos emerat*, seruos emptitios, *cunctos mares ex omnibus viris domus suæ, & circumcidit carnem præputij eorum statìm in ipsa die, sicùt præceperat ei Deus*. Moyses differens ferè occisus. Exod. 4. 24. ex enumeratione circumcisorum apparet nullum alienigenam, nisi qui iuris esset Abrahæ, vt suprà aduerti; vndè alienigenæ liberi non compre-

henſi. *Abraham nonaginta, & nouem erat annorum, quandò circumcidit carnem præputij sui, & Iſmael filius tredecim annos impleuerat tempore circumciſionis ſuæ; Eadem die circumciſus eſt Abraham, & Iſmael filius eius, & omnes viri domus illius, tàm vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ*, qui erant iuris Abraham, *paritèr circumciſi ſunt*. hæc omnia ad inſinuandam obedientiam exactam Abrahæ, qui nec ætatem propriam, aut aliorum conſiderauit, ſed illicò executus eſt.

CAPVT XVIII.

1 *APPARVIT autèm ei Dominus in conualle Mambre*
2 *ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei.* Cum-*
què eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè
eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de
3 *oſtio tabernaculi, & adorauit in terram.* Et dixit: Do-*
mine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum
4 *tuum:* ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes ve-*
5 *ſtros, & requieſcite ſub arbore.* Ponamquè buccellam panis, & confortate cor ve-*
ſtrum, poſtea tranſibitis: idcircò enìm declinaſtis ad ſeruum veſtrum. Qui di-
6 *xerunt: Fac vt locutus es.* Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram,*
7 *xitquè ei: Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes.* Ipſe*
verò ad armentum cucurrit, & tulit indè vitulum tenerrimum, & optimum,
8 *deditquè puero: qui feſtinauit & coxit illum.* Tulit quoquè butyrum & lac, &*
vitulum quem coxerat, & poſuit coràm eis: ipſe verò ſtabat iuxtà eos ſub arbo-
9 *re.* Cumquè comediſſent, dixerunt ad eum: Vbì eſt Sara vxor tua? ille reſpon-*
10 *dit: Eccè in tabernaculo eſt.* Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore iſto r*
vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara riſit pòſt o-
11 *ſtium tabernaculi.* Erant autèm ambo ſenes, prouectaquè ætatis, & deſierant*
12 *Saræ fieri muliebria.* Quæ riſit occultè, dicens: Poſtquàm conſenui, & domi-*
13 *nus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* Dixit autèm Dominus ad Abra-*
14 *ham: Quarè riſit Sara, dicens: Num verè paritura ſum anus?* Numquid Deo*
quidquam eſt difficilè? iuxtà condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita
15 *comite, & habebit Sara filium.* Negauit Sara, dicens Non riſi: timore per-*
16 *territa. Dominus autèm: Non eſt, inquit, ità: ſed riſiſti.* Cùm ergò ſurrexiſ-*
ſent indè viri, direxerunt oculos contrà Sodomam: & Abraham ſimùl gradie-
17 *batur, deducens eos.* Dixitquè Dominus: Num celare potero Abraham, quæ ge-*
18 *ſturus ſum:* cùm futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſimam, & BE-*
19 *NEDICENDAE ſint in illo omnes nationes terræ?* Scio enìm quòd præ-*
cepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ pòſt ſe vt cuſtodiant viam Domini, & fa-
ciant iudicium & iuſtitiam, vt adducat Dominus proptèr Abraham omnia, quæ
20 *locutus eſt ad eum.* Dixit itaquè Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ*
21 *multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.* Deſcendam, & vi-*
debo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ità, vt
ſciam.

22 *sciam.* * *Conuerteruntq. se indè, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc*
23 *stabat coram Domino.* * *Et appropinquans ait: Numquid perdes iustum cum*
24 *impio?* * *Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate peribunt simul? & non par-*
25 *ces loco illi proptèr quinquaginta iustos, si fuerint in eo?* * *Absit a te, vt rem*
hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatq. iustus sicut impius, non est hoc
26 *tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquàm facies iudicium hoc.* * *Dixitq.*
Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis,
27 *dimittam omni loco propter eos.* * *Respondensq. Abraham, ait: Quia semèl cœpi,*
28 *loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.* * *Quid si minus quin-*
quaginta iustis quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque, vni-
uersam vrbem? Et ait: Non delebo, si inuenero ibi quadraginta quin-
29 *que.* * *Rursumq. locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint,*
30 *quid facies? Sit: Non percutiam propter quadraginta.* * *Ne quæso, inquit, in-*
digneris Domine, si loquar. Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit: Non
31 *faciam, si inuenero ibi triginta.* * *Quia semèl, ait, cœpi, loquar ad Dominum*
meum: Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter vi-
32 *ginti.* * *Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhùc semèl: Quid si in-*
33 *uenti fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem.* * *Abijtq. Domi-*
minus, postquàm cessauit loqui ad Abraham: & ille reuersus est in locum suum.

APPARVIT *autèm ei* Abrahę *Dominus* impleturus, & confirmaturus quæ in præcedenti apparitione dixerat, *in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei*; sic ad auram post meridiem deambulat. Gen. 3. 8. *Cumquè* Abraham *eleuasses oculos, apparuerunt ei tres viri* angeli *stãtes propè eũ*; sic act. 1. Eccè duo viri, angeli, astiterunt iuxtà illos. *quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram* prostratus; sic Iudith. 9. 1. sic Melchisedech obuiauit Abrahæ. Gen. 14. Heb. 7. 1. *& dixit: Domine*, ad vnum, quem primum censuit ex aliquibus signis, nec potest dici tres vidisse, & vnum adorasse, quasi tres vnum existimans, quia adhùc eos non nouerat. Vel singulare pro plurali, prout & Lot. c. seq. Vel is qui missus ad eum, vt infrà: *Si inueni gratiam in oculis tuis*, si sum tibi gratus, *ve transeas seruum tuum* declina ad me hospitaturus; *sed & afferam pauxillum aquæ*, quasi, non eritis mihi onerosi, vel hilaritèr vos suscipiam *& lauate* (eccè nunc ad omnes quasi indigentes verba extendit) *pedes vestros, & requiescite sub arbore*, donèc parem edulium, *ponamquè bucellam panis*, cum pane alia edulia, & obsonia; *& confortate cor vestrum*, animam, vitam vestram; *posteà transibitis*, prosequemini iter vestrum; *idcircò enim declinastis ad seruum vestrum* secum pransuri; hoc dicit ex imaginatione sua, vt illos magis moueat ad remanendum, vel ratione propinquitatis hospitij, vel ex suo desiderio, & affectu, *Qui dixerunt* concordes: *fac, vt locutus es. Festinauit Abraham* ire *in tabernaculum ad Saram, dixitquè ei: Accelera* (quomodò apparet promptitudo Abrahæ) *tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes, ipse verò ad armentum cucurrit* (nõ iubet hæc pueris, per se ipsum operatur) *& tulit indè vitulum tenerrimum, & optimum, deditquè puero*, seruo, coco, *qui festinauit, & coxit illum. Tulit quoquè butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coràm eis* accũbentibus; *ipse verò stabat iuxtà eos sub arbore*; ministrans illis. *Cumquè comedissent, dixerunt ad eum: Vbi est Sara vxor tua?* vide Saræ pudicitiam, quæ non cõparuit; sic mulier illa Sunamitis. 4. Reg. 4. 15. stabat antè ostiũ vo-

vocata à viro Dei, nec ingrediebatur in thalamum viri, quamuis domus esset propria; hinc malè Assuerus cum Regina Vasthi volens publicè ostendere pulchritudinē eius,& illa benè recusans. Esther. 1. 11. 12. *Ille respondit: eccè in tabernaculo est*. *Cui* Abrahæ *dixit* vnus ex tribus: *reuertens veniam ad te tempore isto, vita tua comite*, anno sequenti, quod dictum fuerat suprà c. 17. & credendum redijsse, licèt non dicatur, quia scriptura multa dicit facienda, nec refert facta, cum sufficiat dixisse futura. *Et habebit filium Sara vxor tua* ex te. *Quo audito Sara risit pòst ostium tabernaculi*, vbì erat abscondita, quæ nondum se propalauerat; vide mulieris pudorem. *Erant autèm ambo senes* Abrahā & Sara, *prouectæquè ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria*, ità vt naturalitèr parere nō posset: hæc explicātur ad miraculum demonstrandum, & cur Sara riserit; *quæ risit occultè, dicens: Postquàm consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* hinc collige & eius continentiam, & quomodò Abraham vocat Dominum suum, quod obseruauit Petrus. *Dixit autèm Dominus ad Abraham; quare risit Sara dicens: Num verè paritura sum anus?* ostendit se Dominum manifestans occulta Saræ; *Numquid Deo quidquam est difficilè?* sic Angelus ad Mariam Luc. 1. quia non est impossibile apud Deum omne verbum. *iuxtà condictum* à me, *reuertar ad te hoc eodem tempore vita* tua *comite, & habebit Sara filium*. promittit prolem, & superuiuentiam & regressum, quem verisimilitèr obseruauit, etsi non dicatur, quia sufficit Scripturæ sacræ semèl dixisse, *Negauit Sara dicens: non risi, timore perterrita*, putans hominem fallere, non Deum, qui viderat: *Dominus autèm* ad illam dixit: *Non est (inquit) ità, sed risisti*; credidit tamèn Sara, & si riserit fortè pòst hæc vltima verba Angeli: nàm antè ex dictis Angeli videtur dubitasse, ideò eius error manifestatur ab Angelo. Heb. 11. 11. fide & ipsa Sara sterilis virtutem in cōceptione seminis accepit, etiàm pręter tēpus ætatis; duplex erat impedimentum, ætatis, & sterilitatis, quoniàm fidelem, obseruantem credidit esse eum, qui repromiserat, hinc risus Saræ non fuit malus; vndè nec reprehenditur, sed malè negauit, mendacium enim sempèr malum, at timor diminuit. *Cùm ergò surrexissent indè* à mensa *viri, direxerunt oculos contrà Sodomam, & Abraham simùl gradiebatur, deducens eos* per viam; *Dixitq. Dominus: num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Non facit verbum Dominus, quod non reuelet prophetis suis; vndè mirabatur Eliseus ignorans mortem pueri mulieris hospitæ suæ, & dicebat: Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. 4. Reg. 4. 27. & Dauid: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi; hinc Abraham Dei amicus appellatus est, Iac. 2. 24. vndè Christus, iàm non dicā vos seruos sed amicos, omnia enim quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis, *Cùm futurus sit in gentem magnam, & robustissimam* supremus; *& BENEDICENDAE sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ pòst se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam*, iustè, & sanctè viuant. Sic Psal. 77. quanta mandauit Deus Patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera, filij, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis, vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirāt, ne fiant, &c. *vt adducat*, adimpleat *Dominus proptèr Abrahā*; sic alibì proptèr Dauid seruum meum, *omnia quæ locutus est ad eum*, quasi exemplo eorum, quæ audies, poteris illos magìs mouere, & quia Deo adeò gratus, & amicus es, vt tanta tibi promiserit. *Dixit itaquè Dominus* reuelando quæ facturus erat: *clamor* iniquitatum *Sodomorum, & Gomorrhæ*, & aliarum trium Ciuitatum, quas sub his cōprehendit, *multiplicatus est*, quia iniquitates multiplicatæ ad me clamantes; ideò *& peccatum eorum aggrauatum est nimis*, singulare pro plurali. *Descendam, & videbo vtrum clamorem* ex iniquitatibus prodeuntem, *qui venit*, ascendit *ad me, opere*, facto, verè *compleuerint, an non est ità*, vel falsus sit, *vt sciam*, noscam veritatem; non hæc ignorantis Dei, qui omnia nouit, sed declarantis qua prudentia, qua iustitia agat in peccantes; *conuerteruntquè se indè*, à loco, vbi

vbì hæc Abrahæ dicta, *& abierunt Sodomam* versùs; *Abrahā verò adhùc stabat coràm Domino*, nondum discesserat, nec minùs illi, seù duo illorum; nàm antè discessum quorumuis illorum intercessit Abraham pro ciuitatibus. *Et appropinquans* ad eum more volentis quempiam alloqui, *ait: Numquid perdes iustum cùm impio?* hinc timuit Abraham Sodomam, & alias ciuitates subuertendas, & omnes homines morituros, & sempèr orat pro omnibus, non pro duobus, vel tribus, vel vno. *Si fuerint quinquaginta iusti* viri *in ciuitate, peribunt simùl* cùm impijs? *& non parces loco illi proptèr quinquaginta iustos, si fuerint in eo?* nonnè præferendi hi impijs? nonnè potiùs horum bonitas reis profutura, quàm bonis malitia reorum nocitura? *absit à te;* scio à te alienum esse, *vt rem hanc facias, & occidas iustū cùm impio*, perdas quinquaginta iustos cùm illis, & non parcas impijs proptèr illos, *fiatquè iustus sicùt impius*, non sit vlla intèr eos distinctio, *non est hoc tuum*, hoc non soles Domine, *qui iudicas* iustè *omnem terram*, cuius iudicia hac de causa præsumuntur iustà, *nequaquàm facies iudicium hoc* pios cùm impijs perdendo; sic Paulus Rom. 3. 5. nūquid iniquus est Deus, qui infert iram? (secundùm hominem dico) absit; aliòquin quomodò iudicabit Deus hunc mundum? nàm suprà se non habet alios iudices, qui reuideant causas; sic Abimelech infrà cap. 20. 4. *Dixitquè Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis*, idest verè iustos cognitos, vel simplicitèr in ciuitate, prout in medio cæli, in cælo, quod magis placet. *dimittam omni loco proptèr eos*, vt dicis: *Respondensquè Abraham* charitate plenus, *ait: Quia semèl cœpi, loquar ad Dominum meum* in omni humilitate, *cùm sim puluis, & cinis*, indignus licèt: *quid si minus quinquaginta iustis quinquè fuerint? delebis proptèr quadraginta quinque vniuersam Vrbem?* quasi, nequè id facere deberes. *Et ait* Dominus: *Non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque* iustos. *Rursumquè locutus est* Abraham *ad eū: Sin autèm quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies?* delebis ne locum totum? *ait: non percutiam proptèr quadraginta. Ne quæso*, inquit, *indigneris Domine, si loquar. Quid si ibi inuenti fuerint triginta*, delebis? *Respondit* Dominus: *Non faciam, si inuenero ibi triginta* iustos. *Quia semèl*, ait, *cœpi loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Non interficiam proptèr viginti. Obsecro*, inquit, *ne irascaris Domine, si loquar adhùc semèl. Quid si inuenti fuerint ibi decem? Et dixit* Dominus: *Non delebo propter decem*. Quæ Domini mititas, & misericordia, quomodò non spreuit preces serui sui Abrahæ. Clemens, qui in itinerario fol. 12. dixit, Petrum dixisse quòd Abraham rogauit pro toto mundo, quem credidit conflagrandum, quandò arsa est Sodoma, & aliæ ciuitates, fallitur, vel potiùs apparet ex hoc, & infinitis alijs apocryphus liber, vt est, quia ex tota serie apparet illi reuelatum de flagello locorum illorum tātùm, & Abraham non rogasse nisi pro illis ciuitatibus solis, imò in genere tantùm, non ad euasionem incendij, quod non fuit ei communicatum, vltrà quòd conflagratio generalis erit antè diem Iudicij, non alio tempore, quod non est verisimile prætetijsse Abraham. *Abijtquè Dominus* tres illi viri versus Sodomam. nùnc discedunt ab Abraham, *postquàm cessauit loqui ad Abraham, & ille reuersus est in locum suum*, in tabernaculum. At cur tres viri ad Abraham? vt vnus loqueretur, alij duo assisterent testes, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum, & sic Abraham certus redderetur; censemus enìm magis firma, & rata quæ coràm testibus promittuntur, non quòd Abraham non crediturus, sed quia Deus voluit sic secum liberalitèr agere. At cur nullum verbum pro Lot? cur illi non significauit euentura? primùm posset præsumi factum, quia frater, sed contrà; carne, & sanguine nō mouebatur, sed pro gloria Dei. Vel credidit illum saluum, quia non Sodomita, flagellum enìm in Sodomitas parabatur, secundum tacuit, quia vti amico hæc sibi communicata, vel non adfuit spatium significandi, vel non æstimauit ad eum pertinere, vel non futurum ad gloriam Dei, quia tùnc reuelatio honorifica. Tob. 12.

CAPVT XIX.

1 VENERVNTQVE duo Angeli Sodomam vespere,
& sedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos,
surrexit, & iuit obuiàm eis: adorauitquè pronus in terram,
2 * & dixit: Obsecro, Domini, declinate in domum pueri ve-
stri, & manete ibì: lauate pedes vestros, & mane profi-
ciscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minimè, sed
3 in platea manebimus. * Compulit illos oppidò, vt diuerte-
rent ad eum: ingressisquè domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma: & co-
4 mederunt.* Priùs autèm quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum
5 à puero vsquè ad senem, omnis populus simùl.* Vocaueruntquè Lot, & dixerunt
ei: Vbì sunt viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos hùc, vt cognoscamus eos.
6 * Egressus ad eos Lot, pòst tergum occludens ostium, ait: * Nolite, quæso, fratres
7 mei, nolite malum hoc facere. * Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt vi-
8 rum: educam eas ad vos, & abutimini eis sicùt vobis placuerit, dummodò vi-
9 ris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei * At illi
dixerunt: Recede illùc. Et rursus: Ingressus es, inquiunt, vt aduena; numquid
vt iudices? te ergò ipsum magìs quàm hos affligemus. Vimquè faciebant Lot ve-
10 hementissimè: iamquè propè erat, vt effringerent fores. * Et eccè miserunt ma-
11 num viri, & introduxerunt ad se Lot, clauseruntquè ostium: * & eos, qui fo-
ris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsquè ad maximum, ità vt ostium in-
12 uenire non possent. * Dixerunt autèm ad Lot: Habes hìc quempiam tuorum? ge-
13 nerum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac: * delebimus
enìm locum istum, eo quòd increuerit clamor eorum coràm Domino, qui misit nos
14 vt perdamus illos. * Egressus itaquè Lot, locutus est ad generos suos, qui acceptu-
ri erant filas eius, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Domi-
15 nus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. * Cumquè esset mane, co-
gebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas ha-
16 bes: ne & tu paritèr pereas in scelere ciuitatis. * Dissimulante illo, apprehende-
runt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quòd parce-
17 ret Dominus illi. * Eduxeruntquè eum, & posuerunt extrà ciuitatem: ibiquè lo-
cuti sunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam. noli respicere pòst tergum, nec
stes in omni circà regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simùl pereas.
18 * Dixitquè Lot ad eos: Quæso Domine mi, * quia inuenit seruus tuus gratiam co-
19 ràm te, & magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, vt saluares
animam meam, nec possum in monte saluari, ne fortè apprehendat me malum,
20 & moriar. * Est ciuitas hæc iuxtà, ad quam possum fugere, parua, & saluabor
21 in ea: numquid non modica est, & viuet anima mea? * Dixitquè ad eum: Ec-
cè etiàm in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es.
* Fe-

22 * Festina & saluare ibì: quia non potero facere quidquam donèc ingrediaris illùc.
23 Idcircò vocatum est nomen vrbis illius Segor. * Sol egressus est supèr terram, &
24 Lot ingressus est Segor. * Igitur Dominus pluit supèr Sodomam, & Gomorrham
25 sulphur & ignem à Domino de cælo: * subuertit ciuitates has, & omnem circà re-
26 gionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia. * Respiciens-
27 què vxor eius pòst se, versa est in statuam salis. * Abraham autèm consurgens
28 mane, vbi steterat prius cùm Domino, * intuitus est Sodomam, & Gomorrham,
& vniuersam terram regionis illius: viditquè ascendentem fauillam de terra
29 quasi fornacis fumum. * Cùm enìm subuerteret Deus ciuitates regionis illius, re-
cordatus Abrahæ, liberauit Lot de subuersione vrbium in quibus habitauerat.
30 * Ascenditquè Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cùm eo (ti-
muerat enìm manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cùm
31 eo. * Dixitquè maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum re-
32 mansit in terra qui possit ingredi ad nos iuxtà morem vniuersæ terræ. * Veni, ine-
briemus eum vino, dormiamusquè cùm eo, vt seruare possimus ex patre nostro
33 semen. * Dederunt itaquè patri suo bibere vinum nocte illa: Et ingressa est maior,
dormiuitquè cùm patre: at ille non sensit, nec quandò accubuit filia, nec quandò
34 surrexit. * Altera quoquè die dixit maior ad minorem: Eccè dormiui heri cùm pa-
tre meo, demus ei bibere vinum etiàm hac nocte, & dormies cùm eo, vt salue-
35 mus semen de patre nostro. * Dederunt etiàm & illa nocte patri suo bibere vi-
num, ingressaquè minor filia, dormiuit cùm eo: & ne tùnc quidèm sensit quan-
36 dò concubuerit, vel quandò illa surrexerit. * Conceperunt ergò duæ filiæ Lot de
37 patre suo. * Peperitquè maior filium, & vocauit nomen eius Moab: ipse est pa-
38 ter Moabitarum vsquè in præsentem diem. * Minor quoquè peperit filium, &
vocauit nomen eius Ammon, id est filius populi mei: ipse est pater Ammonita-
rum vsquè hodiè.

VENERVNTQVE, peruenerunt *duo Angeli* supradicti *Sodomam vespere*; vnus ergò ex tribus abierat; cur autèm id, quis nouit? fortè quia perfecerat iussa cùm Abraham vnà cùm socijs, ad quem tres missi, & soli duo ad Sodomitas, qui remanserũt, veniunt *vespere*, quia punituri; præstolatur enìm Deus peccatores vsquè ad vesperam, si conuertantur. *Et sedente Lot in foribus ciuitatis*; obseruarunt id, vt Lot occasionem darent hospitationis, & salutis suæ, & filiarum, proùt dederant Abraham transeundo propè eius tabernaculum; idcircò enìm declinastis ad seruum vestrum, dixit ipse: *Qui* Lot *cùm vidisset eos* venientes, *surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitquè pronus in terrã.* omnia facit, proùt Abraham, à quo didicerat, & dixit: *Obsecro, Domini, declinate in domum pueri*, serui *vestri*, *& manete ibì* hospitaturi: *lauate pedes vestros* vespere non progressuri vltrà, *& mane* tempore opportuniori *proficiscemini in viam vestram*. *Qui dixerunt: Minimè* id faciemus, *sed in platea manebimus*, his verbis vtuntur, vt compellantur, & Lot cedat maiori lucro. *Compulit illos* Lot *oppidò, vt diuerterent ad eum* in domum suam, proùt discipuli Emaus Dominũ. *Ingressisquè domum illius fecit conuiuium, & coxit azima* (id frequens, & Abraham eo vsus) *& comederunt*. splendidè eos tractauit. *Priùs autèm quàm irent cubitum, viri ciuitatis* pessimi *vallauerunt domũ* Lot *à puero vsquè*

què ad senem, omnis populus simùl. hoc ità exprimit, vt appareat de omnium fœdis moribus, & quàm iustè in omnes sœuitum, *Vocaueruntquè Lot, & dixerunt ei: Vbi sunt viri, qui introierunt ad te noctè?* obseruauerunt introeuntes ad peccatum, nō ad hospitium: *educ illos hùc, vt cognoscamus eos*, adeò enorme peccatum erat publicum, & sinè vllo pudore exercebatur. *Egressus ad eos Lot, pòst tergum occludens ostium*, ne ingrederentur, *ait: Nolite quæso fratres mei, nolite malum hoc facere*. Ex hoc collige sæpiùs Lot suasisse Sodomitis, vt recederent à tantis sceleribus, & fortè Deum pro summa prouidentia, & misericordia Lot illùc dimisisse, & diù habitare fecisse, vt verbis, & exemplo Sodomitæ à tantis facinoribus auerterentur. hinc 2. Petr. 2. 8. de Lot, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. *Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum*, virgines, quasi hæ ad concubitum meliores, *educam eas ad vos, & abutimini eis sicùt vobis placuerit, dummodò viris istis nihil mali faciatis*, non putabat eis euenturum, proùt concubinæ Leuites. Iudi. 19. 25. 26. *quia ingressi sunt*, venerunt *sub vmbra culminis mei* in domum meam, confisi de mea protectione; sic sub vmbra alarum tuarum protege nos; scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis; *At illi dixerunt* persistentes in malo: *Recede illùc. Et rursùs: Ingressus es, inquiunt, vt aduena* ad nos, *numquid* nùnc *vt iudices* nos, actiones nostras? quasi, nimium tibi arrogas, & excedis, & Amasias Rex Prophetæ, numquid consiliarius es Regis? *te ergò ipsum* (postquàm non vis eos educere, *magis quàm hos affligemus; Vimquè faciebant Lot vehementissimè*, vt ingrederentur in domum eius, postquàm nolebat educere viros, *iamquè propè erat, vt effringerent fores* domus illius, Deus præstolatur adiutorium ad extremū. *Et eccè miserunt manum viri* Angeli, qui intùs erant, *& introduxerunt ad se Lot* intrà domum, *clauseruntquè ostium*, ne Sodomitæ ingrederentur, *& eos*, Sodomitas, *qui foris erant*, in via, *percusserunt cæcitate à minimo vsquè ad maximum, ità vt ostium* Lot *inuenire non possent*; sic Eliseus cùm Syris. 4. Reg. 6. 18. non proprium, alioqui vbi mansissent? aut quis eos (si omnes cœci) deduxisset domum? nec obstat textus. Sap. 19. 16. quia imò facit pro hac opinione ob verba clara, sicùt illi in foribus iusti, Lot scilicèt; reliqua enìm verba spectant ad Aegyptios. *Dixerunt autèm ad Lot: Habes hic quempiam tuorum?* nouerant illi, sed ab illo discere cupiunt; *generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de Vrbe hac*, vt salui fiant; *delebimus enìm locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum*, ex eorum peccatis enormibus procedens, *coràm Domino* omnia spectante, quem nihil latet; *qui misit nos, vt perdamus illos*. nota & per Angelos bonos Deum punire, de quo in Apocal. & nùnc Lot aperire, qui ipsi essent, *Egressus itaquè Lot* (tutus nùnc ob cœcitatem eorum, vel quia recessserant) *locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius*, sponsos, *& dixit: Surgite, egredimini* citò mecum *de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui*; sic discipulis relationes mulierum de Christi resurrectione visæ sunt delirametum. Luc. 24. 11. *Cumquè esset mane*, tamdiù expectarunt, vt opportunus esset recessus Lot, *cogebant eum* Lot *Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu* iustus *paritèr pereas in scelere ciuitatis*. Vide quomodò Deus eripit iustos, vt de Lot 2. Petr. 2. 8. & de hoc non dubitauit Abraham; ideò nec pro Lot iusto rogauit, sciens Dominum id omninò facturum, qui dat significationem iustis, vt fugiant à facie arcus; sic in obsidione Hierosolymitana aduertit, vt fugerent, & fugerunt fideles, vt dixi in Euangelijs; sic Noe iustum à diluuio cùm suis, Ieremiam à cœde, & captiuitate Chaldęorum; at familia Lot fortè in peccatis Sodomiticis inuoluta remansit. *Dissimulante*, tardante *illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eò quòd parceret Dominus illi* iusto, qui quò mansit intèr pessimos, eò iustior credēdus, vt de Noe, & Iob intèr iustos versantibus in simili Gregorius, sic per manum apprehensum dicitur Deum eduxisse populum suum. *Eduxeruntquè eum, & posuerunt extrà ciuitatem*, notabile factum pro saluando iusto, *ibiquè locuti sunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam*,

vitam

vitam tuam,& tuorum, *noli respicere pòst tergum*, ne moriaris in via, *nec stes in omni circà regione*, cur id? quia ingrata oculis,& naribus,& ex aere videbis,& senties ex incendio futuro; vel præcepto salutem eius vallāt, vt obediendo lucretur,& quia sic non saluareris, nàm omnem circà regionem incendam, *sed in monte saluum te fac*, sed perge ad montana, & sic euades, *ne*, si hoc non feceris *& tu simùl pereas* cùm hominibus Sodomitis; non iubent ad montem ascendere, sed proponunt; nec tamèn Lot recedit ab eorum propositione, sed more humano quod melius est, eligit,& si secùs fuisset, Angeli eum reprehendissent, non acceptassent preces eius. *Dixitquè Lot ad eos: Quæso, Domine mi*, singulare pro plurali; *quia inuenit seruus tuus gratiam coràm te*, declarat quomodò ei gratus fuerit, *& magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, vt saluares animam*, vitam *meam*, & meorum, idest magnam fecisti misericordiam mecum, proponit beneficia recepta, vt nouis fiat dignior, *nec possum in monte saluari*, non possum illùc vsquè accedere; vel timor vires abstulerat; sic Dauidi contigit. 1. Paral. 21. 30. vel timore ductus non audet ad mōtem ire, *ne fortè apprehendat me malum, & moriar*; si non ascendero; ideò detis mihi aliud refugium, propono vobis. *Est ciuitas hæc iuxtà*, vicina, *ad quam possum fugere, parua*, ex cuius paruitate non videtur vobis æstimanda, quin illam saluetis, *& saluabor in ea, numquid non modica est*, quam ideò potestis mihi de facili concedere, *& viuet anima*, vita *mea?* ibì saluabor, quia propinqua, nec montuosa. *Dixitquè ad eum* vnus ex Angelis: *Eccè etiàm in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam Vrbem, pro qua locutus es*, aliòqui subuertendam:& sic ad preces iusti saluatur Vrbs vna ex quinque, eccè quomodò à monte proposito ad Vrbem bona fuit Lot mutatio,& simùl cùm Lot exauditur oratio Abrahæ vltrà quàm petierit, quia nedum pro decem, sed pro vno Lot iusto parcitur integræ ciuitati, in qua iustus vix moram traxit; *Festina, & saluare ibì*, saluaberis vtiquè, *quia non potero facere quicquàm*, non faciam, vel *non potero*, quasi, in hoc tibi obsequar, obediam tibi; facit enim Deus voluntatem iustorum Iosue 10. 14. dicitur obediente Deo voci hominis,&c. *donèc ingrediaris illùc* saluus; *Idcircò vocatum est nomen Vrbis illius*, in quo saluus Lot, *Segor*. nouum nomen recepit. *Sol egressus est supèr terram, & Lot ingressus est Segor*, vt saluaretur. *Igitùr* postmodum *Dominus pluit supèr Sodomam, & Gomorrham*. principales has,& dominantes, sed & Adama,& Seboim. Deut. 29. vndè Segor non arsa iuxtà promissionem Angeli *sulphur, & ignem à Domino*, à se *de cælo* aereo, reuelatur enìm ira Dei de cælo supèr omnem impietatem,&c. Rom. 1. 18. Verba, *Dominus à Domino* hebraismus est, denotans Deum à se ipso facere; sic 3. Reg. 13. 17. locutus est ad me Dominus in sermone Domini. 2. Paralip. 7. 2. eò quòd implesset maiestas Domini domum Domini. Exod. 6. 3. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac,& Iacob in Deo omnipotente: *Et subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores Vrbium, & cuncta terra virentia*. Deut. 29. 23. nihil intactum dereliquit, omnia consumpta, similitèr, sicùt factum est in diebus Lot; edebant, & bibebant, emebant, & vendebant, plantabant, & ædificabant, qua die autèm exijt Lot à Sodomis pluit ignem, & sulphur de cælo, & omnes perdidit. Luc. 17. 28. *Respiciensquè vxor eius* Lot *pòst se* contrà vetitum: dictum enìm fuerat: *noli respicere pòst tergum, &c. ne & tu simùl pereas; versa est in statuam salis*. erat hæc de stirpe illa mala, nequè hanc tulit Dominus;& quia sal habet magnam partem igneam, ideò in illud mutata est,& credendum conuersam esse, quia reseruabat affectum ergà locum originarium, iustè autèm, quia contrà præceptum fecit; sic cùm Adam, & Eua, & toto genere humano: nec placet, quòd ei id euenerit, quia coràm Angelo peccauit; nàm non erat ibì Angelus, & apparet ex textu de causa inobedientiæ. *Abraham autèm consurgens mane*,& petens locum, *vbì steterat priùs cùm Domino*, Angelis, *intuitus est Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius, viditquè ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum*; vidit illas ardere: Simile Apoc. 9. *Cùm enim subuerteret* (redit ad Lot) *Deus ciuitates regionis illius, recor-*

datus Abraha liberauit Lot de subuersione Vrbium, in quibus habitauerat. Eccè quomodò Deus acceptas habuit preces Abrahæ, quæ profuerunt Lot, & Segor pro illo, nec ob id reputandus Lot minùs iustus; imò quia profuerunt iusti preces iustus reputandus; at iustiorem eo Abraham; & sic verificatum dictum Ieremiæ. cap. 5. 1. circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei, etsi vellet dicere, virum vnum non inueniri, & more humano loquitur, proùt psalmista, non est qui faciat bonum, non est vsquè ad vnum. *Ascenditquè Lot* pòst ruinam incendij *de Segor*, nolens cùm illis hominibus improbis habitare factus ab experientia sapiēs, *& mansit in monte*, de qua re & præmonuerant Angeli; *duæ quoquè filiæ eius cùm eo (timuerat enim manere in Segor,)* persuasus ciuitatem subuertendam, *& mansit*, habitauit *in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cùm eo* solæ. Peccantem aliqui faciunt Lot. Primò, quòd dixerit se educturum filias; sed contrà, quia paratis ad masculos licuit fœminas offerre. Magalian. Ios. 22. sect. 2. fol. 215. qui allegat S. Thom. Caietan. alios. At Perrer. Gen. 19. non placet. Itèm, quia putauit hac oblatione eorum furorem placare, & dixit, non facturus, sed quasi potiùs id facerem, quàm hos educere, & sciebat Sodomitas non acceptaturos; nouerat enim quà tenderent eorum improbi mores, & satis est nunquàm illas educturum fuisse; & si peccasset, Angeli eum reprehendissent, & purgassent, vt dignus fieret saluari cùm suis. dixi in Epist. ad Rom. vide Abulen. Iudi. 19. 7. 17. occasione vxoris Leuitæ productæ à viro hominibus de Gabaa. Secundò, quia differebat egredi, vt necesse fuerit Angelis vi illum cùm suis educere; at non est hoc peccatum, sed contigit proùt alijs è domo propria egressuris, & peregrinaturis, & ei multò magis scienti ruinam propinquam, in cuius consideratione defecit animus, quod considerans Dominus aduertit suos, vt citò fugiant, non descendant tollere tunicam, &c. & si peccasset, Angeli reprehendissent. Tertiò, quia non petijt montem, proùt Angelus præmonuit; At nequè hoc peccatum; sicùt enim non fuit iussio Angeli, sed propositio simplex, ità non arctabatur ad illam, & poterat aliud eligere, proùt fecit sibi meliùs consulens, qui nouerat non posse tùnc ad montem ascendere viribus eneruatus ex timore maximo contracto, & dolore simùl, proùt contigit Dauidi. 1. Paralip. 21. 30. hinc ad propinquum locum auet accedere, dicens: *ad quam possum fugere*, quasi ad montem non possum, pro eoquè precatur, & impetrat, fitquè hoc bonum, quòd enim nedum precatus sit pro se, *& saluabor in ea*, sed & pro ciuitate, patet, quia aliàs nec ipse saluus fuisset ad eam accessurus, & ex respōsione Angeli, *Eccè etiàm in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam Vrbem, pro qua locutus es*; si ergò hoc bonum fecit, quomodò dānari potest? & si peccasset nec pro se, vel saltèm pro ciuitate exauditus esset, replicasset Angelus; ascende ad montem, vt dixi: at omnia concedendo factum suum approbauit, & precibus suis voluit clementissimus Deus illi ciuitati parcere. Quartò, quia à Segor discessit, & abijt posteà in montem. At non video quomodò in hoc considerari possit peccatum, imò scriptura illum excusat, dicens (*timuerat enim manere in Segor*) si ergò timuit, iustè mutauit sedem, nec potest reprehendi. Dices: vanus fuit timor, sed vndè hoc habes? diuinas vltrà scripturam, quæ nedum non appellat vanum timorem, sed dicens timorem simplicitèr, pro iusto illum admittit, & in homine iusto, & prudente talis præsumendus, & etiàm re ipsa; sciens enim eosdem malos mores versari in Segor, qui & in alijs quattuor ciuitatibus euersis, potuit suspicari idem post se Segor contingere quod illis, & liberationem fuisse ad tempus, donèc ipse saluaretur ab incendio proximo: potuit & timere ob conuersationem prauam, (quæ affligebat animam iustam. 2. Petr. 2. 2. 7. 8.) ipsum, vel filias cadere posse, & nos solemus dicere quamlibet causam etiàm bestialem à culpa excusare: potuit etiàm timere ibì despici tāquàm nouus, qui despectus fuerat à Sodomitis, intèr quos longiùs versatus erat, vidit etiàm nihil ibì posse lucrari exemplo suo, & verbis, cùm dati essent in reprobum sensum, quod ex ruina aliorum didicit; fortè enim in Sodomis habitauit ex præordinatione diuina,

na, vt eos verbis, & exemplo à tantis malis auerteret, sed quouis modo causa magna præsumenda egressionis è Segor, quia petijt montem, ibiquè mansit in spelunca cùm magno incommodo absquè domo, seruis, & suppellectilibus. Si dicis illum instabilem, quia primò recusauit accedere, deindè accessit. respondeo, hoc non fuisse leuitatis, sed melioris consilij electio. Si dicis: non credidit Angelo, imò credidit, & Angelus solam salutem tùnc prædixit, sed postquàm euasit, censuit melius ad montem accedere. Quintò, quia inebriatus est: at hoc non sua culpa, qui id non animaduertit, nec putauit plus quàm deceret bibere, non cogitauit peccare, nec potuit cauere delusus à filiabus, quæ dixerunt: *inebriemus eum vino.* Et si dixeris id semèl eum excusauit, sed non secundò; dic non aduertisse se prima vice fuisse ebriũ somno oppressum; nàm vir iustus non iterasset potum. Sextò, concubitus cùm filiabus. at clarus textus pro Lot in vtraque filia, non sensit quandò accubuit filia, nec quãdò surrexit; quomodò enìm nos volumus eum sensisse contrà textum? Sed ad prædicta omnia excludenda sufficiat, Lot sempèr iustum in Scriptura sacra nominari. Sap. 10. 6. hæc iustum Lot à pereuntibus impijs liberauit fugientem. 19. 16. percussi sunt autèm cœcitate, sicùt illi Sodomitæ in foribus iusti Lot. Eccles. 16. 9. & non pepercit peregrinationi Lot, iustitiæ, bonitati Lot. 2. Petr. 2. 7. & iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit; aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Non placet, iustum fuisse Lot respectu Sodomitarum, & quendam modum, non simplicitèr; nàm non est moris scripturæ iustos nuncupare, qui verè iusti non sunt, & numquàm audiui comparatione ad malos loqui, & verba Petri omninò hanc iustitiam mediam in Lot excludunt; aliòquin & Iob, & Noe itidèm dicerentur, qui intèr malos habitabant. Opponuntur duo, primum quia dicit textus: *Cùm enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberauit Lot de subuersione Vrbium, in quibus habitauerat*; sed esto ad preces Abrahæ, vel eius respectu id factum, non tamèn excluditur, quin iustus Lot, tùm quia sic nominatus, tùm quia vt preces iusti operentur, iustum esse conuenit illum, pro quo effunduntur; vndè hoc nedum excludit, sed includit iustitiam in Lot. Præterea preces Abrahæ non excludunt preces Lot, de quibus clarè apparet, & ob quas etiàm moti Angeli. Secundum, quia si non peccasset, Deus non esset passus illius concubitum cùm filiabus. At ostendimus Lot non peccasse, & prudentèr omnia egisse, & consequentèr nõ potuit ex hac causa id permisisse Deum. Præterea, malum est argumentum; hæc calamitas, afflictio (talis enim fuit respectu Lot concubitus cùm filiabus) euenit Lot, ergò præcesserunt peccata, sicùt malum fuit in Iob ab amicis suis adinuentum. Præterea egit Deus cùm iusto Lot, proùt solet cùm iustis, non permittendo vt peccaret; nàm ipse non peccauit, quomodò ergò ex hoc arguitur iniustus? Si dicis: peccarũt filię, ergò & pater, non currit; nàm anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, non potest peccatum vnius in alterum extendi: filius non portat iniquitatem Patris, nec Pater iniquitatem filij. Hæc nota contrà tenentes contrarium, præsertìm Fr. Tadæum Isai. 28. At seruit exemplum Lot, vt quisque cautus reddatur. *Dixitquè maior filia ad minorem* (ex latere matris de mala radice ortæ quid non excogitarunt improbum?) *Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxtà morem vniuersæ terræ.* Si intelligunt de solo monte, ad quẽ secesserat Lot, verum dicunt; si de tota terra, mentiuntur, quia in Segor reliquerãt homines, nisi fortè crediderunt Segor euersam Lot discedente; & tùnc viderentur ad conseruationem generis humani motæ, & excusandæ; Sed Segor non euersam è monte conspicere poterunt, proùt & alia loca. Præterea non requisierunt consensum patris, qui potuisset eas informare solas quattuor ciuitates arsas, non totum mundum, etsi illas quoquè id didicisse credi potest ex Angelis, dum cùm patre loquebantur, & illis; & quia sic deceperunt patrem, & inebriando peccarũt, & præsumitur earum malitia, nempè illas sciuisse patrem dissensurum. Excusatio Origenis pro his, quòd audierant mundum con-

cremandum, vana est; nàm si illud audierant etiàm sciebant pòst illam conflagrationem humanum genus non iri propagatum, sed omnes homines igne consumandos, omnemquè creaturam, & deindè homines resurrecturos, & omnia renouanda: vndè vana etiàm quæstio de inuincibili earum ignorantia, vel an concubitus paternus licuisset; at de more vniuersæ terræ loquuntur ad tegendam earum libidinem effrænatam. Dic dum dicunt, *nullus virorum remansit in terra*, illas intelligere de earum ciuitate sola, scilicèt Sodoma, sic pluriès Prophetæ loquentes simplicitèr de terra restringuntur iuxtà mentem, & verba ad solam terram promissionis, de qua prophetãt, vt est videre apud Isaiam, & Ieremiam pluriès; hic autèm clariùs, quia subiungunt alia verba, *iuxtà morem vniuersæ terræ*, hæc enim explicatio designat in præcedenti de vniuersa terra non intellexisse, sed de propria tantùm, de cuius more, non totius mundi dicere potuerunt; hincquè magis euertitur saluatio Origenis, & magis constat de earum intemperantia, & cessant alia absurda; hinc non placet Alchuuin. interrog. 189. in Genes. eas excusans, & interr. 190. dum Lot ab ebrietate non liberat. *Veni, inebriemus eum vino*, dic puro; nàm de mixtura nil dicitur; *dormiamusquè cùm eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen.* hoc etiàm dicũt ad excusationẽ sui peccati. *Dederunt itaquè patri suo bibere vinum nocte illa*, non morantur peccaturæ; *& ingressa est maior, dormiuitquè cùm patre; at ille non sensit* ebrius, *nec quandò accubuit filia, nec quandò surrexit* à principio ad finem; vndè liber à peccato fuit Lot ignorans, non filiæ. *Altera quoquè die dixit maior ad minorem: eccè dormiui heri cùm patre meo, demus ei bibere vinum etiàm hac nocte, & dormies cùm eo, vt saluemus semen de patre nostro.* vult sociam in delicto, & prima ratione sororem ad illud trahit; sic Eua traxit virum, ne sola peccasset. *Dederunt etiàm & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaquè minor filia dormiuit cùm eo* (eccè partus mali exempli maioris sororis) *& ne tùnc quidèm sensit quandò concubuerit, vel quandò illa surrexerit* à principio ad finem. excusat sempèr iustum Lot. *Conceperunt ergò duæ filiæ Lot de patre suo; Peperitquè maior filium, & vocauit nomen eius Moab: ipse est pater Moabitarum vsquè in præsentem diem.* sic dictus. *Minor quoquè peperit filium, & vocauit nomen eius Ammon, idest filius populi mei, ipse est pater Ammonitarum vsquè hodiè* sic nuncupatus: hucusquè de Lot, cuius filiæ improbæ ex malo semine materno descendentes, qualis mater, talis filia.

CAPVT XX.

1 *PROFECTVS indè Abraham in terram australem,*
habitauit intèr Cades, & Sur: & peregrinatus est in Ge-
2 *raris.* * *Dixitquè de Sara vxore sua, Soror mea est. Mi-*
3 *sit ergò Abimelech Rex Geraræ, & tulit eam.* * *Venit au-*
tèm Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En
morieris proptèr mulierem quam tulisti: habet enim vi-
4 *rum.* * *Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domi-*
5 *ne, num gentem ignorantem, & iustam interficies? Nonnè ipse dixit mihi: So-*
ror mea est: & ipsa ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei, & mun-
6 *ditia manuum mearum feci hoc.* * *Dixitquè ad eum Deus: Et ego scio, quòd sim-*
plici corde feceris: & ideò custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tange-
7 *res eam.* * *Nùnc ergò redde viro suo vxorem, quia Propheta est: & orabit pro*
te, & viues: si autèm nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu, & omnia

quæ

8 *quæ tua sunt.* * *Statimquè de nocte consurgens Abimelech, vocauit omnes seruos*
suos: & locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum, timueruntquè omnes
9 *viri valdè.* * *Vocauit autèm Abimelech etiàm Abraham, & dixit ei: Quid fe-*
cisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti supèr me, & supèr regnum
10 *meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis.* * *Rursumquè ex-*
11 *postulans, ait: Quid vidisti, vt hoc faceres?* * *Respondit Abraham: Cogitaui*
mecum, dicens: Forsitàn non est timor Dei in loco isto: & interficient me proptèr
12 *vxorem meam:* * *aliàs autèm & verè soror mea est, filia patris mei, & non*
13 *filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.* * *Postquàm autèm eduxit me Deus*
de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: in omni
14 *loco, ad quem ingrediemur, dices quòd frater tuus sim.* * *Tulit igitùr Abimelech*
oues & boues, & seruos & ancillas, & dedit Abraham: reddiditquè illi Saram
15 *vxorem suam,* * *& ait: Terra coràm vobis est, vbicumquè tibi placuerit ha-*
16 *bita.* * *Sara autèm dixit: Eccè mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in ve-*
lamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumquè perrexeris: mementoquè
17 *te deprehensam.* * *Orante autèm Abraham, sanauit Deus Abimelech & vxorem*
18 *ancillasquè eius, & pepererunt:* * *concluserat enìm Dominus omnem vuluam do-*
mus Abimelech proptèr Saram vxorem Abrahæ.

PROFECTVS *indè* à quercu Mambre ob famem ortam. Genes. 26. sic & in Aegyptum ob eandem, *Abraham in terram australem habitauit intèr Cades, & Sur; & peregrinatus est*, habitauit peregrinus *in Geraris. Dixitquè de Sara vxore sua* adhùc pulchra, proùt in Aegypto. *Soror mea est*, non refert ampliùs ex condicto cùm Sara id gestum, quia semèl dixit suprà. c. 12. *Misit ergò* (quia scilicèt fama erat Saram sororem esse Abraham) *Abimelech Rex Geraræ*, cui hoc delatum, proùt & Pharaoni c. 12. ad Reges enìm omnia deferuntur, *& tulit eam* de facto, regali auctoritate, nulla petitione præambula. *Venit autèm Deus* Abrahæ protector *ad Abimelech per somnium noctis*, terrens illum, vt solet per somnia, & visiones, iuxtà Iob. 33. 15. *& ait illi: En morieris proptèr mulierem, quam tulisti; habet enìm virum*, adulterium enìm non licet, imò in adulteros pœna mortis statuta. *Abimelech verò non tetigerat illam*, Deo sic prouidente. *& ait: Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies?* quasi, ignoraui esse alterius viri, putaui iustè posse congredi, num ob id moriar? id non soles, non est hoc tuum, Domine, suprà cap. 18. 25. *Nonnè ipse dixit mihi: Soror mea est, & ipsa ait: Frater meus est?* nonnè ego omnem diligentiam adhibui in perscrutando qualis esset, & ex ore vtriusque didici illam solutam? *in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc*, nequè facto, nequè mente peccaui, sed simplex, & mundus sum in hoc negocio. *Dixitquè ad eum Deus: Et ego scio, quòd simplici corde feceris*, existimās illam esse solutam; *& ideò*, hac de causa *custodiui te, ne peccares in me* (eccè peccatum quà tendit) sic & Dauid, tibi soli peccaui. Psal. 50. & 2. Reg. 12. 13. peccaui Domino, qui tamèn in Bersabee, & Vriam peccauerat) *& non dimisi vt tangeres eam*: eccè quomodò Deus custodit iustos, innocentes, in simplicitate ambulantes, ergò Abimelech bonus, nimirum si Deus secum alio modo, quàm cùm Pharaone improbo processit, *nùnc ergò redde viro suo vxorem*; comminatio ergò mortis fuit, si retineret, & nollet reddere; *quia Propheta est*, seruus meus est, iustus. Vide quanti sit Propheta; sic alibì: nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari; sic Angelus Apocal. 19. 10. Ioanni, qui

ceciderat antè pedes eius,vt adoraret. Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habētium testimonium Iesu. Deum adora, testimoniū enim Iesu est spiritus prophetiæ, & cap. 22. 9. Vide ne feceris; conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum,& eorum, qui seruant verba prophetiæ huius,Deum adora,*& orabit pro te,& viues*;sic & amicis Iob.42. hinc quātū iuuent preces piorū,etiàm viuentium,vt alibì obseruaui:*si autèm nolueris reddere*,proùt iussi, *scito quòd morte morieris tu, & omnia, quæ tua sunt*; ego enim vltor serui mei existam. ***Statimquè de nocte consurgens Abimelech*** timore perterritus, & obedire paratus, vt alter Abraham, nulla mora interposita, ***vocauit omnes seruos suos***, quibus confidebat,& secretorum participes,& qui fortè auctores fuerant abductionis mulieris;*& locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum* ipsis attentè audientibus; opera enim Dei reuelare honorificum. Tob. 12. *timueruntquè omnes viri valdè*;sciebant enim horrendum esse incidere in manus Dei viuentis. ***Vocauit autèm Abimelech etiàm Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis*** mali, qui nihil tibi nocuimus? *quid peccauimus in te, quia induxisti supèr me* principalitèr,*& supèr regnum meum peccatum grande?* pœnam, exterminium grande, vt omnes rei mortis simus? quàm grauis pœna adulterij, vide 2. Reg.12. *Quæ non debuisti facere, fecisti nobis*, nos decepisti. *Rursumquè expostulans ait: Quid vidisti, vt hoc faceres?* quæ occasio tibi data,quod malum tibi illatum,vt ad hæc prouocareris? *Respondit Abraham: Cogitaui mecum*, dicens, & tremens: *Forsitàn non est timor Dei in loco isto*, quo indigenæ reprimantur,& à peccatis abstineant, *& interficient me proptèr vxorem meam;* sic Dauid Vriam proptèr Bersabee; ideò dixi illam *sororem meam*, ne interficerer, nec mendax fui, *aliàs autèm, & verè soror mea est* simùl ex cōmuni nūcupatione,qua & fratrum filij dicuntur fratres, & sorores, *filia patris mei*, Thare illi aui, sed in cuius potestate erat, proùt Aran præmortuus pater illius, *& non filia matris meæ*, quia Aran, & ego fratres ex diuersa matre orti, *& duxi eam in vxorem*; & ne putares hoc nouum, & ad decipiendum te factum, ***Postquàm autèm eduxit me Deus de domo patris mei***: (non enim ex me peregrinor, sed Dei iussu, aliòqui hùc non accessissem; hoc dicit Abraham respondens obiectioni, quæ fieri poterat: si hòc timore vrgebaris,cur ad nos accessisti? vel cur proprios lares non incoluisti, ne hoc timore corripereris?) ***dixi ad eam: hanc misericordiam facies mecum***, mei miserans, qui magno subdor periculo proptèr te; ***In omni loco, ad quem ingrediemur, dices, quòd frater tuus sim. Tulit igitur Abimelech*** verbis Abrahæ emollitus ***oues,& boues, & seruos, & ancillas, & dedit*** dono ***Abraham***, quem vidit à Deo protegi, & sub eius custodia viuere, ***reddiditquè illi Saram vxorem suam*** intactam, ***& ait: Terra coràm vobis est***, videas qualis terra mea,***vbicunquè tibi*** Abrahę ***placuerit, habita***, concedo tibi, vt possis in terra mea figere sedem, non te abigo, non exilio mulcto,proùt Pharao; ***Saræ autèm dixit: Eccè mille argenteos*** separatos vltrà oues, & alia prædicta ***dedi*** in conspectu omnium publicè ***fratri tuo*** tamquàm fratri,non tāquàm viro ad tollendam ex animis omnium suspicionem, quòd te cognouerim, quia si te cognouissem, non illi, sed tibi munera dedissem, non quæsijssem muneribus placare illum,sed te. ***hoc ergò erit tibi in velamen oculorum*** tuorum ***ad omnes, qui tecum sunt, & quocunquè perrexeris***, ne coràm quoquam pudefias quasi violata, aut à me cognita, mementoquè *te deprehensam*,idest intactam, non prehensam, non cognitam, nullum dedecus passam; vel *te deprehensam*, captam, ad me reductam tantùm, non violatam; vel *te deprehensam* vxorem esse, non sororem,& ideò honorificè à me tractatam, & de me non posse conqueri, sic Dauid cùm Abigail, audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam. 1.Reg. 25. 35. vel *te deprehensam* ex quo dixisti te sororem, non vxorem Abrahæ,& tamèn cognitum est te esse etiàm vxorem.Non credo Abimelech vsum verbis vel ironicis, vel asperis cùm Sara, quia præcedebat somnium,à quo didicerat, quanti fieret à Deo, sicùt dicimus de Laban præmonito ne asperè loqueretur cùm Iacob. Non placet, quod dicit Hamerus Saram oculos circumtulisse, quibus Abimelech captus, ideò

ideò dicat in velamen oculorum, nempè vt illos velet,& contineat: hæc enim nō decent pudicitiam Saræ, nec protectionem Dei,nequè alio modo accommodantur. *Orante autèm Abraham* (proùt Deus præmonuerat) *sanauit Deus Abimelech*, (eccè quomodò prohibuit Deus ne tangeret infirmitate) *&* *vxorem* eius *ancillasquè eius*, quas sterilitate percusserat,*& pepererunt; cōcluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech proptèr Saram vxorem Abrahæ* raptam; nimirum si dixit Deus: *morieris tu, & omnia, quæ tua sunt*,& rectè percussæ mulieres eius, qui vxoré alterius retinebat,vt resipisceret.

CAPVT XXI.

1 VISITAVIT autèm Dominus Saram sicùt promiserat:
2 & impleuit quæ locutus est.* Concepitquè,& peperit filium
3 in senectute sua,tempore quo prædixerat ei Deus.* Vocauit-
què Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac:
4 * & circumcidit eum octauo die, sicùt præceperat ei Deus,
5 * cùm centum esset annorum: hac quippè ætate patris, na-
6 tus est Isaac. * Dixitquè Sara: Risum fecit mihi Deus:
7 quicunquè audierit, corridebit mihi.* Rursumquè ait: Quis auditurum crederet
8 Abraham quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iàm seni?* Creuit igitùr
puer, & ablactatus est: fecitquè Abraham grande conuiuium in die ablactatio-
9 nis eius.* Cumquè vidisset Sara filium Agar Aegyptiæ ludentem cùm Isaac
10 filio suo, dixit ad Abraham:* Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim
11 erit hæres filius ancillæ cùm filio meo Isaac.* Durè accepit hoc Abraham pro filio
12 suo.* Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum supèr puero, & supèr ancilla
tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur
13 tibi semen.* Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam,quia semen tuum
14 est,* Surrexit itaquè Abraham manè, & tollens panem & vtrem aquæ, impo-
suit scapulæ eius, tradiditquè puerum, & dimisit eam. Quæ cùm abijsset, erra-
15 bat in solitudine Bersabee.* Cumquè consumpta esset aqua in vtre, abiecit pue-
16 rum subptèr vnam arborum, quæ ibi erant.* Et abijt, seditquè è regione procùl
quantum potest arcus iacere. dixit enim: Non videbo morientem puerum: &
17 sedens contrà, leuauit vocem suam & fleuit.* Exaudiuit autèm Deus vocem
pueri: vocauitquè Angelus Dei Agar de cælo, dicens: Quid agis Agar? noli ti-
18 mere: Exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est.* Surge, tolle pue-
19 rum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum.* Aperuitquè
oculos eius Deus: quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem, deditquè
20 puero bibere.* Et fuit cùm eo: qui creuit, & moratus est in solitudine, factusquè
21 est iuuenis sagittarius.* Habitauitquè in deserto Pharan, & accepit illi mater
22 sua vxorem de Terra Aegypti.* Eodem tempore dixit Abimelech,& Phicol prin-
23 ceps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum est in vniuersis quæ agis.* Iura er-
gò per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpiquè meæ: sed iuxtà miseri-
24 cordiam, quam feci tibi, facies mihi, & terra, in qua versatus es aduena.* Di-

xit-

25 *xitquè Abram: Ego iurabo. * Et increpauit Abimelech proptèr puteum aquæ quem*
26 *vi abstulerant serui eius. * Respondítquè Abimelech: Nesciui quis fecerit hanc*
27 *rem: sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui pratèr hodiè. * Tulit ita-*
què Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech: percusseruntquè ambo fœdus.
28 ** Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsùm. * Cui dixit Abimelech: Quid*
29 *sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsùm? * At ille: Septem, inquit,*
30 *agnas accipies de manu mea: vt sint mihi in testimonium, quoniàm ego fodi pu-*
31 *teum istum. * Idcircò vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi vterque iurauit.*
32 ** Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti. * Surrexit autèm Abimelech, & Phicol*
33 *princeps exercitus eius, reuersiquè sunt in terram Palæstinorum. Abraham verò*
34 *plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni. * Et*
fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

V*ISITAVIT autèm Dominus Saram, sicùt promiserat, & impleuit quæ locutus est* circà prolem, *concepitquè* ex Abraham, *& peperit filium in senectute sua, tempore, quo prædixerat ei Deus*, ità vt Deus obseruans fuerit & in prole, & in tempore. *Vocauitquè Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac, & circumcidit eum octauo die, sicùt præceperat ei Deus*, à quo nunquàm recessit, *cùm cẽtum esset annorum, hac quippè ætate Patris natus est Isaac*. Singula scrutatur Moyses ad demonstrandam Dei potentiam, & misericordiam cùm Abraham. *Dixitquè Sara: Risum fecit mihi Deus*, lætificauit me dando mihi prolem; *quicunque audierit, corridebit mihi*, mecum collætabitur, proùt vicini, & cognati congratulabantur cùm Noemi, & Elisabeth. *Rursumquè ait: Quis auditurum crederet Abraham*, nisi quæ præcesserunt prouenissent, *quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?* quasi nullus; hincquè exaltat Dei misericordiam. Vtitur autèm hoc modo dicendi more mulieris pudoratæ nolentis de se loqui, nisi virum in sermone vniat, seruit ad id factum vxoris Manue. *Creuit igitùr puer* Isaac, *& ablactatus est; fecitquè Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius*, quod non fecerat in die natiuitatis, quem obseruabant Herodes, & Pharao, de hac ablactatione vide Pined. 1. lib. de rebus Salom. in ablactatione Salomonis. *Cumquè vidisset Sara filium Agar Aegyptiæ* Ismaelem *ludentem*, illudentem, affligentem. ad Paul. Gal. 4. vide Abulen. Iudi. 11. quæst. 8. 2. Reg. 2. ludant pueri, & agentem supèr successionem, seù primogenitura ex his, quæ dicit Sara, & ità intellexit Paulus ad Galat. 4. in fin. Sara enìm pòst ortum Isaac mutauit sententiam, quæ antè ortum Isaac reputabat Ismaelem pro hærede. iuxtà Ioseph. Antiq. lib. 1. c. 13. Non dicas *ludentem*, idòlum adorantem, ad idquè Isaac inducentem; absit enìm in domo Abraham viri adeò probi, Deo grati idòlum reperiri, & adorari à filio suo dilecto domi retento, & iuuene, idquè ipsum conniuere, & non cùm magna seueritate punire, hæc prorsùs extranea, eò magìs quia & exauditus Abraham supèr Ismaele à Deo: & si Iacob expurgauit suos ab idòlis, quantò magìs fecisset Abraham in filio? *cùm Isaac filio suo*, vide Magalian. Iosu. 24. sect. 1. ann. 6. *dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius* Ismaelem; *non enìm erit hæres filius ancillæ cùm filio meo Isaac*, sicùt ipse contendit. *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo*, non communi cùm Sara, Ismaele, quem diligebat. *Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum supèr puero, & supèr ancilla tua*, vt domo eijciantur; *Omnia, quæ dixit tibi Sara* supèr hoc, *audi vocem eius*, operare iuxtà ea, quæ tibi dixerit, *quia in Isaac*, non in Ismaele *vocabitur*, erit, *tibi semen* in gentem magnam, vt dixi; *Sed & filium ancillæ faciam in* aliam *gẽtem magnam, quia semen tuum est*, proptèr te faciam hoc. *Surrexit ita-*

itaquè Abraham mane (hinc per somnium locutus est Deus ad Abraham noctè) Deo obedientia præstita, *& tollens panem*,& alia obsonia,*& vtrem aquæ imposuit scapulæ eius* Agar ancillæ, proût & infrà cap. 24. de Rebecca, *tradiditquè ei puerum*, qui erat decem, & octo annorum circà, *& dimisit eam*, è domo eiecit,nihil tradit munerum,nullum socium, aut iumentum, ne displiceat Saræ, nihil hic de dissolutione matrimonij nōdum introducta, nihil de thori separatione nondum cognita: quomodò Abraham nudatus omnibus desiderabilibus proptèr Deum,nihil æstimat pro Deo,nequè filium suum. Errabundum cùm matre dimittit, & nihilominùs sperat futurum quod dixit Deus, vt sit in gentem magnam; nisi enim credidisset, reprehendisset eum Deus, proût Saram suprà cap. 18. 13. *Quæ* Agar *cùm abijsset, errabat in solitudine*, deserto *Bersabee*. *Cumquè consumpta esset aqua in vtre, abiecit*, dimisit, habuit pro derelicto *puerum*, filium Ismaelem *subtèr vnam arborū,quæ ibì erant*, ex desperatione, nesciens quomodò illum nutriret siti confectum.Cur hæc petit solitudinem, cur non ingressa ciuitatem aliquam? quia nulla ibì, solitudo tantùm. Quomodò Abraham absquè comitatu,& commeatu dimittit filium,& vxorem Agar? quænàm hæc charitas? omnia vt appareat potentia Dei, & ab eo omnia recognoscantur; quòd enìm sola abierit, apparet, quia scapulæ eius impositum onus. Sed potuit pluriès Abraham eis subuenire, & creditur factum, quia qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior. Vel Abraham dederat edulia, at aquam, quæ in vtre capiebat, nec poterat Agar plus ferre; apparet enìm siti tantùm confectum puerum,quia aquam solā desiderabat Agar, quæ & data. *Et abijt, seditquè è regione ex* opposito *procùl quantum potest arcus iacere. dixit enim*: *Non videbo morientem puerum, & sedens contrà, leuauit vocem suam, & fleuit. Exaudiuit autèm Deus vocem pueri*;flentis,& orantis pro siti, & si non præmittatur, quia sufficit hic dici vocem pueri, pro quo orabat & mater. *Vocauitquè Angelus Dei Agar de cælo* adueniens, *dicens*: *Quid agis Agar? noli timere*.signum boni Angeli;*exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est* ortam, habet aures Deus de longinquo audientes. *Surge, tolle puerum, & tene manum illius*,vt surgat,*quia in gentem magnam faciam eum*, sicùt promisi tibi, & Abrahæ; sed cur dicit, Deum audisse vocem pueri, non Agar? fortè enim & ipse pro puero orabat,at omnia ad puerū,& pro puero ad Abraham referuntur. *Aperuitquè oculos eius* Agar *Deus*; fortè enim defecerant præ siti, vt in simili Ierem. 14. 6. defecerunt oculi eorum, quia non erat herba; & contigit in Ionatha, cuius oculi illuminati gustato melle. 1. Reg. 14. 28. & videre fecit puteum,quem non viderat, vndè *quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem, deditquè puero bibere*; & sic illum recreauit. *Et fuit* Deus *cùm eo*, cùm Ismaele; ideò non est dicendum latrocinijs datum fuisse; *qui creuit,& moratus est in solitudine*, in eremo; *factusquè est iuuenis sagittarius*,vt fieret ipse contrà omnes,& omnes contrà eum, proût suprà dictum Abrahæ, vel Agar. *Habitauitquè in deserto Pharan, & accepit illi* mater sua *vxorem de terra Aegypti*,ex qua & ipsa oriunda. *Eodem tempore dixit Abimelech* Rex,*& Phicol princeps exercitus eius ad Abraham*, qui fixerat sedem in regno Abimelech: *Deus tecum est in vniuersis, quæ agis*, Rex ipse id expertus erat; vndè magnus euades. *Iura ergò* mihi *per Deum* tuum, *ne noceas mihi, & posteris meis, stirpiquè meæ, sed iuxtà misericordiā, quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua versatus es aduena*; congruit enim vt eandem misericordiam, eadem facta mihi præstes, quæ tibi exhibita. *Dixitquè Abraham*: *Ego iurabo*, vt vis; *& increpauit* priùs Abraham *Abimelech proptèr puteum aquæ, quem vi abstulerant serui eius*;factum enim seruorum, quos ipse castigare debuerat, sibi imputabatur. *Respondituè Abimelech* se excusans: *Nesciui quis fecerit hanc rem, sed & tu non indicasti mihi*, quia prouidissem, *& ego non audiui prætèr hodiè*, & benè dicit, quia non omnia mala, & delicta ad Reges deferuntur. *Tulit itaquè Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech* dono, *percusserūtquè ambo fœdus*, pacti sunt simùl. *Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsùm* à reliquo grege, *cui dixit Abimelech*: *Quid sibi volunt*

septem

septèm agnæ istæ, quas stare fecisti seorsùm? *At ille* Abraham: *Septèm (inquit) agnas accipies de manu mea, vt sint mihi in testimonium,* ad probationem, *quoniàm ego fodi puteum istum,* meumquè esse, nec posse auferri. *Idcircò vocatus est locus ille Bersabee, quia ibì vterque iurauit. Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti,* vbì iurauerunt. *Surrexit autèm* indè *Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, reuersiquè sunt in terram Palæstinorum. Abraham verò plantauit nemus,* arbores *in Bersabee, & inuocauit ibì nomen Domini Dei æterni,* sub eo obtulit sacrificium, *& fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.*

CAPVT XXII.

1 *QVAE postquàm gesta sunt, tentauit Deus Abraham, &*
dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit:
2 *Adsum. * Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem*
diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atquè ibì of-
feres eum in holocaustum supèr vnum montium, quem
3 *monstrauero tibi. * Igitùr Abraham de nocte consurgens,*
strauit asinum suum: ducens secum duos iuuenes, & Isaac
filium suum: cumquè concidisset ligna in holocaustum, abijt ad locum quem præ-
4 *ceperat ei Deus. * Die autèm tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul: * dixit-*
5 *què ad pueros suos: Expectate hìc cùm asino: ego & puer illùc vsquè properantes,*
6 *postquàm adorauerimus, reuertemur ad vos. * Tulit quoquè ligna holocausti, &*
imposuit supèr Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gla-
7 *dium. Cumquè duo pergerent simùl, * dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille re-*
spondit: Quid vis fili? Eccè, inquit, ignis & ligna: vbì est victima holocau-
8 *sti? * Dixit autèm Abraham: Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.*
9 *Pergebant ergò paritèr: * & venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo*
ædificauit altare, & desupèr ligna composuit: cumquè alligasset Isaac filium
10 *suum, posuit eum in altare supèr struem lignorum. * Extendítquè manum, &*
11 *arripuit gladium, vt immolaret filium suum. * Et eccè Angelus Domini de cælo*
12 *clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum. * Dixitquè ei:*
Non extendas manum tuam supèr puerum, nequè facias illi quidquam: nùnc co-
13 *gnoui quòd times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo proptèr me. * Leua-*
uit Abraham oculos suos, viditquè pòst tergum arietem intèr vepres hærentem
14 *cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. * Appellauitquè nomen loci*
illius, Dominus videt. Vndè vsquè hodiè dicitur: In monte Dominus videbit.
15 ** Vocauit autèm Angelus Domini Abraham secundò de cælo, dicens: * Per meme-*
16 *tipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo*
17 *vnigenito proptèr me: * benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicùt stellas*
cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas ini-
18 *micorum suorum, * & BENEDICENTVR in semine tuo omnes gen-*
19 *tes terræ, quia obedisti voci meæ. * Reuersus est Abraham ad pueros suos, abie-*

runt-

20 *runtquè Bersabee simùl, & habitauit ibì.* * *His ità gestis, nunciatum est Abra-*
21 *hæ quòd Melcha quoquè genuisset filios Nachor fratri suo,* * *Hus primogenitum,*
22 *& Buz fratrem eius, & Camuel patrem Syrorum,* * *& Cased, & Azau, Phel-*
23 *das quoquè & Iedlaph,* * *ac Batuel, de quo nata est Rebecca: octo istos genuit*
24 *Melcha, Nachor fratri Abrahæ.* * *Concubina verò illius, nomine Roma, pepe-*
rit Tabee, & Gaham, & Tahas, & Maacha.

QVAE prædicta *postquàm gesta sunt*, Agar cùm filio Ismaele dimissa, ità vt solus Isaac domi remanserit; *tentauit*, probauit, experiri *Deus* non inscius, sed ad coronam, & exemplum voluit Abraham, *& dixit ad eum: Abraham, Abraham*. duplicat quasi magna, & vrgentia dicturus. *At ille respondit: Adsum,* quid iubes Domine mi; sic respondere docuit Heli Samuelem vocanti Deo. *Ait illi: Tolle* hinc *filium tuum vnigenitum* ex Sara, *quem diligis, Isaac;* solent enim senes plus diligere filios in senectute natos, vt de Iacob. Gen. 37.3.4. hinc maior dolor Abrahæ. *Et vade in terram visionis*, sic dicta per præoccupationem, *atquè ibì offeres eum in holocaustum*, in hostiam *supèr vnum montium, quem monstrauero tibi*, poterat id iustè iubere Deus, quia ei nullus innocens, omnes ad mortem addicti. Abul. 4. Reg. 6. quæst. 31. non explicat locum, vt ab imperio suo in omnibus dependeat: dicunt hunc montem Moria, vbì templum ædificatum. 2. Paralip. 3. 1. *Igitur Abraham* certus de imperio Dei, & nullo modo contrarium suspicans, aliòqui rem tantam non esset aggressus per se illicitam, vt in Iephte dicetur. Deo mandante meritoriam, obediens, *de nocte consurgens;* sic Iob diluculò. Iob. 1. Ioseph monitus ab Angelo de nocte. Matth. 2. non communicata re cùm Sara, vt puto. sicùt nequè Sunamitis cùm viro suo de morte filij; nequè Abigail cùm Nabal de minis Dauid, & periculo instante (de nocte locutus est ad eum Dominus) *strauit asinum suum ducens secum duos iuuenes* seruos; *& Isaac filium suum. Cumquè concidisset ligna in holocaustum* pro sacrificio, portat secum ligna apta ad incendium, & ne vagari cogatur ad illa inuenienda, & differat obedientiam, *abijt*, discedens à Bersabee, *ad quem locum* posteà redijt, vt in fine capitis, & in quo erat, quandò cùm Abimelech fœdus inijt. cap. 20. ad locum visionis, *quem præceperat ei Deus. Die autèm tertio* postquàm discesserat à Bersabee; sic enim ordo litteræ, ità vt duobus tantùm diebus fuerit in itinere, tertio peruenerit lento pede gradiens dolore pressus, & comitem habens Isaac puerum, vt & Iacob. Genes. 33. 13. (per tres dies passus est senex hanc tribulationem) *eleuatis oculis vidit locum procùl,* quem designauerat, seù ostenderat ei Dominus iuxtà præmissa, *dixitquè ad pueros,* seruos *suos: Expectate hìc cum asino. Ego, & puer* Isaac *illucusquè properantes* ibimus, & *postquàm adorauerimus* (in monte aptiori loco orationi) nec mentitur etsi sacrificaturus, quia sub sacrificio & oratio, *reuertemur ad vos*, ego reuertar, non Isaac immolandus, & sufficit in vno potuisse verificari, ne dicatur mentitum esse. Cur non ducit secum seruos? fortè ne impedirent, & auerterent eum ab immolatione filij, volens sincerè, ex corde, & re ipsa obedire Deo præcipienti. Cur non ducit asinum? quia intentus sacrificio illius curam gerere non poterat. Ex his argue nequè Saræ reuelasse iussum Dei de Isaac immolando, ne ipsa turbaretur, vel moras interponeret, & quia timuisset offendere Deũ reuelantem, qui de hoc nihil dixerat; sic Sunamitis occultauit viro suo mortem filij, ne dolore conficeretur. 4. Reg. 4. 21. *Tulit quoquè ligna holocausti* ad illud parata, *& imposuit supèr Isaac* puerum, *filium suum, ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium* ad sacrificium parata. *Cumquè duo* Abrahã, & Isaac *pergerent simùl* ad locum sacrificij, *dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Eccè, inquit, ignis, & ligna, vbì est victima holocausti?* hinc collige,

ge, sæpiùs Abraham sacrificantem, & ex eo filium edoctum. *Dixit autèm Abraham* (cogita quis gladius doloris in cor senis infigebatur) *Deus*, cuius terra, & plenitudo eius, bestiæ, & pecora campi, *prouidebit sibi victimam holocausti* immolandam *Fili mi*, hæc nobis non curanda, qui misit nos sacrificatum, necessaria ministrabit, proùt & factum. *Pergebant ergò partitèr* iter prosequebantur, *& venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus* (quomodò non explicat) *in quo ædificauit altare* ex lapidibus, *& desupèr ligna composuit. Cumquè alligasset Isaac filium suum* (ne euaderet) *posuit eum in altare supèr struem lignorum* Deo immolandum. *Extenditquè manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum*, sciens Deum potentem illum à mortuis reuocare. Hebr. 11. perfecit ergò Abraham quantum in eo fuit.

Quæro hìc an Abraham reuelauerit Isaac saltèm ligato, & in altare supèr struem lignorum posito hanc diuinam iussionem? Et videtur quòd sic, quia obedientia etiàm Isaac magna fuit. Secundò, quia decuit ipsum voluntate sua concurrere ad actum adeò insignem in persona sua celebrandum, vt mereretur coràm Deo. Tertiò, quia aliàs non posset dari causa, cur permisisset se ligari, & in altare poni, præsertìm, quia erat grandæuus, & poterat patri centum, & viginti annos excedenti de facili resistere.

In contrarium facit, quia cùm scriptura semèl dicat Abraham non communicasse filio interroganti de victima, nequè vnquàm subijciat de communicatione, videtur persistere in primo dicto, à quo non possumus recedere. Secundò, quia id tacuit etiàm cùm Sara, ne illam contristaret. Ioseph. Antiq. lib. 1. cap. 14. & cùm seruis, vndè censetur seruasse idem cùm filio. Tertiò, quia si concurrisset voluntas Isaac, non ommisisset scriptura celebrare egregium hoc eius facinus, sicùt vbiquè celebrat in Abraham tàm hìc per Angelum. vers. 12. & 16. quàm per eundem Deum repræsentantem infrà cap. 26. 5. cùm Isaac loquentem. & Hebr. 11. 17. & in Isaac hoc tacet hìc, & Hebr. 11. 18. & Eccles. 44. 24. Quartò, quia Deus non iusserat reuelationem, & timuisset Abraham id facere absquè Dei nutu, ne si aliquid contrarium contigisset, sibi reuelanti imputaretur. Quintò, quia ligauit illum, si enìm reuelasset, & concurrisset Isaac, non erat necessarium ligamen. Sextò, quia credidit à Deo excitandum. Hebr. 11. 17. ideò non reuelauit. Septimò, quia dicitur *arripuit gladium* quasi furtiuè, & ex insidijs, & Isaac patrem interrogans meminit ignis, & lignorum, non gladij, quod fortè Abraham occultabat. Octauò, cùm statuisset immolare filium, noluit hanc afflictionem illi dare. Nonò, cùm iussio esset à Deo, frustratoria erat reuelatio, quia consensus Isaac non requirebatur, nequè ipse erat Dominus vitæ suæ, vt in necem consentire posset absquè peccato. Decimò, reuelando, Abraham conijciebat se in magna discrimina non exequendi iussionem Dei. Nàm vel Isaac poterat contradicere, & violentia soluere ligamina, & se eximere, nequè fidem adhibere patri reuelanti id à Deo iniunctum, præsertìm quia absquè Dei præcepto res erat illicita, & sinè exemplo, & præferre vitam suam dictis à patre. Vel precibus, & blandis verbis mouere patrem ad compassionem, & illum ad sui liberationem trahere, proùt Eua traxit Adam. Vel saltèm magìs animum suum tristem exacerbare. Vndecimò, Abraham ligauit Isaac priùs, deindè posuit eum in altare supèr struē lignorum, sicùt ergò verisimilitèr Isaac ignorauit ligatus se immolandum, ità postquàm supèr struem lignorum in altare positus; ideò nunquàm reuelauit Abraham.

Non obstat magna obedientia Isaac, quia illa erat erga patrem suum, & fuit, nàm permisit ligari, & in altare supèr struem lignorum poni. Non obstat secundum, quia id non fuit iussum à Domino agente, & tentante solum patrem, non filium. Non obstat tertium, quia processit ex obedientia, nimirùm si in omnibus acquieuit patri iubenti, & exequenti: & quia Abraham sciebat eius obedientiam nec vi egit, nec seruos duxit, qui cogerent; potuit & Abraham prudens rationabilem, & veram causam cur ea faceret adducere, de qua tamèn nihil habemus in scriptura. Hànc opinionem tenet S. Io. Chrysost. in serm. de fid. Abrah. & immol. Isaac. Contrariam Ioseph. Antiq. lib. 1. cap. 14. *Et eccè Angelus Domini de cælo* aduenięs *clamauit*, di-

dicens: Abraham, Abraham, duplicat, vt maiorem attentionem recipiat. *Qui respondit: adsum*, obedire paratus. *Dixitquè ei: non extendas manum tuam supèr puerum*, illum immolaturus, *neque facias illi quidquam* mali *nunc cognoui* hoc facto, more humano loquitur, quod anteà intùs, & verbis tuis cognoscebã, *quòd times*, & amas *Deum, & quia nõ pepercisti vnigenito filio tuo proptèr me*, vt mihi obedires. *Leuauit Abraham oculos suos* à Deo exhilaratus, *viditquè post tergum arietem intèr vepres*, spinas *hærentem cornibus* infixum, vt aufugere non posset, cognouitquè sibi paratum à Deo ad sacrificium, *quem assumens obtulit holocaustum*, hostiam Deo *pro filio*, vice filij sui Isaac; & sic verificatum quod dixit Abrahã, prouisurum sibi Deum de victima. *appellauitquè nomen loci illius Dominus videt*, eò quòd respexerit Dominus Abraham immolantem filium, illumquè prohibuerit, & (vt dixi) per anticipationem priùs vocauit locũ illum visionis; *Vndè vsquè hodiè dicitur* in memoriam huius nuncupationis factæ ab Abraham, *In monte Dominus videbit*, prouidebit, proùt Abrahæ. Ex his videtur nutare sententia illa, quòd Melchisedech fuerit ædificator, seù inhabitaret Hierusalem, quia si habitasset ibì, diceretur aliquid de eo dùm Mõtis Moriæ, in quo posteà ædificatum templum à Salomone, fit mentio, cùm Salem, in qua Melchisedech, esset regnum eius, imò is mons refertur quasi distinctus, & separatus ab ædificijs, & congregatione hominũ, vide Perrer. fol. 87. & Dan. 3. *Vocauit autèm Angelus Domini Abraham secundò de cælo* aereo, *dicens: Per me metipsum iuraui, dicit Dominus* (vice Domini loquitur Angelus) iurat per se ipsum Deus, dicit Paulus, quia non habet alium maiorem se, per quem iuret Heb. 6. 13. vt certos nos reddat promissorum suorum, *quia fecisti hanc rem*, facinus hoc magnum & egregium, nempè, *& non pepercisti filio tuo vnigenito propter me*. habet pro facto Deus, quod voluit facere Abraham, *benedicam tibi*, abundare te faciam, *& multiplicabo*, augebo *semen tuum* in Isaac *sicùt stellas cæli, & velùt arenam, quæ est in littore maris* innumerabilia, *possidebit semen tuum portas*, arces, custodias, propugnacula, *inimicorum suorum*, inimicos suos debellabunt. hoc siuè respicias ad semen carnale Hebræorum, qui debellauerũt omnes Reges in terra promissionis, eaquè potiti sunt, siuè semen spirituale, seù Christum, qui debellauit dæmones, & omnes potentias illius, *& benedicentur*, multiplicabũtur, prosperabũtur *in semine tuo*, in Christo, non in seminibus ex Paulo ad Galat. 3. & nõ potest intelligi nisi de Christo, ideò verbum *semen* in singulari profertur, *omnes gẽtes terræ, quia obedisti voci meæ*, proptèr hanc tuam obedientiam; sic placatur Deus, dum Dauid petit in se vindicari. 2. Reg. 24. 1. Paral. 21. sic ex facto Phinees. *Reuersus est Abraham* (his transactis) *ad pueros*, ad seruos suos, *abieruntquè* indè *Bersabee simùl, & habitauit ibì. His ità gestis nunciatum est Abrahæ, quòd Melcha quoquè genuisset filios Nachor fratri suo, Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Camuel patrem*, qui posteà pater fuit *Syrorum, & Cased, & Azau, Pheldas quoquè, & Iedlaph, & Bathuel, de quo nata est Rebecca* (hùc tendebat, quia futura vxor Isaac) *octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ. Concubina verò illius nomine Roma peperit Iabee, & Gabam, & Tahas, & Maacha*. proptèr Abraham iustum hi quoquè nominati.

CAPVT XXIII.

1 *VIXIT autèm Sara centum viginti septem annis.* * *Et*
2 *mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Cha-*
naan: venitquè Abraham vt plangeret, & fleret eam.
3 * *Cumquè surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios*
4 *Heth, dicens:* * *Aduena sum & peregrinus apud vos:*
5 *date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum*
6 *meum.* * *Responderunt filij Heth, dicentes:* * *Audi nos*
domine, princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuũ:
nullusquè te prohibere poterit quin in monumento eius sepelias mortuum tuum.
7 * *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth:* * *Di-*
8 *xitquè ad eos: Si placet animæ vestræ vt sepeliam mortuum meum, audite me,*
9 *& intercedite pro me apud Ephron filium Seor:* * *Vt det mihi speluncam dupli-*
cem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi co-
10 *ràm vobis in possessionem sepulchri.* * *Habitabat autèm Ephron in medio filio-*
rum Heth. Responditquè Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingredie-
11 *bantur portam ciuitatis illius, dicens:* * *Nequaquàm ità fiat, domine mi, sed*
tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi, & speluncam, quæ in eo est,
12 *præsentibus filij populi mei, sepeli mortuum tuum.* * *Adorauit Abraham coràm*
13 *populo terræ.* * *Et locutus est ad Ephron circumstante plebe: Quæso, vt audias*
me: Dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo:
14 * *Responditquè Ephron:* * *domine mi, audi me: Terra, quam postulas, qua-*
15 *dringentis siclis argenti valet: istud est pretium inter me & te: sed quantùm est*
16 *hoc sepeli mortuum tuum.* * *Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam,*
quam Ephron postulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos siclos argen-
17 *ti probatæ monetæ publicæ.* * *Confirmatusquè est ager quondam Ephronis, in quo*
erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tàm ipse, quàm spelunca, & omnes
18 *arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum,* * *Abrahæ in possessionem, vi-*
19 *dentibus filijs Heth, & cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius.* * *Atquè ità*
sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat
20 *Mambre, Hæc est Hebron in terra Chanaan.* * *Et confirmatus est ager, & an-*
trum, quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti à filijs Heth.

VIXIT autèm Sara centum viginti septẽ annis, & mortua est in Ciuitate Arbee, quæ est Hebrõ in terra Chanaan (discesserant ergò ex Bersabee. & inuerisimile ibi hortum, seù paradisum plantasse, sed simplicitèr arbores) *venitquè* (non aliundè, sed actionem ostendit) *Abraham, vt plangeret, & fleret eam*, funus suum curaret, in quo planctus, & fletus fiebant, vt in Iacob, & Ioseph, & alijs videbimus. *Cumquè surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens: aduena sum, & peregrinus apud vos, date mihi ius sepulchri vobiscum*, agrum pro sepultura, *vt sepeliam mortuum*

meum,

meum, quam dicit hìc mortuum, suprà eam, vndè nihil hìc resurrectionem in genere masculino tātùm futuram, hinc collige nec pedem ei datum in terra promissionis Act. 7. *Responderunt filij Heth, dicentes: audi nos, Domine; princeps Dei es apud nos*, à Deo exaltatus, *in electis*, melioribus *sepulchris nostris sepeli mortuum tuum*, libentèr tibi concedimus ius sepulchri, *nullusquè te prohibere poterit, quin in monumento eius sepelias mortuum tuum. Surrexit Abraham, & adorauit* pronus gratias agens, *populum terræ* illius, *filios videlicèt* descendentes *Heth. dixitquè ad eos: si placet animæ vestræ, vt sepeliam mortuum meum*, si vultis ex corde sincero dare mihi ius sepulchri, *audite me*, succurrite mihi, *& intercedite* precibus *pro me apud Ephron filium Seor, vt det mihi speluncam duplicem* ob antrum præcedens, vt infrà in fine, *quam habet in extrema parte agri sui*, nec peto dono, *sed pecunia digna* pro eo quantum valet, *tradat eam mihi coràm vobis* liberam *in possessionem sepulchri* ad hoc vt habeam ius sepulchri. *Habitabat autèm Ephron in medio filiorum Heth. Respondìtquè Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam Ciuitatis illius:* in portis enìm fiebant congregationes, & reddebatur ius, *dicēs: nequaquàm ità fiat Domine mi*, vt pretio emas, *sed tu magis ausculta quod loquor, Agrum trado tibi, & speluncam, quæ in eo est*, dono liberè *præsentibus filijs populi mei; sepeli* nunc *mortuum tuum* dominus nùnc à me cōstitutus. *Adorauit* pronus *Abraham coràm populo terræ, & locutus est ad Ephron circunstante plebe*, populo: *quæso vt audias me*, facias iuxtà voluntatem meam; *dabo pecuniam pro agro, suscipe eam*, nolo enìm dono, quod tuum est, *& sic sepeliam mortuum meum in eo*; sic nec quidquā voluit Regis Sodomorū suprà cap. 14. 23. sìc Dauid noluit aream, & alia gratìs ab Areuna, sed pretio. 2. Reg. 24. in fin. *Responditquè Ephron: Domine mi, audi me; terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet, istud est pretium intèr me, & te*, in tui gratiam, quod alteri tàm vili pretio nō distraherē, *sed quantū est hoc?* quasi hoc nihil est, id non curo, potiùs dono trado, *sepeli mortuum tuū*, & nil aliud quæras. *Quod cùm audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat audientibus*, præsentibus *filijs Heth quadringentos scilicèt siclos argenti probatæ monetæ publicæ*. hic nulla simonia, quia nec religiosus erat locus, nec extabant canones, & Abraham abstinuisset, qui enìm noluit gratìs locum, simoniacè ne recepisset? videtur inanis quæstio. *Confirmatusquè*, datus *est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex respiciens Mambre, tàm ipse* ager, *quàm speluca, & omnes arbores eius in cūctis terminis eius per circuitum Abrahæ in possessionem videntibus*, præsentibus *filijs Heth, & cunctis qui intrabant portam Ciuitatis illius, atquè ità sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca duplici, quæ respiciebat Mābre, hæc est Hebron in terra Chanaan, & cōfirmatus est ager, & antrum* speluncæ, *quod erat in eo Abrahæ in possessionem monumenti* sepulchri *à filijs Heth* dominis Ciuitatis, vel quia ab eis illum emerat Hemor infrà cap. 25. 9.

Concordare nituntur aliqui locum hunc cum alio Act. 7. Sed nihil placet: sunt textus pro his Genes. 25. 33. 48. 49. & 50. & Iosue 24. ignoro quid dicam, quia Act. 7. discordat in loco, quia hìc, & Genes. 50. in loco respiciente Mambre in terra Chanaan, ibì in Sichem, & Genes. 33. iuxtà Salem terram Sichimorum. hic ab Ephrone filio Seor Ethæo, ibì à filijs Hemor filij Sichem, qui erat Heuæus, Genes. 34. Discordat etiàm, nàm Genes. 33. & Iosue 24. emptio centum agnis, hìc pretio argenti; ibì à Iacob, hìc ab Abraham, ibì à filijs Hemor patris Sichem, hic à filijs Hemor filij Sichem, & Gen. 34. 2. dicitur Sichem filius Hemor Heuæi. at Genes. 25. 9. Ephron filij Seor Hethæi. alia differentia, quem Hemor scilicèt emerat à filijs Heth. & Genes. 48. quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Fortè dici posset duo sepulchra vnita à Stephano, & amborum carptìm factam mentionem indistinctam breuitati studens, sed ab Abraham digniore denominationem fecisse; sìc Marcus cap. 1. vnit duas prophetias Isaiæ, & Malachiæ, & ab Isaia propheta maiori ambas denominat; qui sensus eò magis procedit, quia parùm intererat, Stephani ad

aliud tendentis præcisa, & distincta mentio amborum sepulchrorum, cùm sufficeret dicere, sepultos esse patres illos, nimirum si confusè de illis egit. Vide recentiores. Actor. 7. qui alias solutiones tradunt, quas reieci.

CAPVT XXIV.

1 ERAT autèm Abraham senex, dierumquè multorum:
2 & Dominus in cunctis benedixerat ei: * Dixitquè ad ser-
uum seniorem domus suæ, qui praerat omnibus quæ habe-
3 bat: Pone manum tuam subtèr femur meum, * vt adiurem
te per Dominum Deum cæli, & terræ, vt non accipias
vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, intèr quos
4 habito: * sed ad terram, & cognationem meam proficisca-
5 ris, & indè accipias vxorem filio meo Isaac. * Respondit seruus: Si noluerit mu-
lier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad lo-
6 cum, de quo egressus es? * Dixitquè Abraham: Caue nequandò reducas filium
7 meum illùc. * Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra
natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo
terram hanc: ipse mittet Angelum suum coràm te, & accipies indè vxorem filio
8 meo: * sin autèm mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento: filium meum
9 tantùm ne reducas illùc. * Posuit ergò seruus manum sub femore Abraham do-
10 mini sui, & iurauit illi super sermone hoc. * Tulitquè decem camelos de grege do-
mini sui, & abijt, ex omnibus bonis portans secum, profectusquè perrexit in Me-
11 sopotamiam ad vrbem Nachor. * Cumquè camelos fecisset accumbere extrà oppi-
dum iuxtà puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad haurien-
12 dam aquam, dixit: Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi
13 hodiè, & fac misericordiam cum domino meo Abraham. * Eccè ego sto propè fon-
tem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquã.
14 * Igitùr puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa respon-
derit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti seruo
tuo Isaac: & per hoc intelligam quòd feceris misericordiam cum domino meo.
15 * Necdum intrà se verba compleuerat, & eccè Rebecca egrediebatur, filia Bathuel
filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua:
16 * puella decora nimis, virgoquè pulcherrima, & incognita viro: descenderat au-
17 tèm ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. * Occurritquè ei seruus,
18 & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua * Quæ respondit:
Bibe domine mi. celeriterquè deposuit hydriam supèr vlnam suam, & dedit ei po-
19 tum. * Cumquè ille bibisset, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, do-
20 nèc cuncti bibant. * Effundensquè hydriam in canalibus, recurrit ad puteum vt
21 hauriret aquam: & haustam omnibus camelis dedit. * Ipse autèm contempla-
tur eam tacitus, scire volẽs vtrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non.

Post-

22 * *Postquàm autèm biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes si-*
23 *clos duos: & armillas totidem pondo siclorum decem. Dixitquè ad eam: Cuius*
24 *es filia? indica mihi: est in domo patris tui locus ad manendum?* * *Quæ respondit:*
25 *Filia sum Bathuelis, filij Melchæ, quem peperit ipsi Nachor.* * *Et addidit, di-*
cens: Palearum quoque, & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad ma-
26 *nendum.* * *Inclinauit se homo, & adorauit Dominum,* * *dicens: Benedictus Do-*
27 *minus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam, & verita-*
tem suam à domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini
28 *mei.* * *Cucurrit itaquè puella, & nunciauit in domum matris suæ omnia quæ au-*
29 *dierat.* * *Habebat autèm Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est*
30 *ad hominem, vbi erat fons. Cumquè* * *vidisset inaures, & armillas in manibus*
sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis. Hæc locutus est mihi homo: ve-
31 *nit ad virum, qui stabat iuxtà camelos, & propè fontem aquæ:* * *dixitquè ad*
eum: Ingredere, benedicte Domini: cùr foris stas? præparaui domum, & locum
32 *camelis.* * *Et introduxit eum in hospitium: ac destrauit camelos, deditquè paleas,*
& fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius, & virorum qui venerant cum
33 *eo.* * *Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedam, donèc lo-*
34 *quar sermones meos. Respondit ei: Loquere.* * *At ille: Seruus, inquit, Abraham*
35 *sum:* * *& Dominus benedixit domino meo valdè, magnificatusquè est: & dedit*
ei oues, & boues, argentum & aurum, seruos & ancillas, camelos & asinos.
36 * *Et peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditquè*
37 *illi omnia quæ habuerat.* * *Et adiurauit me dominus meus, dicens: Non accipies*
38 *vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito: sed ad do-*
39 *mum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo:* * *ego ve-*
40 *rò respondi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier?* * *Dominus, ait,*
in cuius conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, & diriget viam tuam:
41 *accipiesquè vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei.* * *Inno-*
cens eris à maledictione mea cũ veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.
42 * *Veni ergò hodiè ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abra-*
43 *ham, si direxisti viam meam, in qua nùnc ambulo,* * *eccè sto iuxtà fontem aquæ,*
& virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me: Da mihi pau-
44 *xillum aquæ ad bibendum ex hydria tua:* * *& dixerit mihi: Et tu bibe, & ca-*
melis tuis hauriam: ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio domini mei.
45 * *Dumquè hæc tacitùs mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria,*
quam portabat in scapula: descenditquè ad fontem, & hausit aquam. Et aio ad
46 *eam: Da mihi paululùm bibere.* * *Quæ festinans deposuit hydriam de humero, &*
dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquauit ca-
47 *melos.* * *Interrogauitquè eam & dixi: Cuius es filia? Quæ respondit: Filia Ba-*
thuelis sum, filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaquè inaures ad
48 *ornandam faciem eius, & armillas posui in manibus eius.* * *Pronusquè adoraui*
Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me re-

49 *cto itinere, vt sumerem filiam fratris domini mei filio eius. * Quamobrèm si fa-*
citis misericordiam, & veritatem cum domino meo, indicate mihi: sin autèm
aliud placet, & hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram, siuè ad sinistram.
50 ** Responderuntquè Laban & Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possu-*
51 *mus extrà placitum eius quidquam aliud loqui tecum. * En Rebecca coràm te est,*
tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filij domini tui, sicùt locutus est Dominus.
52 ** Quod cùm audisset puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum.*
53 ** Prolatisquè vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro mu-*
54 *nere: fratribus quoque eius, & matri dona obtulit: * Inito conuiuio, vescentes*
paritèr & bibentes manserunt ibì. Surgens autèm manè, locutus est puer: Dimit-
55 *tite me, vt vadam ad Dominum meum. * Responderuntquè fratres eius, & ma-*
56 *ter: Maneat puella saltèm decem dies apud nos, & posteà proficiscetur. * Noli-*
te, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: dimittite me vt pergam
57 *ad dominum meum. * Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipsius vo-*
58 *luntatem. * Cumquè vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto?*
59 *Quæ ait: Vadam. * Dimiserunt ergò eam, & nutricem illius, seruumquè Abra-*
60 *ham, & comites eius, * imprecantes prospera sorori suæ, atquè dicentes: Soror*
nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suo-
61 *rum. * Igitùr Rebecca, & puellæ illius ascensis camelis, secutæ sunt virum:*
62 *qui festinus reuertebatur ad dominum suum: * eo autèm tempore deambulabat*
Isaac per viam, quæ ducit ad Puteum, cuius nomen est Viuentis, & videntis:
63 *habitabat enim in terra australi: * & egressus fuerat ad meditandum in agro, in-*
64 *clinata iàm die: cumquè eleuasset oculos, vidit camelos venientes procùl. * Rebec-*
65 *ca quoquè, conspecto Isaac, descendit de camelo, * & ait ad puerum: Quis est il-*
le homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitquè ei: Ipse est dominus
66 *meus. At illa tollens citò pallium, operuit se. * Seruus autèm cuncta quæ ges-*
67 *serat, narrauit Isaac. * Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ,*
& accepit eam vxorem: & in tantùm dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte
matris eius acciderat, temperaret.

E*RAT autèm Abraham senex, dierumquè multorum: & Dominus in cunctis benedixerat*, benefecerat *ei: Dixitquè ad seruum seniorem domus suæ*, in quo cõfidebat, *qui præerat omnibus, quæ habebat*, fortè Eliezer erat, de quo cap. 15. *Pone manum tuam subtèr femur meum*, coxam. hoc erat mos ligandi, seù stipulandi, proùt nos dicimus: da mihi manum tuam, & apprehensam retinẽtes proferimus quæ volumus; sìç chartam tangẽdam offerimus, sìc pectus tangimus. similis locus Gen. 47. 29. & hi duo loci sufficiunt pro demonstrando hoc more, volumus ne his refertam scripturam? alia non quadrant, & præsertim de Messia, quia necesse fuisset Abraham informare seruum de mysterio, cur id faceret, & alia sibi à Deo communicata, alioquin quomodò seruum adstrinxisset, & ligasset? Ad hæc, nonnè sufficit quod subdit: *vt adiurem te per Dominum Deum cæli, & terræ?* non ergò præsumendum mysterium in femore. Vltrà quòd si ad semen respexisset, potiùs dicendum erat, pone manũ ad lũbos meos, proùt Heb. 7. 5. 10. Gen. 35. 11. 2. Paralip. 6. 9. act. 2. 30. nec diuersitas modi stipulandi,

quæ

quæ in scriptura inuenitur, facit, vt is excludatur, sed iuxtà regiones, tempora, personas varij mores esse potuerunt, vt Gen. 20. 26. 31. & fortè tactus femoris erat pro domesticis, quia hìc, & Gen. 47. in eis tantùm vsitatus, sed quòd positio manuum sub femore seruiret ad iuramentum tantùm, & esset signum, apparet, quia referens seruus infrà vers. 37. omnia, tacito de femore dicit tantùm adiurauit me. Non obstat Gen. 49. 10. non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donèc &c. quia ibì clarè de descendentibus, sìc & clarè de illis Exod. 1. 2. egressi sunt de femore Iacob; at hìc agitur de iuramento, non de descendentia, nimirum si nō potest aptari descendētia, quæ est admodum diuersa, & de qua hic non agebatur, proùt in locis adductis, eò magis quia exprimitur, vt dixi, Deus ipse *Vt adiurem te*, adstringam te, obligem te *per Dominum Deum cæli, & terræ*; sic nuncupabatur ad differentiam idòlorum; proùt & Ionæ. 1. 9. *vt non accipias vxorem* (erat is procurator generalis, omnibus præerat) *filio meo de filiabus Chananæorum*; sìc & hoc genus repulit Rebecca Gen. 27. 46. *intèr quos habito* Dei iussu, *sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris*, in Mesopotamiam; in Haran, vbi fixerant sedes sui. Gen. 29. 5. & quia ibì sui, & ipse aliquandò mansit; suam terram dicit, quæ & dicta est Gen. 12. 1. 5. *& indè accipias vxorem filio meo Isaac*, de cuius assensu præsumendum hæc facta; mulieres enìm alienigenæ traxerunt Salomonē in idòlòlatriam, & Iezabel Achab ad idòla, & fecit virum venundari; sed nonnè ibì idòlatrat intendebat, & sperabat eam ad Deum verum conuertendam ex conuersatione domus suæ, & viri, & ipsa hoc nouerat ex conditione Abrahæ fidelis, vltrà quòd ignorabat Abraham ex qua progenie Deum colente illam sumeret; si enìm sciuisset, fortè non misisset ad patriam, & cognationem suam. *Respondit seruus. Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc*, noluerit patriam deserere, sed virum ad illam accedere, *numquid reducere debeo filium tuum* habitaturum *ad locum, de quo tu egressus es?* tetigit seruus fundamentum. *Dixitquè Abraham* quasi abhorrens quod seruus propo-

suerat: *caue nequandò reducas filium meum illùc*. Verisimile est habuisse Abraham id in mandatis à Deo, vnde non legitur illùc vnquàm reuersum esse, nisi fortè accessit patrem salutaturus, vel oculos eius clausurus, vel bona sua recuperaturus. Gen. 12. quod autèm dicit de Isaac, ex se dicit, ne contaminaretur, & vt sequeretur mandatum Dei; nàm scimus Iacob illùc accessisse, & diù mansisse cùm Laban; nisi dicas, & de filio habuisse in mādatis à Deo, & factum Iacob fuisse ex necessitate, vt euaderet irā Esau fratris sui, & ad tempus, non ad perpetuam mansionem in ea regione, quod omninò omnibus posteris prohibitum fuisse credendum est. *Dominus Deus cæli omnipotens*, in quo confido, *qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens: Semini tuo* ex te nasciturо *dabo terram hanc* Chananæam, *ipse mittet Angelum suum* viam tuam dirigentem *coràm te*, antè oculos tuos, *& accipies indè vxorem filio meo*, quasi, hoc scio certò eueturum; *Sin autèm mulier noluerit sequi te*, noluerit patriam suam deserere, *non teneberis iuramento*, infrà maledictione. vers. 41. quia fecisti quod potuisti, nec Dominus es voluntatis puellæ. *Filium meum tantùm ne reducas illùc* ad manendum, seù habitandum. *Posuit ergò seruus manum sub femore Abraham domini sui, & iurauit supèr sermone hoc*, nempè se facturum, vt Abraham iusserat; & sìc apparet nihil aliud importare manus appositionem sub femore, nisi signum iuramenti, quo tùnc vtebantur. *Tulitquè* seruus executurus mandatum Abrahæ *decem Camelos de grege domini sui, & abijt ex omnibus bonis eius* domini sui *portans secum*, vt apparerent diuitiæ sponsi, *profectusquè perrexit in Mesopotamiam ad Vrbem Nachor*, vbì Nachor habitabat. *Cumquè camelos fecisset accumbere extrà oppidum iuxtà puteum aquæ vespere, tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit* in Domino confidēs, ad eumque recurrens: *Domine Deus domini mei Abraham*, illius dux, & protector; (cœpit hic dicere Deum Abraham) *occurre obsecrò mihi hodiè, & fac misericordiam* non mecum, sed *cum domino meo Abraham* seruo

uo tuo. *Eccè ego sto propè fontem aquæ* sitibundus cum Camelis. *& filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam* de more. *Igitur puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam,* aquæ, *vt bibam; & illa responderit: bibe, quin & Camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cũ Domino meo* Abraham. vult signum a Domino, & charitatis, ità vt vltrà petita se offerat; sic Saul petebat indicium dari. 1. Reg. 14. 41. sic Gedeon signum. Iudi. 6. 36. & Ionathas. 1. Reg. 14. 9. *nec dum intrà se verba compleuerat; & eccè Rebecca egrediebatur filia Bathuel filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua* (hinc ni mirum si Agar datus vter aquæ portandus in scapula Gen. 21. 14.) *puella decora nimis, virgoquè pulcherrima, & incognita viro,* hæc multiplicatio eorũdẽ verborũ est idiotismus hebræus ad denotandã magis veritatẽ rei; *descẽderat autèm ad fontem,* ad puteũ, *& impleuerat hydriam* aqua, *ac reuertebatur* domum (quomodò Deus subitò subuenit seruo Abrahæ expostulanti) *occurritquè ei seruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua,* vtitur signo, quod conceperat. *Quæ respondit: bibe Domine mi, celeritèrque deposuit hydriam supèr vlnam suam, & dedit ei potum;* citò dans bis dedit, quàm promptè se exhibet. *Cumquè ille bibisset, adiecit* Rebecca: *Quin & Camelis tuis hauriam aquam* ex puteo, *donèc cuncti bibant,* cognouit ea illos indigentes potu, nequè expectato responso viri, *effundensquè hydriam,* aquam in hydria contentam *in canalibus, recurrit ad puteum vt hauriret aquam, & haustam omnibus camelis dedit* largitèr, & effusè; *ipse autèm contemplabatur eam tacitus* admirans eius charitatem, & promptitudinem. *scire volens* optans *vtrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non,* ita vt illa esset puella nuptui Isaac tradenda. *Postquàm autèm biberunt cameli, protulit vir* gratus tantæ benignitati, & charitati puellæ *inaures aureas siclos duos, & armillas totidèm pondo siclorum decèm,* & dedit illi ad ornatum suum. hoc fecit, postquàm sciuit cuius filia, etsi per præoccupationem hæc dicantur. *Dixitquè ad eam: cuius es filia? indica mihi,* quæso ne detrectes dicere; *est in domo Patris tui locus ad manendum?* ad hospitandũ? *Quæ respõdit: filia sum Bathuelis, filij Melchæ, quem peperit ipsi Nachor, & addidit, dicens,* & satisfaciens omnibus quæsitis: *palearum quoquè, & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum.* eccè alia virtus hospitalitatis in Rebecca. *Inclinauit se homo, & adorauit Dominum* victus tãto beneficio. *dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiã, & veritatem suam,* fidelitatem, promissionem, obseruantiam *à domino meo* Abraham, *& recto itinere me perduxit in domo Patris domini mei. Cucurrit itaquè Puella* (his auditis) *& nunciauit in domum,* in partem domus *matris suæ* (puellæ enim hærent matribus) *omnia quæ audierat,* & fecerat. *Habebat autèm Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, vbì erat fons,* puteus, eccè hospitalitatis virtus etiàm in fratre. *Cumquè vidisset inaures, & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo* (hinc pudor puellæ qui & in vxore Manue) *venit ad virum, qui stabat iuxta camelos, & propè fontem aquæ, dixitquè ad eum: Ingredere* ad nos hospitaturus, *benedicte Domini,* à Domino, *cur foris stas?* sic Abraham, sic Lot cum angelis, sic Senex cũ Gabaita Iudi. 19. 20. hilaritèr; *præparaui domum* pro te, *& locum camelis, & introduxit eum in hospitium; ac destrauit camelos, deditquè paleas, & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius* viri, *& virorum* omnium, *qui venerant cum eo, & appositus est in conspectu eius panis,* conuiuium; nàm sub pane omnia obsonia, & edulia; *Qui ait* intentus officio, & iussioni Domini sui: *Non comedam, donèc loquar sermones meos:* sic Tobias ex iussu Angeli Tob. 6. 10. sic Samuel cum Isai. 1. Reg. 16. 11. *Respondit ei* Laban: *loquere, at ille. seruus (inquit) Abraham sum, & Dominus benedixit domino meo valde,* abundare eum fecit in omnibus. hæc ad inclinandum audientes ad puellam nuptui tradendam, *magnificatusquè est* exaltatus est *& dedit ei* (explicat distinctiùs)

oues,

oues, & boues, argentum, & aurum, seruos, & ancillas, camelos, & asinos hinc tanta secum tulit, vt verba comprobarentur factis, *& peperit* ex miraculo *Sara vxor domini mei filium* vnicum *domino meo in senectute sua, deditquè illi* filio dominus meus *omnia, quæ habuerat* vtì primogenito, *& adiurauit &c.* hic repetit omnia iàm explicata vsquè ad vers. 49. & nulla contrarietas, aut dissonantia à iàm dictis. *Quamobrèm si facitis misericordiam, & veritatem cùm domino meo* vt velitis puellam dare verè, & sincerè, *indicate* nùnc *mihi; sin autèm & aliud placet, & hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram, siuè ad sinistram,* quà placebit. *Responderunt Laban* frater, *& Bathuel* pater; priùs Laban, quia induxerat illum primò loquentem; *à Domino egressus est sermo,* ei contradici non potest, ipse Dominus; *non possumus extrà placitum eius quidquam aliud* diuersum *loqui tecum,* facimus quod vis, quia cognoscimus hæc verba esse Domini, non tua; *en Rebecca coràm te est,* in tua est potestate, *tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filij domini tui, sicùt locutus est Dominus,* à quo cognoscimus negocium hoc prouenire. *Quòd cùm audisset puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum* ob bonum exitum missionis suæ: *prolatisquè vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ* sponsæ *pro munere: fratribus quoquè eius* Laban, seù consanguineis; *& matri* dona *obtulit,* non Bathueli patri: de hoc more donariorum. vide Abul. 1. Reg. 18. q. 35. & Serrar. Pined. de reb. Salom. lib. 5. c. 2. *Inito conuiuio* (eccè explicatio panis) *vescentes paritèr* simùl, *& bibentes manserunt ibi. Surgens autèm mane locutus est puer,* seruus: *dimittite me, vt vadam ad dominum meum* (eccè serui fidelitas & diligentia) *Responderuntquè fratres eius, & mater: maneat puella saltèm decem dies apud nos, & posteà proficiscetur. Nolite (ait) me retinere, quia Dominus direxit viam meam,* omnia mihi rectè, & ad vota successerunt, *dimittite me, vt pergam ad dominum meum,* illumquè his bonis nuncijs lætificem. *Et dixerunt: vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem* circà iter: nàm iam consenserat in sponsum, *cumquè vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cùm homine isto?* intellige, nùnc, nulla mora nobiscum facta. *Quæ ait: vadam; dimiserunt ergò eam, & nutricem illius, seruumquè Abraham, & comites eius imprecantes prospera sorori suæ, atquè dicentes: soror nostra es, crescas in mille millia & possideat semen tuum portas,* propugnacula *inimicorum suorum,* vincat, debellet inimicos suos. *Igitur Rebecca, & puellæ illius* (aliæ vltrà nutricem de quibus suprà non est facta mētio) *ascensis camelis secutæ sunt virum,* seruum præeuntem, *qui festinus reuertebatur ad dominum suum. Eo autèm tempore,* quo peruenerunt, *deambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen est viuentis, & videntis; habitabat enim in terra australi, & egressus fuerat ad meditandum in agro,* ad orationem, *inclinata iàm die,* de sero, *cumquè eleuasset oculos,* quos fortè demissos meditans tenebat, *vidit camelos venientes procùl. Rebecca quoquè inspecto Isaac* in occursum veniente *descendit de camelo, & ait ad puerum,* seruum: *Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitquè ei puer: ipse est dominus meus; at illa tollens citò pallium operuit se* adeò erat pudorata: hoc facit ad dicta per Apostolum, vt mulieres in Ecclesia caput velent proptèr Angelos. 1. Cor. 11. *Seruus autèm cuncta, quæ gesserat, narrauit Isaac;* hinc collige Isaac conscium fuisse omnium per Abraham gestorum cùm seruo. *Qui* apprehēdens Rebeccam *introduxit eā in tabernaculum,* habitationem *Saræ matris suæ* defunctæ, *& accepit eam vxorem.* matrimonium tùnc ineunt, *& in tantùm dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius,* quam valdè diligebat, *acciderat, temperaret* nouo amore, dilectione, charitate, qua in Rebeccam ferebatur; clauus enim clauo truditur.

CAPVT

CAPVT XXV.

1 ABRAHAM verò aliam duxit vxorem nomine Ce-
2 turam: * quæ peperit ei Zamran & Iecſan, & Madan,
3 & Madian, & Ieſboc, & Sue, * Iecſan quoquè genuit
Saba, & Dadan. Filij Dadan fuerunt Aſſurim, & La-
4 tuſim, & Loomim. * At verò ex Madian ortus eſt Apha,
& Opher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: omnes hi
5 filij Ceturæ. * Deditquè Abraham cuncta quæ poſſederat
6 Iſaac. * filijs autèm concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac
7 filio ſuo, dùm adhùc ipſe viueret, ad plagam orientalem. * Fuerunt autèm dies
8 vitæ Abrahæ, centum ſeptuaginta quinque anni. * Et deficiens mortuus eſt in ſe-
nectute bona, prouectæquè ætatis, & plenus dierum: congregatuſquè eſt ad popu-
9 lum ſuum. * Et ſepelierunt eum Iſaac & Iſmael filij ſui in ſpelunca duplici, quæ
10 ſita eſt in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre, quem emerat à filijs
11 Heth: ibì ſepultus eſt ipſe, & Sara vxor eius: * Et pòſt obitum illius benedixit
Deus Iſaac filio eius, qui habitabat iuxtà puteum nomine Viuentis & videntis.
12 * Hæ ſunt generationes Iſmael filij Abrahæ, quem peperit ei Agar Aegyptia, fa-
13 mula Saræ: & * hæc nomina filiorum eius in vocabulis, & generationibus ſuis:
14 Primogenitus Iſmaelis Nabaioth, deindè Cedar, & Adbeel, & Mabſam, * Maſ-
15 ma quoquè, & Duma, & Maſſa, * Hadar, & Thema, & Iethur, & Na-
16 phis, & Cedma. * Iſti ſunt filij Iſmaelis, & hæc nomina per caſtella & oppida
17 eorum, duodecim principes tribuum ſuarum. * Et facti ſunt anni vitæ Iſmaelis
centum triginta ſeptem, deficienſquè mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum.
18 * Habitauit autèm ab Heuila vſquè Sur, quæ reſpicit Aegyptum introeuntibus
19 Aſsyrios, coràm cunctis fratribus ſuis obijt. Hæ quoquè ſunt generationes Iſaac
20 filij Abraham: Abraham genuit Iſaac: * qui cum quadraginta eſſet annorum,
duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Meſopotámia, ſororem Labã.
21 * Deprecatuſquè eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis: qui exau-
22 diuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. * Sed collidebantur in vtero eius paruu-
li, quæ ait: Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Perrexitquè vt
23 conſuleret Dominum. * Qui reſpondens, ait: Duæ gentes ſunt in vtero tuo, &
duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſquè populum ſuperabit, & maior
24 ſeruiet minori. * Iàm tempus pariendi aduenerat, & eccè gemini in vtero eius
25 reperti ſunt. * Qui prior egreſsus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus:
vocatumquè eſt nomen eius Eſau. Protinus alter egrediens, plantam fratris te-
26 nebat manu: & idcircò appellauit eum Iacob. * Sexagenarius erat Iſaac quan-
27 dò nati ſunt ei paruuli. * Quibus adultis, factus eſt Eſau vir gnarus venandi,
28 & homo agricola: Iacob autèm vir ſimplex habitabat in tabernaculis. * Iſaac
29 amabat Eſau, eò quòd de venatione eius veſceretur: & Rebecca diligebat Iacob.

* Coxit

29 * *Coxit autèm Iacob pulmentum : ad quem cùm venisset Esau de agro lassus,*
30 * *ait : Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam*
31 *vocatum est nomen eius Edom.* * *Cui dixit Iacob : Vende mihi primogenita tua.*
32 * *Ille respondit : En morior, quid mihi proderunt primogenita?* * *Ait Iacob : Iura*
33 *ergò mihi. Iurauit ei Esau. & vendidit primogenita.* * *Et sic accepto pane &*
34 *lentis edulio, comedit, & bibit, & abijt; paruipendens, quòd primogenita vendidisset.*

ABRAHAM *verò* aliam *duxit vxorem, nomine Ceturam,* non Agar reassumpta, quia est diuinatio, cùm Agar infrà nominetur vers. 12. quæ nominatio excludit commentum hoc, cùm dicat de Ismaele, *quem peperit ei Agar Aegyptia famula Saræ;* verba enim innuunt vnicum filium hanc peperisse Abrahæ, nec stant simùl partus Ceturæ cùm hoc sermone, si Cetura Agar; vltrà quòd non est verisimile Abraham reassumpsisse sinè Dei præcepto nouo quam Deo præcipiente dimiserat, imò credendum nouum hoc coniugium cùm Ceturа adolescētula pro prole Deo cōsulto inijsse, *quæ peperit ei* &c. *deditquè Abraham cuncta quæ possederat, Isaac,* fecit illum hæredem vniuersalem cap. 24. 36. *Filijs autèm concubinarum,* aliarum vxorum, eccè alias habuit vltrà Agar, & certò Ceturam, de qua hic, *largitus est munera,* dona, legata aliqua ad eorum sufficientem sustentationem, & matrum; sic Iosaphat egit cùm filijs suis 2. Paral. 21. 3. *& separauit eos ab Isaac filio suo* (audierat enim à Domino benè suasisse Saram eiectionem Ismaelis cùm matre) *dum adhùc ipse viueret ad plagam,* regionem *orientalem, fuerunt autèm dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni, Et deficiens* natura languescente, & declinantibus viribus sensim, *mortuus est in senectute bona, prouectæquè ætatis, & plenus dierum,* duplicat eadem. *Congregatusquè est ad populum suum* fidelem, ad limbum, vbi alij Patres antè eum mortui reseruabantur assumendi à Christo resurrecturo, & ad gloriam cùm eo euehendi, hìnc animæ immortalitas, si enìm hìnc discedens corpore in terris relicto, ad alium populum congregatur in anima, vtiquè anima immortalis. *Et sepelierunt eum Isaac* (eccè datur primus locus Isaac) *& Ismael filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filij Seor Hethæi è regione Mambre, quam* ipse Ephron *emerat à filijs Heth,* eccè alia differentia vt hic non posset dici ille in Sichimis. *ibi sepultus est ipse, & Sara vxor eius,* non ergò Adam primus, vt aliqui dixerunt. *Et pòst obitum illius* Abrahæ *benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxtà puteum nomine viuentis, & videntis,* Agar ab Angelo ostensum cap. 16. 13. *Hæ sunt generationes Ismael &c.* duodecim Principes tribuum suarum, vt ostendat veritatem Dei, qui dixit Genes. 17. 20. supèr Ismael quoquè exaudiui te, eccè benedicam ei, &c. duodecim Duces generabit, & faciam illum in gentem magnam; *Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septèm, deficiensquè mortuus est, & appositus ad populum suum:* quia idem de Ismaele quod de Abraham, posset dici saluum Ismaelem, proùt Abrahā. *Habitauit autèm* Ismael *ab Heuila vsquè Sur, quæ respicit Aegyptum introeuntibus,* quà itur in *Assyrios* harum regionum dominus. *coràm cunctis fratribus suis,* de quibus suprà *obijt;* & hoc reddit etiam probabile argumentum suæ salutis, & hìnc etiàm pax filiorum Abraham, quam nixus est seruare etiàm cùm Loth. *Hæ quoquè sunt generationes Isaac, qui cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia sororē Laban.* hinc iterum distinctio patris, & fratris, vt non sit vlla ambigendi ratio. *Deprecatusquè est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis,* vide quomodò Deus miscet tristia lætis, gaudio amara, quomodò vult à se omnia expectari; vult in eo multiplicari semen, & dat sterilem, quæ viæ Domini; *qui* Deus *exaudiuit eum* pro vxore sua, *& dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur,* impellebant se mutuò (iterùm ad amara)

amara) *in vtero eius paruuli* gemelli, *quæ ait: si sic mihi futurum erat*, vt his doloribus premerer, *quid necesse fuit cõcipere?* dolore pressa hæc effudit, nõ desperatione; ideò subditur: *perrexitquè vt consuleret Dominum* quæ esset collisio, qua angebatur, idest consuluit Dominum in oratione, proùt & Iacob deprecatus est pro vxore sua, nõ quòd aliò se transtulerit Dominum consultura, eccè mutata ab idololatria ad Deum verũ, *qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex vtero tuo diuidentur populusquè populum superabit, & maior seruiet minori*, idest duos filios generabis, qui erunt capita populorum, vnus Hebræorum, alter Idumæorum, vnus alium vincet, nempè minor maiorem, qui minori seruiet; vndè Idumæi tempore Dauid seruierunt Hebræis. 2. Reg. 8. & Malach. 1. Iacob dilexi, Esau autèm odio habui. Rom. 9.

Nescio quomodò hìnc aliqui conentur probare sanctificationẽ Iacob in vtero, cùm nihil hìc sit, ex quo possit elici, nequè ex Daniele cap. 3. 35. ob verbum sanctum, quia illud ad variandum epitheta in singulis, ne idem inculcaret, & cùm (vt dixi in Euangelijs) nec illa Ieremiæ probetur. *Iàm tempus pariendi aduenerat*, completum erat, *& eccè gemini in vtero eius reperti sunt*, sicùt Deus dixerat. *Qui prior*, maior *egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus*, pilosus, *vocatumquè est nomen eius Esau. protinus alter egrediens, plantam* pedis *fratris tenebat manu; & idcircò appellauit eum Iacob. Sexagenarius erat Isaac quandò nati sunt ei paruuli*, ità vt per annos viginti steterit absquè prole: *quibus filijs adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola*, alter Cain. *Iacob autèm vir simplex* in simplicitate Deo seruiens, dolo vacuus; sic Iob simplex dictus est Iob 1. seù sinè alterius offensione. Ribe. Micheæ 2. nu. 36. *habitabat in tabernaculis*, domi, *Isaac amabat Esau eò quòd de venationibus illius vesceretur*; non dicas alia de causa, vel alio modo de Esau malè sentiebat, quia ex scriptura non apparet, imò quòd volebat ei benedicere. infrà cap. 27. *Et Rebecca diligebat Iacob. Coxit autèm Iacob pulmentum, ad quem cùm venisset Esau de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua*, successionem, hæreditatem, benedictionem, non videtur ex hoc simplex Iacob, non dicas ergò *simplex*, quasi ignorans, sed Deo in simplicitate seruiens. *Ille* Esau *respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita?* sìc & Sampson sitibundus Iud. 15. 18. tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, atquè victoriam, en siti morior, incidamquè in manus incircuncisorum. *Ait Iacob: Iura ergò mihi* te resignare in ius meum primogenita tua. hoc voluit Iacob ad stabiliendum pactum. *Iurauit ei Esau, & vẽdidit primogenita* pro illo edulio. Heb. 12. *Et sic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt paruipendẽs, quòd primogenita vendidisset*; hìnc Scriptura de eo malè sentit.

Sed an peccauit Esau vendens primogenita? equidèm quò ad gulam, si aliud non suppetebat, & timeret mori, vita erat præferenda primogenituræ; at quia non est credendum in tàm arctum periculum vitæ fuisse constitutum, potiùs intemperantiæ arguitur, & notatur, vt proptèr vnam escam vendiderit primitiua. Hebr. 12. 16. Quò verò ad simoniam, nequaquàm, quia non erat ius primogenituræ nisi seculare, non spirituale, aut Ecclesiasticum; nullibì enìm probatur in Scriptura sacerdotium competijsse primogenitis tantùm antè legem Moysis, imò scimus tàm Cain primogenitum, quàm Abel obtulisse sacrificium Domino & Moysen, & Aaron. Et si Sacerdotium fuisset primogenitorum, Deus id obseruasset in tribubus, & non seruauit Num. 16. & 17. imò tribui Leui, quæ non erat primogenita, datum Sacerdotium; nec obstat Exod. 19. 22. & 24. 5. quia ibì nihil de primogenitis, & verbum (Sacerdotes) capitur pro Principibus, proùt & 2. Reg. 8. in fin. & Apocal. 20. 6. & verba (qui accedunt) intelliguntur respectu populi magìs distantis; & quandò Paulus Hebr. 12. 16. nominat Esau profanum, intelligit non respectu gulæ, sed iuramenti, quod infringere volebat, primogenita iuramento distracta hæreditare volens. Hìnc similitèr Sedecias rebellãs à Nabuco-

dono-

donosor contrà iuramētum appellatur profanus; sic in versione Hebræa. Num. 30. polluet verbum suum, quod in Vulgata est, faciet irritum verbum suum, polluit enìm, non obseruans. sic Psal. 88. Non profanabo testamentum meum, pactum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. An peccauerit Iacob inducens Esau ad venditionem? non credo peccasse, quia quilibet potest contrahere, & inuitare alios ad contrahendum, nisi prohibeatur, & hìc nulla prohibitio; sed an ob vilitatem pretij? & videtur quòd non, quia licet cuique contrahendo conditionem suam meliorem facere, & alteri rem suam vili pretio distrahere, quia quod ad pretium iustum deest, censetur donare, & vt contractus sustineatur sìc dicendum voluisse Esau, & ex iuramento, quod præcisè obligat potest id dici factum, illudquè hac de causa voluisse Iacob; & in dubio cùm scriptura iniquitatem contractus non detegat, nos nedùm non possumus de eo suspicari, sed præsumere debemus omnia ritè facta, eò magìs cùm nulla querela Esau supèr his appareat iniquitatem contractus detegens; nàm illa, primogenita mea antè me tulit, id non important, sed factum illud tantùm repræsentant, proùt iacet; sed duo etiàm distractionem roborant; Primum quia Esau in fratrem primogenituram transferebat, & non est incongruum fratrem fratri cedere ius suum; in habentibus enìm symbolum facilis est transitus. Secundum, quia Esau vendebat ius in spe, non in re; non enìm erat tùnc dominus patre viuente, sed futurus erat dominus patre mortuo, & si pater illi benedixisset; hoc enìm factū patris requirebatur, & interìm poterat mori, & nihil dedisset; poterat & Isaac singulis benedicere, proùt fecit Iacob duodecim filijs. Genes. 49. qui & transtulit primogenituram à Ruben in Iudam. Hebr. 11. & alteri tradere, proùt Dauid Salomoni omisso Adonia maiore. 4. Reg. 1. & si ex parte Iacob fuisset aliqua malitia in contractu, de facili Paulus Hebr. 12. vbì dixi, arguens Esau nō dimisisset intactum Iacob, & tamèn nihil de illo, & sìc etiàm fecisset Moyses dicens de Esau: iurauit &c. *paruipendens quòd primogenita vendidisset*, & de Iacob nullum verbum, ex quibus omnia rectè constant absquè reuelatione Dei, de qua non apparet; & si facta foret, vtiquè appareret, quòd scilicèt primogenitura transferēda esset ab Esau ad Iacob, cùm res esset adeò magna, & ardua, proùt expresè de eiectione Ismael in simili materia Deus notificauit Abrahæ Gen. 21. 12. & Roboam 3. Reg. 12. 24. à me enìm factum est verbum hoc, & 2. Paral. 11. 4. quia meã hoc gestum est voluntate. Et Iacob illustrauit supèr his. cc. seqq. quòd si priùs fecisset, narrasset Moyses; Nec dicas reuelatum fuit Rebeccæ maiorem seruiturum minori, esto; at quis intellexit enigma? credendumnè diuinum hoc oraculum non participasse Rebeccam viro suo? credendumnè Isaac iustum, & sanctum scientèr contrà Dei voluntatem attentasse benedictionem Esau dimisso Iacob à Deo electo? Dices, vndè mota Rebecca ad insinuandum Iacob, vt præriperet benedictionem Esau? ex dilectione, qua magìs prosequebatur illum, quàm Esau, & quia nouerat iuratam emptionem intèr illum, & Esau, sed de his infrà latiùs, & quia sìc Deus operabatur, vt succederet quod ipse disposuerat, & vtebatur Rebecca ministra suæ voluntatis. Et si quandò obligatus fuisset Iacob ob pretij vilitatem, tenebatur refundere, quod contractui deerat, si nollemus donationem censere residui huius, & Esau nunquàm interpellauit illum, aut prætendit aliquid contrà eum. Dices peccasse saltèm ex defectu charitatis non subueniendo fratri morituro fame, imò subuenit; nàm nō tenemur donare diuiti, sed possumus vel mutuare, vel ab eo emere, proùt ipse fecit, vltrà quòd potiùs gulæ, quàm vrgenti necessitati mortis, quæ nec apparebat, ascribēdum factum Esau.

CAPVT XXVI.

1 ORTA autèm fame supèr terram pòst eam sterilitatem, quæ
acciderat in diebus Abraham, abijt Isaac ad Abimelech re-
2 gem Palæstinorum in Gerara.* Apparuitquè ei Dominus,
& ait: Ne descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra,
3 quam dixero tibi.* Et peregrinare in ea, eroquè tecum, &
benedicam tibi: tibi enìm & semini tuo dabo vniuersas
regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abra-
4 ham patri tuo. *Et multiplicabo semen tuum sicùt stellas cæli: daboquè posteris
tuis vniuersas regiones has: & BENEDICENTVR in semine tuo omnes
5 gentes terræ,* eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta &
6 mandata mea, & ceremonias, legesquè seruauerit.* Mansit itaquè Isaac in Ge-
7 raris.* Qui cùm interrogaretur à viris loci illius supèr vxore sua, respondit: So-
ror mea est. timuerat enìm confiteri quòd sibi esset sociata coniugio, reputans ne for-
8 tè interficerent eum proptèr illius pulchritudinem.* Cumquè pertransissent dies plu-
rimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestrā,
9 vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua.* Et accersito eo, ait: Perspicuum
est quòd vxor tua sit: cur mentitus es, eam sororem tuam esse? Respondítquè:
10 Timui ne morerer propter eam. Dixitquè Abimelech: Quarè imposuisti nobis? po-
tuit coire quispiam de populo cùm vxore tua, & induxeras supèr nos grande pec-
11 catum. Præcepitquè omni populo dicens:* Qui tetigerit hominis huius vxorem,
12 morte morietur.* Seuit autèm Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centu-
13 plum: benedixitquè ei Dominus: & locupletatus est homo, & ibat proficiens, at-
14 què succrescens, donèc magnus vehementèr effectus est: habuit quoquè possessiones
ouium, & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Palæstini,
15 * omnes puteos: quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstru-
16 xerunt, implentes humo:* in tantùm vt ipse Abimelech diceret ad Isaac: Re-
17 cede à nobis, quoniàm potentior nobis factus es valdè.* Et ille discedens, vt
18 veniret ad torrentem Geraræ, habitaretquè ibì:* rursùm fodit alios puteos,
quos foderant serui patris sui Abraham: & quos illo mortuo, olìm obstruxerant
19 Philisthijm: appellauitquè eisdem nominibus quibus antè pater vocauerat.* Fo-
20 deruntquè in Torrente, & repererunt aquam viuam.* Sed & ibì iurgium
fuit pastorum Geraræ aduersùs pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua.
21 quamobrèm nomen putei ex eo, quòd acciderat vocauit Calumniam.* Fode-
runt autèm & alium: & pro illo quoquè rixati sunt, appellauitquè eum, Ini-
22 micitias.* Profectusquè indè fodit alium puteum, pro quo non contenderunt:
itaquè vocauit nomen eius, Latitudo, dicens: Nùnc dilatauit nos Dominus, &
23 fecit crescere supèr terram.* Ascendit autèm ex illo loco in Bersabee,* vbi apparuit
24 ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere,
quia

quia ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum proptèr seruum
25 *meum Abraham.* Itaquè ædificauit ibì altare: & inuocato nomine Domini, ex-*
26 *tendit tabernaculum: præcepitquè seruis suis vt foderent puteum.* Ad quem lo-*
cum cum venissent de Geraris Abimelech, & Ocozath amicus illius, & Phicol
27 *dux militum,* locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me hominem, quem odistis,*
28 *& expulistis à vobis?* Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & id-*
29 *circò nos diximus: Sit iuramentum intèr nos, & ineamus fœdus,* vt non fa-*
cias nobis quidquam mali, sicùt & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod
30 *te læderet: sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.* Fecit ergò eis*
31 *conuiuium, & post cibum & potum* surgentes mane, iurauerunt sibi mutuò: di-*
32 *misitquè eos Isaac pacificè in locum suum.* Eccè autèm venerunt in ipso die ser-*
ui Isaac annunciantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: Inuenimus
33 *aquam.* Vndè appellauit eum, Abundantiam: & nomen vrbi impositum est*
34 *Bersabee, vsque in præsentem diem:* Esau verò quadragenarius duxit vxo-*
res; Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon eiusdem loci: quæ*
35 *ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.*

ORTA *autèm fame supèr terram pòst eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham,* quando peregrinatus est & ipse ea de causa in Geraris cap. 20. *abijt Isaac ad Abimelech Regem Palæstinorum in Gerara* fami prouisurus, *Apparuitquè ei Dominus, & ait: Ne descendas in Aegyptum*, quà fortè Isaac cogitabat, quia volebat eum capere quasi arrham, seù pignus terræ promissæ Abrahæ, & informare eum de terra danda semini suo, proùt Abraham, qui per eam diutiùs peregrinatus erat, quæ non concurrebant in Aegypto; sìc & Paulus pluriès prohibitus à Spiritu sancto adire loca, vel admonitus ad aliqua adeunda; vndè subdit: *sed quiesce in terra, quam dixero tibi*, vt ab eo dependat, prout Abraham. cap. 12. *Et peregrinare in ea*, vltrà non progrediens, *eroquè tecum*, non derelinquam te, *& benedicam*, benefaciam *tibi*, multiplicabo te; *tibi enìm & semini tuo dabo vniuersas regiones has*, quasi tu nùnc eas degusta; propterea nolo transferaris in Aegyptum, quia illa nihil ad te, *complens*, obseruans *iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo;* Ego enim Deus & non mutor; *& multiplicabo semen tuum sicùt stellas cæli, daboquè posteris tuis vniuersas regiones has, & BENEDICENTVR in semine tuo,* in Christo *omnes gẽtes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meæ,* iussioni meæ, *& custodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias, legesquè seruauerit;* id enìm à nobis expetit Deus; vndè Samuel Sauli. 1. Reg. 15. 22. Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magìs, quàm offerre adipem arietum, quoniàm quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolòlatriæ nolle acquiescere. *Mansit itaquè Isaac in Geraris.* Ex his, quæ contigerunt in Geraris Isaac conijce idem fuisse in Abraham, vt Deo iubente tàm in Aegypto, quàm in Geraris steterit peregrinus cùm Sara, Saræquè euenerit raptus Abraham immuni à peccato. *Qui cùm interrogaretur à viris loci illius supèr vxore sua, respondit: soror mea est,* vt verè erat, *timuerat enìm confiteri, quòd sibi esset sociata coniugio, reputans ne fortè interficerent eum proptèr illius pulchritudinem,* præmebatur ijsdem angustijs, quibus Abraham peregrinus. *Cumquè pertransissent dies plurimi, & ibidèm moraretur, prospiciẽs Abimelech,* is ex præcedenti plaga tẽpore Abrahæ, si idem, si alius ab illo, quod tamèn non puto, vt infrà, de qua audisse credendum, didicit non tollere aliorum mulieres, nec cre-

 dere

dere affirmanti illam esse sororem, sed obseruabat *prospiciēs Abimelech rex Palæstinorū per fenestrā, vidit eum iocātem* liberiùs *cùm Rebecca vxore sua*, eccè quomodò peccator putans nō videri, prodatur, sic Moyses percutiens Aegyptium, quem abscōdit sabulo, cùm nullum adesse obseruasset, & tamèn visus est. Exod. 1. 11. 12. 13. & Petro putanti se incognitum, dictum; nonnè te vidi in horto cùm illo? *Et accersito eo, ait: Perspicuum est* (ego enim vidi) *quòd vxor tua sit* Rebecca, *cùr mentitus es eam sororem tuam esse?* potiùs tacuit suam esse vxorem, non mētitus est dicendo *sororem*, sed dicitur hoc iuxtà reputationem Regis. *Respondit: Timui ne morerer proptèr eā*, timore mortis hoc feci. *Dixitquè Abimelech: Quarè imposuisti nobis*, decepisti nos? nobis dedisti occasionem peccandi? *potuit coire quispiam de populo cùm vxore tua, & induxeras supèr nos grande peccatum*, pœnam, supplicium. *Præcepitquè omni populo dicēs: Qui tetigerit hominis huius vxorē, morte morietur.* hic primò pœna adulterij mors, quomodò à primo exemplo expertus Abimelech prouidet, cauet. *Seuit autèm Isaac in terra illa, & inuenit*, collegit *in ipso anno* sterili sementis iactæ *centuplum, benedixitquè ei Dominus*, multiplicauit res suas, *et locupletatus est homo*, diues factus est, *& ibat proficiēs, atque succrescēs, donèc magnus vehementèr effectus est; habuit quoquè possessiones ouium et armentorum, & familiæ plurimū*. hæc omnia ex Domini benedictione. *Ob hoc*, hanc suam magnitudinem, & prosperitatem *inuidētes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abrahā illo tempore* tantæ suæ felicitatis *obstruxerūt, implentes humo*; hæc propria inuidia, auferre quod proficuum erat Isaac, eis verò nihil cōducebat. *in tātùm* creuerat scilicèt Isaac; (redit ad anteriora verba) *vt ipse Abimelech* Rex *diceret ad Isaac: Recede à nobis, quoniā potentior nobis factus es valdè*, quasi timens regno suo: nùnc Abimelech mutatus à tēpore Abrahæ, cui fecit copiā habitandi vbì vellet, sic Pharao de populo Dei. *Et ille discedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitaretquè ibì: rursùm fodit*, repurgauit *alios puteos, quos foderant serui patris sui Abrahā: & quos illo* Abraham *mortuo olim obstruxerant*, impleuerant *Philistijm: appellauitquè eos eisdem nominibus, quibus antè pater vocauerat. Foderuntquè in Torrente, & repererunt aquā viuam*; hac indigebat pro armentis suis, *Sed & ibì iurgium fuit pastorum Geraræ aduersùs pastores Isaac, dicentium:* (eccè sempèr Deus miscet seruis suis tristia cùm lætis) *Nostra est aqua, quàmobrèm nomē putei ex eo, quòd acciderat* iurgii, *vocauit calumniam*, & verè calumnia erat prætendere aquā in publico inuentam esse propriā. *Foderunt autèm & alium* puteū, *& pro illo quoquè rixati sunt* pastores Geraræ inuidi, *appellauitquè eū, Inimicitias*, quasi more inimicorum mecum est actum in huius effossione. *Profectus indè fodit alium puteum, pro quo nō contenderunt* Pastores Geraræ, *itaquè vocauit nomen eius, Latitudo, dicens: nùnc dilatauit nos Dominus, & fecit nos crescere supèr terrā*, postquā sinè cōtradictione puteū hunc possidemus. *Ascendit autèm ex illo loco* putei *in Bersabee, vbì apparuit ei Dominus in ipsa nocte*, qua peruenit ibì, *dicens: Ego sum Deus Abrahā patris tui*; sìc seruus Abrahæ dixit, Dominus domini mei Abraham. *noli timere, quia ego tecū sū* protegēs te. sìc & cū Abrahā c. 15. Noli timere; ego protector tuus, & merces tua magna nimis, *benedicā tibi, & multiplicabo semē tuū proptèr seruū meum Abrahā*, & sìc promisi, nec deero. *Itaquè ædificauit ibì altare, & inuocato nomine Domini, extēdit tabernaculū* ibì māsurus, *præcepitquè seruis suis, vt foderent puteum* pro aqua; *ad quem locū cùm venissent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius* regis, *& Phicol*, credo nomen propriū, quia subditur nomen officij *dux militum*; hinc suspicor eundem esse Abimelech tempore Abrahæ, quia si superstes Phicol, cur non & ille? nec dicas hos centenarios, quia argumentum ab ætate Esau ducentis vxores non cogit, nàm Scriptura multa diuersis temporibus facta congerit, & quòad Isaac sumus certi nondùm peruenisse tùnc ad centum annos, quia cap. seq. fit tantùm senex, nec est verisimile ipsum centenariū peregrinatum esse. *Locutus est eis Isaac: quid venistis ad me hominem, quē odistis, & expulsistis à vobis?* quasi, quid negocij mecū? *qui respōderunt, vidimus tecū esse Dominū*, te, & tua protegentē, & augentem

tem

tem in temporalibus. proût 2.Paral.1.1. vbì Abul.q.3.sic & infrà Gen.39.2.in Ioseph. *et idcircò nos diximus:* hoc consilium cepimus, tecũ agere; *Sit iuramentũ intèr nos,* iuremus, *& ineamus fœdus,* pactũ, *vt tu non facias nobis quicquã mali, sicùt & nos nihil tuorũ attigimus, nec fecimus quod te læderet, sed cũ pace dimisimus auctu benedictione,* multiplicatione *Domini* à Deo proueniẽte. Sic illi cùm Dauid. 1.Par.12.te enim Deus adiuuat. Sic Chusai cum Absalom. 2.Reg.16. 18. *Fecit ergò eis conuiuium* Isaac, *& pòst cibum, & potum surgentes mane, iurauerunt sibi mutuò* iuxtà præmissa, *dimisitquè eos Isaac pacificè in locum suum*; similitèr actum ab eodem Rege cùm Abraham cap.21. *Eccè autèm venerunt in ipso die serui Isaac annunciantes ei de puteo, quem foderant* eius iussu, *atquè dicentes: Inuenimus aquam, vndè appellauit eum abundantiam, & nomen vrbi impositũ est Bersabee,* quod durat *vsquè in præsentem diem: Esau verò quadragenarius duxit vxores Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Helon eiusdem loci* Heth: *quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ,* fortè quia idololatræ, vel immorigeratæ, ex hoc nõ potest argui Isaac in Esau motum, sed tantùm in vxores.

CAPVT XXVII.

1 S*ENVIT autèm Isaac, & caligauerunt oculi eius, &*
videre non poterat: vocauitquè Esau filium suum ma-
iorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum.
2 ** Cui pater: Vides, inquit, quod senuerim, & ignorem*
3 *diem mortis meæ. * Sume arma tua, pharetram, & ar-*
cum, & egredere foràs: cumquè venatu aliquid appre-
4 *henderis, * fac mihi indè pulmentum sicùt velle me nosti,*
5 *& affer, vt comedam: & benedicat tibi anima mea antequàm moriar: * Quod*
6 *cum audisset Rebecca, & ille abijsset in agrum, vt iussionem patris impleret, * di-*
xit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & di-
7 *centem ei: * Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedi-*
8 *cam tibi coràm Domino antequàm moriar. * Nùnc ergò fili mi, acquiesce consilijs*
9 *meis: * & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis*
10 *escas patri tuo, quibus libenter vescitur: * quas cum intuleris, & comederit, be-*
11 *nedicat tibi priusquàm moriatur. * Cui ille respondit: Nosti quod Esau frater*
12 *meus homo pilosus sit, & ego lenis: * si attrectauerit me pater meus, & sense-*
rit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem
13 *pro benedictione. * Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tan-*
14 *tùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. * Abijt, & attulit, deditquè*
15 *matri. Parauit illa cibos, sicùt velle nouerat patrem illius. * Et vestibus Esau*
16 *valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: * pelliculasquè hœdorum*
17 *circundedit manibus, & colli nuda protexit. * Deditquè pulmentum, & panes,*
18 *quos coxerat, tradidit. * Quibus illatis, dixit: Pater mi: At ille respondit.*
19 *Audio. Quis es tu fili mi? * Dixitquè Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau:*
feci sicùt præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt bene-
20 *dicat mihi anima tua. * Rursumquè Isaac ad filium suum: Quo modò, inquit,*

tàm citò inuenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit vt citò oc-
21 *curreret mihi quod volebam:* * *Dixitquè Isaac: Accede hùc, vt tangam te fili*
22 *mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non.* * *Accessit ille ad patrem, &*
palpato eo, dixit Isaac: Vox quidèm vox Iacob est: sed manus manus sunt Esau.
23 * *Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant.*
24 *Benedicens ergò illi:* * *ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum.*
25 * *At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi*
anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. quo hausto,
26 * *dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi.* * *Accessit, & oscu-*
27 *latus est eum. Statìmquè vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedi-*
cens illi, ait: Eccè odor filij mei sicùt odor agri pleni, cui benedixit Dominus.
28 * *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, &*
29 *vini.* * *Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuo-*
rum, & incuruentur antè te filij matris tuæ, qui maledixerit tibi, sit ille male-
30 *dictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* * *Vix Isaac sermonem*
31 *impleuerat: & egresso Iacob foràs, venit Esau,* * *coctosquè de venatione cibos in-*
tulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui, vt benedi-
32 *cat mihi anima tua.* * *Dixitquè illi Isaac: Quis enìm es tu? qui respondit: Ego*
33 *sum filius tuus primogenitus Esau. Expauit Isaac stupore vehementi, & vltrà*
quàm credi potest, admirans, ait: Quis igitùr ille est qui dudùm captam vena-
tionem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquàm tu venires? benedixiquè
34 *ei, & erit benedictus.* * *Auditis Esau sermonibus patris, irrugijt clamore magno:*
35 *& consternatus, ait: Benedic etiam & mihi pater mi.* * *Qui ait: Venit germa-*
36 *nus tuus fraudulentèr, & accepit benedictionem tuam.* * *At ille subiunxit: Iu-*
stè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enìm me en altera vice: pri-
mogenita mea antè tulit, & nùnc secundò surripuit benedictionem meam.
Rursumquè ad patrem: Numquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionem?
37 * *Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius serui-*
tuti illius subiugaui: frumento & vino stabiliui eum, & tibi pòst hæc, fili
38 *mi, vltrà quid faciam?* * *Cui Esau: Num vnam, inquit, tantùm benedictio-*
nem habes, pater? mihi quoque obsecro vt benedicas. Cumquè eiulatu magno fle-
39 *ret,* * *motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore Cæli desupèr*
40 * *erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo seruies: tempusquè veniet,*
41 *cũ excutias, & soluas iugũ eius de ceruicibus tuis.* * *Oderat ergò sempèr Esau Ia-*
cob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitquè in corde suo: Venient dies
42 *luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* * *Nunciata sunt hæc Re-*
beccæ: quæ mittens, & vocans Iacob filium suum, dixit ad eum: Eccè Esau
43 *frater tuus minatur vt occidat te.* * *Nùnc ergò fili mi, audi vocem meam, &*
44 *consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran:* * *habitabisquè cum eo dies*
45 *paucos, donèc requiescat furor fratris tui,* * *& cesset indignatio eius, obliuiscaturquè*
eorum quæ fecisti in eum: posteà mittam, & adducam te indè hùc. cùr vtroque
orba-

46 *orbabor filio in vno die?* * *Dixitquè Rebecca ad Isaac: Tadet me vita mea propièr filias Heth: si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.*

S*ENVIT autèm Isaac, & caligauerunt*, obscurati sűt *oculi eius, & videre non poterat*; sic Heli. 1. Reg. 3. 2. *vocauitquè Esau filium suű maiorem*, primogenitum, *et dixit ei: fili mi? qui respondit: adsum*; præsto sum, *cui Pater, vides (inquit) quòd senuerim*, & morti appropinquem, *& ignorem diem mortis meæ* cuiquè incertum: *sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foràs* venatum, *cumquè venatu aliquid apprehenderis* ferarum, *fac mihi indè pulmentum, sicùt velle me nosti*, gustui meo placere, *& affer, vt comedă, & benedicat tibi anima mea*, ex corde, & lætantèr hæredem te vniuersalem tamquàm primogenitű constituam *antequàm moriar*; hinc collige Isaac benè affectum ergà Esau. Sed cur id vult Isaac ab Esau? vt exhilaret se, & lætetur cum filio suo benedicĕdo, & copulet illum maiori ergà se charitate, de manibus suis cibum sumens, & quia rei tàm graui, & vltimæ actioni conueniebat aliquo modo conuiuari, vt fit in lætis; hinc voluit & osculum ad eundem finem. *Quod cùm audisset Rebecca* conscia deberi primogenituram Iacob, non Esau, quia Esau cùm iuramĕto illam vendiderat, *& ille* Esau *abijsset in agrum, vt iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob* quem prædiligebat, vt is præferretur. *Audiui patrem tuum loquĕtem cùm Esau fratre tuo, & dicentem ei: affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coràm Domino* ex animo, ex corde, vel Domino approbante *antequàm moriar. Nùnc ergò fili mi acquiesce consilijs meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libentèr vescitur, quas* conditas *cùm intuleris* ad eum, *& comederit* ex eis *benedicat tibi*, te hæredem constituat *priusquàm moriatur. Cui ille respondit: nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis* (eccè prudentia Iacob simplicis) *si attractauerit me pater meus, & senserit* me nŏ esse Esau, sed Iacob, *timeo ne putet me sibi voluisse illudere*, decipere, pro ioco habere, *& inducam supèr me maledictionem*, proùt Cham, *pro benedictione* potiùs me priuet, quàm honoret. *Ad quem mater: in me sit (ait) ista maledictio, fili mi, tantùm audi vocem meam*, fac quod iubeo, *& pergens* statìm *affer quæ dixi*, quasi, non timeo maledictionem, non erit quod dixisti, quia ex contractu debentur tibi primogenita. *Abijt Iacob attulit, deditquè matri* quæ illa iusserat. *Parauit illa cibos, sicùt velle* gustare *nouerat patrem illius: & vestibus Esau valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum* Iacob; non dicas vestibus ad primogenitum spectantibus; nàm tùnc illas non protulisset Rebecca, dum expectabatur venturus Esau cùm cibo ad patrem, nec dixisset, *valdè bonas*, sed ad primogenitum spectantes vt Ioseph; tantò minùs vestes sacerdotales, quia non ibat sacrificaturus, vt illis vtendum esset, quod legi in Pined. Iob. 1. in q. an Iob rex. *pelliculasquè hædorum circumdedit manibus* illius, *& colli nuda protexit* eisdem pellibus; *deditquè pulmentum, & panes, quos coxerat*, fortè azimos, subcinericios, vt Abraham, & Lot Angelis propinantes, *tradidit; Quibus illatis*, apportatis ad patrem, *dixit: pater mi? at ille respondit: audio*, dic, quid à me petis? *quis es tu fili mi? Dixitquè Iacob: ego sum primogenitus tuus Esau* quòad successionem, quam emi, pro Esau in hanc subrogatus; vndè non dixit mendacium cum in hoc representaret personam Esau, hinc dicit *primogenitus; feci sicùt præcepisti mihi; surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua*, ex corde me hæredem constituas. non dixit mendacium, quia verè erat ille, cui debebatur benedictio, quam ab Esau emerat, *Rursumquè Isaac ad filium suum*: quomodò *(inquit tàm citò* feram *inuenire potuisti fili mi? qui respondit: voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi quod volebam* pro te cibando. *Dixitquè Isaac: accede hùc fili mi, vt tangam te, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non*, ne fortè decipiar. *accessit ille ad patrem, & palpato eo, dixit Isaac: vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus*

nus sunt Esau, & non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris Esau *expresserant*, hincquè deceptus. *Benedicens ergo illi*, benedicere volens, *ait: tu es filius meus Esau*, primogenitus, maior? *respondit? ego sum; at ille: affer mihi (inquit) cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea*, vt tibi benedicam; *quos cùm oblatos comedisset, obtulit etiàm vinum, quo hausto, dixit ad eum: accede ad me, & da mihi osculum, fili mi*; his motibus amoris incitabatur ad hunc actum: *accessit, & osculatus est eum; statìmquè vt sensit* Isaac *vestimentorum illius fragrantiam*, odorem, quē priùs non senserat, quia longinquior; hinc mos odoribus perfundendi vestimenta, vt per Pined. de reb. Salom. lib. 6. c. 5. *benedicens illi, ait: eccè odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, quem Dominus multiplicauit; ex terra enìm odor oritur. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*, omnium, hæc terrena, *& seruiant tibi populi, & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur antè te filij matris tuæ*, (hìnc maior seruiet minori) imperium, & præeminentiam supèr alios habens *qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* hìc nihil spirituale, vel æternum expresè, sed sub his comprehensa, vt infrà apparebit, & est prophetia ad fauorem eius, & seminis; sìc Deus cùm Abraham Gen. 12. 3. *Vix Isaac sermonem impleuerat, & egresso Iacob foràs, venit Esau, coctosquè de venatione cibos intulit patri, dicens: surge pater mi, & comede de venatione filij tui, vt benedicat mihi anima tua. Dixitquè illi Isaac: quis enim es tu?* quid à me petis? *qui respondit: ego sum filius tuus primogenitus Esau*, mihi benedictio tua debetur. *Expauit Isaac stupore vehementi, & vltrà quàm credi potest admirans*, fortè mysterium aliquod suspicatus, vel potiùs simplicitèr, ex eo quod contigerat, vt ex sequentibus, *ait: quis igitur ille est, qui dudùm captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priùsquàm tu venisses? benedixiquè ei, & erit benedictus*, quasi, hanc benedictionem reuocare non possum, nequè alteri tradere. *Auditis Esau sermonibus patris irrugijt clamore magno*, videns sibi præreptam benedictionem, *& consternatus* sciens iactam aleam, nec posse prouidere, *ait: benedic etiàm & mihi pater mi, qui ait: venit germanus tuus* Iacob *fraudulentèr:* loquitur Isaac iuxtà reputationem suam, & facti exteriorem apparentiam, quia finxit se Esau; hìnc collige Isaac nequè à Deo illustratum præferendum Iacob, nequè à Rebecca edoctum de venditione, vel alia re, *& accepit benedictionem tuam*, quæ tibi debebatur. *At ille* Esau *subiunxit: iustè*, rectè *vocatum est nomen eius Iacob*, supplantator, *supplantauit enìm me en altera vice, primogenita mea antè tulit* (imò tu vēdidisti lētis edulio) *& nùnc secundò surripuit benedictionem meam*, mihi debitā hæreditatem, imò tu repulisti eam vendens. *Rursumquè ad patrem: nunquid nō reseruasti, ait, & mihi benedictionem*, præeminentiam aliquam, bona? *respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui, frumento, & vino stabiliui eum*, omnia ei tradidi; *& tibi post hæc, fili mi, vltrà quid faciā* non remanlit penès me quod tibi tradam; hìnc apparet Iacob consecutum esse beneficium benedictionis Isaac à principio, non autèm superueniente Esau, & detecta prætensa fraude, vt dixit Holkot in librum Sap. lect. 175. fol. 577. vers. sed dubium. Similitèr non procedit, quòd non benedixerit secundùm intentionem, sed secundùm verba, quia intellexit benedicere primogenitum, & Iacob is erat subrogatus in locum Esau primogenita vendentis; *Cui Esau: num vnam (inquit) tantùm benedictionem habes pater? mihi quoquè obsecro vt benedicas. Cūquè eiulatu magno fleret, motus Isaac* ad cōpassionem (secùs videtur dicere Paulus Heb. 12. 17. sed Paulus intelligitur de primaria benedictione) *dixit ad eum: in pinguedine terræ, & in rore cæli desupèr erit benedictio tua. viues in gladio*, in bellis, bello prædam capies, & dominaberis; sìc enìm vita in gladio; *& fratri tuo seruies*, prophetat. hoc impletū tempore Dauid. 2. Reg. 8. *tempusquè veniet cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis* quod impletum. 4. Reg. 8. *oderat ergò sempèr Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitquè*

xitquè in corde suo; magno affectu, & assensu deliberato; *venient dies luctus patris mei*, morietur pater, *& occidam Iacob fratrem meum*, odium erat mortale, sic Cain in Abel ex eadem inuidia. *Nunciata sunt hæc Rebeccæ, quæ mittens, & vocans Iacob filium suum, dixit ad eum: eccè Esau frater tuus minatur, vt occidat te; nùnc ergò fili mi audi vocem meam*, obedi mihi, *& consurge, fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabisquè cum eo dies paucos*, aliquos, *donèc requiescat furor* ira *fratris tui, & cesset indignatio eius* ob præceptam benedictionem, *obliuiscaturquè eorum, quæ fecisti in eum; posteà mittam, & adducam te indè hùc. Cur vtroque orbabor filio in vno die*, prout Eua, vno vcciso, alio vago? *Dixitquè Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ proptèr filias Het* ductas ab Esau suprà c. 26. 34. *si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere*, non potero viuere præ dolore sic de Christo, cœpit pauere, & tædere. Mar. 14. 34. & 2. Cor. 1. 9. ità vt tæderet nos viuere, hoc suggerit, vt paret iter Iacob ad Laban, vt in seq. cap. Opponitur Iacob peccasse fingẽdo se aliũ ex pellibus, sed hoc licuisse hìc per alios defenditur, videmus & Christum finxisse se longiùs ire, & Angelos habuisse se pro transituris, nec apud Abraham remansuris. Secundò, quia dixit mendacium; primò dicendo: *Ego sum primogenitus tuus Esau*, non enim primogenitus, nequè Esau; sed respondetur fuisse Esau, & primogenitum, quia ex facto Esau vendentis, & iurantis translata erat in illum primogenitura, nequè inconuenit ratione officij quempiam dici talem; qui in veritate non est, vt de Ioanne dixit Christus nuncupando eum Eliam; nec refert an is, cui hoc dicitur, intelligat, vel non, quia consideratur persona dicentis in iudicando mendacio, non audientis, qui in hoc nihil agit; nàm nequè Iudæi intellexerunt, quandò Christus dixt: soluite templum hoc &c. nequè Tobias, quandò Raphael dixit se filiũ Azariæ &c. Tertiò quia dixit, *fecit sicut præcepisti mihi*. nàm illi nihil præceperat Isaac; sed sustinetur hoc dictum Iacob eodem modo; præceperat enim Esau vti primogenito, vndè scriptura dicit, *vocauitquè filium suum maiorem, &* quia egit tùnc secum de benedictione, quæ primogenito competebat, & illius occasione benedicturus erat, quæ omnia cùm Iacob erant agenda; ideò benè *præcepisti mihi*. Quartò quia dixit *de venatione mea*, at ille cibus nõ erat venaticus; sed respondetur, nõ dixit nùnc de venatione Esau, sed mea; illa autèm suo modo erat venatio, quia sicùt Esau feras, sic ille cepit domesticos hœdos; nàm in illorum captura largo modo venatum esse dici potest, vt à mendacio excusetur; huiusmodi enim amphibologia licet nõ ad decipiendum, sed ad suum ius conseruandum. Comprobatur responsio, quia dicenti Isaac: *quomodò tàm citò inuenire potuisti? respondit: voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi quod volebam*, etenim ex sua intentione illa erat venatio. Quintò quia nudè interroganti Isaac: *tu es filius meus Esau? respondit: Ego sum*; sed respondetur vt suprà, esse ratione debitæ primogenituræ, de qua agebatur, vel ipse sic ad suum sensum intellexit, quicquid pater secùs intellexerit; nàm sensus patris non grauat Iacob, vt ex eius sensu contraxerit peccatum. Ex his ergò videtur excusari posse Iacob à fictione, & mendacio in re maximè à Deo intenta, promissa, destinata; non enim præsumendum Deum permisisse in facto adeò excelso, & magno, in quo agebatur de semine Isaac propagãdo, ex quo Christus, quod quidẽ semẽ per Iacob, nõ per Esau descensurũ erat, voluisse fictiones veras, & mendacia, vel peccatũ aliquod interseri. Non dicas: alij sancti viri peccauerunt; esto, sed non in factis his à Deo descendentibus, & promissis, quæ illo suggerente executioni demandabantur, & pro his vide verba dicta à Domino. Gen. 26. 2. 24. & infrà Gen. 28. 15. Insupèr si Iacob peccasset, clarè enunciaretur eius peccatum, & simùl eius pœnitentia, proùt in Dauid peccante, aliòqui Deus non diceret se Deum Iacob, prout se dicit, si proùt de peccato, etiàm de pœnitentia constare non fecisset in scriptura. Vide Magal. in Ios. c. 2. vbi latè pòst alios ocasione Raab. Rursùs in hoc facto dubitari potest. Si Iacob supplantauera Isaac, cur is non reuocauit benedictionem? dicunt aliqui, Isaac illustratum à Deo eam esse voluntatem suam, & ideò non reuocasse; at si

at si hæc illustratio facta esset, præcessisset accessum Esau cũ cibo de venatione illato; sed illustratus nõ videtur fuisse Isaac etiàm postquàm accessit Esau, cum edulio suo venatico, quia non dixisset Iacob fraudulentèr benedictionẽ subripuisse, neque expauisset, nõ enim est hoc habentis reuelationẽ à Deo, neque subiunxisset. *quis ergò ille est?* &c. *benedixitquè* &c. eò magis quia subdit, *& erit benedictus*, & deindè *venit germanus tuus fraudulentèr*, & verbum *fraudulentèr* ex antecedentibus, & subsequentibus non potest in bonam partem accipi; Prætereà si habuit hanc reuelationem, cur illam non narrauit Esau, & conatus est inclinare eũ, vt acquiesceret voluntati Dei? quo enim fortiori argumento vti poterat Isaac ad illum consolãdum? & tamèn eo vsus non est. Dices ne cõcitaret odium Esau in Deum, vel daret causam maioris odij in Iacob; at res ipsa hæc operabatur; poterat hac reuelatione remoueri ab odio, non in illo foueri, & honorificum opera Dei reuelare. Tobi. 12. Dicẽdum ergò Isaac nõ potuisse reuocare benedictionẽ, quæ semèl ei placuerat & pro qua se obligauerat, & si potuisset, vtiquè Esau mœstus, iratus, interesse habens suggessisset patri, quod cùm non suggesserit, sed benedici tantùm petierit, videtur arguendum Isaac non potuisse reuocare. At quomodò hoc? cùm ambulatoria sit hominis volũtas vsquè ad mortem? hæc enim benedictio sapiebat vltimam voluntatem, non intèr viuos, hinc benedicens Isaac non remansit spoliatus bonis in benedictione comprehensis. Vndè dicendum vel quòd huiusmodi benedictio trãscendit vltimam volũtatem, & magis adhæret contractui intèr viuos ob præsentiam benedicti quasi stipulantis, & obligationem recipientis: at & hoc casu si deceptus, poterat illam reuocare tamquàm dolo inductus; sed aut periculũ reputauit resilire à iàm data benedictione, vt tenet Masius Iosu. 8. fol. 168. & 169. & Iosephus antiq. lib. 1. cap. 18. tenet non mutasse, quia Deo inuocato Iacob benedixerat; sic in simili obseruaui in iuramento Iosue, & alijs locis. vt in iuramento Herodis cum saltatrice. Abul. Matth. 14. q. 32. aut Isaac à se ipso sic expauescenti venerunt in mentem factum huiusmodi Iacob à Deo emanare, cùm ageretur de re adeò graui, nempè de Christo orituro ex filio ab ipso benedicendo, seù ex semine & posteritate illius, cõsiderauitquè Deum in re adeò magna non permissurum interuenire deceptionem; & cùm vnum futurum esset semen, non duo, vt dicit Paulus, non posse à data benedictione resilire; hìnc dicebat Esau: *& tibi vltrà quid faciam?* simplicitas Iacob, qui sinè Dei consilio id non attentasset, Bonitas Iacob, ob quam præferri à Deo poterat Esau. Prodigium in egressu ex vtero Iacob retinentis plantam Esau. Venditio iurata primogenitorum ab Esau Iacob facta, si sciuit, de quo dubito, vt dixi. Reuelatio à Deo Rebeccæ maiorem seruiturum minori, quod anteà ipse non obseruauerat, aut intellexerat, quia aliòqui non dixisset se benedicturum Esau, non enim verisimile Rebeccam illam celasse Isaac, etsi neque illa eam intellexit. Deceptio, & fraus cùm tanta prudentia pilosarum manuum, ciborum &c. quandò enim possumus à nobis rem cognoscere, Deus non cumulat remedia, seù illustrationes, quas ignorantibus confert, proùt Roboam ignoranti innotescere fecit per Prophetam: à me factum est verbum hoc. 3. Reg. 12. 24. & Abrahæ de eiectione Ismael. Dices: cur celauit Deus hoc verbum Isaac? vt cognosceret Iacob à Deo hæc emanare, eumquè sibi suffragari, & ab eo omnia recognosceret, non à patre, non ab alio. Sed an reuelauerit Rebeccæ? dubito, quia nec ipsa cognouit mysterium; scimus enim multa nuda, quæ tamèn ignoramus quomodò intelligenda, nisi pòst factum; & cur potiùs Rebecca illustrata, quàm Isaac? Dices contrà, quia suasit Iacob subreptionem benedictionis; at potuit moueri ob beneuolentiam qua prosequebatur Iacob. aut quia Iacob ab Esau emerat primogenita, & Esau iurauerat; vndè non poterat quicquam facere cõtrà iuramentũ, & quia tentauit, dicitur profanus à S. Paulo, vt iàm dixi; & Deus illa vsus est pro instrumento ad suam volũtatem perficiendam, qua statuerat Iacob præferri Esau; & si illi Dei voluntas innotuisset, non dixisset: *tantùm acquiesce consilijs meis*, sed Dei voluntati, iuxtà quam omnia habebunt facilem exitum; At si tandèm illa sciuit, hoc

est

est mysterium Dei occultũ, sic reuelat Zachariæ, & Mariæ, quod non Elisabeth,& Ioseph; tamèn priora magìs placent. Sed quãdò illustrati? pòst factum conferentes omnia, vel Isaac in illo instanti,& reuelauit certè Deus Iacob. cap. seq. Sed quomodò Iacob benedicit duodecim filijs, quod Isaac negat duobus? at benedicit quidèm,sed primatum dedit Iudæ,primogenita Ioseph, vel potiùs supèr illis prophetauit, & omnia sub vna dispositione, & voluntate continuata antequàm ad alios actus diuerteret.

CAPVT XXVIII.

1 *VOCAVIT itaquè Isaac Iacob, & benedixit eum,*
præcepitquè ei dicens: Noli accipere coniugende genere
2 *Chanaan:* * *sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam*
Siriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe
3 *tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui.* * *Deus*
autèm omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat,
4 *atquè multiplicet: vt sis in turbas populorum.* * *Et det*
tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: vt possideas terram peregri-
5 *nationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo.* * *Cumquè dimisisset eum Isaac, pro-*
fectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem
6 *Rebeccæ matris suæ.* * *Videns autèm Esau quòd benedixißet pater suus Iacob,*
& misisset eum in Mesopotamiam Syri, vt indè vxorem duceret; & quòd
pòst benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies vxorem de filiabus Cha-
7 *naan:* * *quòdquè obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam:* * *probans quo-*
8 *què quòd non libenter aspiceret filias Chanaam pater suus:* * *iuit ad Ismaelem,*
9 *& duxit vxorem absquè ijs, quas prius habebat, Maheleth filiam Ismael filij*
10 *Abraham, sororem Nabaioth. Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Ha-*
11 *ran.* * *Cumquè venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere pòst so-*
lis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit
12 *in eodem loco.* * *Viditquè in somnis scalam stantem super terram, & cacumen*
13 *illius tangens cælum: Angelos quoquè Dei ascendentes & descendentes per eam,* *
& Dominum omnium scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham
patris tui, & Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo.
14 *Eritquè semen tuum quasi puluis terræ. dilataberis ad Occidentem, & Orien-*
tem, & Septentrionem, & Meridiem: & BENEDICENTVR IN
15 *TE & in semine tuo cunctæ tribus terræ.* * *Et ero custos tuus quocumquè per-*
rexeris, & reducam te in terram hanc: nèc dimittam nisi compleuero vniuer-
16 *sa quæ dixi.* * *Cumquè euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Donminus est in*
17 *loco isto, & ego nesciebam.* * *Pauensquè. Quàm terribilis est, inquit, locus iste!*
18 *non est hìc aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* * *Surgens ergò Iacob mane, tu-*
lit lapidem quèm supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum de-
19 *supèr.* * *Appellauitquè nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.* * *Vo-*
20 *uit etiam vocatum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via,*
per

per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum
21 *ad induendum, * reuersusquè fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi*
22 *Dominus in Deum, & * lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus*
Dei: cunctorumquè, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

VOCAVIT *itaquè Isaac* motus verbis Rebeccæ, quæ nihil reuelauerat de odio Esau in Iacob, *sed* occasionem coniugij inuenerat; *Iacob, & benedixit eum,* precatus est illi bona, iàm sciebat Isaac primam benedictionem à Deo processisse; *præcepitquè ei, dicens: noli accipere coniugem de genere Chanaan;* sìc & prouidit Abraham cùm illo, sciebant quid referret; vndè Deus dicebat mulieres Chananæas peruersuras cor populi; & 2. Paralip. 21. 6. filia quippè Achab erat vxor eius, ex malo scilicèt semine, & successit in Salomone. *Sed vade proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel* (eccè iterùm Bathuel) *patris matris tuæ* Rebeccæ, *& accipe tibi indè vxorem de filiabus Laban* fratris Rebeccæ *auunculi tui. Deus autèm omnipotens benedicat tibi* (declarat) *& crescere te faciat, atquè multiplicet, vt sis,* euadas *in turbas* multitudinem magnam *populorum, & det tibi benedictiones* promissas *Abrahæ; & semini tuo pòst te,* quas tu non videbis, aut recipies, *vt possideas* in semine tuo *terram peregrinationis tuæ,* in qua nùnc peregrinaris, *quam pollicitus est auo tuo* Abrahæ; eccè quomodò confirmat benedictionem primam, & quò illa vergit. *Cumquè dimisisset eum Isaac* à se benedictum. Sed vbi cameli, serui, bona, proùt quandò seruus iuit ad easdem regiones? illud in seruo, nùnc filius nudus dimittitur? at tùnc necessarium fuit, vt noscerent facultates Abrahæ, ne detrectarent dare Rebeccam Isaac, nùnc certis, & informatis superfluum fuisset hæc adducere; vel potiùs occultè iuit sìc nudus timens insidias Esau; hìnc Sap. 10. 10. dicitur: hæc profugum iræ fratris iustum, &c. & Gen. 35. 7. dum fugeret fratrem suum; at non possum mihi persuadere, aliquem secum cùm paruis sarcinulis non habuisse, tùm ob necessitatem itineris, tùm ob matris dilectionem, tùm quia vnxit oleo lapidem, quod oleum secum necessariò habebat; tùm quòd amouit lapidem Racheli veniẽti à puteo, quod solus non potuisset; & quamuis profugus dicitur ab Esau, tamèn fuga non fuit improuisa, vel Esau insequente, imò parata, & iussa, vt nudus abire non sit coactus, sìc Christus fugit in Aegyptum, & tamèn non credendum sinè aliqua commoditate; & si associabatur saltèm à seruis, tutior erat ab Esau, & annona aliqua ab eis poterat comportari: *Profectus venit in Mesopotamiam Syriæ,* illùc dirigens iter, quod infrà prosequitur, *ad Laban filium Bathuel Syri fratrem Rebeccæ matris suæ,* iuxtà iussionem patris. *Videns autèm Esau quòd benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt indè vxorem duceret, & quòd pòst benedictionem præcepisset ei, dicens: non accipies vxorem de filiabus Chanaan, quòdquè obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam, probans quoquè quòd nõ libentèr aspiceret filias Chanaan* vxores suas suprà c. 26. in fin. *pater suus* Isaac, *iuit* sìc spoliatus *ad Ismaelem* patruũ suum, *& duxit vxorem absquè ijs, quas priùs habebat* de gente Chanaan *Maheleth filiam Ismael filij Abraham* ex Agar, *sororem Nabaioth* primogeniti Ismaelis Gen. 25. fortè id fecit, vt deliniret animos parentum. *Igitur egressus Iacob de Bersabee* domo paterna, *pergebat Haran,* in Mesopotamiam. *Cumquè venisset,* peruenisset *ad quendam locũ, & vellet in eo* fatigatus *requiescere pòst solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco. Viditquè insomnis scalam* stantem *supèr terram, & cacumen,* summitas *illius tangens cælum, angelos quoquè Dei ascẽdentes, & descendentes per eam,* hic prouidentia, & custodia Dei, & quomodò administratorios habeat Angelos; & sic ostendit illi Deus regnum Dei. Sap. 10. 10. & consequentèr custodiam, quam de ipso gerebat

per

per suos Angelos, vt illum consolaretur, & firmaret; vndè Christus de se: videbitis Angelos ascendentes, & descendentes ministrantes supèr filium hominis, & Iacob ipse vidit castra Dei ad sui tutelam infrà c.32.1. & Eliseus cùm puero 4. Reg. 6. 16. *& Dominum innixum scalæ*, vt de maiori ergà eum prouidentia certus esset; *dicentem sibi* (quod visione ostendit, verbis declarat) *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac*; ille qui tanta promisi eis in eorum semine propagando, Deus fidelis, obseruans. *Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo* (nondum excesserat terminos terræ promissionis) *Eritquè semen tuum quasi puluis terræ*, innumerabilis *dilataberis ad occidentem, & orientem, et septentrionem, et meridiem*; si ad terram promissionis, intellige versùs quattuor mundi partes; si ad Christum, & illius sequaces perfectè ad omnes partes illas; in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum; multi venient ab oriente, & occidente, & recumbent cùm Abraham, Isaac, & Iacob, &c. *Et benedicentur in te*, ex quo exiet, *et in semine tuo*, Christo *cunctæ tribus terræ*: eccè quomodò intelligit antecedentia, *et ero custos tuus quocumquè perrexeris*, quasi, nihil timeas, *et reducam te in terram hanc*, ne putes te sempèr futurum exulem, *nec dimittam nisi* facto *compleuero vniuersa, quæ dixi*, sic & egit Deus cùm Abraham. Gen. 15. & 22. & Isaac cap. 26. 2. 24. vult enim nos sempèr tutos reddere adimplementi promissorum. *Cumquè euigilasset Iacob de somno*, in quo facta visio, *ait: Verè Dominus est in loco isto*, manifestus est mihi redditus hìc, *et ego nesciebam* maiestatem loci, *pauensquè* ob præcedentem visionem. *quàm terribilis est* (inquit) *locus iste! non est hìc aliud, nisi domus Dei*, Dei habitatio, *et porta cæli*, ex qua intrant, & exeunt Angeli ministrantes. *Surgens ergò Iacob mane, tulit lapidem*, seù lapides, prout musca Pharaonis, & nec capillus adustus. Dan. 3. 94. *quem supposuerat capiti suo* dormiturus, *et erexit in titulum*, in signum visionis huius. *fundens oleum desupèr*, quod remanet, vt ab alijs distingueretur in Dei honorem, & gloriam, ex Dei instinctu, qui & iussit lapides seruari ex Iordane sumptos in signum miraculi. Ios. 4. 46. Leuit. 26. 1. prohibetur fieri ad effectum adorandi, *appellauitquè nomen Vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur*. Non dixit appellasse locum Bethel, sed locum Vrbis Bethel, *quæ prius Luza vocabatur*, vndè distinctio loci à Bethel ad Luzã corruit, & ex dictis infrà Gen. 35. 3. 6. nec duplicatur Bethel Ios. 16. 13 & 22. sed est eadem, & de illa, quæ est nostra hìc vbiquè, præterquàm Iudi. 1. 26. ad instar huius in Hetthim ædificata. *Vouit etiam votum* somnio confirmatus à Domino, *dicens: si fuerit Deus mecum* erit vtiquè quia sic promisit; non dixit hoc diffidens, sed gratus Deo, *& custodierit me in via, per quã ego ambulo, & dederit mihi panẽ ad vescendum, & vestimentum ad induendum*, iuxtà statum meũ necessaria, proùt petijt & Salomon. *reuersusquè fuero prosperè ad domum patris mei*, à loco, ad quem pergo; *erit mihi Dominus in Deum*, Deo seruiam per spiritualem cultum, & decimas dabo, vt infrà, & siuè det, siue non det, Deus noster est Daniel. 3. *& lapis iste, quem erexi in titulum*, signum *vocabitur*, erit *domus Dei*, hìc ædificabo altare Domino, hìc offeram sacrificium; eccè quomodò intelligit Deus erit mihi in Deum. *Cunctorumquè, quæ dederis mihi*, Domine, vltrà necessaria; nàm quomodò decimas daturus necessariorum? *decimas offeram tibi*, vt fecit infrà cap. 35. simile votum Iabes. 1. Paralip. 4. 10. at de votis latè Pined. Iob. 22. vers. 27.

CAPVT XXIX.

1 *PROFECTVS ergò Iacob venit in terram Orientalem.*
2 **Et vidit puteum in agro tres quoquè greges ouium accu-*
bantes iuxtà eum : nàm ex illo adaquabantur pecora, &
3 *os eius grandi lapide claudebatur. *Morisquè erat vt cū-*
ctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem, & refectis
4 *gregibus rursùm supèr os putei ponerent. *Dixitquè ad*
pastores : Fratres, vndè estis? Qui responderunt de Ha-
5 *ran. *Quos interrogans. Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt:*
6 *Nouimus : *Sanusnè est? inquit : Valet, inquiunt : & eccè Rachel filia eius ve-*
7 *nit cùm grege suo. *Dixitquè Iacob: Adhùc multum diei superest, nec est tempus vt*
reducantur ad caulas greges: date antè potū ouibus, & sìc eas ad pastum reducite.
8 **Qui responderunt : Non possumus, donèc omnia pecora congregentur, & amouea-*
9 *mus lapidem de ore putei, vt adaquamus greges. *Adhùc loquebantur, & eccè Ra-*
10 *chel veniebat cùm ouibus patris sui: nàm gregem ipsa pascebat. *Quam cùm vi-*
disset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesquè Laban auunculi sui: amouit la-
11 *pidem quo puteus claudebatur. *Et adaquato grege, osculatus est eam : & eleuata*
12 *voce fleuit, *& indicauit ei, quòd frater esset patris sui, & filius Rebeccæ : at illa*
13 *festinans nunciauit patri suo. *Qui cùm audisset venisse Iacob filiū sororis suæ, cu-*
currit obuiam ei: complexusquè eum, & in oscula ruens, duxit in domum suā. Au-
14 *ditis autèm causis itineris, *respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquàm im-*
15 *pleti sunt dies mensis vnius, * dixit ei: Num quia frater meus es, gratis seruies*
16 *mihi? dic quid mercedis accipias. Habebat verò duas filias, nomen maioris Lia:*
17 *minor verò appellabatur Rachel. *Sed Lia lippis erat oculis : Rachel decora facie,*
18 *& venusto aspectu. *Quam diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua*
19 *minore septem annis. *Respondit Laban: Melius est vt tibi eam dem quàm alteri*
20 *viro, mane apud me. *Seruiuit ergò Iacob pro Rachel septem annis: & videban-*
21 *tur illi pauci dies præ amoris magnitudine. *Dixitquè ad Labā: Da mihi vxorem*
22 *meā: quia iàm tempus impletum est, vt ingrediar ad illam. *Qui vocatis multis*
23 *amicorū turbis ad conuiuiū, fecit nuptias, *Et vespere Liam filiā suam introdu-*
24 *xit ad eum, *dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Iacob*
25 *fuisset ingressus, facto mane vidit Liam. *& dixit ad socerū suum: Quid est quod*
26 *facere voluisti? nonnè pro Rachele seruiui tibi? quarè imposuisti mihi? *Respon-*
dit Laban : Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad
27 *nuptias. *Imple hebdomadam dierum huius copulæ: & hanc quoquè dabo tibi pro*
28 *opere quo seruiturus es mihi septem annis alijs: *Acquieuit placito : & hebdomada*
29 *transacta, Rachel duxit vxorem: * cui pater seruam Balam tradiderat. * Tan-*
30 *demquè potitus optatis nuptijs, amorem sequentis priori prætulit, seruiens apud eū*
31 *septem annis alijs. *Videns autem Dominus quod despiceret Liam aperuit vul-*
uam

32 *uam eius, sorore sterili permanente.* * *Quæ conceptum genuit filium, vocauitquè*
nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nùnc amabit
33 *me vir meus.* * *Rursumquè concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audi-*
uit me Dominus haberi contemptui, dedit etiàm iustum mihi. vocauitquè nomen
34 *eius Simeon.* * *Concepitquè tertiò, & genuit alium filium: dixitquè: Nùnc quo-*
què copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios: & idcircò ap-
35 *pellauit nomen eius, Leui:* * *Quarto concepit & peperit filium, & ait: Modo*
confitebor Domino. & ob hoc vocauit eum Iudam: cessauitquè parere.

PROFECTVS *ergò Iacob* de Bethel *venit in terram,* plagam *orientalem*, Oriẽtem versùs, *& vidit puteũ in agro, tres quoquè greges ouium accubãtes iuxtà eũ; nàm ex illo adaquabantur pecora, & os eius* putei *grandi lapide claudebatur*, ne ius esset omnibus haurire aquam, *morisquè erat, vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent,* tollerent *lapidem, & refectis* potu *gregibus rursùm supèr os putei* lapidem illum *ponerent. Dixitquè* Iacob *ad pastores* ibì stantes: *Fratres vndè estis? Qui responderunt de Haran. Quos interrogans: numquid (ait) nostis Laban filium Nachor? dixerunt: nouimus. Sanusnè est? inquit. Valet, inquiunt. Et eccè Rachel filia eius venit cùm grege suo. Dixitquè Iacob: adhùc multum diei superest, nec est tempus vt reducantur ad caulas greges, date antè potum ouibus; & sic eas* epotas *ad pastum reducite;* id enim conferet gregibus. *Qui responderunt: non possumus* id facere, *donèc omnia pecora congregentur, & amoueamus simùl lapidem de ore putei, vt adaquemus greges. Adhùc loquebantur, & eccè Rachel veniebat cùm ouibus patris sui* illas adaquatura: *nàm gregem ipsa pascebat; quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinã suã, ouesquè Laban auunculi sui, amouit lapidem, quo puteus claudebatur. Et adaquato grege, osculatus est eam,* tùm ex more, tùm quia sua consobrina, quod præmittitur de industria, *& eleuata voce* commotus præsentia consanguineæ, & recordatus suorum *fleuit, & indicauit ei quòd frater esset patris sui, & filius Rebeccæ. at illa festinans nunciauit patri suo;* sic & Rebecca fecerat. *Qui cùm audisset venisse Iacob filium sororis suæ, cucurrit obuiam ei, complexusquè eum, & in oscula ruens duxit in domum suam. Auditis autèm caussis itineris, respondit: os meum es & caro mea;* Adam: hoc nùnc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Genes. 2. meus es consanguineus, nihil tibi hìc deerit, sic consolatus est eum. *Et postquàm impleti sunt dies mensis vnius,* Laban *dixit ei* Iacob seruienti: *Nùm quia frater meus es, gratìs seruies mihi? dic quid mercedis accipias* pro tua seruitute. *Habebat verò* Laban *duas filias nomen maioris Lia, minor verò appellabatur Rachel, sed Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie & venusto aspectu.* hoc dicit, vt constet cur Rachel magis dilecta à Iacob, quam Rachel *diligens Iacob* pudico, castoquè amore, fortè primo aspectu, proùt Ionathas Dauid cuius anima conglutinata, & Sichem Dinam, Gen. 34. *ait: seruiam tibi pro Rachel filia tua minore* (clarè loquitur) *septem annis*, quibus expletis sit mihi vxor; non fuit ergò vxor, nisi illis expletis; erat ergò promissa tantùm sub conditione; vndè nec contracta sponsalia, quia aliquid de his diceretur. *Respondit Laban: melius est, vt tibi eam dem, quàm alteri viro;* consentio dictis tuis, *mane apud me*, incumbe seruituti ceptæ; hùcusque Laban rectè se gessit cùm Iacob. Sed cur seruit pro vxore? dicunt aliqui, quia non habebat munera, quæ daret, loco munerum seruitute vsus est; sìc seruus Abrahæ munera protulit; Rex Alexander Ptolomæo regi promittit dare munera pro filia. 1. Machab. 10. 54. Hemor pro Dina promisit Gen. 34. 12. Dauid centũ præputia Philistinorum. 1. Reg. 18. 2. Reg. 3. pro Michol, Oseas pro fornicaria quindecim solidos. Oseæ 3. Sed Tobias cùm Raguele nullis vsus muneribus, & ser-

uus ille fecit, vt appareret qualis Dominus suus esset, vt ibi dictum; sed fortè is mos in Mesopotamia ex hoc loco, & Gen. 24. puto quia existimauit Iacob Rachel minorẽ, quæ ei placebat, non posse recipere Lia maiore innupta, ideò ad hanc difficultatem tollendam eum seruitutem obtulisse; nàm & dotẽ dari solere à patribus innuunt verba filiarũ. cap. 31. 15. & ipse si alijs destitutus, saltèm pecuniam habebat, quia si quid in grege peribat, infrà de proprio reintegrabat Laban. Gen. 31. vide quæ notaui 1. Reg. 18. *Seruiu it ergò Iacob pro Rachele septẽ annis* iuxtà conuenta, *& videbantur illi pauci dies* parui laboris *præ amoris magnitudine*, quo Rachel prosequebatur. *Dixitquè* (illis expletis) *ad Laban: Da mihi vxorem meam*, quam spopondisti mihi, Rachelem, *quia iàm tempus* septem annorum præscriptorum *impletum*, finitum *est*, *vt ingrediar ad illam*. *Qui* Laban *vocatis multis amicorũ turbis ad conuiuium, fecit nuptias*; sic enim conuiuio in eis lætabantur, *& vespere* quo nõ posset cognoscere, deceptoriè *Liam filiam suã introduxit ad eum*. stuprũ (cum non esset matrimonium) ignorãti Iacob inducens: peccans ipse, & Lia, quam patris iussus non excusauit à peccato scientem nuptias esse Rachelis, nisi fortè alitèr à patre persuasa, vt excusetur, *dans ancillam filiæ* Liæ *Zelpham nomine* in famulatum. *Ad quam* incognitam in nocte *cùm ex more Iacob fuisset ingressus* absquè peccato, cùm ignoraret qualis esset, *facto mane, vidit Liam* esse, *& dixit ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti?* peccatum adeo graue? *nonnè pro Rachele seruiui tibi? quarè imposuisti mihi?* decepisti me? *Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias*, bella excusatio, cur ergò sìc conuenisti? cur non præmonuisti Iacob antè conuẽtionẽ? *Imple hebdomadã dierum huius copulæ* cùm Lia, *& hanc* Rachelem *quoquè dabo tibi pro opere, quo seruiturus es mihi septem alijs annis*; videbat seruitutem Iacob proficuam; ideò sic deceptoriè illũ retinuit. *Acquieuit* Iacob *placito, & hebdomada* dierum *transacta, septem* scilicèt annorum, hinc suprà *dabo*, non do, & *quo seruiturus es mihi septem annis aliis*, & infrà, *tandemquè potitus* &c. quæ verba denotant tractum lõgum, & si pòst dies septem duxisset, non subderet *seruiẽs septem annis aliis* pro opere; Prætereà quomodò consuluisset sibi Laban, si illã dedisset antè seruitutem expletam, poterat Iacob abire, eò magis læsus ex suppositione Liæ, & sicùt primò non dedit, nisi annis expletis, sìc nequè alijs expletis eam dedisse credendũ est. Non obstãt verba vers. 31. quia intelliguntur de illo tempore, quo cognouit Rachelem, & sìc pòst septem annos, voluit enìm Scriptura se priùs de illa expedire, antequàm de conceptu, & fœtibus Liæ ageret. *Rachel duxit vxorẽ: cui pater seruam Balã tradiderat. Tandẽquè potitus optatis nuptiis, amorem sequentis* Rachel *priori prætulit, seruiens apud eum septem annis aliis*; sed Iacob in poligamia nõ peccauit, quæ tùnc permittebatur, vt dictũ in Abraham. *Videns autèm Dominus quòd despiceret Liam* respectu Rachelis dilectæ, *aperuit vuluã eius* Liæ, fœcundam fecit *sorore* Rachele *sterili permanente*. hoc est proprium Dei aduersùs mala imprecantes ad fauorem patientium; vndè Dauid maledictus à Semei dicebat: si fortè respiciat Deus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. 2. Reg. 16. 12. sìc & 1. Reg. 1. in Anna cùm Phenenna, & Ezech. 36. 2. sìc infrà Gen. 31. 13. 42. *Quæ* Lia *conceptũ genuit filium, vocauitquè nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam*, abiectionem meam; sic Domina: quia respexit humilitatem, abiectionem ancillæ suæ, *nùnc amabit me vir meus*, non despiciet me ampliùs. *Rursumquè concepit; & peperit filium, & ait: Quoniàm audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiàm istũ mihi* (vide quod suprà dicebam) *vocauitquè nomen eius Simeon. Concepitquè tertiò, & genuit alium filium, dixitquè nùnc quoquè copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios; & idcircò appellauit nomen eius Leui. Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino*, Laudabo Dominum, gratias illi agam, *& ob hoc vocauit eum Iudam: cessauitquè parere*. Obserua quia Iudas filius Liæ primogenituram à Ruben translatam recepit. Genes. 49.

CAPVT

CAPVT XXX.

1 CERNENS autèm Rachel quòd infecunda esset, inui-
dit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, aliòquin
moriar. * Cui iratus respòndit Iacob: Num pro Deo ego
2 sum, qui priuauit te fructus ventris tui? * At illa: Ha-
beo inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, vt pa-
3 riat supèr genua mea, & habeam ex illa filios: * Dedit-
4 què illi Balam in coniugium: * Deditquè illi Balam in con-
iugium: quæ, ingresso ad se viro, concepit & peperit filium. * Dixitquè Rachel: Iudi-
5 cauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meã, dans mihi filium. & idcircò ap-
6 pellauit nomen eius Dan. * Rursumquè Bala concipiens peperit alterum, * pro quo ait
7 Rachel: Comparauit me Deus sorore mea, & inualui: vocauitquè eum Nephtali.
8 * Sentiens Lia quòd parere desijsset, Zelphã ancillam suam marito tradidit. * Quæ
9 post cõceptum edente filium, * dixit: Feliciter. & idcircò vocauit nomen eius Gad.
10 * peperit quoquè Zelpha alterũ. * Dixitquè Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam
11 quippè me dicent mulieres. propterea appellauit eum Aser. * Egressus autèm Ruben
12 tempore messis triticeæ in agrum, rèperit mandragoras: quas matri Liæ detulit.
13 Dixitquè Rachel: Da mihi partem de mandragoris filij tui. * Illa respondit: Parũ-
14 ne tibi videtur quòd præripueris maritum mihi, nisi etiàm mandragoras filij mei
15 tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. Redeun-
16 tiquè ad vesperam Iacob de agro, egressa est in occursum eius Lia, & ad me, in
quit, intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Dormiuitquè cùm
17 ea nocte illa: * Et exaudiuit Deus preces eius: cõcepitquè & peperit filium quintũ, et
18 ait: * Dedit mihi Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo. ap-
19 pellauitquè nomen èius Issachar. * Rursùm Lia concipiens, peperit sextũ filium, * &
20 ait: Dotauit me Deus dote bona: etiàm hac vice mecũ erit maritus meus eò, quòd
21 genuerim ei sex filios, & idcircò appellauit nomẽ eius, Zabulon. * Post quem pepe-
22 rit filiam nomine Dinam. * Recordatus quoquè Dominus Rachelis, exaudiuit eam,
23 & aperuit vuluam eius. * Quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abstulit Deus
24 opprobrium meum. * Et vocauit nomen eius, Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus
25 filium alterum. * Nato autèm Ioseph, dixit Iacob socero suo: Dimitte me vt reuer-
26 tar in patriam, & ad terram meam. Da mihi vxores, & liberos meos, pro qui-
27 bus seruiui tibi, vt abeã: tu nosti seruitutem qua seruiui tibi. * Ait illi Laban: In-
ueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus
28 proptèr te: * constitue mercedem tuam, quam dem tibi. * At ille respondit: Tu nosti
29 quo modo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. * Modi-
30 cum habuisti antequàm venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitquè ti-
bi Dominus ad introitum meum. iustum est igitùr vt aliquandò prouideam do-
31 mui meæ. * Dixitquè Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: sed si feceris

32 *quod postulo, iterùm pascam, & custodiam pecora tua.* * *Gyra omnes greges tuos,*
& separa cunctas oues varias, & sparso vellere: & quodcunque furuum, & ma-
culosum, variumquè fuerit, tàm in ouibus, quàm in capris, erit merces mea.
33 * *Respondit què mihi cràs iustitia mea, quandò placiti tempus aduenerit coràm te:*
& omnia quæ non fuerint varia & maculosa, & furua, tàm in ouibus, quàm
34 *in capris, furti me arguent.* * *Dixitquè Laban: Gratum habeo quod petis.* * *Et se-*
35 *parauit in die illa capras, & oues, & hircos, & arietes varios atque maculosos:*
cunctum autèm gregem vnicolorem, id est, albi, & nigri velleris, tradidit in ma-
36 *nu filiorum suorum.* * *Et posuit spatium itineris trium dierum intèr se & gene-*
37 *rum, qui pascebat reliquos greges eius.* * *Tollens ergò Iacob virgas populeas viri-*
des, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractisque cor-
ticibus, in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra fue-
38 *rant, viridia permanserunt: atquè in hunc modum color effectus est varius.* * *Po-*
suitquè eas in canalibus, vbi effundebatur aqua: vt cùm venissent greges ad bi-
39 *bendum, antè oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Factũ-*
què est vt in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, &
40 *varia, & diuerso colore respersa.* * *Diuisitquè gregem Iacob, & posuit virgas*
in canalibus antè oculos arietum: erant autèm alba & nigra quæque, Laban: cæ-
41 *tera verò, Iacob, separatis intèr se gregibus.* * *Igitùr quandò primo tempore ascen-*
debantur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum antè oculos arietum
42 *& ouium, vt in earum contemplatione conciperent:* * *quandò verò serotina ad-*
missura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factaquè sunt ea quæ
43 *erant serotina, Laban: & quæ primi temporis, Iacob.* * *Ditatusquè est homo vl-*
trà modum, & habuit greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos.

CERNENS *autèm Rachel* diù iàm experta *quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ,* cuius vuluã Deus aperuerat; inuidia hæc, & in Cain ergà Abel, fratrum ergà Ioseph, nec interpretor in bonam partem, quia ex alijs constat sorores non benè intèr se sensisse. *Et ait marito suo* Iacob: *da mihi liberos,* quæso enitere, vt pariam & ego, *aliòquin moriar,* adeò dolore vrgeor ob meam sterilitatem. Loquitur more desperantium, vel amantium, vt se amantes magìs moueant. *Cui iratus respondit* Iacob: *Nùm pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?* vt illius vice possim tibi fructum concedere, vel contrà illum operari? & Ioseph: numquid Dei possumus resistere voluntati? Gen. 50. 19. & 4. Reg. 5. 7. numquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare? recognoscit hanc sterilitatem à Deo prouenire; non est autèm verum quod hìc ab aliquibus dicitur, Deum sibi reseruasse claues pluuiæ, nec alteri tradere; nàm nonnè tradidit Eliæ, qui clausit, & aperuit cælum, vt plueret? vel non. 3. Reg. 17. 1. & 18. 1. 45. nonnè pluit ad orationem Samuelis? 1. Reg. 12. 18. omnia à Deo impetrantur. *At illa* iàm desperans concipere, ait: postquàm Deo sìc placet, saltèm ausculta. *Habeo, inquit, famulam Balam* à patre mihi traditam, *ingredere ad illam, vt pariat supèr genua mea, & habeam ex illa filios, qui mihi imputentur.* didicit hoc ex Sara, quæ sìc egit cùm Abraham. Genes. 16. *Deditquè illi Balam in coniugium,* vt absquè peccato ad illã accederet; *quæ* Bala *(ingresso ad se viro* Iacob) *cõcepit, & peperit filium: Dixitquè Rachel: Iudicauit mihi Dominus,* ad fauorem meũ iudicium fecit Dominus, sororẽ sibi aduersariã facit, *& exaudiuit vocẽ meam dans*
mihi

mihi filium, & idcircò appellauit nomen eius Dã. Rurſumquè Bala cõcipiẽs, peperit alterũ, pro quo ait Rachel: Comparauit me Dominus cùm ſorore mea in proie, *& inualui*, vires cepi, *vocauitquè eum, Nephtali. Sentiens Lia quòd parere deſijſſet, Zelpham ancillam ſuam marito tradidit* in coniugium; *Quæ pòſt conceptum edente filium, dixit: fœlicitèr* mecum actum, *& idcircò vocauit nomen eius, Gad. Peperit quoquè Zelpha alterum; dixitquè Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippè me dicent mulieres*, & Domina: omnes generationes; *propterea appellauit eum, Aſer. Egreſſus autèm Ruben tempore meſſis triticeæ in agrum, reperit mãdragoras, quas matri Liæ detulit. Dixitquè Rachel: Da mihi partem de mandragoris filij tui*; quas Ruben filius tuus ad te detulit. *Illa* (Lia) *reſpondit: Parùmne tibi videtur, quòd præripueris maritum meum mihi* (hinc Iacob libentiùs cùm Rachele morabatur) *niſi etiàm mandragoras filij mei tuleris?* quaſi, non dabo. *Ait Rachel* optans illas: *dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui*, quas mihi dederis, & sic dedit. *Redeuntiquè ad veſperam Iacob de agro, egreſſa eſt in occurſum eius Lia* læta, & exultabunda, ne in tabernaculum Rachelis intraret; *& ad me (inquit) intrabis*, diuertes hac nocte, *quia mercede conduxi te* à Rachele *pro mandragoris filij mei*, quas illi dedi. *Dormiuitquè* Iacob *cùm ea* Lia *nocte illa; & exaudiuit Deus preces eius* optantis prolem, *cõcepitquè, & peperit filium quintum, & ait: dedit Deus mercedem mihi*, compenſauit me munificentiſſimus Dominus, *quia dedi ancillam meam viro meo* ad prolem recipiendam, ob quam ab eo abſtinui, *appellauitquè nomen eius Iſachar. Rurſùm Lia concipiens peperit ſextum filiũ, & ait: Dotauit me Deus dote bona*, filio hoc nato, *etiàm hac vice mecum erit maritus, eò quòd genuerim ei ſex filios; & idcircò appellauit nomen eius Zabulon, pòſt quem peperit filiam nomine Dinam*. Poſtquàm hæ duæ mulieres omnia ad Deum referunt; dic à Iacob inſtructas eſſe timere Deum, illumquè colere. *Recordatus quoquè Dominus Rachelis*, recordari dicitur Deus noſtrum, quandò nobis elargitur dona ſua, vel pœnas irrogat. *Exaudiuit eam* deprecantem; sic Zaccariæ Angelus, exaudita eſt deprecatio tua, *& aperuit vuluam eius*, reddidit eam fœcundum ex ſterili; *quæ concepit, & peperit filium, dicens; Abſtulit Deus opprobrium meum*; sic Saræ Gen. 21. 6. riſum fecit mihi Dominus, & Eliſabet Luc. 1. 25. quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum intèr homines; ſterilitas enim opprobrioſa erat. *Et vocauit nomen eius Ioſeph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum. Nato autèm Ioſeph*, omnium deſiderabilium factus compos; nàm optauerat prolem ex dilecta Rachele, ſicuti eam prædiligebat; vel quia familia grauabatur, cui proſpicere volebat, *dixit Iacob ſocero ſuo* Laban *dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam, da mihi vxores*, permitte me ducere vxores meas mecũ, *& liberos meos, pro quibus ſeruiui tibi, vt abeam* cùm eis: *tu noſti ſeruitutem, qua ſeruiui tibi*, quaſi ſcis an id merear; mecum agas, proùt ego tecum, & cùm rebus tuis egi, fortè & ex his verbis aliquam aliam mercedem petebat. *ait illi Laban: Inueniam gratiam in conſpectu tuo*, aſſentire mihi, verba melliflua intereſſe habẽtis; *experimẽto didici, quia benedixerit mihi Deus proptèr te*, me ditauerit, multiplicauerit; *conſtitue mercedem tuam, quam dem tibi*, & ſerui, nùnc agit de illa. *At ille reſpondit: Tu noſti quomodò*, qua diligentia, quo labore *ſeruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit* creuerit *poſſeſſio tua, modicum habuiſti antequàm venirem ad te, & nùnc diues effectus es, benedixitquè tibi Dominus ad introitum meum*, multiplicauit te, tua auxit, ecce quomodò Deus per vnum benefaciat alteri, ecce Arca in domo Obededom Ioſeph in domo Putipharis, & Pharaonis; Leuita in domo Michæ, qui dixit, nùnc ſcio &c. *iuſtum eſt igitùr, vt aliquandò prouideã etiam domui meæ*, & cogitem de familia mea, de meis liberis. *Dixitquè Laban* perſiſtens vt Iacob proſequeretur ſeruitutẽ, *quid tibi dabo?* & ſerui? *at ille ait: nihil volo à te*, quod tuum ſit, *ſed ſi feceris*, aſſenſeris, *quòd poſtulo, iterùm paſcam, & cuſtodiam pecora tua*, adhùc tibi ſeruiam. *Gyra omnes greges tuos*, attentè intuere eos, *& ſepara cunctas*

oues

oues varias, & ſparſo vellere; ex illis enim tuis nihil tãgere volo, & impoſterum *quodcumquè furuum, & maculoſum, variumquè fuerit tàm in ouibus, quàm in capris, erit merces mea* pro labore meo. *Reſpondebitquè mihi cràs* impoſterum *iuſtitia mea,* apparebit tibi quàm iuſtè egerim, *quãdò placiti* pactorum *tempus aduenerit coràm te,* in cõſpectu tuo, *& omnia, quæ non fuerint varia, & maculoſa, & furua tàm in ouibus, quàm in capris* penès me *furti me arguent,* ero furti reus, quaſi nihil tangam ad te ſpectantium, mea tantùm retinebo. *Dixitquè Laban: gratum habeo quod petis,* placet mihi, *& ſeparauit* Laban *in die illa capras, & oues, & hircos, & arietes varios, atquè maculoſos,* quæ omnia ſua erant; nàm pactum reſpiciebat futura; *cunctum autèm gregem vnicolorem, ideſt albi, & nigri velleris tradidit in manu,* poteſtate *filiorum ſuorum,* de quibus infrà c. 31. 1. vt aſſiſterent aliquandò cùm Iacob, cauens hoc modo ne fieret fraus; non ergò dicas duplicem factam ſeparationem, quia de vna tantùm clarè apparet pòſt verba illa pactum perficientia, *gratum habeo* &c. & tùnc ſubditur executio: *ſeparauit Laban* &c. nec obſtat Laban mutaſſe mercedem, quia hìc de prima vice, & pacto agitur, non alio, & de filijs Iacob teneris intelligi non poteſt textus iſte; *& poſuit ſpatium itineris trium dierum intèr ſe* paſcentem aliquos, *& generum, qui paſcebat reliquos greges eius* vnà cùm filijs. Deindè explicat induſtriã Iacob, vt fœtus eſſent diſcolores, & meliores, & in fine. cap. *ditatuſquè eſt homo vltrà modum* valdè, *& habuit greges multos, ancillas, & ſeruos, camelos, & aſinos,* Deo omnia benedicente, & multiplicante; & aduerte nulla iniuſtitia ex parte Iacob, qui alio modo non poterat ſibi pro laboribus, & mercede ſua proſpicere, eò magis quia Dei inſtinctu omnia geſta infrà 31. 11. proùt & Hebræi ab Aegyptijs mutuò receperunt non reddenda ex Dei ordine. Exod. 12.

CAPVT XXXI.

1 *POSTQVAM autèm audiuit verba filiorum Laban dicentiũ: Tu-*
lit Iacob omnia quæ fuerũt patris noſtri, & de illius facultate di-
2 *tatus, factus eſt inclytus: * animaduertit quoquè faciem Laban,*
quod Laban, quod non eſſet ergà ſe ſicùt heri, & nudiuſtertius,
3 **maximè dicente ſibi Domino: Reuertere in terram patrum tuo-*
4 *rum, & ad generationem tuam, eroquè tecum.* Miſit, & vocauit Rachel &*
5 *Liam in agrum, vbi paſcebat greges,* dixitquè eis: Video faciem patris veſtri,*
quòd non ſit ergà me ſicùt heri, & nudiùſtertius: Deus autèm patris mei fuit mecũ.
6 **Et ipſe noſtis quòd totis viribus meis ſeruierim patri veſtro.* Sed & pater veſter*
7 *circũuenit me, & mutauit mercedem meã decem vicibus: & tamen nõ dimiſit eũ*
8 *Deus vt noceret mihi.* Si quandò dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebãt omnes*
oues varios fœtus. quandò verò econtrario ait: Alba quæquè accipies pro mercede:
9 *omnes greges albæ pepererũt.* Tulitq. Deus ſubſtantiã patris veſtri, & dedit mihi.*
10 **Poſtquã enìm cõceptus ouiũ tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi in sõ-*
nis aſcendentes mares ſupèr fœminas, varios, et maculoſos, & diuerſorũ colorum.
11 **Dixitquè Angelus Dei ad me in sõnis: Iacob? Et ego reſpondi: Adſum.* Qui ait:*
12 *Leua oculos tuos, & vide vniuerſos maſculos aſcendentes ſuper fœminas, va-*
13 *rios maculoſos, atquè reſperſos. Vidi enìm omnia quæ fecit tibi Laban. * Ego*
ſum Deus Bethel, vbì vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. Nùnc ergò
14 *ſurge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. * Reſponde-*
runtquè Rachel & Lia: Nunquid habemus reſidui quidquam in facultatibus, &
here-

15 *hæreditate domus patris nostri ?* Nonnè quasi alienas reputauit nos, & vendi-*
16 *dit, comeditquè pretium nostrum ?* Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tra-*
17 *didit nobis, ac filijs nostris: vndè omnia quæ præcepit tibi Deus, fac.* Surrexit*
18 *itaquè Iacob, & impositis liberis, ac coniugibus suis supèr camelos abijt.* Tulitquè*
omnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat,
19 *pergens ad Isaac patrem suum in Terram Chanaan.* Eo tempore ierat Laban ad*
20 *tondendas oues, & Rachel furata est idòla patris sui.* Noluitquè Iacob confite-*
21 *ri socero suo quòd fugeret.* Cumquè abijsset tàm ipse, quàm omnia quæ iuris sui*
22 *erant, & amne transmisso pergeret contrà montem Galaad,* nunciatum est La-*
23 *ban die tertio quod fugeret Iacob.* Qui assumptis fratribus suis, persecutus est eum*
24 *diebus septem: & comprehendit eum in Monte Galaad.* Viditquè in somnis di-*
25 *centem sibi Deum: Caue ne quidquam asperè loquaris contrà Iacob.* Iamquè Ia-*
cob extenderat in monte tabernaculum: cumquè ille cõsecutus fuisset eum cùm fra-
26 *tribus suis, in eodem Monte Galaad fixit tentorium.* Et dixit ad Iacob: quarè*
27 *ità egisti, vt clàm me abigeres filias meas quasi captiuas gladio?* Cur ignoran-*
te me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cùm gaudio, & can-
28 *ticis, & tympanis, & citharis?* Non es passus vt oscularer filios meos & filias:*
29 *: stultè operatus es: & nùnc quidèm* valet manus mea reddere tibi malum: sed*
Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contrà Iacob quidquam du-
30 *rius.* Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus*
31 *es deos meos?* Respondit Iacob: Quòd inscio te profectus sum; timui ne violenter*
32 *auferres filias tuas.* Quòd autèm furti me arguis: apud quemcumque inueneris*
deos tuos, necetur coràm fratribus nostris. scrutare, quidquid tuorum apud me in-
33 *ueneris, & aufer. hæc dicens, ignorabat quòd Rachel furata esset idòla.* Ingressus*
itaquè Laban tabernaculum Iacob & Liæ, & vtriusque famulæ, non inuenit.
34 *Cumquè intrasset tentorium Rachelis,* illa festinans abscondit idòla subtèr stra-*
menta cameli, & sedit desupèr: scrutantiquè omne tentorium, & nihil inuenienti,
35 **ait: Ne irascatur dominus meus, quòd coràm te assurgere nequeo: quia iuxtà con-*
36 *suetudinem feminarum nùnc accidit mihi. sic delusa sollicitudo quærentis est.* Tu-*
mensquè Iacob, cùm iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum
37 *meum sic exarsisti pòst me,* & scrutatus es omnẽ supellectilem meam? Quid*
inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hìc coràm fratribus meis, & fra-
38 *tribus tuis, & iudicent intèr me & te.* Idcircò viginti annis fui tecum? oues*
39 *tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: nec captum à be-*
stia ostendi tibi, ego damnum omne reddebã, quidquid furto peribat, à me exigebas:
40 *die nòctuquè æstu vrebar, & gelu, fugiebatquè somnus ab oculis meis.* Sicquè*
per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quattuordecim pro filiabus: & sex pro
41 *gregibus tuis: immutasti quoquè mercedem meam decem vicibus.* Nisi Deus*
patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitàn modo nudum me
42 *dimisisses: afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus,*
& arguit te heri. Respondit ei Laban: Filiæ meæ & filij, & greges tui, &*
omnia

omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filijs & nepotibus meis?
44 * Veni ergo, & ineamus fœdus: Vt sit in testimonium inter me & te. * Tu-
45 lit itaquè Iacob lapidem, & erexit illum in titulum: * dixitquè fratribus suis:
46 Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntquè supèr
47 eum: * quem vocauit Laban Tumulum testis: & Iacob, aceruum testimo-
48 nij, vterquè iuxta proprietatem linguæ suæ. * Dixitquè Laban: Tumulus
49 iste erit testis intèr me & te hodiè, & idcircò appellatum est nomen eius Galaad,
idest, Tumulus testis. * Intueatur & iudicet Dominus intèr nos quandò reces-
50 serimus à nobis, * si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores su-
51 pèr eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. * Di-
xitquè rursus ad Iacob: En Tumulus hic, & lapis, quem erexi intèr me &
52 te, * testis erit: Tumulus, inquam, iste & lapis sint in testimonium, si aut
53 ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans. *
Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet intèr nos, Deus patris eorum. Iu-
54 rauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac: * immolatisquè victimis in monte,
vocauit fratres suos vt ederent panem. Qui cum comedissent, manserunt ibi.
55 * Laban verò de nocte consurgens, osculatus est filias suas, & benedixit illis:
reuersusquè est in locum suum.

POSTQVAM autèm Iacob *audiuit verba filiorum Laban* secum pascentium (eccè de quibus filijs suprà) *dicentium: tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri* (mendacitèr hoc dicunt, sed hoc proferunt videntes Iacob diuitem) *& de illius facultate ditatus, factus est inclytus* (eccè inuidia) *animaduertit quoquè faciem Laban, quòd non esset ergà se sicut heri, & nudius tertius*; sicùt enim ferre non poterat tantas diuitias in Iacob ex suis facultatibus ortas, ita nequè celare vultu tristitiam, *maximè dicente sibi Domino*, iubente Domino: *reuertere in terram patrum tuorum*, à tuis inhabitatã, *& ad generationem tuam* ad tuam progeniem, *eroquè tecum*, reducam te ego. *Misit, & vocauit Rachel, & Liam in agrum, vbi pascebat greges*, vt posset cùm eis liberiùs agere, nequè à quoquàm obseruaretur, *dixitquè eis video faciem patris vestri, quòd non sit ergà me sicut heri, & nudius tertius*, sit ergà me mutatus. *Deus autèm patris mei fuit mecum* in me ditando, & fouendo, idest quæ habeo ab illo recepi, *& vos nec ipsæ nostis, quòd totis viribus meis* ex corde, in multo labore *seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus*; vel præcisè loquitur, quia & infrà cùm Laban eadem verba profert, quæ dant firmitatis indicium: vel dic multis *vicibus*, certum pro incerto; ne ditarer, ne augerer in gregibus, *& tamen non dimisit eum Deus vt noceret mihi*; & Dauid de iusto: & non relinquet eum in manibus eius iniqui, nec dominabitur illi. *Si quandò dixit* iuxtà eius circumuentionem, *Variæ* ex varijs *erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oues varios fœtus* ad mei lucrum, *quandò verò è contrario ait: alba quæque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt* ad mei cõmodum; *tulitquè Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi*, & Deus est Dominus; sic egit pro populo cùm Aegyptijs. *Postquàm enim* (docet quomodò Deus id præstiterit) *conceptus ouium tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi insomnis ascendentes mares supèr fœminas varios, & maculosos, & diuersorum colorum*, qui mercedi meæ cedebant. *Dixitquè Angelus Dei ad me insomnis: Iacob: & ego respondi: adsum. Qui ait: leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes*

dentes supèr fœminas varios, maculosos, atquè respersos ad tui beneficium. *Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban* decipiens te. hæc reuelat vxoribus, vt cognoscant non furto subtracta possessa ab illo, sed Deo dante creuisse. *Ego sum Deus Bethel*, qui apparui tibi in Bethel, *vbi vnxisti lapidem* in honorem meum, *& votum vouisti mihi*, quasi, eccè quomodò feci quod postulabas, quomodò tecum fui in omnibus; *Nùnc ergò surge, & egredere de terra hac*, de Mesopotamia, *reuertens in terram natiuitatis* originis *tuæ*. *Responderuntquè Rachel, & Lia*: (vide quomodò Rachel suprà vers. 4. & hic præponitur Liæ) *Numquid habemus residui quidquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri?* quasi nihil ex ea habemus, vel habebimus; nàm *nonnè quasi alienas reputauit nos, & vendidit* pretio seruitutis faciens seruire Iacob pro illarum nuptijs *comeditquè pretium nostrum*, quod peius est? vide Abul. 1. Reg. 18. q. 35. & & ibi Serrar. & Pined. de reb. Salo. lib. 5. q. 2. *sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, & filijs nostris* (eccè quomodò capaces, & perspectæ) *vndè omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac*, sumus paratæ te sequi, *surrexit itaquè Iacob*, consensu vxorum habito, *& impositis liberis, ac coniugibus suis supèr camelos* (hos ad id præparauerat prudens) *abijt, tulitquè omnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan*. *Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues* cum familia sua, quia hæc erant lætifera, vt in Absalom vocante Regem, & fratres, & Nabal; hoc tempus opportunũ prudens Iacob obseruauit. Vndè cùm non esset domi, ignorauit abitum Iacob; *& Rachel furata est idòla patris sui*: hìnc postquàm ad Iacob accesserunt vocatæ, domum redierant sumpturæ supellectilia sua; *furata est idòla* illa Rachel in compensationem dotis, quam pater negauerat; præsumendum enim fecisse ex hac causa magis, quàm ex alia, quia conquerebatur supèr hoc de patre suo Laban, & de idolòlatria nullum verbum, nequè vteretur scriptura verbo *furata est*, si pro abstrahendo patre ab idòlis id fecisset, & quia sciebat in domo Iacob non posse illis vti, & non infodisset sub terebintho, vt videbimus; vltrà quòd apparet ex præcedentibus ipsam coluisse Deũ, quod & præsumendum ob Iacob virum suum, qui illam instruxisse credendum est, & in dubio capienda interpretatio excludens delictum, & quamuis idòlolatra fuisset Rachel, non tamèn peccasset Iacob ducens illam in vxorem, vel iure naturali tenuisset matrimonium, quia de iure naturæ cõnubia talia non erant illicita, aliòquin tot sancti viri cùm idolòlatris non contraxissent nuptias, at hìnc Laban idolòlatram, vel adorasse Deum cùm idòlis. *Noluitquè Iacob confiteri*, propalare *socero suo, quòd fugeret*, abire vellet, quia timebat, vt infrà. *Cumquè abijsset tàm ipse, quàm omnia, quæ iuris sui erant* absquè furto aliquo rerum soceri, *& amne transmisso* Euphrate absquè miraculo de illo enim nihil, & si fuisset, exprimeretur; *pergeret contrà montem Galaad, nuntiatum est Laban die tertio* pòst abitum, *quòd fugeret Iacob*. *Qui assumptis fratribus suis*, consanguineis suis, *persecutus est eum diebus septem, & comprehendit eum*, peruenit ad eum *in monte Galaad*. *Viditquè in somnis dicentem sibi Deum: Caue ne quidquam asperè loquaris* ne dum facias *contrà Iacob* seruum meum, sìc Deus pro seruis suis illos defendens ab iniquis, sìc egit cùm Pharaone, & Abimelech Regibus pro Abraham; sìc pro populo suo cùm Balaam ne malediceret, & cùm Pharaone persequente. *Iamquè Iacob extenderat in monte tabernaculum*, requiem, & vires sumpturus. *Cumquè ille* Laban *consecutus fuisset cùm fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium* suum cùm Iacob verba facturus, *Et dixit ad Iacob. Quarè ità egisti, vt clàm me abigeres* quasi belluas *filias meas quasi captiuas gladio?* vt solent captiuæ gladio abigi? *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cùm gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* quomodò hic mentitur, quod clarum ex apparitione Dei, & sequentibus, at nùnc sic à Deo prohibitus. *Non es passus vt oscularer filios meos, & filias*, hac gratia priuasti me, *Stultè operatus es, & nùnc quidèm valet manus mea*, potestas mea *reddere*

re tibi malum pro malo hoc tuo, *sed Deus patris vestri* (innuens de Abraham,& Isaac) *heri dixit mihi: caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius. Esto: ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui* Isaac; hoc enim naturale, non abnuo; *cur furatus es Deos meos?* hoc eum maximè vrgebat, quòd possumus cognoscere ex Micha Iudi. 18. 24. dicente: Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis quid tibi est. ex Daniel. 14. 1. Reg. 5. in Philistæis. act. 19. in Diana Ephesina, in scipho Ioseph pro augurijs. Gen. 44. *Respondit Iacob: quòd inscio te profectus sum*, discesserim, *timui, ne violentèr auferres filias tuas*; sic ex timore se excusabant Abraham Gen. 12. & 20. & Isaac c. 26. *Quòd autèm furti me arguis*, sum adeò innocens, vt dicam tibi: *apud quemcumquè inueneris Deos tuos, necetur* is *coràm fratribus nostris; scrutare quidquid tuorum apud me inueneris, & aufer:* sic fratres Ioseph egerunt Gen. 44 *hæc dicens: ignorabat quòd Rachel furata esset idòla;* nàm secum id non communicauerat. *Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob* scrutaturus pro deis suis, *& Liæ, & vtriusqè famulæ* Balæ, & Zelphæ *non inuenit. Cumquè intrasset tentorium Rachelis, illa festinans*, & præueniens *abscondit idòla subtèr stramenta cameli, & sedit desupèr, scrutantiquè omne tentorium, & nihil inuenienti ait* Rachel; *ne irascatur dominus meus* (honorat sic patrem suum) *quòd coràm te assurgere nequeo*, vt deberem (coràm cano assurge adolescens) *quia iuxtà consuetudinem fœminarum nùnc accidit mihi*, menstruatæ, hinc sedet ex consuetudine menstruatarum, ne defluerēt mēstrua. Sanct. Isa. 64. 27. *sic delusa sollicitudo* Laban *quærentis est* hoc facto Rachelis. *Tumēsquè Iacob* ex facto, & scrutatione huiusmodi, *cùm iurgio*, ira *ait* sciens se innocentem ex facto apparere; *Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti pòst me* ira percitus insequutus es me, *& scrutatus es omnem supellectilē meam. Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?* quasi nihil minimum; *pone hic* illud *coràm fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent intèr me, & te*, & ego condemner. *Idcircò viginti annis fui tecum*, vt mecum sic ageres? in viginti annis non cognouisti fidelitatem meam? Sed vide quid tecum egerim seruiens. *Oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia* (& frequens est captio) non *ostendi tibi*, vt vellem mihi compensari, imò *ego damnum omne reddebam*, & tu *quidquid furto peribat, à me exigebas*, etsi non tenerer; *die, noctuquè æstu vrebar, & gelu, fugiebatquè somnus ob oculis meis*, nec mei miserebaris; *sicquè per viginti annos in domo tua seruiui tibi. quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus* tuis ex pacto inito, *immutasti quoquè mercedem meam decem vicibus*, putans immutationem tibi profuturam, mihi noxiam. Sed an verè fuerint decem vices? puto quòd non, sed sit prouerbialis locutio, vel hyperbolica, proùt etiam Num. 14. 22. *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor* cultus, quo Deum prosequitur *Isaac* pater meus *affuisset mihi*, in illos Deus respexisset *forsitàn modo me nudum dimisisses*; at *afflictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus*; sic ad labores populi in Aegypto Exod. 3. 7. *& arguit te heri*, hoc & Iacob ex Angelo innotuerat; non relinquit Dominus virgam peccatorum supèr sortem iustorum. *Respondit ei Laban* quietus: *filiæ meæ, & filij, & greges tui, & omnia, quæ cernis, mea sunt*, ex mea domo descenderunt. *Quid possum facere filijs, & nepotibus meis?* mali, quasi, nihil faciam, os meum, & caro mea sunt. *Veni ergò, & ineamus fœdus, vt sit in testimonium intèr me, & te* perpetuum: Laban sciens Iacob protegi à Deo, & minas à Deo sibi illatas; satiùs existimauit placatum Iacob sibi reddere; ideò de fœdere agit; sic & Abimelech cùm Abraham, & Isaac Gen. 21. & 26. *Tulit itaquè Iacob* mitis assentiens Laban *lapidem, & erexit illum in titulum*, signum fœderis: *Dixitquè fratribus suis: afferte lapides, qui congregantes* lapides *fecerunt tumulum, comederuntquè supèr eum, quem vocauit Laban tumulum testis, & Iacob aceruum testimonij, vterquè iuxtà proprietatem linguæ suæ. Dixitquè Laban: tumulus iste erit testis intèr me, & te hodiè; & idcircò* appellatum *est nomen eius. Galaad* idest tumulus

mulus testis, intueatur, & iudicet Dominus intèr nos, quandò recesserimus à nobis, idest à conuentis, quæ subijciunt; quia Laban in imprecatione hac Domino vtitur, signũ est Domino, & d.js simùl litasse, *si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores supèr eas* fortè hoc dictum occasione Rebeccæ; nam Isaac, qui stetit per viginti annos absquè prole ex illa, nullam aliam supèrinduxit; at idem in Abraham, & tamèn expectauit per multos annos sinè prole absquè pacto simili, vltrà quòd in nuptijs Rebeccæ nil habetur est ergò hoc nouum, quod cauit Laban, *nullus sermonis nostri testis est absquè Deo, qui præsens respicit*, quem nihil latet, is erit vltor. *Dixitquè rursùs ad Iacob: en tumulus hìc, & lapis, quem erexi intèr me, & te, testis erit*, signum erit conuentionum, *tumulus, inquam, iste, & lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te*, in damnum tibi inferendum, *aut tù præterieris* illum, *malum mihi cogitans* inferre, *Deus Abraham, & Deus Nachor* patris mei; hinc fortè vel Nachor resipuit ab idolòlatria, vel proùt Laban mixtìm Deum, & deos coluit; *iudicet intèr nos Deus patris eorum*, Deus ille antiquus; credo velit dicere, quem Thare idòla deferens coluit; non credo hìc misceri falsos deos cùm Deo vero, quia & suprà de Deo vero sempèr egit. *Iurauit ergò Iacob per timorem* cultum Dei *patris sui Isaac*; dicunt sìc dixisse, quia Isaac viuebat, & corruit id, quia capit. seq. versic. 9. dicit: Deus patris mei Isaac. Iurant hi, & signum iuramenti lapis ille; in iuramẽto enim & signa adhibebant, proùt Abraham volens posita manu sub femore seruum suum iurare Gen. 24. *Immolatisquè victimis in monte* Deo vero *vocauit fratres suos, vt ederent panem*, omnia præparata sub verbo panis; *Qui cùm comedissent, manserunt ibì* Iacob & sui. *Laban verò de nocte consurgens, osculatus est filios, & filias suas, & benedixit illis*, bona precatus est, *reuersusquè est in locum suum*.

CAPVT XXXII.

1 IACOB quoquè abijt itinere quo cœperat: fueruntquè ei
2 obuiam Angeli Dei. * Quos cùm vidisset, ait: Castra
Dei sunt hæc: & appellauit nomen loci illius Mahanaim,
3 idest, Castra: * Misit autèm & nuncios antè se ad Esau
4 fratrem suum in terram Seir in regionem Edom: * præcepitquè eis, dicens: Sìc loquimini domino meo Esau: Hæc
dicit frater tuus Iacob: apud Laban peregrinatus sum,
5 & fui vsquè in præsentem diem. * Habeo boues, & asinos, & oues, & seruos,
& ancillas: mittoquè nùnc legationem ad dominum meum, vt inueniam gra-
6 tiam in conspectu tuo. Reuersiquè sunt nuncij ad Iacob, dicentes: Venimus ad
Esau fratrem tuum, & ecce properat tibi in occursum cùm quadringentis vi-
7 ris. * Timuit Iacob valdè: & perterritus diuisit populum, qui secum erat,
8 greges quoquè & oues & boues & camelos in duas turmas, * dicens: Si vene-
rit ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, sal-
9 uabitur. Dixitquè Iacob: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei
Isaac: Domine qui dixisti mihi: Reuertere in terram tuam, & in locum na-
10 tiuitatis tuæ, & benefaciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, &
veritate tua quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum:

M & nùnc

11 & nùnc cùm duabus turmis regredior. * Erue me de manu fratris mei Esau,
12 quia valdè eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cùm filijs. * Tu lo-
cutus es, quod benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut semen are-
13 nam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. * Cumquè dormisset ibi
14 nocte illa, separauit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo. * Capras
15 ducentas, hircos viginti, oues ducentas, & arietes viginti, * camelos fœtas
cùm pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas vi-
16 ginti, & pullos earum decem. * Et misit per manus seruorum suorum singu-
los seorsùm greges, dixitquè pueris suis: Antecedite me, & sit spatium in-
17 tèr gregem & gregem. * Et præcepit priori, dicens: Si obuium habueris fra-
trem meum Esau, & interrogauerit te, Cuius es? aut, Quò vadis? aut, Cu-
18 ius sunt ista quæ sequeris? * respondebis: Serui tui Iacob, munera misit do-
19 mino meo Esau: ipse quoquè post nos venit. * Similitèr dedit mandata secun-
do, & tertio, & cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loqui-
20 mini ad Esau, cùm inueneritis eum. * Et addetis: Ipse quoquè seruus tuus
Iacob iter nostrum insequitur: dixit enim: Placabo illum muneribus, quæ præ-
21 cedunt, & posteà videbo illum: forsitàn propitiabitur mihi. * Præcesserunt
22 itaquè munera antè eum, ipse verò mansit nocte illa in castris. * Cumquè ma-
turè surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidem famulas cùm vndecim
23 filijs, & transiuit vadum Iaboc. * Traductisquè omnibus, quæ ad se pertine-
24 bant. * mansit solus: & eccè vir luctabatur cum eo vsquè mane. * Qui
25 cùm videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, &
26 statim emarcuit. * Dixitquè ad eum: Dimitte me, iàm enim ascendit auro-
27 ra. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. * Ait ergò: Quod
28 nomen est tibi? Respondit: Iacob. * At ille, Nequaquàm, inquit, Iacob
appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniàm si contrà Deum fortis fuisti,
29 quantò magìs contrà homines præualebis? * Interrogauit eum Iacob: Dic mihi,
quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei
30 in eodem loco. * Vocauitquè Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi
31 Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. * Ortusquè est ei sta-
tìm sol, postquàm transgressus est Phanuel: ipse verò claudicabat pede.
32 * Quam ob causam non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femo-
re Iacob, vsquè in præsentem diem: eò quòd tetigerit neruum femoris eius, &
obstupuerit.

IACOB *quoquè* è monte Galaad *abijt itinere, quo cœperat,* prosecutus est iter suum versùs terram Chanaan, *fueruntquè ei obuiã Angeli Dei*, credo in vigilia, ad ostendendam tutelam, quam de eo gerebat Dominus, qui dixerat: ero tecum, & ne paueret transiturus per regiones Esau. *Quos cùm vidisset, ait: castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius,* in quo Angelos vidit, *Mahanaim, id est castra, militiam cæle-*

cœlestem dixit Lucas cap. 1. vidit militiam hanc pro se stãtem Eliseus,& puer,cui aperti oculi 4. Reg. 6. 17. *Misit autèm* (eccè prudentia viri) *& nuntios antè se ad Esau fratrẽ suum in terram Seir in regionem Edom, præcepitquè eis. dicens: sic loquimini Domino meo Esau.* (Eccè quomodò eum honorat,vt nuncij discant) *Hæc dicit frater tuus Iacob: apud Laban peregrinatus sum, & fui vsquè in præsentem diem*, lares externos probaui, hoc vt ad compatiendum moueat, nihil de fuga proptèr illum, non suscitat carbones; & cùm eo lucratus sum; nàm *habeo boues, & asinos, & oues, & seruos, & ancillas*, quasi, non otiatus sum, *mittoquè nùnc* reuersus *legationem ad Dominum meum, vt inueniam gratiam in conspectu tuo*, vt sim tibi gratus. *Reuersiquè sunt nuncij ad Iacob, dicentes: venimus ad Esau fratrem tuum, & eccè properat tibi in occursum*, te honorificè excepturus *cùm quadringẽtis viris*, hoc erat bonum nuntium, sed malè captum à Iacob. *Timuit Iacob valdè* ex tali nũcio, *& perterritus diuisit populum*, familiam, *qui secum erat, greges quoquè, & oues, & boues, & camelos in duas turmas dicens* prudentèr. *Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, saluabitur; Dixitquè* Iacob ad Deum recurrens more pij viri: *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac* esto mihi refugium, & protector. *Domine, qui dixisti mihi: reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis*, originis *tuæ, & benefaciam tibi*, benedicam, multiplicabo te, *minor sum cunctis miserationibus tuis*, fateor me non meruisse quæ recepi, nàm misertus mei tot mihi contulisti, minor etiàm *veritate*, fidelitate *tua*, quæ neminem fallis, *quam expleuisti* largitèr *seruo tuo*. docet quæ, hæc subdens. *In*, cùm *baculo meo* solo, cui hærebam nullum gregem ducens, proùt nùnc *transiui Iordanem istum* solus absquè vllo comitatu, vel paruo potiùs, vt tenui. *Et nùnc cùm duabus turmis* inclytus *regredior* tua beneficẽtia, postquàm sic mihi benedixisti, memorat beneficia ad magis mouendum Deum ad sibi benefaciendum. *Erue me* nùnc *de manu fratris mei Esau, quia valdè eum timeo* sciens minas,quas effutiebat aduersùm me,mortales, *ne fortè veniens* iratus in me *percutiat matrem* pro matres *cùm filijs*, & extinguat lucernam meam, orber omni prole, & successione, vndè posteà in lege Moysi cautum, ne mater auis cùm filijs occidatur. *Tu locutus es*, & quod loqueris facis, *quòd benefaceres mihi*, multiplicares, exaltares me, *& dilatares semen meum sicùt arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest*, quomodò enim hæc succedent, si gladio Esau cùm meis trucider? *Cumquè dormisset ibì nocte illa, separauit* (iã significauerat Esau per nuncios diuitias suas in armentis) *de his, quæ habebat munera Esau fratri suo* (non reliquit quæ hominum prudentum, priùs tamèn hærens Deo, & in eo confidens) *capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, & arietes viginti, camelos fœtas cùm pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti; asinas viginti, & pullos earum decem.* Ex hoc munere considera diuitias Iacob. *Et misit per manus seruorum suorum singulos seorsùm greges, dixitquè pueris*, seruis *suis: antecedite me, & sit spatium intèr gregem, & gregem*, vt ipse distaret cũm pueris, & placaret muneribus Esau, vel si Esau primos aggrederetur, fuga vitaret excidium. *& præcepit priori, dicens: si obuium habueris fratrem meum Esau, & interrogauerit te, cuius es? aut quò vadis? aut cuius sunt ista, quæ sequeris?* more pastorum; *respondebis: serui tui Iacob*, quæ *munera misit Domino meo Esau: ipse quoquè post nos venit*, ne existimaret aufugisse. *Similitèr dedit mãdata secũdo, & tertio, & cunctis, qui sequebantur greges, dicens: ijsdem verbis loquimini ad Esau cùm inueneritis eum. & addetis, Ipse quoquè seruus tuus Iacob iter nostrum insequitur. dixit enim* (eccè prudentia) *placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & posteà videbo illum, forsitàn propitiabitur mihi*, erit mihi propitius & benignus, non lædet me. Vide quomodò Deus in periculo magno eum permittit permanere, vt magis ex auxilio recognoscat omnia à Deo, sic egit cùm Abrahã, Isaac, Dauid, Susanna, & alijs, vt alibì dixi. *Præcesserunt itaquè munera antè eum, ipse verò mansit nocte illa in castris*, in tabernaculo suo; *Cumquè maturè* antè diem *surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidèm fa-*

mulas cùm vndecim filijs, & transiuit vadū Iaboc, traductisquè omnibus, quæ ad se pertinebant, omnibus bonis suis, *mansit solus* fortè orans, *& ecce vir*, Angelus, non Deus, quia per Angelos hæc ministrat *luctabatur cū eo vsquè mane*, in vigilia, quia præmittit, *cumquè maturè surrexisset*. *Qui* Angelus *cùm videret, quòd eum superare non posset*, sic Deus Angeli virtutem terminauerat, vel potiùs virtutem Iacob auxerat. Sap. 10. 10. certamen forte dedit illi, vt vinceret, & Oseæ 12. 13. in fortitudine sua deductus est cùm Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est, &c. vbi Ribera, & Sanctius. Vide Alcasar Apocal. 11. annot. 1. vbi latè de his. *tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit*, fecit more luctatoris, qui comparem ad terram deijcere non valens, pede eum labi adigit, fecit hoc Angelus, ne ex victoria eleuaretur, vel potiùs vt sciret tantam Dei esse potentiam, vt etiàm claudus omnes esset superaturus; eligit enìm Deus humilia, vt confundat fortia: sic cùm Moyse in congressu Angeli impeditioris linguæ facto, cui Dominus: quis fecit mutū, & surdum? Exod. 4. & Daniel emarcuit, nec habebat qui lquā virium, & alij, de quibus in Zacharia. *Dixitquè ad eum* Iacob Angelus tentus ab illo: *dimitte me; iàm enim ascendit aurora*; hoc dicit, vel quia pugna diu durauerat, vel quia nolebat cognosci à Iacob, vt & infrà. *Respondit* Iacob. *non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, hanc benedictionem instantèr petijt; vndè Oseæ 12 fleuit, & rogauit eum precibus agens, proùt & Moyses cùm Deo. Exod. 32. Sanctius in Osea, fortè timens vitæ suæ, ne pòst visionem moreretur. *Ait ergò* Angelus: *quod nomen est tibi*? qui petis benedici? *Respondit: Iacob est nomen meum: at ille, nequaquàm (inquit) Iacob appellabitur*, erit *nomen tuum*, *sed Israel*; hoc enim magis tibi conuenit etsi vtroquè nomine nuncuperis, sicutì Simon Petrus, & Cephas; at secùs in Abraham, & Sara, nunquàm aliàs dicti Abram & Sarai; quoniàm, *si contrà Deum*, Angelum Deum repræsentantem, quem suprà virum vocauit, *fortis fuisti, præualuisti, quantò magis contrà homines præualebis?* ideò ne timeas Esau fratrem tuum; sic animosum eum, & tutum reddere voluit. Videtur hìc vsurpari posse illud Sap. delectabar per singulos dies ludens coràm eo, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cùm filijs hominum. *Interrogauit eum Iacob* videns mirabilia in se facta, & vt esset ei gratus: *dic mihi: quo appellaris nomine?* quis es? *respondit: cur quæris nomen meum?* nihil tua refert id scire, satis sit tibi, vt scias me Angelum Dei, sic respondit Manue. Iudic. 13. 18. cur quæris nomen meum quod est mirabile? fortè nolunt Angeli eorum nomina propalare, quia volūt omnia in Deum referri, eumquè recognosci: hincquè trium Angelorum tātùm nomina scimus, *& bendixit ei in eodem loco*, bona precatus est, bona ventura prædixit, vt illum firmaret. *Vocauitquè Iacob nomen loci illius Phanuel* in memoriam tanti beneficij, *dicens: Vidi Deum*, Angelum Deum repræsentantem *facie ad faciem*, clarè, *& salua facta est anima mea*, sic Gedeon. heù mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem, clarè, os ad os. Dixitquè ei Dominus: pax tecum, non morieris. Iudic. 6. 23. sic & Manue Iudic. 13. Populus. Deut. 5. timebant enìm mori pòst huiusmodi visiones, maximè hìc Iacob ob neruum stupidum, proptèr quod magis timuit; & supèr hoc scripsi in Euangelijs in Zacharià. Vel *salua facta est anima mea*, quia deiectus, & timens Esau fratrem meum, nùnc inualui, confortatus sum. Oseæ 12. ampliùs non timeo, tutus sum ex benedictione, & lucta cùm Angelo, vndè non ex timore visionis, sed in virtute benedictionis, & luctæ dixit saluam fore vitam suam & tutam ab Esau, proùt Balac putabat ex maledictione populi fienda per Balaam populum exterminandum. non enìm cogitabat ampliùs de morte, qui ab Angelo dictus fortis, qui Deum secum fore in itinere ex his certò nouerat. Non procedit, non potest dici, *salua facta est anima mea* ab Esau, & alijs, quia cùm præteritum referat, non applicatur Esau, qui occursurus erat, nondùm occurrerat. nàm intelligit de timore vitæ, à quo liberatus erat. Et nota, fuisse bonum, non malum (vt aliqui putant,) Angelum.

Et Aduerte. quandò antiquitùs fiebant appa-

apparitiones, siuè in vigilia, siuè in somnis, siuè in extasi erant omnes Angeli apparentes modò Angelos, modò Deum repræsentantes, & Deum se nominantes; sic Moysi, Abraham, Isaac, Iacob, Dan. 7.9. Isaiæ 6. Ezech. 1. Apocal. 4. 1. Reg. 3. sed distinctio habetur apud Abul. 1. Paral. 1. q. 18. & 19. *Ortusquè est ei* Iacob *statim sol, postquàm transgressus est Phanuel, ipse verò claudicabat pede*, ob neruum ab Angelo tactum, vt sciret infirmitatem suam. Sed an durauerit diù claudicatio? videtur quòd non, quia non refertur ab vxoribus, vel ab Esau id animaduersum, & ideò nominatur stupor, qui solet citò discedere. Sed contrà, quia cùm emarcuerit, nedùm obstupuerit, præsumeremus miraculum, si sanatus Iacob, miracula autèm non sunt præsumenda, imò præsumendum sempèr claudicationem ei inhæsisse ob memoriam tantæ luctæ, & visionem Dei in Angelo repræsentati, sicuti sempèr remansit fulgor in facie Moysi pòst visionem Dei in monte Sinai. Prætereà, si illicò euanuisset claudicatio, Hebræi non abstinuissent ab esu nerui in ea parte, sed quia emarcuit pòst factum illud, factum est eis horrori. Non obstat: nihil dicunt vxores, nihil Esau, nàm Scriptura non refert omnia, multa tacet, principalia tangit, reliqua omittit; ideò quia non refert, non putemus non animaduersum. *Quam ob causam non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femore Iacob vsquè in præsentem diem, eò quòd tetigerit* Angelus *neruum femoris eius, & obstupuerit*, quasi horrori factus.

CAPVT XXXIII.

1 *ELEVANS autèm Iacob oculos suos, vidit venientem Esau, & cùm eo quadringentos viros: diuisitquè filios Lia, & Rachel, ambarumquè famularum:*
2 ** & posuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio:*
Liam verò & filios eius in secundo loco: Rachel autèm,
3 *& Ioseph nouissimos. * Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donèc appropinquaret frater eius.*
4 ** Currens itaquè Esau obuiam fratri suo, amplexatus est eum: stringensquè col-*
5 *lum eius, & osculans fleuit. * Leuatisquè oculis, vidit mulieres & paruulos ea-*
lum, & ait: Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent? Respondit: Paruuli sunt,
6 *quos donauit mihi Deus seruo tuo. * Et appropinquantes ancillæ & filij earum, in-*
7 *curuati sunt. * Accessit quoquè Lia cùm pueris suis: & cùm similitèr adorassent,*
8 *extremi Ioseph & Rachel adorauerunt. Dixitquè Esau: Quænam sunt istæ turmæ*
9 *quæ obuiam habui? Respondit: Vt inuenirem gratiam coràm Domino meo. * At*
10 *ille ait: Habeo plurima frater mi, sint tua tibi. * Dixitquè Iacob: Noli ità, ob-*
secro: sed si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis:
sic enìm vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: esto mihi propitius,
11 *& suscipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens*
12 *omnia: Vix fratre compellente, suscipiens, * ait: Gradiamur simùl, eroquè so-*
13 *cius itineris tui. * Dixitquè Iacob: Nosti domine mi quòd paruulos habeam te-*
neros, & oues, & boues fœtas mecum: quas si plùs in ambulando fecero laborare,
14 *morientur vna die cuncti greges. * Præcedat dominus meus antè seruum suum:*
& ego sequar paulatìm vestigia eius, sicùt videro paruulos meos posse, donèc ve-

15 *niam ad dominum meum in Seir. * Respondit Esau: Oro te, vt de populo qui*
mecum est, saltèm socij remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse: hoc vno
16 *tantùm indigeo, vt inueniam gratiam in conspectu tuo domine mi. * Reuersus*
17 *est itaquè illo die Esau itinere quo venerat in Seir. * Et Iacob venit in Socoth:*
vbi ædificata domo & fixit tentorijs, appellauitquè nomen loci illius Sochoth, id-
18 *est, tabernacula. * Transiuitquè in Salem vrbem Sichimorum, quæ est in terra*
Chanaan, postquàm reuersus est de Mesopotamia Syriæ: & habitauit iuxtà oppi-
19 *dum. * Emitquè partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filijs Hemor patris*
20 *Sichem centum agnis. * Et erecto ibi altari, inuocauit supèr illud fortissimum*
Deum Israel.

ELEVANS *autèm Iacob oculos suos, vidit venietem Esau, & cùm eo quadringentos viros, diuisitquè* timens *filios Liæ, & Rachel, ambarumquè famularum, & posuit vtramquè ancillam, & liberos earũ in principio; Liam verò, & filios eius in secundo loco, Rachel autèm, & Ioseph nouissimos*, qui chariores erant; dicebat enim, si percusserit primos, fortè vel parcet secundis, vel erit locus fugæ, *& ipse progrediens* antè alios, *adorauit pronus in terram septiès donèc appropinquaret frater eius*, hanc humiliationem coràm eo faciens. *Currens itaquè Esau*, qui bono animo erat, *obuiam fratri suo, amplexatus est eum, stringensquè collum eius, & osculans* eum *fleuit*, more patris cùm filio prodigo. *Leuatisquè oculis vidit mulieres, & paruulos earum, & ait: quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent*; mirabatur enim tantam prolem. *Respondit* Iacob: *paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo*. à Deo omnia recognoscit, *& appropinquãtes ancillæ, & filij earum incuruati sunt* antè Esau. *Accessit quoquè Lia cùm pueris suis*, filijs, *& cùm similitèr adorassent* prostrati antè Esau, *extremi Ioseph, & Rachel adorauerunt. Dixitquè Esau quænam sunt istæ turmæ, quas obuiam habui? Respondit* Iacob: missæ sunt, *vt inuenirem gratiam coràm* te *Domino meo*, vt mihi gratus fieres. *At ille ait: habeo plurima frater mi, sint tua tibi*. vide quos Esau mores probos. *Dixitquè Iacob: Noli ità obsecro*, recusare munera, quæ misi in signum amoris, quo te prosequor. *Sed si inueni gratiam in oculis tuis*, si tibi gratus sum, *accipe munusculum*, quod misi, *de manibus meis; sic enim vidi faciem tuam* hilaritèr, *quasi viderim vultum Dei* Angelicum; sic Esther cùm Assuero. Esther 15. 16. vidi te domine quasi Angelũ Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ, sic Thecuitis cùm Dauide. Sicùt enim Angelus Dei, sic est dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur, vndè & Dominus Deus tuus est tecum. 2. Reg. 14. 17. & 19. 14. tu autèm mi domine Rex sicùt Angelus Dei, sic de Stephano. Act. 6. in fin. & Dan. 3. 49. 93. 95. & cap. 6. 22. Species quasi similis Filio Dei, qui erat Angelus; hoc dicit, & firmat ex reuerentia, quam ei exhibuit septiès adorando ad terram vsquè prostratus, vel ex timore, sicùt substantias superiores solemus timere, vt dixit Ambrosius in Zacharia, vbì dixi, vel ex consolatione capta ex blanditijs Esau, quasi videns te exultaui, vt in visione Angeli, & hanc puto veriorem; & sic tollitur adulatio in Iacob: *Esto mihi propitius*, acquiesce dictis meis, *& suscipe benedictionem*, munera mihi à Deo data, *quam attuli tibi* de Mesopotamia, *& quam donauit mihi Deus tribuens omnia*, quid enim habemus, quod à Deo non susceperimus? *Vix fratre compellente suscipiens*, vi adactus, *ait, gradiamur simùl, eroquè socius itineris tui*, comitabor te. *Dixitq. Iacob: nosti*, vides *Domine mi quòd paruulos habeã teneros, & oues & boues fœtas mecum, quas si plùs in ambulando fecero laborare, morientur* in *vna die cuncti greges*; & sic damnum erit graue. *Præcedat Dominus meus* Esau *antè seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius,*

sicùt

ſicùt videro paruulos meos poſſe, iuxtà vires paruulorum *donec veniam ad Dominum meum in Seir.* non dixit hoc mentiens, quia ſi vera non eſſet excuſatio, replicaſſet Eſau, vel ægrè tuliſſet, non dixit timens, ſed quia ſeruitus erat ſibi habere illum comitem, *Reſpondit Eſau: oro te, vt de populo, qui mecum eſt, ſaltèm ſocij remaneant viæ tuæ*, vt tutiùs incedas. *Non eſt, inquit* Iacob *neceſſe, hoc vno tantùm indigeo, vt inueniam gratiā in conſpectu tuo Domine mi*, vt ſim tibi gratus, recto oculo me reſpicias. *Reuerſus eſt itaquè illo die Eſau itinere, quo venerat in Seir*, expectaturus Iacob, & liberalitèr excepturus; ideò præit feſtinus; *Et Iacob* deindè poſtquàm fuit cùm Eſau in Seir; credo enìm ad eum priùs diuertiſſe, etſi Scriptura non meminerit, quia ſolet breuiare dicta, & ſatis fuit dixiſſe quod agendum erat, licèt non dixerit quid actum, ne idem repeteret; ſic Samuel dixit Sauli plura euentura, quæ omnia certè contigerunt, & tamèn Scriptura non meminit, niſi de occurſu Prophetarum. 1. Reg. 10. imò ſi ſecùs actum, quàm dictum ſuprà, huius rei meminiſſet, & cùm ſileat, ſignificat ſic actum, inueriſimile enìm ad Eſau non acceſſiſſe, quem iàm beneuolum ſibi fecerat, cui promiſerat, quem declinando inimicum conſtituiſſet; putaſſet enìm ſe illuſum, vel ſaltèm excuſatum, ſi nolebat accedere, miſiſſet. Sed ſi non acceſſit, non præſumamus mendacium, cùm Scriptura non dicat, ſed excuſationem, vel impedimentum interceſſiſſe, quod & fratri ſignificaſſe credendum, ne ægrè ferret. Accedit quia interfuerunt ſimùl morti patris, & curarunt funus eius infrà cap. 35. in fin. *Venit in Socoth, vbi ædificata domo, & fixis tentorijs appellauit nomen loci illius Socoth, id eſt tabernacula. tranſiuitquè* indè *in Salem vrbem Sichimorum, quæ eſt in terra Chanaan,* dicta Sichar Ioan. 3. *poſtquàm reuerſus eſt de Meſopotamia Syriæ, & habitauit iuxtà oppidum, emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filijs Hemor patris Sichem centum agnis, & erecto ibi altari* ad gloriam Dei, *inuocauit ſupèr illud* offerens holocauſta, *fortiſſimum Deum Iſrael,* qui ſibi fuerat in adiutorium; eccè quomodò memor ſit Domini Dei ſui.

CAPVT XXXIV.

1 *EGRESSA eſt autèm Dina filia Liæ vt videret mu-*
2 *lieres regionis illius. * Quam cùm vidiſſet Sichem filius*
Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eā: & ra-
3 *puit, & dormiuit cùm illa, vi opprimens virginem. * Et*
conglutinata eſt anima eius cùm ea, triſtemquè deliniuit
4 *blanditijs. * Et pergens ad Hemor patrem ſuum, Accipe,*
5 *inquit, mihi puellam hanc coniugem. * Quod cùm audiſ-*
ſet Iacob, abſentibus filijs, & in paſtu pecorum occupatis, ſiluit donèc redirent.
6 ** Egreſſo autèm Hemor patre Sichem vt loqueretur ad Iacob, * eccè filij eius venie-*
7 *bant de agro: auditoquè quod acciderat, irati ſunt valdè, eò quòd fœdam rem*
8 *operatus eſſet in Iſrael, & violata filia Iacob, rem illicitam perpetraſſet. * Locu-*
tus eſt itaquè Hemor ad eos: Sichem filij mei adhæſit anima filiæ veſtræ: date
9 *eam illi vxorem: * & iungamus vicisſim connubia: filias veſtras tradite no-*
10 *bis, & filias noſtras accipite. * Et habitate nobiſcum: terra in poteſtate veſtra*
11 *eſt, exercete, negotiamini, & poſſidete eam. * Sed & Sichem ad patrem &*
ad fratres eius ait: Inueniam gratiam coràm vobis: & quæcumque ſtatueri-
12 *tis, dabo: * augete dotem, & munera poſtulate, & libentèr tribuam quod pe-*

tieritis

13 tieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem. * Responderunt filij Iacob Si-
14 chem & patri eius in dolo, sæuientes ob stuprum sororis: * Non possumus fa-
cere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso: quod illici-
15 tum & nefarium est apud nos. * Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis
16 esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omne masculini sexus: tùnc dabi-
mus & accipiemus mutuò filias vestras, ac nostras: & habitabimus vobiscum,
17 erimusquè vnus populus: * si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam no-
18 stram, & recedemus. * Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius:
19 * nec distulit adolescens quin statìm quod petebatur expleret: amabat enìm puel-
20 lam valdè, & ipse erat in omni domo patris sui. * Ingressiquè portam vrbis,
21 locuti sunt ad populum: * Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum:
negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa & lata cultoribus indiget:
22 filias eorum accipiemus vxores, & nostras illi dabimus. * Vnum est quo differ-
tur tantum bonum: Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes.
23 * Et substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident, nostra erunt: tan-
24 tùm in hoc acquiescamus. & habitantes simùl, vnum efficiemus populum. * As-
25 sensiquè sunt omnes, circumcisis cunctis maribus. * Et eccè, die tertio quandò gra-
uissimus vulnerum dolor est: arreptis, duo filij Iacob, Simeon & Leui fratres
Dinæ, gladijs, ingressi sunt vrbem confidenter: interfectisquè omnibus masculis,
26 * Hemor & Sichem paritèr necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem soro-
27 rem suam. * Quibus egressis, irruerunt supèr occisos ceteri filij Iacob: & depopu-
28 lati sunt vrbem in vltionem stupri. * Oues eorum, & armenta, & asinos, cun-
29 ctaquè vastantes quæ in domibus & in agris erant, * paruulos quoquè eorum &
30 vxores duxerunt captiuas. * Quibus patratis audactèr, Iacob dixit ad Simeon
31 & Leui: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habi-
tatoribus terræ huius. nos pauci sumus: illi congregati percutiunt me, & delebor
32 ego, & domus mea. * Responderunt: Numquid vt scorto abuti debuere sorore
nostra.

EGRESSA *est autèm Dina filia Liæ* curiosa, *vt videret mulieres regionis illius, quam cùm vidissetSichem filius Hemor Heuæi princeps terræ illius, adamauit eam*; sic Ionathas Dauid primo aspectu, *& rapuit, & dormiuit cùm illa, vi opprimens virginem*; duplex ergò peccatum, raptus, & stuprum, *& conglutinata est anima eius cùm ea*. Eisdem verbis vtitur scriptura in Ionatha, *tristemquè deliniuit blanditijs*, omne studium adhibuit, vt acquiesceret. *Et pergens ad Hemor patrem suum. Accipe (inquit) mihi puellam hanc coniugem.* *Quod cùm audisset Iacob* raptum,& stuprum secuta, *absentibus filijs, & in pastu pecorum occupatis, siluit donèc redirent*, prudentèr agens, ne solus opprimeretur à Sichimitis. *Egresso autèm Hemor patre Sichem, vt loqueretur ad Iacob* supèr connubio, *eccè filij eius* Iacob *veniebant de agro* à pastu pecorū, *auditoquè quod acciderat* de Dina, *irati sunt valdè, eò quòd fœdam rem operatus esset* in contrà *Israel, & violata filia Iacob, rem illicitam perpetrasset*; eccè quòd nedum adulterium, vt alias dictum, sed & stuprum, & raptus illicita reputabantur. *Locutus est itaquè Hemor ad eos* simùl: *Sichem filij mei adhæsit anima*, spiritus, cor *filiæ vestræ* Dinæ,

næ (nihil de raptu, & stupro) optat eam, *date eam illi vxorem, & iungamus vicissim connubia, filias vestras tradite nobis, & filias nostras accipite*. hæc omnia, vt induceret eos ad Dinam tradendam, sequitur ad idem; *& habitate nobiscum, terra* nostra *in potestate vestra est*, copiam eius vobis facio; sic & Abimelech cùm Abraham. terra coràm vobis est Gen. 20. 15. *exercete, negociamini, & possidete eā. Sed & Sichē ad patrē* Iacob, *& fratres eius* Dinæ *ait: inueniā gratiam coràm vobis*, gratus vobis esse cupio, addo hoc, *& quæcumquè statueritis* mihi dare debere pro hoc connubio, *dabo: augete dotem*, augumentum dabo, *& munera, postulate* quod vultis, *& libentèr tribuam quod petieritis, tantùm date mihi puellam hanc vxorem*; amoris vi loquitur, & maiora quàm pater pollicetur, pollicitis diues quilibet esse potest, sed de muneribus. vide suprà Gen. 29. 1. Reg. 18. 2. Reg. 3. Oseæ 3. *Responderunt filij Iacob Sichem, & patri* suo Hemor *in dolo*, dolosè agentes simùl, & circumuenientes eos, *sæuientes*, irati, exacerbati *ob stuprum sororis* violentum. Ex his aduerte non posse defendi hos filios Iacob non esse præuaricatos, tùm ex verbis textus, *in dolo*, tùm ex facto; nàm si circumcisio sequebatur, promissum erat cōnubium Dinæ, & tamèn eo secuto, occiderunt circuncisos, vndè nedum peccarunt non obseruando, sed etiam in modo, nempè ex circumcisione, quæ debuerat eis esse sacra, & religiosa. tertiò. quia Iacob Gen. 49. vituperat eorum factum.

Non obstat Iudith. 9. 2. quia illa quæ dicit respiciunt Deum, qui permisit talem cœdem, & factum illorum malum vel ob illud, vel ob iniquitates præcedentes consummatas, vt in Amalechitis, vel ob factum principis, ob quod punitur sæpè populus, sub quo gubernatur, maximè participans, vel quia non rectè, & ex animo circumcisionem susceperunt, & priùs non purgarunt raptum, sed raptam adhuc retinuerunt, dum circumcidebantur, & ideò verba Iudith in factum illorum improbum explicandum tendunt, ad quod & accurrerunt alij filij Iacob, vt infrà, & pœnam secutam à Deo, & is erat scopus suus, nec aliud attendit, nec adsunt verba approbātia factum filiorum Iacob Simeonis, & Leui. Nec dicas quomodò data illis præda, qui peccauerunt sic faciendo; nàm non est extrà consuetudinem Dei, vt quos assumit ad alios puniendos, eosdem vel punitorum, vel aliorum spolijs quasi pro mercede eorum ditet, vt est videre in Nabuchodonosor Ier. 27. & Ezechiel 29. 18. Cyro, Dario, & alijs assumptis iniquis. Non obstant verba, qui zelauerunt zelum tuum; nàm potuerunt illum habere vti executores Dei vindictæ in illos sceleratos, proùt & Iehu. 4. Reg. 10. 30. & alii iniqui, & tamèn cùm peccato patrare quæ patrarunt, & ità videtur posse responderi verbis Iudith. videndus Abul. in Iehu. & alibì, quia sæpè de materia agit. *Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum, & nefarium est apud nos*. censeo verum, non quia ipsi dicūt, sed quia præsens Iacob, qui non permisisset coràm se mendacium dici à filijs, quia videretur in dicto illo participasse agunt priùs de religione *sed in hoc valebimus fæderari*, inire simùl fœdus, & amicitias, *si volueritis esse similes nostris* in religione Deum cæli, & terræ colentes, *& circumcidatur in vobis omne masculini sexus*, omnis vir. *tùnc dabimus, & accipiemus mutuò* in connubium *filias vestras, ac nostras, & habitabimus vobiscum, erimusquè vnus populus*, iungemur vobiscum, *si autèm circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram*. respectu patris hoc dicunt ibì præsentis, vel etiàm absentis, quia principalitèr de ipso erat agendum, & quia Hemor appellauerat eam filiam; ideò iuxtà illum & ipsi sic eam denominant; *& recedemus*, quia non poterant æquo animo ferre opprobrium Dinæ. *Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius*. nil difficile, vel amarum amanti, dummodò ad optata perueniat. sic suprà in Iacob pro Rachele, & Hemor pro filio omnia recipit, *nec distulit adolescens, quin statìm quod petebatur expleret; amabat enìm puellam valdè, & ipse erat inclytus*, potens, acceptus, *in omni domo*, familia *patris sui*, quæ sub patris dominio regebatur. *Ingressiquè* Hemor, & Sichem *portam Vrbis locuti sunt ad populum: Viri isti* peregrini apud nos manentes *pacifici sunt*.

hoc

hoc desiderabile in colonis, *& volunt habitare nobiscum*, nos non cogimus; si placet, *negocientur in terra*, fodientes, arantes, *& exerceant eam, quasi paciosa, & lata cultoribus indiget*, ita vt nihil nobis depereat, *filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis dabimus*, cum eis erimus vnus populus. præmissis facilioribus, subdunt. *Vnum est solum, quo differtur tantum bonum*, quod sumus recepturi ex his, quæ diximus, *si circumcidamus masculos nostros*, ritum gentis huius *imitantes, & substantia eorum, & pecora, & cuncta, quæ possident, nostra erunt*. in nostris substantijs facta huiusmodi vnione computabuntur, *tantùm in hoc acquiescamus* in nobis circumcidendis, *& habitantes* deindè *simùl vnum efficiemus populum; assensiquè sunt omnes circumcisis cunctis maribus* Mutant hi religionem ratione status, ratione terrenorum, Sichem libidinis; sic Ieroboam ad idòlolatriam ratione status populum secum reuocauit, quanta est potentia iubentis; *& eccè die tertio quandò grauissimus vulnerum dolor est*, & vires ex dolore deficiunt, *arreptis duo filij Iacob Simeon, & Leui fratres Dinæ* hìnc validus fratrū amor sic Absalom pro Thamar sorore in Amnon, fratres Rebeccæ de abitu sororis soliciti, *gladijs, ingressi sunt vrbem confidentèr*, certi de victoria, *interfectisquè omnibus masculis, Hemor, & Sichem paritèr necauerūt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam*, quam sic stupratam non dimiserant, sed retinebant, putantes ex retentione ius quærere, vel augere. *Quibus egressis* è Ciuitate, *irruerunt supèr occisos cæteri filij Iacob, & depopulati sunt Vrbem in vltionem stupri* aliud non cogitantes. *Oues eorum, & armenta, & asinos, cunctaquè vastantes, quæ in domibus, & in agris erant; paruulos quoquè eorum, & vxores duxerunt captiuas* more belli. *Quibus audactèr patratis, Iacob dixit ad Simeon, & Leui: turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezeis habitatoribus terræ huius* ob stragem, quam fecistis. *Nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* eccè quod lucrabor ex vestris facinoribus. *Responderunt: nunquid vt scorto abuti debuere sorore nostra?* hìc figunt pedem, alijs omissis, & neglectis. Sichimitæ ob vnam mulierem trucidati. Dauid ob vnam mulierem, quam Nathan ouē nuncupauit. Achab ob vineam Naboth. Aman ob superbiam, & ambitionem ruerunt. An filij Iacob peccauerint, an populus pro rege rectè punitus. Magalia. Iosi. 6. vers. 18. annot. 5. numero 2.

CAPVT XXXV.

1 *INTEREA locutus est Deus ad Iacob: Surge, & ascen-*
de Bethel, & habita ibì, facquè altare Deo, qui apparuit
2 *tibi quandò fugiebas Esau fratrem tuum.* Iacob verò con-*
uocata omni domo sua, ait: Abijcite deos alienos, qui in me-
dio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta
3 *vestra.* Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus*
ibì altare Deo: qui exaudiuit me in die tribulationis meæ,
4 *& socius fuit itineris mei.* Dederunt ergò ei omnes deos alienos, quos habebant,*
& inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subtèr terebinthum, quæ
5 *est pòst vrbem Sichem.* Cumquè profecti essent, terror Dei inuasit omnes per*
6 *circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* Venit igitur Iacob Lu-*
zam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse & omnis populus cùm eo.
7 *Aedificauitquè ibì altare, & appellauit nomen loci illius, Domus Dei: ibì enim*
8 *apparuit ei Deus, cùm fugeret fratrem suum.* Eodem tempore mortua est Debo-*

ra nu-

ra nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel supèr quercum: vocatumquè
9 *est nomen loci illius, Quercus fletus. * Apparuit autèm iterùm Deus Iacob post-*
10 *quàm reuersus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitquè ei, * dicens: Non voca-*
11 *beris vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellauit eum Israel, * di-*
xitquè ei: Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes, & populi na-
12 *tionum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur. * Terramquè, quam dedi*
13 *Abraham & Isaac, & dabo tibi & semini tuo post te: * Et recessit ab eo. * Ille*
14 *verò erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus: libans supèr eum*
15 *libamina, & effundens oleum: * vocansquè nomen loci illius, Bethel. * Egres-*
16 *sus autem indè venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cùm*
17 *parturiret Rachel, * ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitquè ei obste-*
18 *trix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. * Egrediente autèm anima præ*
dolore, & imminente iàm morte, vocauit nomen filij sui Benoni, idest filius do-
19 *loris mei: pater verò appellauit eum Beniamin, idest filius dextræ. * Mortua est*
ergò Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem.
20 ** Erexitquè Iacob titulum supèr sepulchrum eius: Hic est titulus monumenti*
21 *Rachel vsquè in præsentem diem. * Egressusquè indè, fixit tabernaculum tràns*
22 *Turrem gregis. * Cumquè habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cùm*
Bala concubina patris sui: quod illum minimè latuit. Erant autèm filij Iacob
23 *duodecim. * Filij Liæ primogenitus Ruben, & Simeon, & Leui, & Iudas, &*
24 *Issachar, & Zabulon. * Filij Rachel: Ioseph & Beniamin. * Filij Balæ ancil-*
25 *læ Rachelis: Dan & Nephtali. * Filij Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Aser: hi*
26 *sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ * Venit etiàm ad Isaac*
27 *patrem suum in Mambre, Ciuitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrina-*
28 *tus est Abraham & Isaac. * Et completi sunt dies Isaac centum octoginta anno-*
29 *rum. * Consumptusquè ætàte mortuus est: & appositus est populo suo senex &*
plenus dierum: & sepelierunt eum Esau & Iacob filij sui.

INTEREA *loquutus est Deus ad Iacob* illum protegens, & curans. *Surge* hinc, *& ascende Bethel, & habitá ibì, facquè altare Deo* mihi; est enim hebraismus, vt & Genes. 19. 24. & ibì obseruaui. *qui apparui tibi quandò fugiebas Esau fratrem tuum*, nota fugam, de qua suprà dictum cap. 28. ibiquè vouisti, redde vota: vouete, & reddite Domino. *Iacob verò* obediens *conuocata omni domo sua,* familia sua, *ait: Abijcite deos alienos*, idòla, alienos præter Deum nostrum; prætèr quem non est alius Deus, *qui in medio vestri sunt* ex spolijs, & præda Sichimitarum capta, & hìnc motus Iacob, non Mesopotamica, quia inuerisimile Rachelem tādiù paterna illa seruasse, vel Iacob non reuelasse, vel familiam suam illa coluisse, vel exportasse, & non fit mentio ablatorum, nisi per Rachelem, *& mundamini* à peccatis, & præsertim ad idolòlatriam tendētibus, sciebat Iacob in deferentium caput hæc cedere proùt contigit militibus Iudæ. 2. Machab. 12. 40. Inuenerunt autèm sub tunicis interfectorum de donarijs idòlorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos, omnibus ergò manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse, & Balaam intèr alia cur non malediceret. Num. 23. 23.

non

non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. Et Iosue 7. non poterit Israel stare antè hostes suos, eosquè fugare, quia pollutus est anathemate, non ero vltrà vobiscum, donèc cõteratis eum, qui huius sceleris reus est, dic eis: sanctificamini in crastinum (& Iacob: hìc mundamini) hæc enìm dicit Dominus: anathema in medio tui est Israel non poteris stare coràm hostibus tuis, donèc deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere; sic 1. Reg. 14. 38. non respondit Deus proptèr fractionem iuramenti; vndè Saul illam purgare tentauit antequàm congrederetur cùm hostibus, & Iudith. 5. 18. vbi pulchra verba Achior supèr his vsquè ad vers. 26. Hinc mundamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis Isa. 1. & Iob. sanctificabat, mundabat, filios; & si illud tùnc, quantò magìs nùnc antè sumptionem sanctissimi Sacramenti? hinc Paulus, probet autèm se ipsum homo, & sìc de pane illo edat, & de calice bibat, &c. Sic Samuel ad totum populum in Masphat: si in toto corde vestro conuertimini ad Dominũ, abijcite de medio vestri deos alienos Baalim, & Astaroth 1. Reg. 7. 3. sìc Elias, si Dominus est Deus, sequimini illum, si autèm Baal est Deus, sequimini illum, quòusque claudicatis in duas partes? 3. Reg. 18. sic Sunamitæ colẽtes Deũ, & idòla. 3. Reg. 17. hoc timuit Dauid in populo, & Salomone: vndè orabat Dominum. 1. Paralip. 29. 18. vbì Abulen. notat. *ac mutate vestimenta vestra* ad iter accincti; diuersa enim sunt itinerantium, & stantium; hinc enim abituri, sìc in profecturis ex Aegypto. Exod. 12. ideò vel nullum mysterium in vestimẽtis, sicùt Exod. 19. 11. vt componerentur ad legem, in qua statuenda aliqua fortè infectio etiàm in vestimentis obstabat, quæ non erat tempore Iacob, vel vt ab exterioribus discerent quæ mundatio requireretur interiùs, quam Deus Ioel. 2. 12. vti nõ veram, sed externam munditiem significantem renuit, dicens: conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu verè, & scindite corda vestra sincerè, & non vestimenta vestra, non fictè, quasi, si vestimenta tantùm scideritis, nihil erit hoc externum; ideò subdit: & conuertimini ad Dominum Deum vestrum. Vndè non placet quod audiui semèl. & non vestimenta vestra, idest magìs quàm vestimenta vestra, quia hæc nihil ad conuersionem veram, quam Deus requirit. Nec est simile, misericordiam volo, & non sacrificiũ, idest plusquàm sacrificium, quia sacrificium erat de genere placandorum, & placentium, non vestimentorum scissio, seù læsio. Quòd autèm hìc intelligat mutationem veram vestimentorum pro itinerantibus, patet, quia subdit: *surgite, & ascendamus Bethel, vt faciamus ibì altare Deo* gratias acturus, sicùt voui, *qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei. Dederunt ergò ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum,* idòlorum, hoc dicit, quia cùm essent ornamenta distincta, videbantur retineri posse; si verò referas verbum *eorum* ad familiam, non videtur posse inferri inaures tenuisse imagines idòlorum, quia scriptura id non dicit, imò distinguit idòla ab inauribus, nèc credendum Iacob passum esse publicè à suis has deferri, sed tutius est verbum *eorum* referri ad immediatè præcedentes *Deos alienos*; & si inaures non fuissent idòlorum, sed propriæ, non eas infodisset; hinc non videntur firma dicta per Sanct Oleæ 12. num 24. 25. 26. & de hoc alibi dixi; *at ille infodit ea subtèr terebinthum, quæ est post Vrbem Sichem;* sic cautum Deut. 7. 25. sculptilia eorum igne combures, non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt, nequè assumes ex eis tibi quidquàm, ne offendas, proptereà quòd abominatio est Domini Dei tui, nec inferes quippiam ex idòlo in domum tuam, ne fias anathema, sicùt & illud est, quasi spurcitiam detestaberis, & velùt inquinamentum, ac sordes abominationi habebis, quia anathema est; sic fecit Dauid. 1. Paralip. 14. 12. dereliqueruntquè ibì Deos suos, quos Dauid iussit comburi; sìc Asa. 2. Paralip. 15. 16. in simulacro Priapi, quod omne contriuit, & in frusta comminuens combussit in torrente Cedron, & antè hos Moyses in vitulo in deserto; an autèm Iacob illa igne combusserit, incertum, potiùs non, quia abeundum, & timebat sibi, ac familiæ suæ si differret. Moysi verò, & Ezechiæ id facientibus. Exod. 32. 20. 2. 4. Reg. 18. 4.

tem-

tempus non defuit, nec infoderunt proùt Iacob, ex qua infossione videtur idem haberi & Num. 33. 52. dicitur confringite titulos, & statuas comminuite, & Deut. 7. 6. aras eorum subuertite, cõfringite statuas, lucosquè succidite, & sculptilia comburite fortè saltèm confregit, deindè infodit. *Cumquè profecti essent, terror Dei* Iacob sociãtis, & protegentis *inuasit omnes per circuitum Ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes;* hinc argue ex Dei permissione sœuitum in Sichimitas, quamuis Simeon, & Leui peccauerint; sic terror Dei irruit supèr habitatores terræ promissionis populo suo appropinquante; proùt ex Rahab. Iosl. 2. Gabaonitis. Iosl. 9. & alijs, & priùs Moyses cecinerat Exod. 15. 14. ascenderunt populi, & irati sunt, dolores obtinuerunt habitatores Philistijm. Tunc conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerũt omnes habitatores Chanaan. Irruat supèr eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui, &c. Et Dauid in psalmis sæpè. & 2. Paralip. 13. 15. in Ieroboam, & populo Israel; perterruit Deus Ieroboam, & omnem Israel, &c. Et c. 14. in Zaram Aethiopẽ tempore Asæ regis, & c. 15. 5. & 4. Reg. 7. 6. siquidèm Dominus sonitum audire fecerat, &c. & 2. Machab. 12. 22. sic de sopore 1. Reg. 26. 13 de versis insidijs 2. Par. 20. 17. ● 2. *Venit igitur Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel, ipse, & omnis populus cùm eo*, sui omnes, vel etiã captiui, & captiuæ; *ædificauitquè ibi altare*, hostiasquè obtulit, *& appellauit nomen loci illius Domus Dei*, sicut dixerat suprà c. 28. 17. *ibi enim apparuit ei Deus, cùm fugeret fratrem suum* Esau. *Eodem tempore mortua est Debbora nutrix Rebeccæ* (quomodò secũ esset ignotum) *& sepulta est ad radices Bethel supèr quercum, vocatumquè est nomen loci illius quercus fletus*, quia ibi fleuerunt eam. *Apparuit autèm iterum Deus Iacob, postquàm reuersus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitquè ei, dicens: non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum, & appellauit eum Israel;* Sic bis Iesus Simonem Petrum Ioann. 1. et Matth. 16. quod factum ad firmitatis indicium. Genesl. 41. 32. et ad hunc effectum pluriès Deus benedictiones promissas Abrahæ, Isaac, Iacob replicauit. Nec refert quòd posteà & Iacob appellatus sit, quia voluit dicere Deus: mereris hoc nomen Israel, quia præualuisti in lucta cùm Angelo, non Iacob, quod nomen id non importat, non quòd sempèr nominandus esset Israel; sìc Simon dictus Petrus, quia supèr eo ædificanda Ecclesia, non quòd & Simonis nomen non retineret. *Dixitquè ei: Ego Deus omnipotens*, qui vocò ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt; *cresce, & multiplicare.* (Eccè benedictio) *gentes, & populi, nationes ex te erunt* (Eccè in quo benedictio) *Reges de lumbis tuis egredientur*; sìc & Abraham, & Isaac dictum *Terramquè, quam dedi*, pollicitus sum *Abraham, & Isaac dabo tibi, & semini tuo*, idest in semine tuo *post te*, vel &, pro quia, *& recessit ab eo* his dictis. *Ille verò* Iacob *erexit titulum*, signum *lapideum in loco, quò locutus fuerat ei Deus, libans supèr eum libamina* vinea, *& effundens oleum, vocansquè nomen loci illius Bethel. Egressus autem indè venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam, in qua cùm parturiret Rachel*, esset in tempore partus, *ob difficultatem partus periclitari cœpit*, in periculo vitæ esse. *Dixitquè ei obstetrix* eam consolans in dolore. *Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autèm anima præ dolore, & imminente iàm morte, vocauit nomen filij sui Benoni, idest filius doloris mei; pater verò appellauit eum Beniamin, idest filius dextræ*, in quo speraret se adiuuandum in decrepita sua ætate, vel in quo amando quiesceret; solent enim senes filios postremos magis diligere, vel filius exaltandus; sìc, hæc dicit Dominus domino meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, quem exaltaui, cui subsidium do. *Mortua est ergò Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem, erexitquè Iacob titulũ*, inscriptionem *supèr sepulchrum eius. Hic est titulus monumenti Rachel vsquè in præsentem diem apparens.* Hinc sumptum: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. *Egressus indè fixit tabernaculum trans turrem gregis*, vbi postea annũciata pastoribus

Christi natiuitas secundùm Hieron *Cumquè habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cùm Bala concubina patris sui, quod illum minimè latuit*; & cùm esset primogenitus, priuatus fuit primogenitura infrà c.49. *Erant autèm filij Iacob duodecim*, quos numerat, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ prætèr Beniamin, qui tamèn cùm duodecim nominatur. *Venit etiàm* Iacob *ad Isaac patrem suum in Mambre Ciuitatem Arbea, hæc est Hebron, in qua peregrinatus est*, more peregrinorum fuerũt *Abraham, & Isaac*; credendum tamèn & aliàs accessisse ad patrem suum, sed nùnc habitaturus secum, *& completi sunt dies Isaac cẽtum, & octoginta annorum, consumptusquè ætate mortuus est, & appositus est pupulo suo* in anima in limbo *senex, & plenus dierum, & sepelierunt eum Esau, & Iacob filij sui*, qui forte hac de causa conuenerunt; Hinc durasse beneuolentiam intèr fratres, & verisimiliùs Iacob declinasse in Seir ad Esau dùm veniret de Mesopotamia, vt tenui.

CAPVT XXXVI.

1 *HAE sunt autèm generationes Esau, ipse est Edom.* * *Esau*
2 *accepit vxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon*
3 *Hethai, & Oolibama filiam Anæ filia Sebeon Heuæi:* * *Ba-*
4 *semath quoque filiam Ismael sororem Nabaioth.* * *Peperit*
5 *autèm Ada Eliphaz: Basemath genuit Rabuel:* * *Oolibama*
genuit Iehus & Ielon & Core. hi filij Esau qui nati sũt ei
6 *in terra Chanaan.* * *Tulit autẽ Esau vxores suas & filios*
& filias, & omnem animã domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ
habere poterat in terra Chanaan: & abijt in alterã regionem, recessitquè à fratre
7 *suo Iacob.* * *Diuites enìm erant valdè, & simùl habitare non poterãt: nec sustine-*
8 *bat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum.* * *Habitauitquè Esau*
9 *in Monte Seir, ipse est Edom.* * *Hæ autèm sunt generationes Esau patris Edom*
10 *in monte Seir,* * *& hæc nomina filiorum eius: Eliphaz filius Ada vxoris Esau:*
11 *Rabuel quoquè filius Basemath vxoris eius*. * *Fueruntquè Eliphaz filij: Theman,*
12 *Omar, Sepho, & Gatham; & Genez.* * *Erat autèm Thamna, concubina Eliphaz*
13 *filij Esau: quæ peperit ei Amalech. hi sunt filij Ada vxoribus Esau.* * *Filij au-*
tem Rahuel: Nahath & Zara, Samma & Meza. hi filij Basemath vxoris
14 *Esau.* * *Isti quoquè erant filij Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, vxoris Esau, quos*
15 *genuit ei Ihehus & Ihelon & Core.* * *Hi duces filiorum Esau: Filij Eliphaz pri-*
16 *mogeniti Esau: dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez,* * *dux Core, dux*
17 *Gatham, dux Amalech. hi filij Eliphaz in terra Edom, & hi filij Ada.* * *Hi quo-*
18 *què filij Rabuel filij Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. hi*
19 *autèm duces Rahuel in terra Edom: isti filij Basemath vxoris Esau.* * *Hi au-*
20 *tem filij Oolibama vxoris Esau: dux Iehus, dux Ihelon, dux Core. hi duces Ooli-*
21 *bama filiæ Anæ vxoris Esau.* * *Isti sunt filij Esau, & hi duces eorum: ipse est Edõ.*
22 * *Isti sunt filij Seir Horræi, habitatores terræ: Lotan, & Sobal, & Sebeon, & Ana,*
23 * *& Dison. & Eser, & Disan. hi duces Horræi, filij Seir in Terra Edom.* * *Fa-*
24 *cti sunt autèm filij Lotan: Hori & Heman. Erat autèm soror Lotan, Thamna.*
25 * *Et isti filij Sobal: Aluan & Manahat, & Ebal, & Sepho & Onam.* * *Et hi filij*

Sebeon

26 Sebeon: Aia & Ana. Iste est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine, cũ pasce-
27 ret asinos Sebeon patris sui:* habuitquè filiũ Dison, & filiã Oolibama.* Et isti fi-
28 lij Dison: Hamdan, & Esban, & Iethram, & Charan.* Hi quoquè filij Eser: Ba-
29 laan, & Zauan, & Acan.* Habuit autèm filios, Disan: Hus, & Aram.* Hi du-
30 ces Horraeorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana,* dux Dison, dux
31 Eser, dux Disan: isti duces Horraeorum qui imperauerunt in Terra Seir.* Reges
32 autèm qui regnauerũt in Terra Edom antequàm haberent regem filij Israel, fue-
33 runt hi:* Bela filius Beor, nomenq. vrbis eius Denaba.* Mortuus est autèm Bela,
34 & regnauit pro eo Iobab filius Zarae de Bosra.* Cũquè mortuus esset Iobab, regna-
35 uit pro eo Husam de terra Themanorũ.* Hoc quoquè mortuo, regnauit pro eo Adad
filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: & nomen vrbis eius Auith.
36 * Cumq. mortuus esset Adad, regnauit pro eo Semla de Masreca.* Hoc quoquè mor-
37 tuo regnauit pro eo Saul de fluuio Rohoboth.* Cũquè & hic obijsset, successit in re-
38 gnum Balanan filius Achobor.* Isto quoquè mortuo regnauit pro eo Adar, nomenquè
39 vrbis eius Phau: & appellabatur vxor eius Meetabel, filia Matred filiae Me-
40 zaab.* Haec ergo nomina ducum Esau in cognationibus, & locis, & vocabulis
41 suis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth,* dux Oolibama, dux Ela, dux Phi-
42 * non, dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar.* dux Magdiel, dux Hiram: hi du-
43 ces Edom habitantes in terra imperij sui, ipse est Esau pater Idumaeorum.

HAE sunt autèm generationes Esau. quas describit. Tulit autèm Esau (à primogenitis exclusus) vxores suas & filios, & filias, & omnem animam domus suae & substantiam & pecora, & cuncta, quae habere poterat in terra Chanaan; nàm & ipsi portio competebat ad sustentationem iuxtà gradum suum ex bonis paternis; & sic fecit Abraham cùm filijs suis vltrà Isaac Gen. 25. 6. Et abijt in alteram regionem, recessitquè à fratre suo Iacob, diuites enim erant valdè, & simùl habitare non poterant, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum prae multitudine gregũ; & ità remansit solus Iacob in terra promissionis; sic & Abrahã, & Lot fecerunt Gen 13.6. Habitauitquè Esau in monte Seir, ipse est Edom, refert quod antè factum erat. Iste est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon patris sui: habemus hic quo tempore inuentae aquae calidae. Refert in hoc capite totam progeniem Esau, ampliùs de eo non dicturus, intentus generationi Iacob, ex qua Messias oriundus, & populus electus.

CAPVT XXXVII.

1 HABITAVIT autèm Iacob in terra Chanaan, in qua
2 pater suus peregrinatus est.* Et hae sunt generationes eius: Io-
seph cũ sedecim esset annorum, pascebat gregem cũ fratribus
suis adhùc puer: & erat cùm filijs Balae & Zelphae vxorũ
3 patris sui: accusauitq. fratres suos apud patrem crimine pes-
simo.* Israel autèm diligebat Ioseph supèr omnes filios suo, eò
quòd in senectute genuisset eum: fecitquè ei tunicã polymitã.
4 * Videntes autèm fratres eius quòd à patre plus cũctis filijs amaretur, oderũt eum,
5 nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Accidit quoquè vt visum somnium re-

6 ferret fratribus suis: quæ causa maioris odij seminarium fuit. * Dixitquè ad eos:
7 Audite somnium meum quod vidi: * Putabam nos ligare manipulos in agro: &
8 quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosquè manipulos circũstantes
8 adorare manipulum meum. * Responderunt fratres eius: Nunquid rex noster
eris? aut subijciemur ditioni tuæ? Hæc ergò causa somniorum atquè sermonum,
9 inuidiæ & odij fomitem ministrauit. * Aliud quoquè vidit somnium, quod nar-
rans fratribus, ait: Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas vnde-
10 cim adorare me. * Quod cùm patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pa-
ter suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego & mater
11 tua, & fratres tui adorabimus te supèr terram? * Inuidebant ei igitur fratres sui:
12 pater verò rem tacitus considerabat. * Cumquè fratres illius in pascendis gregi-
13 bus patris morarentur in Sichem, * dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt
14 oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, * Presto sum, ait
ei: Vade, & vide si cuncta prospera sint ergà fratres tuos, & pecora: & renun-
15 cia mihi quid agatur. Missus de Valle Hebron, venit in Sichem: * inuenitquè
16 eum vir errantem in agro, & interrogauit quod quæreret. * At ille respondit:
17 Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges. * Dixitquè ei vir: Re-
cesserunt de loco isto: audiui autèm eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergò
18 Ioseph pòst fratres suos, & inuenit eos in Dothain, * Qui cùm vidissent eum pro-
19 cùl, antequàm accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere: & mutuò loqueban-
20 tur: Eccè somniator venit: * venite, occidamus eum, & mittamus in cister-
nam veterem: dicemusquè, Fera pessima deuorauit eum: & tùnc apparebit quid
21 illi prosint somnia sua. * Audiens autèm hoc Ruben, nitebatur liberare eum
22 de manibus eorum, & dicebat: * Non interficiatis animam eius, nec effundatis
sanguinem: sed proijcite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manus-
què vestras seruate innoxias: hoc autèm dicebat, volens eripere eum de ma-
23 nibus eorum, & reddere patri suo. * Confestim igitur vt peruenit ad fratres
24 suos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita: * miseruntquè eum in ci-
25 sternam veterem, quæ non habebat aquam. * Et sedentes vt comederent pa-
nem, viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum por-
26 tantes aromata, & resinam, & stacten in Aegyptum. * Dixit ergò Iudas
fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus
27 sanguinem ipsius? * melius est vt venundetur Ismaelitis, & manus nostræ non
polluantur: frater enim, & caro nostra est. Acquieuerunt fratres sermonibus illius.
28 * Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahente eum de cisterna, ven-
29 diderunt eum Ismaelitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Aegyptum. * Re-
30 uersusquè Ruben ad cisternam, non inuenit puerum. * & scissis vestibus pergens ad
31 fratres suos, ait: Puer non comparet, & ego quò ibo? Tulerunt autèm tunicam
32 eius, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt: * mittentes qui fer-
rent ad patrem, & dicerent: Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui
33 sit, an non. * Quam cùm agnouisset pater, ait: Tunica filij mei est, fera pessima
come-

34 *comedit eum, bestia deuorauit: Ioseph.* *Scissisquè vestibus, indutus est cilicio,*
35 *lugens filium suum multo tempore.* *Congregatis autèm cunctis liberis eius vt*
lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad fi-
36 *lium meum lugens in infernum. Et illo perseuerante in fletu,* *Madianitæ ven-*
diderunt Ioseph in Aegypto Putiphari eunucho Pharaonis magistro militum.

HABITAVIT *autèm Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est,* vtì peregrinus mansit. *Et hæ sunt generationes eius,* & euenta in filijs suis. *Ioseph cùm sexdecim esset annorum,* narrat ætatē, vt appareat diuturnitas passionum, & mores, *pascebat gregem cùm fratribus suis adhùc puer, & erat cùm filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris sui* Iacob, *accusauitquè fratres suos,* nempè filios Balæ, *& Zelphæ* (de his enìm præmiserat, & præsumitur continuare) Vel est separata oratio à prima comprehendens omnes fratres, *apud patrem crimine pessimo,* quodnàm incertum, satis est scire pessimum fuisse, & dic seruata fuisse per Ioseph seruanda in huiusmodi delatione; sìc enìm in dubio præsumendum, & si fortè cùm patre, & à iuuene tāta non requirebantur, vel nihil si idòlolatria erat eorum crimen, & non restringas crimen pessimum ad inuidiam, vel odium intèr se, vel Ioseph, vel detractionem in patrem ob dilectionem in Ioseph; hæc enìm leuia, nec sub crimine pessimo veniunt; & inuidia, & odium in Ioseph sunt expressa: id autèm tacitum, & scriptura sub crimine pessimo vel idòlolatriam, vel vitium carnale solet comprehendere, vt Gen. 13. 13. homines autèm Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coràm Domino nimìs, iunge his peccata horum fratrum publica dolum, & cœdem Sichimorum, congressum Ruben cùm Bala vxore patris, homicidium, & venditionem Ioseph, barberiem cùm patre pro Ioseph, fornicationem Iudæ cùm nuru, & inobseruantiam iungendi Selam, & hoc crimen occultum necessariò existimabis pessimum, & alterius speciei, quàm odij, inuidiæ, & similium, eò magìs si iuxtà translationem Hebræam malè olebant apud omnes, hoc enìm non processit, nisi ex grauissimo scelere, quòd si leue fuisset, scriptura expressisset, at horruit illud nominare; existimo autèm non fuisse peccatum carnale, quia non de omnibus esset, nec in conspectu aliorum sed potiùs idòlolatriæ, quæ ab eis communitèr exerceretur, cùm omnes accusauerit, eo magis, quia in Mesopotamia frequentem viderant, & indè idòla allata vt suprà. *Israel autèm diligebat Ioseph supèr,* plusquàm *omnes filios suos, eò quod in senectute genuisset eum;* sìc solent senes declinantes ad mortem *fecitquè ei tunicam polymitam* variam, varij coloris. *Videntes autèm fratres eius, quòd à patre plùs cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei* odioso *quidquam pacificè loqui,* eccè inuidia traxit ad odium fratres, sic Cain in Abel; Esau in Iacob; Saul in Dauid; sìc Sap. 2. 15. *Accidit quoquè,* vt Ioseph *visum sibi somnium referret fratribus suis, quæ causa maioris odij seminarium fuit,* quò magìs ex illo cognouerunt illum exaltandum. *Dixitquè ad eos: audite somnium meum, quod vidi.* Deus sæpè per somnia reuelat futurum statum alicuius bonum, & hìc, & in Mardocheo Esther. 10. 4. proùt malum in Nabuchodonosor Daniel. 2. sìc bonum, & malum pincernæ, & pistori. Gen. 40. & statum rerum. Gen. 41. Iud. 8. 13. & Iob. terrebis me per somnia; *Putabam nos ligare manipulos* tritici secti *in agro, & quasi consurgere* (dicit *quasi* impropriè enim datur surrectio manipulo rei inanimatæ) *manipulum meum, & stare* rectum, *vestrosquè manipulos circumstantes adorare* inclinatos, & prostratos *manipulum meum,* id verificatum in frumento à Ioseph dato. *Responderunt fratres eius* intelligentes quò tendebat somnium: *nunquid Rex noster eris? aut subijciemur ditioni tuæ?* imperium supèr nos exercebis? *Hæc ergò causa somniorum, atquè sermonum inuidiæ, & odij fomitem ministrauit. Aliud quoquè vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium*

quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me, vtitur verbo, *quasi*, quia non erant hæc verè adoratura, sed aliud significabant. *Quod cùm patri suo & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus*, fortè ne extolleretur; *& dixit: quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te supèr terram? Inuidebant ei igitùr fratres sui* ob hæc somnia, *pater verò rem tacitus cōsiderabat*, ignorans quò tenderet, & cognoscens magna quædam importare; sic Maria, & Ioseph gesta, & quæ dicebantur de Iesu conseruabant, & Deus permisit hæc à Ioseph proferri, vt quandò quæ somnia importabant, contigissent, ex Dei præordinatione facta apparerent, & cognoscerentur, vndè Ioseph Genes. 42. Recordatus est somniorum. Et ideò nedùm non peccauit referendo, præsertim si puer, vt dicam, sed diuino instinctui seruiuit. Sed ad præmissorum declarationē duo videnda: Primum quia in somnio dicitur sol pro patre; luna pro matre, an tùnc Rachel mater Ioseph esset mortua, vel viua: Secundum, an detrahatur somnio, si mater, & pater non adorauerint. Et circà primum. Cùm mortua sit Rachel in via versùs Bethlehem. Genes. 35. 18. & indè Iacob habitatum venerit in Hebron vers. 27. & Ioseph à patre mitteretur de valle Hebron in Sichē. hic vers. 14. & Ioseph sexdecim esset annorum, seù intrà decimum septimum, ad quod tempus illa non potuit peruenire; non videtur de hoc tempore Rachelem fuisse superstitem. Si dicas, non est verisimile fratres reuersos in regionem Sichimorum ad pastū, cùm indè fugitiui, & timentes recessissent; sed verisimiliùs hæc contigisse dùm erant in Sichimis. Videtur posse responderi standum esse expressis, & illa regio potuit esse extrema propinquior regioni versùs Hebrō, cùm regio Sichimorum esset lata, & spatiosa, cultoribusquè indigens, Genes. 34. 21. & potuit esse pars empta à Iacob, de qua Genes. 48. in fine. Non obstat assertio patris, *ego & mater tua*; si enim illa mortua, quomodò illius meminit? nec satisfacit mortuæ habitam mentionem ad excludendas cogitationes Ioseph ambitiosas, vel resecanda odia fratrum, quasi diceret, quomodò hoc possibile, cùm mater tua mortua? nàm violatur littera, & diuinamus, & satis prouiderat pater, qui illum increpauerat, & ex increpatione videtur etiàm excludi saluatio, minùs illa posse verificari in alijs vxoribus Iacob, tùm quia dicit *mater tua*, tùm quia non apparet vllam earum adorasse, quæ fortè mortuæ erant, dùm Ioseph imperaret in Aegypto. At dicas assertionem Iacob *(ego, & mater tua)* non obstare, quia somnia, & Iacob verba præcesserant hoc tempus, & vēditionis Ioseph, non erant ergò huius temporis, & sic necessariò dicendum, vt saluetur dictum Iacob *(ego, & mater tua)* quod alioquì nullam interpretationem aliam admittit; puerulo igitùr somnia hæc visa, & ab eo in tenera ætate fratribus simplicitate puerili relata, dùm Rachel adhùc viueret; & sic ex diuersitate temporum concordantur scripturæ; sed siuè mater viueret, siuè non, parùm refert ad intentum principale somnij. Somnium illud à Deo inicctum fuerat ad Ioseph principatum præsignificandum, ad cuius ostensionem facilem cùm adoratio patris, & matris, quibus ab ipso debebatur reuerentia, & honor, satis congrueret; ideò illorum in somnio fit mentio, non quòd illorum existentia requiratur, imò poterat Deus & alijs hoc demonstrantibus vti; quod dixi de somnio, idem dico de effectuatione; & sic transeo ad secundum; nàm sufficit in parte illud verificatum, nempè in fratribus adorantibus; nec refert an pater, vel mater adorauerint, quia sat est habuisse effectum principalem, qui fuit exaltatio Ioseph; sed & possumus dicere patrem Ioseph adorasse, dùm egens frumentoq; ab illo id recepit; egens enim dum recipit, solet adorabundus, & rogans petere, vt in Euangelijs adorabundi petebant à Christo, præsertim mater filiorum Zebedæi adorans, & petens aliquid ab eo; nec refert per ipsum, an per filios id factum, imò sola indigentia frumenti, & subuētio facta à Ioseph patri absenti, & præsenti potest seruire pro verificatione somnij in patre, quia tanquàm princeps ei subuenit; item verificatum fuit, dùm adorauit fastigium virgæ eius Ioseph. Hebr. 11. secundùm translationem Septuaginta, de qua suo loco; si verò mater iàm mortua non adorauit, nihil

nihil refert; non enim pro integritate somnij principatum demonstraturi illa omittenda, quia non adoratura, cùm principatus Ioseph ob id non sit frustratus: refertur somnium secundùm statum illius temporis, dùm viuebat; vltrà quòd non est necessarium in somnio omnia verificari, satis fuit fratres, & patrem adorasse. Vel pater & pro matre adorasse dicitur vti principalis, secundùm Chrisostomum. Vel sufficit hoc, quòd si ipsa superstes fuisset, adoratura erat. Dices, si viuebat Rachel, non erant stellæ vndecim, cùm Beniamin non esset natus, qui nascens matrem occidit; nàm id refertur ad tẽpus principatus adepti, quo & ipse adorauit, non ad tempus somnij. *Cumquè fratres illius in pascendis gregibus patris sui morarentur in Sichem*; hoc ergò vel fuit antequàm discessissent à regione Sichimitarum, vel potiùs dùm illùc accesserant ob pasturam meliorẽ, *dixit ad eum* Ioseph *Israel* pater suus: *Fratres tui pascunt oues in Sichimis, veni, mittam te ad eos; quo respondente præsto sum* (eccè obedientia ergà patrem) *ait ei: vade, & vide si cuncta prospera sint ergà fratres tuos, & pecora, & renuntia mihi quid agatur*. officio patrisfamilias rectè fungebatur Israel. *Missus de valle Hebron*, vbi habitabat Iacob *venit in Sichem, inuenitquè eum vir errantem*, nescientem quà iret, *in agro, & interrogauit quid quæreret; at ille respondit: fratres meos quæro. indica mihi vbi pascant greges. Dixitquè ei vir: recesserunt de loco isto; audiui autèm eos dicentes: eamus in Dothain*; illùc ergò iter suum direxit Ioseph. Putant aliqui hunc virum fuisse Angelum custodem Ioseph; at non credo, quia Scriptura id expressisset, proùt solet similia de Angelis, & alia mirabilia. *Qui* fratres *cùm vidissent eum procùl antequàm accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuò loquebantur*. (eccè quomodò peccatum inuidiæ ad odium, odium ad homicidium pertrahit) *eccè somniator venit* (retinebant somnia in mente, timebantquè illum eis præferri, & tamèn seruierunt eorum facto dispensationi Dei) *venite, occidamus eũ, & mittamus in cisternam veterem*, quam nemo inuisit; & sic nullibi cadauer eius apparebit; *dicemusquè, fera pessima deuorauit eum, & tùnc apparebit, quid illi prosint somnia sua*, si veritate nitantur, vt nobis præferatur; sic & Sap. 2. 17. *Audiens autèm hoc Ruben* primogenitus, *nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat, non interficiatis animam eius*, vitam eius, *nec effundatis sanguinẽ, sed proijcite* eũ viuum *in cisternã hanc* veterem, prout dixistis, *quæ est in solitudine*, quæ à nullo inuisitur, ibiquè morietur omnibus destitutus, *manusquè vestras seruate innoxias* à sanguinis effusione; id enim expresè prohibebatur Genes. 9. 6. *hoc autèm dicebat volẽs eripere eum de manibus eorum*, ne illum occiderent, *& reddere patri suo* incolumem, ne quis existimaret voluisse eum in cisterna perire, & sic obtinuit Rubẽ; sic Saul volebat per manus Philistinorum occidi Dauid. 1. Reg. 18. 17. 21. sic Dauid gladio Ammonitarum occidit Vriam, Hebræi Iesum per manus Pilati, vt apparerent manus eorum innoxiæ. Sed quomodò malorum dissensio seruiuit innocentiæ Ioseph; sic in ædificantibus Babel dissensio iniecta. Genes. 11. intèr Abimelech, & Sichimitas Iud. 9. sic Paulus intèr Pharisæos, & Sadducæos Actor. 23. intèr Achitophel, & Absalom, & eius sapientes. 2. Reg. 17. *Confestim igitùr vt peruenit ad fratres suos* Ioseph (quousquè protrahit passio odiosa) *nudauerunt eum tunica talari, & polymita; miseruntquè eum* vidẽtes angustiam animæ eius, & deprecantem eos non audientes. Genes. 42. 21. proùt Ieremiam in lacum, vbi non erat aqua; *in cisternam veterem, quæ non habebat aquam*. dissipata erat, *& sedentes vt comederent panem*, manducarent, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur supèr contritione Ioseph. Amos 6. 6. quem aliqui putant de hac re loqui, at ibi Propheta loquitur de toto Israel sub nomine Ioseph ad litteram. vide ibi Sanctium ad cisternam. *Viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in Aegyptum. Dixit ergò Iudas fratribus suis: quid vobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius?* dicamus occisum, qui tamèn morietur in cisterna occultè, *meliùs est, vt venundetur Ismaelitis*; à lucro eos mouet, *& ma-*

& manus nostræ non polluantur, frater enim & caro nostra est, misereamur ipsius; nunquid possumus horum obliuisci? *acquieuerūt fratres sermonibus illius*, refulsit in eis scintilla misericordiæ in puerum, *& prætereuntibus Madianitis negotiatoribus extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis*, quorum duo pro quolibet fratre, *qui duxerunt eum* captiuum *in Aegyptum*, & sic seruatus innocens à morte, vt alter Isaac ab immolatione. *Reuersusquè Ruben*, quo absente hæc gesta, *ad cisternam*, ex qua illum extrahere, & patri reddere volebat, *non inuenit puerum, & scissis vestibus* præ dolore, *pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet*; non enim inueni illum in cisterna, *& ego* primogenitus *quò ibo?* quam rationem dabo patri meo huius pueri? *Tulerunt autèm* (consilio sic inito) *tunicam eius*, qua eum spoliauerant, etiàm tunicam inuidebant, & quæ barbaries, & crudelitas, quia nequè captiuo eam restituerant, vt tegeretur; *& in sanguine hœdi, quem* de industria ad hoc *occiderant, tinxerunt, mittentes* viros, *qui ferrent ad patrem, & dicerent. Hanc inuenimus* sanguine tinctam, *vide vtrum tunica filij* tui Ioseph *sit, an non.* priori crudelitati aliam addiderunt ad patrem exuiscerandum; & si hic non fuit scopus eorum, vt infrà, *Quam cùm agnouisset pater, ait: tunica filij mei* Ioseph *est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph, scissis vestibus* præ doloris acerbitate, *indutus est cilicio* mœrorē indicante, *lugens filiū suum multo tempore. Congregatis autèm cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris*; non ergò inuentio mortis Ioseph fuit ad patrem magis exanimandum, sed ad cooperiendum scelus venditionis fratris, quam si patri retulissent, ipse procurasset facillimè redemptionem, & liberationem, quam ipsi nolebant, *noluit consolationem accipere*; sic illa noluit consolari, quia non sunt, *sed ait: descendam ad filium meum lugens in infernum*, moriar ad illum descensurus in limbum; meliùs est enim mihi mori, quàm viuere; sic & Tobias; sic Dauid lugebat puerum suum Absalom inconsolabilitèr. Absalom fili mi, fili mi Absalom, quis mihi tribuat, vt pro te moriar? 2. Reg. 18. in fine. & hoc ex nimio affectu amoris; vndè dicebat; seruate mihi puerum Absalom. 2. Reg. 18. 5. non quia mortuus in peccato, quod tamèn potuit esse; at quòd non fleuerit pro puerulo ex Bersabeæ in adulterio nato mortuo, quia sciebat illum saluum, pro quo antè mortem fleuerat, non procedit, quia est contrà textum dicentem fleuisse, & ieiunasse proptèr puerum morientem, sperans à Domino illum recipere, cessasse verò post mortem re desperata. 2. Reg. 12. 16. *& illo perseuerante in fletu, Madianitæ* emptores Ioseph *vendiderūt Ioseph in Aegypto Putiphari eunucho Pharaonis* Regis *magistro* præfecto *militum*, quos amo, hos corrigo, amabat Deus Iacob, & Ioseph, eccè supèr eos tribulatio, & angustia, hæc sunt viæ Domini.

CAPVT XXXVIII.

1 *EODEM tempore descendens Iudas à fratribus suis di-*
2 *uertit ad Virum Odollamitem, nomine Hiram. * Viditquè ibi filium hominis Chananæi, vocabulo Sue: & ac-*
3 *cepta vxore, ingressus est ad eam. * Quæ concepit, & pe-*
4 *perit filium, & vocauit nomen eius Her. * Rursùmquè*
5 *concepto fœtu, natum filium vocauit Onan. * Tertium quoquè peperit: quem appellauit Sela. quo nato, parere vl-*
6 *trà cessauit. * Dedit autèm Iudas vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar.*
7 *Fuit quoquè Her primogenitus Iudæ, nequaquàm in conspectu Domini: & ab*
8 *eo occisus est. * Dixit ergò Iudas ad Onan filium suum: Ingredere ad vxorem*

fratris

9 fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo. * Ille sciens non sibi nasci
filios introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fra-
10 tris nomine nascerentur. * Et idcircò percussit eum Dominus, quod rem detesta-
11 bilem faceret. * Quamobrèm dixit Iudas Thamar nurui suæ: Esto vidua in do-
mo patris tui, donèc cresca t Sela filius meus: timebat enim ne & ipse moreretur,
12 sicut fratres eius. Quæ abijt, & habitauit in domo patris sui. * Euolutis autèm
multis diebus, mortua est filia Sue vxor Iudæ: qui pòst luctum consolatione su-
scepta, ascendebat ad tonsores ouium suarum. ipse & Hiras opilio gregis Odolla-
13 mites in Thamnas. * Nunciatumquè est Thamar quòd socer illius ascenderet in
14 Thamnas ad tondendas oues. * Quæ depositis viduitatis vestibus assumpsit the-
ristrum: & mutato habitu, sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam: eò
15 quòd creuisset Sela. & non eum accepisset maritum. * Quam cùm vidisset Iu-
das suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnoscere-
16 tur. * Ingrediensquè ad eam, ait: Dimitte me vt coeam tecum: nesciebat enim
quòd nurus sua esset. Qua respondente: Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo?
17 * dixit: Mittam tibi hædum de gregibus. Rursùmquè illa dicente: Patiar quod
18 vis, si dederis mihi arrhabonem, donèc mittas quod polliceris. * Ait Iudas: Quid
tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum, & armillam, & ba-
19 culum quem manu tenes. Ad vnum igitùr coitum mulier concepit, * & surgens
20 abijt: depositoquè habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. * Mi-
sit autèm Iudas hædum per pastorem suum Odollamitem, vt reciperet pignus,
21 quod dederat mulieri: qui cùm non inuenisset eam: * interrogauit homines loci il-
lius: Vbi est mulier quæ sedebat in biuio? Respondentibus cunctis: Non fuit in
22 loco isto meretrix. * Reuersus est ad Iudam, & dixit ei: Non inueni eam: sed
23 homines loci illius dixerunt mihi, numquàm sedisse ibi scortum. * Ait Iudas: ha-
beat sibi, certè mendacij arguere nos non potest, ego misi hædum quem promiseram:
24 & tu non inuenisti eam. * Eccè autèm pòst tres menses nunciauerunt Iudæ, dicen-
tes: Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere. Di-
25 xitquè Iudas: Producite eam vt comburatur. * Quæ cùm duceretur ad pœnam.
misit ad socerum suum, dicens: De viro cuius hæc sunt, concepi: cognosce cuius sit
26 annulus, & armilla, & baculus. * Qui agnitis muneribus, ait: Iustior me est,
27 quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamèn vltrà non cognouit eam. * Instan-
te autèm partu, apparuerunt gemini in vtero: atquè in ipsa effusione infantium
28 vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: * Iste egredietur
29 prior. * Illo verò retrahente manum, egressus est alter, dixitquè mulier: Quarè
diuisa est proptèr te maceria? & ob hanc causam vocauit nomen eius Phares.
30 * Posteà egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appella-
uit Zara.

EODEM

E*ODEM tempore*, quo præmissa circa Ioseph contigerunt, *descendens Iudas à fratribus suis diuertit ad virum Odollamitem nomine Hiram; Viditquè ibi filiam hominis Chananæi vocabulo Sue; & accepta vxore* quæ sibi placuit, inscio patre, & fratribus ex textu, nisi subintelligamus alia, *ingressus est ad eam. Quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her. Rursumquè concepto fœtu, natum filium vocauit Onan. Tertium quoquè peperit, quem appellauit Sela, quo nato parere vltrà cessauit;* breuitèr hæc omnia perstringit. *Dedit autèm Iudas vxorem primogenito suo Her nomine Thamar. Fuit quoquè is Her primogenitus Iudæ nequam in conspectu Domini*, quē nihil latet, aliqui quòd impediebat vxoris ingrauidationem, sed non placet, quia exprimeretur proùt de Onan, & exprimendo de Onan, excludit de Her, vndè incertum in quo malus, potiùs in idololatria, *& ab eo* Domino mediantibus ministris suis manifestè *occisus est* proptèr nimiam impietatem. *Dixit ergò Iudas ad Onan filium suum: Ingredere ad vxorem fratris sui, & sociare illi* carnalitèr, *vt suscites semen fratri tuo* defuncto: hoc postea in legem Moysis insertum. *Ille sciens non sibi nasci filios*, sed fratri præmortuo, cuius semen sub nomine fratris nominandum, & habendum *introiens ad vxorem fratris sui* Thamar, *semen fundebat in terram* impiè, *ne liberi fratris nomine nascerentur: Et idcircò percussit eum Dominus morte, quòd rem detestabilem faceret;* Sic ab Asmodæo occisi sponsi Saræ libidine moti; *Quamobrem dixit Iudas Thamar nurui suæ: Esto vidua in domo patris tui donèc crescat Sela filius meus; timebat enim ne & ipse moreretur sicùt fratres eius: quæ abijt, & habitauit in domo patris sui* iuxtà soceri placitū. *Euolutis autèm multis diebus mortua est filia Sue vxor Iudæ*; hoc præmittit ad diminutionem peccati sequentis, quod si illa fuisset superstes fortè non patrasset, *qui pòst luctum consolatione suscepta*, factus hilaris *ascendebat ad tonsores ouium suarum*, quæ tondebantur, *ipse, et Hiras opilio gregis Odollamites in Thamnas. Nunciatumquè est Thamar quòd socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oues*, & tùnc fiebant conuiuia, vt in Nabal. 1. Reg. 27. & Absalone. 2. Reg. 13. *Quæ depositis viduitatis vestibus*, proùt Iudith, *assumpsit theristrum*, vestem aliam, *& mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam*, & hoc fecit, *eò quòd creuisset Sela, & non eum accepisset maritum*, proùt socer spoponderat, vt prolem haberet, nō libidinis causa; ideò nec cùm socero, nec cùm alijs posteà commercium habuit; at incestum commisit, Iudas verò fornicationem; non tamèn dicas prolem concupisse ob Messiam, quia ignotum tùnc erat, an per Iudam descensurus, quod prophetauit Iacob. Gen. 49. *Quam cùm vidisset Iudas* pertransiens; *suspicatus est esse meretricem, operuerat enim vultum suum* de industria, *ne agnosceretur. Ingrediensquè ad eam, ait: dimitte me, vt coeam tecū: nesciebat enim quòd nurus sua esset*, hoc ad eius excusationē, *Quæ respōdente, quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo? dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumquè illa dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem*, pignus, *donèc mittas quod polliceris* hœdum. *Ait Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum*, & *armillam, & baculum, quem manu tenes*, & sic factum. *Ad vnum igitur coitum mulier concepit*, & compos voti facta, *& surgens abijt, depositoquè habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus* solitis, ne quis deprehenderet facinus. *Misit autèm Iudas hœdum per pastorem suū Odollamitem, vt reciperet pignus, quod dederat mulieri, qui cùm non inuenisset eam*, hac enìm de causa abierat, *interrogauit homines loci illius: Vbi est mulier, quæ sedebat in biuio? Respondentibus cunctis, non fuit in loco isto meretrix* paucam enim moram ibi traxerat Thamar; *Reuersus est ad Iudam, & dixit ei: non inueni eam, sed & homines loci illius dixerunt mihi, nunquàm sedisse ibi scortum. Ait Iudas: Habeat sibi* pignus ei datum, *certè mendacij arguere nos non potest. Ego misi hœdum, quem promiseram; & tu*, qui illum portasti, *non inuenisti eam*, cui dares. *Eccè autèm post tres menses nuntiauerunt Iudæ, dicentes: fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere*,

quod

quod est indicium certum, & indubitabile, *dixitquè Iudas: producite eam, vt comburatur.* Nota verbum, *producite*; Sic & act. 12. 4. volens pòst pascha producere eum populo; & ves. 6. cùm autèm producturus eum esset Herodes. *Quæ cùm duceretur ad pœnam,* altera Susanna; *misit ad socerum suum, dicens: De viro, cuius hæc sunt* pignora *concepi, cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus,* quæ seruaui; *Qui cognitis muneribus proprijs, ait: Iustior me est, quia non tradidi eam Selæ filio meo,* sicut promiseram; & sic illa euasit, nàm nil Iudæus Iudæo, nil Catilina Cethego. *Attamèn vltrà non cognouit eam,* nec tùnc peccasset cùm ea, si illam nurũ suam esse cognouisset. *Instante autèm partu,* tempore partus *apparuerunt gemini in vtero, atquè in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: Iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum egressus est alter* prætèr obstetricis iudiciũ, *dixitquè mulier: Quare diuisa est proptèr te* ab alio *maceria?* murus vteri, membrana, vt prior exires? *Et ob hanc causam vocauit nomen eius Phares,* diuisio. *Posteà egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara,* coccineus, oriens.

CAPVT XXXIX.

1 *IGITVR Ioseph ductus est in Aegyptum, emitquè eum*
Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir
Aegyptius, de manu Ismaelitarũ, à quibus perductus erat.
2 ** Fuitquè Dominus cùm eo, & erat vir in cunctis prosperè*
3 *agens: habitauitquè in domo domini sui, * qui optime no-*
uerat Dominum esse cùm eo, & omnia, quæ gereret, ab
4 *eo dirigi in manu illius. * Inuenitquè Ioseph gratiam co-*
ràm domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus gubernabat credi-
5 *tam sibi domum, & vniuersa quæ ei tradita fuerant: * benedixitquè Dominus*
domui Aegyptij proptèr Ioseph, & multiplicauit tàm in ædibus quàm in agris
6 *cunctam eius substantiam: * nec quidquàm aliud nouerat, nisi panem quo ve-*
7 *scebatur. Erat autèm Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. * Post multos*
8 *itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. * Qui*
nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Eccè dominus meus, omni-
9 *bus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: * nec quidquàm est quod non*
in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, pratèr te, quæ vxor eius es: quo mo-
10 *do ergò possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? * Huiuscemodi ver-*
bis per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti: & ille recusabat stuprum.
11 ** Accidit autèm quadam die vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam ab-*
12 *squè arbitris faceret: * & illa, apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret: Dormi*
13 *mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras. * Cumquè vi-*
14 *disset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, * vocauit ad se homi-*
nes domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet no-
15 *bis: ingressus est ad me, vt coiret mecum: cumquè ego succlamassem, * & audisset*
16 *vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foràs. * In argumen-*
17 *tum ergò fidei retentũ pallium ostendit marito reuertenti domũ, * & ait: ingressus*
est

18 est ad me seruus Hebræus quem adduxisti vt illuderet mihi:* cumquè audisset me
19 clamare, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foràs. * His auditis dominus, &
20 nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde: * tradiditquè Ioseph in car-
21 cerem, vbì vincti regis custodiebantur, & erat ibì clausus. * Fuit autèm
Dominus cùm Ioseph, & misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis
22 carceris. * Qui tradidit in manibus illius vniuersos, vinctos qui in custodia te-
23 nebantur: & quidquid fiebat, sub ipso erat. * Nec nouerat aliquid, cunctis ei
creditis: Dominus enim erat cùm illo, & omnia opera eius dirigebat.

IGITVR Ioseph ductus est in Aegyptum, emitquè eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Aegyptius de manu Ismaelitarum, à quibus perductus erat illùc. Gen. 37. fuitquè Dominus cùm eo Ioseph, & erat vir in cunctis prosperè felicitèr agens de temporalibus hìc, vt notaui suprà c. 26. in Isaac. habitauitquè in domo Domini sui, qui optimè nouerat euidentibus signis Dominum esse cùm eo & omnia, quæ gereret Ioseph dirigi in bonum in manu, in gubernio illius. Inuenitquè Ioseph gratiam coràm Domino suo, gratus illi fuit, & ministrabat ei, inseruiebat, à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum fidei eius commissam, & vniuersa, quæ ei tradita fuerant gubernanda, seù peragenda; benedixitquè Dominus domui Aegyptij proptèr Ioseph; sic proptèr Iacob domum Laban, & Obededō proptèr Arcam retētam; & multiplicauit (eccè benedictio) tàm in ædibus, quàm in agris cunctam eius substantiam, nec quidquàm aliud nouerat diebus suis Ioseph omnia ministrante, nisi panem, edulia omnia, quo vescebatur. Erat autèm Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Post multos itaquè dies iniecit Domina sua oculos suos in Ioseph ad malum; & ait: Dormi mecum, Qui nequaquàm acquiescens operi nefario, dixit ad eā: castus, prudens, gratus, & timens Dominum: Eccè dominus meus vir tuus omnibus mihi traditis in potestatem ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod in mea non sit potestate, vel non tradiderit mihi: prætèr te, quæ vxor eius es, vnaquè caro, quomodò ergò possum hoc malum facere in eum, & peccare in Deum meum adulteria prohibentem? Huiusmodi verbis per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti concubitum eius deposcens, & ille fortis recusabat stuprum, adulterium: in Sampsone apparet quàm potens hæc mulierum molestia. Iudi. 16. Accidit autèm quadam die, vt intraret Ioseph domum, & opus quippiam absquè arbitris, nullo adstante faceret, & illa mulier apprehensa lacinia vestis eius (adeò erat impudens) diceret: dormi mecum, qui relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foràs, ne contaminaretur, fuga sibi consuluit. Cumquè vidisset mulier delusa vestem in manibus suis, & se esse contemptā, vocauit ad se homines domus suæ proditoriè agens, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum hunc maritus meus vt illuderet nobis, infamaret nos; ingressus est ad me, vt coiret mecum. Cumquè ego succlamassem, & audisset vocem meam, timens deprehendi reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foràs. In argumentum, probationem ergò fidei illi præstandæ retentum pallium ostendit marito reuertenti domum, & ait querula: ingressus est ad me seruus Hebræus, Hìnc denominatio hæc ab Abraham non ab Heber; quia Hebræus Abraham, dictus suprà c. 14. & Heber nulla mentio in Scriptura, nisi in descendentia, vndè non est verisimile sumptā hanc denominationē ab homine obscuro quoàd gesta, quem adduxisti, vt illuderet mihi, me cognosceret; cumquè audisset me clamare, timore perterritus reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foràs. His auditis Dominus, & nimium credulus verbis coniugis, iratus est valdè motus verbis mulieris, tradiditquè Ioseph in carcerem, vbi

vbì vincti Regis custodiebantur, & erat ibi clausus, libertate exeundi priuatus: humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius donèc veniret verbum eius Psal.104.18. sìc Achior innocens, & pro Deo loquens missus ab Holoferne ad hostes. Iudith. 5. sic Micheas ad Amon, & Ioas donèc Achab reuerteretur in carcerem. 3.Reg.22.26. *Fuit autèm Dominus cùm Ioseph* in carcere, in vinculis non dereliquit eum; *& misertus illius dedit ei gratiã in conspectu principis carceris*, fecit vt esset illi gratus. *Qui* custos *tradidit in manu* gubernio *illius* Ioseph *vniuersos vinctos, qui in custodia tenebantur, & quidquid fiebat, sub ipso*, sub eius imperio *erat, nec nouerat* custos *aliquid* de his, *cunctis ei creditis*, commendatis; *Dominus enim* Deus *erat cùm illo* Ioseph, *& omnia opera eius dirigebat*. vndè Sap. 10. hæc (sapientia) venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus, à muliere hac liberauit eum; descenditquè cùm illo in foueam, in carcerem, & in vinculis non dereliquit eum, donèc afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersùs eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, quia dedit claritatem æternam. Cogita, dederat omnia in manibus Ioseph custos, at nõ liberabat eum à carcere, sic dæmon ligat aliquem vinculis peccati, seù ligato quæcumque agendi etiàm bona dimittit, at non permittit in quantum potest, solui à vinculo peccati, quo retinet eum.

CAPVT XL.

1 *HIS ità gestis, accidit vt peccarent duo eunuchi, pincer-*
2 *na regis Aegypti, & pistor, domino suo.* * *Iratusquè con-*
trà eos Pharao (nàm alter pincernis præerat, alter pistori-
3 *bus)* * *misit eos in carcerem principis militum, in quo*
4 *erat vinctus & Ioseph.* * *At custos carceris tradidit eos*
Ioseph, *qui & ministrabat eis: aliquantulùm tempo-*
5 *ris fluxerat, & illi in custodia tenebantur.* * *Videruntquè*
6 *ambo somnium nocte vna iuxtà interpretationem congruam sibi:* * *ad quos cùm*
7 *introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes,* * *sciscitatus est eos, dicens: Cur*
tristior est hodiè solito facies vestra? Qui responderunt: Somnium vidimus,
8 *& non est qui interpretetur nobis. Dixitquè ad eos Ioseph: Numquid, non Dei*
9 *est interpretatio? referte mihi quid videritis. Narrauit prior, præpositus pin-*
10 *cernarum, somnium suum: Videbam coràm me vitem,* * *in qua erant tres*
propagines, crescere paulatìm in gemmas, & post flores, vuas maturescere:
11 * *calicemquè Pharaonis in manu mea: tuli ergò vuas, & expressi in calicem*
12 *quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* * *Respondit Ioseph: Hæc est*
13 *interpretatio somnij: Tres propagines, tres adhùc dies sunt:* * *pòst quos recorda-*
bitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gaudium pristinum: dabisquè ei
14 *calicem iuxtà officium tuum, sicùt antè facere consueueras.* * *Tantùm memento*
mei, cùm benè tibi fuerit, & facias mecum misericordiam: vt suggeras Pharaoni
15 *vt educat me de isto carcere:* * *quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, &*
16 *hìc innocens in lacũ missus sum.* * *Videns pistorũ magister, quòd prudentèr somniis*

dissoluisset, ait: Et ego vidi somnium, Quòd tria canistra farinæ haberem su-
17 *pèr caput meum:* * *& in vno canistro quod erat excelsius, portare me omnes ci-*
18 *bos, qui fiunt arte pistoria, auesquè comederet ex eo.* * *Respondit Ioseph: Hæc*
19 *est interpretatio somnij: Tria canistra, tres adhùc dies sunt:* * *post quos au-*
feret Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres car-
20 *nes tuas.* * *Exindè dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande*
conuiuium pueris suis, recordatus est intèr epulas magistri pincernarum, & pi-
21 *storum principis.* * *Restituitquè alterum in locum suum, vt porrigeret ei po-*
22 *culum:* * *alterum suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur.*
23 * *Et tamèn succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpre-*
tis sui.

HIS *ità gestis* circà Ioseph, *accidit* ex Dei prouidentia *vt peccarent duo eunuchi*, *pincerna regis Aegypti*, & *pistor domino suo*, in dominum suum regem; *Iratusquè contrà eos Pharao* Rex; *(nàm alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus, clausus & Ioseph; at custos carceris tradidit eos Ioseph* ad custodiam, *qui & ministrabat eis; aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur*, ità vt familiaritas intèr eos & Ioseph contracta sit; *Videruntquè ambo somnium nocte vna* eadem, *iuxtà interpretationem congruam sibi*, cuique eorum propriam, & accommodatam; *ad quos cùm introisset Ioseph mane* ministraturus, & *vidisset eos tristes* (cogitabant supèr somnio *sciscitatus est eos dicens: cur tristior est hodiè solito facies vestra?* quid contigit? *Qui responderunt: somnium vidimus*, quòd intèr eos communicauerant, & *non est vllus, qui interpretetur nobis* illud: *Dixitquè ad eos Ioseph: numquid non Dei est interpretatio?* quasi, à Deo interpretatio quærenda non ab hominibus: sic Daniel; est Deus in cælo reuelans mysteria. Dan. 2. 27. 28. *referte mihi quid videritis* in sõnio. *Narrauit prior præpositus pincernarum somnium suum. Videbam coràm me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatìm in gemmas, & pòst flores vuas maturescere*; sic germinant vineæ; *calicemquè Pharaonis*, quo bibit, *in manu mea* esse, *tuli ergò vuas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Respõdit Ioseph: hæc est interpretatio somnij. Tres propagines, tres adhùc dies sunt*, tres dies transient, *pòst quos recordabitur Pharao ministerij tui* sibi grati, *& restituet te in gradum pristinum, dabisquè ei calicem iuxtà officium tuum, sicùt antè facere consueueras*; liberaberis à carcere, & restitueris in gratiam. *Tantùm* rogo te, *memento mei, cùm benè tibi fuerit* apud Regem, *& facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furto* captiuus redditus à meis, qui liber eram, *sublatus sum de terra Hebræorum, & hìc* in Aegypto *innocens in lacum*, carcerem *missus sum*, neminem accusat aut fratres, aut mulierem; Hinc collige dominum Iosephi carceri Iosephum non mancipasse propria auctoritate, sed Pharaone consulto, alioquì Ioseph non rogaret causam suam coràm Pharaone proponi; hìncquè tollitur argumentum Putipharem fuisse præfectum occidendorum; non peccauit Ioseph commendans se huic, cupiens liberari à carcerali vinculo, cùm in eo iniquè detineretur; saluo enim sempèr Dei auxilio principalitèr possumus medijs humanis vti, quibus & Deus vtitur tamquàm secundis causis. *Videns pistorum magister, quòd Ioseph prudentèr somnium dissoluisset*, interpretatus esset, *ait: & ego vidi somnium, Quòd tria canistra* vnum supèr aliud *farinæ haberem supèr caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius*, suprà alia duo *portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesquè*

què comedere ex eo. *Respondit Ioseph*, præmisso, vt dicunt aliqui, aliquo breui leuamine, proùt & Daniel cùm Nabuchodonosor. Daniel. 16. quod tamèn cùm Balthassare non seruauit. Daniel. 5. *Hæc est interpretatio somnij, tria canistra, tres adhùc dies sunt, pòst quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas*. *Exindè* (ad præmissarum interpretationum verificationem) *dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium pueris suis* principibus seruis, seù subditis. Is & Herodes dies natalitios festiuos fecerunt, conuiuia sanguine humano respergentes, is pistoris, ille Sancti Ioannis Baptistæ necibus, & Antiochus nobilis. 2. Machab. 6.7. *recordatus est intèr epulas*, intèr manducandum *magistri pincernarum*, *& pistorum principis*, *restituitquè alterum in locum suum*, scilicèt magistrum pincernarum, *vt porrigeret ei poculum*; *alterum* principem pistorum *suspendit in patibulo*, *vt coniectoris veritas probaretur*, & consequentèr interpretatio Ioseph in vtroque verificaretur; *Et tamèn succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui*, notat hunc vitio ingratitudinis.

CAPVT XLI.

1 P*OST duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se sta-*
2 *re supèr fluuium,* * de quo ascendebant septem boues, pul-*
chra & crassæ nimìs: & pascebantur in locis palustribus.
3 **aliæ quoquè septem emergebant de flumine, fœdæ, confe-*
ctæquè macie: & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis
4 *virentibus:* **deuorauerunt què eas, quarum mira species, &*
5 *habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao* * *rursùm*
dormiuit, & vidit alterum somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo vno
6 *plenæ atquè formosæ:* **aliæ quoquè totidem spicæ tenues, & percussæ vredine oriebã-*
7 *tur,* **deuorantes omnem priorum pulchritudinem. Euigilans Pharao pòst quietem,*
8 **& facto mane, pauore perterritus, misit ad omnes coniectores Aegypti, cunctosquè*
9 *sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat qui interpretaretur.* **Tùnc de-*
10 *mùm reminiscens pincernarum magister, ait, Confiteor peccatum meum.* * *Iratus*
rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis mi-
11 *litum:* * *vbì vna nocte vterquè vidimus somnium præsagum futurorum.* **Erat*
12 *ibì puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnium* **audi-*
13 *uimus quidquid posteà rei probauit euentus. ego enìm redditus sũ officio meo: & ille*
14 *suspensus est in cruce.* **Protinus ad regis imperiũ eductũ de carcere Ioseph totõderũt:*
15 *ac veste mutata, obtulerũt ei.* **Cui ille ait: Vidi sõnia, nec est qui edisserat: quæ au-*
16 *diui te sapientissimè conijcere.* **Respondit Ioseph: Absq. me Deus respõdebit prospera*
17 *Pharaoni.* **Narrauit ergò Pharao quod viderat: Putabam me stare supèr ripam*
18 *fluminis, & septem boues de amne conscendere, pulchras nimìs, & obesis carnibus,*
19 *quæ in pastu paludis vi recta carpebant.* * *eccè, has sequebantur aliæ septem bo-*
20 *ues in tantũ deformes, & macilentæ, vt nũquàm tales in terra Aegypti viderim:*
20 **quæ, deuoratis & consumptis prioribus,* * *nullum saturitatis dedere vestigium:*

21 *sed simili macie & squalore torpebant. Euigilans, rursùs sopore depressus, * vidi*
22 *somnium, Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atquè pulcherrimæ.* Aliæ*
23 *quoquè septem tenues, & percussæ vredine, oriebantur stipulæ: quæ priorum pul-*
24 *chritudinē deuorauerunt. Narraui coniectoribus somniū, & nemo est qui edisserat.*
25 **Respondit Ioseph: Somnium regis vnum est: quæ facturus est Deus, ostendit Pha-*
26 *raoni.* Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ: septem vbertatis anni sunt*
27 *eandemquè vim somnij comprehendunt.* Septem quoquè boues tenues atquè maci-*
lentæ, quæ ascenderunt pòst eas, & septem spicæ tenues, & vento vrente percussæ:
28 *sptem anni venturæ sunt famis.* Qui hoc ordine complebuntur: * Eccè septem an-*
29 *ni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Aegypti. * quos sequentur septem*
30 *anni alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia: con-*
31 *sumptura est enim fames omnem terram,* & vbertatis magnitudinem perditura*
32 *est inopiæ magnitudo. * Quod autèm vidisti secundò ad eandem rem pertinens*
somnium: firmitatis indicium est, eò quòd fiat sermo Dei, & velociùs impleatur.
33 **Nunc ergò prouideat rex virum sapientem & industrium, & præficiat eū terræ*
34 *Aegypti: * Qui constituat præpositos per cunctas regiones: & quintam partem fru-*
35 *ctuum per septem annos fertilitatis,* qui iàm nùnc futuri sunt, congreget in hor-*
rea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serueturquè in vrbi-
36 *bus.* Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Aegyptum, &*
37 *non consumetur terra inopia. * Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris*
38 *eius: * locutusquè est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu*
39 *Dei plenus sit? * Dixit ergò ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locu-*
40 *tus es, nunquid sapientiorem & consimilem tui inuenire potero? * Tu eris supèr do-*
mum meam. & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni
41 *solio te præcedam. * Dixitquè rursùs Pharao ad Ioseph: Eccè, constitui te supèr*
42 *vniuersam terram Aegypti. * Tulitquè annulum de manu sua, & dedit in manu*
43 *eius: vestiuitquè eum stola byssina, & collo torquem aurea circumposuit.* Fecitquè*
eum ascendere supèr currum suum secundum, clamante præcone, vt òmnes coràm eo
44 *genuflecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti. * Dixit quoquè*
rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absquè tuo imperio non mouebit quisquā manū aut
45 *pedem in omni terra Aegypti. * Vertitquè nomen eius, & vocauit eum lingua*
Aegyptiaca, Saluatorem mundi. Deditquè illi vxorem Aseneth filiam Putiphare
46 *sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaquè Ioseph ad terram Aegypti (*triginta au-*
tèm annorum erat quandò stetit in conspectu regis Pharaonis) & circuiuit omnes
47 *regiones Aegypti.* Venitquè fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ*
48 *segetes congregatæ sunt in horrea Aegypti. * Omnis etiàm frugum abundantia in*
49 *singulis vrbibus condita est.* Tantaquè fuit abundantia tritici, vt arenæ maris*
50 *coæquaretur, & copia mensuram excederet.* Nati sunt autèm Ioseph filij duo ante-*
quàm veniret fames, quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopo-
51 *leos.* Vocauitquè nomen primogeniti, Manasses, dicens: Obliuisci me fecit Deus*
omnium

52 *omnium laborum meorum, & domus patris mei. * Nomen quoquè secundi ap-*
53 *pellauit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Igi-*
54 *tùr transactis septèm vbertatis annis, qui fuerant in Aegypto: * cœperunt veni-*
re septem anni inopiæ: quos prædixerat Ioseph: & in vniuerso orbe fames praua-
55 *luit, in cuncta autèm terra Aegypti panis erat. * Qua esuriente, clamauit popu-*
lus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: ite ad Ioseph: & quid-
56 *quid ipse vobis dixerit, facite.* Crescebat autèm quotidiè fames in omni terra:*
aperuitquè Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Aegyptijs: nàm & illos oppres-
57 *serat fames. * Omnesquè Prouinciæ veniebant in Aegyptum, vt emerent escas,*
& malum inopiæ temperarent.

POST *duos annos* carceris Ioseph à tẽpore, quo egressi è carcere serui illi Pharaonis *vidit Pharao somnium,* sic Deo operante ad exaltationẽ Ioseph sui. *Putabat se stare supèr fluuium* vt plurimum supèr fluminibus etiã apparitiones, sic Prophetis, vt illis de fluuio Chobar, & Tigris. in Apocal. de mari egrediens bestia, Antichristus, *de quo ascendebant septem boues pulchræ, & crassæ* nimìs, *& pascebantur in locis palustribus* ad pastum aptis. *Aliæ quoquè septem emergebant de flumine fœdæ, confectæquè macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus; deuorauerũtquè eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat,* omnium rerum vicissitudo. *Expergefactus Pharao* est pòst hoc somnium primum. idem *rursùm dormiuit, & vidit alterum somniũ. Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atquè formosæ; aliæ quoquè totidem spicæ tenues, & percussæ vredine oriebantur deuorantes omnem priorum pulchritudinem.* Eccè quomodo Deus per somnia reuelat. *Euigilans Pharao* à somno *pòst quietem, & facto mane pauore perterritus, misit ad omnes coniectores,* diuinos *Aegypti, cunctosquè sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat* inter illos, *qui interpretaretur. Tùnc demùm reminiscens pincernarum magister* ingratitudinis ergà Ioseph, sed Deo permittente hæc dilata ad tempus hoc plenitudinis in Ioseph; *ait:* Regi: *confiteor peccatum meum* ingratitudinis, non subueniendi prospera nuntianti, proùt fortè etiàm promiserat. non possum ampliùs hoc celare. *Iratus Rex seruis suis, me, & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum, vbi vna nocte vterque vidimus somnium præsagum futurorũ;* nàm ego liber, ille in patibulo. *erat ibì puer* seruus *Hebræus, eiusdẽ Ducis militum famulus* (non cognoscebatur pro carcerato Ioseph, adeò erat libera inclusio) *cui narrantes somnia audiuimus* ab eo *quidquid posteà rei probauit euentus; ego enìm redditus sum officio meo, & ille suspensus est in cruce. Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totõderunt, ac veste mutata obtulerunt ei* Regi, antè Regem illum constituerunt; eloquium Domini inflammauit eum, donans eum hac gratia interpretationis somniorum; misit Rex, & soluit eum, princeps populorum, & dimisit eum Psal. 104. 20. *Cui* Ioseph *ille* Rex *ait: Vidi somnia* quædam, *nec est qui edisserat* interpretetur. *quæ audiui te sapientissimè conijcere,* coniectura assequi, interpretari. *Respondit Ioseph* omnia Deo tribuens, proùt & suprà Genes. 40. 8. nunquid non Dei est interpretatio? *absquè me Deus respondebit prospera Pharaoni* ex somnijs, quasi, à Deo horum recipienda interpretatio non coniectura. *Narrauit ergò Pharao quod viderat* iuxtà supradicta. *Respondit Ioseph: somnium Regis vnum est:* duo hæc somnia ad vnum tendunt, *quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem vbertatis anni sunt, eandemquè vim somnij comprehendunt,* ad idem tendunt; *septem quoquè boues tenues, atquè macilentæ, quæ ascenderunt pòst eas, & septẽ spicæ tenues, & vento vrente percussæ, septem anni venturi sunt famis, sterilitatis;*

Qui quidèm anni *hoc ordine complebuntur*. *Eccè septem anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Aegypti, quos sequentur septem anni aliȷ̀ tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia; consumptura est enim fames omnem terram, & vbertatis magnitudinē perditura est inopiæ magnitudo. Quod autèm vidisti secundò ad eandem rem* vbertatis, & sterilitatis demonstrandam *pertinens somnium firmitatis indicium est* sic eventurum, *eò quòd fiat sermo Dei*, quod antè Deum placitum & immutabile est; *& velociùs impleatur*, quia sìc duplicauit somnium; hinc non Pharao propheta, qui non intellexit; nàm intelligentia in prophetia requiritur Daniel. 10. sed Ioseph; proùt non Nabuchodonosor, sed Daniel explicans somnium. *Nùnc ergò* (addit hoc ad ad sapientiam suam Ioseph) *prouideat Rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Aegypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui iàm nùnc futuri sunt*, instant, *congreget in borrea, & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serueturquè in vrbibus*, alius non se ingerat, *Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Aegyptum, & non consumetur terra inopia* superuentura; sic & Daniel consuluit Nabuchodonosor pòst interpretationem Daniel. 4. 24. quamobrèm Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitàn ignoscet delictis tuis Deus. *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius, loquutusquè est* Pharao *ad eos*, remotis arbitris, & maximè Ioseph. *Nùm inuenire poterimus talem virum* proùt hunc, *qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergò ad Ioseph: Quia ostēdit tibi Deus omnia, quæ locutus es* (sic dixerat Ioseph; nàm idolòlatra hoc non dixisset à se) *nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* quasi non *Tu eris supèr domū meam*, præficieris domui meæ. *& ad tui oris imperium cunctus populus obediet; vno tantùm regni solio te præcedam. Dixitquè rursùs Pharao ad Ioseph: Eccè constitui te supèr vniuersam terram Aegypti, Tulitquè annulum de manu sua*; sìc & Mardocheo datus, qui priùs Aman; *& dedit eum in manu eius, vestiuitquè eum stola* veste *byssina, & collo torquem auream circumposuit, fecitquè eum ascendere supèr currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coràm eo genuflecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti, Dixit quoquè Rex ad Ioseph, ego sum Pharao*, qui iubeo, *absquè tuo imperiò non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti*, omnium habebis potestatem, omnibus præeris. *Vertitquè nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca Saluatorem mundi. Deditquè illi vxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos*, is diuersus à primo domino, sìc cùm Daniele Nabuchodonosor, Daniel. 2. 48. & Balthassar cùm eodem, Daniel. 5. 29. sìc Assuerus cùm Aman, coràm quo genuflectebatur, Esther. 3. deindè cùm Mardocheo Esther. 8. Tandèm Deus Ioseph dedit quod in somnio prænunciauerat ex somnij interpretatione, at pòst multas tribulationes, & maximè carceris triennalis squalorem; sìc Mardocheo principatum promissum, Dauidi regnum, Ieroboam regnum pòst persecutiones, & pericula multa, & quo tempore res erant in statu desperato, vt eò magìs ab eo omnia recognoscantur, & appareat Deū esse omnium effectorem, quò ex humilioribus facit sublimiores, vt dicatur hæc mutatio dexteræ excelsi; sic Dauid Psal. 104. 21. 22. constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicùt semetipsum, & senes eius prudentiam doceret, & Sap. 10. 14. & in vinculis non dereliquit eum, donèc afferret illi sceptrū regni, & potentiam aduersùs eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerunt eum, & dedit illi claritatem æternam: sìc & Act. 7. 10. & eripuit eū ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam, & sapientiam in conspectu Pharaonis Regis Aegypti, & constituit eum præpositum supèr Aegyptum, & supèr omnem domum suam, & 1. Machab. 2. Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mādatū, & factus est dominus Aegypti. *Egressus est itaquè Ioseph ad terram Aegypti; triginta autèm annorum erat, quandò stetit in conspe-*

conspectu Regis Pharaonis, ità vt decem annis,& vltrà seruierit Putiphari,& molestiam, seu petulantiam mulieris sustinuerit, & tribus fuerit in carcere. *Et circuiuit omnes regiones Aegypti*, vt frumenta conseruarentur, & reciperentur sub nomine Regis, proùt ipse Regi suggesserat. *Venitquè fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes*, non excussæ ex culmo, vt diutiùs conseruaretur triticum, *congregatæ sunt in horrea Aegypti. Omnis etiàm frugum abundantia in singulis vrbibus condita est* seruitura pro singulis populis. *Tantaquè fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet*, ità vt hæc à Domino processerit prætèr ordinarium cursum rerũ. *Nati sunt autèm Ioseph filij duo antequàm veniret fames, quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos*. (eccè in prole etiàm fœcundatur à Domino) *Vocauitquè nomen primogeniti Manasses, dicens. Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei*, ità vt ampliùs non recogitem de illis, vel illorum causa non angustier. *Nomen quoquè secundi appellauit Ephraim, dicens: crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, captiuitatis, miseriæ, carceris. *Igitùr transactis septẽ vbertatis annis, qui fuerant in Aegypto, cœperunt venire septem anni inopiæ*, subsequẽtes, *quos prædixerat Ioseph*, ad verbum Ioseph, *& in vniuerso orbe*, terra Aegypti, & circumuicinis regionibus *fames præualuit. in cuncta autèm terra Aegypti panis*, cibus *erat* præparatus à Ioseph. *Qua* Aegypto *esuriente, clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens, Quibus ille respõdit: Ite ad Ioseph, & quidquid ipse vobis dixerit*, iusserit, *facite*, exequimini. *Crescebat autèm quotidiè fames in omni terra, aperuitquè Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Aegyptijs; nàm & illos oppresserat fames; omnesquè Prouinciæ* propinquæ, vicinæ, non ex toto orbe, vt pluriès interpretatur Abulen. *veniebant in Aegyptũ, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent*, ità vt possit dici, quantum pro vno Ioseph Deus contulit Aegypto.

CAPVT XLII.

1 *AVDIENS autèm Iacob quòd alimenta venderentur*
2 *in Aegypto, dixit filijs suis: Quarè negligitis? * audiui quòd*
triticum venundetur in Aegypto: descendite, & emite no-
bis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur
3 *inopia: * Descendentes igitur fratres Ioseph decem, vt eme-*
4 *rent frumenta in Aegypto, * Beniamin domi retento à Ia-*
cob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quid-
5 *quam patiatur mali: * ingressi sunt terram Aegypti cùm alijs, qui pergebant ad*
6 *emendum. Erat autèm fames in terra Chanaan. * Et Ioseph erat princeps in ter-*
ra Aegypti, atquè ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumquè ado-
7 *rassent eum fratres sui, * & agnouisset eos quasi ad alienos duriùs loquebatur, in-*
terrogans eos: Vndè venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, vt ema-
8 *mus victui necessaria. * Et tamèn fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab*
9 *eis. * Recordatusquè somniorum, quæ aliquandò viderat, ait ad eos: Explorato-*
10 *res estis: vt videatis infirmiora terræ, venistis. * Qui dixerunt: Non est ita,*
11 *domine, sed serui tui venerunt, vt emerent cibos. * Omnes filij vnius viri su-*
12 *mus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. * Quibus*
13 *ille respondit: Alitèr est: immunita terræ huius considerare venistis. * At illi:*
Duo-

Duodecim, inquiunt, serui tui, fratres sumus, filij viri vnius in terra Chanaan:
14 *minimus cùm patre nostro est, alius non est supèr. * Hoc est, ait, quod locutus*
15 *sum: Exploratores estis. * Iam nùnc experimentum vestri capiam: per salutem*
16 *Pharaonis non egrediamini hìnc, donèc veniat frater vester minimus. * Mittite*
ex vobis vnum, & adducat eum: vos autèm eritis in vinculis, donèc proben-
tur quæ dixistis vtrum vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis explo-
17 *ratores estis. * Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. * Die autèm tertio edu-*
18 *ctis de carcere, ait: Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enìm timeo. * Si paci-*
19 *fici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos autèm abite, & ferte fru-*
20 *menta quæ emistis, in domos vestras, * & fratrem vestrum minimum ad me*
adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt vt
21 *dixerat, * & locuti sunt ad inuicem, Merito hæc patimur, quia peccauimus in*
fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, &
22 *non audiuimus: idcircò venit supèr nos ista tribulatio. * E quibus vnus Ruben,*
ait: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non audistis me?
23 *en sanguis eius exquiritur. * Nesciebant autèm quòd intelligerèt Ioseph: eo quòd per*
24 *interpretem loqueretur ad eos. * Auertitquè separumper, & fleuit: & reuersus*
25 *locutus est ad eos. * Tollensquè Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit mini-*
stris vt implerent eorũ saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis
26 *suis, datis suprà cibarijs in viam: qui fecerunt ita. * At illi portantes frumenta*
27 *in asinis suis, profecti sunt. * Apertoquè vnus sacco, vt daret iumento pabulum*
28 *in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, * dixit fratribus suis: Red-*
dita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatiquè mutuo di-
29 *xerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? * Veneruntquè ad Iacob patrem*
suum in terram Chanaan, & narrauerunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes:
30 ** Locutus est nobis dominus terræ durè, & putauit nos exploratores esse prouinciæ.*
31 ** Cui respondimus: Pacifici sumus, nec vllas molimur insidias. * Duodecim fra-*
32 *tres vno patre geniti sumus: vnus non est supèr, minimus cum patre nostro est*
33 *in terra Chanaan. * Qui ait nobis: Sìc probabo quòd pacifici sitis: Fratrem ve-*
strum vnum dimittit apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, &
34 *abite, * fratremquè vestrum minimum adducite ad me, vt sciam quòd non sitis*
exploratores: & istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ
35 *vultis, emendi habeatis licentiam. * His dictis, cùm frumenta effunderent, sin-*
36 *guli repererunt in ore sacrorum ligatas pecunias: exterritisquè simul omnibus, * di-*
xit pater Iacob: Absquè liberis me esse fecistis, Ioseph non est supèr, Simeon tene-
37 *tur in vinculis, & Beniamin auferetur: in me hæc omnia mala reciderunt. * Cui*
respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum in manu mea, &
38 *ego eum tibi restituam. * At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: fra-*
ter eius mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei aduersi acciderit in terra, ad
quam pergitis, deducetis canos meos cùm dolore ad inferos.

AV-

AVDIENS *autèm Iacob* moram & ipse trahens in terra famelica, & egente escis, *quòd alimenta venderentur in Aegypto*; percrebuerat fama hæc ob commercium populorum, & mercatorũ, de quibus suprà cap. 37. *dixit filiis suis: Quarè negligitis? torpetis? audiui quòd triticum venundetur in Aegypto, descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia. Descendentes igitùr fratres Ioseph decem.* Hic sisto, & cùm alijs quæro. Cùr Ioseph nunquàm significauerit patri, quem tristem ex sua absentia credere potuit? etenim dùm Putiphari per decẽnium seruiuit, dùm in carcere per triennium præerat, dùm in prosperitate per nouennium viuebat, quomodò dici potest defuisse ei occasionem id faciendi? Prima ratio Augustini, vt Iacob plus ex longo mœrore lucraretur apud Deum, bona; sic & duxit Abraham per tres dies mœrore confectum ob Isaac immolandum; sic & torsit Ioseph virũ Mariæ celando mysteriũ Matth. 1. Idem in multis alijs; sed non omnia tempora pertingens, luxit Iacob suum Ioseph, indoluit, irrugijt, credendum enim aliquandò lacrymis, & dolori pepercisse, proùt iubet Salomon dicens, ne fiat diuturnus luctus supèr mortuo; vndè dicitur Genes. 37. 34. Iacob lugens filium suum multo tempore; non igitùr sempèr; sic & Dauid 2. Reg. 12. 22. & seqq. & tempus solet mitigare dolorem. Secunda ratio Ruperti, ne si Iacob scisset eum captiuum, mitteret qui illum redimerent, & impediretur præordinatio Dei circà populum suum bona; sed non comprehendit nisi tempus seruitutis, & carceris Ioseph; quandò enim fuit in prosperitate, hoc cessabat. Tertia ratio Thomæ Anglici, quia Deus reuelauerat Ioseph quid futurum, & iusserat, seù suggesserat silentium, diuinatiua est, & ad miracula confugiens. Credo ego hanc fuisse rationem omne tempus, statumquè Ioseph comprehendentem, vt somnijs Ioseph satisfieret; ideò permisit Deus, vt nunquàm aliquis decem fratrum veritatem patri suo reuelaret, nec Ioseph à quopiã patri reuelaturo recognosceretur, Pharaonem mutare ei nomen ad eundem effectum, nec Ioseph cogitare de patre certiorando, & fortè tùnc non erat vsus epistolarum; hinc cap. 41. 51. Obliuisci me fecit Deus omniũ laborum meorum, & domus patris mei, imò nequè de somnijs; nàm scriptura non refert illorum memoratum Ioseph, nisi pòst adorationem fratrum, infrà vers. 9. *Recordatusquè somniorum*; idem contigit Mardochæo ignoranti quò tenderet somnium suum, nisi pòst principatum; vndè Esther 10. 4. dicebat: recordatus sum somnij, & tùnc illud interpretabatur, imò nequè in mentem Ioseph vmquàm occurrisse quò tenderent somnia, quomodò verificari possent, quomodò ipse superior fratribus, & solùm præeminentiam potuit suspicari potiùs in re familiari, & paterna; sic Maria Virgo non reuelauit sponso suo Ioseph mysterium incarnationis, non Deo reuelante ne faceret, sed sic permittẽte, proùt nec Saul patruo de regno, nec Sãpson parentibus de melle ex cadauere leonis hausto; si enim pater, & fratres scissent Ioseph in Aegypto regnare, fratres timuissent descendere in Aegyptum, alios misissent seruos, vel amicos triticum empturos, nequè somnijs esset satisfactum adorationẽ illorum insinuantibus, nequè forsitàn pater illùc accessisset, sed rogasset annonam sufficientem ad se mitti, causasset ætatem, familiaria negotia; at nuntio adeò læto ex improuisò actus ad illum videndum properauit, imò adegit & retentio Beniamin facta à Ioseph: sed ad textum. *Descendentes igitùr fratres Ioseph decem*, posteà & Beniamin, & pater vt somnium verificaretur, vt emerent frumenta in Aegypto, *Beniamin* dilecto *domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali, ingressi sunt terram Aegypti cùm aliis, qui pergebant ad emendum; Erat autèm fames in terra Chanaan:* & hac de causa decem simùl descenderunt. *Et Ioseph erat princeps in terra Aegypti, atquè ad eius nutum frumenta populis vendebantur.* hoc dicit, vt appareat ad eum de necessitate à fratribus recursum. *Cumquè adorassent eum fratres sui* (eccè somnij adimplementum) *& Ioseph agnouisset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur*, non ex odio, aut rancore animi; sed vel ioco, vel eos ad pœnitentiam addu-

EODEM *tempore*, quo præmissa circa Ioseph contigerunt, *descendens Iudas à fratribus suis diuertit ad virum Odollamitem nomine Hiram; Viditquè ibi filiam hominis Chananæi vocabulo Sue; & accepta vxore* quæ sibi placuit, inscio patre, & fratribus ex textu, nisi subintelligamus alia, *ingressus est ad eam. Quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her. Rursumquè concepto fœtu, natum filium vocauit Onan. Tertium quoquè peperit, quem appellauit Sela, quo nato parere vltrà cessauit;* breuitèr hæc omnia perstringit. *Dedit autèm Iudas vxorem primogenito suo Her nomine Thamar. Fuit quoquè is Her primogenitus Iudæ nequam in conspectu Domini*, quē nihil latet, aliqui quòd impediebat vxoris ingrauidationem, sed non placet, quia exprimeretur proùt de Onan, & exprimendo de Onan, excludit de Her, vndè incertum in quo malus, potiùs in idololatria, *& ab eo* Domino mediantibus ministris suis manifestè *occisus est* proptèr nimiam impietatem. *Dixit ergò Iudas ad Onan filium suum: Ingredere ad vxorem fratris sui, & sociare illi* carnalitèr, *vt suscites semen fratri tuo* defuncto: hoc postea in legem Moysis insertum. *Ille sciens non sibi nasci filios*, sed fratri præmortuo, cuius semen sub nomine fratris nominandum, & habendum *introiens ad vxorem fratris sui* Thamar, *semen fundebat in terram* impiè, *ne liberi fratris nomine nascerentur: Et idcircò percussit eum Dominus morte, quòd rem detestabilem faceret;* Sic ab Asmodæo occisi sponsi Saræ libidine moti; *Quamobrem dixit Iudas Thamar nurui suæ: Esto vidua in domo patris tui donèc crescat Sela filius meus; timebat enim ne & ipse moreretur sicùt fratres eius: quæ abijt, & habitauit in domo patris sui* iuxtà soceri placitū. *Euolutis autèm multis diebus mortua est filia Sue vxor Iudæ;* hoc præmittit ad diminutionem peccati sequentis, quod si illa fuisset superstes fortè non patrasset, *qui pòst luctum consolatione suscepta*, factus hilaris *ascendebat ad tonsores ouium suarum*, quæ tondebantur, *ipse, et Hiras opilio gregis Odollamites in Thamnas. Nunciatumquè est Thamar quòd socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oues*, & tùnc fiebant conuiuia, vt in Nabal. 1. Reg. 27. & Absalone. 2. Reg. 13. *Quæ depositis viduitatis vestibus*, proùt Iudith, *assumpsit theristrum*, vestem aliam, *& mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam*, & hoc fecit, *eò quòd creuisset Sela, & non eum accepisset maritum*, proùt socer spoponderat, vt prolem haberet, nō libidinis causa; ideò nec cùm socero, nec cùm alijs posteà commercium habuit; at incestum commisit, Iudas verò fornicationem; non tamèn dicas prolem concupisse ob Messiam, quia ignotum tùnc erat, an per Iudam descensurus, quod prophetauit Iacob. Gen. 49. *Quam cùm vidisset Iudas* pertransiens; *suspicatus est esse meretricem, operuerat enim vultum suum* de industria, *ne agnosceretur. Ingrediensquè ad eam, ait: dimitte me, vt coeam tecū: nesciebat enim quòd nurus sua esset*, hoc ad eius excusationē, *Quâ respōdente, quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo? dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumquè illa dicente: Patiar quod vis; si dederis mihi arrhabonem*, pignus, *donèc mittas quod polliceris* hœdum. *Ait Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum, quem manu tenes*, & sic factum. *Ad vnum igitur coitum mulier concepit*, & compos voti facta, *& surgens abijt, depositoquè habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus* solitis, ne quis deprehenderet facinus. *Misit autèm Iudas hœdum per pastorem suū Odollamitem, vt reciperet pignus, quod dederat mulieri, qui cùm non inuenisset eam*, hac enim de causa abierat, *interrogauit homines loci illius: Vbi est mulier, quæ sedebat in biuio? Respondentibus cunctis, non fuit in loco isto meretrix* paucam enim moram ibi traxerat Thamar; *Reuersus est ad Iudam, & dixit ei: non inueni eam, sed & homines loci illius dixerunt mihi, nunquàm sedisse ibi scortum. Ait Iudas: Habeat sibi* pignus ei datum, *certè mendacij arguere nos non potest. Ego misi hœdum, quem promiseram; & tu*, qui illum portasti, *non inuenisti eam*, cui dares. *Eccè autèm post tres menses nuntiauerunt Iudæ, dicentes: fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere*, quod

quod est indicium certum, & indubitabile, *dixitquè Iudas: producite eam, vt comburatur*. Nota verbum, *producite*; Sic & act. 12. 4. volens pòst pascha producere eum populo; & vers. 6. cùm autèm producturus eum esset Herodes. *Quæ cùm duceretur ad pœnam*, altera Susanna; *misit ad socerum suum, dicens: De viro, cuius hæc sunt* pignora, *concepi, cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus*, quæ seruaui; *Qui cognitis muneribus proprijs, ait. Iustior me est, quia non tradidi eam Selæ filio meo*, sicut promiseram; & sic illa euasit, nàm nil Iudæus Iudæo, nil Catilina Cethego. *Attamèn vltrà non cognouit eam*, nec tùnc peccasset cùm ea, si illam nurũ suam esse cognouisset. *Instante autèm partu*, tempore partus *apparuerunt gemini in vtero, atquè in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: Iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum egressus est alter* prætèr obstetricis iudiciũ, *dixitquè mulier: Quare diuisa est proptèr te ab alio maceria?* murus vteri, membrana, vt prior exires? *Et ob hanc causam vocauit nomen eius Phares*, diuisio. *Posteà egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara*, coccineus, oriens.

CAPVT XXXIX.

1 *IGITVR Ioseph ductus est in Aegyptum, emitquè eum*
Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir
Aegyptius, de manu Ismaelitarũ, à quibus perductus erat.
2 ** Fuitquè Dominus cùm eo, & erat vir in cunctis prosperè*
3 *agens: habitauitquè in domo domini sui, * qui optime nouerat Dominum esse cùm eo, & omnia, quæ gereret, ab*
4 *eo dirigi in manu illius. * Inuenitquè Ioseph gratiam coràm domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus gubernabat credi-*
5 *tam sibi domum, & vniuersa quæ ei tradita fuerant: * benedixitquè Dominus*
domui Aegyptij proptèr Ioseph, & multiplicauit tàm in ædibus quàm in agris
6 *cunctam eius substantiam. * nec quidquàm aliud nouerat, nisi panem quo ve-*
7 *scebatur. Erat autèm Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. * Post multos*
8 *itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. * Qui*
nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Eccè dominus meus, omni-
9 *bus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: * nec quidquàm est quod non*
in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, prætèr te, quæ vxor eius es: quo mo-
10 *do ergò possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? * Huiuscemodi ver-*
bis per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti: & ille recusabat stuprum.
11 ** Accidit autèm quadam die vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam ab-*
12 *squè arbitris faceret: * & illa, apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret: Dormi*
13 *mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras. * Cumquè vi-*
14 *disset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, * vocauit ad se homi-*
nes domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet no-
15 *bis: ingressus est ad me, vt coiret mecum: cumquè ego succlamassem, * & audisset*
16 *vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foràs. * In argumen-*
17 *tum ergò fidei retentũ pallium ostendit marito reuertenti domũ, * & ait: ingressus*
est

18 *est ad me seruus Hebræus quem adduxisti vt illuderet mihi:* cumquè audisset me*
19 *clamare, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foràs.* His auditis dominus, &*
20 *nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde:* tradiditquè Ioseph in car-*
21 *cerem, vbì vincti regis custodiebantur, & erat ibì clausus.* Fuit autèm*
Dominus cùm Ioseph, & misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis
22 *carceris.* Qui tradidit in manibus illius vniuersos, vinctos qui in custodia te-*
23 *nebantur: & quidquid fiebat, sub ipso erat.* Nec nouerat aliquid, cunctis ei*
creditis: Dominus enim erat cùm illo, & omnia opera eius dirigebat.

IGITVR *Ioseph ductus est in Aegyptum, emitquè eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Aegyptius de manu Ismaelitarum, à quibus perductus erat* illùc. Gen. 37. *fuitquè Dominus cùm eo* Ioseph, *& erat vir in cunctis prosperè* feliciter *agens* de temporalibus hìc, vt notaui suprà c. 26. in Isaac. *habitauitquè in domo Domini sui, qui optimè nouerat* euidentibus signis *Dominum esse cùm eo & omnia, quæ gereret* Ioseph *dirigi* in bonum *in manu*, in gubernio *illius. Inuenitquè Ioseph gratiam coràm Domino suo,* gratus illi fuit, *& ministrabat ei*, inseruiebat, *à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum* fidei eius commissam, *& vniuersa, quæ ei tradita fuerant* gubernanda, seù peragenda; *benedixitquè Dominus domui Aegyptij proptèr Ioseph*; sic proptèr Iacob domum Laban, & Obededô proptèr Arcam retétam; *& multiplicauit* (eccè benedictio) *tàm in ædibus, quàm in agris cunctam eius substantiam, nec quidquàm aliud nouerat* diebus suis Ioseph omnia ministrante, *nisi panem*, edulia omnia, *quo vescebatur. Erat autèm Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Post multos itaquè dies iniecit Domina sua oculos suos in Ioseph* ad malum; *& ait: Dormi mecum, Qui nequaquàm acquiescens operi nefario, dixit ad eā:* castus, prudens, gratus, & timens Dominum: *Eccè dominus meus* virtuus *omnibus mihi traditis* in potestatem *ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod in mea non sit potestate, vel non tradiderit mihi, pratèr te, quæ vxor eius es*, vnaquè caro, *quomodò ergò possum hoc malum facere* in eum, *& peccare in Deum meum* adulteria prohibentem? *Huiusmodi verbis per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti* concubitum eius deposcens, *& ille* fortis *recusabat stuprum*, adulterium: in Sampsone apparet quàm potens hæc mulierum molestia. Iudi. 16. *Accidit autèm quadam die, vt intraret Ioseph domum, & opus quippiam absquè arbitris*, nullo adstante *faceret, & illa* mulier *apprehensa lacinia vestis eius* (adeò erat impudens) *diceret: dormi mecum, qui relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foràs*, ne contaminaretur, fuga sibi consuluit. *Cumquè vidisset mulier* delusa *vestem in manibus suis, & se esse contemptā, vocauit ad se homines domus suæ* proditoriè agens, *& ait ad eos: En introduxit virum Hebræum* hunc maritus meus *vt illuderet nobis*, infamaret nos; *ingressus est ad me, vt coiret mecum. Cumquè ego succlamassem, & audisset vocem meam*, timens deprehendi *reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foràs. In argumentum*, probationem *ergò fidei* illi præstandæ *retentum pallium ostendit marito reuertenti domum, & ait* querula: *ingressus est ad me seruus Hebræus*, Hìnc denominatio hæc ab Abraham non ab Heber, quia Hebræus Abraham, dictus suprà c. 14. & Heber nulla mentio in Scriptura, nisi in descendentia, vndè non est verisimile sumptā hanc denominationē ab homine obscuro quoàd gesta, *quem adduxisti, vt illuderet mihi*, me cognosceret; *cumquè audisset me clamare*, timore perterritus *reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foràs. His auditis Dominus, & nimium credulus verbis coniugis, iratus est valdè* motus verbis mulieris, *tradiditquè Ioseph in carcerem, vbì*

vbì vincti Regis custodiebantur, & erat ibì clausus, libertate excundi priuatus: humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius donèc veniret verbum eius Psal. 104. 18. sìc Achior innocens, & pro Deo loquens missus ab Holoferne ad hostes. Iudith. 5. sìc Micheas ad Amon, & Ioas donèc Achab reuerteretur in carcerem. 3. Reg. 22. 26. *Fuit autèm Dominus cùm Ioseph* in carcere, in vinculis non dereliquit eum; *& misertus illius dedit ei gratiã in conspectu principis carceris*, fecit vt esset illi gratus. *Qui* custos *tradidit in manu* gubernio *illius* Ioseph *vniuersos vinctos, qui in custodia tenebantur, & quidquid fiebat, sub ipso*, sub eius imperio *erat, nec nouerat* custos *aliquid* de his, *cunctis ei creditis*, commendatis; *Dominus enìm* Deus *erat cùm illo* Ioseph, *& omnia opera eius dirigebat*. vndè Sap. 10. hæc (sapientia) venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus, à muliere hac liberauit eum; descenditquè cùm illo in foueam, in carcerem, & in vinculis non dereliquit eum, donèc afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersùs eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, quia dedit claritatem æternam. Cogita, dederat omnia in manibus Ioseph custos, at nõ liberabat eum à carcere, sìc dæmon ligat aliquem vinculis peccati, seù ligato quæcumque agendi etiàm bona dimittit, at non permittit in quantum potest solui à vinculo peccati, quo retinet eum.

CAPVT XL.

1 *HIS ità gestis, accidit vt peccarent duo eunuchi, pincer-*
2 *na regis Aegypti, & pistor, domino suo.* Iratusquè con-*
trà eos Pharao (nàm alter pincernis præerat, alter pistori-
3 *bus) *misit eos in carcerem principis militum, in quo*
4 *erat vinctus & Ioseph.* At custos carceris tradidit eos*
Ioseph, qui & ministrabat eis: aliquantulùm tempo-
5 *ris fluxerat, & illi in custodia tenebantur.* Videruntquè*
6 *ambo somnium nocte vna iuxtà interpretationem congruam sibi: * ad quos cùm*
7 *introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes, * sciscitatus est eos, dicens: Cur*
tristior est hodiè solito facies vestra? Qui responderunt: Somnium vidimus,
8 *& non est qui interpretetur nobis. Dixitquè ad eos Ioseph: Numquid, non Dei*
9 *est interpretatio? referte mihi quid videritis. Narrauit prior, præpositus pin-*
10 *cernarum, somnium suum: Videbam coràm me vitem, * in qua erant tres*
propagines, crescere paulatìm in gemmas, & post flores, vuas maturescere:
11 ** calicemquè Pharaonis in manu mea: tuli ergò vuas, & expressi in calicem*
12 *quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. * Respondit Ioseph: Hæc est*
13 *interpretatio somnij: Tres propagines, tres adhùc dies sunt: * pòst quos recorda-*
bitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gaudium pristinum: dabisquè ei
14 *calicem iuxtà officium tuum, sicùt antè facere consueueras. * Tantùm memento*
mei, cùm benè tibi fuerit, & facias mecum misericordiam: vt suggeras Pharaoni
15 *vt educat me de isto carcere: * quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, &*
16 *hìc innocens in lacũ missus sum.* Videns pistorũ magister, quòd prudentèr somnis*

què comedere ex eo. *Respondit Ioseph*, præmisso, vt dicunt aliqui, aliquo breui leuamine, proùt & Daniel cùm Nabuchodonosor. Daniel. 16. quod tamèn cùm Balthassare non seruauit. Daniel. 5. *Hæc est interpretatio somnij, tria canistra, tres adhùc dies sunt, pòst quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas*. *Exindè* (ad præmissarum interpretationum verificationem) *dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium pueris suis* principibus seruis, seù subditis. Is & Herodes dies natalitios festiuos fecerunt, conuiuia sanguine humano respergentes, is pistoris, ille Sancti Ioannis Baptistæ necibus, & Antiochus nobilis. 2. Machab. 6.7. *recordatus est intèr epulas*, intèr manducandum *magistri pincernarum, & pistorum principis*, *restituitquè alterum in locum suum*, scilicèt magistrum pincernarum, *vt porrigeret ei poculum*; *alterum* principem pistorum *suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur*, & consequentèr interpretatio Ioseph in vtroque verificaretur; *Et tamèn succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui*, notat hunc vitio ingratitudinis.

CAPVT XLI.

1 *POST duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se sta-*
2 *re supèr fluuium,* de quo ascendebant septem boues, pul-*
chræ & crassæ nimìs: & pascebantur in locis palustribus.
3 **Aliæ quoquè septem emergebant de flumine, fœdæ, confe-*
ctæquè macie: & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis
4 *virentibus: *deuorauerunt què eas, quarum mira species, &*
5 *habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao* rursùm*
dormiuit, & vidit alterum somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo vno
6 *plenæ atquè formosæ: *aliæ quoquè totidem spicæ tenues, & percussæ vredine oriebā-*
7 *tur, *deuorantes omnem priorum pulchritudinem. Euigilans Pharao pòst quietem,*
8 **& facto mane, pauore perterritus, misit ad omnes coniectores Aegypti, cunctosquè*
9 *sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat qui interpretaretur. *Tùnc de-*
10 *mùm reminiscens pincernarum magister, ait, Confiteor peccatum meum. *Iratus*
rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis mi-
11 *litum: * vbì vna nocte vterquè vidimus somnium præsagum futurorum. *Erat*
12 *ibì puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnium* audi-*
13 *uimus quidquid posteà rei probauit euentus. ego enìm redditus sū officio meo: & ille*
14 *suspensus est in cruce. *Protinus ad regis imperiū eductū de carcere Ioseph totōderūt:*
15 *ac veste mutata, obtulerūt ei. *Cui ille ait: Vidi sōnia, nec est qui edisserat: quæ au-*
16 *diui te sapientissimè conijcere. *Respondit Ioseph: Absq. me Deus respōdebit prospera*
17 *Pharaoni. *Narrauit ergò Pharao quod viderat: Putabam me stare supèr ripam*
18 *fluminis, & septem boues de amne conscendere, pulchras nimìs, & obesis carnibus,*
19 *quæ in pastu paludis vi recta carpebant. * eccè, has sequebantur aliæ septem bo-*
20 *ues in tantū deformes, & macilentæ, vt nūquàm tales in terra Aegypti viderim:*
20 **quæ, deuoratis & consumptis prioribus, * nullum saturitatis dedere vestigium:*

21 *sed simili macie & squalore torpebant. Euigilans, rursùs sopore depressus,* vidi
22 *somnium, Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atquè pulcherrimæ.* Aliæ
23 *quoquè septem tenues, & percussæ uredine, oriebantur stipula: quæ priorum pul-*
24 *chritudinē deuorauerunt. Narraui coniectoribus somniū, & nemo est qui edisserat.*
25 *Respondit Ioseph: Somnium regis vnum est: quæ facturus est Deus, ostendit Pha-*
26 *raoni.* Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ: septem vbertatis anni sunt*
27 *eandemquè vim somnij comprehendunt.* Septem quoquè boues tenues atquè maci-*
lentæ, quæ ascenderunt pòst eas, & septem spicæ tenues, & vento vrente percussæ:
28 *sptem anni venturæ sunt famis.* Qui hoc ordine complebuntur:* Eccè septem an-*
29 *ni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Aegypti.* quos sequentur septem*
30 *anni alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia: con-*
31 *sumptura est enim fames omnem terram,* & vbertatis magnitudinem perditura*
32 *est inopiæ magnitudo.* Quod autèm vidisti secundò ad eandem rem pertinens*
somnium: firmitatis indicium est, eò quòd fiat sermo Dei, & velociùs impleatur.
33 *Nùnc ergò prouideat rex virum sapientem & industrium, & præficiat eū terræ*
34 *Aegypti:* Qui constituat præpositos per cunctas regiones: & quintam partem fru-*
35 *ctuum per septem annos fertilitatis,* qui iàm nùnc futuri sunt, congreget in hor-*
rea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, seruetur què in vrbi-
36 *bus.* Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Aegyptum, &*
37 *non consumetur terra inopia.* Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris*
38 *eius:* locutusquè est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu*
39 *Dei plenus sit?* Dixit ergò ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locu-*
40 *tus es, nunquid sapientiorem & consimilem tui inuenire potero?* Tu eris supèr do-*
mum meam. & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni
41 *solio te præcedam.* Dixitquè rursùs Pharao ad Ioseph: Eccè, constitui te supèr*
42 *vniuersam terram Aegypti.* Tulitquè annulum de manu sua, & dedit in manu*
43 *eius: vestiuitquè eum stola byssina, & collo torquem aurea circumposuit.* Fecitquè*
eum ascendere supèr currum suum secundum, clamante præcone, vt òmnes coràm eo
44 *genuflecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti.* Dixit quoquè*
rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absquè tuo imperio non mouebit quisquā manū aut
45 *pedem in omni terra Aegypti.* Vertitquè nomen eius, & vocauit eum lingua*
Aegyptiaca, Saluatorem mundi. Deditquè illi vxorem Aseneth filiam Putiphare
46 *sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaquè Ioseph ad terram Aegypti (*triginta au-*
tèm annorum erat quandò stetit in conspectu regis Pharaonis) & circuiuit omnes
47 *regiones Aegypti.* Venitquè fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ*
48 *segetes congregatæ sunt in horrea Aegypti.* Omnis etiàm frugum abundantia in*
49 *singulis vrbibus condita est.* Tantaquè fuit abundantia tritici, vt arenæ maris*
50 *coæquaretur, & copia mensuram excederet.* Nati sunt autèm Ioseph filij duo ante-*
quàm veniret fames, quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopo-
51 *leos.* Vocauitquè nomen primogeniti, Manasses, dicens: Obliuisci me fecit Deus*

omnium

52 *omnium laborum meorum, & domus patris mei.* * *Nomen quoquè secundi ap-*
53 *pellauit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* * *Igi-*
54 *tùr transactis septèm vbertatis annis, qui fuerant in Aegypto:* * *cœperunt veni-*
re septem anni inopiæ: quos prædixerat Ioseph: & in vniuerso orbe fames præua-
55 *luit, in cuncta autèm terra Aegypti panis erat.* * *Qua esuriente, clamauit popu-*
lus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: ite ad Ioseph: & quid-
56 *quid ipse vobis dixerit, facite.* * *Crescebat autèm quotidiè fames in omni terra:*
aperuitquè Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Aegyptijs: nàm & illos oppres-
57 *serat fames.* * *Omnesquè Prouinciæ veniebant in Aegyptum, vt emerent escas,*
& malum inopiæ temperarent.

POST *duos annos* carceris Ioseph à tēpote, quo egressi è carcere serui illi Pharaonis *vidit Pharao somnium,* sic Deo operante ad exaltationē Ioseph sui. *Putabat se stare supèr fluuium* vt plurimum supèr fluminibus etiā apparitiones, sic Prophetis, vt illis de fluuio Chobar, & Tigris. in Apocal. de mari egrediens bestia, Antichristus, *de quo ascendebant septem boues pulchræ, & crassæ* nimìs, *& pascebantur in locis palustribus* ad pastum aptis. *Aliæ quoquè septem emergebant de flumine fœdæ, confectæquè macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus; deuorauerūtquè eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat,* omnium rerum vicissitudo. *Expergefactus Pharao* est pòst hoc somnium primum. idem *rursùm dormiuit, & vidit alterum somniū. Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atquè formosæ; aliæ quoquè totidem spicæ tenues, & percussæ vredine oriebantur deuorantes omnem priorum pulchritudinem.* Eccè quomodò Deus per somnia reuelat. *Euigilans Pharao* à somno *pòst quietem, & facto mane pauore perterritus, misit ad omnes coniectores,* diuinos *Aegypti, cunctosquè sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat* inter illos, *qui interpretaretur. Tunc demùm reminiscens pincernarum magister* ingratitudinis ergà Ioseph, sed Deo permittente hæc dilata ad tempus hoc plenitudinis in Ioseph; *ait:* Regi: *confiteor peccatum meum* ingratitudinis, non subueniendi prospera nuntianti, proùt fortè etiàm promiserat. non possum ampliùs hoc celare. *Iratus Rex seruis suis, me, & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum, vbi vna nocte vterque vidimus somnium præsagum futurorū;* nàm ego liber, ille in patibulo. *erat ibì puer* seruus *Hebræus, eiusdē Ducis militum famulus* (non cognoscebatur pro carcerato Ioseph, adeò erat libera inclusio) *cui narrantes somnia audiuimus* ab eo *quidquid posteà rei probauit euentus; ego enìm redditus sum officio meo, & ille suspensus est in cruce. Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totōderunt, ac veste mutata obtulerunt ei* Regi, antè Regem illum constituerunt; eloquium Domini inflammauit eum, donans eum hac gratia interpretationis somniorum; misit Rex, & soluit eum, princeps populorum, & dimisit eum Psal. 104. 20. *Cui* Ioseph *ille* Rex *ait: Vidi somnia* quædam, *nec est qui edisserat* interpretetur. *quæ audiui te sapientissimè conÿcere,* coniectura assequi, interpretari. *Respondit Ioseph* omnia Deo tribuens, proùt & suprà Genes. 40. 8. nunquid non Dei est interpretatio? *absquè me Deus respondebit prospera Pharaoni* ex somnijs, quasi, à Deo horum recipienda interpretatio non coniectura. *Narrauit ergò Pharao quod viderat* iuxtà supradicta. *Respondit Ioseph: somnium Regis vnum est:* duo hæc somnia ad vnum tendunt, *quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem vbertatis anni sunt, eandemquè vim somnÿ comprehendunt,* ad idem tendunt; *septem quoquè boues tenues, atquè macilentæ, quæ ascenderunt pòst eas, & septē spicæ tenues, & vento vrente percussæ, septem anni venturi sunt famis, sterilitatis;*

Qui quidèm anni *hoc ordine complebuntur*. *Eccè septem anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Aegypti, quos sequentur septem anni alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia; consumptura est enim fames omnem terram, & vbertatis magnitudinē perditura est inopiæ magnitudo. Quod autèm vidisti secundò ad eandem rem* vbertatis, & sterilitatis demonstrandam *pertinens somnium firmitatis indicium est* sic euenturum, *eò quòd fiat sermo Dei*, quod antè Deum placitum & immutabile est; *& velociùs impleatur*, quia sìc duplicauit somnium; hìnc non Pharao propheta, qui non intellexit; nàm intelligentia in prophetia requiritur Daniel. 10. sed Ioseph; prout non Nabuchodonosor, sed Daniel explicans somnium. *Nùnc ergò* (addit hoc ad ad sapientiam suam Ioseph) *prouideat Rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Aegypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui iàm nùnc futuri sunt*, instant, *congreget in horrea, & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serueturquè in vrbibus*, alius non se ingerat, *Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Aegyptum, & non consumetur terra inopia* superuentura; sic & Daniel consuluit Nabuchodonosor pòst interpretationem Daniel. 4. 24. quamobrèm Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitàn ignoscet delictis tuis Deus. *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius, loquutusquè est* Pharao *ad eos*, remotis arbitris, & maximè Ioseph. *Nùm inuenire poterimus talem virum* proùt hunc, *qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergò ad Ioseph: Quia ostēdit tibi Deus omnia, quæ locutus es* (sic dixerat Ioseph; nàm idololatra hoc non dixisset à se) *nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* quasi non *Tu eris supèr domū meam*, præficieris domui meæ. *& ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantùm regni solio te præcedam. Dixitquè rursùs Pharao ad Ioseph: Eccè constitui te supèr vniuersam terram Aegypti, Tulitquè annulum de manu sua*; sìc & Mardocheo datus, qui priùs Aman; *& dedit eum in manu eius, vestiuitquè eum stola* veste *byssina, & collo torquem auream circumposuit, fecitquè eum ascendere supèr currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coràm eo genuflecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti, Dixit quoquè Rex ad Ioseph, ego sum Pharao*, qui iubeo, *absquè tuo imperiò non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti*, omnium habebis potestatem, omnibus præeris. *Vertitquè nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca Saluatorem mundi. Deditquè illi vxorem Asenetb filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos*, is diuersus à primo domino, sìc cùm Daniele Nabuchodonosor, Daniel. 2. 48. & Balthassar cùm eodem, Daniel. 5. 29. sìc Assuerus cùm Aman, coràm quo genuflectebatur, Esther. 3. deindè cùm Mardocheo Esther. 8. Tandèm Deus Ioseph dedit quod in somnio prænunciauerat ex somnij interpretatione, at pòst multas tribulationes, & maximè carceris triennalis squalorem; sìç Mardocheo principatum promissum, Dauidi regnum, Ieroboam regnum pòst persecutiones, & pericula multa, & quo tempore res erant in statu desperato, vt eò magis ab eo omnia recognoscantur, & appareat Deū esse omnium effectorem, quò ex humilioribus facit sublimiores, vt dicatur hæc mutatio dexteræ excelsi; sic Dauid Psal. 104. 21. 22. constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicùt semetipsum, & senes eius prudentiam doceret, & Sap. 10. 14. & in vinculis non dereliquit eum, donèc afferret illi sceptrū regni, & potentiam aduersùs eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerunt eum, & dedit illi claritatem æternam: sic & Act. 7. 10. & eripuit eū ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam, & sapientiam in conspectu Pharaonis Regis Aegypti, & constituit eum præpositum supèr Aegyptum, & supèr omnem domum suam, & 1. Machab. 2. Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mādatū, & factus est dominus Aegypti. *Egressus est itaquè Ioseph ad terram Aegypti: triginta autèm annorum erat, quandò stetit in conspe-*

conſpectu Regis Pharaonis, ità vt decem annis,& vltrà ſeruierit Putiphari,& moleſtiam, ſeu petulantiam mulieris ſuſtinuerit, & tribus fuerit in carcere. *Et circuiuit omnes regiones Aegypti*, vt frumenta cõſeruarentur, & reciperentur ſub nomine Regis, proùt ipſe Regi ſuggeſſerat. *Venitquè fertilitas ſeptem annorum, & in manipulos redactæ ſegetes*, non excuſſæ ex culmo, vt diutiùs conſeruaretur triticum, *congregatæ ſunt in horrea Aegypti. Omnis etiàm frugum abundantia in ſingulis vrbibus condita eſt* ſeruitura pro ſingulis populis. *Tantaquè fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet*, ità vt hæc à Domino proceſſerit prætèr ordinarium curſum rerũ. *Nati ſunt autèm Ioſeph filij duo antequàm veniret fames, quos peperit ei Aſeneth filia Putiphare ſacerdotis Heliopoleos*. (eccè in prole etiàm fœcundatur à Domino) *Vocauitquè nomen primogeniti Manaſſes, dicens. Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei*, ità vt ampliùs non recogitem de illis, vel illorum cauſa non anguſtier. *Nomen quoquè ſecundi appellauit Ephraim, dicens: creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, captiuitatis, miſeriæ, carceris. *Igitùr tranſactis ſeptẽ vbertatis annis, qui fuerant in Aegypto, cœperunt venire ſeptem anni inopiæ*, ſubſequẽtes, *quos prædixerat Ioſeph*, ad verbum Ioſeph, *& in vniuerſo orbe*, terra Aegypti, & circumuicinis regionibus *fames præualuit. in cuncta autèm terra Aegypti panis*, cibus *erat* præparatus à Ioſeph. *Qua* Aegypto *eſuriente, clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens, Quibus ille reſpõdit: Ite ad Ioſeph, & quidquid ipſe vobis dixerit*, iuſſerit, *facite*, exequimini. *Creſcebat autèm quotidiè fames in omni terra, aperuitquè Ioſeph vniuerſa horrea, & vendebat Aegyptijs; nàm & illos oppreſſerat fames; omneſquè Prouinciæ* propinquæ, vicinæ, non ex toto orbe, vt pluriès interpretatur Abulen. *veniebant in Aegyptũ, vt emerent eſcas, & malum inopiæ temperarent*, ità vt poſſit dici, quantum pro vno Ioſeph Deus contulit Aegypto.

CAPVT XLII.

1 *AVDIENS autèm Iacob quòd alimenta venderentur*
2 *in Aegypto, dixit filijs ſuis: Quarè negligitis? * audiui quòd*
triticum venundetur in Aegypto: deſcendite, & emite no-
bis neceſſaria, vt poſsimus viuere, & non conſumamur
3 *inopia: * Deſcendentes igitur fratres Ioſeph decem, vt eme-*
4 *rent frumenta in Aegypto, * Beniamin domi retento à Ia-*
cob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quid-
5 *quam patiatur mali: * ingreſsi ſunt terram Aegypti cùm alijs, qui pergebant ad*
6 *emendum. Erat autèm fames in terra Chanaan. * Et Ioſeph erat princeps in ter-*
ra Aegypti, atquè ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumquè ado-
7 *raſſent eum fratres ſui, * & agnouiſſet eos quaſi ad alienos duriùs loquebatur, in-*
terrogans eos: Vndè veniſtis? Qui reſponderunt: De terra Chanaan, vt ema-
8 *mus victui neceſsaria. * Et tamèn fratres ipſe cognoſcens, non eſt cognitus ab*
9 *eis. * Recordatuſquè ſomniorum, quæ aliquandò viderat, ait ad eos: Explorato-*
10 *res eſtis: vt videatis infirmiora terræ, veniſtis. * Qui dixerunt: Non eſt ita,*
11 *domine, ſed ſerui tui venerunt, vt emerent cibos. * Omnes filij vnius viri ſu-*
12 *mus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. * Quibus*
13 *ille reſpondit: Alitèr eſt: immunita terræ huius conſiderare veniſtis. * At illi:*
Duo-

Duodecim, inquiunt, serui tui, fratres sumus, filij viri vnius in terra Chanaan:
14 *minimus cùm patre nostro est, alius non est supèr.* * *Hoc est, ait, quod locutus*
15 *sum: Exploratores estis.* * *Iam nùnc experimentum vestri capiam: per salutem*
16 *Pharaonis non egrediamini hìnc, donèc veniat frater vester minimus.* * *Mittite*
ex vobis vnum, & adducat eum: vos autèm eritis in vinculis, donèc proben-
tur quæ dixistis vtrum vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis explo-
17 *ratores estis.* * *Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus.* * *Die autèm tertio edu-*
18 *ctis de carcere, ait: Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enìm timeo.* * *Si paci-*
19 *fici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos autèm abite, & ferte fru-*
20 *menta quæ emistis, in domos vestras,* * *& fratrem vestrum minimum ad me*
adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt vt
21 *dixerat,* * *& locuti sunt ad inuicem, Merito hæc patimur, quia peccauimus in*
fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, &
22 *non audiuimus: idcircò venit supèr nos ista tribulatio.* * *E quibus vnus Ruben,*
ait: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non audistis me?
23 *en sanguis eius exquiritur.* * *Nesciebant autèm quòd intelligeret Ioseph: eo quòd per*
24 *interpretem loqueretur ad eos.* * *Auertitquè se parumper, & fleuit: & reuersus*
25 *locutus est ad eos.* * *Tollensquè Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit mini-*
stris vt implerent eorũ saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis
26 *suis, datis suprà cibarijs in viam: qui fecerunt ita.* * *At illi portantes frumenta*
27 *in asinis suis, profecti sunt.* * *Apertoquè vnus sacco, vt daret iumento pabulum*
28 *in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi,* * *dixit fratribus suis: Red-*
dita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatiquè mutuo di-
29 *xerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus?* * *Veneruntquè ad Iacob patrem*
suum in terram Chanaan, & narrauerunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes:
30 * *Locutus est nobis dominus terræ durè, & putauit nos exploratores esse prouinciæ.*
31 * *Cui respondimus: Pacifici sumus, nec vllas molimur insidias.* * *Duodecim fra-*
32 *tres vno patre geniti sumus: vnus non est supèr, minimus cùm patre nostro est*
33 *in terra Chanaan.* * *Qui ait nobis: Sìc probabo quòd pacifici sitis: Fratrem ve-*
strum vnum dimittit apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, &
34 *abite,* * *fratremquè vestrum minimum adducite ad me, vt sciam quòd non sitis*
exploratores: & istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ
35 *vultis, emendi habeatis licentiam.* * *His dictis, cùm frumenta effunderent, sin-*
36 *guli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritisquè simul omnibus,* * *di-*
xit pater Iacob: Absquè liberis me esse fecistis, Ioseph non est supèr, Simeon tene-
37 *tur in vinculis, & Beniamin auferetur: in me hæc omnia mala reciderunt:* * *Cui*
respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum in manu mea, &
38 *ego eum tibi restituam.* * *At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: fra-*
ter eius mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei aduersi acciderit in terra, ad
quam pergitis, deducetis canos meos cùm dolore ad inferos.

AV-

AVDIENS *autèm Iacob* moram & ipse trahens in terram famelica, & egente escis, *quòd alimenta venderentur in Aegypto*; percrebuerat fama hæc ob commercium populorum, & mercatorũ, de quibus suprà cap. 37. *dixit filiis suis: Quarè negligitis? torpetis? audiui quòd triticum venundetur in Aegypto, descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia. Descendentes igitùr fratres Ioseph decem.* Hic sisto, & cùm alijs quæro. Cùr Ioseph nunquàm significauerit patri, quem tristem ex sua absentia credere potuit? etenim dùm Putiphari per decẽnium seruiuit, dùm in carcere per triennium præerat, dùm in prosperitate per nouennium viuebat, quomodò dici potest defuisse ei occasionem id faciendi? Prima ratio Augustini, vt Iacob plus ex longo mœrore lucraretur apud Deum, bona; sic & duxit Abraham per tres dies mœrore confectum ob Isaac immolandum; sic & torsit Ioseph virũ Mariæ celando mysteriũ Matth. 1. Idem in multis alijs; sed non omnia tempora pertingens, luxit Iacob suum Ioseph, indoluit, irrugijt, credendum enim aliquandò lacrymis, & dolori pepercisse, proùt iubet Salomon dicens, ne fiat diuturnus luctus supèr mortuo; vndè dicitur Genes. 37. 34. Iacob lugens filium suum multo tempore; non igitùr sempèr; sic & Dauid 2. Reg. 12. 22. & seqq. & tempus solet mitigare dolorem. Secunda ratio Ruperti, ne si Iacob scisset eum captiuum, mitteret qui illum redimerent, & impediretur præordinatio Dei circà populum suum bona; sed non comprehendit nisi tempus seruitutis, & carceris Ioseph; quandò enim fuit in prosperitate, hoc cessabat. Tertia ratio Thomæ Anglici, quia Deus reuelauerat Ioseph quid futurum, & iusserat, seù suggesserat silentium, diuinatiua est, & ad miracula confugiens. Credo ego hanc fuisse rationem omne tempus, statumquè Ioseph comprehendentem, vt somnijs Ioseph satisfieret; ideò permisit Deus, vt nunquàm aliquis decem fratrum veritatem patri suo reuelaret, nec Ioseph à quopiã patri reuelaturo recognosceretur, Pharaonem mutare ei nomen ad eundem effectum, nec Ioseph cogitare de patre certiorando, & fortè tùnc non erat vsus epistolarum; hìnc cap. 41. 51. Obliuisci me fecit Deus omniũ laborum meorum, & domus patris mei, imò nequè de somnijs; nàm scriptura non refert illorum memoratum Ioseph, nisi pòst adorationem fratrum, infrà vers. 9. *Recordatusquè somniorum*; idem contigit Mardochæo ignoranti quò tenderet somnium suum, nisi pòst principatum; vndè Esther 10. 4. dicebat: recordatus sum somnij, & tùnc illud interpretabatur, imò nequè in mentem Ioseph vmquàm occurrisse quò tenderent somnia, quomodò verificari possent, quomodò ipse superior fratribus, & solùm præeminentiam potuit suspicari potiùs in re familiari, & paterna; sìc Maria Virgo non reuelauit sponso suo Ioseph mysterium incarnationis, non Deo reuelante ne faceret, sed sic permittẽte, proùt nec Saul patruo de regno, nec Sãpson parentibus de melle ex cadauere leonis hausto; si enìm pater, & fratres scissent Ioseph in Aegypto regnare, fratres timuissent descendere in Aegyptum, alios misissent seruos, vel amicos triticum empturos, nequè somnijs esset satisfactum adorationẽ illorum insinuantibus, nequè forsitàn pater illùc accessisset, sed rogasset annonam sufficientem ad se mitti, causasset ætatem. familiaria negotia; at nuntio adeò læto ex improuisò actus ad illum videndum properauit, imò adegit & retentio Beniamin facta à Ioseph: sed ad textum. *Descendentes igitùr fratres Ioseph decem*, posteà & Beniamin, & pater vt somnium verificaretur, vt emerent frumenta in Aegypto, *Beniamin* dilecto *domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali, ingressi sunt terram Aegypti cùm aliis, qui pergebant ad emendum; Erat autèm fames in terra Chanaan:* & hac de causa decem simùl descenderunt. *Et Ioseph erat princeps in terra Aegypti, atquè ad eius nutum frumenta populis vendebantur.* hoc dicit, vt appareat ad eum de necessitate à fratribus recursum. *Cumquè adorassent eum fratres sui* (eccè somnij adimplementum) *& Ioseph agnouisset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur*, non ex odio, aut rancore animi; sed vel ioco, vel eos ad pœnitentiam

addu-

adductūrus. *interrogans eos* more principis, & Iudicis: *Vndè venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, vt emamus victui necessaria*. hoc subdunt suspicantes quò tenderet interrogatio. *Et tamèn fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis* Deo sic permittente. *Recordatusquè somniorum, quæ aliquandò viderat* (eccè nùnc illorum memoria, proùt & in Mardochæo) *ait ad eos: exploratores estis, vt videretis infirmiora terræ*, vndè expugnari possit, *venistis*. non affirmat Ioseph, more Iudicis suspicantis interrogat; ideò in hoc nullum mendacium; licet enim Iudici suspicionibus agere. Vel hoc dixit etiàm in pœnam eorum, vt hac iniuria aliquid paterentur, proùt merebantur, quod licet; sicùt enim licuisset pœnam corporalem eligere, vtiquè licuit & hanc spiritualem, quæ quò magis elongatur à passo, & à veritate, eò magis angit, & torquet, vel vt cõuerterentur ab eorum malitia; sic Christus reprehendens: Serpentes, genimina viperarum. Ioannes: genimina viperarum, sic Moyses, hæccine reddis Domino popule stulte, & insipiens? sicùt ad eundem effectum carceri eos mancipauit, vnum retinuit, etsi id factum pro Beniamin recipiendo. Dices, si non erat verum, quomodò non mendacium? dico quòad pœnam non quæritur de veritate dictorum, quia non dicitur tùnc quia sic est, sed vt displiceat; Vltrà quòd dixit vti Iudex eos exploratores, vt ipsi de se proferrent quales essent, & sciret an Beniamin, an pater viueret; prudentia ergò fuit interrogantis, non mendacium. *Qui dixerunt: non est ità Domine, sed serui tui venerunt, vt emerent cibos*, non exploraturi. Cibo indigemus, quo saturemur, hoc nobis curæ, quid ad nos qualis Aegyptus, vel eius munitiones? *Omnes filij vnius viri sumus*. Fortè hoc dicunt, ne ex magno eorum comitatu suspicio orta esset, quasi, ne mireris si tot simùl, quia omnes fratres *pacifici venimus*, non exploraturi, *nec quicquam famuli tui machinantur mali*. absit hoc à nobis, *Quibus ille respondit: Alitèr est, immunita terræ huius considerare venistis*. Sempèr more suspicantis Iudicis loquitur, non affirmantis; *At illi: duodecim (inquit) serui tui fratres sumus, filij verò vnius in terra Chanaan, minimus cùm patre nostro est*, remansit, *alius* duodecimus Ioseph *non est supèr*, defecit: sic Apoc. 17. fuit, non est. erat, & non est. *Hoc est (ait) quod locutus sum; Exploratores estis;* sempèr loquitur more suspicantis, & vt faciat quod cogitabat. *Iàm nùnc experimentum vestri capiam; per salutem Pharaonis non egrediemini hinc donèc veniat frater vester minimus;* Sìc enim cognoscam an verba vestra veritate nitantur. *Mittite ex vobis vnum, & adducat eum, vos autèm* reliqui *eritis in vinculis donèc probètur quæ dixistis vtrum vera, vel falsa sint: aliòquin per salutem Pharaonis exploratores estis*, si scilicèt quæ dixistis, non probabuntur, apparebit, argumentum erit vos esse, quos dixi, non ergò periurium. *Tradidit ergò illos custodiæ*, carceri *tribus diebus*. Cur cùm illis & Ruben, qui in Ioseph non peccauerat? at ignorabat Ioseph; verba enim *meritò* &c. fuerunt prolata pòst carcerem; sed satis peccauit & Ruben patri rem non manifestando; & in hoc conueniendo cùm fratribus; Satis posteà fuit pòst illa verba illum non elegisse qui in custodia detineretur, sed Simeon. *Die autèm tertio eductis* illis *de carcere ait: Facite quæ dixi: mittite ex vobis vnum* etc. *& viuetis*, non interficiam vos tamquàm exploratores; *Deum enim timeo*; ideò nihil à me iniustum expectetis. *Si pacifici estis*, proùt dixistis, *frater vester vnus ligetur in carcere* (moderatur primam iussionem) *vos autèm* alij *abite, & ferte frumenta, quæ emistis*, empturi estis *in domos vestras, & fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones*, an veri sint, *& non moriamini* tamquàm exploratores, non fuit periurium, si primò vnum tantùm dimittẽdum dixit, posteà vnũ tantùm retinendum concessit; nàm prima verba more Iudicum comminatiua erant, à quibus minis, vel etiam decreto firmo, et stabili recedere potuit ex gratia, vel iure, vt fit communitèr à Iudicibus mutantibus sententiam. *Fecerunt, vt dixerat*, iusserat Ioseph, *& dixerunt adinuicem: Meritò hæc patimur*, peccati grauitas nùnc eis apparet, *quia peccauimus in fratrem nostrum* Ioseph *innocentem*. Crudeles, qui *videntes angustiam animæ illius* flentis, *dum deprecaretur*

nos,

nos, ne secum sic immanitèr ageremus, *& non audiuimus*, malitia obcœcati; *idcircò venit supèr nos ista tribulatio* magna; *E quibus vnus Ruben ait: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, & non audistis me?* noluistis attendere consilium meum? *en sanguis eius exquiritur*, eccè quomodò nùnc tribulamur, quomodò peccatum in illum factum nùnc in caput nostrum redundat. *nesciebant autèm quòd intelligeret Ioseph eò quòd per interpretē loqueretur ad eos. Auertitquè se parumpèr, & fleuit*, ne ipsi deprehenderent, *& reuersus locutus est ad eos. Tollensquè Simeon, & ligans illis præsētibus* per ministerium aliorum, hic fortè, qui in Sichimitas sæuit alijs in Ioseph sæuior fuerat, postquàm illi contigit detentio. Sic transmissi vt detinerentur Achior, et Micheas. Iudith. 6. 7. 2. Reg. 22. 27. *iussit ministris*, semotis arbitris, *vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis suprà cibarijs in viam; qui fecerunt ità*, eccè bonitas Ioseph, eccè quomodò non ad nocendum, sed ad conducendum Beniamin, et patrem omnia gesserat, eccè quomodò Deus misit antè eos virum. Psal. 104. 21. *At illi portantes frumenta in asinis suis profecti sūt* versùs Chanaan; *Apertoquè vnus sacco vt daret iumento pabulum in diuersorio contemplatus pecuniam in ore sacculi dixit* admirans *fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en* videte (ne putetis me mentiri) *habetur in sacco, & obstupefacti, turbatiquè mutuò dixerunt: Quidnàm est hoc, quod fecit nobis Deus?* Non enim poterant ne suspicari quidèm vndè hoc esset. *Veneruntquè ad Iacob patrem suum in terram Chanaan, & narrauerunt ei omnia, quæ accidissent sibi, dicentes:* narrant omnia gesta cum Ioseph. *His dictis cùm frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias, exterritisquè simul omnibus* supèr hac re *dixit pater Iacob: Absquè liberis me esse fecistis, Ioseph non est supèr*, mortuus est, *Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis*, ducendo illum in Aegyptum; *in me hæc omnia mala reciderunt*, in caput meum hæc retorta iacula. *Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice.* hyperbolicè loquitur, sciens nec patrem accepturum, proùt Lot offerens filias non accepturis, vt ibì dixi; *si non reduxero illū tibi, trade illum in manu mea* ducēdum in Aegyptum, *& ego eum tibi restituam* incolumem: *At ille: Non descendet (inquit) filius meus* Beniamin *vobiscum. Frater eius* germanus Ioseph *mortuus est, & ipse solus remansit* ex Rachele, *si quid ei aduersi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos cùm dolore ad inferos*, ex dolore emoriar, viuere non potero dolore pressus.

CAPVT XLIII.

1 *INTERIM fames omnem terram vehementèr preme-*
2 *bat. * Consumptisquè cibis quos ex Aegyptò detulerant, dixit,*
Iacob ad filios suos: Reuertimini, & emite nobis pauxillum
3 *escarum. * Respondit Iudas: Denunciauit nobis vir ille sub*
attestatione iurisiurandi, dicens: Non videbitis faciem meā,
4 *nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum. * Si*
ergò vis eum mittere nobiscum, pergemus paritèr, & eme-
5 *mus tibi necessaria: * sin autèm non vis, non ibimus: vir enìm, vt sapè denun-*
ciauit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absquè fratre vestro minimo.
6 ** Dixit eis Israel: In meam hoc fecistis miseriam, vt indicaretis ei & alium ha-*
7 *bere vos fratrem. * At illi responderunt: Interrogauit nos homo per ordinem nostrā*
progeniem: si pater viueret: si haberemus fratrem: & nos respondimus ei consequen-
tèr iuxtà id quod fuerat sciscitatus: numquid scire poteramus quòd dicturus esset:

Ad-

8 *Adducite fratrem vestrum vobiscum? * Iudas quoquè dixit patri suo: Mitte*
puerum mecum, vt proficiscamur, & possimus viuere: ne moriamur nos & pa-
9 *ruuli nostri. * Ego suscipio puerum: de manu mea require illum. nisi reduxero,*
10 *& reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. * Si non intercessisset*
11 *dilatio, iàm vice altera venissemus. * Igitur Israel pater eorum dixit ad eos:*
Si sic necesse est, facite quod vultis: sumite de optimis terræ fructibus in vasis
vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ, & mellis, & storacis, stactes,
12 *& terebinthi, & amygdalarum. Pecuniam quoquè duplicem ferte vobiscum: &*
13 *illam, quam inuenistis in sacculis, reportate, ne fortè errore factum sit; * sed &*
14 *fratrem vestrum tollite, & ite ad virum. * Deus autèm meus omnipotens faciat*
vobis eum placabilem: & remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, &
15 *hunc Beniamin: ego autèm quasi orbatus absquè liberis ero. * Tulerunt ergò viri*
munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin: descenderuntquè in Aegyptum: &
16 *steterunt coràm Ioseph. * Quos cùm ille vidisset, & Beniamin simùl, præcepit*
dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum: & occide victimas, & in-
17 *strue conuiuium: quoniàm mecum sunt comesturi meridie. * Fecit ille quod sibi*
18 *fuerat imperatum, & introduxit viros domum. * Ibiquè exterriti, dixerunt mu-*
tuò: Proptèr pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus:
vt deuoluat in nos calumniam, & violentèr subijciat seruituti & nos, & asinos
19 *nostros. * Qamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus * locuti*
20 *sunt: Oramus domine vt audias nos: Iàm antè descendimus vt emeremus escas:*
21 ** quibus emptis, cùm venissemus ad diuersorium, aperuimus saccos nostros, &*
inuenimus pecuniam in ore saccorum: quam nùnc eodem pondere reportauimus.
22 ** Sed & aliud attulimus argentum, vt emamus quæ nobis necessaria sunt: non*
23 *est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupijs nostris. * At ille respondit:*
Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobìs the-
sauros in saccis vestris. nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego ha-
24 *beo. Eduxitquè ad eos Simeon. * Et introductis domum, attulit aquam, & la-*
25 *uerunt pedes suos, deditquè pabulum asinis eorum. * Illi verò parabant munera,*
donèc ingrederetur Ioseph meridie: audierant enìm quòd ibì comesturi essent panem.
26 ** Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntquè ei munera, tenentes in*
27 *manibus suis: & adorauerunt proni in terram. * At ille, clementèr resalutatis*
eis, interrogauit eos, dicens: Saluus ne est pater vester senex, de quo dixeratis mi-
28 *hi? Adhuc viuit? * Qui responderunt: Sospes est seruus tuus pater noster, adhùc*
29 *viuit. * Et incuruati, adorauerunt eum: * Attollens autèm Ioseph oculos, vidit*
Beniamin fratrem suum vterinum, & ait: Iste est frater vester paruulus, de
30 *quo dixeratis mihi? Et rursum: Deus, inquit, misereatur tui, fili mi. * Festina-*
uitquè quia commota fuerant viscera eius supèr fratre suo, & erumpebant lacry-
31 *mæ & introiens cubiculum fleuit. * Rursumquè lota facie egressus, continuit se, &*
32 *ait: Ponite panes. * Quibus appositis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Aegy-*
ptijs quoquè, qui vescebantur simùl: seorsum (illicitum est enìm Aegyptijs come-
dere

33 *dere cùm Hebræis, (&) profanum putant huiuſcemodi conuiuium)* * *ſederunt coràm*
eo, primogenitus iuxtà primogenita ſua, & minimus iuxtà ætatem ſuam Et mi-
34 *rabantur nimis,* * *ſumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorq. pars venit Be-*
niamin, ità vt quinque partibus excederet. Biberuntquè & inebriati ſunt cùm eo.

INTERIM (dùm ea agebãtur intèr patrem, & fratres) *fames omnem terram vehemẽtèr præmebat;* eccè quomodò DEI ordinationi reſiſti nõ poteſt; *Conſumptiſquè cibis, quos ex Aegypto* fratres *detulerant, dixit Iacob* prouidus *ad filios ſuos: reuertimini* in Aegyptum, *& emite nobis pauxillum eſcarum. Reſpondit Iudas. Denuntiauit nobis vir ille,* dominus terræ *ſub atteſtatione iuriſiurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum:* in hoc enim præmebat Ioſeph. *Si ergò vis eum mittere nobiſcum, pergemus paritèr & ememus tibi neceſſaria, ſin autèm non vis,* vt Beniamin pergat nobiſcum, *non ibimus,* ire non poſſumus; *vir enim, vt ſapè diximus, denunciauit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam abſquè fratre veſtro minimo. Dixit eis* filijs ſuis *Iſrael: in meam hoc feciſtis miſeriam,* afflictionem, *vt indicaretis ei domino & alium habere vos fratrem,* quaſi, quid referebat hoc ei enunciare? *At illi reſponderunt. Interrogauit nos homo per ordinẽ noſtram progeniem, ſi pater viueret, ſi haberemus fratrẽ, & nos reſpondimus ei conſequentèr iuxtà id, quod fuerat ſciſcitatus,* vt tenebamur, *nunquid ſcire,* diuinare *poteramus, quòd dicturus eſſet: Adducite fratrem veſtrum vobiſcum?* id enim alienum erat, nec cogitandum. *Iudas quoquè dixit patri ſuo: mitte puerum mecum, vt proficiſcamur, & poſſimus viuere, ne moriamur nos, & paruuli noſtri. Ego ſuſcipio puerum;* ſanguis eius ſupèr me, *de manu mea require illum, niſi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te* commiſſi *omni tempore,* ſempèr. *Si non interceſſiſſet dilatio,* quam tu pater interpoſuiſti, *iàm vice altera veniſſemus. Igitùr Iſrael pater eorum dixit ad eos* neceſſitate compulſus, *ſi ſic neceſſe eſt* duci Beniamin, *facite quod vultis,* ducite; *ſumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera,* ad illum beneuolum faciendum (eccè adoratio patris ad Ioſeph) *modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebynthi, & amygdalarum. Pecuniam quoquè duplicem ferte vobiſcum, & illam, quam inueniſtis in ſacculis, reportate, ne fortè errore factum ſit,* vt vobis remanſerit; ſic & Tobias audiens hœdum balantem, quem alienum timuit, *ſed & fratrem veſtrum* Beniamin *tollite, & ite ad virum* dominum terræ. *Deus autèm meus omnipotens,* in cuius ditione cuncta ſunt poſita, & qui feroces reddit manſuetos, *faciat vobis eum placabilem,* ne vobis aliquid moliatur, *& remittat vobiſcum fratrem veſtrum* Simeonem, *quem tenet* in vinculis, *& hunc Beniamin, ego autèm* interim dùm redibitis, *quaſi orbatus abſquè liberis ero,* cùm præſentia omnium defrauder. Cur potiùs ad verba Iudæ, quàm Ruben motus Iſrael? quia quandò Ruben dixit, tùnc redierant, & aderant eſcæ; nùnc quandò Iudas rogauit, eſcæ defecerant, vt dicit textus; ideò ne fame perirent ex neceſſitate miſſus Beniamin, nec aliud quærendum, vel conſtituenda differentia intèr verba Ruben, & Iudæ, vel conſiderandi illi, vel animus Iacob ergà ſingulos, quia hæc extranea à littera; dicit enim Iacob: *Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis. Tulerunt ergò viri,* fratres *munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin, deſcenderuntquè in Aegyptum, & ſteterunt* adorabundi *coràm Ioſeph* eccè & Beniamin, & ſic ſtellæ vndecim adorãtes, & pater, qui miſit illos. *Quos cùm ille vidiſſet, & Beniamin ſimùl, præcepit diſpenſatori domus ſuæ, dicens: introduc viros* hos *domum, & occide victimas,* prouùt & Iacob in monte Galaad. Geneſ. 31. 54. *Et inſtrue conuiuium* lautè, *quoniàm mecum ſunt comeſturi meridie. Fecit ille quod ſibi fue-*

dissoluisset, ait: Et ego vidi somnium, Quòd tria canistra farinæ haberem su-
17 *pèr caput meum:* * *& in vno canistro quod erat excelsius, portare me omnes ci-*
18 *bos, qui fiunt arte pistoria, auesquè comederet ex eo.* * *Respondit Ioseph: Hæc*
19 *est interpretatio somnij: Tria canistra, tres adhùc dies sunt:* * *post quos au-*
feret Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres car-
20 *nes tuas.* * *Exindè dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande*
conuiuium pueris suis, recordatus est intèr epulas magistri pincernarum, & pi-
21 *storum principis.* * *Restituitquè alterum in locum suum, vt porrigeret ei po-*
22 *culum:* * *alterum suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur.*
23 * *Et tamèn succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpre-*
tis sui.

HIS *ità gestis* circà Ioseph, *accidit* ex Dei prouidentia *vt peccarent duo eunuchi. pincerna regis Aegypti, & pistor domino suo*, in dominum suum regem; *Iratusquè contrà eos Pharao* Rex; *(nàm alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus, clausus & Ioseph; at custos carceris tradidit eos Ioseph* ad custodiam, *qui & ministrabat eis; aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur*, ità vt familiaritas intèr eos & Ioseph contracta sit; *Videruntquè ambo somnium nocte vna* eadem iuxtà *interpretationem congruam sibi*, cuique eorum propriam, & accommodatam; *ad quos cùm introisset Ioseph mane* ministraturus, *& vidisset eos tristes* (cogitabant supèr somnio *sciscitatus est eos dicens: cur tristior est hodiè solito facies vestra?* quid contigit? *Qui responderunt: somnium vidimus*, quòd intèr eos communicauerant, *& non est vllus, qui interpretetur nobis* illud: *Dixitquè ad eos Ioseph: numquid non Dei est interpretatio?* quasi, à Deo interpretatio quærenda non ab hominibus: sìc Daniel; est Deus in cælo reuelans mysteria. Dan. 2. 27. 28. *referte mihi quid videritis* in sõnio. *Narrauit prior præpositus pincernarum somnium suum. Videbam coràm me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatìm in gemmas, & pòst flores vuas maturescere*; sic germinant vineæ; *calicemquè Pharaonis*, quo bibit, *in manu mea* esse, *tuli ergò vuas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Respõdit Ioseph: hæc est interpretatio somnij. Tres propagines, tres adhùc dies sunt*, tres dies transient, *pòst quos recordabitur Pharao ministerij tui* sibi grati, *& restituet te in gradum pristinum, dabisquè ei calicem iuxtà officium tuum, sicùt antè facere consueueras*; liberaberis à carcere, & restitueris in gratiam. *Tantùm* rogo te, *memento mei, cùm benè tibi fuerit* apud Regem, *& facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furto* captiuus redditus à meis, qui liber eram, *sublatus sum de terra Hebræorum, & hìc* in Aegypto *innocens in lacum*, carcerem *missus sum*, neminem accusat aut fratres, aut mulierem; Hinc collige dominum Iosephi carceri Iosephum non mancipasse propria auctoritate, sed Pharaone consulto, alioquì Ioseph non rogaret caussam suam coràm Pharaone proponi; hìncquè tollitur argumentum Putipharem fuisse præfectum occidendorum; non peccauit Ioseph commendans se huic, cupiens liberari à carcerali vinculo, cùm in eo iniquè detineretur; saluo enim sempèr Dei auxilio principalitèr possumus medijs humanis vti, quibus & Deus vtitur tamquàm secundis caussis. *Videns pistorum magister, quòd Ioseph prudentèr somnium dissoluisset*, interpretatus esset, *ait: & ego vidi somnium, Quòd tria canistra* vnum supèr aliud *farinæ haberem supèr caput meum, & in vno canistro, quod erat excelsius*, suprà alia duo *portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesquè*

què comedere ex eo. Respondit Ioseph, præmisso, vt dicunt aliqui, aliquo breui leuamine, proùt & Daniel cùm Nabuchodonosor. Daniel. 16. quod tamèn cùm Balthassare non seruauit. Daniel. 5. *Hæc est interpretatio somnij, tria canistra, tres adhùc dies sunt, pòst quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. Exindè* (ad præmissarum interpretationum verificationem) *dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium pueris suis* principibus seruis, seù subditis. Is & Herodes dies natalitios festiuos fecerunt, conuiuia sanguine humano respergentes, is pistoris, ille Sancti Ioannis Baptistæ necibus, & Antiochus nobilis. 2. Machab. 6.7. *recordatus est intèr epulas*, intèr manducandum *magistri pincernarum, & pistorum principis, restituitquè alterum in locum suum*, scilicèt magistrum pincernarum, *vt porrigeret ei poculum; alterum* principem pistorum *suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur*, & consequentèr interpretatio Ioseph in vtroque verificaretur; *Et tamèn succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui*, notat hunc vitio ingratitudinis.

CAPVT XLI.

1 *POST duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se sta-*
2 *re supèr fluuium,* de quo ascendebant septem boues, pul-*
chræ & crassæ nimis: & pascebantur in locis palustribus.
3 **Aliæ quoquè septem emergebant de flumine, fœdæ, confe-*
ctæquè macie: & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis
4 *virentibus:*deuorauerùntquè eas, quarum mira species, &*
5 *habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao* rursùm*
dormiuit, & vidit alterum somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo vno
6 *plenæ atquè formosæ:*aliæ quoquè totidem spicæ tenues, & percussæ vredine oriebã-*
7 *tur,*deuorantes omnem priorum pulchritudinem. Euigilans Pharao pòst quietem,*
8 **& facto mane, pauore perterritus, misit ad omnes coniectores Aegypti, cunctosquè*
9 *sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat qui interpretaretur.*Tùnc de-*
10 *mùm reminiscens pincernarum magister, ait, Confiteor peccatum meum.* Iratus*
rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis mi-
11 *litum:* vbì vna nocte vterquè vidimus somnium præsagum futurorum.*Erat*
12 *ibì puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnium*audi-*
13 *uimus quidquid posteà rei probauit euentus. ego enim redditus sũ officio meo:& ille*
14 *suspensus est in cruce.*Protinus ad regis imperiũ eductũ de carcere Ioseph totõderũt:*
15 *ac veste mutata, obtulerũt ei.*Cui ille ait: Vidi sõnia, nec est qui edisserat: quæ au-*
16 *diui te sapientissimè conijcere.*Respondit Ioseph: Absq. me Deus respõdebit prospera*
17 *Pharaoni.*Narrauit ergò Pharao quod viderat: Putabam me stare supèr ripam*
18 *fluminis, & septem boues de amne conscendere, pulchras nimìs, & obesis carnibus,*
19 *quæ in pastu paludis vi recta carpebant.* eccè, has sequebantur aliæ septem bo-*
20 *ues in tantũ deformes, & macilentæ, vt nũquàm tales in terra Aegypti viderim:*
20 **quæ, deuoratis & consumptis prioribus,* nullum saturitatis dedere vestigium:*

21 *sed simili macie & squalore torpebant. Euigilans, rursùs sopore depressus,* * *vidi*
22 *somnium, Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atquè pulcherrimæ.* * *Aliæ*
23 *quoquè septem tenues, & percussæ vredine, oriebantur stipula: quæ priorum pul-*
24 *chritudinē deuorauerunt. Narraui coniectoribus somniū, & nemo est qui edisserat.*
25 * *Respondit Ioseph: Somnium regis vnum est: quæ facturus est Deus, ostendit Pha-*
26 *raoni.* * *Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ: septem vbertatis anni sunt*
27 *eandemquè vim somnij comprehendunt.* * *Septem quoquè boues tenues atquè maci-*
lentæ, quæ ascenderunt pòst eas, & septem spicæ tenues, & vento vrente percussæ:
28 *sptem anni venturæ sunt famis.* * *Qui hoc ordine complebuntur:* * *Eccè septem an-*
29 *ni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Aegypti.* * *quos sequentur septem*
30 *anni alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia: con-*
31 *sumptura est enim fames omnem terram,* * *& vbertatis magnitudinem perditura*
32 *est inopiæ magnitudo.* * *Quod autèm vidisti secundò ad eandem rem pertinens*
somnium: firmitatis indicium est, eò quòd fiat sermo Dei, & velociùs impleatur.
33 * *Nùnc ergò prouideat rex virum sapientem & industrium, & præficiat eū terræ*
34 *Aegypti:* * *Qui constituat præpositos per cunctas regiones: & quintam partem fru-*
35 *ctuum per septem annos fertilitatis,* * *qui iàm nùnc futuri sunt, congreget in hor-*
rea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serueturquè in vrbi-
36 *bus.* * *Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Aegyptum, &*
37 *non consumetur terra inopia.* * *Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris*
38 *eius:* * *locutusquè est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu*
39 *Dei plenus sit?* * *Dixit ergò ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locu-*
40 *tus es, nunquid sapientiorem & consimilem tui inuenire potero?* * *Tu eris supèr do-*
mum meam. & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni
41 *solio te præcedam.* * *Dixitquè rursùs Pharao ad Ioseph: Eccè, constitui te supèr*
42 *vniuersam terram Aegypti.* * *Tulitquè annulum de manu sua, & dedit in manu*
43 *eius: vestiuitquè eum stola byssina, & collo torquem aurea circumposuit.* * *Fecitquè*
eum ascendere supèr currum suum secundum, clamante præcone, vt òmnes coràm eo
44 *genuflecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti.* * *Dixit quoquè*
rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absquè tuo imperio non mouebit quisquā manū aut
45 *pedem in omni terra Aegypti.* * *Vertitquè nomen eius, & vocauit eum lingua*
Aegyptiaca, Saluatorem mundi. Deditquè illi vxorem Aseneth filiam Putiphare
46 *sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaquè Ioseph ad terram Aegypti (* triginta au-*
tèm annorum erat quandò stetit in conspectu regis Pharaonis) & circuiuit omnes
47 *regiones Aegypti.* * *Venitquè fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ*
48 *segetes congregatæ sunt in horrea Aegypti.* * *Omnis etiàm frugum abundantia in*
49 *singulis vrbibus condita est.* * *Tantaquè fuit abundantia tritici, vt arenæ maris*
50 *coæquaretur, & copia mensuram excederet.* * *Nati sunt autèm Ioseph filij duo ante-*
quàm veniret fames, quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopo-
51 *leos.* * *Vocauitquè nomen primogeniti, Manasses, dicens: Obliuisci me fecit Deus*

omnium

52 *omnium laborum meorum, & domus patris mei.* * *Nomen quoquè secandi ap-*
53 *pellauit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* * *Igi-*
54 *tùr transactis septèm vbertatis annis, qui fuerant in Aegypto:* * *cœperunt veni-*
re septem anni inopiæ: quos prædixerat Ioseph: & in vniuerso orbe fames præua-
55 *luit, in cuncta autèm terra Aegypti panis erat.* * *Qua esuriente, clamauit popu-*
lus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: ite ad Ioseph: & quid-
56 *quid ipse vobis dixerit, facite.* * *Crescebat autèm quotidiè fames in omni terra:*
aperuitquè Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Aegyptijs: nàm & illos oppres-
57 *serat fames.* * *Omnesquè Prouinciæ veniebant in Aegyptum, vt emerent escas,*
& malum inopiæ temperarent.

POST *duos annos* carceris Ioseph à tẽpore, quo egressi è carcere serui illi Pharaonis *vidit Pharao somnium*, sìc Deo operante ad exaltationẽ Ioseph sui. *Putabat se stare supèr fluuium* vt plurimum supèr fluminibus etiã apparitiones, sìc Prophetis, vt illis de fluuio Chobar, & Tigris. in Apocal. de mari egrediens bestia, Antichristus, *de quo ascendebant septem boues pulchræ, & crassæ* nimìs, *& pascebantur in locis palustribus* ad pastum aptis. *Aliæ quoquè septem emergebant de flumine fœdæ, confectæquè macie, & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus; deuorauerũtquè eas, quarum mira species*, & *habitudo corporum erat*, omnium rerum vicissitudo. *Expergefactus Pharao* est pòst hoc somnium primum. idem *rursùm dormiuit, & vidit alterum somniũ. Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atquè formosæ; aliæ quoquè totidem spicæ tenues, & percussæ vredine oriebantur deuorantes omnem priorum pulchritudinem.* Eccè quomodo Deus per somnia reuelat. *Euigilans Pharao* à somno *pòst quietem, & facto mane pauore perterritus, misit ad omnes coniectores*, diuinos *Aegypti, cunctosquè sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat* inter illos, *qui interpretaretur. Tùnc demùm reminiscens pincernarum magister* ingratitudinis ergà Ioseph, sed Deo permittente hæc dilata ad tempus hoc plenitudinis in Ioseph; *ait:* Regi: *confiteor peccatum meum* ingratitudinis, non subueniendi prospera nuntianti, proùt fortè etiàm promiserat. non possum ampliùs hoc celare. *Iratus Rex seruis suis, me, & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum, vbi vna nocte vterque vidimus somnium præsagum futurorũ;* nam ego liber, ille in patibulo. *erat ibì puer* seruus *Hebræus, eiusdẽ Ducis militum famulus* (non cognoscebatur pro carcerato Ioseph, adeò erat libera inclusio) *cui narrantes somnia audiuimus* ab eo *quidquid posteà rei probauit euentus; ego enìm redditus sum officio meo, & ille suspensus est in cruce. Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totõderunt, ac veste mutata obtulerunt ei* Regi, antè Regem illum constituerunt; eloquium Domini inflammauit eum, donans eum hac gratia interpretationis somniorum; misit Rex, & soluit eum, princeps populorum, & dimisit eum Psal. 104. 20. *Cui* Ioseph *ille* Rex *ait: Vidi somnia* quædam, *nec est qui edisserat* interpretetur. *quæ audiui te sapientissimè coniicere*, coniectura assequi, interpretari. *Respondit Ioseph* omnia Deo tribuens, proùt & suprà Genes. 40. 8. nunquid non Dei est interpretatio? *absquè me Deus respondebit prospera Pharaoni* ex somnijs, quasi, à Deo horum recipienda interpretatio non coniectura. *Narrauit ergò Pharao quod viderat* iuxtà supradicta. *Respondit Ioseph: somnium Regis vnum est:* duo hæc somnia ad vnum tendunt, *quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni. Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem vbertatis anni sunt, eandemquè vim somnij comprehendunt,* ad idem tendunt; *septem quoquè boues tenues, atquè macilentæ, quæ ascenderunt pòst eas, & septẽ spicæ tenues, & vento vrente percussæ, septem anni venturi sunt famis, sterilitatis;*

Qui quidèm anni *hoc ordine complebuntur. Eccè septem anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Aegypti, quos sequentur septem anni alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia; consumptura est enim fames omnem terram, & vbertatis magnitudinē perditura est inopiæ magnitudo. Quod autèm vidisti secundò ad eandem rem* vbertatis, & sterilitatis demonstrandam *pertinens somnium firmitatis indicium est* sic euenturum, *eò quòd fiat sermo Dei*, quod antè Deum placitum & immutabile est; *& velociùs impleatur*, quia sìc duplicauit somnium; hìnc non Pharao propheta, qui non intellexit; nàm intelligentia in prophetia requiritur Daniel.10. sed Ioseph; proùt non Nabuchodonosor, sed Daniel explicans somnium. *Nùnc ergò* (addit hoc ad ad sapientiam suam Ioseph) *prouideat Rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Aegypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui iàm nùnc futuri sunt*, instant, *congreget in horrea, & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serueturquè in vrbibus*, alius non se ingerat, *Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Aegyptum, & non consumetur terra inopia* superuentura; sic & Daniel consuluit Nabuchodonosor pòst interpretationem Daniel. 4. 24. quamobrèm Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitàn ignoscet delictis tuis Deus. *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius, loquutusquè est* Pharao *ad eos*, semotis arbitris, & maximè Ioseph. *Nùm inuenire poterimus talem virum* proùt hunc, *qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergò ad Ioseph: Quia ostēdit tibi Deus omnia, quæ locutus es* (sic dixerat Ioseph; nàm idololatra hoc non dixisset à se) *nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* quasi non *Tu eris supèr domū meam*, præficieris domui meæ. *& ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantùm regni solio te præcedam. Dixitquè rursùs Pharao ad Ioseph: Eccè constitui te supèr vniuersam terram Aegypti, Tulitquè annulum de manu sua*; sìc & Mardocheo datus, qui priùs Aman; *& dedit eum in manu eius, vestiuitquè eum stola* veste *byssina, & collo torquem auream circumposuit, fecitquè eum ascendere supèr currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coràm eo genuflecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti, Dixit quoquè Rex ad Ioseph, ego sum Pharao*, qui iubeo, *absquè tuo imperiò non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti*, omnium habebis potestatem, omnibus præeris. *Vertitquè nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca Saluatorem mundi. Deditquè illi vxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos*, is diuersus à primo domino, sìc cùm Daniele Nabuchodonosor, Daniel.2.48. & Balthassar cùm eodem, Daniel.5.29. sìc Assuerus cùm Aman, coràm quo genuflectebatur, Esther. 3. deindè cùm Mardocheo Esther. 8. Tandèm Deus Ioseph dedit quod in somnio prænunciauerat ex somnij interpretatione, at pòst multas tribulationes, & maximè carceris triennalis squalorem; sìç Mardocheo principatum promissum, Dauidi regnum, Ieroboam regnum pòst persecutiones, & pericula multa, & quo tempore res erant in statu desperato, vt eò magis ab eo omnia recognoscantur, & appareat Deū esse omnium effectorem, quò ex humilioribus facit sublimiores, vt dicatur hæc mutatio dexteræ excelsi; sic Dauid Psal. 104.21. 22. constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, vt erudiret principes eius sicùt semetipsum, & senes eius prudentiam doceret, & Sap. 10. 14. & in vinculis non dereliquit eum, donèc afferret illi sceptrū regni, & potentiam aduersùs eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerunt eum, & dedit illi claritatem æternam: sic & Act. 7. 10. & eripuit eū ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam, & sapientiam in conspectu Pharaonis Regis Aegypti, & constituit eum præpositum supèr Aegyptum, & supèr omnem domum suam, & 1. Machab. 2. Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mādatū, & factus est dominus Aegypti. *Egressus est itaquè Ioseph ad terram Aegypti. triginta autèm annorum erat, quandò stetit in conspe-*

conspectu Regis Pharaonis, ità vt decem annis,& vltrà seruierit Putiphari,& molestiam, seu petulantiam mulieris sustinuerit, & tribus fuerit in carcere. *Et circuiuit omnes regiones Aegypti*, vt frumenta conseruarentur, & reciperentur sub nomine Regis, proùt ipse Regi suggesserat. *Venitquè fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes*, non excussæ ex culmo,vt diutiùs conseruaretur triticum, *congregatæ sunt in horrea Aegypti. Omnis etiàm frugum abundantia in singulis vrbibus condita est* seruitura pro singulis populis. *Tantaquè fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur,& copia mensuram excederet*, ità vt hæc à Domino processerit pratèr ordinarium cursum rerū. *Nati sunt autèm Ioseph filij duo antequàm veniret fames, quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos*. (eccè in prole etiàm fœcundatur à Domino) *Vocauitquè nomen primogeniti Manasses,dicens. Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei*,ità vt ampliùs non recogitem de illis, vel illorum causa non angustier. *Nomen quoquè secundi appellauit Ephraim, dicens: crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, captiuitatis, miseriæ,carceris. *Igitùr transactis septē vbertatis annis, qui fuerant in Aegypto, cœperunt venire septem anni inopiæ*, subsequētes, *quos prædixerat Ioseph*, ad verbum Ioseph, *& in vniuerso orbe*, terra Aegypti, & circumuicinis regionibus *fames præualuit. in cuncta autèm terra Aegypti panis*, cibus *erat* præparatus à Ioseph. *Qua* Aegypto *esuriente, clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens, Quibus ille respōdit: Ite ad Ioseph, & quidquid ipse vobis dixerit*, iusserit, *facite*, exequimini. *Crescebat autèm quotidiè fames in omni terra, aperuitquè Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Aegyptijs; nàm & illos oppresserat fames; omnesquè Prouinciæ* propinquæ, vicinæ, non ex toto orbe, vt pluriès interpretatur Abulen. *veniebant in Aegyptū, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent*, ità vt possit dici, quantum pro vno Ioseph Deus contulit Aegypto.

CAPVT XLII.

1 *AVDIENS autèm Iacob quòd alimenta venderentur*
2 *in Aegypto,dixit filijs suis: Quarè negligitis? * audiui quòd*
triticum venundetur in Aegypto: descendite, & emite no-
bis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur
3 *inopia: * Descendentes igitur fratres Ioseph decem, vt eme-*
4 *rent frumenta in Aegypto, * Beniamin domi retento à Ia-*
cob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quid-
5 *quam patiatur mali: * ingressi sunt terram Aegypti cùm alijs, qui pergebant ad*
6 *emendum. Erat autèm fames in terra Chanaan. * Et Ioseph erat princeps in ter-*
ra Aegypti, atquè ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumquè ado-
7 *rassent eum fratres sui, * & agnouisset eos quasi ad alienos duriùs loquebatur, in-*
terrogans eos: Vndè venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, vt ema-
8 *mus victui necessaria. * Et tamèn fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab*
9 *eis. * Recordatusquè somniorum, quæ aliquandò viderat, ait ad eos: Explorato-*
10 *res estis: vt videatis infirmiora terræ, venistis. * Qui dixerunt: Non est ita,*
11 *domine, sed serui tui venerunt, vt emerent cibos. * Omnes filij vnius viri su-*
12 *mus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali. * Quibus*
13 *ille respondit: Alitèr est: immunita terræ huius considerare venistis. * At illi:*
Duo-

Duodecim, inquiunt, serui tui, fratres sumus, filij viri vnius in terra Chanaan:
14 *minimus cùm patre nostro est, alius non est supèr.* * *Hoc est, ait, quod locutus*
15 *sum: Exploratores estis.* * *Iam nùnc experimentum vestri capiam: per salutem*
16 *Pharaonis non egrediamini hinc, donèc veniat frater vester minimus.* * *Mittite*
ex vobis vnum, & adducat eum: vos autèm eritis in vinculis, donèc proben-
tur quæ dixistis vtrum vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis explo-
17 *ratores estis.* * *Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus.* * *Die autèm tertio edu-*
18 *ctis de carcere, ait: Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enim timeo.* * *Si paci-*
19 *fici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos autèm abite, & ferte fru-*
20 *menta quæ emistis, in domos vestras,* * *& fratrem vestrum minimum ad me*
adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt vt
21 *dixerat,* * *& locuti sunt ad inuicem, Merito hæc patimur, quia peccauimus in*
fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, &
22 *non audiuimus: idcircò venit supèr nos ista tribulatio.* * *E quibus vnus Ruben,*
ait: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non audistis me?
23 *en sanguis eius exquiritur.* * *Nesciebant autèm quòd intelligeret Ioseph: eo quòd per*
24 *interpretem loqueretur ad eos.* * *Auertitquè separumper, & fleuit: & reuersus*
25 *locutus est ad eos.* * *Tollensquè Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit mini-*
stris vt implerent eorũ saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis
26 *suis, datis suprà cibarijs in viam: qui fecerunt ita.* * *At illi portantes frumenta*
27 *in asinis suis, profecti sunt.* * *Apertoquè vnus sacco, vt daret iumento pabulum*
28 *in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi,* * *dixit fratribus suis: Red-*
dita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatiquè mutuo di-
29 *xerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus?* * *Veneruntquè ad Iacob patrem*
suum in terram Chanaan, & narrauerunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes:
30 * *Locutus est nobis dominus terræ durè, & putauit nos exploratores esse prouinciæ.*
31 * *Cui respondimus: Pacifici sumus, nec vllas molimur insidias.* * *Duodecim fra-*
32 *tres vno patre geniti sumus: vnus non est supèr, minimus cum patre nostro est*
33 *in terra Chanaan.* * *Qui ait nobis: Sìc probabo quòd pacifici sitis: Fratrem ve-*
strum vnum dimittit apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, &
34 *abite,* * *fratremquè vestrum minimum adducite ad me, vt sciam quòd non sitis*
exploratores: & istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ
35 *vultis, emendi habeatis licentiam.* * *His dictis, cùm frumenta effunderent, sin-*
36 *guli repererunt in ore sacrorum ligatas pecunias: exterritisquè simul omnibus,* * *di-*
xit pater Iacob: Absquè liberis me esse fecistis, Ioseph non est supèr, Simeon tene-
37 *tur in vinculis, & Beniamin auferetur: in me hæc omnia mala reciderunt. Cui*
respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum in manu mea, &
38 *ego eum tibi restituam.* * *At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: fra-*
ter eius mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei aduersi acciderit in terra, ad
quam pergitis, deducetis canos meos cùm dolore ad inferos.

AV-

AVDIENS autèm Iacob moram & ipse trahens in terra famelica, & egente escis, *quòd alimenta venderentur in Aegypto*; percrebuerat fama hæc ob commercium populorum, & mercatorũ, de quibus suprà cap. 37. *dixit filiis suis: Quarè negligitis?* torpetis? *audiui quòd triticum venundetur in Aegypto, descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia. Descendentes igitùr fratres Ioseph decem.* Hic sisto, & cùm alijs quæro. Cùr Ioseph nunquàm significauerit patri, quem tristem ex sua absentia credere potuit? etenim dùm Putiphari per decẽnium seruiuit, dùm in carcere per triennium præerat, dùm in prosperitate per nouennium viuebat, quomodò dici potest defuisse ei occasionem id faciendi? Prima ratio Augustini, vt Iacob plus ex longo mœrore lucraretur apud Deum, bona; sic & duxit Abraham per tres dies mœrore confectum ob Isaac immolandum; sic & torsit Ioseph virũ Mariæ celando mysteriũ Matth. 1. Idem in multis alijs; sed non omnia tempora pertingens, luxit Iacob suum Ioseph, indoluit, irrugijt, credendum enim aliquandò lacrymis, & dolori pepercisse, proùt iubet Salomon dicens, ne fiat diuturnus luctus supèr mortuo; vndè dicitur Genes. 37. 34. Iacob lugens filium suum multo tempore; non igitùr sempèr; sic & Dauid 2. Reg. 12. 22. & seqq. & tempus solet mitigare dolorem. Secunda ratio Ruperti, ne si Iacob sciſset eum captiuum, mitteret qui illum redimerent, & impediretur præordinatio Dei circà populum suum bona; sed non comprehendit nisi tempus seruitutis, & carceris Ioseph; quandò enim fuit in prosperitate, hoc cessabat. Tertia ratio Thomæ Anglici, quia Deus reuelauerat Ioseph quid futurum, & iusserat, seù suggesserat silentium, diuinatiua est, & ad miracula confugiens. Credo ego hanc fuisse rationem omne tempus, statumquè Ioseph comprehendentem, vt somnijs Ioseph satisfieret; ideò permisit Deus, vt nunquàm aliquis decem fratrum veritatem patri suo reuelaret, nec Ioseph à quopiã patri reuelaturo recognosceretur, Pharaonem mutare ei nomen ad eundem effectum, nec Ioseph cogitare de patre certiorando, & fortè tùnc non erat vsus epistolarum; hìnc cap. 41. 51. Obliuisci me fecit Deus omniũ laborum meorum, & domus patris mei, imò nequè de somnijs; nàm scriptura non refert illorum memoratum Ioseph, nisi pòst adorationem fratrum, infrà vers. 9. *Recordatusquè somniorum*; idem contigit Mardochæo ignoranti quò tenderet somnium suum, nisi pòst principatum; vndè Esther 10. 4. dicebat: recordatus sum somnij, & tùnc illud interpretabatur, imò nequè in mentem Ioseph vmquàm occurrisse quò tenderent somnia, quomodò verificari possent, quomodò ipse superior fratribus, & solùm præeminentiam potuit suspicari potiùs in re familiari, & paterna; sìc Maria Virgo non reuelauit sponso suo Ioseph mysterium incarnationis, non Deo reuelante ne faceret, sed sic permittẽte, proùt nec Saul patruo de regno, nec Sãpson parentibus de melle ex cadauere leonis hausto; si enim pater, & fratres sciſsent Ioseph in Aegypto regnare, fratres timuiſsent descendere in Aegyptum, alios misiſsent seruos, vel amicos triticum empturos, nequè somnijs esset satisfactum adorationẽ illorum insinuantibus, nequè forsitàn pater illùc accessisset, sed rogasset annonam sufficientem ad se mitti, causasset ætatem, familiaria negotia; at nuntio adeò læto ex improuisò actus ad illum videndum properauit, imò adegit & retentio Beniamin facta à Ioseph: sed ad textum. *Descendentes igitùr fratres Ioseph decem*, posteà & Beniamin, & pater vt somnium verificaretur, vt emerent frumenta in Aegypto, *Beniamin* dilecto *domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali, ingressi sunt terram Aegypti cùm aliis, qui pergebant ad emendum; Erat autèm fames in terra Chanaan:* & hac de causa decem simùl descenderunt. *Et Ioseph erat princeps in terra Aegypti, atquè ad eius nutum frumenta populis vendebantur.* hoc dicit, vt appareat ad eum de necessitate à fratribus recursum. *Cumquè adoraſsent eum fratres sui* (eccè somnij adimplementum) *& Ioseph agnouiſset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur*, non ex odio, aut rancore animi; sed vel ioco, vel eos ad pœnitentiam addu-

adducturus. *interrogans eos* more principis, & Iudicis: *Vndè venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, vt emamus victui necessaria*. hoc subdunt suspicantes quò tenderet interrogatio. *Et tamèn fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis* Deo sic permittente. *Recordatusquè somniorum, quæ aliquandò viderat* (eccè nùnc illorum memoria, proùt & in Mardochæo) *ait ad eos: exploratores estis, vt videretis infirmiora terræ*, vndè expugnari possit, *venistis*. non affirmat Ioseph, more Iudicis suspicantis interrogat; ideò in hoc nullum mendacium; licet enìm Iudici suspicionibus agere. Vel hoc dixit etiàm in pœnam eorum, vt hac iniuria aliquid paterentur, proùt merebantur, quod licet; sicùt enim licuisset pœnam corporalem eligere, vtiquè licuit & hanc spiritualem, quæ quò magis elongatur à passo, & à veritate, eò magis angit, & torquet, vel vt cōuerterentur ab eorum malitia; sic Christus reprehendens: Serpentes, genimina viperarum. Ioannes: genimina viperarum, sìc Moyses, hæccine reddis Domino popule stulte, & insipiens? sicùt ad eundem effectum carceri eos mancipauit, vnum retinuit, etsi id factum pro Beniamin recipiendo. Dices, si non erat verum, quomodò non mendacium? dico quòad pœnam non quæritur de veritate dictorum, quia non dicitur tùnc quia sic est, sed vt displiceat; Vltrà quòd dixit vti Iudex eos exploratores, vt ipsi de se proferrent quales essent, & sciret an Beniamin, an pater viueret; prudentia ergò fuit interrogantis, non mendacium. *Qui dixerunt: non est ità Domine, sed serui tui venerunt, vt emerent cibos*, non exploraturi. Cibo indigemus, quo saturemur, hoc nobis curæ, quid ad nos qualis Aegyptus, vel eius munitiones? *Omnes filij vnius viri sumus*. Fortè hoc dicunt, ne ex magno eorum comitatu suspicio orta esset, quasi, ne mireris si tot simùl, quia omnes fratres *pacifici venimus*, non exploraturi, *nec quicquam famuli tui machinantur mali*. absit hoc à nobis, *Quibus ille respondit: Alitèr est, immunita terræ huius considerare venistis*. Sempèr more suspicantis Iudicis loquitur, non affirmantis; *At illi: duodecim (inquit) serui tui fratres sumus, filij verò vnius in terra Chanaan, minimus cùm patre nostro est*, remansit, *alius* duodecimus Ioseph *non est supèr*, defecit: sìc Apoc. 17. fuit, non est. erat, & non est. *Hoc est (ait) quod locutus sum; Exploratores estis*; sempèr loquitur more suspicantis, & vt faciat quod cogitabat. *Iàm nùnc experimentum vestri capiam; per salutem Pharaonis non egrediemini hinc donèc veniat frater vester minimus*; Sìc enim cognoscam an verba vestra veritate nitantur. *Mittite ex vobis vnum, & adducat eum, vos autèm* reliqui *eritis in vinculis donèc probètur quæ dixistis vtrum vera, vel falsa sint: aliòquin per salutem Pharaonis exploratores estis*, si scilicèt quæ dixistis, non probabuntur, apparebit, argumentum erit vos esse, quos dixi, non ergò periurium. *Tradidit ergò illos custodiæ*, carceri *tribus diebus*. Cur cùm illis & Ruben, qui in Ioseph non peccauerat? at ignorabat Ioseph; verba enìm *meritò* &c. fuerunt prolata pòst carcerem; sed satis peccauit & Ruben patri rem non manifestando, & in hoc conueniendo cùm fratribus; Satìs posteà fuit pòst illa verba illum non elegisse qui in custodia detineretur, sed Simeon. *Die autèm tertio eductis* illis *de carcere ait: Facite quæ dixi: mittite ex vobis vnum* etc. *& viuetis*, non interficiam vos tamquàm exploratores; *Deum enìm timeo*; ideò nihil à me iniustum expectetis. *Si pacifici estis*, proùt dixistis, *frater vester vnus ligetur in carcere* (moderatur primam iussionem) *vos autèm* alij *abite, & ferte frumenta, quæ emistis*, empturi estis *in domos vestras, & fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones*, an veri sint, *& non moriamini* tamquàm exploratores, non fuit periurium, si primò vnum tantùm dimittēdum dixit, posteà vnū tantùm retinendum concessit; nàm prima verba more Iudicum comminatiua erant, à quibus minis, vel etiam decreto firmo, et stabili recedere potuit ex gratia, vel iure, vt fit communitèr à Iudicibus mutantibus sententiam. *Fecerunt, vt dixerat*, iusserat Ioseph, *& dixerunt adinuicem: Meritò hæc patimur*, peccati grauitas nùnc eis apparet, *quia peccauimus in fratrem nostrum* Ioseph *innocentem*. Crudeles, qui *videntes angustiam animæ illius* flentis, *dum deprecaretur nos*,

nos, ne secum sic immanitèr ageremus, *&* *non audiuimus*, malitia obcœcati; *idcircò venit supèr nos ista tribulatio* magna; *E quibus vnus Ruben ait: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, & non audistis me?* noluistis attendere consilium meum? *en sanguis eius exquiritur*, eccè quomodò nùnc tribulamur, quomodò peccatum in illum factum nùnc in caput nostrum redundat. *nesciebant autèm quòd intelligeret Ioseph eò quòd per interpretē loqueretur ad eos. Auertitquè se parumpèr, & fleuit*, ne ipsi deprehenderent, *& reuersus locutus est ad eos. Tollensquè Simeon, & ligans illis præsētibus* per ministerium aliorum, hic fortè, qui in Sichimitas sœuit alijs in Ioseph sœuior fuerat, postquàm illi contigit detentio: Sic transmissi vt detinerentur Achior, et Micheas. Iudith. 6. 7. 2. Reg. 22. 27. *iussit ministris*, semotis arbitris, *vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis suprà cibarijs in viam*; *qui fecerunt ità*, eccè bonitas Ioseph, eccè quomodò non ad nocendum, sed ad conducendum Beniamin, et patrem omnia gesserat, eccè quomodò Deus misit antè eos virum. Psal. 104. 21. *At illi portantes frumenta in asinis suis profecti sūt* versùs Chanaan; *Apertoquè vnus sacco vt daret iumento pabulum in diuersorio contemplatus pecuniam in ore sacculi dixit* admirans *fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en* videte (ne putetis me mentiri) *habetur in sacco, & obstupefacti, turbatiquè mutuò dixerunt: Quidnàm est hoc, quod fecit nobis Deus?* Non enìm poterant ne suspicari quidèm vndè hoc esset. *Veneruntquè ad Iacob patrem suum in terram Chanaan, & narrauerunt ei omnia, quæ accidissent sibi, dicentes:* narrant omnia gesta cum Ioseph. *His dictis cùm frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias, exterritisquè simul omnibus* supèr hac re *dixit pater Iacob: Absquè liberis me esse fecistis, Ioseph non est supèr*, mortuus est, *Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis*, ducendo illum in Aegyptum; *in me hæc omnia mala reciderunt*, in caput meum hæc retorta iacula. *Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice.* hyperbolicè loquitur, sciens nec patrem accepturum, proùt Lot offerens filias non accepturis, vt ibì dixi; *si non reduxero illū tibi, trade illum in manu mea* ducēdum in Aegyptum, *& ego eum tibi restituam* incolumem: *At ille: Non descendet (inquit) filius meus* Beniamin *vobiscum. Frater eius* germanus Ioseph *mortuus est, & ipse solus remansit* ex Rachele, *si quid ei aduersi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos cùm dolore ad inferos*, ex dolore emoriar, viuere non potero dolore pressus.

CAPVT XLIII.

1 *INTERIM fames omnem terram vehementèr preme-*
2 *bat.* * *Consumptisquè cibis quos ex Aegyptò detulerant, dixit,*
Iacob ad filios suos: Reuertimini, & emite nobis pauxillum
3 *escarum.* * *Respondit Iudas: Denunciauit nobis vir ille sub*
attestatione iurisiurandi, dicens: Non videbitis faciem meā,
4 *nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.* * *Si*
ergò vis eum mittere nobiscum, pergemus paritèr, & eme-
5 *mus tibi necessaria:* * *sin autèm non vis, non ibimus: vir enìm, vt sæpè denun-*
ciauit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absquè fratre vestro minimo.
6 * *Dixit eis Israel: In meam hoc fecistis miseriam, vt indicaretis ei & alium ha-*
7 *bere vos fratrem.* * *At illi responderunt: Interrogauit nos homo per ordinem nostrā*
progeniem: si pater viueret: si haberemus fratrem: & nos respondimus ei consequen-
tèr iuxtà id quod fuerat sciscitatus: numquid scire poteramus quòd dicturus esset:
Ad-

33 *dere cùm Hebræis, & profanum putant huiuscemodi conuiuium)* * *sederunt coràm*
eo, primogenitus iuxtà primogenita sua, & minimus iuxtà ætatem suam Et mi-
34 *rabantur nimis,* * *sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorq. pars venit Be-*
niamin, ità vt quinque partibus excederet. Biberuntquè & inebriati sunt cùm eo.

I*NTERIM* (dùm ea agebātur intèr patrem, & fratres) *fames omnem terram vehemētèr præmebat;* eccè quomodò DEI ordinationi resisti nō potest; *Consumptisquè cibis, quos ex Aegypto* fratres *detulerant, dixit Iacob* prouidus *ad filios suos: reuertimini* in Aegyptum, *& emite nobis pauxillum escarum. Respondit Iudas. Denuntiauit nobis vir ille,* dominus terræ *sub attestatione iurisiurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum:* in hoc enim præmebat Ioseph. *Si ergò vis eum mittere nobiscum, pergemus paritèr & ememus tibi necessaria, sin autèm non vis,* vt Beniamin pergat nobiscum, *non ibimus,* ire non possumus; *vir enim, vt sæpè diximus, denunciauit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absquè fratre vestro minimo. Dixit eis* filijs suis *Israel: in meam hoc fecistis miseriam,* afflictionem, *vt indicaretis ei* domino *& alium habere vos fratrem,* quasi, quid referebat hoc ei enunciare? *At illi responderunt. Interrogauit nos homo per ordinē nostram progeniem, si pater viueret, si haberemus fratrē, & nos respondimus ei consequentèr iuxtà id, quod fuerat sciscitatus,* vt tenebamur, *nunquid scire,* diuinare *poteramus, quòd dicturus esset: Adducite fratrem vestrum vobiscum?* id enim alienum erat, nec cogitandum. *Iudas quoquè dixit patri suo: mitte puerum mecum, vt proficiscamur, & possimus viuere, ne moriamur nos, & paruuli nostri. Ego suscipio puerum;* sanguis eius supèr me, *de manu mea require illum, nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te* commissi *omni tempore,* sempèr. *Si non intercessisset dilatio,* quam tu pater interposuisti, *iàm vice altera venissemus. Igitùr Israel pater eorum dixit ad eos* necessitate compulsus, *si sic necesse est* duci Beniamin, *facite quod vultis,* ducite; *sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera,* ad illum beneuolum faciendum (eccè adoratio patris ad Ioseph) *modicum resinæ, & mellis, & storacis, stactes, & terebynthi, & amygdalarum. Pecuniam quoquè duplicem ferte vobiscum, & illam, quam inuenistis in sacculis, reportate, ne fortè errore factum sit,* vt vobis remanserit; sic & Tobias audiens hœdum balantem, quem alienum timuit, *sed & fratrem vestrum* Beniamin *tollite, & ite ad virum* dominum terræ. *Deus autèm meus omnipotens,* in cuius ditione cuncta sunt posita, & qui feroces reddit mansuetos, *faciat vobis eum placabilem,* ne vobis aliquid moliatur, *& remittat vobiscum fratrem vestrum* Simeonem, *quem tenet* in vinculis, *& hunc Beniamin, ego autèm* interìm dùm redibitis, *quasi orbatus absquè liberis ero,* cùm præsentia omnium defrauder. Cur potiùs ad verba Iudæ, quàm Ruben motus Israel? quia quandò Ruben dixit, tùnc redierant, & aderant escæ; nùnc quandò Iudas rogauit, escæ defecerant, vt dicit textus; ideò ne fame perirent ex necessitate missus Beniamin, nec aliud quærendum, vel constituenda differentia intèr verba Ruben, & Iudæ, vel considerandi illi, vel animus Iacob ergà singulos, quia hæc extranea à littera; dicit enim Iacob: *Si sic necesse est, facite quod vultis. Tulerunt ergò viri,* fratres *munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin, descenderuntquè in Aegyptum, & steterunt* adorabundi *coràm Ioseph* eccè & Beniamin, & sic stellæ vndecim adorātes, & pater, qui misit illos. *Quos cùm ille vidisset, & Beniamin simùl, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: introduc viros* hos *domum, & occide victimas,* proùt & Iacob in monte Galaad. Genes. 31. 54. *Et instrue conuiuium* lautè, *quoniàm mecum sunt comesturi meridie. Fecit ille quod sibi fuerat*

P

rat imperatum, & introduxit viros domum. Illiquè exterriti dixerunt mutuò: Proptèr pecuniam, quam retulimus priùs in saccis nostris, introducti sumus hùc quasi captiui, *vt deuoluat in nos calumniam, & violentèr subijciat seruituti & nos, & asinos nostros*; nam Beniamin duximus, vt ipse imperauit, quid aliud possumus secum habere negocij? sic in carceribus constituti conscientiæ stimulis agitantur, cogitantes quid vnquàm fecerint, de quó possint argui, *Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus locuti sunt. Oramus, Domine, vt audias nos. Iàm antè* hos dies *descendimus, vt emeremus escas, quibus emptis cùm venissemus ad diuersorium, aperuimus saccos nostros, & inuenimus pecuniam in ore saccorum*, vnus in diuersorio, alij domi, vnit factum, & loca, *quam nùnc eodem pondere reportauimus* vix sistere poterant, quin hæc aperirent, & se expurgarent, timentes ex hoc deprehendi, & puniri, *sed & aliud attulimus argentum, vt emamus quæ nobis necessaria sunt*, quasi, nolumus escas absquè argento, hoc dicunt ne prohiberentur ex hoc emere escas, *non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupijs nostris*, non possumus scire, nemo nostrum scit quomodò id contigerit. *At ille respondit, pax vobiscum sit, nolite timere*, timorem abijcite, *Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris*, Domino enim disponente id factum; *nàm pecuniam, quam dedistis mihi probatam, ego habeo* apud me, vndè cesset timor. *Eduxitquè ad eos Simeon*, absquè dubio Ioseph iubente; *Et introductis domum attulit aquam, & lauerunt pedes suos*; sic cùm peregrinis agebatur; vti actum ab Abraham, & Lot cùm Angelis; *deditquè pabulum asinis eorum*; sic Laban, & Bathuel cum seruo Abraham. *Illi verò parabant munera*, quæ pater deferri iusserat, *donèc ingrederetur Ioseph meridie; audierant enìm quòd ibi comesturi essent panem*, ibi conuiuaturi. *Igitùr ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntquè ei munera, tenentes in manibus suis, & adorauerunt proni in terram* (eccè somnij verificatio in vndecim stellis) *At ille clementèr resalutatis eis, interrogauit eos, dicens: saluus est ne pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhùc viuit? Qui responderunt; sospes est seruus tuus pater noster, adhùc viuit, Et incuruati adorauerunt eum*, eccè patris adoratio per eos facta. *Attollons autèm Ioseph oculos, vidit Beniamin fratrem suum vterinum, & ait: Iste est frater vester paruulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum: Deus (inquit) misereatur tui, fili mi*, idest augeat, benedicat te Deus. *Festinauitquè, quia commota fuerant viscera eius supèr fratre suo, & erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum fleuit*, sic & fleuerat prima vice; sic commota viscera veræ matris, quæ ideò pro vera matre cognita fuit coràm Salomone; audiens enim secandum puerum, potiùs voluit apud aliam remanere viuum 3. Reg. 3. 18. *Rursumquè lota facie egressus continuit se à lacrymis, & ait. Ponite panes*, afferte edulia. *Quibus appositis seorsùm Ioseph, & seorsum fratribus, Aegyptijs quoquè, qui vescebantur simùl* cùm Ioseph *seorsùm (illicitum est enim Aegyptijs comedere cùm Hebræis, & prophanum putant huiusmodi conuiuium* cum illis) *sederunt coràm eo, primogenitus iuxtà primogenita sua, & minimus iuxtà ætatem suam, & mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant* in conuiuio, *maiorquè pars venit Beniamin, ità vt quinque partibus excederet*. id actum, quia erga eum vterinum maiori mouebatur dilectione, hìnc curauit sedulò ad se deduci; & in discessu illum magìs honorauit, ità vt Ioseph has amoris significationes voluerit esse omnibus notas, non autèm vt experiretur an fratres illi inuiderent, nàm ad quid hoc seruiebat? nonnè poterant fingere? *Biberuntquè, & inebriati sunt cùm eo* Ioseph.

CAPVT

CAPVT XLIV.

1 PRAECEPIT autèm Ioseph dispensatori domus suæ, di-
cens: Imple saccos eorum frumento, quantùm possunt cape-
2 re: & pone pecuniam singulorum in summitate sacci. *Scy-
phum autèm meum argenteum, & pretium quod dedit tri-
3 tici, pone in ore sacci iunioris. factumquè est ità.* Et orto
4 mane, dimissi sunt cùm asinis suis. * Iamquè vrbem exie-
rant, & processerant paululùm: tùnc Ioseph accersito dispen-
satore domus, Surge, inquit, & prosequere viros: & apprehensis dicito: Quarè
5 reddidistis malum pro bono? *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit domi-
6 nus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis.* Fecit ille vt iusserat.
7 Et apprehensis per ordinem locutus est.* Qui responderunt: Quarè sìc loquitur do-
8 minus noster, vt serui tui tantùm flagitij commiserint?* Pecuniam, quam inueni-
mus in summitate saccorum, reportauimus ad te de terra Chanaan: & quomodò
9 consequens est vt furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? *Apud
quemcūque fuerit inuentum seruorum tuorum quod quæris moriatur: & nos erimus
10 serui domini nostri.* Qui dixit eis: Fiat iuxtà vestram sententiam: apud quem-
11 cumque fuerit inuentum, ipse sit seruus meus, vos autèm eritis innoxij.* Itaquè fe-
12 stinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. * Quos scrutatus, incipiens
13 à maiore vsquè ad minimum, inuenit scyphum in sacco Beniamin.* At illi scissis
14 vestibus, oneratisquè rursùm asinis, reuersi sunt in oppidum.* Primusq. Iudas cùm
fratribus ingressus est ad Ioseph (necdùm enìm de loco abierat) omnesquè antè eum
15 paritèr in terram corruerunt.* Quibus ille ait: Cur sìc agere voluistis? an ignora-
16 tis quòd non sit similis mei in augurādi scientia?* Cui Iudas: Quid respondebimus,
inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut iustè poterimus obtendere? Deus inuenit
iniquitatem seruorum tuorum: en omnes serui sumus domini mei, & nos, & apud
17 quem inuentus est scyphus.* Respondit Ioseph: Absit à me vt sìc agam: qui furatus
18 est scyphum, ipse sit seruus meus: vos autèm abite liberi ad patrem vestrum.* Ac-
cedens autèm propius Iudas, confidentèr ait: Oro domine mi, loquatur seruus tuus
verbum in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo: tu es enìm pòst Pharaonem
19 *dominus meus. Interrogasti priùs seruos tuos: Habetis patrem, aut fratrem?* & nos
20 respōdimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, & puer paruulus, qui in senectu-
te illius natus est; cuius vterinus frater mortuus est: & ipsum solùm habet mater
21 pater verò tenerè diligit eum.* Dixistiquè seruis tuis: Adducite eum ad me, & po-
22 nam oculos meos supèr illum.* Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere
23 patrem suum: si enìm illum dimiserit, morietur.* Et dixisti seruis tuis: Nisi vene-
24 rit frater vester minimus vobiscum, non videbitis ampliùs faciem meam.* Cùm
ergò ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narrauimus ei omnia quæ
25 locutus est dominus meus. *Et dixit pater noster: Reuertimini, & emite nobis pa-

26 rum tritici.* Cui diximus: Ire nō possumus: si frater noster minimus descenderit no-
biscum, proficiscemur simùl: alioquin illo absente, non audemus videre faciem vi-
27 ri.* Ad quæ ille respondit: Vos scitis quòd duos genuerit mihi filios vxor mea.
28 *Egressus est vnus, & dixistis: Bestia deuorauit eum: & hucusquè non compa-
29 ret.* Si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos
30 cùm mærore ad inferos.* Igitùr si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum, &
31 puer defuerit, (cùm anima illius ex huius anima pendeat) *videritquè eum non
esse nobiscum, morietur, & deducent famuli tui canos eius cùm dolore ad inferos.
32 *Ego propriè seruus tuus sim qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens:
33 Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.* Manebo ita-
què seruus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascendat cùm fratribus
34 suis.* Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis,
quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

P*RAECEPIT autèm* pòst prandium *Ioseph dispēsatori domus suæ dicens: Imple saccos eorum frumento quātùm possunt capere, & pone pecuniam singulorum*, quam tibi pro pretio dabunt *in summitate sacci, scyphū autèm meum argenteū, & pretiū, quod dedit,* pro dabit, *tritici pone in ore sacci iunioris. Factumquè estità, Et orto mane dimissi sunt* omnes *cùm asinis suis* onustis,ità vt pernoctauerint in domo Ioseph. Cur hoc de scypho? vt haberet apparentem causam iustam Beniamin retinendi, si ipsi abirēt, sin minus, & omni casu magìs angerentur, & pœnam sustinerent, quod in eorum delicti expiationem vtì Iudex potuit, & hanc in alio ex eis retento non sensissent; hìnc à mendacio perniciosо excusatur, & fortè ab officioso, postquàm rediјt in eorum pœnam, & tormētum. quia sicùt poterat pœnam corporalē inferre, ità potuit fingere spiritualē, qua torquerentur; fingens enìm hoc dicebat, sciebat rē alitèr esse, & vtì Iudex tentans, interrogans, suspicans; non ergò vt periculum faceret quales essent fratres ergà Beniamin, quia iàm viderat illum saluum, & hoc sufficiebat ei. Hìc nulla infamia, quia omnia citò aperiēda, & angor Beniamin parui momenti, & largè compensandus, nec omnia possunt ità componi, vt quandoquè innocens cùm nocentibus socius non patiatur aliquid incommodi. Non dicas, vt Beniamin retineret, donèc veniret pater, quia id nō fecit postquàm se manifestauit, ergò nequè priùs cogitauerat dè hoc firmitèr faciendo, sed finxit id velle, vt dixi; *Iamquè vrbem exierant, & processerāt paululùm; tùnc Ioseph accersito dispensatore domus, surge (inquit) & prosequere viros, & apprehensis dicito: Quarè reddidistis malum pro bono?* ingrati, *scyphus pretiosus quem furati estis*, dicit hoc tentando, & interrogando, inquirendo vt Iudex, non affirmando quod sciebat falsum. *ipse est, in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet;* sic credebatur, & secundùm aliorum credulitatem loquitur, sed falsum erat, quia sua diuinatio, & somniorum interpretatio erat à Deo, & sìc loquēdo nō mentitur, dùm se refert ad aliorum opinionem; fortè vult dicere, abstulistis illum ne vestrum deprehenderet furtū cùm illo, quasi sinè illo non posset, ideò dicit infrà se pollere augurandi scientia non restricta ad scyphum, cùm absquè scypho illos deprehendisset fures: *pessimam rem fecistis furando. Fecit ille* dispensator, *vt iusserat* Ioseph, *& apprehensis per ordinem loquutus est* quæ Ioseph imperauerat; *Qui responderunt: Quarè sic loquitur dominus noster*, fures nos appellando, *vt serui tui tantùm flagitij commiserint?* quasi, absit à nobis. *pecuniam, quam inuenimus in summitate saccorum, reportauimus ad te de terra Chanaan, & quomodò consequens*

est

est, vt furati simus de domo Domini tui aurum, vel argentum? hoc est improbabile, & inuerisimile. *Apud quemcunque fuerit inuentum seruorum tuorum quod quæris*, scyphus *moriatur & nos* reliqui *serui erimus domini nostri*, seruituti subdemur. *Qui dixit eis: fiat iuxtà vestram sententiam*, sed temperatè. *Apud quemcumque fuerit inuentum ipse sit seruus meus, vos autèm* reliqui *eritis innoxij* (eccè quò tendebat Ioseph acquirere iustam causam, & facultatem retinendi Beniamin in eorum tormentum, & pœnam) *Itaquè festinatò deponentes in terram saccos*, scientes se absquè culpa, *aperuerunt singuli. Quos* saccos *scrutatus* dispensator *incipiens à maiori vsquè ad minimum*, ne fraudem suspicarētur, *inuenit scyphum in sacco Beniamin; At illi scissis vestibus* præ amaritudine, *oneratisquè rursùm asinis reuersi sunt in oppidum* Ioseph conuenturi. Cur non se excusant pro veritate? quia reijcienda culpa in curiales, quod timuerunt esse nociuum, vel quia videbant se destitui probationibus; ideò prudētèr tacent. *Primusquè Iudas*, cui Beniamin commendatus, *cùm fratribus ingressus est ad Ioseph (necdum enim de loco abierat*, in quo dispensatori iusserat) *omnesquè antè eum paritèr in terram corruerunt*, adorātes, *Quibus ille* Ioseph *ait. Cur sic agere voluistis? an ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* quasi, augurio percepi furtum scyphi: hoc referri potest ad spiritum prophetiæ, ne dicamus Ioseph augurijs deditum, & loqui iuxtà morem Aegyptiorum, & eorumdem existimationē, non veritatem, at ipse secundùm veritatem. *Cui Iudas. Quid respondebimus (inquit) domino meo, vel quid loquemur, aut iustè poterimus ostendere*, quasi conuicti sumus, non habemus defensionem, *Deus inuenit*, propalauit *iniquitatem seruorum tuorum*, quam emendat, & *en omnes serui sumus domini mei, & nos, &* is, *apud quem inuentus est scyphus. Respondit Ioseph: Absit à me, vt sic agam*, vt innocentes cùm nocente puniam; *qui furatus est scyphum, ipse sit seruus meus; vos autèm abite liberi ad patrem vestrum*, nolo vos detinere. *Accedens autèm propiùs Iudas confidentèr ait: Oro domine mi, loquatur seruus tuus verbum in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo; tu es enim pòst Pharaonem dominus meus. Interrogasti priùs seruos tuos: habetis patrem, aut fratrem? Et nos respondimus tibi domino meo: est nobis pater senex, & puer*, filius alius *paruulus, qui in senectute illius natus est*, ideò illi charissimus, *cuius vterinus frater mortuus est*; sic dicit, proùt patri dixerant; ideò verba *non est supèr* intellexerunt pro mortuus est, *& ipsum solum habet mater sua*, idest ex matre sua is solus remansit; nàm alij ex alijs matribus orti; *pater verò tenerè diligit eum*. Suprà dedit rationem, quia in senectute illi natus est. *Dixistiquè seruis tuis, adducite eum ad me, & ponam oculos meos supèr eum*, nihil patietur mali, custodiam ego illum. *Suggessimus domino meo: non potest puer relinquere patrem suum; si enim* pater *illum dimiserit, morietur* præ dolore. *Et dixisti seruis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis ampliùs faciem meam*, non introducemini ad me. *Cùm ergò ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narrauimus ei omnia, quæ loquutus est dominus meus* cùm seruis suis, *Et dixit pater noster; reuertimini, & emite nobis parum tritici. Cui diximus: Ire non possumus, si frater noster minimus non descenderit nobiscum, proficiscemur simùl, alioquìn illo absente non audemus videre faciem viri*, qui sic dixit nobis. *Ad quæ ille respondit: vos scitis quòd duos genuerit mihi vxor mea* dilecta, & electa; *Egressus est vnus, & dixistis: bestia deuorauit eum, & hucusquè non comparet*; (eccè quomodò technas suas detegunt) *si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meo cùm mœrore ad inferos. Igitùr si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum, & puer defuerit (cùm anima* vita *illius ex huius anima*, vita *pendeat*, proùt anima Ionathæ conglutinata Dauid) *videritquè eum non esse nobiscum, morietur* illicò, *& deducent famuli tui canos eius cùm dolore ad inferos. Ego propriè seruus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi, dicens: Nisi reduxero illum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. Manebo itaquè seruus tuus pro puero*, in quouis *ministe-*

nisterio domini mei, & puer ascendet cùm fratribus suis, quæso id tibi placeat; Non enim possum redire ad patrem meum absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum (eo non viso) testis assistam mœrens, & pauidus.

CAPVT XLV.

1 NON se poterat vltrà cohibere Ioseph multis coràm astan-
tibus: vndè præcepit vt egrederentur cuncti foràs, &
2 nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.* Eleuauitquè vo-
cem cùm fletu: quam audierunt Aegyptij, omnisquè do-
3 mus Pharaonis.* Et dixit fratribus suis: Ego sum Io-
seph: adhùc pater meus viuit? Non poterant respondere
4 fratres nimio terrore perterriti.* Ad quos ille clementèr:
Accedite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè, Ego sum, ait, Ioseph, fra-
5 ter vester, quem vendidistis in Aegyptum.* Nolite pauere, nequè vobis durum
esse videatur quòd vendidistis me in his regionibus: pro salute enìm vestra mi-
6 sit me Deus antè vos in Aegyptum.* Biennium est enìm quod cœpit fames esse
7 in terra: & adhùc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti.* Præ-
misitquè me Deus vt reseruemini supèr terram, & escas ad viuendum habere
8 possitis.* Non vestro consilio, sed Dei voluntate hùc missus sum: quì fecit me
quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in
9 omni terra Aegypti.* Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei:
Hæc mandat filius tuus Ioseph: Deus fecit me dominum vniuersæ terræ Aegypti:
10 descende ad me, ne moreris,* & habitabis in terra Gessen: erisquè iuxtà me tu, &
filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ, & armenta tua, & vniuersa quæ
11 possides.* Ibiquè te pascam (adhùc enìm quinque anni residui sunt famis) ne &
12 tu pereas, & domus tua, & omnia quæ possides.* En oculi vestri, & oculi fratris
13 mei Beniamin vident quòd os meũ loquatur ad vos.* Nũciate patri meo vniuer-
sam gloriã meã: & cuncta quæ vidistis in Aegypto: festinate, & adducite eũ ad
14 me.* Cumq amplexatus recidisset in collũ Beniamin fratris sui, fleuit: illo quoquè
15 similitèr flente supèr collum eius.* Osculatusquè est Ioseph omnes fratres suos, &
16 plorauit supèr singulos: pòst quæ ausi sunt loqui ad eum.* Auditumquè est, & cele-
bri sermone vulgatum in aula regis: venerunt fratres Ioseph: & gauisus est Pha-
17 rao, atquè omnis familia eius.* Dixitquè ad Ioseph vt imperaret fratribus suis,
18 dicens: Onerantes iumenta, ite in terram Chanaan,* & tollite indè patrem vestrũ
& cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Aegypti, vt co-
19 medatis medullã terræ.* Præcipe etiã vt tollant plaustra de terra Aegypti, ad sub-
uectionem paruulorũ suorum ac coniugum: & dicito: Tollite patrem vestrum, &
20 properate quantocyùs venientes.* Nec dimittatis quidquam de supellectili ve-
21 stra: quia omnes opes Aegypti vestræ erunt.* Feceruntquè filij Israel, vt eis
mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra, secundùm Pharaonis imperiũ: &

ciba-

22 *cibaria in itinere.* * *Singulis quoquè proferri iussit binas stolas: Beniamin verò*
23 *dedit trecentos argenteos cùm quinque stolis optimis:* * *tantumdem pecuniæ & ve-*
stium mittens patri suo, addens & asinos decem, qui subueherent ex omnibus di-
24 *uitijs Aegypti: & totidem asinas, triticum in itinere, panesquè portantes.* * *Di-*
25 *misit ergò fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via.* * *Qui*
26 *ascendentes ex Aegypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob.* * *Et*
nunciauerunt ei, dicentes: Ioseph filius tuus viuit: & ipse dominatur in omni ter-
ra Aegypti. Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non cre-
27 *debat eis.* * *Illi econtrà referebant omnem ordinem rei. Cumquè vidisset plau-*
stra, & vniuersa quæ miserat, reuixit spiritus, * *& ait: Sufficit mihi si adhùc*
Ioseph filius meus viuit: vadam, & videbo illum antequàm moriar:

NON *se poterat vltrà cohibere Ioseph* mollibus, & lacrymabilibus verbis Iudæ perorantis motus, & victus, quin se fratribus cognoscendum traderet, *multis coràm astantibus* huic colloquio; *vndè præcepit, vt egrederentur cuncti foràs, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ* fiendæ. *Eleuauitquè vocem cùm fletu* magnam, *quam audierũt Aegyptij, omnisquè domus Pharaonis;* Citò enim hæc circumferuntur gesta à magnis viris. *Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph. adhùc pater meus viuit?* solicitus erat de illo. *Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti*; timor enim aufert vires, vt in Dauid. 1. Paralip. 21. 30. & in Balthassare Daniel. 5. 6. sic obmutuit territus ille absquè veste nuptiali. *ad quos* perterritos subleuandos *ille clementèr, accedite (inquit) ad me*, confidite, *Et cùm accessissent propè. Ego sum (ait) Ioseph frater vester, quem vendidistis* ducendum *in Aegyptum. Nolite pauere, nequè vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus* permansurum; *pro salute enim vestra misit me Deus antè vos in Aegyptum* præparaturum vobis alimenta, vt viuatis, sic Dauid Psal. 104. 21. misit antè eos virum, in seruum venundatus est Ioseph; sic infrà c. 50. 20. vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicùt inpræsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos; sic Mardochæus Esther. 5. 14. & quis nouit vtrum idcircò ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris? Ioseph à Deo recognoscit iniuriam fratrum, proùt Iob calamitates suas Iob. 1. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicùt Domino placuit, ità factum est, *Biennium est enim, quod cœpit fames esse in terra, & adhùc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti*, seù parum, *præmisitquè me Deus, vt* vos *reseruemini supèr terram, & escas ad viuendũ habere possitis*, quibus deficientes moreremini, *non vestro consilio* malo, *sed Dei voluntate* omnia prouidentes *hùc missus sum:* Deus à quo omnia recognosco, *fecit me quasi patrem*, educatorem *Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Aegypti*, vt plus mihi accedere non possit à Rege. *Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicetis* ei meo nomine: *Hæc mandat*, significat. idem 1. Paralip. 19. 5. *filius tuus Ioseph. Deus fecit me Dominum vniuersæ terræ Aegypti*; ad meum enim imperium omnia gubernantur, *descende ad me ne moreris*; & ne deti ctaret ob commercium cùm Aegyptijs, subdit: *habitabis* separatim *in terra Gessen erisquè iuxtà me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ, & armenta tua, & vniuersa, quæ possides. Ibiquè* in Gessen *te pascam (adhùc enim quinque anni residui sunt famis)* hoc addit, ne crederet citò famem euanescendam, & renueret accedere, *ne & tu pereas, & domus tua, & omnia* armenta, *quæ possides*, fame; *en oculi vestri, & oculi fratris mei Beniamin vident, quòd os meum loquatur ad vos* pacificè, clementèr, non per interpretem, proùt faciebam.

bam. *Nuntiate patri meo vniuersam gloriam meam*, maiestatem meam, *& cuncta quæ vidistis*, & audistis *in Aegypto* de me, *Festinate, & adducite eum ad me. Cumquè amplexatus recidisset in collum Beniamin fratris sui fleuit, illo quoquè similitèr flente supèr collum eius. Osculatusquè est Ioseph omnes fratres suos* in signum amoris, & reconciliationis veræ, *& plorauit* ex teneritudine animi *supèr singulos, pòst quæ* ab eo gesta *ausi sunt* illi fratres *loqui ad eum*, linguam soluere præ timore obtusam. *Auditumquè est, & celebri sermone vulgatum in aula Regis; Venerunt fratres Ioseph, & gauisus est Pharao, atquè omnis familia eius* (hinc qualis Ioseph) qui è carcere extractus, & suprà omnes constitutus etiàm ab illis, quibus præpositus erat, amaretur, faciens bona non solùm coràm Deo, sed etiàm coràm omnibus hominibus, apùd quos erat sinè querela, vt Iudith. *Dixitquè* Pharao *ad Ioseph, vt imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes iumenta* eciis *ite in terram Chanaan, & tollite indè patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me, & ego dabo vobis*, communicabo *omnia bona Aegypti, vt comedatis medullam terræ*, meliora, hæc non sunt verba prophetica, sed hominis liberalis hæc exhibentis; *præcipe etiàm, vt tollant plaustra de terra Aegypti ad subuectionem paruulorum suorum, ac coniugum, & dicito: Tollite patrem vestrum, & properate quantocyùs venientes*, ne fame pereatis, *Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra, quia omnes opes Aegypti vestræ erunt*, hic omnibus abũdabitis, & sic fuit in egressu. *Feceruntq. filij Israel, vt eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra secundùm Pharaonis imperium, & cibaria in itinere. Singulis quoquè proferri iussit binas stolas*, duplicia vestimenta. *Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis. tantumdem pecuniæ, & vestium mittens patri suo, addẽs & asinos decem, qui subueherent de omnibus diuitijs Aegypti, & totidem asinas triticum in itinere, panesquè*, cibaria *portantes*. hæc omnia, vt facto, & rebus suis constaret patri veritas narrandorum. *Dimisit ergò fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via*, pacifici sitis, pax sit vobiscum, nec aliud credo attendisse. *Qui ascendentes ex Aegypto venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob, Et nuntiauerunt ei, dicentes: Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Aegypti. Quo audito Iacob quasi de graui somno euigilans*, erat, *tamèn non credebat eis, Illi ècontrà referebant omnem ordinem rei. Cumquè vidisset plaustra, & vniuersa, quæ miserat*, ex his factus certus, *reuixit spiritus eius, & ait: sufficit mihi* hucusquè vixisse, *si adhùc Ioseph filius meus viuit, vadam, & videbo illum antequàm moriar.*

CAPVT XLVI.

1 *PROFECTVSQVE Israel cùm omnibus quæ habebat, venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibì vi-*
2 *ctimis Deo patris sui Isaac,* * *audiuit eum per visionem noctis vocantem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob. Cui*
3 *respondit: Eccè adsum.* * *At illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Aegyptum,*
4 *quia in gentem magnam faciam te ibì.* * *Ego descendam tecum illùc, & ego indè adducam te reuertentem: Ioseph quoquè ponet manus suas*
5 *supèr oculos tuos.* * *Surrexit autèm Iacob à puteo iuramenti: tuleruntquè eum filij cùm paruulis & vxoribus suis in plaustris, quæ miserat Pharao ad portan-*
6 *dum senem,* * *& òmnia quæ possederat in terra Chanaan: venitquè in Aegyptum*

7 *ptum cùm omni semine suo, * filij eius, & nepotes, filiæ, & cuncta simùl pro-*
8 *genies. * Hæc sunt autèm nomina filiorum Israel, quo ingressi sunt in Aegyptum,*
9 *ipse cùm liberis suis. Primogenitus Ruben. * Filij Ruben: Henoch & Phallu &*
10 *Hesron & Chaami. * Filij Simeon: Iamuel & Iamin & Ahod & Iachin &*
11 *Sohar & Saul filius Chananitidis. * Filij Leui: Gerson & Caath & Merari.*
12 ** Filij Iuda: Her & Onan & Sela & Phares & Zara. mortui sunt autèm*
Her & Onan in terra Chanaan. Natiquè sunt filij Phares: Hesron & Hamul.
13 ** Filij Issachar: Thola & Phua & Iob & Semron. * Filij Zabulon: Sared &*
14 *Elon & Iaheiel. * Hi filij Lia quos genuit in Mesopotamia Syriæ cùm Dina fi-*
15 *lia sua. omnes animæ filiorum eius & filiarum, triginta tres. * Filij Gad: Se-*
16 *phion & Haggi & Suni & Esebon & Heri & Arodi & Areli. * Filij Aser:*
17 *Iamne & Iesua & Iessui & Beriæ, Sara quoquè soror eorum. Filij Beria: He-*
18 *ber & Melchiel.* hi filij Zelphæ: quam dedit Laban Liæ filiæ suæ. & hos genuit*
19 *Iacob sexdecim animas. * Filij Rachel vxoris Iacob: Ioseph & Beniamin. * Na-*
20 *tiquè sunt Ioseph filij in terra Aegypti, quos genuit ei Aseneth filia Putiphare sa-*
21 *cerdotis Heliopoleos: Manasses & Ephraim. * Filij Beniamin: Bela & Bechor*
Asbel & Gera & Naaman & Echi & Ros & Mophim & Ophim & Ared.
22 ** hi filij Rachel quos genuit Iacob: omnes animæ, quattuordecim. * Filij Dan:*
23 *Husim. Filij Nephthali: Iasiel & Guni & Ieser & Sallem. * Hi filij Balæ,*
24 *quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: & hos genuit Iacob: omnes animæ septem.*
25 ** Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cùm Iacob in Aegyptum, & egressæ sunt de fæ-*
26 *more illius, absquè vxoribus filiorum eius sexaginta sex.* Filij autèm Ioseph, qui*
27 *nati sunt in terra Aegypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingres-*
28 *sæ sunt in Aegyptum, fuere septuaginta. * Misit autèm Iudam antè se ad Ioseph,*
29 *vt nunciaret ei, & occurreret in Gessen: * Quò cùm peruenisset, iuncto Ioseph cur-*
ru suo, ascendit obuiam patri suo ad eundem locum: vidensquè eum, irruit supèr
30 *collum eius, & intèr amplexus fleuit. * Dixitquè pater ad Ioseph: Iàm lætus*
31 *moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. * At ille locutus est*
ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui: Ascendam, & nunciabo Pha-
32 *raoni, dicamquè ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Cha-*
naan, venerunt ad me: & sunt viri pastores ouium, curamquè habent alendo-
rum gregum: pecora sua, & armenta, & omnia quæ habere potuerunt, addu-
33 *xerunt secum. * Cumquè vocauerit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum?*
34 ** Respondebitis: Viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra vsquè in præ-*
sens, & nos & patres nostri. Hæc autèm dicetis, vt habitare possitis in terra Ges-
sen: quia detestantur Aegyptij omnes pastores ouium.

PROFE-

PROFECTVSQVE *Israel* à terra Chanaan *cùm omnibus* animabus, & rebus, *quæ habebat, venit ad puteum iuramenti* in Bersabee oraturus Dominum, & consilia sua secum communicaturus; sìc Abraham Genes. 21. Isaac Genes. 26. ipse Genes. 28. *& mactatis ibi victimis* in holocaustum *Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionem noctis* ministerio Angeli *vocantem se, & dicentem sibi: Iacob, Iacob*; sìc Abraham, Abraham. *Cui respondit: eccè adsum. Ait illi Deus: ego sum fortissimus Deus patris tui*, Deus Sabaoth, Deus exercituum, *noli timere*. addit animum, vires, non quòd Iacob timore aliquo corriperetur; sìc enim cùm Abraham per visionem: noli timere, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis Genes. 15. sìc stabiliuit eundem Iacob Gen. 35. Surge, & ascende Bethel, &c. ad vota eius respondet. *descende in Aegyptum* lætus, *quia in gentem magnam faciam te ibi*. ibi adimplebo partem promissorum. *Ego descendam tecum illùc, & ego indè adducam te reuertentem* in semine tuo, quod multiplicabo. *Ioseph quoquè* quem diligis *ponet manus suas supèr oculos tuos*, hoc in morte tua habebis solatium, iàm ibat illum visurus, nec dubitabat non visurum. Gen. 45. in fin. *Surrexit autèm Iacob à puteo iuramenti, tuleruntquè eum filij cùm paruulis, & vxoribus suis* (dic filiorum, quia illarum Iacob nulla viuebat) *in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem, & omnia* mobilia, *quæ possederat in terra Chanaan, venitquè in Aegyptum cùm omni semine suo. Filij eius, & nepotes, filiæ, & cuncta simùl progenies*. de hac translatione Ios. 24. 4. Psal. 104. 22. Isa. 52. 4. Act. 7. 15. *Hæc sunt autèm nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum ipse cùm liberis suis*, quos deindè numerat nominatum, (sumat deindè vers. 26. *cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cùm Iacob in Aegyptum, & egressæ sunt de fœmore illius absquè vxoribus filiorum eius sexaginta sex, filij autèm Ioseph, qui nati sunt ei in terra Aegypti animæ duæ, Omnes animæ domus Iacob quæ ingressæ sunt in Aegyptum, fuere septuaginta*, additis Iacob, Ioseph, & duobus filijs eius, quandò verò à Septuaginta dicuntur septuaginta quinque, illud secùndùm tẽpus, quo scripsit Moyses, quia tùnc & alij quinque nati in Aegypto, non secùndùm tempus quo intrauit Iacob. *Misit autèm Iudam antè se ad Ioseph, vt nuntiaret ei* aduentum suum, *& occurreret in Gessen*. Occursus hi antiquissimi. de Melchisedech occurrente Abraham. Gen. 14. Hebr. 7. vbi dictum. *Quò cùm peruenisset* Iacob, *iùcto Ioseph currusuo ascendit obuiam patri suo ad eundem locum, vidensquè eum irruit supèr collum eius, & intèr amplexus fleuit. Dixitquè pater ad Ioseph: Iàm lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te*, quem planxi diù mortuum, *relinquo* pòst me; sic Simeon: nùnc dimittis, &c. *At ille* Ioseph *locutus est ad fratres suos, & ad omnem domum*, familiam *patris sui*, non ad patrem, ne aliquo tædio eum afficeret. *ascendam, & nũciabo Pharaoni, dicamquè ei: Fratres mei* (nil de patre, quia desierat custodire greges) *& domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerũt ad me, & sunt viri pastores ouium, curamquè habent alendorum gregum, pecora sua, & armenta, & omnia, quæ habere potuerunt, adduxerunt secum*. hoc fecit Ioseph, vt appareret Pharaoni quanti illum faceret in omnibus, præsertim his, in quibus aliqua suspicio oriri poterat, & quia decens erat ipsum priùs cùm Pharaone verba habere, antequàm sui ad eum introducerentur. *Cumquè vocauerit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum? Respondebitis: viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra vsquè in præsens & nos, & patres nostri*, aliud exercitium ignoramus; *Hæc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Gessen, quia detestantur Aegyptij omnes pastores ouium* tanquàm sordidos fortè, nàm ratio, quia edunt, & occidunt oues, quas ipsi venerantur, non aptabatur suis pastoribus easdem pro dijs colentibus, vt est verisimile, nisi dicas omnes pastores Aegyptios extraneos fuisse, diuersæquè religionis, quod vix credo.

CAPVT

CAPVT XLVII.

1 INGRESSVS ergò Ioseph nunciauit Pharaoni, di-
cens: Pater meus & fratres, oues eorum & armenta, &
cuncta quæ possident, venerunt de Terra Chanaan: & ec-
2 cè consistunt in Terra Gessen.* Extremos quoquè fratrũ suo-
3 rum quinque viros constituit coràm rege:* quos ille interro-
gauit: Quid habetis operis? Responderunt: Pastores ouium
4 sumus serui tui, & nos, & patres nostri.* Ad peregrinan-
dum in terra tua venimus: quoniàm non est herba gregibus seruorum tuorum, in-
grauescente fame in terra Chanaan: petimusquè vt esse nos iubeas seruos tuos in
5 Terra Gessen.* Dixit itaquè rex ad Ioseph: Pater tuus & fratres tui venerunt
6 ad te.* Terra Aegypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, &
trade eis Terram Gessen. Quòd si nosti in eis esse viros industrios, constitue il-
7 los magistros pecorum tuorum.* Post hæc introduxit Ioseph patrem suum ad Re-
8 gem, & statuit eum coràm eo: qui benedicens illi,* & interrogatus ab eo: Quot
9 sunt dies annorum vitæ tuæ?* Dies peregrinationis meæ centum triginta anno-
rum sunt, parui & mali, & non peruenerunt vsquè ad dies patrum meorum
10 quibus peregrinati sunt.* Et benedicto Rege, egressus est foràs.* Ioseph verò pa-
11 tri & fratribus suis dedit possessionem in Aegypto in optimo terræ loco, Ramesses
12 vt præceperat Pharao.* Et alebat eos, omnemquè domum patris sui, præbens ci-
13 baria singulis.* In toto enìm orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, ma-
14 ximè Aegypti & Chanaan.* E quibus omnem pecuniam congregauit pro vendi-
15 tione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis* Cumquè defecisset emptoribus
pretium, venit cuncta Aegyptus ad Ioseph, dicens: Da nobis panes: quarè mori-
16 mur coràm te, deficiente pecunia?* Quibus ille respondit: Adducite pecora ve-
17 stra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis.* Quæ cùm adduxissent,
dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & asinis: sustentauitquè eos il-
18 lo anno pro commutatione pecorum.* Venerunt quoquè anno secundo, & dixe-
runt ei: Non celabimus dominum nostrum quòd deficiente pecunia, pecora simùl
19 defecerunt: nec clàm te est, quòd absquè corporibus & terra nihil habeamus.* Cur
ergò moriemur te vidente? & nos & terra nostra tui erimus, eme nos in seruitutẽ
20 regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.* Emit
igitùr Ioseph omnem terram Aegypti, vendentibus singulis possessiones suas præ
21 magnitudine famis. Subiecitquè eam Pharaoni,* & cunctos populos eius à nouis-
22 simis terminis Aegypti vsquè ad extremos fines eius,* pratèr terram Sacerdotum,
quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbe-
23 bantur, & idcircò non sunt compulsi vendere possessiones suas.* Dixit ergò Ioseph
ad populos: En vt cernitis, & vos & terrã vestrã Pharao possidet: accipite semi
24 na, & serite agros,* vt fruges habere possitis. Quintã partem regi dabitis: quattuor
reli-

25 *reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familijs & liberis vestris.* *Qui
respondenerunt: Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantùm dominus noster,*
26 *& læti seruiemus regi.* *Ex eo tempore vsquè in præsentem diem in vniuersa ter-
ra Aegypti regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absquè terra*
27 *sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* *Habitauit ergò Israel in Aegypto,*
28 *idest, in Terra Gessen, & possedit eam: auctusquè est, & multiplicatus nimis.* *Et
vixit in ea decem & septem annis: factiquè sunt omnes dies vitæ illius centum*
29 *quadraginta septem annorum.* *Cumquè appropinquare cerneret diem mortis suæ,
vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo,
pone manum tuam sub fæmore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem,*
30 *vt non sepelias me in Aegypto: sed dormiam cùm patribus meis, & auferas me de
terra hac, condasquè in sepulchro maiorum meorum. Cui respondit Ioseph: Ego fa-*
31 *ciam quod iussisti.* *Et ille: Iura ergò, inquit, mihi. Quo iurante, adorauit
Israel Deum, conuersus ad lectuli caput.*

I*NGRESSVS ergò Ioseph nunciauit Pharaoni, dicēs: Pater meus, et fratres, oues eorum, & armenta, & cūcta, quæ possident,* (proùt tu dixeras) *venerunt de terra Chanaan, & eccè consistunt in terra Gessen.* vt sint minùs onerosi. *Extremos quoque* post se iàm ingressum *fratrum suorum quinque viros constituit coràm Rege;* non dicas extremos respectu fratrum; ad quid enìm hoc? quid sciebat Pharao de illorum qualitate? aut quid hoc importabat? voluit ergò ibi adesse illos pòst se, postquàm locutus erat Pharaoni, sicùt Nathan pòst Bersabee. 3. Reg. 1. 14. 23. & Ioab præmisit Thecuitem. 2. Regum 14. & noluit turbam, seù plures in conspectu eius apparere, vt res potiùs imminueretur, neuè essent molesti Pharaoni: at meliùs extremos, vltimos ex fratribus, vt 3. Reg. 12. 31. & fecit fana in excelsis, & Sacerdotes de extremis populi, & versic. 34. de nouissimis populi; id autèm prudentèr fecit Ioseph ad suam intentionem, quia hi iuniores apparebant viliores, & ineptiores. *quos* fratres *ille* Rex *interrogauit: Quid habetis operis?* cuius estis exercitij? *Responderunt: pastores ouium sumus serui tui, & nos, & patres nostri* antiqui. *Ad peregrinandum,* non manendum, extenuant, *in terra tua venimus* necessitate cōpulsi, causam veram eis proficuam dicūt, *quoniàm non est herba gregibus seruorum tuorum ingrauescente fame in terra Chanaā, petimusquè* indigētes pascuis, *vt esse nos iubeas seruos tuos* habitare *in terra Gessen,* vbi pascua pinguia. *Dixit itaquè Rex ad Ioseph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te. Terra Aegypti in conspectu tuo est,* tua est electio; sic Abimelech cùm Abraham Genes. 20. 15. terra coràm vobis est, vbicumquè tibi placuerit, habita; & Sichimitæ cùm Iacob, & filijs Gen. 34. 10. terra in potestate vestra est. *In optimo loco fac eos habitare, & trade eis Terram Gessen,* proùt petunt. *Quòd si nosti in eis esse viros industrios,* qui possint alijs præesse, *constitue illos magistros pecorum* armentorum *meorum. Post hæc* sic gesta (noluit in negocijs huiusmodi patrem) *introduxit Ioseph patrem suum ad Regem, & statuit eum* fortè manu ducens *coràm eo. Qui* pater *benedicens illi,* precatus bona Regi, *& interrogatus ab eo* Rege, *Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?* sic solemus senes prouectæ ætatis interrogare. *Respondit Iacob. Dies* tempus *peregrinationis meæ* in hac vita *centum triginta annorum sunt, parui, & mali, et non peruenerūt* (etsi tibi videar fortè lōgæuus) *vsq. ad dies patrū meorū, quibus peregrinati sūt* in hac valle miseriæ, qui fuerūt vitæ longioris; hìc dicit de statu præsenti, nō autē de futuro, quasi diuinet, se nō peruēturum ad ætatem illorū; hoc enim extraneum est, præsertim quia vixit adhùc decem & septem annis, versic. 28. & tùnc appropinquare vidit diem mortis, vt ibi. peregrini, & ho-

& hospites dicebant se supèr terram hi patres. Hebr. 11. 13. & omnes peregrinamur à Domino, non habentes ciuitatem permanentem, sed futuram inquirentes; ideò hìc non dicit *peregrinationis*, quasi commemorans statum suum vagum, dicit dies paruos, quia Sanctis omne tempus videtur paruum in seruitute Domini, & quia citò præterit; præterit enim figura huius mundi. Vndè Iob 9. 25. 26. dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, & non viderunt bonum, pertransierunt quasi naues poma portantes (non id proptèr odorem, sed quia de facili marcescunt, non durant) quæ citò peruenire nituntur, sicùt aquila volans ad escam *malos*. quia Sancti sempèr timent, iudicium bonum de se non proferũt; nàm qui iudicat, Dominus est; in timore, & tremore salutem operantur, nesciunt an amore, vel odio digni sint; ideò benè Iob: & non viderunt bonum. non dicas *malos* ob multas tribulationes; quia non is scopus Iacob. *Et benedicto Rege*, bona ei precatus à Deo, *egressus est foràs. Ioseph verò patri, & fratribus suis dedit possessionem in Aegypto in optimo terræ loco, Ramesses*, Gessen erat, sed tempore, quo scripsit Moyses, Ramesses dicebatur, vel erat pars melior regionis illius dictæ Gessẽ, quod fortè melius, *vt præceperat Pharao*, à cuius iussione Ioseph ne latum vnguẽ discedebat, *Et alebat eos, omnemquè domum patris sui, præbens cibaria singulis* (eccè adoratio.) *In toto enim Orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maximè Aegypti, & Chanaan*, è quibus locis Ioseph *omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis*, nihil sibi retinens more fidelis ministri. *Cumquè defecisset emptoribus pretium, venit cuncta Aegyptus ad Ioseph, dicens: Da nobis panes, quarè morimur coràm te deficiente pecunia?* præfer animas nostras vtilitati regiæ, *Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos si pretium non habetis. Quæ cùm adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & asinis, sustentauitquè eos illo anno pro commutatione pecorum*. Satisfecit Ioseph, quia posito in periculo vitæ non teneor de meo donare, si ille potest emere; vel dare eleemosynam, si ille potest commutare in aliã rem, vt hìc. *Venerunt quoquè anno secundo* fame pressi, *& dixerunt* ei Ioseph: *Non celabimus dominum nostrum, quòd deficiente pecunia pecora simùl defecerunt, nec clàm te est, quòd absquè corporibus*, vita, *& terra*, agris, *nihil habeamus* pro escis emendis; *Cur ergò moriemur te vidente*, & non subueniente? *& nos, & terra nostra*, agri nostri *tui erimus, Eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina, ne pereũte cultore redigatur terra in solitudinem*, germinet tribulos, & spinas. *Emit igitùr Ioseph omnem terram Aegypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis*, qua premebantur, *subiecitquè eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouissimis terminis Aegypti vsquè ad extremos fines eius*; non credo mutasse colonias, quia id fuisset durum; dulcis enìm amor patriæ, & quia reddidit terram venditoribus, non diuersis. Si tanta Deus ministerio sui Ioseph contulit Regibus, parum fuit si discedente populo mutuari, & mutuata illius esse voluit, vltrà seruitutem, & angarias, quibus pressus fuerat ab Aegyptijs; *pratèr terram sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis* ex munificentia regali, *quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcircò non sunt compulsi vendere possessiones suas*. hoc magnum exemplum principibus Christianis, quales debeant esse cùm Ecclesiasticis; ministri enìm Dei sunt in hoc ipsum seruientes Rom. 13. & qui altari seruit, de altari viuere debet, & si spiritualia seminant, est ne magnum si corporalia metant? *Dixit ergò Ioseph ad populos. En, vt cernitis, & vos, & terram vestram*, agros *Pharao possidet, accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis. Quintam partẽ Regi dabitis, quattuor reliquas permitto vobis in sementẽ, & in cibum familijs, & liberis vestris*, necesse enim erat futuris temporibus prouideri, aliòqui terra reducebatur in solitudinem, & hæc fuit optima conditio, quia terra Aegypti fertilis, vndè dimidia pars fructuũ poterat imponi, sed quia non omnes coloni, relinquenda erat portio pro non colentibus, *Qui responderunt: salus nostra in manu tua est*, in tua potestate est, *respiciat nos tãtùm dominus noster*, curam nostri agat,

& læti seruiemus Regi;Ex eo tempore vsquè in præsentem diem in vniuersa terra Aegypti Regibus quinta persoluitur fructuum, *& factum est quasi in legem* inuiolabilem, *absquè terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione* solutionis *fuit:* discant Principes; sic & tempore Esdræ factum, & Christus Matth. 17. 24. vbi dixi. quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? & ille dixit: ab alienis. Dixit illi Iesus: ergò liberi sunt filij, sicùt enim non possunt in personas, sic nequè in res eorum, quæ Domini sunt, Domino dicatæ, & sanctæ, reseruatæ,liberæquè, quibus cùm Domini sint,onus imponi non potest, & impositum illis tollitur, quia Deo omnium Domino consecrantur. *Habitauit ergò Israel in Aegypto,* & Psal. 104. 23. Et intrauit Israel in Aegyptũ, & Iacob accola fuit in terra Cham, *idest in terra Gessen, & possedit eam; auctusquè est; & multiplicatus nimis,* & Psal. 104. 24. & auxit populum suum vehementèr, & firmauit eum supèr inimicos eius, *Et vixit in ea decem & septem annis, factiquè sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum. Cumquè appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocauit filium suum* dilectum *Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo,* si tibi gratus sum, proùt censeo, *pone manum tuam sub fœmore meo* in signum iuramenti hoc fiebat. Genes. 24. 2. *& facies mihi misericordiam,* quasi etsi non tenearis, *& veritatem,* adimplementum, *vt non sepelias me in Aegypto, sed dormiam cùm patribus meis, & auferas me de terra hac, condasquè in sepulchro maiorum meorum.* Abraham, Isaac. Cur id? quia sciebat populum reducendum in terram Chanaã, in eaquè Messiam oriundum, & suo voto, & exemplo alios illùc trahere volebat, & ne figerent sedes perpetuas in Aegypto; sic & Ioseph infrà cap. 50. voluit ossa sua transferri. *Cui respondit Ioseph: Ego faciam quod iussisti. Et ille: iura ergò (inquit) mihi, Quo iurante,* factus tutus ex iuramento, quod credidit Ioseph obseruaturum, *adorauit Israel Deum,* gratiasquè illi egit de hac securitate à Ioseph habita, *conuersus ad lectuli caput,* qui erat locus magis absconditus, & remotus, & ab oculis aliorum segregatus, iuxtà illud: ora patrem tuũ in abscondito, & sibi magis commodus; iacens enim in lecto nõ potuit se in terram incuruare adoraturus; sic Dauid adorauit in lectulo suo. 3. Reg. 1. 47. & Ezechias conuersus ad parietem. Isai. 38. At translatio Septuaginta habet, adorauit fastigium virgæ eius, qua vsus S. Paulus Hebr. 11. 2. vbi dixi, inclinauit se ad fastigium, summitatem virgæ Ioseph, gratias agens ei de promissione iurata de suo cadauere in Chanaan exportando, proùt Esther osculata est summitatem virgæ Assueri. Esther 5. 2. Vna ergò lectio adorationem in Deum, alia in Ioseph refert, qua verificatur somnium eius. Gen. 37. nec potest vna lectio importare duas adorationes, nempè in Deum, & Ioseph, quia translatio Hebr. 11. dicit tantùm: adorauit fastigium virgæ eius, non ergò Deum, alia verò hìc *adorauit Deum,* non virgam, & in adoratione Dei nõ indigebat inniti virgæ,nec ob id altera falsa,quia ex diuersitate lectionum diuersi oriuntur sensus, nequè ex hoc inducitur falsitas, sed varietas lectionũ. Vel interpretare Pauli verba, proùt habet translatio Septuaginta.& adorauit Israel supèr summitatem virgæ eius, idest *adorauit Deum* supèr summitatem virgæ eius Ioseph, sìc & versio Syriaca Hebr. 11. & adorauit supèr fastigium virgæ eius, ità vt innixus virgæ; conuersusquè ad lectuli caput iuxtà alias versiones omnes adorauerit. Hinc nutat dictum Pinedæ Iob. 19. versicul. 25. Iob adorasse in virga corpus sui Redemptoris resurgentis, quod nullam habet soliditatem à littera. Sanctius Ierem. 48. 37. dicit idem esse caput lectuli, vel fastigium, idest caput virgæ. At quomodò probet, non video.

CAPVT

CAPVT XLVIII.

1 HIS ità transactis nunciatum est Ioseph quòd ægrotaret pa-
ter suus: qui assumptis duobus filijs Manasse, & Ephraim,
2 ire perrexit. * Dictumquè est seni: Eccè filius tuus Io-
seph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. * Et
3 ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Lu-
4 za, quæ est in Terra Chanaan: Benedixitquè mihi, * &
ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in tur-
bas populorum: daboquè tibi terram hanc, & semini tuo
5 pòst te in possessionem sempiternam. * Duo ergò filij tui, qui nati sunt tibi in Ter-
ra Aegypti antequàm hùc venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manasses,
6 sicùt Ruben & Simeon reputabuntur mihi. * Reliquos autèm quos genueris pòst
eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.
7 * Mihi enìm, quandò veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra
Chanaan in ipso itinere, eratquè vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, &
8 sepeliui eam iuxtà viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. * Vi-
9 dens autèm filios eius dixit ad eum: Qui sunt isti? * Respondit: Filij mei sunt,
quos donauit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam
10 illis. * Oculi enìm caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat.
11 Applicitosquè ad se, deosculatus & circumplexus eos, * dixit ad filium suum:
12 Non sum fraudatus aspectu tuo: insupèr ostendit mihi Deus semen tuum. * Cum-
13 què tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in terram. * Et posuit
Ephraim ad dexteram suam, idest ad sinistram Israel: Manassen verò in sini-
14 stra sua, ad dexteram scilicèt patris, applicuitquè ambos ad eum. * Qui exten-
dens manum dexteram, posuit supèr caput Ephraim minoris fratris: sinistram
15 autèm super caput Manasse qui maior natu erat, commutans manus. * Benedi-
xitquè Iacob filijs Ioseph, & ait: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres
mei Abraham, & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsquè in præ-
16 sentem diem: * Angelus, qui eruit me de cunctis malis, & benedicat pueris istis: &
inuocetur supèr eos nomen meũ, nomina quoquè patrum meorum Abrahã, & Isaac,
17 & crescant in multitudine supèr terram. * Videns autèm Ioseph quòd posuisset pa-
ter suus dexteram manum supèr caput Ephraim, grauitèr accepit: & apprehensam
manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre supèr caput
18 Manasse. * Dixitquè ad patrem: Non ità conuenit, pater: quia hic est primogeni-
19 tus, pone dexteram tuam supèr caput eius. * Qui renuens, ait: Scio fili mi, scio: &
iste quidèm erit in populos, & multiplicabitur: sed frater eius minor, maior erit il-
20 lo, & semen illius crescet in gentes. * Benedixitquè eis in tempore illo, dicens,
In te benedicetur Israel, atquè dicetur: Faciat tibi Deus sicùt Ephraim, & si-

21 *cùt Manasse. Constituitq. Ephraim antè Manassen.* Et ait ad Ioseph filiū suum:
En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetquè vos ad terram patrum ve-
22 *strorum.* Do tibi partem vnam extrà fratres tuos, quam tuli de manu Amor-
rhæi in gladio & arcu meo.

HIS ità *transactis* iurata promissione cadauer Iacob in Chanaan exportandum *nuntiatum est Ioseph, quòd ægrotaret pater suus, Qui assumptis duobus filijs suis Manasse, & Ephraim ire perrexit* ad eum; *Dictumquè est seni: eccè filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus* additis viribus ex nuncio *sedit in lectulo* illum excepturus, *& ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan.* Gen. 28. 13. *benedixitquè mihi, & ait: ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te in turbam populorum, daboquè tibi terram hāc, & semini tuo pòst te in possessionem sempiternam* (eccè quò tendebat benedictio Dei) Sed quomodò in possessionem sempiternam cùm à tot annis sint priuati? dic, si permansissent in veritate, sed quia defecerunt, Deus dispersit illos in virtute sua, & deposuit eos, reuersuros tamèn tempore Antichristi in fine Mundi, & in reliquijs suis saluandos, vel *sempiternam*, longo tempore. *Duo ergò filij tui, qui nati sunt tibi in tera Aegypti antequàm hùc venirē ad te, mei erunt, Ephraim & Manasses, sicùt Ruben, & Simeon.* (maiores nominat ad significandum quanti illos faciat) *reputabuntur mihi*, ac si de meo fœmore nati essent ad eorum honorem, & gloriam, volens eos cùm filijs meis de hæreditate, & promissis Dei participare; ideò præmisit Dei promissiones. *Reliquos autèm, quos genueris pòst eos tui erunt, & nomine fratrum suorum* ex te gignendorum *vocabuntur in possessionibus suis*, non erunt capita tribuum, proùt hi, alij enim filij mihi nasci non potuerunt, qui ad duodecim ascendant, sicùt necesse est, *Mihi enim quandò veniebam* in terra Chanaan *de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratquè vernum tempus, & ingrediebatur Ephratam, & sepelivi eam iuxtà viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem*, vndè non potui alios filios suscipere, hinc non potest dici informari Ioseph vbì mortua sua mater & sepulta, & tempus mortis, quia fortè tùnc puer erat hoc non considerans, vel memoria tenens, at potiùs more senum præterita referentium ex proposito, non ad se excusandū cur nō sepelierit in sepulchro maiorū, hìnc nutat quòd dicit Ephrē Orat. de Iosephi patientia quòd viderit, & adierit sepulcrum Rachelis matris suæ dū captiuus duceretur ab Ismaelitis in Aegyptum, quia nihil congruit etsi tùnc mortua fuisset, *Videns autèm filios eius, dixit ad eum: qui sunt isti? Respondit* Ioseph: *Filij mei sunt, quos donauit mihi Deus in hoc loco:* igitùr quæ prædicta sunt de Manasse, & Ephraim sunt per præoccupationem dicta. *Adduc (inquit* Iacob) *eos ad me, vt benedicam*, bona precer *illis*; *oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat.* reddit rationem cur illos non agnouerit; *applicitosquè ad se* à Ioseph *deosculatus, & circumplexus eos, dixit ad filium suum* Ioseph: *non sum fraudatus aspectu tuo*, vidi te, *insupèr ostendit mihi Deus semen tuum. Cumquè tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in terram* gratias agens patri benedicturo, & in filios suos illos recepturo; sic Ioab cùm Dauid 2. Reg. 14. 22. vel *adorauit*, gratias egit Deo. *& posuit Ephraim ad dexteram suam, idest ad sinistram Israel, Manassen verò in sinistra sua, ad dexteram scilicèt patris, applicuitquè ambos ad eum* benedicendos. *Qui* Iacob *extendens manum dexteram posuit supèr caput Ephraim minoris fratris, sinistram autèm supèr caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus, benedixitquè Iacob filijs Ioseph* stans vt suprà, *& ait: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei*, qui Deo placuerunt, fecerūt placita coram eo, *Abraham*

ham, *& Isaac*. in precibus, & meritis horum confisus (hos nominat Deo gratos) *Deus*, *qui pascit me ab adolescentia mea vsquè in præsentem diem*, qui sempèr prouidit mihi. *Angelus* suus, *qui eruit me de cunctis malis*, angustijs, *benedicat pueris istis*, multiplicet eos, omnia eis impartiatur, *& inuocetur supèr eos nomen meum*, *nomina quoquè patrum meorum Abraham*, *& Isaac*, ità vt dicantur filij mei. Adamus. Isa. 4. & hæredes, & participes sint promissorum mihi, & illis à Deo factorum, hi sint illorum, iuxtà illud, tantummodò inuocetur nomen tuum supèr nos, noster sis. Isai. 4. 1. *Et crescant in multitudinem supèr terram*, iuxtà easdem promissiones. *Videns autèm Ioseph*, *quòd posuisset pater suus dexteram manum supèr caput Ephraim*, *grauitèr accepit* præferri Ephraim Manasse, *& apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim*, *& transferre supèr caput Manasse*. *Dixitquè ad patrem*: *non ità conuenit pater*, *quia hic* Manasses *est primogenitus*, *pone dexteram tuam supèr caput eius*; cur enim postponitur? Qui Iacob *renuens ait*: *scio fili mi*, *scio* quid facio, *& iste quidèm* Manasses *erit in populos*, *& multiplicabitur*, latè propagabitur, *sed frater eius minor* Ephraim *maior erit illo*, *& semen illius crescet in gentes*; & sic prophetauit; sicquè euenit, nam regnum Israel datum fuit Ieroboam Ephratæo. 3. Regum 12. quod durauit in illa tribu vsquè ad captiuitatem perpetuam decem tribuum; *benedixitquè eis in tempore illo*, *dicens*: *in te benedicetur Israel*, *atquè dicetur*: *faciat tibi Deus sicùt Ephraim*, *& sicùt Manasse*, tanta erit eorum gloria. *Constituitquè Ephraim antè Manassen*, proùt Isaac Iacob antè Esau, & sic multotiès primogeniti in Scriptura postpositi. *& ait* deindè *ad Ioseph filium suum*: *en ego morior*, morti proximus sum, *& erit Deus vobiscum*, *reducetquè vos* priùs afflictos *ad terram patrum vestrorum*, patribus vestris promissam, & semini eorum generatione quarta. Genes. 15. *Do tibi partem vnam extrà*, vltrà *fratres tuos*, *quam tuli de manu Amorrhæi in gladio*, *& arcu meo*. Hæc fortè illa, in qua pascebant in Sichimis, quandò indè in Dothain perrexerant, vbì vendiderunt Ioseph, hanc emit Iacob à filijs Hemor. Genesis 19. quomodò verò *in gladio*, *& arcu meo*, quia nullibì habetur, & inuerisimile est tulisse tùnc, cùm filij sui exacerbati trucidauerunt Sichimitas, cùm illorum factum damnauerit, ignoro, & magìs placet non omnia scripta; vel emptam partem, & eam aliquandò ab Amorrhæis occupatam arcu, & gladio receptam: vide recentiores Actor. 7. dicentes in arcu, & gladio pecunia quæsita in labore, & sudore multo, dùm seruiuit Laban, quod parùm placet. vide Abulens. Mas. Serrar. Magalia. Ios. 24.

CAPVT XLIX.

1 *VOCAVIT autèm Iacob filios suos, & ait eis: Congre-*
gamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus
2 *nouissimis. * Congregamini, & audite filij Iacob, audite*
3 *Israel patrem vestrum. * Ruben primogenitus meus, tu*
fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis,
4 *maior in imperio * Effusus es sicùt aqua, non crescas: quia*
ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius,
5 ** Simeon, & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia. * In consilium eorum non*
6 *veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo oc-*

7 ciderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. * Maledictus furor
eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob,
8 dispergam eos in Israel. * Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus
9 inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. * Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscita-
10 bit eum? NON AVFERETVR sceptrum de Iuda, & dux de femore eius,
11 donèc veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. * Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ò fili mi, asinam suam. Lauabit in vino
12 stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. * Pulchriores sunt oculi eius
13 vino, & dentes eius lacte candidiores. * Zabulon in littore maris habitabit, &
14 statione nauium pertingens vsquè ad Sidonem. * Issachar asinus fortis accubans
15 intèr terminos. * Vidit requiem quòd esset bona: & terram quòd optima: & sup-
16 posuit humerum suum ad portandum, factusquè est tributis seruiens. * Dan iudi-
17 cabit populum suum sicùt & alia tribus in Israel. * Fiat Dan coluber in via, ce-
18 rastes in semita, mordēs vngulas equi, ut cadat ascensor eius retrò, * SALVTARE
19 tuum expectabo Domine. * Gad accinctus præliabitur antè eum: & ipse accinge-
20 tur retrorsùm. * Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. * Nephthali,
21 ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. * Filius accrescens Ioseph, filius
22 accrescens & decorus aspectu, filiæ discurrerunt supèr murum. * Sed exasperaue-
23 runt eum, & iurgati sunt, inuideruntquè illi habentes iacula. * Sedit in forti ar-
24 cus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus po-
25 tentis Iacob: indè pastor egressus est lapis Israel. * Deus patris tui erit adiutor tuus,
& omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desupèr, benedictionibus abyssi ia-
26 centis deorsùm, benedictionibus vberum, & vuluæ. * Benedictiones patris tui
confortatæ sunt benedictionibus patrū eius: donèc veniret desiderium collium æter-
27 norum: fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi intèr fratres suos. * Benia-
28 min lupus rapax, mane comedet prædam, & vesperè diuidet spolia. * Omnes hi
in tribubus Israel duodecim: hæc loquutus est eis pater suus, benedixitquè singu-
29 lis, benedictionibus proprijs. * Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum
meum: sepelite me cùm patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron
30 Hethæi, * contrà Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cùm agro
31 ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri. * Ibì sepelierunt eum, & Saram
vxorem eius: ibì sepultus est Isaac cùm Rebecca coniuge sua: ibì Lia condita ia-
32 cet. * Finitisquè mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos supèr lectulum, & obijt: appositusquè est ad populum suum.

VOCA-

VOCAVIT autèm Iacob *filios suos* omnes, *& ait eis: Cōgregamini* ad me, *vt annuntiem* in hoc vltimo vitæ meæ spiritu *quæ ventura sūt vobis*, & posteris vestris *in diebus nouissimis*, posteà futuris, in posterum decurrendis de tempore in tempus; & etiàm nouissimis, idest in fine, vel circà finem mundi, proùt aliàs solent hæc verba desumi apùd Paulum, quia aliqua ex annūtiatis ad illa etiàm tempora perueniunt; sic soliti antiqui Patres Isaac Gen. 27. Moyses Deut. 31. & seq. Iosſ. vlt. Samuel. 1. Reg. 12. Tobias c. 3. Mathathias 1. Machab. 2. 48. Christus Io. 14. & seqq. Vide Abul. 1. Para. 28. q. 24. vbi de Dauid. *Congregamini*: replicat ob rerum annuntiandarum importantiam. *& audite*, & memoriæ commendate *filij Iacob, audite Israel patrem vestrum* vos ventura doctur ū. *Ruben primogenitus meus* ex Lia. *tu fortitudo mea*, brachium meum, in quo confidebam, *& principium doloris mei* in cumulando bona cùm maximo meo labore, & ærumnis, sic Psal. 104. & percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum, nàm non fuit principium doloris ex concubitu cùm nouerca, quia alia præcesserunt; nisi dicas *principium doloris*, dolor maximus, alios superans, vel *principium doloris mei* ob stuprum Balæ, proùt amissio primogenitorū Aegyptijs, obstat tamèn quod dixi, *prior in donis*, quia primogenitus scilicèt principium liberorū, cui primogenita debebantur Deut. 21. *maior* etiàm *in imperio*. Gen. 27. tibi eìm debebatur regnum promissum posteris meis. hìc nihil de sacerdotio; ideò dic non probari sacerdotium primogenitis tūc deberi, vt aliàs dixi, & Num. 2. non probatur contrarium; & tàm Cain primogenitus, quàm Abel minor sacrificia obtulerunt Domino; sic Moyses, & Aaron; *effusus es sicut aqua* effusa ad nihil apta, tractus æstu libidinis; vndè es ac si non esses, ineptus augeri. Psal. 21. sicùt aqua, cuius non remanet vestigium, vel valor, effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea; non dicas, effusus in libidinē, quia de illa infrà expressè. *non crescas*, nō cresces vlteriùs, non progredieris, imò paruus eris & in numero, sic Moyses Deut. 33. 6. viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero. *quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius* concumbens cùm Bala Gen. 35. 22. quod peccatum improbauit & Paulus 1. Cor. 5. & illud abominans Dauid non se miscuit ampliùs cùm concubinis ab Absalone stupratis 2. Reg. 16. quod aliqui autumant fecisse & Iacob, quod verisimilitèr credendum, quia & Iudas à Thamar cognita abstinuit Gen. 38. 27. Hæc prophetia, quia sic contigit; nàm de hac stirpe nullus regnauit, Iudæ datum imperium in Dauid, primogenita Ioseph, qui habuit duas partes in duobus filijs Ephraim, & Manasse. 1. Paralip. 5. *Simeon, & Leui fratres* socij *vasa*, instrumenta sunt *iniquitatis*, iniqua *bellantia*, ad bella parata, homines iniqui, armis ad cœdem, & exitium aliorum dolo abutentes; hi enìm cœdis Sichimitarum dolosi, & iniqui auctores Gen. 34. *in consilium eorum non veniat anima mea*, consensus meus, mēs mea, absim, longè fiam ab eorū consilio iniquo, *& in cœtu illorum non sit gloria mea*, & in illorū conuentu, consortio non sit gloria mea, vt ego glorier de eorum gestis, putemquè malè ab eis gesta rectè facta, clarè enìm deliquerunt; hìnc Iacob non consensisse cœdi Sichimitarum; *quia in furore suo*, in ira eorum *occiderunt virum* pro viros, sicùt musca pro muscis. Exod. 8. capillum pro capillis Daniel. vlt. 35. quod eis non licuit pace iàm inita. An hi peccauerint, vide Magalia. Iosſ. 6. vers. 18. anno. 5. nu. 2. & suprà dixi, *& in voluntate sua* sola mala pertinaces *suffoderunt murum*, vastauerunt cuncta, quæ erant in domibus, & in agris Sichem. Gen. 34. 28. hic pro muro non potest capi princeps, quia iàm de principe actum, & verbum *vastauerunt* illi non aptatur, at rectè depopulationi, nedum factum illorum approbo, sed *maledictus*, non illi, sed *furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura*, inuincibilis; non enìm cessauerunt à cœde, donèc omnia consumarent; hìnc posset argui Iacob se interposuisse per nuncios audito eorum facinore, vt desisterent, sed in vanum. Non credo hìc agi de Ioseph venditione, quia tota series est de Sichimitis; *diuidam eos in Iacob, & disperdam*

dam

dam eos in Israel, vt sic diuisi non vniantur amplius ad malum patrandum. Dauid dicebat. diuide linguas eorum Psal. 54. & Deus diuisit fabricatores ex linguarũ multiplicatione ad turrim Babel; & sic contigit, hæc enim prophetia: quia tribus Simeon non habuit distinctam regionem, sed recepta fuit cũ Iuda Ios. 19. & Leui dispersa fuit intèr omnes tribus; Hinc Moyses non facit mentionem tribus Simeonis, quia erat sub alia tribu, nempè Iuda, & vt sic verificaretur dispersio dicta per Iacob, quæ est suppresio tribus; non autèm quia Simeon fuerit auctor venditionis Ioseph, nàm non constat, & Iacob in ea non facit fundamentum, sed in occisione Sichimitarum; vel quia Zamri Num 25. in lupanari cùm Madianitide à Phinees fuerit transfixus, quia omnes principes peccauerant, & inuerisimile ad vnum Zamri rem restrictam. *Iuda te laudabunt fratres tui*, omnes tribus magnificabunt te, ità vt & Iudæi omnes à te denominẽtur: Sic enim pòst diuisum regnum intèr Dauid, & Isboseth, & Roboam, & Ieroboam, & post captiuitatem Babylonicam *manus tua*, potentia tua *in ceruicibus inimicorum tuorum* incuruandis erit, in victorijs inimicorum, quorum dùm debellantur, ceruices curuari dicuntur, sic Baruch. 4. 25. supèr ceruices ipsius ascẽdes, & Leuit. 26. 13. Deus exprobrat, qui confregi catenas ceruicum vestrarũ; quod cœptum in alio Iuda. Iudi. 1. & impletum in Dauid primo Rege ex stirpe, seù tribu Iuda. *adorabunt te filij* descendentes *patris tui* incuruabuntur antè te, apud quem sceptrum; & concordat Moyses, vt infrà. *Catulus Leonis Iuda*, fortissimus vt leo in iuuentute; eadem phrasis Michææ 5. 8. & 1. Machab. 3. 4. cœpit apparere hæc fortitudo in eodem Iuda filio Iacob, in quẽ verba dirigebantur 1. Paralip. 5. Iudas erat fortissimus intèr fratres suos, de stirpe eius principes generati sunt: in tribu Iuda mortuo Iosue Iudi. 1. vbì iussũ à Deo Iudam ascendere; in Dauid vrsos, & leones dismembrante, Goliath interficiente 1. Reg. 18. *ad prædam fili mi ascẽdisti*; ascẽdes inimicis deuictis, gloriosus eris in victorijs, prædamquè onustus referes, sic sempèr Dauid proficiscens, & robustior 2. Reg. 3. 1. & tandèm Rex Iuda mortuo Saul, & Israel occiso Isboseth, à quo, & à Saulis domo regnum in eum translatum. 2. Reg. 3. 4. 5. Vndè Moyses Deut. 33. 8. Audi Domine vocẽ Iudæ, ad vota eius respice, & ad populum suum introduc eum, præfer, da illi imperium supèr populum, manus eius pugnabunt pro eo populo, & adiutor illius populi contrà aduersarios erit, & sìc vincet; & debellabit hostes suos, *requiescens* postquàm regnum adeptus eris. vel à bellis, in quibus victor prædam referes *accubuisti* tutus *vt leo, & quasi leæna*, quos præda onustos, & accubantes aliæ feræ nõ audent tangere id in Salomone rege pacifico; similis phrasis Oseæ. 5. 8. & Isa. 49. 24. nunquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robusto saluum esse poterit? quod verificatum in Dauid, & cognouit Dauid, quoniàm confirmasset eum Dominus Regem supèr Israel &c. 2. Reg. 5. 13. & 7. & 8. *quis suscitabit eum?* quis nocebit illi? quis auferet ab eo diadema? prædam? nullus poterit contrà eum; ideò subdit de illius duratione, *non auferetur sceptrũ de Iuda* postquàm regnum acquisierit, hìc enim in principio nulla præfixio temporis, & à regno auspicandum, non antè; hinc *& dux de fæmore eius*, sceptrum tenens, nàm priùs dandus habitus, vt sequatur priuatio, priùs regnum, vt detur ablatio, vndè non potest dici *non auferetur sceptrum de Iuda & dux de fœmore eius* absq. sceptro, sed vniendũ vtrumque ad intelligentiã fœmoris. Eccl. 47. 21. de Salomone, & inclinasti fœmora tua mulieribus; *donèc veniat qui mittendus est*, Messias, quasi, diù durabit regnum eius, sceptrum eius vsquè ad Messiæ aduentũ, hoc modo vtitur ad perpetuitatem rei demonstrandam; vndè incidentèr agit de aduentu Messiæ; scopus enim principalis videtur esse in demonstranda regni duratione; hinc est, quòd nequè pronunciat clarè Messiam ex tribu Iuda oriundum, sed simpliciter *donèc veniat qui mittendus est* in abstracto, nulli hærẽs, & dubium erat, quia Abrahæ dictum ex semine suo oriũdum, in Esau, & Iacob clarè, sed quia Iacob 12. filios habuit iunctis duobus Ioseph, erat dubium in quo illorum verificaretur, quod cessauit ex promissione facta Dauidi, vndè Zacharias, & erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui, at cũ

de

de eo sub hac benedictione, ideò & de illa oriūdū prædixit, inseruntur enim in qualibet benedictione ea quæ ad tribum, cui fit, pertinent, hùcusque verba de Iuda, nō ad Messiā trahenda, nùnc de Messia, *& ipse* Messias *erit expectatio gentium*. desiderium gentiū, quia ab eis recipietur; non erit solius populi Hebræi, etsi ad eum missus Dux, proùt alij, qui etiàm ab ipsis expectabatur, vndè Ioānes in legatione ad Christum, tu es, qui venturus es, an alium expectamus? sed omnium gentium, omnium populorum, totius mundi; sic Aggæi 2. eccè veniet desideratus cunctis gentibus, & Isa. 11. erit radix Iesse, & consurget qui sit princeps gentium, & in eo gentes conuersæ sperabunt, & audituræ euangeliū eius in eum credent. *expectatio* etiàm, quia ab eo adiutorium recipient; sic expectantes solent præsumere Isa. 33. 2. te enim expectauimus, & Isa. 42. 4. & legem eius insulæ gentes expectabunt, &c. 51. 5. me insulæ expectabunt, & c. 59. 11. expectauimus iudicium, & non est, salutem, & elongata est à nobis. & c. 65. 9. me insulæ expectant; sic Ier. 14. 8. 19. 22. & 17. 13. Ezech. 19. 5. Mich. 7. 7. Mat. 12. 21. eccè tibi prophetia gentium saluandarum, quam & Simeon protulit: Lumen ad reuelationem gentium; *ligans* pòst tot victorias, quibus requiescet terra, & sceptrū diuturnum, *ad vineam pullum suum, & ad vitem, ò fili mi, asinam suam*, idest tutò manēs in habitationibus, & agris tuis à nullo tibi timens, est enim phrasis Scripturæ concordatquè cùm præcedentibus *requiescens accubuisti &c.* & hoc beneficium Iudæ redundat in omnem populum Israeliticum; sic 4. Reg. 18. 32. & comedet vnusquisque de vinea sua, & de ficu sua; & bibetis aquas de cisternis vestris, & 3. Reg. 4. 25. habitabuntquè Iuda, & Israel absq. timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua; & Isa. 36. & 1. Machab. 14. 12. & sedit vnusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua, & nō erat qui eos terreret; sic & Michææ 4. 4. & nedum tutus erit, sed abundabit; nàm *lauabit in vino stolam suam*, vestes suas *& in sanguine vuæ* (& sanguinem vuæ biberet meracissimum, dixit Moyses) *pallium suum:* repetit idem per diuersa verba ad abundantiam vini, & sub vino omnium rerū denotandam; sic Isa. 49. 26. & quasi musto sanguine suo inebriabuntur, & Psal. 71. & erit firmamentum in terra in summis montiū, superextolletur supèr libanum fructus eius. Pined. de reb Salo. lib. 6. c. 20. vers. 16. *Pulchriores sunt oculi eius vino* proptèr vinū, ad idem tēdit ad demonstrandam vini abundantiam; quandò enim bibitur vinum ad satietatem, apparent oculi rubicundi; *& dentes eius lacte* (sub lacte omnia cibaria bona, proùt aliàs sub lacte, & melle, & terra fluente lac, & mel, omne bonum) *candidiores*, quia comedet pinguia, & in crassitudine delectabitur anima sua; quandò enim cibi boni degustantur, dentes apparent nitidi, & albi, proùt lac, non dicas ex esu lactis, quia potiùs atrescunt, quàm albescunt; seù suprà lac, & vinum oculi, & dentes per hyperbolem; sed primus melior.

Sed quæritur quomodò verificanda esset hæc prophetia Iacob? & respondeo in sola tribu Iuda.

Primò, quia Iacob ad solum Iudam filium suum loquitur, & illam dirigit ter illum nominans; vndè ad alias tribus trahi non potest.

Secundò, quia dicit *laudabunt te fratres tui adorabunt te filij patris tui*; dat ei prælationem supèr alias, ergò de illa sola tribu prophetia intelligenda, non de laudaturis, adoraturis, seruituris.

Tertiò, quia dicit *manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum*, & alia sequentia alijs tribubus, quæ ea non præstiterunt, inepta.

Quartò, quia dicit: *dux de fæmore eius nō auferetur*, scilicèt Iudæ, quem præmiserat: at nequè sensus, nequè verbum *fæmur* potest aptari alijs tribubus, vel ex alijs descendentibus, & hoc eneruat omne argumentum protendendi prophetiam, seù sceptrum ad alias tribus.

Quintò, quia innuit tempore sceptri, seù regni eius futuram abundantiam, pacem, securitatemquè magnam, vt dictum supèr illis verbis *ligans &c.* & hæc fuit tempore Dauidis pòst hostes debellatos, & Salomonis, qui fuit dictus Rex pacificus; tempore autèm Pontificum, seù sacerdotum pòst captiuitatem Babylonicam nec pax, nec securitas illa, ergò ad tempora Regum illorum

Iuda

Iuda prophetia restringenda.

Sextò, vers. 28. dicitur *benedixitq. singulis benedictionibus proprijs*; si ergò vltrà Iudam aliæ Tribus includantur in ea, dabũtur regna omnibus, quod inconuenit, & contrariatur menti, & verbis Iacob.

Septimò. Sceptrum solum restringit ad tribum Iuda, de Messia non profert, nisi incidentèr, vt dixi, & infrà dicam latiùs, si cùm illius sceptro iungit qualque tribus, quid supererit Iudæ, de quo agit?

Octauò. Potiùs hæc tractanda erant in Leui, quia duratio eius fuit per quingentos viginti annos circà pòst captiuitatem Babylonicam, sceptrum Iuda per quingentos tresdecim circà; quomodò ergò cùm Iuda vnita Leui?

Nonò. Diuturna, perseuerans, & continuata sceptri mansio apud tribum Iuda ex stirpe Dauid cogit nos dicere, Iacob restrinxisse ad illam solam hanc prophetiam; si enìm variasset, aliquis fuisset fortè scrupulus sub nomine *sceptri*.

Decimò. In nulla alia benedictione interserit quidquam pertinens ad alias tribus, ergò neque in hac, seruandus enim mos, & consuetudo loquentis. Tantò minùs censendum interposuisse hoc, quod principale est in tota Scriptura, & à quo dependet tota machina humana, & quod Deus à mundi exordio ad hominum salutem adinuenit, vndè Agnus dicitur occisus ab origine mundi, & quod expectabatur ab omnibus ætatibus, & per omnia sæcula decantatum fuerat, ità vt in hoc esset cùm maxima diligentia procedendum; si enìm ad omnes tribus trahẽdum erat, eò magis obscurabatur; Prætereà tribus Iuda alijs præeminens deprimebatur, quia de ea in alijs nihil agebatur, in ea de alijs omnibus, quod est maximum absurdum.

Vndecimò. Scriptura finito sceptro in Iuda per obitum Ioachim Regis in Babylone, non procedit vlteriùs in ordine rectorum, proùt anteà fecerat in ordine Regum, quia illi non spectabant ad tribum Iuda, sed ad Leuiticam, hinc in genealogia Christi pòst Babylonicam captiuitatem non assumuntur rectores, sed priuati descendentes ab illa tribu vsquè ad Christum: si ergò Scriptura illorum non facit mentionem, quomodò nos volumus eos in tribum Iuda reponere, & dicere non cessasse sceptrum in illa captiuitate?

Duodecimò, dicit Dauid 1. Paralip. 28. 4. de Iuda enìm elegit Principes, porrò de domo Iuda domum patris mei, & de filijs patris mei placuit ei vt me eligeret Regẽ supèr cunctum Israel, sed & de filijs meis elegit Salomonem, &c. cuius regnum subdit firmandum in æternum. Sic & 2. Regum 2. hæc autèm verba conformia prophetiæ Iacob non possunt trahi ad aliam tribum, quale enìm principium, talis debet esse finis, alioqui corrumpuntur omnia.

Decimotertiò, quomodò stabit dictum Zachariæ, & erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui, si hæc domus ad totum Israelem, seu aliam tribum diuersam, puta Leuiticam referatur?

Decimoquartò; quomodò stabunt verba 3. Reg. 9. 5. ponam thronum regni tui supèr Israel in sempiternum, sicùt loquutus sum Dauid patri tuo dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel, ex his enìm duo inferuntur, primum in stirpe Dauid, nõ alia permansurum sceptrum, secundum, in sempiternum, at hoc si non peccarent, peccarunt verò, ideò ablatum regnum iuxtà prophetiã Iacob ab illa stirpe: & ne singula extẽdã, sẽpèr agi strictè ad progeniẽ Dauid, apparet 3. Reg. 2. 4. ibi si custodierint, & tibi, &c. & 1. Paral. 17. à num. 16. vsquè in fin. pluriès. & 28. 3. Reg. 12. 20. 2. Paral. 23. 4. de semine Dauid. 2. Paralip. 13. 5. nùm ignoratis quòd Dominus Deus Israel dederit Regnum Dauid supèr Israel in sempiternum ipsi, & filijs eius in pactum salis? & dicitur Deum noluisse extinguere lucernam Dauid, & filiorum. 4. Regum 8. 19. 2. Paralip. 8. 7. & quandò agitur de bono Rege, dicitur, ambulauit in vijs Dauid. 4. Regum 18. 3. & alibi sæpè.

Decimoquintò, quandò à Roboam ablatæ decem tribus, nonnè simùl dicimus ablatas à tribu Iuda, quæ regnauerat supèr illas tempore Dauid, & Salomonis? & tamèn Ephratæi ragnarunt in Israel, si ergò illud in illis decem, cur quandò & ablatum sceptrũ Iuda à domo Dauid, & à tribu sua, non dicimus

cimus

cimus idem, quamuis & ad Leuiticam, vel aliam delatum esset?

Decimosextò. Si sceptrum de tribu Iuda in aliam translatum à captiuitate Babylonica citrà; quomodò potest dici cōtinuatum in tribu Iuda, vel domo Dauid? hæc adeò pugnant, vt si non dicamus cessasse tùnc sceptrum Iuda, nunquàm id adstruere possemus, quia non cessasset in ea, sed in alia, quod absurdum est, & nullo modo stare potest.

Decimoseptimò. Cur tanta diligentia in Scripturis Sacris, libris Regum, & Paralipomenon in Regibus stirpis Dauidicæ notandis & numerandis vsquè ad captiuitatem Babylonicam, & ab illa citrà nulla cura, nullus Rex dictus de populo Israel, nedùm tribus Iudæ? (Zorobabel enim Dux à Rege missus, non Rex, non sceptrum tenens, sic Machabæi, solus Aristobolus vsurpauit sibi ad momentū nomen Regis pòst annos quingentos in circà à reditu à captiuitate Babylonica, cuius nulla ratio haberi potest, eò magis, quia non fuit de stirpe Dauidica, & ductus fuit Romam in triumphum à Pompeio) nisi quia voluit Spiritus Sanctus apparere clarè in captiuitate Babylonica sceptrum de tribu Iuda, & progenie Dauidica cessasse, factumquè locum fuisse prophetiæ Iacob, hìncquè est, quòd S. Matthæus, & S. Lucas in eorum genealogijs pòst captiuitatem Babylonicam Regum nullam faciunt mentionem proùt antè, sed successorum priuatorū, seù descendentium à linea Dauidica, vt appareret Christum ab ea descendere, proùt dictum erat in prophetijs, & scripturis, aliòquin quid referebat dicere de captiuitate Babylonica? Imò vt celebrior, illustrior, certior esset defectus sceptri in tribu Iuda Deus permisit captiuitatem Babylonicam memorabilem, & septuaginta annorum, in quibus nullus de stirpe Dauid, sed nequè de toto populo aut rexit, aut gubernauit etiàm sub nomine Regum, quibus subdebantur, & quorum erant captiui.

Et si tùnc in captiuitate Babylonica non cessasset sceptrum, sed protractum esset vsquè ad Herodem, posset dici mancam esse Scripturam Sacram, quæ ordine, quo antè, pòst captiuitatem Babylonicam Regum, vel gubernatorum seriem non descripserit, & tamèn nullo modo credendum Scripturam, seù Deum in re tanta defecisse. Vndè sequitur gubernatorum ex alijs tribubus nullam rationem habendam.

Decimoоctauò. Quodnàm priuilegium fuisset Dauid, cui promissum sceptrū æternum, si ad aliam tribum transmissum esset? imò si ad aliam lineam? vtiquè nullum; nullum ergò sceptrum postquàm in linea sua cessauit. Hìnc in regno Iuda vsquè ad captiuitatem Babylonicam sempèr successerūt filij parentibus per lineas cōtinuatas de domo Dauid, quod non fuit in Regno Israel. 4. Reg. 1. in fin. vbi obseruat Theodoretus.

Decimononò. Permisit Deus Zorobabelem ex stirpe Dauid primum pòst captiuitatem Babylonicam non in figura sceptri, sed missum & delegatum à Rege Dario Ducem, vt intelligerent Iudæi, quòd etsi stirps Dauidica extaret, quam noluit deleri, cùm ex ea nasciturus Messias, tamèn sceptrū, quod iàm cessauerat, in ea ampliùs non reintegrari, ideoquè factum fuisse locum prophetiæ Iacob in illa captiuitate, qua sceptrum ablatum.

Vigesimò. Si in captiuitate Babylonica sceptrum non fuisset ablatum, cur Daniel in ea existēs interrogasset de tempore Messiæ? responsum enim ei fuisset, cur interrogas, cū nondùm ablatum sit sceptrum à Iuda, non autèm assignatæ nouæ induciæ, noua signa venturi Messiæ? Hìnc puto verba Moysis, mitte quem missurus es, non posse intelligi de Messia, quia nouerat Moyses nondùm adimpletam prophetiam Iacob, antè cuius tempus id non petijsset.

Vigesimoprimò. Redduntur clara ex Ierem. 22. per totum, sed maximè versi. 30. nàm ibi de Iechonia vltimo superstite Regū Iuda in captiuitate Babylonica filio Ioachim ducto in Babylone cùm matre, & vxoribus. 4. Reg. 24. 15. 2. Paralip. 36. 10. Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat supèr solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda: & sìc probat Euseb. Cæsarien. de demonstr. Euangel. lib. 7. Ioseph. antiq. lib. 5. cap. 11. Ex hoc Iechonia ortus Salathiel, vt in genealo-

nealogia Matthæi. & 1. Paralip. 3. non igitur is sterilis, quasi non generans, quia & subditur: nec enim erit de semine eius vir, ergò erit vir, sed quia non sessurus supèr Regnum Dauid, & extendens hanc priuationẽ in perpetuum, vtitur verbo vltrà. eccè ergò clarè ablatum sceptrum in captiuitate Babylonica. Sic Hieron. Ierem. 22. & ibi omnes Doctores, & Interpretes. Serrar. 4. Reg. 24. Abulen. 1. Paralip. 17. quæst. 27. quomodò verò alij de alijs tribubus annectendi pro Dauid contrà Scripturam ipsam, quæ omnes excludit de Dauid? quandò cessasset sceptrum de domo illa?

Vigesimosecundò. Vt quid Deus fecit totiès decãtare in tota Scriptura se deleturum, & euersurum Regnum Iuda & Dauid, si posteà continuauit illud in alijs tribubus? at non inferimus ex diuersis, alia stirps Dauid, alia aliorum tribuum.

Vigesimotertiò. Ratio potissima cur decem tribus in perpetuum, Iuda, & Beniamin in temporalem Babylonicam captiuitatem datæ fuerint, illa fuit, quia ex tribu Iuda nasciturus Messias; Abulen. 2. Reg. 17. q. 9. id autèm potuit fieri absquè sceptro in illa tribu, proùt factum est, ideò non potest dari ratio cur in captiuitate Babylonica non fuerit ablatum sceptrum iuxtà prophetiam Iacob, sed in tempore Herodis pòst captiuitatem illam 520. annis, vel circà, & quòd pòst captiuitatem illam fuerit reintegratum contrà prophetiam.

Vigesimoquartò. In captiuitate Babylonica cessauit vtiquè sceptrum per annos septuaginta, & sic habemus intentum, non potest autèm dici reintegratum, quod non extitit eo modo quo priùs; non fuit autèm sìc, vt iàm probatum, ergò nequè reintegratum, & sic permansit proùt in captiuitate, ideò referuntur extincti omnes Reges, & solus Salathiel pòst Iechoniam, qui Rex non fuit, imò nequè Iechonias eius pater fuit vltimus Rex, etsi pòst alios superstes, quia Sedecias eius patruus fuit vltimus à Nabuchodonosor constitutus, Iechonia in captiuitate posito, & in carcere, regnoquè priuato, ità vt non remanserit verè semen regium ab vltimo rege Sedecia, cuius filij omnes occisi à Nabuchodonosor coràm patre: hæcquè omnia, vt clariùs appareret de cessatione sceptri in Iuda.

Vigesimoquintò. Si cùm domo, & descendentia Dauid iungimus tribum Leui, seù totam Iudæam pòst captiuitatem Babylonicam, ità vt pòst eam sceptrum in Iuda perseuerauerit, nunquàm verificatum fuit quod dixit Deus Dauidi, & Salomoni, quòd si à vijs eius illorũ posteri defecissent, abstulisset ab eis regnum, nàm occupatio Ascalonitarum, seù Herodis non fuit ob defectum posterorum Dauidis, qui antè quingentos annos non regnauerant, similitèr; pòst mortem Christi facta desolatio ob scelus eius mortis maximum, non quia posteri Dauidis, & Salomonis mandata Dei contempsissent, cùm iàm sceptro priuati essent, vt omnes conueniunt, & est certum; ne ergò incurramus in hoc absurdum, dicẽdum est sceptrum cessasse in captiuitate Babylonica, in quam ob scelera regum ex stirpe Dauid incurrerunt, proùt sæpè comminatus fuerat Deus, vt legenti Scripturam, maximè libros Regum, & Paralipomenon, & Prophetas clarè patebit.

Vigesimosextò. Pòst captiuitatem Babylonicam prophetauit Zacharias gubernium populi futurum apud Sacerdotes. Zachar. 6. Lyra. in Proœm. Esdræ. ergò hi dissimiles à posteris Dauid, & à sceptro Iudæ: imò nequè hi liberi à tributo, & subiectione. 1. Esdr. 4. 13. & seqq. & obseruaui singillatìm in libris Esdræ. Imò Zorobabel primus dux & Princeps à Rege Cyro missus passus est impedimentum à Iudicibus regijs in ædificatione templi; & fortè sìc permisit Deus, ne crederetur in hominem Iudæ stirpis Dauidicæ sceptrum continuare pòst captiuitatem Babylonicam vllo modo: vndè posteà Esdræ secundò misso data facultas eligendi Iudices etiàm cùm potestate necis, quod à Romanis negatum fuit; & tùnc cœperunt Sacerdotes Leui iurisdictionem exercere delegatam à Regibus, quos populus recognoscebat soluendo eis tributa, hìnc Medis, Chaldæis, Romanis sempèr tributa præstarunt, Lyra. Isai 60. Ierem. 3. & omnes vbiquè præsertim Ioseph. de antiq. qui dicit remissum ab Alexandro anno septimo, quo nõ ferebatur, idẽ Lyra. Ezech. 37. Pint. Dan. 2. S. Hie-

S.Hieron. Daniel.8. omnes Ierem.22.vndè neque sceptrũ apud Sacerdotes liberũ fuit, vt in libris Esdræ, & apud Iosephum.

Vigesimoseptimò. Si sceptrum pòst captiuitatem in tribu Iuda reintegrandum; Prophetæ de hoc prædixissent, sicùt de captiuitate Babylonica euentura, & liberatione dixerunt, at fecerunt, vt dictum. Reges vltimos sinè prole, ideò non potest teneri sceptrum pòst illám reintegratũ in tribu Iuda.

Vigesimooctauò. Si potestas laicalis Ecclesiasticæ vnita, & copulata in vno Sacerdote magno pòst captiuitatem Babylonicam, ergò laicalis suppressa, non ampliùs sceptrum, quod enim alteri vnitur, deficit, proùt dicimus de beneficio vnito; ideò benè declarauit Deus in captiuitate Babylonica sceptrum Iuda defecisse.

Vigesimononò. Agitur ex cõmuni,& vera opinione Isai. 1. de captiuitate Babylonica, & concordat 1. Esdr. 9. at pòst eam dicitur. & restituam iudices tuos, sicùt fuerunt priùs, & consiliarios tuos sicùt antiquitùs, quasi non ampliùs Reges, non sceptrum tenentes; Iudices fuerunt restituti, nõ Reges, ergò tùnc in captiuitate defecit sceptrum, & factus est locus prophetiæ Iacob.

Trigesimò. Ierem. 22. Facite iudicium, &c. si enim, &c. non ingredientur per portas domus huius Reges sedentes de genere Dauid supèr thronum eius, &c. non fecerunt, non obedierunt, ergò nullus postea sedit de genere Dauid.

Trigesimoprimò. Non posset etiàm dici sceptrum cessasse in Iuda, quandò Herodes Idumæus ad regnum assumptus, nàm cùm Herodes regnum receperit à Romanis, agente Antonio, redacto in ordinem Antigono Rege ex Assamonæis, & eo mortuo à Cæsare victore, & Herodes Romanos recognosceret, & tributa præstaret, potiùs dicendum esset regnum cessasse in Iuda, quandò Pompeius Hebræos subegit; at nequè tùnc, cùm à captiuitate Babylonica vsquè ad illud tempus Pompeij sempèr Reges exteros recognouerint, & tributa soluerint, & nunquàm regale sceptrum receperint, nisi quidam Aristobolus, qui dixit se Regem, qui etiàm citò illo priuatus est: cùm ergò à captiuitate Babylonica nullus fuerit, standum est in ea cessasse.

Trigesimosecundò. Ezechiel. 17. 22. vsquè in fin. promittit Deus secundùm communem omnium interpretationem se sumpturum de semine regio; nempè Iechonia captiuo in Babylone, ex quo Salathiel iuxtà Matth. cap. 1. ex quo oriturus Messias, in quo reintegrandum Regnum spirituale iuxtà dicta per Angelum Mariæ, ergò tùnc in captiuitate Babylonica cessauit sceptrum, & factus est locus prophetiæ Iacob.Gen.49. & vsquè ad Messiam non reuixit sceptrum, & tunc spirituale tantùm.

Trigesimotertiò. Ezechiel. 21. 13. & hoc, cùm sceptrum subuerterit, & non erit. Ex his enìm verbis colligitur apertè tùnc in Sedecia captiuo ducendo in Babylonẽ sceptrum Iuda cessaturum, nequè ampliùs reintegrandum; & versic. 26. dicit Sedeciæ. Aufer cidarim, tolle coronam, ornamenta regalia, in quibus idem dicitur ex communi intellectu, & ità nunquàm renouatum regnum tenet ibi Sanctus Hieronymus,& Isidorus, dicens sempèr Persas, Medos, Chaldæos, Romanos imperasse; reintegratum verò spiritualitèr in Messia; idem dicit Lyranus ibi, vide ibìdem Sanctium à numero 66. vsquè ad numerum 81. qui tamèn in fine hunc locum non rectè dissoluit, & eundem Sanctium. Daniel. 2. 80.

Trigesimoquartò. Ezechiel. 48. assignatur in diuisione terræ pòst captiuitatem Babylonicam fienda septima pars Iudæ tribui & porta cùm alijs absquè vlla prælatione; si autèm sceptrum non cessasset, specifica, & particularis mentio tribus, & eius attributorum facta esset, ideò in captiuitate cessauerat sceptrum illius.

Trigesimoquintò. Daniel 2. Fit mentio regnorum, vsquè ad finem mundi duraturorum, quæ etiàm Iudæam capiunt, cùm tempore prophetiæ Chaldæis seruiret, quorum regnum erat per manus aliorum descensurum, ergò clarè apparet defecisse sceptrum in captiuitate Babylonica, nequè ampliùs reintegrandum, aliòqui de illo facta esset mentio in reuelatione, vide ibì Pintum.

Trigesimosextò. Oseæ 3. in fine dicitur pòst captiuitatem Babylonicam quæsiturũ esse Dauid regem suum, idest Messiam secundùm intellectum communem, ideò sciebant in captiuitate sceptrum Iuda defecisse

in captiuitate Babylonica, neque amplius iuxtà hanc prophetiam,aliàs non quæ fituri.

Trigesimoseptimò. Matthæus facit tres quaterdecenas in Christi genealogia, vnam Patriarcharum, aliam Regum, quæ incipit à Dauid ex tribu Iuda, à quo cœptum sceptrum, quæ durat vsquè ad transmigrationem Babylonis, pòst quam sequitur tertia, non Regum, sed descendentium priuatorum ex tribu Iuda, qui cœperunt à Salathiel, ergò in secunda quaterdecena defecit sceptrum in tribu Iuda, qui si durasset, illud non intercidisset Matthæus, sed narrasset Reges sequentes. Imò pòst captiuitatem Babylonicam in secundo templo ædificato defuit oleum,quo Reges vngebantur,vt ex Rabbinis deducit Cornelius à Lapide. Daniel. 9. fol. 99.

Trigesimooctauò. Ecclesiast. 49. dicitur de regibus Iuda: Dederunt regnum suum alijs,& gloriam suam alienigenæ genti, incenderunt electam sanctitatis ciuitatem, & desertas fecerunt vias ipsius in manu Ieremiæ, & sic in captiuitate Babylonica. Sceptrum autèm nunquàm redijt in domum Iuda, ergò in captiuitate illa ablatum. & nota quòd Ecclesiasticus fuit pòst reuersionem à captiuitate per multos annos, qui vidit defectionem sceptri.

Non obstat Ierem. 33. 17. non interibit de Dauid vir, qui sedeat supèr thronum domus Israel; nàm (vt ibi dixi) intelligitur de regno spirituali Christi æterno, de quo Angelus: regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis; nec potest alitèr intelligi;postquàm certũ est de stirpe Dauid pòst captiuitatem regnasse neminem:& facit c.22. Ier. vbi omnes. & vide Castr. d. c.33.

Dices: frustrà id quærimus, quia à Dauid vsquè ad Herodem Idumæum (sub quo venit Messias) omnes fuerunt de stirpe Iuda, etiàm Pontifices gubernantes ex latere materno, Abulen. 1. Paralip. 17. quæst. 27. at respondeo non satisfieri prophetiæ, quæ requirit viros de tribu Iuda, descendentes autèm ex latere materno dicuntur alterius tribus, nempè Leuiticæ. Prætereà, quomodò possumus affirmare ex latere materno fuisse tribus Iuda, seù domus Dauid? Accedit quòd neque hæreditates deferebantur ex descendentia materna. Abulen. 1. Paral. 24. quæst. 14. Dices: nimium distaret tempus ab ablatione sceptri à tribu Iuda, quæ fuit tempore captiuitatis Babylonicæ vsquè ad aduentum Messiæ, quo Pontifices pòst captiuitatem Babylonicam fortè per quingentos viginti annos rexerunt; dicendum ergò Iacob intellexisse de sceptro cõtinuando in toto populo Iudaico etiàm pòst captiuitatem Babylonicã, & tùnc pertingit vsquè ad Herodẽ. & sìc saluantur omnia; Nàm respondeo primò;idem esse tribum Iuda dominatã fuisse in tribu Leui ex latere materno à tribu Iuda procedente (quod nõ potest probari in vniuersum, nec est verum) vel populum Iudaicum dictum, non tribum Iudam, dominatum esse, quia cùm sola tribus Leui pòst captiuitatem Babylonicam dominata sit, idem est indefinitè dicere populum duodecim tribuum dominatum esse, cùm indefinita non possit verificari, nisi in tribu Leui; vel tribum Leui dominatam esse; cùm autèm id sublatum fuerit; ideò argumentum non vrget, & omnia deducta per alios contrà primam opinionem, hanc quoquè destruunt. Imò melius est dicere tribum Leui dominatam fuisse cùm additione illa ex latere materno à Iuda, si verum esset. Prætereà & Saul primus Rex ponendus in numero, quia non fuisset facta perfecta translatio ab eo ad Dauid.

Secundò, pòst captiuitatem Babylonicam sempèr Hebræos fuisse sub Regibus Persis, deindè Græcis, posteà Romanis, nec fuisse vnquàm apud illos saltèm sceptrum liberum, & pacificum, sed vel ex rebellione, seù defectione à Regibus, vel ex bellis inquietum, vel ad modicum tempus, si quandò liberum, nec habuisse regiam dignitatem, de qua intelligit Iacob, sicùt in principio, ità continuatè vsquè ad finem sceptri in tribu Iuda, & neque apud Nehemiam, vel Esdram, vel Zorobabelem liberum fuisse, quia hi missi à Rege, apud quem sceptrum; ideò Zorobabel non potest computari (vt aliqui faciunt) intèr regnantes in tribu Iuda, quia recognòscebat superiorem Regem, à quo missus erat; imò si Zorobabel habuisset sceptrum liberum, falsæ essent prophetiæ non dantes successorem Iechoniæ vltimo Regi ex tribu Iuda defuncto in Babylone; nàm Ierem. 22. 30. dicitur

tur de illo. Scribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur, nec erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſupèr ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltrà in Iuda. & Ierem. 36. 30. hæc dicit Dominus contrà Ioachim Regem Iuda, non erit ex eo, qui ſedeat ſupèr ſolium Dauid, & hæc conformia prophetiæ Iacob; Hinc in quaterdecena tertia Matth. 1. à captiuitate Babylonica citrà non numerantur quaſi regnantes, ſed vti deſcendentes à linea Dauidica, & Iudæ; & in Scriptura, maximè in Prophetis nunquàm fit mentio ſceptri huius continuandi in Pontifices, vel Sacerdotes, ſed ſempèr à ſceptro Iudæ ad Meſſiam ſub nomine Dauid excurritur, ſic omnes Prophetæ, & præſertim Ezech. 37. 22. vſquè ad fin. Dan. 2. 44. & pluriès. Ierem. 33. 17. alia loca Prophetarum vidẽda apud Aug. de Ciu. Dei, lib. 8. c. 34. & 35. in quo de Aggæo, Zacharia, & Malachia, qui tempore captiuitatis Babylonicæ prophetauerunt, proùt & Paulus Act. 13. 22. & Concilium Act. 15. 16. ideò in Scriptura non eſt in æſtimatione habitum gubernium illud per Pontifices, quod fortè fuit proùt tempore Iudith. Iudith. 4. 7. 8. 14. & 15. dictum enim Ezechiel. 22. 26. aufer cidarim, tolle coronam, & quia fuit ſempèr turbulentum. Aug. de Ciuit. Dei, lib. 18. cap. 45. Ideò de ſtatu Hebræorum ſub illis non apparet in Scriptura, niſi in libris Eſdræ, & ibi nulla libertas ſceptri, & tempore Machabæorum, & vbiquè ſceptrũ erat apud Reges. 1. Mach. 1. 14. & per totos libros, & ſi tẽpore Simonis. 1. Machab. 13. 41. dicatur ablatum iugum gentium ab Iſrael, & Simon dicitur ſummus Sacerdos, & magnus Dux, & Princeps Iudæorum verſic. 42. ſub conditione tamèn, donèc ſurgat Propheta fidelis, & parùm durauit, nec nominatus fuit Rex, & ſempèr Regum exterorũ ius vixit. Imò ſi continuãdum fuiſſet ſceptrum Iuda in alijs tribubus populi, puto non prædictũrũ Prophetam ex Iechonia non oriturum ſucceſſorem, quia ergò ſic dixit, voluit innuere ſceptrum non ampliùs in populum Iſrael reintegrandum carnalitèr, ſed ſpiritualitèr, factumquè eſſe locum prophetiæ Iacob; & ſi ſceptrum liberum aliquandò reaſſumendum fuiſſet à filijs Iſrael, ſeù à viro ex illis, cùm hoc eſſet maximi momenti, & decoris, prædictum, & decantatum foret à Prophetis, quod cùm non fecerint, nequè contigit, ſed adminiſtratio conceſſa fuit quà Pontificibus à Regibus dominantibus; fruſtrà ergò aſſuuntur hæc gubernia ſceptro Iudæ, & ad prædicta videndus Abulenſis in Matth. capit. 2. quæſt. vltim. vbì ponit ſeriem gubernantium, & Regum. & in Præfat. libr. Reg. quæſt. 1. & ſeqq. & verbum *(donèc)* intelligendum cùm moderamine, & dandum ſpacium, vt ſe præpararent, & expectarent. Hinc vt his occurreret, Abac 2. 3. Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit, & nimirùm ſi verſum in prouerbium. Manda, remanda, modicum ibi, &c. Iſai. 28. 10. 13. & ſi dictum in longũ differẽtur dies, & peribit viſio. Ezechiel. 12. 23.

Tertiò. Scopum Iacob fuiſſe oſtendere diuturnitatem regni in ea tribu, quæ diuturnitas magna fuit vſquè ad captiuitatem Babylonicam, & quam ſatìs demonſtrauit addendo, *non auferetur*, &c. *donèc* &c. vndè non curauit acu rem attingere circà tempus Meſſiæ, nec intendit ad illa tempora pertingere, ſed circà ea, non ergò preſsè accipiendum verbum *(donèc)* ſed vſquè ad Regem, quo deficiente Meſſias veniet poſteà futuris ſucceſſiuis temporibus; ſic ad longiſſima tẽpora capitur verbum *(donèc)* & non denotat tempus præciſum, Iſa. 6. 11. & clariùs, Iſa. 42. 4. & Luc. 13. 35. 1. Paral. 28. 20. donèc perficias, vbi Abul. notat. Et verbum *donèc* non ſempèr ſignificat determinatum, vel indeterminatum tempus, quo finito aliquid ampliùs non eſt, aut quo incipere debeat id, quod vſquè ad illud numquàm extiterit, vt obſeruat S. Hier. contrà Eluidium: ſed prætereà ſignificat conſecutionem rerum, vel temporum, Pſal. 7. Ne derelinquas me donèc annuntiem brachium tuum, ideſt ſi me nõ derelinques; annuntiabo inuictam potentiam tuam Pſal. 109 ſede à dextris meis, donèc ponam, ideſt cùm ſederis ponam; ſic Pined. Tob. 14. verſ. 6. nu. 4. Sanctius Act. 2. Iſai. 6. 41. Ezechiel. 33. 19. ſic ergò hìc, *donèc veniat qui mittendus eſt*, non dicitur tempus præciſum, ſed conſequutio, cui terminus non præſcribitur.

Quartò. Cum tempore Messiæ iungit pacem, quandò ergò cessauit pax, cessauit & sceptrum Iuda; & sic tùnc verificata in ea parte, nec curauit de alia adamussim verificanda.

Quintò. Ex prædictis oritur voluisse dicere Iacob cùm videritis cessare duces, & sceptrum de tribu Iuda, tùnc obseruanda tempora futura, quia Messias venturus, & expectandus. Hinc cœpta priùs declinatio, quia ablatæ decem tribus. Deindè illæ in captiuitatem perpetuam Assyrijs datæ, in Iuda permissa Athalia regnare tot annis, vt obseruarēt instare defectum totalem sceptri in Iuda.

Sextò. Tempus quingentorum, & viginti annorum non dicitur longum, quia quoàd Deum mille anni tanquàm dies hesterna, quæ præterijt, & solet Deus res diù differendas quasi in proximo futuras repræsentare. Abrahæ promittit regiones, & iniquitatibus Amorrhæorum nondùm completis differt eas tradere semini suo pòst annos quadringentos. Genes. 15. pòst annos quadringentos, & vltrà differt supplicium Amalechitarum. 1. Regum 15. 2. Dicitur Apocalyp. 1. 1. 3. quæ oportet fieri citò, & Tempus enim propè est, & agitur de nouissimis in fine mundi. Apocalyp. 6. 11. & dictum est illis, vt requiescerent tempus modicum donèc compleantur conserui eorum, quod erit vsquè ad iudicium. Dicitur Apocalyp. 20. 3. diabolum ligari donèc consumentur mille anni, & nùnc quot vltrà fluxerunt? sic ibidèm de beatis mille annis in anima mansuris, & quot plus cesserunt? Dicuntur in Scriptura multa æterna, quæ ad tempus, multa obseruari licet dici, & tradi ad tempus iudicij, & tamèn ad illud non possunt peruenire, sed multò antè; & Dominus Matth. 24. 29. pòst tribulationem desolationis subdit immediatè tribulationes tempore iudicij per verbum statim, eaquè tempora vnit, quæ tamèn diù expectanda erant, & distantia nimis; & Paulus dicit tempus vsquè ad iu- 10. 3. . . . dicum, aliquantulumquè Hebr. & adamuss . . . phetæ non solent ad vnguem, . . . a omnia proferre, nec stri-ctè eorum verba possunt intelligi, sed discretè. Tardat Deus diluuium per centum annos. Genes. 6. Non fuit impletum in Abraham, & Patribus quod promittebat Deus, sed in semine eorum, an ideò peierauit Deus? Non fuit impletum tempore fratrum suorum quod dixit Ioseph, visitabit vos Deus. Genes. 50. sed multo pòst tempore, & tamèn non potest dici Ioseph mentitum. Propheta Ioel, vt refert Petrus Act. 2. de effusione Spiritus Sancti loquitur, & subdit continuando de tempore iudicij, & ea tempora vnit Ioel. 1. & 2. & Aggæus Propheta tempore captiuitatis Babylonicæ dixit: adhùc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus. Aggæ. 2. 7. & sub illo modico pertransierunt., proùt hìc, anni quingenti, & viginti in circà. Rectè. 2. Petr. 3. 8. Vnus dies apud Dominum sicùt mille anni, & mille anni sicùt dies vnus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicùt quidam existimant, sed patientèr agit &c. Hinc verificata vtiquè prophetia, quia cessauit sceptrum Iuda, & missus mittendus, & nunquàm Rex nominatus pòst tribum Iuda, nisi duo tantùm si verum, & nunquàm quisquam illius tribus ad regnum aspirauit, vel quæstionem supèr eo mouit.

At congessi multa loca, ex quibus cessat penitùs hæc difficultas. Isai. 7. prædicitur, Eccè Virgo concipiet, &c. & subditur, quia antequàm sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, idest antequàm nascatur, vel adolescat, derelinquetur terra, &c. & idem repetitur cap. 8. 4. & tamèn deserta fuit terra antequàm Messias nasceretur per annos septingentos sexaginta septem, vt ibi per Adamum, vel parùm minùs, vt per Abulen. in tractatu supèr verbis: Eccè Virgo, & alios.

Ad idem, dicit Christus Caiphæ: verumtamē dico vobis, amodò, seù ex nùnc, vel ab hac hora videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, quo loco agit de Iudicio vniuersali, & tamèn tot sæcula prætierunt, & alia fortè prætcribunt.

Præ-

Prætereà quomodò Christus nominatur. Isai.8.3 accelera, spolia detrahe, festina prædari? qui tot sæculis præteritis venit?

Præuidens Isaias longum tempus venturi dicebat. & expectabo Dominum, &c. eccè ego & pueri mei, &c. Isai. 8. 17. 18.

Isai 10. agitur de saluandis reliquijs Israel in fine mundi, proùt interpretatur Sanctus Paulus Rom. 9. & tamèn dicit citò futurum, vt ibì, & ab eius dicto vsquè hùc tot sæcula intercesserunt.

Isai. 13.6. dicitur vlulate, quia propè est dies Domini, & cap. 14. 1. propè est, vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur, ad destructionem scilicèt Babylonis, de qua ibì agitur, & tamèn à prophetia illa vsquè ad destructionem intercesserunt anni centum septuaginta octo, vt ibì per Adamum.

Isai.19.19. vsquè ad finem capitis agitur de conuersione Aegypti pòst vastitatem ei inferendam à Sennacherib, & tamèn conuersio sua fuit pòst Domini Ascensionem, & tot sæcula.

Isai. 26. dicitur. Vade populus meus &c. abscondere modicum ad momentum, donèc pertranseat indignatio, idest iudicium vniuersale, & tamèn tot sæcula pertransierunt, & fortè pertransibunt, & ibi additio ad Lyran. dicens hunc esse morem Scripturæ, sic Ioan. in epist. Charissimi nouissima hora est, alludens ad iudicium.

Isai.28.16. Eccè ego mittam in fundamentis Syon lapidem, &c. Messiam, qui crediderit, non festinet illum statim visurum, sed expectet, sìc & ibì manda, &c.

Isai. 29.17. nonnè adhùc in modico, & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur? & audient, &c. qui locus intelligitur de conuersione gentilitatis, quæ pòst septingentos annos contigit. & tamèn vtitur verbis in modico, & in breui, quod fecit respectu æternitatis, dicit ibi Hieron. & sequitur Adamus.

Isai. 32.10. pòst dies enìm, & annum vos conturbabimini: & tamèn intelligitur in clade Romana, quæ pòst tot sæcula futura erat à die prædictionis.

Isai.40. Consolamini, &c. loquitur de Messia venturo, ac si tùnc apparere debuisset, qui pòst septingentos annos incarnatus est.

Isai.43.19. Eccè ego facio noua, & nùnc orientur, vtiquè cognoscetis; ibì agit de Messia mittendo, & gentibus conuertendis, quod factum pòst septingentos annos.

Isai.46. 13. propè feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam: & tamèn de Messia venturo pòst annos septingentos.

Isai. 47. 9. Venient tibi duo hæc subitò in die vna, sterilitas, & viduitas, vbì agit de euersione Babylonis nondùm secuta captiuitate populi Hebræi, & pòst septuaginta annos captiuitatis illa contigerunt.

Isai.51.5. Propè est iustus meus, egressus est Saluator meus, &c. & vers. 14. citò veniet gradiens, &c. agit de Messia, & tamèn per septingentos annos distulit.

Isai.54.7.8. Ad punctum in modico dereliqui te, in momento indignationis meæ abscondi faciem meam parumpèr à te. ibì agit à tempore ortus idololatriæ, vel separationis populi Israel vsquè ad tempus conuersionis gentium, in quo intercesserunt multa sæcula, vide ibì S. Hieron.

Isai.56.1. Quia iuxtà est salus mea, & veniet, & iustitia mea vt reueletur, vbi de Messia, qui pòst septingentos & ampliùs annos venit.

Isa 60. Ego Dominus in tempore eius subitò faciam istud. & stetit per 700. annos, vt ibì interpretes.

Ierem.51.33. Adhùc modicum, & veniet tempus missionis eius. loquens de Babylone subuertenda, & tamèn transierunt 70. anni.

Ezech. 36.9. Propè enim est vt veniat, quæ verba intelliguntur de reuersione à captiuitate Babylonica, quæ tamèn pòst multos annos futura erat.

Amos 4. in fin. vbì iubetur Israelitæ dandi in captiuitatem perpetuam Assyrijs præparare ad occurrendum Domino Deo Israel, quod erit in fine mundi, vt ibi per interpretes.

Habachuc 2. quia adhùc visus procùl, & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. ibi de Messia antè captiuitatem Babylonicam, & tamèn de eo citò venturo expectando.

Malach. 3. eccè veniet &c. de Messia pòst tot sæcula venturo.

Quintò. Cùm aliud dici non possit, nisi violando litteram, & iuxtà euentum Iacob prophetia defecerit in captiuitate Babylonica, dicendum satis fuisse id haberi ex ipso, & quò fuit longius tempus, in quo expectatus Dominus, eò magis vrgentur Hebræi, & maior apparet eorum cœcitas, & contumacia supèr illius certo aduêtu tot ætatibus iàm transactis, cùm sciant prophetiam Iacob non posse deficere. Faciunt ad hæc dicta per Sãctum Leonem serm. 3. cap. 3. & 4. de Natiuit. Domini, dùm respondet obloquentibus de tarditate incarnationis Dominicæ. Hinc puto etiàm Dei præordinatione factũ, quod etiàm suprà dixi, vt sceptrum Iuda decem tribubus priuaretur tempore Ieroboam, vt Hebræi inciperent attollere caput, & cogitare instare tempus Messiæ cùm viderent principium defectus sceptri Iudæ. Item puto permisisse captiuitatem decem tribuum perpetuam, aliarũ in Babylone per septuaginta annos, eosquè sic captiuos dispersos per totum orbem, vt annunciarent aduentum Messiæ, illumquè instare, & gentes, quæ tot antè sæcula hæc ab illis audierant, magìs crederent euangelizantibus; ad hoc enim illæ dispersæ Tob. 13. Caiet. 4. Reg. 17. Vndè si illicò pòst captiuitates, quibus sceptrum cessauerat, venisset Messias, non esset fundamentum solidum iactum in gentibus, quæ erant crediture Hebræis obstinatis infidelibus remanentibus.

Sextò, Non mirandum, si præcisum tempus quòad nos non videatur Iacob percussisse, quia (vltrà iàm dicta) non sempèr Deus reuelat præcisa tẽpora, vel non vni soli omnia, sed distribuit spiritus singulis proùt vult. Iacob hanc prophetiam (eccè vnus status) Danieli hebdomadas (eccè alius status.) Michææ locum, & tu Bethlehem, &c. Dauidi ex sua stirpe oriundum. Balaam signum nati ex stella. Malachiæ aduentum in templum. Isaiæ ex virgine. idem Ieremiæ, fœmina circundabit virum. Isaiæ, & Malachiæ de Præcursore, & aduentu in templum. Zachariæ de ingressu in Ierusalem.

Septimò. Credendum ex hac prophetia non signari tempus præcisum aduentus Messiæ, quia nullus in Scriptura vsus est illa ad illud indicandum certum, & præcisum; Hinc Deus in misericordia diues Danieli viro desideriorum optanti scire de annis septuaginta dictis à Ieremia supèr captiuitate, nedùm hoc reuelauit, sed & per hebdomadas tempus Messiæ propiùs percutientes. Dan. 9. quòd si prophetia Iacob illud certum tradidisset, fortè nec sibi hæc reuelata essent; prophetia ergò Iacob pertingit vsquè ad captiuitatem Babylonicam, quo tempore amisit Iudas regnum, deindè subsequuntur hebdomadæ Danielis, quæ simùl iungẽdæ: & rectè Deus videns prophetiam Iacob impletam subrogauit aliam Danielis, vt sempèr manuducerentur Hebræi ad Messiam expectandum, & recipiendum, & nunquàm dicere possent verè tempora præfixa euanuisse, etsi falsò id mussitatum, vt suprà dictum. hinc prænunciatum Zachariæ, & Simeoni; & S. Ioannes Chrysostomus Isai. 7. dicit Deum prophetias prophetijs annectere de longè loquentes, idem Eusebius.

Octauò. Etiàm tenendo Pontifices, qui pòst captiuitatem Babylonicam gubernarũt fuisse ex hac tribu Iuda, nihilominùs nonnè & à defectu etiàm imperij, seù iurisdictionis Pontificũ vsquè ad Christi aduentum intercurrerunt anni triginta septem? non ergò etiàm iuxtà hanc opinionem illicò habes effectum. Sed dices: is minor numerus annorum, quàm quingentorum, & vltrà à captiuitate Babylonica prædicta, vel Zorobabele; fateor, sed antè Deum nulla differentia, & quòad nos idem iuris de toto, quòad totum, quod de parte quòad partem.

Nonò. Hæc negatiua, *Nõ auferetur sceptrũ de Iuda, & dux de fæmore eius*, habet in se affirmatiuã, nempè aliquandò ergò auferetur, proùt ablatũ est à captiuitate Babylonica, & finè eo stabit *donèc veniat qui mitten-*

tendus est, non is Dux populi Hebræi tantùm, sed *& ipse erit expectatio gentium*, totius mundi; illud ergò verbum (*donèc*) non importat finem primi status, sed reassumptionem noui, & diuersi, nempè spiritualis, non temporalis, Messiæ, non aliorum. Decimò; quomodò stabit hoc, tribus Iuda per seriem annorum quingentorum viginti continuatam, nunquàm interruptam regnauit, posteà ablato ab ea sceptro velle idem sceptrum continuatum in alia tribu, vel reliquis tribubus? ad quid series illa continuata adcò diuturna? videtur ergò hæc vniri, & combinari non posse cùm dominatu Leui. Vndecimò in hac prophetia Iacob sunt duo termini, primus appropinquantis, *non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius donèc veniat qui mittendus est* Messias, & hic impletus in captiuitate Babylonica, vt probaui, secundus aduenientis, seù missi, *& ipse erit expectatio gentium*; quandò ergò viderunt Hebræi gentes vocatas recepisse Iesum (dicimur enim expectare quem aduenientem recipimus, vel quo indigemus, pròut genus humanũ eo indigebat: sic Aggæi 2. dicitur expectatus cunctis gentibus vbi Ribera, & vide ibi scripta per me) tùnc debuerunt certi esse Messiam missum, & aduentasse, perfecta est igitur ex omni parte prophetia Iacob in signo appropinquantis, & in signo iàm appulsi; ideò Simeon hoc præuidens dixit de Christo, lumen ad reuelationem gentium aduenisse iuxtà hanc prophetiam Iacob; Hinc quia Iesus missus erat ad oues Israel, vt satisfieret promissionibus Patrum, & quia facilior erat conuersio Iudæorum Messiam expectantium, & Iudæis conuersis erat transitus ad gentes facilior, & fœcundior, proptereà Christus & si prohibuit in principio Apostolis ipso cùm illis manente In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, cùm idòlis seruirent, quæ horrebat, & quibus non proiectis, nullus fructus haberi poterat; vndè in Iudæam veniens idòlum inuenire noluit; & proptereà ad Sacerdotes fortè delatũ gubernũ, & sic non esset tẽpus vocandi non plebẽ meam plebẽ meam iuxtà Osæam; tamèn morte sua appropinquante, cùm gentiles dixissent Philippo: volumus Iesum videre, intelligens ex huiusmodi missione gentilitatis ad eũ mortẽ suam instare, qua trahendæ gentes dæmone expulso, dixit: venit hora, vt clarificetur filius hominis, nùnc iudicium est mundi, nùnc princeps huius mundi eijcietur foràs; & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum Io. 12. 23. 31. nempè etiàm gentes; & Ioannes addẽs dictis Caiphæ c. 13. 51. cùm esset pontifex anni illius prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum; & Christus, alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor, & pòst resurrectionem dixit Apostolis: data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, euntes ergò docete omnes gentes &c. Matth. 28. sed tanta erat superbia Iudæorum, tanta auersio eorundem à gentibus, vt nunquàm persuadere sibi potuerint gentes esse vocandas; vndè dicebant de Christo: quò hic iturus est? nunquid in dispersionem gentium, & docturus gentes? quinimò ijdem Apostoli vt suprà moniti, & dum ascenderet Iesus in cælum in verbis illis: eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsquè ad vltimum terræ, non intellexerunt hanc vocationem gentium, vndè necesse fuit Petrum linteo è cælo demisso moneri, & vocari à Centurione, & supèr gentiles conuersos Spiritum Sanctum descendere, pròut supèr conuersos ex Circuncisione, vt fieret certus vocationis gentium ipse, & alij Apostoli Act. 10. cùm seq. cc. in quibus apparet onus impositum Petro se expurgandi cur ad gentes intrasset; & nihilominus Hebræi conuersi adeò erant tenaces suæ legis Mosaycæ conseruandæ, vt vellent illius onus gentilibus conuersis imponere, dicerentquè eos non saluandos, nisi illam amplecterentur, vt necesse fuerit congregare primum Concilium, & diffinire liberas esse gentes à legis obseruantia, nec quieuerunt, sed diù perstiterunt in hac varietate, vt in Act. & in Epistolis Pauli; Apostoli Euangelizantes per mundum, primùm quidèm adibant iuxtà imperium Chri-

Christi Hebræos; at illis recusantibus dicebant: eccè conuertimur ad gentes; sic enìm præcepit nobis Dominus, quibus etiàm datus particularis Apost. Paulus Act. 9. quod ipse sæpiùs commemorat in suis Epistolis; steterunt ergò Hebræi diù expectantes viso defectu sceptri in tribu Iuda, at vidētes differri aduentū, res reducta erat ad fabellam; māda, remanda, expecta, reexpecta, modicū ibi, modicum ibi Isa. 28. 7. sic & dicebant: in longum differentur dies, & peribit omnis visio: visio, quam hic videt in dies multos, & in tempora longa iste prophetat. Ezech. 12. 23. 27. & nihil obseruauerunt pòst primum terminū prophetiæ Iacob, qui si longus fuit, id actum, vt meliùs præpararentur ad tantū virum Deum & hominem recipiendum, & non vna sola generatio (hìc aduertendum) sed plures, vt in pluribus fieret lucrum spirituale; non enìm respexit ad solam illam, quæ quandò venit extabat, sed alias anteriores, quæ expectarent, sicùt non statìm terram promissionis concessit, sed expectauit vsquè ad quartam generationem, vt expectantes, & confidentes Deum obseruaturum, spiritualitèr lucrarentur, & infirmitatem suā agnoscerēt, & multitudinē peccatorū, seque indigentes medico, & liberatore. hanc enìm vnam causam dilationis aduentus Christi dicit Gloss. Gal. 3. ordinata per Angelos. videndus S. Thom. 3. p. q. 1. art. 5. in corp. & ex secundo termino, si illum obseruassent, non poterant decipi à temporis intercapedine, quæ intercessit intèr cessationem sceptri Iudæ, & aduentum Messiæ; vndè cùm Iacob dederit hunc terminum; & dixerit etiàm quandò venturus, non poterat certiorem prophetiam facere, quàm fecit; & consequentèr etiàm longiùs protractum tempus Messiæ, vt faciliùs adimpleretur dispensatio Dei, nempè sequeretur mors Christi, quam ipse venerat subiturus, granumquè frumenti posset in omnes etiàm gentes fructificare; si enìm cognouissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent 1. Cor. 2. eorum ergò oscitantia, & inobseruantia mysterio, dispensationi, præordinationi Dei seruiuit, & si Christus præmonuerit illos, vt scrutarentur scripturas; illas enìm de se loqui; plures illarum exposuerit, eosdem excitauerit exemplo indicationis aeris sereni, nubili, rubicundi, & tamèn obcœcati à malitia, & inuidia ad nulla signa aduerterunt. Dilatio ergò à sceptri in tribu Iuda ablatione vsquè ad aduentum Messię fuit in eorum beneficium; At ne Messia etiàm crucifixo, & mortuo destituerētur, successit alius terminus vocationis gentium; vndè quandò viderunt illas intrasse, certi esse debuerant Messiam venisse, Imò & vltrà procedit Iacob dans alia signa; æstimo enim quæcunque sequuntur potiùs ad Messiam, quàm ad Iudam pertinere: quid enìm subijcere poterat de Iuda iam à sceptro eiecto? & quia Messias hereditare debuerat regnum Dauid spirituale. Isa. 9. 7. supèr solium Dauid, & supèr regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodò, & vsquè in sempiternum. & Angelus; dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nō erit finis. Luc. 1. & Paulus 1. Cor. 15. oportet autèm illum regnare &c. & ideò, vt dixi, in sequentibus verbis nulla habita ratio tribus Iudæ, quæ ad regnum non erat ampliùs reuersura, imò regnum illud temporale in diebus Messiæ futurum erat extraneorum, & sic vsquè ad finem mundi duraturum, cùm vltimus rex illius futurus sit Antichristus in Ierusalem regnaturus, Daniel. 9. in fin. signum ergò vnum est pax, quam describit illis verbis, *ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem (o fili mi)* (hæc apostrophe innuit de alio loqui, vt dixi) asinam suam; hæc enìm verba denotantia pacem, & securitatem, vt dixi. tempore autèm pacis vniuersalis in mundo natus est Christus, annuntiata ab Angelis hominibus bonæ voluntatis; dicitur ipse pax nostra, faciens vtraque vnum, pacificans quæ in Cælis, & quæ in terris, dicitur Rex pacificus sub typo Salomonis; princeps pacis, & pacis non erit finis. Isa. 9. 6. 7. & per totum Isaiam sempèr tēpore Messiæ pax, præsertim. c. 2. & conflabunt gladios suos in vomeres, &c. de quo & Michææ 4. vbi omnes; & Ezech. 37. 22. & Psal. 71. suscipiant montes pacem populo: & orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis; & de pace vni-

vniuersali intelligendum tempore Messiæ, & publicationis Euangelij, non particulari, vt dixi Mich.4.vidētes igitùr pacē, debuerāt cogitare prophetiam impletā Aliud signū mortis, ideò dixit *lauabit in vino stolā suam, & in sanguine vuæ pallium suum*, totum enim sanguinem in cruce fudit, totus sāguine maduit, sic Isa.63.1. quis est iste? &c.tinctis vestibus, &c. vsquè ad vers.4. imò & Sancti lauerunt stolas suas, & dealbauerūt eas in sanguine Agni, Apoc.7.14. sed dices, quomodò hoc signum potuit innotescere? rectè; nàm quæ signa facta in morte eius, quibus animaduersis conuerti poterant? iunge quæ ipse illis dixerat, præsertìm captus ab eis, & videbis quale signum hoc. Aliud signū resurrectionis quod ipse Iesus dederat: soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, quod ipsi intellexerunt de resurrectione; signum non dabitur generationi huic, nisi signum Ionæ prophetæ; sicùt enìm fuit Ionas in ventre cœti tribus diebus, & tribus noctibus, ità erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus; dicit ergò *pulchriores sunt oculi eius vino*, quod flauescit, & splendet in vitro color eius. Prou. 23. 31. & ex oculis nitentibus. Esther. 15. 8. apparet vita hominis, tùm ex motu, tum ex visu etiam per distantiam actiuè, & passiuè, quod non est in alio membro corporis nostri; hinc in signum vitæ Tabita aperuit oculos, Acto. 9. 46. & filius viduæ aperuit oculos, & intellexit Elisæus eum viuere. 4. Reg. 4. 35. facit, quia dum patimur famem, vel dolorem, oculi languescunt: at ex cibo, vel gaudio resumptis viribus oculi illuminantur, sic in Ionatha fesso, & famelico illuminati oculi ex melle sumpto 1. Reg. 14. 27. sic vino ad denotandam vberum pulchritudinem. Cant. 4. 10. pulchriora sunt vbera tua vino, sed hic *vino* ad denotandas actiones vitales; dum enim vinum flauescit, quasi salit in vitro, dicimus vinum viuax, *& dentes eius lacte candidiores*; nàm in resurrectione pulchriora sunt corpora ex quattuor dotibus, nedum in apparentibus, proùt sunt oculi, ideò illos solos nominat; sic & Cant. 4. 1. oculi tui columbarum absquè eo, quod intrinsecùs latet, idem repetit in geris vers. 3. sed & in occultis, quales sunt dentes, ex quorum albedine denotare voluit gloriam; gloria enim ex albedine significatur in Apoc. & æterna duratio gloriæ ex eis, quia ossei sunt; dixi in occultis: at ad gloriosi corporis nutum demonstrandis, vel occultandis, proùt dentes; ideò dentium mentio facta, idquè in Christo, qui gloriam occultauit, vt posset cùm discipulis morari pòst resurrectionem: vel dentium meminit, quia dentibus cibus frangitur, & ex cibo apparet de resurrectione, & vita; vndè Christus discipulis dubitantibus dixit: habetis hìc aliquid, quod manducetur? & sæpiùs coràm illis manducauit, & conuescens, &c. Act. 1. & puellæ excitatæ ab eo iussit dari manducare, Luc. 8. 55. Mar. 5. 43. vndè non poterat ex aptioribus membris demonstrare resurrectionem Messiæ. Nouerunt autèm Hebræi resurrexisse; at resurrectionem nedum attenderunt, sed occultare nisi sunt dantes pecuniam copiosam custodibus Math. 28. Hæc autèm opinio videtur tutior, & saluat textum, non corrumpit, nec est necesse defendere pōtifices fuisse ex stirpe Iuda. Non dicas quæ de pace, & vbertate, & securitate dicuntur, pertinent ad omnes tribus, ergò & præcedentia de sceptro, quia respondeo pertinere quidèm, sed originalitèr descendere à fortitudine, & sceptro Iudæ; ideò argumentum euanescere. Non dicas, miscentur aliæ tribus in sceptro in prophetia Iudæ, quia tribus Iuda nobilior, regno diù dignanda, ex ea Iudæi nominati, ex ea oriundus Messias; at non procedit, quia singularum facta mentio; vndè non censetur Iacob in vna sola alias coaceruasse. Dices, ex tanta distantia temporis Iudæi difficultèr potuerunt venire in cognitionem temporis aduentus Messiæ. At quis dubitat prophetias sempèr habere aliquid in se difficile? sic difficultas fit quomodò prophetia Ioelis, de qua Petrus Act. 2. loquatur de missione Spiritus Sancti, & eodem contextu de iudicio, de iudicio enìm loqui tenui in eodem c. 2. sed scientes non posse non euenire quod dixerat Iacob, expectare, & obseruare debuerant, proùt obseruarunt gentes credentes, & proùt aduertit Iacob dicens. expectabo salutare tuum Domine; non enim prophetæ rem ponunt antè oculos, at etiàm ponunt,

sed

ſed cùm aliqua obſcuritate, quam pòſt factam detegimus. dictum etiàm fuerat Meſſiam in Bethlehem naſciturum, & tamèn res obſcura eſt reddita, quia etſi ibi natus, alibi tamèn educatus, parua in Bethlehem māſio; ſed hæcnè ſola prophetia, vt ab illa ſola dependere deberent, hæcquè nùnc impropriè hac de cauſa explicanda? nonnè habuerunt quæ coniugerent prophetias, præſertim illam Danielis de hebdomadibus? illam Ezechielis c. 21. aufer cidarim, coronam, &c. Malachiæ, & alias? non ergò quia obſcura reddita eſt prophetia Iacob ex diſtantia temporis, propterea ruit. ſed eò magis firma, quia plus temporis habuerunt ad obſeruandum, & ſe ipſos præparandum; & intèr obſcuritates hæc tempus reſpiciens videtur minor, & facilior. Imò ſi & tempus præciſum percuſſiſſet, res antè oculos ponebatur, nec habuiſſet aliquid obſcuritatis, quam ſempèr habent prophetiæ; & cùm ſcopus Iacob fuerit denotare diuturnitatem durationis ſceptri in Iuda, ſola tribus Iuda poſſet conqueri ſuum ſceptrum non perueniſſe præcisè ad tempus Meſſiæ; ſed (vt dixi) non attenditur, quia ſufficit verificatam prophetiam in magno ſpacio temporis, quo illius ſceptrum durauit. Addam & hoc: prophetia Iacob ducit ad aduentum Meſſiæ, ſed non perducit vſquè ad illum finalitèr, eſt ſignum in via poſitum ad illum perueniendi non finis viæ; quaſi, habebitis hoc ſignum *donèc veniat qui mittendus eſt*, donèc appropinquet ſeu appareat; nàm & appropinquās venire dicitur *qui venturus eſt*, appropinquaſſe autèm dici potuit, qui promiſſus ab exordio mundi pòſt quingentos annos venturus erat; ſalutabant enim Patres, & aſpiciebant à longè promiſſiones eis factas Heb. 11. 13. Dices reddi etiàm obſcuram, quia à principio non gubernauit populum tribus Iuda, ſed Moyſes primus ex Leui, Ioſue ex Ephraim, &c. at non attendit initium prophetia, nec dat tempus initij, ſed finis, principium verò ſumendum quandò regnum in Iudam translatum. Dices ſufficere dominium, ſeù ſceptrum fuiſſe penès populum Hebræum, qui pòſt captiuitatem Babylonicam dictus eſt Iudaicus, & ob hanc denominationem ſolam verificari prophetiam, quia ſceptrum tribus Leui, nempè pontificum durauit vſquè ad Herodem, ſub quo Chriſtus venit. Reſpondeo non poſſe ſubſiſtere hanc ſaluationem, quia aliud eſt exiſtere verè, aliùd denominari; denominatio enim non facit, vt quis dicatur verè eſſe, qualis denominatur. Prætereà vna ſola tribus Leui, quæ ſempèr diſtincta fuit, quæ aliòqui ſacerdotio functa non eſſet, dominata eſt, non aliæ pòſt ſceptrum Iuda; ideò non eſt dicendum huius dominium combinari debere cùm ſceptro Iudæ, proùt ſi in confuſo omnes tribus participaſſent de dominio; hæc enim diſtinctio non patitur hanc confuſionem, eò magis quia huius dominium fuit maioris durationis illo Iudæ; vndè non poteſt dari illi Iudæ vti acceſſorium. Ad hæc, magìs denominabatur hæc tribus à proprio nomine Leui; quàm Iudæ, ideò non applicatur argumentum. Prætereà non fuit reuelata Iacob gloria hæc Leui; quia de illa in eius benedictione nullum verbum, ergò nequè intellexit de illa ſub Iuda, quia ſi fuiſſet ſibi reuelata, in propria illius benedictione de illa egiſſet, proùt fecit in alijs omnibus. Non obſtat, dicebatur *ſceptrum Iuda*, corona Iuda; at negatur hæc nuncupatio, quæ neque ſuffragaretur, nàm ſicùt Deo volente regnum à Saule in tribum Iuda tranſlatum, sìc de eadem voluntate à Roboam in Ieroboam decem tribus tranſlatæ, & in captiuitate Babylonica penitùs ſpoliata fuit tribus Iuda omni ſuo iure regio, quòd ſi priuata non fuiſſet, pòſt captiuitatem repoſita eſſet in priſtinum, & tamèn per quingentos, & tot annos tribus Leui poſteà regnauit, nullo de tribu Iuda contradicente; qui tamèn contradixerunt Ieroboam ſempèr, & cœpit Roboam, cui dictum de voluntate Domini tranſlatum regnum in Ieroboam, & Abia, qui prætendens regnum æternum dixit: num ignoratis quòd Dominus Deus Iſrael dederit regnum Dauid ſupèr Iſrael in ſempiternum ipſi, & filijs ſuis in pactum ſalis? 2. Paralip. 13. 5. populus autèm Iſrael pridem dictus Hebræus, vel Iſrael dicebatur Iudæus non ratione regni in tribu Iuda exiſtentis, ſed quia tribus Iuda ſola remanſerat Regibus Iuda in Roboam filio Salomonis, decem alijs tribubus dimiſſis Ieroboam, quæ datæ fue-

fuerunt in ſeruitutẽ perpetuã Aſſirijs, vndè ſola tribus Iuda cùm Leui, & Beniamin captiua fuit in Babylone, nimirum ſi poſteà denominati Iudæi præualente numero de illa tribu. Sed an in prophetia certò proferat Iacob Meſſiã ex tribu Iuda oriundum? & ex verbis id non colligo, quia in abſtracto dixit, *donèc veniat qui mittendus eſt*, ſequè ad nullam tribum reſtringit, & neque Moyſes de Meſſia agens, Deut. 18. id explicat, ſed dicit Prophetam verſic. 15. de gente tua, & de fratribus tuis, ſicùt me ſuſcitabit tibi Dominus, &c. idem verſ. 18. & Deut. 33. in benedictionibus in Iuda nihil profert, veriſimilitèr dicturus, ſi prophetia Iacob id explicaret; imò eò magis redditur dubia, quò etiàm in Dan dicit, *ſalutare tuum expectabo Domine*, vndè non poterat ſciri ex quanàm, vel Iuda, vel Dan oriri deberet; nec video in Scriptura id manifeſtum, nec Balaam ſciuit, etſi dicat, *orietur ſtella ex Iacob;* nàm intelligit de regione; niſi poſtquàm Deus renouauit promiſſionem in Dauid; tùnc enìm virga Iacob erecta in eo, & poſteà apud Iudæos inualuit certò Meſſiam de tribu Iuda ex Dauid oriturum, Io. 7. & 1. Paral. 5. primùm effertur Iuda primogenitus. At in contrarium facit, quia loquendo ſub benedictione Iudæ de Meſſia venturo, videtur & annuere de illa tribu oriundum eſſe.

Hæc de Iuda ſtrictè, ſed quia longiùs progreſſi ſumus, reaſſumamus dicta breuitèr ſic. Prophetiam hanc impletam in prima parte, nempè ablatum fuiſſe ſceptrum de Iuda tempore captiuitatis Babylonicæ, protractumquè vſquè ad quingentos viginti annos circitèr, quibus gubernarunt alij Hebræi quidèm, ſed Leuitici generis, ſeù ſacerdotalis, nec interim expectantibus, & videntibus defeciſſe ſceptrum Iuda, & duces fœmoris, ideſt, ſtirpis eius: (idem enim ſceptrum quod duces fœmoris, non diuerſum) defuiſſe Dominum: ſed more recitantium geſta Sanctorum, & interponentium ſpatia muſicalia donèc recitaturi indumentis nouis parentur, & in ſcenam prodeant; interpoſuiſſe prophetiam Danielis ſeptuaginta hebdomadarum: videns enìm Daniel, & alij expectantes (& hoc roborat ſatis hunc intellectum) defeciſſe ſceptrum Iuda (aliò qui non expectaſſent, neque clamaſſent) optabãt ſcire vndè mora veniendi in Meſſia, hincquè facta Danieli deſideriorum viro reuelatio illa; ſic & aliorum prophetarum interpoſuiſſe reuelationes, qui edebant ſigna venturi, naſciturum ex Virgine, in Bethlehẽ, de ſtirpe Dauid, præcurſuram vocem clamantis, venturum ad templum, Reges adoraturos, & ſimilia. Secunda autèm pars prophetiæ Iacob adimpleta, dum fuit pax tempore eius aduentus Deo beneplacito; Mors, quæ tot ſignis mirabilibus, & vniuerſalibus per totum orbem innotuit; Reſurrectio, qua nullum ſignum maius ex ore Saluatoris: nàm mors omnibus communis, etſi hæc veſtita tot, tantiſquè prodigijs, At reſurrectio ad vitam immortalem ſoli Meſſiæ reſeruata; hinc ipſe primogenitus mortuorum. Vltimò vocatio gentium; & hæc omnia dicebat Ieſus etiàm ad hanc prophetiam reſpiciens; ideò iubebat: ſcrutamini ſcripturas: illæ enìm loquuntur de me; De ſua morte dicebat: cùm exaltaueritis filium hominis, tùnc cognoſcetis, quia ego ſum; De vocatione gentium: cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere; De reſurrectione: ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: ſignum non dabitur, niſi ſignum Ionæ Prophetæ, &c. De pace clarum ex ſe, annuntiata etiàm per Angelos in ſua Natiuitate.

Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium in portubus *pertingens vſquè ad Sidonem*, huic prædicit tantum funiculum, ſeù portionem terræ promiſſionis ei obuenturam, & etiàm mercimonia, vndè, Iſai. 9. terra Zabulon, & terra Nephtalim via maris trans Iordanem Galilææ gentium, & Moyſes, Deut. 33. 18. lætare Zabulon in exitu tuo, dùm enim naues exeunt in mare lætantur nauigaturi, inundationem maris, abundantiam maris quaſi lac ſuget, & abſconditos theſauros arenarum.

Iſſachar aſinus fortis, labori deditus *accubans intèr terminos* ſuos, regiones alienas mercium cauſa non percurrens; *Vidit requiem quòd eſſet bona*, nempè contineri in finibus ſuis non peregrinari; *& terram quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum*

tandum proùt asinus, dedit se agriculturæ, & thesauros absconditos arenarum, *factusquè est tributis seruiens*, non quæsiuit suprà alios efferri, dominari, sed contentus fuit quiescere sub aliorum protectione, & tributa pendere: quod est signum subiectionis; Ideò Moyses, lætare Issachar in tabernaculis, Deut. 33. 18. & 1. Paralip. 12. 32. De filijs quoquè Issachar viri eruditi, qui nouerant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel.

Dan iudicabit populum suum, sicùt & aliæ tribus in Israel, quasi, non erit alijs inferior, id autèm fecit in Samsone Iudi. 13. *fiat*, fiet *Dan* ob suam astutiam *coluber in via, cerastes in semita* arcta, *mordens vngulas equi* per insidias, *vt cadat ascensor eius retrò*. Ex his alludit ad astutiam, & insidias, quibus hæc tribus vsura, præsertìm in Sampsone contrà Philistæos pauidos redditos, proùt solemus ad serpentum visionem *salutare tuum expectabo Domine*, at ego non in astutijs confidam, sed in saluatore meo, quem expecto, & Moyses Deuter. 33. 22. Dan catulus Leonis fortis vt Leo in iuuentute fluet largitèr de Basan, quasi ex insidijs vide Serrar. Iudi. 16. q. 37. Multi verba hæc ad Antichristum referunt nasciturum ex hac tribu, cuius tot erunt astutiæ, de quibus in Apoc. vt subdat, salutare Dei expectaturum, videns nullo modo euadere posse, quàm Dei auxilio, sed nil certi, vt etiàm dixi in Apocal.

Gad accinctus præliabitur antè eum, antè populum, quandò armatus iuit præliaturus, & introducturus populum in terram promissionis tempore Iosue; *& ipse accingetur retrorsùm*, sic accinctus reuertetur ad sortem suam citrà Iordanem, ibì etiàm præliaturus ex verbo *accingetur*; si enim quieturus, dixisset discingetur more victorum; iuxtà illud, non glorietur accinctus æquè ac discinctus, & verificatum, Ios. 22. 1. Paralip. 5.

Aser pinguis panis eius, fertilitate enìm magnus, gauisus est; *& præbebit delicias regibus*; quia cibi deliciosi indè ad Reges, vel regibus digni exportabuntur.

Nephtali velùt *ceruus emissus* liber, qui euasit a periculosa venatione, vel à clausura qua detinebatur, *dans eloquia pulchritudinis*, pulchra, sonora, libertate gaudens, & canens præ gaudio, seruituteınquè fugiens, fortè alludit ad victoriā Barath, & Debboræ contrà Sisaram, & Canticum. Iudi. 4. & 5. at hoc reprobat Mas. in Ios. quem refert Serrar. Iud. 5. q. 2.

Filius accrescens Ioseph, filius accrescens à nomine extollit, *& decorus aspectu*; sic suprà c. 39. erat Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. *filiæ*, mulieres *discurrrerunt supèr murum*, informatus verisimilitèr cur carceratus alludit occultis his verbis ad dominam suam illum ad peccatum trahentem, vtens plurali pro singulari, sicùt enìm solent mulieres accurrere ad videndum transeuntes iuuenes, sic illa coniciebat oculos in Ioseph venustum, & gratiosum, proptèr quòd posteà coniectus in carcerem, vel ad omnes mulieres Aegyptiacas alludit, *sed exasparauerunt eum, & iurgati sunt*. non valentes ei aliquid pacificè loqui fratres sui, Gen. 37. 4. *inuideruntquè* illi, ità vt illum vellent occidere, & in eum conspirauerunt *habentes iacula*, sagittas ad id faciendum, promptitudinem eorum ad malum, hoc sìc declarat; & Dauid: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. At *sedit* stabilis, fixus fuit *in Deo forti* adiutore eius, *arcus eius*, robur, fortitudo eius. vtitur in Ioseph arcu ex opposito sagittariorum, & fortissimus Deus dicitur suprà Gen. 33. in fin. & c. 46. & Anna: non est fortis sicùt Deus noster 1. Reg. 2. *& dissoluta sunt* Deo protegente *vincula brachiorum, & manuum illius*, quibus alligatus fuerat captiuus venditus, & carceri mancipatus *per manus*, vires *potentis* Dei *Iacob*, mei quoquè miserentis, sic Psal. 104. humiliauerunt in compedibus pedes eius, & Sap. 10. *indè* ab illis vinculis liber *pastor* pascens populos multos in sterilitate *egressus est lapis*, petra, stabilimentum *Israel*, quem pauit, & nutriuit cùm suis; ideò Eccl. 49. Ioseph princeps fuit fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi *Deus patris tui* fuit, & *erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi*, crescere te faciet, cumulabit te *benedictionibus cæli desupèr*, roris, pluuiæ, *benedictionibus abyssi iacentis deorsùm* terræ, quæ fructus vberes tibi dabit, proùt Gen. 27. 28. det tibi

tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, idem versic. 39. *benedictionibus vberum, & vuluæ,* lactis, & fœtuum, proùt Iacob dùm esset cùm Laban. *Benedictiones patris tui* à Deo mihi promissæ *confortatæ sunt*, maxima spe fultæ sunt *benedictionibus patrum eius* Abraham, & Isaac, quibus vniformitèr factæ, eò vsquè *donèc veniret*, veniat *desiderium collium æternorum* Messias per prosopopeiam, non collium mundi incola, sed æternus Deus, idem ac illud: desideratus cunctis gentibus, & vult dicere benedictiones illas duraturas, donèc Messias veniat, quod omne desiderium, omnesquè alias benedictiones excedit, & superat, sicùt Dauid inducit montes, & omnes colles Deum laudantes, sic Iacob desiderium hoc in collibus, opto vt *fiant*, adimpleantur benedictiones hæ *in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi* sancti *intèr fratres suos*, idest supèr Ioseph.

Beniamin velut *lupus rapax* in discerpendo inimicos suos. exponit quomodò, nàm *mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia*, celeritate magna vtetur, nunquàm quiescet, donèc hostes ad nihilum deduxerit, & in se omnia eorum bona conuerterit. Vel si ad Saulem, *lupus rapax* in regno accipiendo, & populum sibi subdendo, *mane comedet prædam*; qui paruo tempore ipse solus viuens regnauit, *& vespere*, in morte *diuidet spolia*; nàm diuisum pòst eius mortem regnum intèr Dauid, & Isboseth, & deindè totum amissum mortuo Isboseth, & ad Dauid deuolutum, quod ex illa diuisione prouenit; vndè mane in vita, vespere in morte satis aptantur. Hebræi hæc putant dici de templo. vt per Hieron. vide Sanct. Isai. 4. 18. *Omnes hi* supradicti *in tribubus Israel duodecim; hæc loquutus est eis pater suus*, prædicens quid eis euenturum, & eorum posteris, *benedixitquè singulis benedictionibus proprijs*, iuxtà quod prophetauerat, vt suprà; quid enìm voluisset benedicere prætèrquàm quòd à Domino imbiberat, & erant procedentia, proùt dicebat Balaam. Num. 22. & 23. ideò in principio capitis, *vt annuntiem quæ ventura sunt vobis;* hæ enìm benedictiones euenturæ supèr eos à Domino in generationibus futuris; *& præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum*, morior, & ad populum meum in limbo descendam, *sepelite me cùm patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro* quondàm *Ephron Hethæi contrà Mambre in terra Chanaan*, quam promisit Deus populo suo tradendam, & incolendam, ideò antiqui volebant in ea terra sepeliri, *quam emit Abraham* auus meus *cùm agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri* (quod rogauerat Ioseph, nùnc omnibus imperat simùl) *ibì sepelierunt eum, & Saram vxorem eius, ibì sepultus est Isaac cùm Rebecca coniuge sua: ibì & Lia condita iacet*, de hoc hic tantùm mentio. *Finitisquè mandatis, quibus filios instruebat,* proùt Tobias filium suum, *collegit ad se pedes suos supèr lectulum*, in quo iacebat, non extrà, *& obijt, appositusquè est ad populum suum* in limbo; hinc clara animæ immortalitas.

CAPVT L.

1 QVOD cernens Ioseph, ruit supèr faciem patris flens &
2 deosculans eum.* Præcepitquè seruis suis medicis, vt aro-
3 matibus condirent patrem.* Quibus iussa explentibus, tran-
sierunt quadraginta dies: iste quippè mos erat cadauerum
conditorum, fleuitquè eum Aegyptus septuaginta diebus.
4 * Et expleto planctus tempore, loquutus est Ioseph ad fami-
liam Pharaonis: Si inueni gratiam in conspectu vestro,
5 loquimini in auribus Pharaonis: *eò quòd pater meus adiu-
rauerit me, dicens: En morior, in sepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaan,
6 sepelies me. Ascendam igitùr, & sepeliam patrem meum, ac reuertar. Dixit-
7 què ei Pharao: Ascende & sepeli patrem tuum sicùt adiuratus es.* Quo ascen-
dente, ierunt cùm eo omnes senes domus Pharaonis, cunctiquè maiores natu terræ
8 Aegypti:* domus Ioseph cùm fratribus suis, absquè paruulis, & gregibus, atquè
9 armentis, quæ dereliquerant in terra Gessen.* Habuit quoquè in comitatu currus
10 & equites: & facta est turba non modica.* Veneruntquè ad Aream Arad, quæ
sita est tràns Iordanem: vbì celebrantes exequias planctu magno, atquè vehe-
11 menti, impleuerunt septem dies.* Quod cùm vidissent habitatores terræ Chanaan,
dixerunt: Planctus magnus est iste Aegyptijs. Et idcircò vocatum est nomen loci
12 illius, Planctus Aegypti.* Fecerunt ergò filij Iacob sicùt præceperat eis:* Et por-
13 tantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam eme-
rat Abraham cùm agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo contrà faciem
14 Mambre.* Reuersusquè est Ioseph in Aegyptum cùm fratribus suis, & omni co-
15 mitatu, sepulto patre.* Quo mortuo, timentes fratres eius, & mutuò colloquen-
tes: Ne fortè memor sit iniuriæ quam passus est, & reddat nobis omne malum quod
16 fecimus, *mandauerunt ei dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequàm morere-
17 tur,* vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecrò vt obliuiscaris sceleris fratrum
tuorum, & peccati, atquè malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoquè oramus vt
seruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioseph.
18 * Veneruntquè ad eum fratres sui: & proni adorantes in terram dixerunt: Ser-
19 ui tui sumus.* Quibus ille respondit: Nolite timere: nùm Dei possumus resi-
20 stere voluntati?* Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum,
vt exaltaret me, sicùt in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos po-
21 pulos.* Nolite timere: ego pascam vos, & paruulos vestros. consolatusquè est
22 eos, & blandè, ac lenitèr est loquutus.* Et habitauit in Aegypto cùm omni
domo patris sui: vixitquè centum decem annis. Et vidit Ephraim filios
vsquè ad tertiam generationem. Filij quoquè Machir filij Manasse nati sunt
23 in genibus Ioseph.* Quibus transactis, loquutus est fratribus suis: Pòst mortem
meam

meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram
24 *quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob,* * *Cumquè adiurasset eos atquè dixis-*
25 *set: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto:* * *mortuus est*
expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in
loculo in Aegypto.

QVOD *cernens Iosepb*, nempè patrem obijsse, *ruit supèr faciem patris* sui mortui *flens, & deosculans eum* in signum amoris, quo eũ prosequebatur; & sic contigit quod dixerat Deus Genes. 46. 5. Ioseph quoq. ponet manus suas supèr oculos tuos. *Præcepitquè* Ioseph *seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem* more Aegyptiorum, qui mos transijt in Iudæos. Ioan. 19. 41. *quibus iussa explentibus transierunt quadraginta dies; iste quippè mos erat cadauerum cõditorum* aromatibus. *fleuitquè eum Aegyptus septuaginta diebus*: fuerunt dies hi seruati pro luctu, non quòd fleuerint. *Et expleto planctus tempore loquutus est Ioseph ad familiam Pharaonis*; voluit ei per alios suggeri, non ipse petere, ne passus repulsam quid humanum pateretur, vel humilitatis causa, ne videretur sibi quicquam arrogare, *Si inueni gratiam in conspectu vestro*, si sum vobis gratus, *loquimini in auribus Pharaonis, eò quòd pater meus adiurauerit me*, iuramento me adstrinxerit *dicens: En morior in sepulchro meo* hæreditario mihi delato, vtì successori Abraham, & Isaac, *quod fodi mihi* illis mediantibus, & in eorum ius succedenti, vel destinaui mihi pro sepulchro *in terra Chanaã sepelies me*; & de illo Abraham intelligere non est dubitandum, cùm expresse id ipse dicat Genes. 47. 30. in sepulchro maiorum meorum, & cap. 49. 29. Sepelite me in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contrà Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cùm agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri, & infrà versic. 13. eadem verba, quandò sepultus. Ioseph autèm cùm alijs loquens, quibus non erãt tot communicanda, sciens ipse quò tenderet, breuiatè loquutus est, *quod fodi mihi*, non quod Iacob diuersum sepulchrum sibi fodisset à spelunca illa, vel aliam partem agri ab Ephron emisset, quia est diuinare. *Ascendam igitùr & sepeliam patrem meum* iuxtà iussionem suam; & iuramentum meum, *ac reuertar* illicò. Attende quomodò paternam iussionem præferat Pharaoni, cuius negotia ad tempus ob patris iussionẽ dimittit *Dixitquè Pharao* his auditis pro Ioseph: *ascende, & sepeli patrẽ tuum sicùt adiuratus es*, quasi, nõ possum hoc tibi negare tàm pium, & iuramento firmatum. *quo* Ioseph *ascendente, ierunt cùm eo omnes senes domus Pharaonis, cunctiquè maiores natu terræ Aegypti*; hinc qualis, quantusquè Ioseph, & quæ illius gratia apud omnes. *domus Ioseph cùm fratribus suis, absquè paruulis, & gregibus, & armentis, quæ dereliquerunt in terra Gessen. Habuit quoquè in comitatu currus, & equites, & facta est turba non modica. Veneruntquè ad Aream Arad, quæ sita est trans Iordanem* (fortè ibi sisterunt, quia tutior locus ab insidijs, quas suspicabantur à Chananæis) *vbi celebrantes exequias planctu magno, atquè vehementi impleuerunt septem dies. Quod cùm vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt: planctus magnus est iste Aegyptijs.* fortè non recordabãtur Iacob, aut filiorum; hunc non propriè plãctum, sed pompam funeris docet Hieron. epist. 25. ad Paulam. Sanct. Ezech. 24. 39. *Fecerunt ergò filij Iacob sicùt præceperat* eis pater, *& portãtes eum in terram Chanaan sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cùm agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo contrà faciem Mambre* (eccè quomodò verba illa *fodi mihi*, intelligenda) *Reuersusquè est Ioseph in Aegyptũ cùm fratribus suis, & omni comitatu sepulto patre. Quo mortuo timentes fratres eius* conscientia delicti sempèr mordentis exagitati, *& mutuò colloquentes* de eorum statu: *Ne fortè memor sit* Ioseph *iniuriæ* (dicebant) *quam passus est à nobis, & reddat nobis* meritò *omne malũ*,

quod fecimus, mandauerunt ipsi erubescentes *ei dicentes* per alios fabellam fictam. *Pater tuus praecepit nobis antequàm moreretur, vt haec tibi verbis illius diceremus: obsecro, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum & peccati, atquè malitiae, quam exercuerũt in te*; hinc omnes peccasse, nequè Ruben excusandus vel à negligentia, vel quia celauit patrem rem prout successerat, vel alij ex ancillis, quia omnes conspirauerant, *nos quoquè oramus, vt seruis Dei patris tui* (cumulant & Deum, & Patrem pro indulgentia recipienda) *dimittas iniquitatem hanc*; hinc si non dimisissent paruulos, & bona in terra Gessen, non erant ex Chanaan reuersuri. *Quibus auditis fleuit Ioseph*, qui iàm ex animo omnia dimiserat iuxtà Euangelium, *veneruntquè ad eum fratres sui* vocati, *& proni adorantes in terram dixerunt: serui tui sumus; Quibus ille respondit: Nolite timere, nùm Dei possumus resistere voluntati*, qui sìc disposuit ex malitia vestra me extollere? sìc Mardochaeus, & non est qui possit tuae resistere voluntati, nec est qui resistat maiestati tuae. Esther. 13. 9. 11. & Act. 5. 39. Si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud. & Iob. 9. 13. Deus, cuius irae nemo resistere potest. *Vos cogitastis* (extenuat) non fecistis *de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me sicùt in praesentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos*, sìc & suprà cap. 45. 8. vbì vide quae dixi, misit antè eos virum, &c. sic Mardochaeus dicebat ad Esther Deum illam prouexisse ad regnum, vt esset adiutrix in ea calamitate populo suo. Esth. 4. 14. iustis omnia cooperantur in bonum ex Apostolo. *Nolite timere, ego pascam vos, & paruulos vestros*. sic pater dixerat eum pastorem, cap. 45. 24. *consolatusquè est eos, & blandè, ac lenitèr est loquutus; & habitauit* Ioseph *in Aegypto cùm omni domo patris sui, vixitquè centum decem annis*; quorum octoginta in principatu, *& vidit Ephraim filios vsquè ad tertiam generationem. Filij quoquè Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph*, vel quos sibi filios adoptauit, proùt Rachel, & Lia, & Sara, Genes. 16. & 30. 3. vel ad instàr Noemi gerulae fungentis officio in Ruth. vel proùt Iob. 3. 12. quarè exceptus genibus? sic enìm assumuntur recentèr nati, & Isai. 60. 12. *Quibus* annis *transactis locutus est fratribus suis: Pòst mortem meam Deus visitabit vos*, recordatus populi sui, *& ascendere vos*, idest posteros vestros *faciet de terra ista ad terram, quam iurauit* se daturum *Abraham, Isaac, & Iacob. Cumquè adiurasset*, iuramento adstrinxisset *eos*, & posteros. proùt pater illum, c. 47. 31. *atquè dixisset: Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto*, non praefigens locum sepulchri, *mortuus est expletis centum decem vitae suae annis. & conditus aromatibus* de more, *repositus est in loculo in Aegypto* transportandus ad Chanaan, quod exequutus est Moyses cùm populo de Aegypto exeunte.

FINIS GENESIS.

IN EXO-

IN EXODVM
CAPVT PRIMVM.

HAEC *sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum cùm Iacob: singuli cùm domibus*, familijs *suis introierunt. Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Zabulon, & Beniamin, Dan, & Nephtali, Gad, & Aser. Erant igitùr omnes animæ eorum*, viri *qui egressi sunt de fœmore*, lumbis *Iacob, septuaginta, Ioseph autèm in Aegypto erat* antè hos præmissus, circà numerum verò vide dicta in Gen. cap. 46. *Quo* Ioseph *mortuo, & vniuersis fratribus eius, omniquè cognatione illa* in Aegyptum à Iacob ducta. *filij* populi *Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis, impleuerunt terram* iuxtà promissiones Patribus eorum factas, Abrahæ, Isaac, Iacob. *Surrexit intereà*, ortus est *Rex nouus* aliorum morum, diuersæ mentis ergà Hebræos *supèr Aegyptum qui ignorabat Ioseph*, scilicet qui non fuerat tempore salutis, & administrationis Ioseph, nequè illorum recordabatur, aut illos considerabat; sic contigit filio Ioiadæ Sacerdotis occiso à Rege Ioas ad regnum per Ioiadam assumpto, cuius non est recordatus 2. Paralip. 24. *Et ait ad populum suum* Aegypti. *Eccè populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est. Venite sapientèr*, astutè, callidè *opprimamus eum*; sic & Sap. 2. contrà iustum consilium ineunt; *ne fortè multiplicetur* magis: *& si ingruerit contrà nos bellum* ab exteris, *addatur inimicis nostris, expugnatisquè nobis, egrediatur de terra*, sìc contrà Dauid Satrapæ Philistijm 1. Reg. 29. audierant enim eos ad terram promissionis reducendos, eosquè ad illam aspirare, & de proximo; quodnam hoc consilium insulsum, nolebat eos egredi, & nihilominùs, dùm non multiplicabatur, extingui, quo casu nec sibi proderat; at ratio status omnia sus dequè vertit; nihil considerat; sìc scelestus Ieroboam erigit altaria timens regno, & Deum, à quo regnum acceperat, derelinquit cùm populo suo. 3. Reg. 12. sic & alij imitatores huius, quos alibì collegi. *Præposuit itaquè eis* filijs Israel *magistros operum, vt affligerent eos oneribus*, vt illis fessi non prolificarent, *ædificauerunt* filij Israel *Vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom, & Ramesses*; Ramesses dicta in Genesi per præoccupationem, dùm nondùm extaret. *Quantoquè opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant*, Deo mala in bonum conuertente, & prosperāte, *Oderantquè filios Israel Aegyptij*, eò quòd essent pastores ouium; Gen. 46. 34. & quia magnus eorum numerus, vt suprà ex Rege, quem sequitur populus, proùt populus Sichem, & Israel Ieroboam; vndè Psal. 104. conuertit, conuerti permisit cor eorum à prima beneuolentia, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius, & consequentèr hinc ad illum educendum occasio daretur, *& affligebant illudentes eis*, quod grauiùs ferri solet ab oppressis iniustè; *atquè ad amaritudinem perducebant vitam eorum*, amaram eis faciebant vitam *operibus duris luti, & lateris, omniquè famulatu, quo in terræ* agrorum *operibus premebantur*.

Dixit autèm Rex Aegypti, videns ex operibus rem ad vota non succedere, *obstetricibus* Aegyptijs *Hebræorum, quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis: Quandò obstetricabitis Hebræas* hinc cognosce illas fuisse Aegyptias, & si Hebrææ fuissent, Rex eis id nō iussisset, sciens irritum futurum mandatum, easquè potiùs hæsuras contribulibus, quàm parituras præcepto, nec non & publicaturas iussionem, qua territæ Hebrææ illas non vocassent ad partus. *& partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum, si fœmina, reseruate;* hæ enim imbelles, nihil nocere poterūt. Huius exemplum mutuatus impius Herodes infantes occidi fecit; & Naas volebat dexteros oculos eruere Galaaditis, sinistris dimissis. 1. Reg. 11. *Timuerunt autèm obstetrices Deum,* contrà quem iubebatur, id tanquàm insolitum dicitur, quod non congrueret Hebræis, ideò hæ Aegyptiæ; sìc de Rahab, *& non fecerunt iuxtà præceptum Regis Aegypti* iniquum, nec enim tenebantur, *sed conseruabant mares. Quibus* obstetricibus *ad se accersitis Rex ait: Quidnam est hoc, quod facere voluistis, vt pueros seruaretis?* cur non potiùs iuxtà præceptum meum illos interfecistis? *Quæ* obstetrices *responderunt* Regi: *Non sunt Hebrææ sicùt Aegyptiæ mulieres* (hinc hæ Aegyptiæ) *ipsæ enim* Hebrææ *obstetricādi habent scientiam, & priusquàm veniamus ad eas pariunt:* sìc dicunt, quia negare non poterant eas vocari, & vocatas ad eas adire obstetricādas: si hoc posset in aliquibus verificari, non dixissent mēdacium; si in nullis, vtiquè mendacium erit officiosum. *Benè ergò fecit Deus obstetricibus* saluantibus mares: *& creuit populus, cōfortatusquè est nimìs* à Deo roboratus. *Et quia timuerunt obstetrices Deum*, abstinendo se à cæde infantium, *ædificauit eis domos*, familias, benedixit eis, multiplicauit eas, Deus scilicèt, de quo proximè præcedit; relatio enìm fit ad proximiora. Hæc bona collata obstetricibus quasi extraordinaria non congruunt Hebræis fœcundis, & multiplicantibus prolem, ideò hæ Aegyptiæ, vt dixi, & si ædificatio vltrà prolem intelligatur, trahaturquè ad domos verè, & diuitias in Aegypto, eò minùs hæc aptarentur Hebræis, proùt congruerent Aegyptijs. *Præcepit ergò Pharao* ab obstetricibus delusus *omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit* intèr Hebræos, *in flumen proijcite*, vt pereant, non dicit interficite, quia quid humaniùs videbatur saltèm manus sanguine non intingere innocentum. *Quidquid fœminini, reseruate;* ab hoc enìm sexu nihil timendum.

CAPVT II.

EGRESSVS *est*, prodijt *pòst hæc* gesta à Pharaone *vir de domo Leui*, Amram dictus filius Caath, *& accepit vxorem stirpis suæ*, Iochabed patruelē suā infrà cap. 6. 20. Hoc dicit, vt sciamus patrem, & matrem Moysis, de quo loquuturus; ideò non est insistendum, quod tùnc non duxerit, quia iàm Aaron & Maria nati, cùm de his nùnc non agat, sed de solo Moyse; *Quæ concepit, & peperit filium, & videns eum elegantem*, venustum, *abscondit tribus mensibus*, ne in flumen proijceretur iuxtà mandatum Regis; *Cumquè iàm celare non posset*, fortè quia instabat tēpus satellitum perquirentium, *sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice*, vt aquæ prohiberet ingressum, *posuitquè intùs infantulū, & exposuit eum in carecto* arundineto *ripæ fluminis, stante procùl sorore eius* pueri, *& considerante euentum rei*. Videtur hæc tentatio diuina, & illicita; sed contrà, quia fecerant quod potuerant, & videntes vltrà illum habere non posse saluum domi, ideò exponunt Dei prouidentiæ, non occidentes. sed saluari cupientes illum ex Dei voluntate, & omnem diligentiam adhibentes, & seipsos eximentes à morte, quam ex retentione domi fortè incurrissent; Vide scripta in Abraham

Abraham, Gen. 12. *Ecce autem* (Deo præordinante) *descendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei*, prohibituræ illùc transeuntes, ne dominam se lauantem respicerent. *Quæ filia* Pharaonis *cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis*, vt tolleret, *& allatam* ad se *aperiens, cernensquè in ea paruulum vagientem, miserta eius, ait: de infantibus Hebræorum est hic. Cui soror pueri*, postquàm vidit quæ agebantur, accedens ex tempore, non quòd priùs filia Pharaonis experta esset alias nutrices, quia nec locus, nec tempus id persuadent; *Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? Respondit* filia Pharaonis, *vade: Perrexit puella, & vocauit matrem suam. Ad quam loquuta filia Pharaonis: accipe, ait, puerum istum, & nutri mihi*, tamquàm meum, quasi ne timeas ablatum iri, vt alij; *Ego dabo tibi mercedem tuam*; sìc Samaritanus ille misericordia motus. *Suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultumquè tradidit filiæ Pharaonis; quem illa adoptauit in locum filij, vocauitquè nomen eius Moyses, dicens, quia de aqua tuli eum:* ex nomine occurrebat illi misericordia, quam exercuit, & Moysi beneficium, quo saluatus est. *In diebus illis postquàm creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos* Hebræos, *viditquè afflictionem eorum*, qua opprimebantur ab Aegyptijs, *& virum Aegyptium*; nescitur qualis, & diuinare est, quod esset præpositus; si enim talis, facta esset mentio, non ita indistinctè dictũ *virum Aegyptium*; *percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis*, sui generis; non ergò commentienda causa adulterij, cùm habeamus expressam percussionis. *Cùmquè circumspexisset hùc, atquè illùc, & nullum adesse vidisset*, iuxtà suam reputationem, quia visus est ab alio; sìc & Iudæ cùm nuru coeunti, Amnon cùm sorore; Regi Syriæ ab Elisæo prodito; Giezi munera à Naamã recipiẽti; Petro, cui dictũ, nõnè te vidi in horto cùm illo? Isaac iocanti cùm Rebecca. Genes. 26. 8. Danieli curuãti genua. Dan. 6. 13. Susannæ Senibus à Daniele conuictis, & deprehensis. Dan. 13. Deuouẽtibus occidere Paulum. Act. 23. 16. *percussum Aegyptium abscondit sabulo*, prudenter agens, ne appareret de cadauere, neminiquè innotesceret facinus. Sed an licuerit Moysi hoc facere? nec videtur, cùm non esset Iudex, vel princeps, nequè in forma iudicij hæc fecerit; & si pro defensione oppressi, videtur excessisse pro percussione mortem inferens; at fortè dùm defendit oppressum, alter in Moysem, vel in aduersariũ insurrexit, nec potuit alitèr saluare seipsum, & fratrem, nisi illum occidendo; vel diuina inspiratione fecit; sed hoc est diuinare, & Pharao non ità contrà eum exarsisset, nec ille aufugisset, nequè occultasset occisum, nec conscientiæ stimulis grauatus esset, dicens: *quomodò innotuit hoc verbum?* si aliquo modo factũ defendi potuisset; & si Deus inspirasset, dedisset & remedia absquè fuga, vel apparuisset, seù se declarasset Deus, proùt in Phinees. Prætereà apparet de volũtate occidẽdi, quia circũspexit an videretur ab aliquo; vndè potiùs occidit illũ, ne percutiendo tantũ ab eo deferreretur ad Pharaonem; hìnc cauet ne videretur ab aliquo, & res occultaretur, abscondendo in sabulo; At factum defenditur ex Beato Stephano, qui Act. 7. 24. laudat factum Moysis dicens; Et cùm vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum, & fecit vltionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio, quod præsumendum factum cum moderamine inculpatæ tutelæ; Secundò quia fecit Deo suggerente; nàm vers. 25. subditur, existimabat autèm intelligere fratres, quoniàm Deus per manum ipsius daret salutem illis, at illi non intellexerunt, quia homicidium ab Hebræo illi obiectum, existimatio autèm Moysis ad illum actum tantùm restringẽda, vt ibi dixi, quia Exod. 3. & 4. apparet ipsum ignorasse fore liberatorem populi Dei, hìnc commentum de reuelatione patri suo, vel Moysi priùs facta. *Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes, dixitquè ei, qui faciebat iniuriam* proximo: *quarè percutis proximum tuum? Qui respondit, quis te constituit principem, & Iudicem supèr nos?* sìc Christus detrectans diuidere intèr duos fratres; quis me constituit Iudicem, aut diuisorem supèr vos? Luc. 12. 14. sìc Sodomitæ ad Lot Gen. 19. 9. ingressus es vt aduena,

nun-

nunquid vt iudices? & ille, nunquid consiliarius es Regis? & illi ad Moysem, & Aaron; cur eleuamini supèr populum Domini? Nu. 16.4 *num occidere me tu vis, sicùt heri occidisti Aegyptium?* correptus iniuriam refert. *Timuit Moyses*; sciebat enim quomodò odissent Aegyptij, & Pharao Hebræos, *& ait: quomodò palàm factum est verbum istud?* sed neutiquam mirandum, quia & secretum adulterium Bersabee innotuerat seruis Dauid 2. Reg. 11. *Audiuitquè Pharao sermonem hunc*, hoc facinus, *& quærebat occidere Moysem* (hinc fortè parum illum curabat, quia Hebræus) at voluit occidere ob homicidium commissum, non quia dictum sibi oriturum ex Hebræis, qui educeret illos ex Aegypto, & Aegyptum humiliaret; id enim nullibi, & quomodò priùs reuelasset Deus extraneis, quàm suis? *Qui fugiens de conspectu eius:* nihil hìc de captura; ideò vanitas est Hebræorum; sìc Christus infans à facie Herodis illum ad necem quærentis; sed hìc dicitur Moysem timuisse; Paulus verò Heb. 11. dicit. fide reliquit Aegyptum non veritus animositatem Regis, dic hìc pòst homicidium, ibì dum Dux educebat populum, vt ibì dixi, & Act. 7. hinc ibi subdit Paulus, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum, bonis illis, & cōmoditatibus, improperiū Christi, tribulationes, quas passurus erat in populo educēdo, quod non poterat cōsiderari in prima fuga ob homicidiū necessaria, vt consuleret vitæ suæ, quæ ad necem quærebatur à Pharaone. *Moratus est in terra Madian, & sedit iuxtà puteum*; sìc seruus Abraham, & Iacob, vbì inuenerunt quod quærebant. *Erant autèm Sacerdoti* Principi *Madian septem filiæ, quæ venerant ad hauriendam aquam; & impletis canalibus adaquare cupiebāt greges patris sui, superuenere Pastores, & eiecerunt eas; surrexitquè Moyses, & defensis puellis, adaquauit oues earum. Quæ cùm reuertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas: cur velociùs venistis solito? Responderunt: Vir Aegyptius liberauit nos de manu*, potestate *Pastorum*, nobis molestorum, *insupèr & hausit aquam nobiscum, potumquè dedit ouibus. At ille, vbi est? inquit; quarè dimisistis hominem? vocate eum, vt comedat panem*, & alia cùm pane hìc *Iurauit ergò Moyses* vocatus, & introductus, *quòd habitaret cùm eo.* aduerte, acquieuit Raguel solo iuramento Moysis; *accepitquè* Moyses *Sephoram filiam eius* Raguelis *vxorem quæ peperit ei filium, quem vocauit Gersam dicens: Aduena fui in terra aliena. Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens; Deus enim patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis;* In hoc apparet gratitudo Moysis ergà Deum recognoscentis, & publicantis beneficium.

Pòst multum verò temporis mortuus est Rex Aegypti opprimens Hebræos, *& ingemiscentes filij Israel proptèr opera* grauia, & dura *vociferati sunt, ascenditquè clamor eorum ad Deum ab operibus* ortus, *& audiuit gemitum eorum*, gemitum pauperum audit Dominus ex Psal. *ac recordatus est*, habuit se ad instat recordantis; sic recordatus Deus Noe. Gen. 8. 1. & Ierem. 2. 2. recordatus sum tui. *fœderis, quod pepigit cùm Abraham Isaac, & Iacob*, daturum se terram promissionis semini eorum, & generatione quarta reuersurum, Gen. 15. *& respexit Dominus filios Israel*, vt esset illis adiutor, & protector, *& cognouit eos*, adiuuit eos, vt solent alium sibi notum adiuuare, adiuuit pauperem de inopia. Psal. 106.

CAPVT III.

MOYSES *autèm pascebat oues Iethro soceri sui Sacerdotis Madian*, qui educatus fuerat in regia adoptiuus filiæ Pharaonis; *Cumquè minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb*, seù Sinai, fortè oraturus vel quia ibì meliora pascua *Apparuitquè ei Dominus*, Angelus Act. 7. vices eius gerens: nunquàm enim Deum apparuisse in persona probat concludentèr pòst alios Serrarius Iosue 5. q. 40. fol. 520. Sanctius Act. 7. Isa. 6. 2

Qui-

Quiros in Cant. Moysis num. 13. vers. 130. quicquid dicat hic Fernand. Sect. 1 *in flamma ignis de medio rubi:* sæpiùs Deus in igne, vt apud Ezechielem, & alios Prophetas, in monte Sinai legem daturus, & antè Iudicium ignis antè ipsum præcedet, vide Abul. 2. Paralip. 2. q. 7. & is erat verus ignis, vt & Act. 7. 31. prout & in monte Sinai, Exod. 19. etsi in columna non ignis, sed species. Num. 9. sic & in linguis tamquàm ignis, Act. 2. tamèn qui vellet contrarium tenere, posset dicere & hic speciem ignis, quia videbatur rubus ardere, & non comburebatur, nisi dicas ex miraculo in ardenti rubo apparuisse ostēdens vri se, & pungi incommodis, quibus premebatur populus Sanct. Isai. 6. 2. At potius ad notitiā, & gloriā, *& videbat* Moyses *quòd rubus arderet, & non combureretur*, non consumaretur ab igne, vide Abul. 2. Paralip. 7. in primis qq. *Dixit ergò Moyses* intrà se: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quarè rubus* ignitus *non comburatur:* non concurrebat Deus ad virtutem vrendi, prout neque in fornace in pueros, Daniel. 3. *Cernens autèm Dominus,* Angelus *quòd pergeret* Moyses *ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses, qui respondit, adsum,* eccè ego: *At ille; Ne appropies, inquit, hùc, solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra Sancta est;* quasi honora illum calceamentorum extractione; non enim digna illa, quæ locum sanctum tangant: docet hic Deus quomodò ipse honorandus; non enim præcedit exemplum simile, & quomodò habitet lucem inaccessibilem. 1. Timot. 6. 16. sic cùm Iosue. c. 5. 16. sicùt enim discalceatio denotat abiectionem, & humilitatem in agente; hinc Ioannes, abiectionem suam cognoscens, dicit se indignum portare, vel soluere calceamenta Christi Marc. 3. prout Abigail lauare pedes seruorum Dauid, & Filio prodigo contrito, & reuertenti dantur calceamenta, quibus in pænitentia spoliatus erat, Luc. 15. 22. sic honorem, & reuerentiam, & submissionem ergà illum, proptèr quem fit; vndè Michææ 8. vadam spoliatus, & nudus: similitèr Iacob dixit: quàm terribilis est locus iste, verè non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Gen. 28. 18. Vel diuina cogita, non humana, quæ sub calceamentis describuntur. *Et ait: ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob,* à quibus descendis, quibus tantas promissiones feci, presertim de filio meo Messia ex semine eorum incarnando, & quos adeò magnificaui, & extuli; ideò nuncupat se eorum Deum ad maiorem notionem, repetit autèm ter *Deus* ad maiorem maiestatem demonstrandam, & maiorem reuerentiam, & timorem in Moyse formandum, & his de causis in Scriptura præsertim à Prophetis duplicatur sæpiùs nomen Dei: hoc loco vtitur Christus in Euangelio ad probandam resurrectionem contrà Sadducæos, nàm si Deus, qui falli nō potest, dicit se Deum viuorum, & hi tempore, quo loquebatur viui non erant, ergò aliquandò viuificandi. vt sit firma Dei denominatio, ergò resurrectio danda, & probatur. Vsus est autèm Christus summa sapientia loco isto magis (vt reor) demonstrante resurrectionem, quàm alius locus Scripturæ, quia ex ore Dei loquitur Moyses verba Dei referens, quod non habetur in alijs locis, etsi Scriptura ex Spiritu Sancto proferatur vbiquè 2. Pet. 1. in fine, & non quia Sadducæi arguerētur ex Moysi lege, quia hoc nihil ad rem, cùm sint diuersa, aut quia Sadducæi non reciperent nisi quinque libros Moysis; nàm cùm in libris Moysis agatur de Angelis, & spiritibus, quos ipsi negabant, videtur hæc opinio ruere, & potiùs dicendum esse totam Scripturam, quam Hebræi & ipsos recepisse, si aliud certi non habetur. *Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contrà Deum;* sic Angeli demittunt vultus suos, nō audentes intendere. Vide Apoc. 4. per me scripta; fulgor ergò ille, voxquè audita fuerunt causa demissionis vultus in Moyse, vt ex textu. *Cui ait Dominus: vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui proptèr duritiam eorum, qui præsunt operibus; & sciens dolorem eius, descendi:* hoc ad demonstrandam instantem protectionē, sicùt flagellum in ædificantes Turrim, Gen. 11. 5. in Sodomitas, Gen. 18. 21. in Niniuitas Ionæ 1. 2. *vt liberem eum de manibus,* potestate *Aegyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram,* quæ

quæ fluit lacte, & melle: hæc ad demonstrandam terræ fertilitatem, & vbertatem; *ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi & Heuæi, & Iebusæi*, quam promisi Patribus supradictis, & eorum semini Gen. 15. *clamor ergò filiorum Israel venit ad me*, efficacitèr nùnc exaudiendus; *vidiquè afflictionem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur, sed veni*, præpara te, seù accede Apoc. 21. 9. *& mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum* in prodigijs, & portentis magnis, *filios Israel de Aegypto:* eccè quomodò segregauerat sibi Moysen ad hoc officium, transmiseratquè in Madian perficiendum. *Dixitquè Moyses ad Deum: Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem*, qualis auctoritatis, cuius conditionis vt possim illi iubere? qualis potestatis *& educam filios Israel de Aegypto?* onus hoc magnum humeris meis impar. *Qui* Deus *dixit ei* Moysi: *Ego ero tecum:* quis enim mihi resistere hoc tibi erit satis, confide. *& hoc habebis signum* indicium certum *quòd miserim te: Cùm eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo supèr montem istum*, hinc *locus, in quo stas, terra sancta est*, quia electus ad sacrificium: signum autèm hoc declarauit missionem; nàm prædicit quod futurum erat, & ex consequenti Moyses certus fuit; vide Sanctium Isai. 7. num. 38. *Ait Moyses*, obedire volens, *ad Deum: eccè ego vadam*, vt iubes, *ad filios Israel, & dicam eis, Deus patrum vestrorum*, quos coluerunt Patres vestri, & quorum se Deum dicebat, *misit ad vos* ex Aegypto per me educendos. *Si dixerint mihi: quòd est nomen eius?* pro quo legatione fungeris *quid dicam*, respondebo *eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum*, fons essendi, à quo omnia facta, conseruantur omnia, fiunt omnia, omnipotens, qui solo nutu possum illos de Aegyptiaca seruitute eripere, & transferre ad promissam Terram. *Ait: sic dices filijs Israel: Qui est* ab æterno omnipotens, *misit me ad vos. Dixitquè iterum Deus ad Moysem: Hæc dices filijs Israel:* verbà sua ponit in ore eius, & sic fecit cùm alijs Prophetis, cùm Ioanne, cum Christo Deuteron. 18. *Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, quem hi coluerunt, quibuscum Deus loquutus est (eccè alia notio) *misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum*, notio *in generationem, & generationem*, vsquè ad finem mundi, hinc semper cognoscar, vel vsquè ad Messiã. *Vade* ergò, *& congrega seniores*, primores *Israel, & dices ad eos: Dominus patrum vestrorum apparuit mihi* (declarat qui Patres) *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens: Visitans visitaui vos*, more visitantis me habui ad protegendum, & fouendum *& vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Aegypto*, mala scilicèt, & oppressiones in operibus vobis factas. *Et dixi*, statui, stabiliui, dixit, & facta sunt; *vt educam vos de afflictione Aegypti* ducendos *in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi ad terram fluentem lacte, & melle*, hac, in qua habitatis meliorem. *Et audient vocem tuam*, obedient tibi; ego enim sic eos disponam; *ingredierisquè tu, & seniores Israel ad Regem Aegypti* (docet quomodò procedat) *& dices tu ad eum, Dominus Deus Hebræorum*, quem soli Hebræi colebant, & quorum Deus, & illi populus, *vocauit nos*, nec possumus non obedire, *ibimus viam trium dierum in solitudinem*, in desertum, *vt immolemus Domino Deo nostro* sacrificaturi; hic enim non possumus id præstare; hoc autèm erat rationabile tùm ratione temporis, tùm rei: non explicat abitum, ne reijciatur à petitis. *sed ego scio*, *qui* sum scrutator cordium, *quod non dimittet vos Rex Aegypti, vt eatis*, discedatis, *nisi per manum*, potentiam *validam*, magnam, fortem, per magnas calamitates ei inferendas; *extendam enim manum meam*, potentiam meam; *& percutiam Aegyptum in cunctis*, multis *mirabilibus meis, quæ facturus* sum te, & Aaron ministris *in medio eorum*, in eorum cõspectu, apparentèr, *post hæc* mirabilia *dimittet vos* fessus, & inuitus. *Daboquè gratiam populo huic* meo, de quo loquor, *coràm Aegyptijs*, faciam illum adeò gratum coràm Aegyptijs; *& cùm egrediemini* de Aegypto, *non exibitis vacui: sed postulabit mulier* Hebræa *à vicina sua* Aegyptia, *& ab hospita sua uasa argentea, & aurea ac vestes, ponetisquè eas supèr filios, & filias vestras; & spoliabitis*

Aegy-

Aegyptum his bonis, quòd seruiet in recompentationem iniustorum laborum, & operum durorum, & oppressionum, quas ab Aegyptijs sustinuistis, sed & Domini est terra, & plenitudo eius. Ipse pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleuat.

CAPVT IV.

RESPONDENS *Moyses* Domino, *ait. Non credent mihi, nequè audient vocem meam*, non obedient, *sed dicent: Non apparuit tibi Dominus*, ex tuo capite hæc componis, mendacium dicis; sìc dicebant Ieremiæ suadenti deditionem Nabuchodonosori: Dicit hoc Moyses, vt legatio sua magìs stabiliatur, & loquitur more humano, nequaquàm diffidens. *Dixit ergò* Dominus ad *eum: quid est quòd tenes in manu tua? Respondit: virga. Dixitquè Dominus: proijce eam in terram. Proiecit* obediens, *& versa est in colubrum, ità vt fugeret Moyses* territus. *Dixitquè Dominus: extende manum tuam, & apprehende caudam eius*; sic Tobiæ territo à pisce iussit Raphael, vt apprehenderet brachiam eius, & traheret eum ad se, Tob 6.4. *Extendit, & tenuit, versaquè est in virgam* vt primò erat *Vt credant*, inquit, *quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*; hoc erit tibi pro signo, pro litteris legationis; sic miracula data Messiæ; & Apostolis pro insignibus missionũ, & legationum suarum. *Dixitquè Dominus rursùm: mitte manum tuam in sinum tuum*, *quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ: si non crediderint, inquit, tibi, nequè audierint*, obseruauerint *sermonem*, factum *signi prioris* in virga, *credent verbo*, facto *signi sequentis*, erit hoc secundum firmitatis indicium. Gen. 41. 32. *Quòd si nec duobus quidèm his signis crediderint, nequè audierint vocem tuam*, tibi non obedierint, *sume aquam fluminis, & effunde eam supèr aridam*, terram, *& quidquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem*: noluit se restringuere ad vnum miraculum, ne illud calumniarentur, sed multa vniuit, vt fides tutò ei adhiberetur; sìc & in Messia, cœci vident, claudi ambulant, &c. in Apostolis, signa autèm, non signum, eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, &c. In deserto tùnc non factum hoc tertium miraculum, & verba referuntur dùm erit coràm filijs Israel, & proùt de primis duobus, sic diceretur clarè de hoc tertio *Ait Moyses: obsecro Domine* in hac missione persuadèdum est alijs, requiritur ergò eloquentia, & sermo ornatus, & ego *non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo* (declarat magis clarè à quanto tempore citrà, & antiquum impedimentum non opposuisset, nec pro vltima hanc excusationem distulisset) *locutus es ad seruum tuũ, inpeditioris, & tardioris linguæ sum*; sic Iacob tacto neruo claudicat; Paulus cœcatur; Danielis compages dissoluuntur Dan. 10. Balthassar timuit. Daniel. 5. Moyses cornuta facie decoratur. *Dixitquè Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum? nonnè ego?* vt in omnibus glorificer? Io. 9. 3. infra c. 9. quid igitùr times defutura tibi verba? *Perge igitùr, & ego ero in ore tuo: doceboquè te quid loquaris*; sic Apostolis rudibus: dabitur vobis os, & sapientia, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri; non enìm vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. *At ille* Moyses; *obsecro inquit Domine, mitte quem missurus es*, ego infirmus, mitte me aptiorem, non hic de Messia, quia nouerat Moyses prophetiam Iacob, quæ debuerat priùs verificari. Non credo Moysen se humiliantem peccasse, & licèt subdatur: *Iratus Dominus in Moysen, ait*, ad modum irati se habuit, volens hoc modo confirmare Moysen, proùt nos solemus timentes, & pusillanimes vultu quasi irato con-

confirmare, & stabilire, hinc verba confirmantia, & ad vota illius subdit: *Aaron frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit: eccè ipse egreditur,* egredietur me mouente *in occursum tuum, vidensquè te lætabitur corde;* vndè poteris de illo confidere. *Loquere ad eum, & pone verba mea* tibi dicta *in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis;* sic Apostolis de Spiritu Sancto, docebit, & suggeret vobis omnia, &c. *ipse* Aaron *loquetur pro te,* vice tua *ad populum, & erit os tuum,* per quòd tu videberis loqui; *tu autèm eris ei* supremus, doctor *in his, quæ ad Deum pertinent,* in Dei cultum, & sacrificia. *Virgam quoquè hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa* indicatura missionem, & legationem tuam. *Abijt Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum, dixitquè ei, vadam, & reuertar ad fratres meos in Aegyptum, vt videam si adhùc viuant:* nihil de dictis sibi à Deo, proùt nequè Saul cùm patruo interrogante de regno 1. Reg. 10. 16. nequè Samson de melle vndè habuisset, Iudi. 14 9. *Cui ait Iethro: Vade in pace. Dixit ergò Dominus ad Moysen in Madian: Vade & reuertere in Aegyptum, mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam;* sic dictum Ioseph. mortui sunt omnes, qui quærebant animam pueri: Hoc dicit Deus, vt lætus abiret, & sciret se tutum, nec posset obijcere, ibi quærebar ad necem à Pharaone; ideò aufugi, & quomodò redibo? *Tulit ergò Moyses vxorem suam* Sephoram, *& filios suos duos, & imposuit eos supèr asinum* pro asinos, *reuersusquè est in Aegyptum, portans virgam Dei,* in qua virtute diuina mirabilia facturus erat, vel iuxtà iussionem Dei. *in manu sua. Dixitquè ei Dominus reuertenti in Aegyptum: Vide,* caue *vt omnia ostenta,* miracula, mirabilia, *quæ posui in manu tua,* in tua potestate, *facias coràm Pharaone;* hæc dicit nedum vt faciat, sed etiàm vt stabiliat, & firmet eum sic euenturum, vt dixit, ne trepidaret: *ego* verò *indurabo cor eius,* erit contumax, non obediet, *& non dimittet populum:* hoc subdit, ne deficeret videns Pharaonem inobedientem. *Dicesquè,* subiunges *ad eum,* Pharaonem nolentem obedire. *Hæc dicit Dominus* vniuersorum: *filius meus primogenitus* est *Israel,* mihi charus, dilectus, pecul aris; sic ex Aegypto vocaui filium meum. *Dixi tibi* iussi, *dimitte filium meum vt seruiat mihi* Domino dominorum, qui sic volo, non ampliùs tibi. *& noluisti dimittere eum* ad meum imperium: *eccè ego interficiam filium tuum primogenitum* pro vltima plaga tibi imminente. *Cùmquè* Moyses *esset in itinere* versùs Aegyptum, *in diuersorio, occurrit ei Dominus,* Angelus, *& volebat occidere eum,* minis agebat mortalibus, quia præputiatum habebat filium: Sed cur id in Moysen, & in itinere? cur non in Madian? non in Madian, quia ibi intèr Gentiles excusabatur, & fortè prohibebatur, vel sua negligentia ibi fuit tolerata; at in itinere (quòd etiam intermittendũ fuisset ob vulnus pueri, proùt intermiserunt filij Israel itinerantes in deserto per annos quadraginta) quia Dux Hebræis dabatur, & magnũ scandalũ fuisset intèr Hebræos Ducem eorum præputiatum habere filium, nimirùm si minas vsquè ad mortem passus est. *Tulit illicò Sephora* (cui innotuerat, cur mors Moysi immineret, & quæ fortè in terra Madian dissenserat) *acutissimam petram* hanc petram de Sanctis potuisse esse, quæ nõ offendit, notat Sanct. Isai. 45. 36. & idem in Iosue. At in Sichimitis dolor pòst tertium diem vehemens. Gen. 34. 25. *& circuncidit præputium filij sui, tetigitquè pedes eius* Moysis, vt solent liberi ab aliquo magno timore charissimos complectentes, & petijt licentiam discedendi, *& ait,* explicans timorem præcedentem: *sponsus sanguinum tu mihi es.* alium intellectum dat Sanct. Isai. 6. 11. At nescio quomodò velit Scripturam redire ad præputium iàm præcisum sub verbo *pedes, & dimisit eum* recessit *postquàm dixerat: sponsus sanguinum* ob circumcisionem, quòd alijs mulieribus cùm Iudæis non iunctis non contingebat; causa explicatur, cur spõsus sanguinũ, aliæ ab hac non habent fundamentũ, & ab eo discessit cùm filijs Moyse annuẽte infrà c. 28. quia posteà reuersa describitur; meliùs enim verba hæc referũtur ad Moysen, quàm ad aliũ ex his, quæ sequuntur. Vel dimisit eum dictis illis verbis, *sponsus,* &c. recessit à pedibus eius, quos tangebat; quomodò verò reuersa sit in Madian

dian

dian, incertum. Dùm dicunt aliqui Moysen non debuisse vxorem suam ducere, neque filios, ne Hebræi dicerent: quomodò certus es nos educturum esse, cùm non dimiseris vxorem, & filios illic, quò nobis transeundum? falluntur, quia omisso, quòd aliàs socero non satisfecisset, mons Sinai distabat à loco, in quo morabatur; vltrà quòd non debuerat dimittere vxorem suam sibi charissimã, ignorabat & tempus, quo egressio facienda; & si illam dimisisset, necesse habebat certiorem reddere socerum, cur abiret, & reuelare quod Deus non iusserat.

Dixit autem Dominus ad Aaron, postquam Moyses appropinquabat: *Vade in occursum Moysi in desertum. Qui* Aaron *perrexit obuiam ei in montem Dei* Sinai, *& osculatus est eum:* euenit quod dixit Deus Aaronem gauisurum. *Narrauitquè Moyses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum, & signa, quæ mandauerat* fieri. *Veneruntquè simùl* in Aegyptum, *& congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel*, prout iusserat Dominus. *Loquutusquè est Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen, & fecit signa coràm populo*, quæ Deus iusserat. *& credidit populus*, videns signa; his enim mouebantur Hebræi. *Audieruntquè, quòd visitasset Dominus filios Israel, & quòd respexisset afflictionem illorum*, qua ab Aegyptijs opprimebantur, *& proni adorauerunt Dominum*, gratias agentes.

CAPVT V.

POST HAEC, populo, & primoribus Hebræorum certis redditis de legatione à Deo *ingressi sũt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni*. Sed vbi seniores, quos Deus iusserat Moysi, vt secum duceret? dic fieri mentionem principalium, nempè Moysis, & Aarõn, sed subintelligendum & alios interuenisse, etsi Scriptura non dicat, quia multotiès dicit quid agendum, omittens quid actum, volens id subintelligi, quod præmisit; & quamuis iunctus Aaron Moysi, non tamèn reiecti seniores: *Hæc dicit*, iubet *Dominus Deus Israel* peculiaris, cognitus, sed vniuersorum Dominus, & Deus tibi Pharaoni: *Dimitte populum meum* Hebræum, *vt sacrificet mihi in deserto. At ille respondit: Quis est Dominus* iubens, *vt audiam vocem eius*, vt obediam ei, *& dimittam Israel? nescio Dominum, et Israel non dimittam*; is de illis, qui nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, & dixerunt in corde suo, non est Deus. & Rom. 1. 8. obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes se sapientes, stulti facti sunt. *Dixeruntquè* Moyses, & Aaron. *Deus Hebræorum*, protector Hebræorum agnitus ab eis *vocauit nos* secundùm propositum suæ voluntatis, & misericordias, *vt eamus viam trium dierum in solitudinem*, extenuant, non aperiunt veritatem velle omninò relinquere Aegyptum, non tamèn mentiuntur, quia sacrificaturi exibant, vt subdunt, *et sacrificemus Domino Deo nostro*, illi vocanti, *ne fortè*, si non obedierimus, *accidat nobis pestis, aut gladius*, quasi, cogimur id facere; punit enim inobedientes acritèr: horum electio ad pœnam data Dauidi. *Ait ad eos Rex Aegypti: Quarè Moyses, et Aaron solicitatis*, auertitis sermonibus vestris *populum* Hebræum *ab operibus suis?* iniunctis, cùm mihi seruiat? *ite ad onera vestra*, ad negocia, officia vestra, in his ne intromittatis vos, quid ad vos hæc? *Dixitquè Pharao* cùm suis *multus est populus terræ: videtis quòd turba succreuerit, quantò magis si dederitis eis requiem ab operibus?* vnde ne velitis releuare hunc populũ ab onere, quia si leuius fuerit, magis crescet, & hoc pratèr meam voluntatem, qui opprimo illum operibus ne multiplicet. *Præcepit ergò* Pharao *in die illo*, quo locuti sunt Moyses, & Aaron, *præfectis operum* indictorum, *et exactoribus populi, dicens: Nequaquàm vltrà dabitis paleas populo ad conficiendos*

T lateres,

lateres, sicùt priùs dabatis, sed ipsi vadant, et colligant stipulas: hoc erat grauissimum, & intolerabile. *Et mensuram laterum, quam priùs faciebant, imponetis supèr eos, nec minuetis quidquàm; vacāt enim,* torpent ocio, *& idcircò vociferantur, dicentes: eamus, & sacrificemus Deo nostro;* & sic eos etiam deludit. *Opprimantur operibus, & expleant ea, vt non acquiescant verbis mēdacibus* à Moyse, & Aaron prolatis, quibus subuertuntur. sic Sap. 2. opprimamus iustum. *Igitùr egressi præfecti operum, & exactores* à Pharaone, *ad populum* Hebræum *dixerunt: sìc dicit,* iubet *Pharao: Non do vobis paleas*, quas soleo ad lateres coquendos: *ite, & colligite* eas *sicubi inuenire poteritis* per agros, *nec minuetur quidquam de opere vestro* solito. *Dispersusquè est* omnis *populus* Hebræus *per omnem terram Aegypti ad colligendas paleas. Præfecti quoquè operum instabant, dicentes,* & diligentiam eorum non attendentes: *complete opus vestrum quotidiè, vt priùs facere solebatis, quandò dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt qui praerant* ex Hebræis *operibus filiorum Israel ab exactoribus Pharaonis, dicentibus: quarè non impletis mensuram laterum, sicùt priùs* solebatis, *nec heri, nec hodiè? Veneruntquè præpositi filiorum Israel*, qui hæc patiebantur, *& vociferati sunt ad Pharaonem*, à quo exibat iussio, *dicentes: cur ità agis contrà seruos tuos?* iniustè, & dirè? *Paleæ non dantur nobis*, sicùt antè dabantur, & nos cogimur ire collectum illas; *& lateres similitèr* vt priùs *imperantur; en* vide nos *famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contrà populum tuum. Qui ait: vacatis otio, & idcircò dicitis: eamus, & sacrificemus Domino:* refert verba Moysis, & Aaron. *Ite ergò, & operamini*, vt excidant à vobis hæ curæ: *paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum*, quasi ex ore meo hæc procedunt, & sic obedire debetis. *Videbantquè se præpositi filiorum Israel in malo* constitutos, *eò quòd diceretur eis: non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies;* cognoscebant enim id factu impossibile. *Occurreruntquè Moysi, & Aaron, qui stabant ex aduersò, egredientibus à Pharaone; & dixerunt ad eos: videat Dominus, & iudicet,* qui solus potest, *quoniàm fœtere fecistis odorem nostrum coràm Pharaone, & seruis eius*, exacerbastis illos contrà nos miseros sermonibus vestris, *& præbuistis ei gladium*, eum sic irritando, *vt occideret nos* oneribus importabilibus, sic Iacob cùm filijs, Gen. 34. 30. & cùm Ozia Iudith. 7. 13. *Reuersusquè est Moyses ad Dominum* deprecandum, & consulendum, *& ait. Domine, cur afflixisti populum istum? cur* pateris eum plus affligi pòst verba mea? *quarè misisti me*, vt sic eluderer? *Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo,* (quasi, tu deluderis Domine) *afflixit* eò magis *populum tuum, & non liberasti eos*, sicùt me promittere fecisti; sic conquerebatur Ionas cap. 4.

CAPVT VI.

DIXITQVE *Dominus ad Moysen* sic orantem: *nùnc videbis quæ facturus sim Pharaoni* mirabilia, *per manum enìm* potentiam *fortem*, cogentem *dimittet eos, & in manu robusta* eum adigente *eijciet illos de terra sua. Locutusquè est Dominus ad Moysen, dicens: ego Dominus, apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente*, vti omnipotens, me omnipotentem demonstrans, & nominans, vt in tota Genesi; *& nomen meum ADONAI non indicaui eis*, proùt feci tibi, quasi, prætuli te illis. Sed vbi indicauit nomen suum hoc Moysi? suprà c. 3. Ego sum, qui sum; si fons essendi, ergo & verax, quia sicùt mendacium nihil est, ità veritas ens est. Vt ergò ostendat velle exequi in hac generatione quòd antè Patribus promiserat, nempè de Terra promissionis danda eorum semini, dicit se esse, qui est, obseruantem, & de hac obseruantia

uantia loquitur, & subdit: vndè videtur satis conueniens is intellectus, qui est multo rum hìc. *Pepigiquè fœdus cùm eis, vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum*, in qua ipsi peregrinati sunt, *in qua fuerunt* ipsi *aduenæ*, nihil in ea possidentes, nec passum pedis, Act. 7. *Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Aegyptij oppresserunt eos, & recordatus sum* more recordantis me habui *pacti mei*, dare illis Terram promissionis; quo teneri volo. *Ideò dic filijs Israel: ego Dominus* omnipotens *qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum, & eruam de seruitute* hac dura, *ac redimam* de manu Pharaonis *in brachio excelso*, potentia mea magna, *& iudicijs magnis*, flagellis grauibus, *& assumam vos mihi in populum* peculiarem, *& ero vester Deus, & scietis* re, & experientia, *quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos*, cùm eduxero vos *de ergastulo Aegyptiorum, & induxerim in terram, supèr quam leuaui manum meam* iurans; sic Abraham, Leuo manum meam ad Dominum, Genes. 14. 22. & leuabo ad cælum manum meam Deuteronom. 32. 40. *vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob.* Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, &c. Luc. 2. *daboquè illam vobis possidendam*, qui estis illorum semen, *ego Dominus* verax, obseruans. *Narrauit ergò Moyses omnia*, quæ Deus dixerat *filijs Israel*, *qui* oneribus pressi *non acquieuerunt ei proptèr angustiam spiritus, & opus durissimum. Loquutusquè est Dominus* populi misertus *ad Moysen, dicens: Ingredere, & loquere ad Pharaonem Regem Aegypti, vt dimittat filios Israel de terra sua*, vt permittat illos exire. *Respondit Moyses coràm Domino*, quasi aperte, & palàm: *Eccè filij Israel*, quibus fecisti nunciare prospera *non audiunt me*, non acquiescunt dictis meis nomine tuo, *& quomodò audiet*, obediet *Pharao, præsertim cùm incircumcisus sim labijs?* cùm difficultèr loquar? *Loquutusquè est Dominus ad Moysen, & Aaron, & dedit mandatum*, præceptum, quod diceret *ad filios Israel*, vt acquiescerent, *& ad Pharaonem Regem Aegypti, vt educerent filios Israel de terra Aegypti. Isti sunt Principes domorum per familias suas. Filij Ruben*, &c. omnia vsquè ad finem capitis clara. Refert cognationes Ruben, & Simeon, vt cognoscatur quo ordine, & gradu esset tribus Leui, nempè tertio loco, de qua agere intendebat, nō quòd quasi exclusæ à Iacob, qui eas non exclusit, intendat ostendere & illarum rationem haberi, quia quantò magis id diceretur de alijs tribubus à Moyse omissis, quas tamèn non refert, quia non seruiebant suæ intentioni, cùm de sola tribu Leui intenderet agere: & in fine; repetit Moyses: *En incircumcisus labijs sum, quomodò audiet me Pharao*, quasi, Domine alijs secum agendum, quàm verbis meis, quæ ipse non curat. Hinc in sequenti cap. Eccè, &c.

CAPVT VII.

DIXITQVE *Dominus ad Moysen: eccè constituo te Deum Pharaonis*, qui tanquàm Deus ei iubeas, illum cogas, nomine meo imperes, *&* posteaquàm dicis te labijs incircumcisum, *Aaron frater tuus erit Propheta tuus* loquens pro te. *Tu loquèris ei* Aaroni *omnia, quæ mando tibi, et ille loquetur ad Pharaonem* pro te, *vt dimittat filios Israel de terra sua. Sed ego indurabo cor eius*, permittam indurari, *& multiplicabo*, multa faciam *signa, & ostenta mea in terra Aegypti, & non audiet vos*, non obediet, *immittamq. manum meam* potentē *supèr Aegyptum* in eius perniciem, *& educam exercitum, & populum meum filios Israel de terra Aegypti per iudicia*, flagella *maxima, et sciēt Aegyptij* flagellis, & vexationibus pressi (vexatio enìm dat intellectum) *quia ego sum Dominus: qui extenderim manum meam*, flagellum *supèr Aegyptum, & eduxerim*

filios Israel de medio eorum. dixerat enim Pharao: *quis est Dominus*, vndè Dauid, & eduxit Israel de manu eius, quasi de manu, potentia eius, qua eos tutò retinere videretur. *Fecit itaquè Moyses, & Aaron sicùt præceperat Dominus, ità egerunt*, non recesserunt à iussione Dei ne latum vnguem. *Erat autèm Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quandò loquuti sunt ad Pharaonem.* At cur nunc dicit ætatem eorum? vt ex hac sciamus posteà in qua decesserint in deserto. *Dixitquè Dominus ad Moysen, & Aaron: Cùm dixerit vobis Pharao: ostendite signa* missionis, seu legationis vestræ à Deo: *dices* tu Moyses *ad Aaron:* per Aaron, quia is sibi datur socius ad hæc peragenda, non quia in Moyse daretur suspicio magiæ, quia & itidē poterat dici Aaron ab eo edoctum, imò suspicio magiæ magis vrgebat in Aaron, qui permanserat in Aegypto, vbì hæc maleficia exercebantur, nō in Madian; at Deus voluit Magos dicere, & cognoscere: digitus Dei est hic. *Tolle virgam tuam*. (hanc dederat illi Moyses) *& proÿce eam coràm Pharaone, ac vertetur in colubrum* in virtute mea. *Ingressi itaquè Moyses, & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicùt præceperat Dominus, tulitquè Aaron virgam coràm Pharaone* petente signa, *& seruis eius, quæ versa est in colubrum*, proùt Dominus dixerat. *Vocauit autèm Pharao sapientes, & maleficos*, quos Paulus nominat Iannes, & Mambre. 2. Timoth. 3. vt cognosceret de veritate signorum, an possent ab alijs fieri, *& fecerunt* verè (hoc enim magis placet, Deo sic permittente, quia permittet & in Antichristo, & in eius Propheta, vt in Apocalyp. 13. & hoc facit ad exercitationem suorum, & indurationem malorum; at hæc erunt apparentia non vera, illud verum, quia permisit excitari Samuelē ad inuocationem Pithonissæ) *etiàm ipsi per incantationes Aegyptiacas* in Aegypto vsitatas, *& arcana quædam similitèr* proùt fecerat Aaron de virga sua, verè ergò & hi, vt currat similitudo, non per suppositionem draconum aliundè exportatorum à dæmone, si enim hoc, cur non & sciniphes supposuissent? at in his dicitur non potuerunt educere, cap. 8. 18. quarè apparet de veris agi non suppositititijs, aut repræsentatis, sed non veris, quia veri fuerunt si deuorati à virga Aaron in serpentem conuersa. vndè Pharao nō credidit signo virgæ Aaron; *proiecerūtq. singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones; sed* vt manifestaretur, certaquè fieret Moysis, & Aaron missio à Deo, *deuorauit virga Aaron* in serpentem versa *virgas eorum*, ex quo facto poterat considerare Pharao veritatem signorum Aaron, & Moysis. *Induratumquè* nihilominùs *est cor Pharaonis* siuè credentis, siuè non, *& non audiuit eos, sicùt præceperat Dominus*, vt dimitteret populum suum. *Dixit autèm Dominus ad Moysen: Ingrauatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum mane, eccè egredietur ad aquas, et stabis in occursum eius supèr ripam fluminis; & virgam, quæ conuersa est in draconem, tolles in manu tua. Dicesquè ad eum Dominus Deus Hebræorum misit me ad te dicens: dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto, & vsquè ad præsens audire*, obedire *noluisti*. *Hæc igitùr dicit Dominus: In hoc scies quòd sim Dominus*, quod negasti; sic Iesus: vt autèm sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, quòd sim Deus, cuius solius est horum dimissio, *eccè percutiam virga, quæ in manu mea est*, aquam fluminis, *& vertetur in sanguinem:* virga vtitur, non verbis solis, vt eò magis appareat signa ab eo in nomine Domini fieri, non alia virtute; sic Christus manibus, saliua, vel alio modo apparente faciebat miracula, vt ipsi, non alteri attribuerentur, & cognosceretur Messias. *Pisces quoquè, qui sunt in fluuio, morientur, & computrescent aquæ, & affligentur Aegyptiÿ bibentes aquam fluminis*. congruum, vt qui in aquis tot Hebræorum occiderant, in aquis paterentur. *Dixit quoquè Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: tolle virgam tuam, & extende manum tuam supèr aquas Aegypti, et supèr fluuios eorum, et riuos, ac paludes, et omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem, et sit cruor in omni terra Aegypti tàm in ligneis vasis, quàm in saxeis*, vt omnes vndequaquè patiantur. *Feceruntquè Moyses, et Aaron sicùt præceperat Dominus: et eleuans virgam percussit aquam flumi-*

fluminis coràm Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem statim ad tactum, *& pisces qui erant in flumine mortui sunt, cōputruitquè fluuius, & non poterant Aegyptij bibere aquam fluminis, & fuit sanguis in tota terra Aegypti. Feceruntquè similitèr malefici Aegyptiorum incantationibus suis,* ergò verè; *& induratum est cor Pharaonis* increduli, quia sui idem faciebant, *nec audiuit eos, sicùt præceperat Dominus.*

Sed quas aquas Magi in sanguinem conuertebant, si omnes iàm conuersæ? dic quas ex fossione Aegyptij quæsierant, ex Sancto Iustino, vt infrà, cuius opinio magis placet, vel aliàs ex alijs locis, quàm ex flumine, cuius aquæ solæ tactæ, & sanguineæ redditæ, vt hic, & sic opinio Caietani congruet. Opinio illa, quòd dæmones ex Gessen aquas duxerint non placet, nàm vbi eas sistebant? noua palus, & effossio illicò facienda, habet hæc opinio plùs difficultatis.

Sed aquæ fueruntnè sanguineæ in locis, in quibus habitabant Hebræi? credo quòd nō, proùt & aliæ plagæ eos non tetigerunt, aliòquin populus Hebræus innocēs conquestus esset contrà Moysen, & Aaron, & dicitur *supèr fluuios eorum*, scilicèt Aegyptiorum, *& non poterant Aegyptij bibere aquam fluminis.* Nec dicas Aegyptios mixtos cùm illis non fuisse passos; nàm id credo permittendum, quia nequè alijs plagis, quibus Hebræi immunes, Deus illos afflixit. Similitèr non obstat Aegyptios pro aquis illùc ituros; nàm sicùt ad terram Gessen in finibus Aegypti consistentem ire poterant, sìc & ad terram aliam Aegypto propinquam; at longa via; vndè non sunt vsi hoc remedio, sed de remedio constat ex effossione puteorum. *Auertitquè* se Pharao, *Et ingressus est domū suam, nec apposuit cor etiàm hac vice. Foderunt autèm omnes Aegyptij per circuitum fluminis aquam, vt biberent; non enìm bibere poterant de aqua fluminis sanguinea.* Deus non dimisit eos absquè remedio, non fecit consumationē, misericordia superabūdauit, *Impletiquè sunt septem dies* durationis huius plagæ, *postquàm percussit Dominus fluuium*, ministerio seruorum suorum Moysis, & Aaron: & non excessit hoc tēpus, & per se sublata est, vt edoceretur Pharao, & daretur occasio Pharaoni rogandi Moysem pro cessatione aliarū plagarum, & Deus sic glorificaretur, & cognosceretur solus Deus puniens, & sanans.

CAPVT VIII.

DIXIT *quoquè Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum. Hæc dicit Dominus,* qui solus Dominus; *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi,* cui cultus debetur: *Sin autèm nolueris dimittere, eccè ego percutiam omnes terminos tuos,* omnem terram tibi subiectam *ranis. Et ebulliet fluuius ranas* (hìnc magna copia, & insolita; ex fluuijs enìm non nascuntur ordinariè; sed ex aquis mortuis) *quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, in* quo dormis, *& supèr stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum,* quasi omnia contaminabuntur, *& ad te, & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ,* & sic continuat flagella ex aqua, postquàm in aqua suffocabant infantes. *Dixitquè Dominus ad Moysen: dic ad Aaron: extende manum tuam supèr fluuios, & supèr riuos, & paludes, & educ ranas* creandas *supèr terram Aegypti. Et extendit Aaron manum supèr aquas Aegypti, & ascenderunt ranæ, operueruntquè terram Aegypti; Fecerunt autèm & malefici per incantationes suas similitèr, eduxeruntquè ranas supèr terram Aegypti,* eo modo, quo suprà de virgis, & plaga; vndè diminuebatur virtus Dei in existimatione apùd Pharaonem videntem signa eadem per Magos fieri, & hæc fuit resistentia Magorum contrà Moysen, & Aaron, de qua Paulus. *Vocauit autèm Pharao* fessus flagel-

flagello ranarum, *Moysen, & Aaron, & dixit eis: orate Dominum, vt auferat ranas* has molestissimas *à me, & à populo meo, & dimittam populum* Hebræum, *vt sacrificet Domino* in deserto. Ex quibus mouetur Pharao ad hanc petitionem? ex magna molestia, & quia viderat plagam sanguinis cessasse tempore ab eis statuto: potuit enim coniectari & hanc cessaturam precibus eorum, qui illam induxerant, creditur enim illius esse destruere, qui construxit, & sic nota, quòd Magi plagam auferre non poterant. *Dixitquè Moyses ad Pharaonem: constitue mihi quandò deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantùm in flumine remaneant:* Hoc dicit Moyses, vt Deo suo referatur liberatio vniuersalis, non Magis, non idòlis, non tempori, proùt in prima plaga, *Qui respondit cràs:* poterat dicere statim; at putauit moram requiri in exorando Deum, & abigendo tantam multitudinem; imò fortè quò ad celeritatem censuit nimium petijsse. *At ille* Moyses, qui poterat statim id præstare, vt cognoscatur virtus Dei sui; *Iuxtà, inquit, verbum tuum*, petitionem tuam *faciam, vt scias quoniàm non est sicùt Dominus Deus noster, & recedent ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantùm in flumine remanebunt*. Hæc omnia specificat, vt ex euentu conformi cognoscatur non fuisse eius verba ventosa, nequè Moyses loquitur quasi tentans Deum, quia nouerat iàm à Deo hæc sibi concessa, nouerat se Deum Pharaonis constitutum; ideò verba Iudith. cap. 7. & 8. non intrant. *Egressiquè sunt Moyses, & Aaron à Pharaone, & clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum* eijciendarum, *quam condixerat Pharaoni:* secedunt oraturi iuxtà quod postmodùm docuit Christus, eò magis quia concessum tempus à Pharaone. *Fecitquè Dominus iuxtà verbum*, promissionem *Moysi, & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris, congregaueruntquè eas in immensos aggeres, & computruit terra* ex magna multitudine. *Videns autèm Pharao, quòd data esset requies, ingrauauit* ad duritiam *cor suum, & non audiuit eos*, Moysen, & Aaron, vt dimitteret populum, *sicùt præceperat Dominus:* fortè nec putauit precibus Moysis, & Aaron id factũ, eò magis quia ranas induxerant & Magi. *Dixitquè Dominus ad Moysen: loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute puluerem terræ, & sint sciniphes in vniuersa terra Aegypti. Feceruntquè ità, & extendit Aaron manum, virgam* in ea *tenens, percussitquè puluerem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus, & in iumentis: omnis puluis terræ versus est in sciniphes per totam terram Aegypti* in instanti diuina virtute. *Feceruntquè*, tentarunt facere *similitèr malefici incantationibus suis, vt educerent*, proùt fecerat Aaron, & non potuerũt, Deo non concurrente, vt auferret Pharaoni hanc ansam non credendi sibi, & sic fuit magna misericordia Dei non concurrere in his minimis, qui in maioribus concurrerat, vt reduceretur Pharao ad credendum sibi, & seruis suis: hinc credendum in alijs Deum cùm Magis concurrisse: *erantquè sciniphes tàm in hominibus, quàm in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem*, videntes eorum maleficia non sufficere, & recognoscentes diuinam virtutem, quam huc-usquè deluserant eorum magijs: *digitus*, potentia, virtus, *Dei est hic*; sic Christus, si in digito Dei eijcio dæmonia; creans sciniphes, nobis prohibens: & hic etiam magna Dei misericordia, qui voluit ex ore eorum, quibus crediderat Pharao, manifestari eius gloriam, vt ipse mutaretur. *Induratumquè* nihilominùs *est cor Pharaonis, & non audiuit eos*, Moysen, & Aaron, *sicut præceperat Dominus*, non obediuit. *Dixit quoquè Dominus ad Moysen: consurge diluculò, & sta coràm Pharaone; egredietur enim ad aquas, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi, quòd si non dimiseris eum*, vt iubeo, *ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas* ne putaret se eximi, *omne genus muscarum, & implebuntur domus Aegyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra, in qua fuerint*. Hæ plagæ generales, quia nedùm Rex, sed & populus peccauerat in Hebræos, & peccabant non dimittendo. *Faciam-*

ciamquè mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, qui non peccauit, *vt non sint ibi muscæ*; non enim Deus afflixit Hebræos innocentes his plagis, ne adderetur afflictio afflictis, & vt magis appareret protectio Dei ergà Hebræos: *& scias quoniàm ego Dominus in medio terræ*, omnium possessor, dispositor, *ponamquè diuisionem intèr populum meum* Hebræum, *& populum tuum*, cui tu præes: *cras erit signum istud*, quod dixi, distinguens: hoc & ad præcedentes plagas trahendum. *Fecitquè Dominus* fidelis, & verax *itá*, vti dixerat. *Et venit musca grauissima* propè infinita *in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Aegypti: corruptaquè est terra ab huiuscemodi muscis*, idèst habitatores terræ grauati passi sunt à muscis: Hæc plaga à Deo absquè signo visibili illata, proùt aliæ, vt constaret alias quoquè mediante Aarone, & Moyse factas à Deo procedere, non ab ipsis, vel virga. *Vocauitquè Pharao* vexatione victus *Moysen, & Aaron, & ait eis. Ite, & sacrificate Deo vestro* (adhùc non cognoscit illum in Deum suum) *in terra hac* Aegypti, do vobis facultatem id hic faciendi; vndè non indigetis pergere iter trium dierum, id erit vobis magìs commodum. *Et ait Moyses: non potest ità fieri*, non enim sic iubet Dominus noster; *abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro?* quasi in conspectu Aegyptiorum abominantium, & horrentium sacrificia pecorum, quæ ipsi adorant, mactabimus, cremabimus, immolabimus? statim enim sic se declarat, subdens; *quòd si mactauerimus ea, quæ colũt Aegyptij coràm eis, lapidibus nos obruent*; vndè non expedit nobis hic litare Domino Deo nostro. *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis*, à cuius præcepto nõ possumus ne latũ vnguem discedere: Sed quomodò dicit hoc Moyses, qui infrà cap. 10. 26. dicit, præsertim cùm ignoremus quid debeat immolari, donèc ad ipsum locum perueniamus? & suprà cap. 2. 13. Dominus dixerat simplicitèr: immolabitis supèr montem istum? Respondeo, verisimilitèr credebat Moyses immolanda esse illa, quæ Aegyptij colebant, licèt non sciret certò, præsertim vacca, vitula, aries, capra, quia hæc per Abraham Deo monente oblata, Gen. 15. & similia oblata à Noe de pecoribus, & volucribus mundis, Gen. 8. 20. & sempèr ab alijs; propter eà sic dixit *abominationes*, &c. hinc sacrificia omnia sãguinolẽta, & pecora, ex verbo (immolabitis) non ergò in pane, & vino in solo Melchisedech Gen. 14. etsi opinio Patrum contraria sit præferenda, vt ibi dixi, & Heb. 7. *Dixitquè Pharao: Ego dimittam vos, vt sacrificetis Domino Deo vestro in deserto, verumtamèn longiùs ne abeatis*; timebat enim ipsos non redituros, *rogate pro me*, vt ab infestatione hac liberet. *Et ait Moyses: Egressus à te orabo Dominum* in abscondito iuxta illud, intra in cubiculũ, & ora, &c. *& recedet musca à Pharaone, & à seruis eius, & à populo eius cras*, fortè quia sic petierat Pharao, proùt suprà in alia plaga, vel vt ex præfixione temporis, & verificatione illius crederetur firmitèr à Domino suo eo rogante factum, non alteri tribueretur; hinc ex tuta promissione colligitur quàm tutus esset Moyses Deum exauditurum, proùt & suprà dictum: *verumtamèn noli vltrà fallere, vt non dimittas populum sacrificare Domino*, proùt hactenùs nos decipiendo fecisti. *Egressusquè Moyses à Pharaone orauit Dominum, qui fecit iuxtà verbum illius*, obediente Domino voci serui sui, iuxtà illud in Iosue: *Et abstulit muscas à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius, non superfuit ne vna quidèm*, vt appareret eò magìs hæc à Domino procedere, & nihilominùs *ingrauatum est cor Pharaonis, ità vt nec hac quidem vice dimitteret pupulum* sicùt promiserat.

CAPVT

CAPVT IX.

D*IXIT autèm Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hac dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meũ, vt sacrificet mihi*, noli opus hoc mihi gratum impedire. *Quòd si adhùc renuis, & retines eos:* (quanta Deus facit, vt peccatores auertantur, quomodò differt) *Eccè manus mea* ad puniendum *erit supèr agros tuos, & supèr equos, & asinos, & camelos, & boues, & oues pestis valdè grauis* omnia consumans; quæ pestis hoc fuerit, cognoscitur ex subiunctis. *Et faciet Dominus mirabile intèr possessiones Israel, et possessiones Aegyptiorum, vt nihil omninò pereat ex his, quæ pertinent ad filios Israel:* Hoc dicit, vt appareat à Deo emanare plagam. *Constituitquè Dominus tempus, dicens: cràs faciet Dominus verbum istud*, factum hoc *in terra*, præscribit tempus, vt ex effectu appareat à Deo præmonente hæc emanare, & vt interim habeat tempus pœnitendi, quod est magnæ misericordiæ, & sic in qualibet plaga inuenies magnam Dei misericordiam ergà Pharaonem, tantùm abest, vt Deus causa fuerit suæ indurationis. *Fecit ergò Dominus* sua potentia *verbum hoc*, plagam hanc *altera die*, proùt dixerat, *mortuaquè sunt omnia animantia Aegyptiorum*; *omnia*, vel multa dicas, vel *omnia*, quæ mortua Aegyptiorum; vndè non omnia, proùt ex sequentibus patet, congruit huic intellectui quod sequitur: *de animalibus verò filiorum Israel nihil omninò perijt*, sicùt dictum fuerat, hi enim immunes ab omnibus plagis; *et misit Pharao ad videndum* quasi incredulus, *nec erat quidquam mortuum de his, quæ possidebat Israel*, & licèt vndequaquè certus, qui mutari debuerat, subdit de eo: *Ingrauatumquè est cor Pharaonis, et non dimisit populum*, ad tantum euidens signum. In pecoribus, quia ipsi retardabant sacrificium in eis fiendum Domino ab Hebræis, & vt castigarentur in his, quæ colebant, & maximum peccatum idololatriæ patrabant. Sed cur mittit Pharao in hac plaga ad videndum, non in alijs? quia aliæ durabant, nec fieri poterat, hæc cessauit iumentis enectis. *Et dixit Dominus ad Moysen, et Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moyses in cælum coràm Pharaone, sitquè puluis supèr omnem terram Aegypti* eo per Moysen sublato; *erunt enim in hominibus, et iumentis vlcera, et vesicæ turgentes in vniuersa terra Aegypti. Tuleruntquè* Moyses, & Aaron *cinerem de camino, & steterunt coràm Pharaone, & sparsit illum Moyses* solus *in cælum*, vt appareret & ipse in his signis minister Dei, proùt Aaron. *Factaquè sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus, & iumentis: nec poterant malefici* adhùc persistentes in eorum malitia, & Pharaonem eorum magijs dementantes, *stare coràm Moyse proptèr vlcera, quæ in illis erant* illicò facta, *& quæ erant in omni terra Aegypti*. Hæc plaga pro flagellationibus, & vlceribus ab eis factis, & laterum coctione Hebræis oppressis. *Indurauitquè*, indurari permisit *Dominus cor*, mentem, voluntatem, actionem *Pharaonis, & non audiuit eos*, vt dimitteret populum, *sicùt loquutus est Dominus ad Moysen. Dixitquè Dominus ad Moysen: mane consurge, & sta coràm Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: dimitte populum meum, vt sacrificet mihi, quia* alioqui te non dimittente (eccè quomodò sempèr præmonet Deus) *in hac vice mittam omnes plagas meas supèr cor tuum*, illud amaricando. *& supèr seruos tuos, & supèr populum tuum, vt scias*, discas *quòd non sit similis mei* Deus *in omni terra:* quis enim sicut Dominus Deus noster? &c. *nùnc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribisquè de terra. Idcircò autèm posui*, statui *te*, permisi te indurari ex tua malitia, & corde impœnitente, *vt* consequentèr *ostendam in te fortitudinem* potentiam *meam, & narratur nomen meum in omni terra*, sicquè glorificer. *Adhùc* adeò inso-

insolens *retinens populum meum, & non vis dimittere eum?* iuxtà meam iussionem, & signa? *En pluam cràs* à cælo *hac ipsa hora* (explicat diem, & horam, vt Pharao cognoscat hæc procedere à quo dicuntur) *grandinem multam nimis, qualis non fuit in Aegypto à die, qua fundata est*, nomen recepit, *vsquè in præsens tempus: Mitte ergò iàm nùnc, & congrega iumenta tua, & omnia, quæ habes in agro; homines enim, & iumenta, & vniuersa, quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritquè supèr ea grando, morientur:* eccè Dei misericordia mixta cùm flagello: cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Qui timuit verbum Domini* præmonentis *de seruis Pharaonis*, non Deum (qualis enim Princeps, talis populus) *fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos*, ne grandine tangerentur. *Qui autèm neglexit sermonem Domini, dimisit seruos suos, & iumenta in agris* grandini exposita: *Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum*, vt constet è cælo hæc descendere, *vt fiat*, descēdatquè *grando in vniuersa terra Aegypti supèr homines, & supèr iumenta, & supèr omnem herbam agri in terra Aegypti, Extenditquè Moyses* ad Dei imperium *virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura supèr terram, pluitquè* in magna quantitate *Dominus grandinem supèr terram Aegypti. Et grando, & ignis mista paritèr ferebantur, tantæquè fuit magnitudinis, quantæ antè nunquàm apparuit in vniuersa terra Aegypti, ex quo gens illa condita est*, cœpit, vt suprà dixerat Dominus. *Et percussit grando in omni terra Aegypti cuncta, quæ fuerunt in agris ab homine vsquè ad iumenta, cunctamquè herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit*; & sìc in eos, qui afflixerant Hebræos in agris colendis, in paleis colligendis, in coctione laterum, in herbis, lignis à fulgure, & igne passi sunt; *Tantùm in terra Gessen, vbì erant filij Israel, grando non cecidit*, hoc explicat nedum ad immunitatem Hebræorum explicandam, sed & ad ostendendum aliud signum, quo Pharao conuerti poterat. *Misitquè Pharao, & vocauit Moysen, & Aaron, dicens ad eos: peccaui etiàm nùnc*, non obseruando, nec dimittendo populum: *Dominus iustus: Ego, & populus meus impij*, inobedientes. *Orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei* magna, *& grando* (continuabant hæc) *vt* sìc operantibus vobis *dimittam vos, & nequaquàm hìc vltrà maneatis*, abire possitis. *Ait Moyses, cùm egressus fuero de Vrbe extendam palmas meas ad Dominum* oraturus, *& cessabunt tonitrua, & grando non erit, vt scias quia Domini est terra*; solus ipse rector, & gubernator mundi; *noui autèm* ab experientia, *quòd & tu, & serui tui* tibi hærentes *nec dùm timeatis Dominum Deum*, ità vt sitis obedituri. *Linum ergò, & hordeum læsum est* à grandine, *eò quòd hordeum esset virens, & linum iàm folliculos germinaret: triticum autèm & far non sunt læsa, quia serotina erant*, nondum eruperant. *Egressusquè Moyses à Pharaone ex Vrbe, tetendit manus ad Dominum* orans, *& cessauerunt tonitrua, & grando, nec vltrà stillauit pluuia supèr terram*, omnia euanuerunt. *Videns autèm Pharao quòd cessasset pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum ex* noua inobendientia, & inobseruantia: *& ingrauatum est cor eius, & seruorum illius, & induratum nimìs* pòst tantas plagas, *nec dimisit filios Israel, sicùt præceperat Dominus per manum*, ministerium *Moysi*.

CAPVT

CAPVT X.

E*T dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem; ego enim induraui*, indurari permisi *cor eius, et seruorum illius, vt faciam signa mea hæc in eo* ad meã gloriam, & notionem, *et narres tu in auribus filij tui, et nepotum tuorum, quotiès contriuerim Aegyptios, et signa mea fecerim in eis*, & ipsi timeant, & colant me, *et sciatis quia Ego Dominus*; sic ad Abraham, Gen. 18.17. num celare potero Abraham? &c. scio enim quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ pòst se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam, vt adducat, &c. *Introierunt ergò Moyses, et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum. Vsquequò non vis subijci mihi?* obedire mihi, facere voluntatem meam? *dimitte populum meum, vt sacrificet mihi; sin autèm resistis* adhùc, *et non vis dimittere eum: eccè ego inducam cràs locustam*, proùt suprà muscam, *in fines tuos*, quibus præes. *quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat:* hoc per hyperbolem ad denotandam copiam, *sed comedatur quòd residuum fuerit grandini, corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris*; magna Dei misericordia præmonentis, tempus prædicentis, & plagam, vt possit pœnitere, & obedire; *Et implebunt domos tuas, et seruorum tuorum, et omnium Aegyptiorum*, non Hebræorum, *quantã non viderunt Patres tui, et aui, ex quo orti sunt supèr terram vsquè in præsentem diem. Auertitquè se, et egressus est à Pharaone*, quasi nolens ampliùs verbis suis illudi. *Dixerunt autèm serui Pharaonis ad eum* timore nouæ plagæ prædictæ compulsi: *Vsquequò patiemur hoc scandalum: dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo* (nondùm illum pro se recognoscunt) *nonnè vides quòd perierit Aegyptus* his plagis percussa? sic boni serui cùm Saul, & Naaman. *Reuocaueruntq. Moysen, et Aaron ad Pharaonem, qui dixit eis: ite, et sacrificate Domino Deo vestro: quinàm sunt qui ituri sunt?* adhùc durus permanet. *Ait Moyses: Cùm paruulis nostris, et senioribus pergemus cùm filijs, et filiabus, cùm ouibus, et armentis; est enim solemnitas Domini Dei nostri*, in qua omnes interuenire debent. *Et respondit Pharao: sic Dominus sit vobiscum, quo modo ego dimittam vos, & paruulos vestros*, quasi nec Dominus faciet, nequè ego. *Cui dubium est quòd pessimè cogitetis?* quasi vultis omnes hinc abire non reuersuri, postquàm omnia vultis vobiscum ducere. *Non fiet ità, sed ite tantum viri* ad sacrificium apti, *& sacrificate Domino, hoc enim & ipsi petistis*, nempè sacrificaturi abire velle. *Statimquè eiecti sunt* Moyses, & Aaron *de conspectu Pharaonis* fortè irati. *Dixit autèm Dominus ad Moysen: extende manum tuam supèr terram Aegypti ad locustam*, (hinc non est vera differentia illa Aaronem ad ea quæ in terra, Moysen ad ea, quæ in cælo, seù aere, seù ad Dominum spectabant electos) *vt ascendat supèr eam. & deuoret omnem herbam, quæ residua fuerit grandini. Et extendit Moyses virgam supèr terram Aegypti, & Dominus induxit ventum vrentem tota die illa, & nocte. Et mane facto, ventus vrens leuauit locustas* (sic coturnices duxit, vt infra videbimus) *quæ ascenderunt supèr vniuersam terram Aegypti, & sederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, quales antè illud tempus non fuerant, nec posteà futuræ sunt. Operueruntquè vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitùr herba terræ, quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat, nihilquè omninò virens relictum est in lignis, & in herbis terræ in cuncta Aegypto. Quamobrèm festinus Pharao vocauit Moysen, & Aaron, & dixit eis: peccaui in Dominum Deum vestrum, & in vos*, non obediendo, & non dimittendo: *sed nùnc dimittite peccatum mihi etiàm hac vice*, parcite mihi, *& rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam*, plagam istam molestam vsquè ad mortem. *Egressusquè Moyses de conspectu Pharaonis*

orauit

orauit Dominum, Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum, non remansit ne vna quidèm in cunctis finibus Aegypti. Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel. Dixit autèm Dominus ad Moysen, nùnc nō monetur Pharao: *Extēde manū tuam in cælum, & sint tenebræ supèr terram Aegypti tàm densæ, vt palpari queāt. Extenditquè Moyses manum in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti tribus diebus:* hic præfixum tempus plagæ, *nemo* in hoc tempore *vidit fratrem suum,* nullum erat cōmercium, silebant omnia, *nec mouit se de loco, in quo erat,* timens tenebras illas: *vbicumquè autèm habitabant filij Israel, lux erat.* Si in locis (de locis enim est sermo) in quibus habitabant filij Israel, lux erat; ergò Aegyptij cohabitatores illa eadem vtebantur. Nec obstat Sap. 18. 1. & horum quidèm vocem audiebant, sed figuram non videbant; intelligēda enim hæc verba in illis, in quibus habent locum, & verificari possunt, in vniuersalibus enim, & communibus, quæ non solent distingui, vt in luce, non solet Deus in eodem loco vnum cœcum, alterum lucidum facere; pluit enim supèr iustos, & iniustos, aliòqui multiplicarentur miracula, de quibus clarè non apparet. Hæ tenebræ ad puniendam ignorantiam, & cœcitatem Aegyptiorum, Sap. 17. 3. Sed an saltèm lucem artificialem in domibus habuerint? & videtur; de hoc enim nullibì habetur in textu. Nec obstant verba Sap. 17. 5. & ignis quidèm nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam; nàm hæc intelligo ad tollendas illas tenebras, & lumen inducendum, & de luminibus ex orbibus, seù cælo; at non de artificiali igne, de quo verisimilitèr non intelliguntur verba illa, tùm quia essent de indubitabili; quomodò enim ignis artificialis id posset? tùm quia annectit stellas, quæ sicùt cælestes sunt, sic præcedentia verba de igne, intelligenda de cælesti; patet quia de eodem cælesti subdit nedùm non affulsisse, sed vers. 6. apparebat illis subitaneus ignis, timore plenus, &c. & sìc videtur melior opinio Caietani, quam sequitur Ystella. *Vocauitquè Pharao* fessus plagis *Moysen, & Aaron* post triduum illud, cessatis iàm tenebris, quia iàm dixit in illo triduo nullum motum esse de loco suo, & Sap. 17. 2. vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt, &c. Vel si infrà triduum, lumine artificiali. *Et dixit eis:* Pharao non petit auferri plagam, quia iàm sublata erat, cùm præfixū esset tēpus trium dierū, qui iàm excesserant, sed volens liberari, eos vocauit, *& dixit. Ite sacrificate Domino, oues tantùm vestræ, & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum* sed quid sacrificabunt? *Ait Moyses. Hostias quoquè, & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro. Cuncti greges pergent nobiscum, non remanabit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri,* ad quem respicimus: *præsertìm cùm ignoremus quid debeat immolari, donèc ad ipsum locum perueniamus:* non enìm id explicuit Dominus. suprà. cap. 2. 13. *Indurauit autèm Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos. Dixitque Pharao ad Moysen: Recede à me; & caue ne vltrà videas faciem meam; quocumquè die apparueris mihi, morieris: Respondit Moyses: Ità fiet vt locutus es, non videbo* vltrà *faciem tuam,* in hoc tibi morem geram.

CAPVT

CAPVT XI.

Et dixit Dominus ad Moysen perfecta, vel durante plaga tenebrarum, antequàm vocaretur à Pharaone: *Adhùc vna plaga tangam*, percutiam *Pharaonem, & Aegyptum, & post hæc*, pòst hanc plagam a me indictam *dimittet vos*, imò *& exire compellet*, adeò vehementi dolore percelletur. *Dices ergò omni plebi vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea, & aurea* mutuo, sed non restituenda, quia ego Dominus omnium, illis omnia cõdonabo in compensationẽ onerum, & afflictionum ab Aegyptijs passarum. Et ne diceret Moyses: quomodò hi nos odientes dabunt hæc pretiosa? ideò subdit: *Dabit autèm Dominus gratiam populo suo coràm Aegyptijs*, vt scilicèt libentèr, & gratiosè mutuent. *Fuitquè Moyses vir magnus valdè in terra Aegypti* acceptus *coràm seruis Pharaonis, & omni populo*. Hoc subdit, postquàm præmiserat de gratia plebi danda coràm Aegyptijs, vt sciremus si in plebe id futurum erat, multò magis in duce. Vel quia relaturus verba, quæ subijcit dicta cùm seruis, postquàm egressus est à Pharaone. *Et ait* Moyses Pharaoni, antequàm discederet, & indiceretur sibi ne eum ampliùs adiret, & sic Scriptura redit ad omissa in vltimo congressu cùm Pharaone. Vel hæc verba protulit Moyses iratus ob illusionem, & verba Pharaonis cùm seruis illius. Primò, quia præceptum Pharaonis factum Moysi ne ad eum accederet, habuit occasionem, quia Moyses dicebat velle secum ducere, & asportare omnia; vndè non est verisimile Moysen hæc subiecisse cùm eo, & irritasse carbones. Secundò, quia præmittitur de gratia, quam habebat Moyses cùm seruis Pharaonis, vt sequatur posteà de verbis habitis cùm illis. Tertiò, quia dicitur, *vt sciatis*, quæ verba referũtur ad plures. Quartò, quia exiuit iratus, & solent irati recedentes ab illo, per quem iram contraxerunt, effundere coràm alijs verba ad sui exonerationem. Quintò, quia dicitur *à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius*; si enim cùm eo proferret verba, dixisset à primogenito tuo, qui sedet in solio tuo. Sextò, quia sic non peruertitur ordo litteræ, sed seruatur. Non obstant verba, *descendentquè omnes tui isti ad me*, quia & dum in absentem loquimur, aliqua verba proferimus quasi coràm eo stantes, præsertim dùm irati loquimur, & præponderant, & tollunt obiectionem considerationes præcedentes, & quia aliæ plagæ inflictæ non prædictæ Pharaoni, & quia immutationes hæ, & phrases sunt familiares linguæ Hebrææ, *Hæc dicit Dominus* vniuersorum: non tùnc reuelat Deus, sed antè reuelauerat de primogenitis occidendis. suprà cap. 4. 23. sicùt de spoliando Aegyptios. cap. 3. 22. *Media nocte*, quæ fuit 24. mensis Nisan, *egrediar* in virtute mea per Angelos meos ministros, per effectus *in Aegyptum, & morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsquè ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam*, à maiori ad minorem, *& omnia primogenita iumentorum*, vt in illis etiàm castigetur Aegyptus, proùt ipsa malè tractauit populum primogenitum Dei. *Eritquè clamor magnus in vniuersa terra Aegypti, qualis nec antè fuit, nec posteà futurus est*, quia chariora pignora eorum tollentur; *apùd omnes autèm filios Israel non mutiet canis ab homine vsquè ad pecus*, nullus erit strepitus, nulla vox audietur, nullum horum succedet malorum; *vt sciatis quanto miraculo*, quàm mirabilitèr *diuidat Dominus Aegyptios, & Israel*, quomodò se diuersimodè gerat cùm ambobus. *Descẽdentq. omnes serui tui isti ad me, &* prostrati *adorabunt me, dicentes:* (prædicit futura) *egredere tu, & omnis populus, qui subiectus est tibi: pòst hæc* subsecuta, & impleta *egrediemur:* prædicuntur hæc, vt pœniteat, nec pœnitet nimis induratum; *Et exiuit à Pharaone iratus nimis*, quia illusus, quia ciectus. *Dixit autèm Dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharao, vt multa signa fiant in terra Aegypti* ad illum magis conuincen-

uincendum: reperitur hic quod priùs dixerat Dominus. *Moyses autèm, & Aaron fecerunt omnia ostenta, quæ scripta sunt, coràm Pharaone. Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.*

CAPVT XII.

DIXIT quoquè Dominus ad Moysen, & Aaron in terra Aegypti: Mensis iste, vobis principium mensium, in quo educèdi à seruitute, *primus erit in mensibus anni,* ab hoc incipiet annus in posterum. *Loquimini ad vniuersum cœtum,* congregationem *filiorum Israel,* Seniores, Principes populo vniuerso nunciaturos, *& dicite eis: Decima die* (hac mora vult tempus eis concedere ad omnia præparanda) *mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas* distribuendum, & comedendum integrum. *Sin autèm minor,* paruus *est numerus* familiæ, vel domus, *vt sufficere possit ad vescendum agnum* integrum, *assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suæ iuxtà numerum animarum* hominum, *quæ sufficere possunt ad esum agni* integrum, ita vt ex hoc limitetur quod dictum fuerat de agno per singulas domos, vel familias tollendo. Sed comedètes in alienis domibus, aut sumpserunt de sanguine ad liniendos postes, & superliminaria, aut remanserunt tota ea nocte in eisdem domibus, in quibus agnum comederunt, & hoc vltimum videtur verius, quia iubetur ostia non aperiri, quæ aperta essent in reditu ab esu agni, nisi dicas suffecisse redire ad domos proprias antè mediam noctem; media enim nocte exterminator transiturus erat. *Erit autèm agnus absquè macula,* defectu, vitio, *masculus, anniculus, iuxtà quem ritum,* has conditiones, *tolletis & hœdum,* ita vt optio esset tollendi agnum, vel hœdum. Sed cur agnus sinè macula, masculus, anniculus? quia cùm significaret Messiam, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui oblaturus esset se ad mortem, & coràm tondente se obmutescendus, ideò agnus sinè macula, masculus, quia vir, sic & Apocalyp. 12. *anniculus,* ad denotandam humilitatem, & paruitatem, quam suscepit in carne humana assumpta. *Et seruabitis eum vsquè ad quartamdecimam diem mensis huius, immolabitquè,* occidet *eum* agnum, vel hœdum *vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperū,* de sero scilicèt vnusquisque suum in domo sua. *Et sument de sanguine eius* occisi, *ac ponent supèr vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum,* vt subdit. *Et edent carnes illius nocte illa* eadem *assas igni, & azymos panes cùm lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni: caput cùm pedibus eius, & intestinis vorabitis,* nihil ex eo proijcietis prætèr sanguinem ad liniendos postes, & superliminaria. *Nec remanebit quidquam ex eo vsquè mane, siquid residuum fuerit,* quod non potuerit vorari, *igne comburetis* ad maiorem explicationem, & clariorem prohibitionem, hoc autèm quia cùm esset loco cuiusdam sacrificij, sicùt illud consumabatur, sic hoc consumādum penitùs fuit, non reseruandum. Occisio, assatió, lactuca agrestis, omnia referunt passionem Christi, non seruitutem Hebræorum transactam. indicitur assatio, non coctio in aqua, quia Christi humanitas sola passura: non Diuinitas; assatio enim externas partes tangit, coctio, in qua etiàm internas. Comestio integri agni, quia Christus in omni parte corporis passurus; à planta pedis vsquè ad verticem non est in eo sanitas. *Sic autèm comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus,* peregrinaturi statim, *& comedetis festinantèr, est enim Phase (idest transitus Domini;* instàr enim *transitus Domini,*

V quem

quem figurabitis, venturi ad perdenda primogenita Aegypti, declarat, *& transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamquè* ministerio Angelico *omne primogenitum in terra Aegypti ab homine vsquè ad pecus*, nullum intactum dimittam, *& in cunctis dijs*, primoribus *Aegypti faciam iudicia*, prodigia, inferam pœnam: hoc dicit, ne putarent primos, & capita populorum exemptos ab hac plaga. Non credo agi de simulachris, quæ euersa fuerint eadem nocte, quia de his in textu nihil, sed tantùm de primogenitis; sic non credo sub verbo, *diis*, intelligi de pecoribus, quæ Aegyptij adorabant, quasi illi dij; nàm imò his pecoribus magnus honor, cùm Deo vero immolarentur, si posset his honor dari, & infrà distinguuntur iumenta, *Ego Dominus* potens, & fidelis, obseruans, verax. *Erit autèm sanguis agni*, vel hœdi, *vobis in signum* ad salutem vestram *in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos* intactos, *nec erit in vobis plaga disperdens*, exterminans; *quandò percussero*, percutiam *terram Aegypti*. *Habebitis autèm hunc diem in monumentum*, memoriale æternum, *& celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris* futuris *cultu sempiterno*, lege durante. *Septem diebus azyma comedetis: in die primo* festiuitas huius incipientis, *non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, à primo die vsquè ad diem septimum* inclusiuè, non erit in domibus, nec comedetur fermentatum. *Dies prima erit sancta, atquè solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis*, quæ in Ecclesia nunc octaua: *nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent*. *Et obseruabitis*, seruabitis *azyma* pro exitu, & itinere; *in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de Terra Aegypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo*.

Primo mense anni, *quartadecima die mensis ad vesperam*, de sero *comedetis azyma vsquè ad diem vigesimamprimam eiusdem mensis ad vesperam* inclusiuè, & sic per dies septem. *Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum* in illis septem diebus, *peribit anima*, vita *eius de cœtu Israel, tàm de aduenis, quàm de indigenis terræ*, hoc & extraneos capit. *Omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis vestris edetis azyma*: quod negando dixerat, repetit affirmando more Hebræorum. *Vocauit autèm Moyses* in exequutionem prædictorum *omnes Seniores*, Principes *filiorum*, populi *Israel, & dixit ad eos: Ite tollentes animal*, agnum, vel hœdum *per familias vestras* singulas, *& immolate Phase*, iuxtà prædicta, quæ non repetit, *fasciculumquè hyssopi tingite in sanguine, qui est*, erit, decidet ex animali cæso *in limine*, extrà domos, non intrà vt infrà, *& aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsquè mane:* hoc dictum non fuerat in præcedentibus, sed præcedentia ex his supplenda; Scriptura enim cauet aliquandò à repetitione; *Transibit enim Dominus* mediantibus Angelis suis ministris, *percutiens Aegyptios* in eorum primogenitis, *cumquè viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus* (eccè quomodò ostium intelligitur de exteriori) *et non sinet percussorē ingredi domos vestras, & lædere*, auertet illum, significabit ne percutiat, sic Apoc. 7. 3. nolite nocere terræ, & mari, neq. arboribus, quoadusquè signemus seruos Dei nostri in frōtibus eorū; & 2. Reg. 24. 16. grassante peste: Cumquè extendisset manum suam Angelus Domini supèr Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus supèr afflictione, & ait Angelo percutienti populum. sufficit, nùnc contrahe manum tuam: is autèm bonus Angelus fuit non malus, tùm quia dicitur *Phase*, idest trāsitus Domini in persona Angeli, tùm quia Deus dicit: *transibo*, &c. & alia, quæ sequuntur in persona sua. Nec obstant verba (*non sinet percussorem ingredi*, &c.) quia & per bonos Angelos percutit, vt in Sennacherib, & illis iubet ne cædant, vt in præcedenti exemplo Dauidis; ille enim certò erat Angelus bonus, vt suprà; & habetur. 1. Paralip. 2. 18. vbi præci-

præcipit extrui altare Domino, quod non fieret per malum Angelum. Idē cognoſcitur in incendio Pentapolis, in quo ſalua ciuitas Segor, Lot, & filiæ, & vxor, etſi hæc poſteà ſuo vitio in ſtatuam mutata. Geneſ. 19. Non obſtant verba Pſalmi (immiſſiones per Angelos malos) nā intelligitur per Angelos mala apportantes, non quòd non eſſent boni: vel percuſſio primogenitorum per bonos, immiſſiones verò, terrores, mōſtrua, & ſimilia, de quibus in lib. Sap. per malos, quibus hæc cōueniūt. Ideò in Pſal. 77. pòſt illa verba, immiſſiones, &c. ſubijcit, & peruſſit omne primogenitū, &c. hæc diſtinctio fieri potuit cōmodè, & de illa clarè dicitur, idē autèm abſquè miraculo fieri non potuit in tenebris, vt in eiſdem locis Hebræorum eſſet lux in vna domo Hebræorum, in alia contigua Aegyptiorum tenebræ, vt iàm dixi loco ſuo. *Cuſtodi verbum iſtud legitimum in legem*, præceptum *tibi, & filijs tuis in æternum*, donèc lex durauerit. *Cumquè intraueritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt*, iuxtà promiſſiones Patribus factas, *obſeruabitis ceremonias iſtas*. *Et cùm dixerint vobis filij veſtri*: ſic in Abraham dicturo filijs ſuis. Geneſ. 18. 19. *Quæ eſt iſta religio?* cultus? *dicetis eis: Victima hæc tranſitus Domini eſt, quandò tranſiuit* per Angelos ſuos *ſupèr domos filiorum Iſrael in Aegypto percutiens Aegyptios* in primogenitis, *& domos noſtras* intinctas ſanguine *liberans*. *Incuruatuſquè populus* sic gratias agens Deo, *adorauit* Dominum. *Et egreſſi* à cœtu *filij Iſrael fecerunt ſicùt præceperat Dominus Moyſi, & Aaron* circà præparanda.

Factum eſt autèm in noctis medio. Sap. 18. *percuſſit Dominus* miniſterio Angelorum *omne primogenitum*, tùnc extans in eo ordine *in terra Aegypti à primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat* (eccè Dij!) *vſquè ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere*, à ſtatu maximo ad minimum, *& omne primogenitum iumentorum*. *Surrexitquè Pharao nocte, & omnes ſerui eius, cunctaquè Aegyptus* timore, horrore, doloreque maximo correpta, *& ortus eſt clamor magnus in Aegypto, nequè enìm erat domus, in qua non iaceret mortuus. Vocatiſquè Pharao Moyſe, & Aaron nocte* ad ſe, non amplius ad cædem eos quærens, *ait: Surgite, & egredimini à populo meo, vos, & filij Iſrael: ite, immolate Domino ſicùt dicitis*: libera eſt dimiſſio, non reſeruata, vt aliàs. *Oues veſtras, & armenta aſſumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi* magno timore perculſo. *Vrgebantquè Aegyptij populum* Iſrael *de terra Aegypti exire velocitèr, dicentes: Omnes moriemur*, ſi tardatis, timebant fortè etiàm Pharaonem mutari poſſe, poſtquàm totiès id experti erant. *Tulit igitùr populus* Iſrael *conſperſam farinam*, paſtam, *antequàm fermentaretur, & ligans in pallijs, poſuit in humeros ſuos*. *Feceruntquè filij Iſrael ſicùt præceperat Moyſes, & petierunt ab Aegyptijs* mutuò *vaſa argentea, & aurea, veſtemquè plurimam*, quæ retinuerunt in compenſationem mercedum, & oppreſſionum, & perſecutionis Deo sic volente. *Dominus autèm dedit gratiam populo coràm Aegyptijs*, fecit eos gratos, *vt comodarent eis* quæ petebant: *& ſpoliauerunt Aegyptios* id merentes, & abſquè mendacio, quia sic præcisè iuſſerat Deus, vt comodatò peterent, & hæc promiſſio facta Abrahæ, Geneſ. 15. 14. & pòſt hæc egredientur cùm magna ſubſtantia, & hoc factum eodem tempore, quia Deo nihil difficile, & nonnè duxerunt tot armenta? niſi dicatur hic per repilogationem, ſed primum melius. *Profectiquè ſunt filij Iſrael* mane, quia de nocte prohibiti erant oſtium aperire, *de Rameſſe*, in qua habitabant, *in Socoth ſexcenta ferè millia peditum virorum, abſquè paruulis, ſed & vulgus promiſcuum innumerabile* Aegyptiorum, vel alterius nationis *aſcendit cùm eis oues, & armenta, & animantia diuerſi generis multa nimìs*; quis enim poterat prohibere, aùt aduertere? *Coxeruntquè farinam, quam dudùm de Aegypto conſperſam*, paſtam *tulerant, & fecerunt ſubcinericios panes azimos*, proùt Abraham, & Lot cùm Angelis; *neq. enìm poterāt fermētare cogentibus exire Aegyptijs, et nullā facere ſinentibus moram: nec pulmenti quidquā occurrerat præparare*: dat rationem cur farinam sic geſtauerint. *Habitatio autèm filiorum*

liorum Israel, qua manserũt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini, populi Domini *de terra Aegypti*. Sed quomodò quadringenti triginta anni? Dixerat Dominus Abrahæ Genes. 15. futurum semen suum peregrinum in terra non sua, sed quarta generatione rediturum ad terram suam, promissam scilicèt, quæ erat Chanaan: & quia etiàm dùm semen hoc mansit in terra Chanaan, stetit in terra non sua, quia in ea nec ipsum, nec Abraham pedem terræ possedit, Act. 7. nullumquè habuit dominium, & sempèr peregrinati sunt, ideò hæc eorum peregrinatio, & quasi seruitus in terra Chanaan, antequàm peterent Aegyptum, computatur, & vnitur cùm seruitute Aegypti, seù mansione in Aegypto, quia nequè in Aegypto sempèr seruierunt, sed tantùm pòst mortem Ioseph. Exod. 1. Sumitur autẽ denominatio à terra Aegypti in hac peregrinatione, seù seruitute, tùm quia in Aegyptũ primò ingressus Abraham, tùm quia in ea duriùs seruierunt, & diutiùs permanserunt, & vsquè ad tempus, quo translati sunt ad Terram promissionis, & sic à parte potiori, & duriori, & recentiori, ob idquè omittitur mentio peregrinationis Chanaan, quæ tamèn tacitè in tempore claro, & expresso comprehenditur. Nec dicas; de Isaac, & Iacob dici non potest in terra non sua, dùm steterunt in Chanaan, in qua orti; nàm nõ intelliguntur hæc ratione originis secundæ, vbì orti, sed primæ, à qua Abraham discessit, & quòd in ea ne pedem quidèm possederint, sed tanquàm peregrini ipsi, & Abraham, à quo descendebant, in casulis habitarent. Hebr. 11. & sìc attenditur origo Abrahæ principalis, qui fuit de Vr Chaldæorum, non seminis. *Nox ista,* in qua hæc mirabilia facta, *est obseruabilis Domino,* in cultu Domini *quando eduxit eos de terra Aegypti: hanc obseruare,* colere *debent omnes filii Israel in generationibus suis* succelsiuis, lege durante. *Dixitquè Dominus ad Moysen, & Aaron: Hæc est religio,* lex *Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo* agno, vel hœdo immolato. *Omnis autèm seruus emptitius circumcidetur* volens, *& sic comedet* ex eo: distinctè loquitur de seruo faciliùs ad ritum, & legem, ac religionem Domini descensuro, non quòd cogi posset iudicio meo; Dominus enim non iubet quemquam inuitum religionem suam profiteri, sed volentem tantùm. *Aduena, & mercenarius,* qui non sunt subiecti, sed liberi, *non edent ex eo. In vna domo,* in singulis domibus *comedetur, nec efferetis de carnibus eius foràs, nec os illius confringetis,* quia aliàs mora intercessisset, & iubebat comedi festinantèr. Vel limitat quod dixerat de integro edendo, ne putarent ossa corrodenda, & hoc melius. Sed ad Christum, Ioan. 19. hoc enìm significat eius celerem Resurrectionem; ideò nõ dabis sanctum tuum videre corruptionem. *Omnis cœtus,* congregatio *filiorum Israel faciet illud* Phase. *Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam,* habitationẽ, *& facere Phase Domini,* proùt nos in domo sua, *circumcidetur priùs omne masculinum eius* (hoc quòad comedere volentes) *& tùnc ritè celebrabit, eritquè sicùt indigena terræ. Si quis autèm circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit* in Phase comedendo *indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos. Feceruntquè omnes filii Israel sicùt præceperat Dominus Moysi, & Aaron. Et eadem die eduxit Dominus* potentia sua *filios Israel de terra Aegypti per turmas suas.*

CAPVT

CAPVT XIII.

LOCVTVSQVE *est Dominus ad Moysē* pòst egressum, *dicens sanctifica*, separa, segrega *mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs*, populo *Israel, tàm de hominibus, quàm de iumentis: mea sunt enim omnia*, quia nedùm creaui, sed seruaui a b exterminatore, non permittendo ea occidi, & sìc aduerte, quomodò verbum *sanctifica*, intelligatur, quod magis declaratur infrà verſ. 12. *separabis omne, quod aperit vuluam*; Hinc in Euangelijs tenui opinionem multorum, Ieremiam non fuiſſe in ventre ſanctificatum, ſed tantùm prædeſtinatum ad officium prophetandi ab vtero, proùt Paulus: qui ſegregauit me ab vtero, &c. ibì vide, & Ierem. 1. Chriſtus non ſubijciebatur huic legi, quia nō aperuit vuluam, ſed tamèn vltrò legi ſe ſubiecit, & rationabilitèr, quia non poterat tùnc dari ratio vlla abſtinendi, imò fuiſſet in ſcandalum aliorum, & venerat non ſoluturus, ſed obſeruaturus legem. Sed an omne primogenitum ſacrum Domino? dic hominum, bouum, caprarum. ouium, primogenitum aſini redimebatur, proùt hominum. De primogenitis multa congerit Abulenſ. 1. Paralip. 5. & 2. Paralip. 11. quæſt. 26. cùm ſeqq. *Et ait Moyses ad populum* in executionē præcepti Domini: *Mementote* grati in hoc *diei huius, in qua egressi estis de Aegypto* nedùm, ſed *& de domo seruitutis* duriſſimæ, in qua in illa tenebamini, *quoniàm* non veſtris viribus, aùt arcu, ſed *in manu forti*, potentia valida ſua *eduxit vos Dominus de loco isto*, in quo ſeruiebatis, cogens ad id Pharaonem, & omnes Aegyptios, *vt non comedatis fermentatum panem*, imò nec ſit in domibus, quas habitaturi eſtis. *Hodiè egredimini mense nouarum frugum*, quaſi, ob hoc etiàm gratias reddite Domino, qui tempore opportuno itineri vos egredi fecit. *Cumquè introduxerit te* (ò popule Iſrael) *Dominus in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Heuæi, & Iebusæi, quam iurauit patribus tuis*, Abraham. Geneſ. 15. & Luc. 1. Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, quod commemoratus eſt ſucceſſoribus Patriarchis Iſaac, & Iacob, *vt daret tibi*, daturum ſe nobis; nàm iuſiurandum illud protrahebatur ad ſemē, tùm expreſsè, tùm quia capiti factum: *terram fluentem lacte, & melle*, optimam *celebrabis hunc morem*, ritum *sacrorum*, ſacrum *mense isto* in memoriam tanti beneficij. *Septem diebus vesceris azimis, & in die septimo erit solemnitas Domini*, erit & illa ſolemnis, proùt prima. *Azima comedetis septem diebus* (replicat ad maiorem firmitatem, & vt addat quod ſubdit, *non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis* te volente, & conſcio. *Narrabisquè* docturus in die illo *filio tuo* interroganti, vel non, ſupèr his, *dicens:* sìc iuſſerat Dominus ſuprà cap. 10. 1. & Abraham dixit. Geneſ. 18. 19. & Pſal. 77. quanta mandauit Patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera: Filij qui naſcentur, & exurgent etiàm narrabunt filijs ſuis; & Moyſes in Cant. Deuter. 32. interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. *Hoc est, quod fecit mihi*. cur *mihi?* quia ſicùt quilibet Hebræorum immunis fuit in primogenitis, ità quilibet in ſeipſo id recognoſcere, & in eo gratus eſſe debebat, proùt Paulus dicens ex gratitudine: qui redemit me, etſi omnes redemerit. *Dominus* omnipotens, *quandò egressus sum de Aegypto* in virtute eius. *Et erit* hoc quaſi ſignum, ad inſtàr ſigni, pro memoria in manu tua; ſic enìm ſolemus, *& quasi monumentum*, memoriale *antè oculos tuos* nunquàm horum obliturus: *& vt lex*, præcepta *Domini sempèr sit in ore tuo* ad illam exequendam, & illi obediendum, *in manu enìm forti*, potenti *eduxit te Dominus de Aegypto*, faciendo tot mirabilia. *Custodies huiuscemodi cultum* (hæc lex) *statuto tempore à diebus in dies*, ab anno in annū ritu perpetuo. *Cumquè introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicùc iurauit tibi*, ſemini Abraham, *& Patribus tuis*, iurando enim

 Patri-

Patribus, illud iuramentum ad te quoquè protensum, & prorogatum est in tui vtilitatem, & honorem, *& dederit tibi eam*, proùt dabit, quia fidelis Dominus in omnibus operibus suis, *separabis*, segregabis, & dabis *omne, quod aperit vuluam*, primogenitum *Domino, & quod primitiuum est in pecoribus*, armentis *tuis*; & ne sub his sexum fœmininum putaremus comprehendi; ideò ad declarationem subdit: *quidquid habueris* primogenitorum *masculini sexus, consecrabis Domino*, quia suum, quia sanctum Domino *Primogenitum asini* ad sacrificium inepti ob suam stoliditatem, sicùt vitiosa alterius speciei *mutabis oue*, dabis ouem pro illo, *quòd si* ex aliqua causa *non redemeris*, redimere nolis, vel prohibearis, *interficies*, quia cùm sanctum sit Domino, non redemptus non potest in alios vsus transferri. Sed cur in asino, quod non in alijs animalibus sacrificio ineptis? quia cùm sit asinorũ magna copia, nimìs defraudati fuissent Leuitæ, si his, vel eorum pretio fuissent priuati, quod non contingebat in alijs, quorum minor copia. Item quia eorum magna commoditas, quæ non in alijs generalitèr, propterea in his hoc decretum, non in alijs. Item quia maior vsus apud Hebræos, vt vix equis vsos esse possit comprehendi. *Omne autèm primogenitum hominis de filijs tuis*, de toto populo *pretio redimes*, quia homines non immolantur. *Cumquè interrogauerit te filius tuus cràs*, futuris temporibus, *dicens quid est hoc*, quod agitur? *respondebis ei: In manu forti*, mirabili *eduxit nos Dominus de terra Aegypti, de domo seruitutis*, in qua durissimam seruitutem patiebamur. *Nàm cùm induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere*, etsi multis calamitatibus fractus, *occidit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti* Aegyptiorum, nostris saluis, *à primogenito hominis vsquè ad primogenitum iumentorum: Idcircò* ego liberatus à tali exterminio, *immolo Domino omne, quod aperit vuluam*, omne primogenitum *masculini sexus* (eccè quomodò fœmininus excluditur) *& omnia primogenita filiorum meorum redimo* (loquitur in vniuersum.) *Erit igitùr hoc quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid, ob recordationem, intèr oculos tuos*, in mente sempèr hæc fixa habebis, *eò quòd in manu forti eduxit nos Dominus de Aegypto*. *Igitùr cùm emisisset Pharao populum* (redit ad historiam) *non eos duxit Deus per viam* tritã *terræ Philisthijm, quæ vicina est* Aegypto, *reputans* (more humano loquitur; nàm sciebat Deus quid esset in homine, Ioan. 2.) *ne fortè pœniteret eum* populum duræ ceruicis, & timidum, bello insuetum, *si vidisset aduersùm se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum*. qualis cura Dei erga homines, quomodò humano mori se accommodat, nouit figmentum nostrum. *Sed circumduxit* eum *per viam deserti, quæ est iuxtà mare rubrum*, sic dictum ex arena, *& armati ascenderunt filij Israel de terra Aegypti*, fortè mutuo arma receperant, mulieres vasa, viri arma, vltrà ea, quæ ipsi habebant, vndè & cùm Amalechitis pugnarũt, etsi tùnc onusti armis alijs ex corporibus Aegyptiorum enectis. *Tulit quoquè Moyses ossa Ioseph secum: eò quòd* Ioseph moriens *adiurasset filios Israel, dicens* vti propheta. *Visitabit vos Deus*, recordatus vestri, & promissionum suarum, vt transferat ad terram Chanaan, tùnc *efferte ossa mea hinc vobiscum*, vt cùm Patribus nostris merear socius resurgere. Genes. 50. *Profectiquè* filij Israel *de Socoth castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis* citrà mare. *Dominus autèm* per Angelum suum *præcedebat eos* à principio egressionis ex Aegypto; ad quid enim defuisset Deus in principio? & quomodò potuissent Hebræi absquè nube stare? licèt hic tantũ mẽtio sit per præoccupationẽ, proùt de ossibus Ioseph, & est ttitũ in Scriptura. *ad ostendendam viam per diẽ in columna nubis, et per noctem in colũnæ ignis*, hæc enim lux, & tenebræ apparebant in modum columnæ, *vt dux esset itineris* columna illa *vtroque tempore* diei, & noctis: *Numquàm defuit* per totum iter vsquè ad Terram promissionis *colũna nubis per diem; nec columna ignis per noctem coràm populo* ad illuminandum pro ostensione viæ; sic & 2. Esdr. 9. 19. & alibi. & aliud præstabat eadem nubes (non enim multiplicandæ nubes, postquàm de pluralitate non constat, & eadem poterat & hoc operari) quia obumbrabat eos, Sap. 19. 7. nubes castra eorum obum-

obumbrabat; hic enim textus videtur probare concludentèr; & Psal. 104. expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem; hoc enim excedit ostensionem viæ solam; sic & Sap. 10. fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte, & Sap. 18. 4. solem sinè læsura boni hospitij præstitisti; & licèt aliqui ex his locis Scripturæ possent trahi, vt Deus hæc perfecerit à se, tamèn cùm ex alijs locis habeamus ministerium nubis, dicendum hæc loca iuxtà illa intelligenda, & declaranda, & plurimum conuenire quòd Deus per visibilia signa hæc fecerit, vt de protectione constaret, quàm inuisibilitèr, vt vult Tostatus, sicùt in ostensione viæ poterat inuisibilitèr, & tamèn visibilitèr apparere voluit, vt ei attribueretur, non alteri causæ, & ab eo beneficium recognosceretur, proùt & alia populo facta in deserto clara, & apparentia; sic Christus faciens miracula, quibus diuinitas probabatur, & ad gloriam suam, sempèr miscebat aliquid, ex quo appareret ipsum miraculorum patratorem, & frequentèr Deus vtitur secundis causis ad maiorem manifestationem suæ potentiæ, quæ aliàs nobis non fieret cognita.

Sed an vna nubes fuerit & noctis, & diei? dic vnam, tùm quia non præsumitur pluralitas, & quòd potest fieri per pauciora non solet fieri per plura, tùm quòd dicitur infrà cap. 14. 19. tollensquè se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abijt pòst eos, & cùm eo paritèr columna nubis, priora dimittens, pòst tergum stetit, intèr castra Aegyptiorum, & castra Israel, & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ità vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent, & 24. respiciens Dominus supèr castra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit, &c.

Sed an esset verus ignis? dic quòd non, tùm ex immutatione à lucido in tenebrosum, tùm quia non habebat actionem igneam, nisi quia lucebat, tùm quia Num. 9. dicitur, die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes; vespere autèm supèr tentorium erat quasi species ignis vsquè mane, sic fiebat iugitèr: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis, non ergò ignis verus; sic & Act. 2. dispertitæ linguæ tamquàm ignis; At an verus ignis in rubo. suprà cap. 3. vbì dixi, Abul. 2. Paral. 7. in primis qq.

CAPVT XIV.

LOCVTVSQVE est Dominus ad Moysen, dicens: loquere filijs Israel ex meo imperio: vt *reuersi* à loco in quo nùnc sistunt, *castrametentur*, castra ponãt *è regione* ex aduerso *Philahiroth, quæ est intèr Magdalum, & mare contrà Beelsephon: in conspectu eius castra ponetis supèr mare*, propè mare; *Dicturusquè est Pharao supèr filijs Israel*, illis illudens, & nocere volens: *Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum*, euadere non possunt, manus nostras effugere non poterunt. *Et indurabo cor eius, ac persequetur vos*, pœnitens vos dimisisse, *& glorificabor*, magnificabor *in Pharaone, & in omni exercitu eius, sciètquè Aegyptij* omnes, tàm perituri, quàm superstites *quia ego sum Dominus* vniuersorum, & non est qui voluntati meæ resistere possit. *Feceruntquè ità* filij Israel, proùt dixerat Dominus. *Et nunciatum est Regi Aegeptiorum quòd fugisset populus*, nempè penitus dimisisset Aegyptum, nõ autèm ambulasset tantùm viam trium dierum sacrificaturus: *immutatumq. est cor Pharaonis: & seruorum eius supèr populo* dimisso, *& dixerunt: Quid voluimus facere vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis?* à cuius seruitute tantum commodum recipiebamus. *Iunxit ergò currum*, currus, *& omnem populum suum assumpsit secum. Tulitquè sexcentos currus electos, & quidquid in Aegypto curruum fuit; & duces totius exercitus. Indurauitquè Dominus cor Pharaonis Regis Aegypti, & persecutus est filios Israel: at illi egressi erant in manu* potentia *excelsa*, ma-

gna

gna Domini eos protegentis. *Cumquè persequerentur Aegyptij vestigia præcedentium* Hebræorum, *repererunt eos in castris supèr mare*, quo in loco illis stantibus, *omnis equitatus, & currus Pharaonis, & vniuersus exercitus erant in Philabiroth contrà Beelsephon. Cumquè appropinquasset Pharao, leuantes filij Israel oculos, viderunt Aegyptios pòst se, & timuerunt valdè, clamaueruntquè ad Dominum*, eius adiutorium imprecantes; hæc enìm phrasis implorantium auxilium, quod solent timentes, & in arcto positi, vt hi, non conquerentium, & explicat querulas voces, subdens: *& dixerunt ad Moysen: forsitàn non erant sepulchra in Aegypto, ideò tulisti*, eleuasti *nos vt moreremur in solitudine*, quasi, melius erat mori in Aegypto: *quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Aegypto?* quæ te incessit libido id faciendi in nostram perniciem? *Nonnè iste est sermò, quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes: recede à nobis, vt seruiamus Aegyptijs?* id dixerunt quandò postquàm egit cùm Pharaone, is aggrauauit filios Israel nouis oneribus, quasi, non potes te excusare, cùm id protestati simus; *multo enìm melius erat seruire eis; quàm mori in solitudine*; nàm præfertur vita cuicumque afflictioni, Iob. 1. *& ait Moyses ad populum* timidum, & turbatum: *nolite timere: state* expectate, sustinete adhùc modicum, *& videbitis magnalia*, mirabilia *Domini, quæ facturus est hodiè: Aegyptios enim, quos nùnc* viuentes *videtis nequaquàm vltrà videbitis vsquè in sempiternum*; omnes enìm deficient. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, nullum erit vestrum ministerium, faciet solus Deus; & ità fuit necessarium, quia hi assueti operibus, & seruituti, inepti erant ad bellum, & timidi, & timorem adhùc seruabant de recenti recedentes, quem deposuerunt sensìm in libertatem vindicati, & à Deo protecti, animum sumentes; vndè posteà bella commiserunt, & fuerunt victores; Hinc non placet his subrogatos in deserto alios, qui possent stare aduersùs populos occupātes Terram promissionis. *Dixitquè Dominus ad Moysen* orantem, & petentem vt recordaretur populi sui in angustia positi: *Quid clamas ad me?* quasi dicat, exaudita est oratio tua: quiesce: *Loquere filijs Israel vt proficiscantur. Tu autèm eleua virgam tuam, et extende manum tuam supèr*, versùs *mare, & diuide illud*, diuidetur enìm illicò: *vt gradiantur filij Israel* nùnc coarctati *in medio mari* aquis referto *per siccum*, quod ego sic reddam; hæ viæ Domini, vt cùm nullum est effugium, tùnc adsit protegens, & saluans; sìc cùm Dauid à Saule cincto, vt desperaret se posse euadere. 1. Reg. 23. 26. & diceretur ei, transmigra in montē sicùt passer. *Ego autèm indurabo cor Aegyptiorum* omnium, *vt persequantur vos, & glorificabor*, gloriosus prædicabor *in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus illius*, in quibus confidit: hìnc in Cantico, gloriosè enìm magnificatus est. *Et scient Aegyptij* omnes *quia ego sum Dominus cùm glorificatus fuero in Pharaone, et in curribus, atquè in equitibus eius*, cùm omnes in mari perierint. *Tollensquè se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel* tanquàm ductor, *abijt pòst eos, & cùm eo paritèr columna nubis*, ne Aegyptij viderent, nedùm offenderent Hebræos, *priora dimittens pòst tergum, stetit intèr castra Aegyptiorum, & castra Israel, & erat nubes tenebrosa* ex parte Aegyptiorum, *& illuminans noctem* ex parte Hebræorum, *ità vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent*: vna ergò columna & noctis, & diei, proùt vna vtrumque faciebat, tenebras, & lucem. *Cùmquè* (nube sìc constituta, & Angelo subsequente) *extendisset Moyses manum supèr mare* virga sua, *abstulit illud Dominus* in loco designato *flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisaquè est aqua. Et* deindè *ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris*: Quæ autèm tribus prima, incertum, credendum illam fuisse, quæ solebat præcedere, non Iudæ, quia in textu nihil, & de insolito facta esset mentio: *erat enìm aqua quasi murus à dextera eorum, & leua*; extendente ergò manum Moyse, diuisa est aqua, non à vento; sìc etiàm reuersæ aquæ supèr Aegyptios ex virga. Voluit virga fieri, vt appareret qua virtute id fieret tantum miraculum, & daretur honor secundarius ministro suo Moysi, etsi non inconuenit Deum, qui hæc patrabat, vento vsum esse ad diuisionem;

nem; solet enim secundis causis vti; & pòstmodum vento siccatum est profundum, seù limus in eo, & *vento flante* muri aquei steterunt, qui à vento conturbari debuerant; vndè eò maius miraculum. Vna autèm fuit diuisio màris, per quam omnes transierunt; non enim multiplicanda miracula non necessaria, cùm diuisio vna fuerit adeò magna, vt omnes transire commodè potuerint, præsertìm quia agmine composito, prout anteà procedebant, non diuisìm, nec referebat celeritas, quia nube defendebantur, & in diuisione imbecilliores, & timidiores efficiebãtur, & incõmodum sensissent, & Scriptura meminisset huius maioris miraculi, & Deus non facit per plura, quod potest fieri per pauciora, & verba, diuisiones aquarum in Psalmo, intellige pro diuisionem, plurale pro singulari, cùm hìc non dicatur nisi de vna; sic in Iordane vna fuit diuisio, non plures; in eo tamèn vt hìc, non fuerunt duo muri, sed vnus, quia ex vna parte non fuit necessarius, cùm aquæ defluerent in mare, quòd in mari fieri non poterat: de vna diuisione sentit Clem. in itiner. lib. 1. Transitus autèm hic per mare fuit in semicirculo, non ab ora ad oram, seù à littore ad littus oppositum, quia iter de littore ad littus oppositum non erat iter horarum, sed dierum, & contrarium dicens struit miraculum, eò magis quia præsupponendum hos coarctatos, vt non possent vltrò ire per desertum, fortè montibus præruptis prohibiti, vndè vt possent in desertũ redire, non indigebant transire ad ripã oppositam, sed per semicirculum ad pristinum iter, & si iuissent ad oppositam ripam, quomodò regressi ad desertum? sed ex Chronographia, cùm ad perueniendum à mari rubro ad montem Sinai transeundum sit mare rubrum, nutat hæc sententia, & alijs respondent hic alij. *Persequentesquè Aegyptij ingressi sunt pòst eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris*, intellige per eamdem diuisionem, *Iamquè aduenerat vigilia matutina, & eccè respiciens* ad puniendum *Dominus supèr castra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis* (eccè quomodo vna erat) in qua Angelus, *interfecit*, interficere decreuit *exercitum eorum, & subuertit rotas curuum* ne quisquam euaderet, *ferebanturquè in profundum:* præuenit dicere quod sequitur, quia & in cantico non fit mentio nisi subuersionis sub aquis; sed hinc disce interpretari ad litteram locum Pauli, nocte, & die in profundo maris fui; & grande miraculum, vt in eo loco dixi. *Dixerunt ergò Aegyptij* iàm sapientes effecti: *Fugiamus Israelem*, ne vlteriùs persequamur, recedamus ab eo; *Dominus enìm pugnat pro eis contrà nos;* vndè non poterimus resistere, sed serò sapiunt. *Et ait Dominus ad Moysen* iàm ex aquis cùm populo eductum. *Extende manum tuam supèr mare, vt reuertantur aquæ ad Aegyptios supèr currus, & equites eorum*, & ego in eis glorificer. *Cumquè extendisset Moyses manum contrà mare*, ex aduerso maris, *reuersum est mare primo diluculo ad priorem locum* antè diuisionem *fugientibusquè Aegyptiis* (ergò decreuerant non persequi vlterius) *occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus. Reuersæquè sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes* Hebræos *ingressi fuerant mare, nec vnus quidèm superfuit ex eis*, quod affirmando dixit, negando confirmat. *Filii autèm Israel perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro à dextris, & à sinistris:* replicat quod dixerat, vt appareat differens modus in vtrisque, *liberauitquè Dominus in die illa Israel de manu Aegyptiorum* penitùs. *Et viderunt* Hebræi *Aegyptios mortuos supèr littus maris, & manum magnam*, flagellum, *quam exercuerat Deus contrà eos* iustè, qui multè filios Hebræorum aquis suffocauerant; hic enim mos Dei punientis eo modo, quo peccamus. *timuitq. populus* Israeliticus *Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius* in tot mirabilibus.

CAPVT

CAPVT XV.

TVNC pòst tanta miracula, & beneficia pro gratitudine,& gratiarum actione *cecinit Moyses, & filii Israel* omnes vnanimes, & læti *carmen hoc Domino,& dixerunt : Cantemus Domino* exultantes: *gloriosè enim,* vt promisit, *magnificatus est,* glorificatus est, *equum, & ascensorem,* homines, & iumenta *deiecit in mare* submergenda.

Fortitudo mea, quæ me protexit, & custodiuit ab Aegyptijs persequentibus, *&* consequentèr *laus mea Dominus,* quem sempèr laudare,& magnificare debeo;sic Nabuchodonosor: nùnc laudo, & magnifico,& glorifico Regem cæli, &c Daniel. 4. 34. *&* pro quia *factus est mihi in salutem,* quia saluauit me. *iste Deus meus,* protector, curam mei gerens peculiarem, *& glorificabo eum : Deus patris mei* antiquus, non recens. Psal. 8. non erit in te Deus recens, qui & patres nostros protexit: alludit ad nomen Dei. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, quòd ei dictum Exod. 3. 6. ideò patris pro patrum, singulare pro plurali : *& exaltabo eum.*

Dominus quasi vir pugnator nobiscum fuit in bello, *omnipotens nomen eius;* ideò illi resistere non potuerunt inimici nostri; vndè dicebant : fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro illis contrà nos.

Currus Pharaonis, & exercitum eius potentia sua *proiecit in mare,* & perierunt: *electi principes eius* superbi, & contumaces *submersi sunt in mari rubro.*

Abyssi aquarum *operuerunt eos,*& necauerunt, *descenderunt in profundum* sic operti, & enecti *quasi lapis :* hoc non fuit nostrum, sed. *Dextera tua,Domine,magnificata,* exaltata est *in fortitudine* tua: *dextera tua, Domine percussit inimicum* nostrum nos persequentem. *Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos,* depositio hæc fuit ad magnam gloriam tuam: *misisti,* immisisti *iram tuam,* qua premis rebelles, *quæ deuorauit eos sicùt* ignis deuorare solet *stipulam* illicò, & absquè vlla difficultate, aùt contradictione. *Et in spiritu* accenso *furoris tui,* iræ tuæ *congregatæ* iunctæ sunt *aquæ* diuisæ ad eos operiendos: *stetit vnda fluens* primò ad commodum nostrum, vel quæ priùs steterat, deindè ad illos enecandos *congregatæ sunt abyssi* aquarum *in medio mari,* à quo abscesserant diuisæ.

Dixit inimicus noster, *persequar, & comprehendam* tutò populum, *diuidam spolia* victor quasi de victoria certus, & elatus, *implebitur anima mea,* voluntas mea in vindicta, quā exercebo: *euaginabo gladium meum* contrà eos, *interficiet eos manus mea,* nullus euadet, omnes conteram. sic in Cantico Iud. 5. 30. exprobrabant. forsitàn nùnc diuidet spolia, &c. *Flauit spiritus,* ventus *tuus,* quasi hoc solo vsus es contrà superbos, *& operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum,* deorsùm ex suo onere cadens, *in aquis vehementibus,* ex quibus surgere non potuerunt. *Quis similis tui in fortibus* intèr fortes *Domine?* quis tibi comparabitur? *quis similis tui,* quasi, nullus: *magnificus,* excelsus es in *sanctitate;* sic laudatur in cælo: Sanctus, Sanctus, &c. & Domina:& Sanctum nomen eius: *terribilis* in debellandis hostibus, *atquè laudabilis,* qui iustitia sola moueris, non passione aliqua contrà eos, *faciens mirabilia?* non modo humano,sed excedente,vt hic;ideò nullus tibi similis.

Extendisti manum tuam fortem, potentem ad eos puniendos, *& deuorauit eos terra* in profundum maris fixos, & detractos: hìnc etsi posteà è mari ad littus eiecti fuerint, nulla est contradictio, quia hìc *terra* pro profundo; è conuersò. *Dux fuisti in misericordia tua,* per tuam misericordiam solam, quia nos nihil merebamur, *populo* tuo, *quem redimisti,* saluasti è tantis periculis, seruitute, ærumnis: *& portasti* pro portabis *eum* proùt aquila pullos *in fortitudine tua,* in tuo robore *ad habitaculum Sanctum tuum* in tui honorem erigendum; nouerat enim in Terra promissionis erigendum Deo tem-

templum, eiquè sacrificandum, & prophetat; Vel ad terram promissionis sanctam ei destinatam, & promissam, & erit planius. *Ascenderunt*, insurrexerunt *populi* hæc magnalia audientes, *& irati sunt* contrà nos: *dolores obtinuerunt habitatores Philisthijm* sibiipsis timentes.

Tunc etiã *conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan*, per quos nos transituros, & sedes fixuros nouerunt: hæc ex prophetia, sequitur petendo quod prophetauit. *Irruat* (sic fiat vt dixi) *supèr eos* populos *formido, & pauor*, non ex virtute nostra, sed *in magnitudine brachii tui*, tuæ potentiæ: fecit potentiam in brachio suo: *Fiant* ex timore *immobiles quasi lapis*, ne audeant nobis insidiari, *donèc pertranseat populus tuus* Domine, *donèc pertranseat populus tuus iste, quem possedisti*, quæsiuisti tibi, redemisti ad Terram promissionis nobis dandam.

Introduces eos populos, nos, *& plantabis*, situabis fixos non amouendos *in monte hæreditatis tuæ* promissæ ex testamento, pacto tuo Patribus nostris, *firmissimo habitaculo tuo;* ideò suprà *habitaculum*, melius pro Terra promissionis: *quod operatus*, fabricatus *es Domine*, seù operaberis, habitatores eijciendo: & hoc *sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt*, fabricabunt *manus tuæ*, tu id præstabis. At quid dicam?

Dominus proùt nùnc glorificatus est, sìc *regnabit* in æternum, in tempus longissimum, *& vltrà*, & sempèr, vel *& vltrà* si daretur, ipse omnia iuxtà suam voluntatem regit: aquæ ipso iubente diuersa operatæ sunt; quòad Pharaonem.

Ingressus est enim eques Pharao cùm curribus, & equitibus eius in mare siccum, *& reduxit supèr eos Dominus aquas maris*, & ne vnus quidèm superfuit. Quò verò ad Hebræos. *Filii autèm Israel ambulauerunt* tute, & incolumes *per siccum in medio eius*.

Sumpsit ergò Maria prophetissa, vel quia psallens, quod clarum est, vel quia prophetabat, de quo nihil habemus, *soror Aaron* ratione notionis, cùm diù egisset cùm eo, nõ cùm Moyse, *tympanum in manu sua*, vt alias etiàm excitaret: *egressæquè sunt* exemplo suo *omnes mulieres* à tentorijs *pòst eam*, facientes alium chorum distinctum à viris, à quibus didicerant, *cùm tympanis, & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino*, gratias agentes ei; *gloriosè enìm magnificatus est in* beneficium nostrum, & perniciem inimicorum; *equum, & ascensorem eius deiecit in mare*, omnes deleuit. *Tulit autèm Moyses*, vltrà procedens ad imperium Domini, *Israel de mari rubro*, apud quod fixerat tentoria: non dicas, auferens à spolijs, *& egressi sunt in desertum Sur, ambulauerunt-què tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam*, quod sempèr omnibus, at præsertim itinerantibus est molestissimum. *Et venerunt*, peruenerunt *in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quòd essent amaræ*, proùt nequè filij prophetarum edere de coctione amara cùm Elisæo: *Vndè & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, idest, amaritudinem. Et murmurauit populus contrà Moysen, dicens: quid bibemus?* siti ne conficiemur? *At ille* Moyses *clamauit ad Dominũ* pro aqua, *qui ostendit ei lignũ* ad sanãdas illas: *quòd cùm misisset in aquas in dulcedinẽ versæ sunt*; sic & Eliseus posita farina in olla, & sale in Iericho. credendum lignum habuisse virtutem illam, aliòquin lignum illud in specie non esset ostensum, sed in genere; Vel Deus eo quasi organo, & ministerio vsus: vide quæ dixi de pisce in Tobia, & Act. 5. *Ibi*, in eo loco Deus *constituit*, dedit *ei præcepta, atquè iudicia*, cultus, ceremonias, in quibus ambularent; quæ autèm hæc, incertum: *& ibì tentauit eum, dicens:* dixit ea, ex quibus fieret periculum, experientia fidelitatis populi in futurum; ideò subdit. *Si audieris vocem Domini Dei tui*, si obedieris, *& quòd rectum est coràm eo verè feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisquè omnia præcepta illius*, nullo omisso, *cunctum languorem*, plagas omnes, *quas posui in Aegypto, non inducam supèr te*: de his agit, quia solemus metuere mala, quæ ipsi perspeximus, & quia hæc grandia: *Ego enìm Dominus sanator tuus*, qui possum te ab his eruere, & protegere, proùt feci in Aegypto: quasi, sin minùs, venient supèr te omnia illa mala, & hoc est periculum, experientia, tentatio; & hæc est quædam præparatio populi

puli ad legem dandam, in Sinai recipiendã, & seruandam. *Venerunt autèm in Elim filii Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxtà aquas*. Si primò non erant aquæ, nùnc abundantes: miscet Deus tristibus læta, ex hisquè vitam iustorum reformat.

CAPVT XVI.

PROFECTIQVE sunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est intèr Elim, & Sinai: quintodecimo die mensis secũdi, postquàm egressi sunt de terra Aegypti, & sic in diebus triginta & vno. *Et* deficiente annona, seù pasta ex Aegypto delata, *murmurauit omnis congregatio filiorum Israel*, pars pro toto, *contrà Moysen, & Aaron in solitudine. Dixeruntquè filij Israel ad eos: Vtinàm mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti* ab exterminatore (eccè ingratitudo) Aegyptios percutiente, *quandò* illìc *sedebamus* (quasi tuti, & proùt Scriptura solet sub vite, & ficulnea) *supèr ollas carnium*, in magna abũdantia, *& comedebamus panem*, & alia obsonia; sub pane enìm omnia; *in saturitate*, vt impleremur: *cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* quæ est mors horribilis? leuior illa fuisset à Domino. *Dixit autèm Dominus ad Moysen*, audito hoc murmure: *eccè ego*, prouisurus populo, *pluam* more pluuiæ dabo in magna abundantia *vobis panes de cælo* aereo: *egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eum*, experiar facto (sciebat enìm Deus quid esset in homine futurũ, Io. 2.) cũ sìc satiatum, & alitum *vtrum ambulet in lege mea, an non. Die autèm sexto parent quod inferant* in tentoria ad conseruandum pro die sequenti: *& sit duplum quàm colligere solebant per singulos dies* volens quòd tùm ex duplicata annona in sexta die colligenda, tùm ex abstinentia à colligendo, diem in Dei honorem insumere assuescerent, leuitèr, & suauitèr eos inducere volens ad aliquam obseruantiam sabbati iubendam in lege danda, de qua adhùc nihil in Scriptura. Sed cur volebat illos occupatos qualibet die in colligendo manna? Primò, ne otiarentur, sed occuparentur, præsertim quia nouerat longam moram in deserto secuturam, vt profectio non esset acceleranda. Secundò vt iugis memoria beneficij ex diurna collectione, & miraculo diurno in eis conseruaretur, Deoquè grati diurnas gratias redderent, & ab eo iugitèr dependerent in omnibus; sìc nos à Deo petimus: panem nostrum quotidianum da nobis hodiè; si enìm quæ cõgregauimus, ipse non conseruaret, vndè haberemus panes? *Dixeruntquè Moyses, & Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis*, experiemini *quòd eduxerit vos Dominus de terra Aegypti*, cognoscentes curam, quam gerit omnium vestrum; *& mane videbitis* clarè *gloriam*, maiestatem, potentiam *Domini*, qua gloriosus redditur: sìc Exod. 33. Moyses, ostẽde mihi gloriã tuam, *audiuit enìm murmur vestrum contrà Dominum*, contrà eum quod contra nos putastis facere, nempè vos ad certam ex fame mortem hùc adduxisse, & Aegypti desiderium, quod retinetis, vt cognoscatis iniqua, & vana iudicia vestra: *nos verò quid sumus, quia mussitastis contrà nos?* quasi homines sumus sub imperio Domini viuentes, nec valentes vobis prouidere, nisi Dominus fecerit. *Et ait*, subiunxit *bis Moyses: Dabit vobis Dominus vespere* (eccè quam celeritèr prouideat) *carnes edere, & mane panes in saturitate*, proùt dixistis vobis subministrari in Aegypto: *eo quòd audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contrà eum*, quasi vobis obsequens, etiàm murmur vestrum curans, & attendens *nos enìm quid sumus? nec contrà nos est murmur vestrum*, opus enim nostrum non agimus, *sed contrà Dominum*, qui vos eduxit de Aegypto; sìc Samueli Deus, non spreuerunt te, sed me, & discipulis: qui vos spernit,

ſpernit, me ſpernit. At hìc Deus non iraſcitur, ſed complacet populo fortè iuſta ex cauſa conquerenti, quia defecerat cibus, vel potiùs ex ſua miſericordia parcens multitudini in hoc principio.

Dixit quoquè Moyſes ad Aaron: Dic vniuerſæ congregationi filiorum Iſrael: Accedite coràm Domino, ad columnam nubis, in qua manifeſtabatur, & ex qua reſpondebat: *audiuit enìm murmur veſtrum*, quaſi ob id vocamini; hìnc ſuprà bis, *audiuit murmur veſtrum*, murmurationes veſtras. *Cumquè loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Iſrael* iuxtà mandatum Moyſi, *reſpexerunt ad ſolitudinem*, versùs ſolitudinem. *Et eccè gloria*, maieſtas Domini *apparuit in nube*, manifeſtauit ſe Angelus in ea, quam ducebat, & mouebat. *Locutus eſt autèm Dominus ad Moyſen, dicens: Audiui murmurationes filiorum Iſrael, loquere ad eos:* ſatisfiet vobis citò, *Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus*; etſi enim manna pro cibo, ſpecialitèr pro pane: *ſcietiſquè quòd ego ſum Dominus Deus veſter*, vos protegens, veſtriquè curam peculiarem gerens. *Factum eſt ergò veſpere* iuxtà verbum Domini, *& aſcendens coturnix*, ideſt, coturnices, *cooperuit caſtra* præ multitudine, ita vt illas capere, & ex eis edere commodè potuerint: *mane quoquè ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumquè operuiſſet ſuperficiem terræ* circumſtantis, *apparuit in ſolitudine minutum*, & *quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſupèr terram* ex miraculo, non naturalitèr. *Quòd cùm vidiſſent filij Iſrael, dixerunt ad inuicem: Manhu? quod ſignificat, quid eſt hoc*, quod apparuit? quod videmus? *ignorabant enìm quid eſſet*, quia nouum erat, & mirabile. *Quibus ait Moyſes* ſciens à Deo edoctus: *iſte eſt panis*, cibus, *quem Dominus dedit vobis ad veſcendum*, vt ceſſet murmuratio veſtra. *Hic eſt ſermo*, lex, *quem præcepit Dominus* ſupèr pane hoc: *Colligat vnuſquiſque ex eo quantùm ſufficit ad veſcendum: gomor per ſingula capita, iuxtà numerum animarum veſtrarum* hominum, *quæ habitant in tabernaculo* veſtro *ſic tolletis*, colligetis. *Feceruntquè ità* filij Iſrael, *& collegerunt alius plùs, alius minùs. Et menſi ſunt ad menſuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit ampliùs, nec qui minus parauerat, reperit minus: ſed ſinguli iuxtà id, quod edere poterant, congregauerunt*; sic & Paulus 2. Corinth. 8. 13. & sic in omnibus ſeruata æqualitas ad pacem conducens. *Dixitquè Moyſes ad eos: nullus relinquat ex eo in mane:* volebat eos cõfidentes in Deo. *Qui non audierunt eum*, fuerunt inobedientes, *ſed dimiſerunt quidam ex eis vſquè mane*, vel curioſitatis, vel diffidentiæ cauſa, vel experturi, *&* ex miraculo *ſcatere cœpit vermibus, atquè computruit. Et iratus eſt contrà eos Moyſes*, vt corrigerentur, ad hoc enìm ira in ſuperiore. *Colligebant autèm mane ſinguli quantum ſufficere poterat ad veſcendum. Cumquè incaluiſſet ſol, liquefiebat*; vndè non dabatur mora. *In die autèm ſexta* hebdomadæ *collegerunt cibos duplices, ideſt, duo gomor per ſingulos homines* iuxtà præceptum: *venerunt autèm omnes Principes multitudinis, & narrauerunt Moyſi*, optantes ſcire quid hoc ſibi vellet; nondùm enìm Moyſes id explicauerat. *Qui ait eis: Hoc eſt quod locutus eſt*, præcepit *Dominus: requies Sabbati*, quo nihil colligendum, *ſanctificata*, dicata, ſegregata *eſt Domino*; *cràs* illius cultui ſeruiendum; ideò *quodcumquè operandum eſt* cràs, *facite* hodiè: *& quæ coquenda ſunt* cràs, hodiè *coquite: quidquid autèm reliquum fuerit, reponite vſquè mane* pro Sabbato. *Feceruntquè ità, vt præceperat Moyſes, & non computruit, nequè vermis inuentus eſt in eo*, quia hoc ex Domini iuſſu reſeruatum. *Dixitquè Moyſes* referentibus non computruiſſe: *comedite illud hodiè, quia Sabbatum eſt Domini*, dies requietionis ab omni opere, *non inuenietur hodiè in agro* cibus hic colligendus, *ſex diebus colligite: in die autèm ſeptimo Sabbatum eſt Domini*, dies Domino conſecratus, qui vult illum integrum, & liberum ab omni opere; *idcircò non inuenietur. Venitquè ſeptima dies: & egreſſi* aliqui *de populo, vt colligerent, non inuenerunt:* Fuerunt hæc in primo Sabbato: alij quidèm obedientes, alij increduli, & tentantes. *Dixit autèm Dominus ad Moyſen* reſpectu contrauenientium. *Vſquequò non vultis cuſtodire mandata mea, & legem meam?* quam præſcripſi in cibo colligen-

ligendo? *Videte quòd Dominus* ego, *dederit* dederim *vobis Sabbatum*, diem requiei, *&* *proptèr hoc die sexta tribuit*, tribui *vobis cibos duplices: maneat vnusquisque* die Sabbati *apud semetipsum*, in suis tentorijs orans, meditans, gratias agens Domino*: nullus egrediatur de loco suo* ad colligẽdum cibum *die septimo. Et sabbatizauit*, requieuit *populus die septimo*, cœpit diem illum obseruare in honorem Dei: occasione tanti beneficij Deus suauitèr introduxit cultum in hac die. *Appellauitquè domus*, congregatio *Israel nomen eius* cibi *Man: quod erat quasi semen coriandri album, gustusquè eius quasi similæ cùm melle*: panem Angelorum mãducauit homo, vel per Angelos demissum, vel ad denotandam eius excellentiam, quod credo verius, proùt illud, cedri Dei. *Dixit autèm Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus* mihi*: Imple gomor ex eo; & custodiatur in futuras retrò generationes: vt nouerint panem*, cibum, *quo alui vos in solitudine, quandò educti estis de terra Aegypti*, & glorificetur sempèr nomen meum ex his mirabilibus. *Dixitquè Moyses ad Aaron* pro executione mandati diuini*: Sume vas vnum* aureum ex Paulo ad Hebr. *Et mitte ibì Man, quantum potest capere gomor, & pone coràm Domino ad seruandum in generationes vestras*, vtitur verbo *Domini, sicùt præcepit Dominus Moysi*, mihi. *Posuitquè illud Aaron in tabernaculo reseruandum*; & sic factum hoc multo pòst tempore pòst ædificatum tabernaculum, de quo Paulus ad Hebr. *Filij autèm comederunt Man quadraginta annis* modo suprà dicto, *donèc venirent*, peruenirent *in terram habitabilem*, in qua suppeterent cibi ordinarij*: hoc cibo aliti sunt, vsquequò tangerent fines terræ Chanaan*: & pluit manna supèr iustos, & iniustos, & dùm ei peccauerunt, sed est proprium Dei pascentis aues cæli, quantò magis homines, qui pluris eis sunt? *Gomor autèm decima pars est Ephi.*

CAPVT XVII.

IGITVR *profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas*, quas non refert, *iuxtà sermonem*, vel factum *Domini*, quia iuxtà nubem mouebant, vel sistebant, *castrametati sunt in Raphidim, vbì non erat aqua ad bibendum populo*: omni momento Deo indigent, quaquè die vident mirabilia. hic deest aqua, vt ex miraculo detur. *Qui* populus *iurgatus contrà Moysen*, illum arguendo, *ait: Da nobis aquam, vt bibamus*, verè populi vox in necessitate positi, & ex animo optantis, proùt Rachelis ad Iacob: da mihi liberos, alioquìn moriar: *Quibus respondit Moyses: Quid iurgamini contrà me?* quasi sumnè causa ego defectus huiusmodi? Vel sum ego Deus, qui possim aquam præbere? proùt Iacob Racheli: *cur tentatis Dominum?* ad vindictam aliquam his iurgijs, & murmurationibus vestris, quæ ipsum percutiunt, non me. *Sitiuit ergò ibì populus præ aquæ penuria*: hoc subdit, ne videatur iurgium sinè causa, & necessitate, *& murmurauit contrà Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Aegypto, vt occideres nos, & liberos nostros, ac iumenta siti?* quasi cur non prouidisti tu ductor noster? *Clamauit autèm Moyses* orans *ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic?* quasi, ego impotens sum, tu, qui potens es, doce, suggere, fac: *adhùc paululùm*, fac citò vt soles Domine, quòd si differs, *& lapidabit me* tumultuariè, & popularitèr: hoc & timore ductus posse id euenire, & prouocare volens Deum ad celerem subuentionem, proùt quandò dicebat: aut dimitte ei hanc noxam, aùt dele me de libro, quem scripsisti. *Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populum* (hoc vt erutam aquam inueniret, & satiaretur) *& sume tecum de senioribus Israel*, vt testificentur miraculum, *& virgam, qua percussisti fluuium* mediante Aaròn: dicit de fluuio, quia fuit prima plaga excitata per virgam. Exod. 7. *tolle in manu tua, & vade,*

præi.

præi. *En ego stabo ibì coràm te*, præsens sìc Exod.33. vocabo in nomine Domini coràm te. *suprà petram Horeb: percutiesquè petram* virga, *& exibit ex ea aqua* abundans, *vt bibat populus*, & iumenta. *Fecit Moyses ità coràm senioribus Israel*, vt Dominus imperauerat: *& vocauit nomen loci illius, Tentatio proptèr iurgium filiorum Israel, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: est ne Dominus in nobis, an non?* quasi, derelicti ne sumus, postquàm siti conficimur, & non est auxiliator? Hæc diuersa aqua ab illa Num.20. Hinc non est vera opinio illa, quòd aqua hæc illos sequeretur, quia nō indiguissent nouo miraculo pro noua aqua, Numer. 20. dixi 1. Cor. 10. Barrad. hìc. Lor. Sap. 11. vers.4. quicquid Sanct. Isai.43. num.28. *Venit autèm Amalec* ex aduersò, *& pugnabat* hostilitèr *contrà Israel in Raphidim*. *Dixitquè Moyses ad Iosue*, cui dedit onus prœlij; Dux enim non debet se exponere periculo, vt in Dauid factum, & quia precibus incumbere impellebatur: *Elige* tibi *viros: & egressus pugna contrà Amalec: cràs ego stabo* orans *in vertice collis*, *habens virgam Dei*, qua Deus mirabilia operatur, *in manu mea*, quasi orationibus iuuaberis. *Fecit Iosue vt loquutus erat Moyses: & pugnauit contrà Amalec* infestantem Israel: *Moyses autèm, & Aaron, & Hur ascenderunt supèr verticem collis*. *Cumquè leuaret Moyses manus*, oraret, leuantes puras manus, dicit Paulus; *vincebat Israel*, Iudith. 4. 13. *Sin autèm paululùm remisisset, superabat Amalec:* hoc datum pro signo, & euidentia à Deo victoriam expetendam, ab eoquè recognoscendam; vult enim Deus apparere mirabilia sua, & nemini dat gloriam suam. *Manus autèm Moysi erant graues*, ex nimia mora, fortè sìc tùnc disponente Domino, vt cogeretur aliquandò remittere, dùm Deus volebat Amalec præualere: *sumentes igitùr lapidem, posuerunt subtèr eum, in quo sedit*, vt comodiùs possent Aaron, & Hur stantes tenere manus sedentis: *Aaron autèm, & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte:* vult Deus cooperatores assumi. *Et factum est vt manus illius non lassarentur vsquè ad occasum solis*; ideò factus est locus victoriæ: *Fugauitquè Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij*, in magna occisione: gladios autèm fortè receperant ab Aegyptiorum cadaueribus in mari enectis, ad littus appulsis, & describuntur armatos exisse de Aegypto *Dixit autèm Dominus ad Moysen: scribe hoc ob monumētum* ad memoriam *in libro* posteritati reseruando, *& trade auribus Iosue*, vt obediat; ideò meminit aurium quibus obedientia designatur; *delebo enim memoriam Amalec sub cœlo*, idest funditùs, & præstitit Dominus; nàm contrà Amalec misit Saulem. 1. Regum 15. qui redijt victor Amalec destructo.

Sed cur non tùnc fecit Dominus? cur distulit? vel quia populus alijs intentus, & in via ad Terram promissionis, vel quia nondùm iniquitates Amalec completæ erant, vt in simili de Chananæis. Genes. 15. hìnc iussit describi hæc in libro. *Aedificauitquè Moyses altare* ad sacrificandum, & reddendum gratias, *& vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea*, recognoscens à Deo victoriam, *dicens*, & prophetans *quia manus* flagellum *solij* stabilis, firmi, potentis, & insuperabilis *Domini, & bellum Domini*, non nostrum, agit de Deo, tanquàm de Rege *erit contrà Amalec à generatione in generationem*, in sæculis futuris, Deuteron. 25.17. Sic dicimus vulgò, potentia talis Regni, vel Regis erit, est cōtrà talem nationem, quasi velit dicere: non euadet Amalec, differetur eius destructio, sed tandèm fiet, quod fuit tempore Saulis.

CAPVT XVIII.

CVMQVE audiſſet Iethro Sacerdos Princeps *Madian*, *cognatus*, ſocer *Moyſi*, *omnia*, *quæ fecerat Deus Moyſi*, *& Iſraeli populo ſuo*, *& quòd eduxiſſet Dominus Iſrael de Aegypto*: *tulit Sephoram vxorem Moyſi*, *quam remiſerat*, redierat eo conſentiente. Exod. 4. 26. quod hìc colligitur ad declarationem illius loci: *& duos filios eius*, quos in Madian genuerat, *quorum vnus vocabatur Gerſam*, *dicente patre*, imponente illi hoc nomen: *aduena fui in terra aliena*, & prætèr ſpem filium genui. *Alter verò Eliezer*. *Deus enìm*, *ait*, *patris mei* Abraham *adiutor meus*, *& eruit me de gladio Pharaonis*, & sic in filij nomine perpetuas gratias Deo reddebat. *Venit ergò Iethro cognatus Moyſi*, *& filij eius*, *& vxor eius ad Moyſen in deſertum*, *vbi erat caſtrametatus iuxtà montem Dei*, Horeb ſcilicèt, *& mandauit Moyſi*, *dicens*: miſit, ſeù ſignificauit sìc Genef. 45. hæc mandat, ſignificat filius tuus Ioſeph: *Ego Iethro cognatus tuus venio ad te*, *& vxor tua*, *& duo filij tui cùm ea*. Vide morem antiquum præſignificandi aduentum. *Qui* Moyſes *egreſſus in occurſum cognati ſui*, hinc mos obuiandi. Geneſ. 14. Hebr. 7. vbi dixi. *adorauit*, ſe illi humiliando, *& oſculatus eſt eum*; hìnc honor, & gratitudo Moyſis ergà ſocerum, à quo exceptus fuit aduena: *ſalutaueruntquè ſe mutuò verbis pacificis*, de ſtatu ſuo interrogantes. *Cumquè intraſſet* Iethro *tabernaculum*, tentorium, vt ſolent Duces in campeſtribus, non tabernaculum Dei, quod nondùm erat fabricatum, *narrauit Moyſes cognato ſuo* percunctanti, & ſcire ex ore eius optanti, quæ ex fama audierat, *cuncta quæ fecerat Dominus* mala, & prodigia *Pharaoni*, *& Aegyptijs proptèr Iſrael*, ad defenſionem, & exaltationem populi Iſrael, *vniuerſumquè laborem*, *qui accidiſſet eis in itinere*, *& quòd liberauerat eos Dominus*, multa miracula operando, de quibus dictum. *Lætatuſquè eſt Iethro ſupèr omnibus bonis*, *quæ fecerat Dominus Iſraeli*, *eò quòd eruiſſet eum de manibus Aegyptiorum*, proùt Moyſes narrauerat; *& ait*: *Benedictus Dominus*, laus ſit Domino, *qui liberauit vos de manu Aegyptiorum*, *& de manu*, poteſtate *Pharaonis*, *qui eruit populum ſuum de manu Aegypti* in exitu de illa. *Nùnc* hæc mirabilia audiens, & videns *cognoui* certò, *quia magnus Dominus* veſter *ſupèr omnes Deos*, omnes alios deos gentium excedit, contrà Aegyptios pro populo ſuo sic agendo, & mirabilitèr operando, & puniendo: *eò quòd ſuperbè*, contumacitèr, durè, tyrannicè, contrà ius Aegyptij *egerint contrà* illos, populum ſuum: quaſi, Aegyptij sic meruerunt malè contrà populum agentes. *Obtulit ergò Iethro cognatus Moyſi holocauſta*, *& hoſtias Deo* per eos, qui tùnc Domino miniſtrabant Hebræos, tùnc enìm miniſterium nequè ad Leuitas, nequè ad primogenitos erat reſtrictum, vt alibì dixi, vel per ſeipſum, vt infrà, id præſtitit, ex gaudio, quod conceperat de felici ſucceſſu generi ſui Moyſis, & populi: *veneruntquè Aaron*, *& omnes ſeniores*, principes *Iſrael*, *vt comederent panem*, ad conuiuium *cùm eo coràm Deo*: vel in loco, vbi litatum: vel in hilaritate, & charitate, & ſinceritate; puto enìm conuiuium omnibus his à Moyſe Duce exhibitum in tabernaculo ſuo, vt ſolent Duces exercitus.

Sed quæritur hìc quo tempore Iethro acceſſerit ad Moyſen. dic vt in littera, nempè menſe tertio egreſſionis de Aegypto. de quo infrà in princ. cap. 19 tùm ex ordine litteræ, tùm quia in principio huius cap. innuitur veniſſe cùm vidiſſet mirabilia, quæ infrà dictum tempus interceſſerunt; Nec præſumitur vel Iethro moram interpoſuiſſe in officio ergà Moyſen exhibendo; vel Moyſen diù ſtare voluiſſe abſquè vxore, & liberis, imò ſi Iethro nó acceſſiſſet, ipſum miſſurum fuiſſe ad illos euocandos.

Nec obſtat: *Iethro venit* ad locum, *vbi caſtrametatus erat* Moyſes *iuxtà montem DEI*, & tùnc erat in Raphidim; nàm dictu-

dicturus de loco hoc. cap. 19. seq. præmittit hoc factum Iethro. Vltrà quod erat, & primò suprà petram Horeb, qui & Sinai. Non obstat Deuteron. 1. quia ibi non seruat ordinem, sed cõmemorat quædam gesta magna, intèr quæ, gesta in Horeb: & referens hoc factum Iudicum electorum dicit non præcisè, sed illo in tempore, quo nescimus; Vndè ex eo textu non potest quicquam certi in contrarium elici.

Non obstat Num. 10. 29. quia Hobab non erat Iethro, sed filius Raguel, qui & Iethro. Exod. 4. de quo hìc nihil actum, sed tantùm de patre Raguele; & Hobab iuit cùm Moyse, & acquieuit deprecanti, hinc Iud. 1. 16. fit mẽtio Cinæi cognati Moysi. & Iud. 4. 11. & Iethro recessit à Moyse, & redijt in patriã suam, vt hìc, neque cùm Iethro verba dicta ad illum retinendum; imò nulla mentio Iethro, qui iàm abierat alio tempore, si enim tùnc ibi fuisset, eò magis cùm eo habita essent verba pro illo retinẽdo. Vndè fortè Hobab venit ad Moysen alio tempore absquè patre, & si cùm patre, remansit patre abeunte cùm Moyse, nec cures etiamsi Scriptura non explicet Hobab remãsisse, quia satis est non dicere illum abijsse, proùt de Iethro hìc dictum in fin. cap. tùm quia cognoscimus remansisse. Iud. 1. 16. 4. 11. in simili non dicitur. Genes. 33. 15. Iacob iuisse in Seir, & tamèn credendum iuisse, ne Esau, cui promiserat, irritaret; non enim omnia explicantur in Scriptura, sed multa vult nos subintelligere.

Non obstat Num. 12. quia postquàm ibì manserat per illud tempus Sephora natum est iurgium; nec vrget vt tùnc venerit, cùm natum est iurgium, quia nihil de hoc, quarè standum litteræ.

Non obstat Iethro obtulisse holocausta, & hostias, quia & antè legem hæc offerebãtur; sic Abel. Genes. 4. Noe. Genes. 8. 20. Abraham Genes. 15. & 22. 2. & Isaac, & Iacob, & alij sæpè, dùm altaria ædificarunt, præsertim. Genes. 46. 1.

Altera autèm die sedit Moyses, vt iudicaret populum; hinc introducta sessio in ferente sententias, vt ex quiete corporis cognoscatur quies mẽtis, nec affectione, vel passione alia moueri; *qui assistebat Moysi à mane vsquè ad vesperã. Quod cùm vidisset cognatus eius, omnia scilicèt, quæ agebat in populo*, laborẽ, quẽ sustinebat, *ait* postquàm ingressi sunt tabernaculũ, non coràm alijs, sed absq. arbitris; vndè posteà Moyses in populũ hæc deduxit, & executioni mandarunt. Deut. 1. 10. cùm seqq. *Quid est hoc, quod facis in plebe? cur solus sedes*, nullum ad tantùm opus assumens, *& omnis populus* ob multitudinem litium *præstolatur* tempus conterens *à mane vsquè ad vesperam? Cui respondit Moyses: Venit ad me populus quærens sententiam*, sensum, iussionem *Dei*, in his quæ ad Deum. *Cumquè acciderit eis aliqua disceptatio*, lis, controuersia, *veniunt ad me, vt iudicem intèr eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius* diffinientes lites illas, & cõtrouersias. *At ille* Iethro: *Nõ bonam, inquit, rem facis*, nõ rectè ambulas in hoc negocio: *stulto*, vano *labore consumeris*, frangeris, *& tu, & populus iste, qui tecum est*, tandiù ob hæc præstolantes, & tempus conterentes, *vltrà vires tuas est negocium, solus illud non poteris sustinere* diù. *Sed audi verba mea, atquè consilia*, ausculta mihi, *& erit Deus tecum*, & Deo placebis, gratum habebit Deus. *Esto tu* seruiens *populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur* à populo *ad eum* spectantia; & sic in caussis maioribus. *Ostendasquè populo ceremonias, & ritum colendi, viamquè per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant* ad religionem spectans id antè legem datam, quia & antè illam religio, & cultus Dei erat. *Prouide autèm de omni plebe* populo, *viros potentes*, primarios, *& timentes Deum, in quibus sit veritas*, mendacijs non incumbentes, *& qui oderint auaritiam*, ne muneribus corrumpantur, *& constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore* diei, ne vna hora tot præstolentur, & tempus terant; *quidquid autèm maius fuerit*, maiores causas, & grauiores *referant ad te, & ipsi minora tantummodò iudicent*, & diffiniant, *leuiusquè sit tibi quod facis, partito in alios onere* modo à me dicto. *Si hoc feceris, implebis imperium Dei:* docet hinc quomodò erit secum Dominus, *& præcepta eius poteris sustentare* circà po-

puli gubernium, *& omnis hic populus reuertetur ad loca sua*, tentoria *cùm pace*, controuersijs diffinitis.

Quibus auditis, Moyses fecit omnia, quæ ille Iethro *suggesserat:* quo tempore, & an illicò, ignoramus, dans exemplum maioribus inferiorum consilijs acquiescendi. *Et electis viris strenuis de cuncto Israel*, à populo propositis, Deuter. 1. *constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Qui iudicabant plebem omni tempore*, quod erat ei valdè commodum *quidquid autèm grauius erat, referebant ad eum*, Moysen, *faciliora tantummodò iudicantes:* Hinc ad Sedem Apostolicam referuntur maiores, & spirituales causæ, præsertim Episcoporum, & fidei, &c. *Dimisitquè cognatum suum, qui reuersus abijt in terram suam*, in Madian.

CAPVT XIX.

MENSE *tertio egressionis Israel de terra Aegypti, in die hac*, idest, in prima mẽsis tertij, vel *hac*, in qua gesta sũt memorabilia, quę narrat, *venerunt in solitudinem Sinai. Nàm profecti de Raphidim, & peruenientes vsquè in desertum Sinai* pluribus, vt credo, mansionibus, quia cùm essent in Raphidim, anteceſſit Moyses vsquè ad petram Horeb, & ibì quieuit populus pro siti; & sermo denotat plures mansiones, dicitur enìm: *Et peruenientes vsquè, &c.* & cognoscitur, quia die trigesimo ab egressione erant intèr Elim, & Sinai. Exod. 12. 1. *& venerunt in solitudinẽ Sinai* diebus quindecim, vt hìc; vndè non potest dici, *die hac*, idest, eadem, qua discesserunt ex Raphidim, tùm quia indiguerunt maiori spatio temporis à Raphidim ad aquam, tùm quia pugnatum contrà Amalec, erectum altare, litaturi; minùs potest dici die tertia, proùt dixit *mense tertio*, quia non videtur congrua locutio. vide Serrar. Ios. lib. 4. quæst. 11. & Magal. in Act. Ios. ana. ing. ter. Chan. sect. 4. an. 3. fol. 31. *castrametati sunt in eodem loco, ibiquè Israel fixit tentoria è regione*, ex aduersò *montis:* hoc explicat, volens subdere quid diuersum de Moyse; vndè nihil actũ hìc pro Deo videndo, & adorando dùm transiret. *Moyses autèm ascendit ad Deum, vocauitquè eum Dominus de monte*, de parte eminentiori, seù cælo, seù aere suprà montem, *& ait: Hæc dices domui Iacob, & annunciabis filijs Israel:* idem per diuersa, vocat autẽ eos ab vltimo magìs noto, & maiori posteritate honorato: sequentia tendunt ad inflammandum Israelitas ad amorem in Deum, à quo incipit tamquàm à via filiali, & optata, commemorando beneficia in eos collata, & conferenda. *Vos ipsi vidistis* præterita (non sunt hæc ab alijs quærenda, non incerta) vestris oculis, *quæ fecerim Aegyptijs* mala, & flagella: è conuersò *quomodò portauerim vos supèr alas aquilarum*, proùt solẽt aquilæ filios tutò; vndè in Cant. Deut. 32. sicùt aquila prouocans ad volandum pullos suos, & supèr eos volitans, expãdit alas suas, & assumpsit, atquè portauit in humeris suis: *& assumpserim mihi* quasi in sinum, in populum peculiarem, & vti filium meum; vndè: ex Aegypto vocaui filium meũ; & alibì primogenitum: quasi, nihil vobis defuit; proùt Christus: quandò misi vos sinè pera, & sacculo, aliquid vobis defuit? *Si ergò audieritis vocem meam* (nùnc ad eandem directionem ex consecuturis beneficijs) si mihi obedieritis, *& custodieritis pactum meum*, legem promulgandam in pactum deducendam (hinc vult ad eos hæc deferri, vt habeat consensum, & vt ad illam disponantur) & vt sim vobis in Deum, *eritis mihi in peculium* gratum, acceptum, proùt thesaurus vobis, *de cunctis populis*, præ cunctis populis, & nè putarent alios populos ei nõ subijci, subdit: *mea est enim omnis terra*, Dominus sum omnium. *Et vos eritis mihi in regnũ sacerdotale*, principale, cui non detur æquale; si enìm dicitur sacerdos princeps, sic *sacerdotale* principale, *& gens sancta*, præcipua,

cipua, segregata, dicata mihi. *hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel.*

Venit, descendit *Moyses* mediator intèr Deum, & populum, *& conuocatis maioribus natu populi*, primoribus, *exposuit omnes sermones, quos mandauerat*, iusserat *Dominus* eisdem deferri. *Respondit què omnis populus simùl* alta voce: *Cuncta, quæ locutus est Dominus faciemus. Cumquè retulisset Moyses verba populi* consentientis *ad Dominum, ait ei Dominus: Iàm nùnc veniam ad te in caligine* tenebrosa *nubis*, seù caliginosa nube, *vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibì in perpetuum* viuenti, & te mortuo scripturis tuis. *Nunciauit ergò Moyses verba populi ad Dominum:* replicat, quod dixerat, subiuncturus quæ ad hanc relationem faciebant. *Qui Dominus dixit ei* Moysi: *Vade*, redi *ad populum*, *& sanctifica*, munda, mundari iube *illos hodiè, & cras, lauentquè vestimenta sua*, àb externa ad internam lotionem trahere volens; sìc iussit Iacob familiæ suæ sacrificaturus, Gen. 35.2. abijcite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini; ac mutate vestimenta vestra; hìc autèm non mutantur, quia non omnes, maximè pauperes habent duplicia, sed vnicum seruiuit pro annis quadraginta; non enim attrita sunt eorum vestimenta toto tempore; in die enim tertia descendet dominus coram omni plebe supèr montem Sinai in aere, vel cælo aereo in caligine nubis, vt dixit. *Constituesquè terminos populo* quos non transgrediatur, *per circuitum* montis, *& dices ad eos: cauete* (suprà ad dilectionem, nùnc ad timorem eos prouocat) *ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius*, vt magis *terreat*, sic Eua: & ne tangeremus illum, Gen. 3. sic suprà c. 12. ne quicquam fermentatum esset in domibus eorum, ad maiorem horrorem, & tolleretur occasio præuaricandi: *Omnis qui tetigerit montem* contrà hoc præceptum, *morte morietur. Manus non tanget eum*, non per hominem occidetur, non iudicialitèr, *sed* illicò *lapidibus opprimetur* è cælo deiectis, *aut confodietur iaculis* eiaculatis: *siuè iumentum fuerit, siuè homo, non viuet*. Vel meliùs *manus non tanget eum*, nemo intrabit illum occisurum cominùs, *sed* eminùs *lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis* à circumstantibus. *Cùm cœperit clangere buccina*, quasi euocans illos, *tùnc ascendant in montem* tuti in loco designato, ad radicem montis, & sic actum infrà vers. 17. *Descenditquè Moyses de monte ad populum*, & iuxta præceptum Domini *sanctificauit eum*, mundari iussit. *Cumquè lauissent vestimenta sua, ait ad eos: estote parati in diem tertium* audituri Deum loquentem, *& ne appropinquetis vxoribus vestris:* Si hi audituri hoc iubebãtur facere, quid sumpturi Sanctissimum Sacramentum? ex hoc fortè desumptum. *Iamquè aduenerat tertius dies* præstitutus, *& mane inclaruerat*, Deus non moratur; non dormitabit, nequè dormiet qui custodit Israel: *& eccè cœperunt audiri tonitrua*, voces, *ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem* Sinai: *clangorquè buccinæ vehementiùs perstrepebat*; sic antè iudicium in sono tubæ, in nouissima tuba, &c. hæc omnia credo vera, non repræsentata; nam Scriptura non vtitur verbis improprijs, quasi vel in specie, sed proprijs, & aderat fumus. vide Heb. 12. 18. Psal. 67. 9. in igne Dominus, in rubo, in columna antè iudicium, in igneis linguis, Act. 2. *& timuit populus qui erat in castris. Cumquè eduxisset eos Moyses in occursum Dei* in monte se manifestantis *de loco castrorum*, in quo priùs stabant, *steterunt* fixi *ad radices montis* iuxtà iussionem. *Totus autèm mons Sinai fumabat: eò quòd descendisset Dominus supèr eum in ignè*, in nube caliginis, & ignis, *& ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratquè omnis mons terribilis* ex huiusmodi signis. *& sonitus buccinæ paulatìm crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur: Moyses loquebatur*, qui ascenderat in caligine nubis, dimisso populo ad radices montis, vel proùt infrà dicit, vocatus, *& Deus respondebat ei. Descenditquè Dominus supèr montem Sinai* modo iàm dicto in ipso montis vertice, *& vocauit Moysen in cacumen eius. Quò cùm ascendisset, dixit ad eum: descende, & contestare populum, ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo*; sic aliàs Moysi, & Iosue: ne appropies hùc, locus in quo stas, terra Sancta est, solue calceamenta de pedibus tuis.

Sacer-

Sacerdotes quoquè, Principes (quia adhùc nullus Sacerdos, sed omnes sacrificabant; vndè tàm Abel, quàm Cain, tàm Moyses, quàm Aaron) *qui accedunt ad Dominum*, qui propinquiùs quàm populus, seù plebs solent stare, *sanctificentur*, mundentur, *ne percutiat eos* Dominus. *Dixitquè Moyses ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere*, non ascendet, absquè eò quòd iterùm moneam, *in montem Sinai: tu enim* Deus *testificatus*, protestatus *es*, *& iussisti*, *dicens: Pone terminos circà montem*, *& sanctifica illum:* & ego id præstiti, nec ipsi vltrà terminos positos procedent. *Cui ait Dominus: Vade, descende*, quia ex iterata iussione tanto minùs audebunt transcendere terminos: *ascendesquè tu*, *& Aaron tecum; Sacerdotes autèm*, Principes, *& populus ne transeant terminos*, *nec ascendant ad Dominum*, ad me, *ne fortè interficiat*, interficiam *illos*. *Descenditquè Moyses ad populum*, *& omnia* sibi dicta à Domino *narrauit eis*, vt cauerent, & obedirent, & deindè ipse, & Aaron ascenderunt ad Dominum.

CAPVT XX.

LOCVTVSQVE *est Dominus cunctos sermones hos*, quos subijcit: *Ego sum Dominus Deus tuus*, *qui eduxi te de terra Aegypti*, *de domo seruitutis*, quasi de terra tibi amara, in qua seruiebas oppressus grauibus oneribus: de fornace ferrea. Hoc præmittit Deus, vt in memoriam reducant tantum beneficium, & ab illo, non ab alio illud recognoscant, & deindè vt grati libentèr assumant leges promulgandas: eumdem scopum retinuit cap. 19. 4. & vt inferat si à seruitute vos eripui, cessistis mihi victori, & liberatori vestro, ideò mihi cultus debetur à vobis: simili argumento vtitur Paulus in Epistolis, loquens de Christo liberante nos à seruitute diaboli, & legis, vt facti simus ipsius serui, & legis suæ.

Non habebis deos alienos coràm me, ergò nullibì; quia Dominus vbiquè, Dominus cuncta videt, nihil ei occultum: nemo potest duobus dominis seruire; non potestis Deo seruire, & mammonæ; non stat Dagon cùm Arca: declarat, vt magìs à tanto peccato auertantur.

Non facies, dolabis *tibi sculptile*, *nequè omnem similitudinem*, *quæ est in cælo desupèr*, *& quæ in terra deorsùm*, *nequè eorum*, *quæ sunt in aquis sub terra*, vt impiè illis adorationem præbeas, sic aduertebat Baruch. c. 6.

Non adorabis ea, *nequè* vllo alio modo *coles: Ego sum Dominus Deus tuus fortis*, potens, qui in fortitudine mea, & potentia, vt expertus es, eduxi te de Aegypto: *Zelotes*, quasi zelotipus, amator non admittens socios, procos, *visitãs iniquitatẽ patrũ in filios in tertiam*, *& quartam generationem eorum*, *qui oderunt me*, malè operantium, & dic *in tertiam*, *& quartam generationem* etiàm bonam, non sequentem peccata patrum, & sìc loqui de peccatis patrum in filijs puniendis, non de peccatis filiorum vt latè defendo Deut. 5. *& faciens misericordiam in millia*, idest nedum *in tertiam*, *& quartam generationem*, *his qui diligunt me*, *& custodiunt præcepta mea:* primum pœnæ seruit ad illos auertendos à malo: secundum misericordiæ ad illos inducendos ad bonum, ex hisquè apparet misericordiam in Deo præualere, hucusquè primum præceptum. *Non assumes* nedum iurando, sed quouis alio modo simplicitèr *nomen*, seù gloriam *Domini Dei tui in vanum*, sed nomen illud veneraberis, *nec enim habebit insontem*, à pœna liberum *Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà:* à comminatione pœnæ præceptum fundat.

Memento vt diem Sabbati sanctifices, cultum in ea die mihi exhibendo, præcipuam habeas, separatam à diebus alijs. *Sex diebus operaberis*, *& facies omnia opera tua* vtilia, quæ etiàm ad Sabbatum necessaria fuerint, illa anticipando. *Septimo autèm die Sabbatum*, requies ab operibus *Domini Dei tui est*,

tui est, illi dicatum. *Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intrà portas tuas:* subdit de subiectis, ne æstimarent illos non comprehendi, & aduenas, ne hi viderentur contemnere & exemplo suo ad opus alios adducere. Hinc collige aduenas teneri ad festa in loco, in quo degunt, & peregrinantur: electio, & deputatio diei ad Deum colẽdum fuit opportuna, quia omnes in idem conueniunt, & fiunt orationes gratiores, & magis exaudibiles; vbi enim fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo*, cessans ab opere: Vndè non rectè dicitur antè, vel pòst sex dies Deum aliquid operatum esse ex hoc textu claro, vt dixi, Gen. 1. *idcircò benedixit Dominus diei sabbati*, requiei, & *sanctificauit*, segregauit *eum* ab alijs, in quibus operatus est; & sic exemplo Dei, quem teneris imitari, & tu sabbatum obseruare debes.

Honora nedum verbo, & lingua, sed opere, & veritate, necessaria exhibendo, dum egent, *patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus supèr terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, quasi, si non honorabis, longæ vitæ non eris, quia sicùt Deus remunerat in eo, quod benè, sìc punit in eo, quod malè agimus, hìc verò de longæuitate, quia sicùt vitam à parentibus recognoscimus, sìc à Deo conseruationem eiusdem, si grati erimus illi, à quo vitam habuimus: hoc dicitur primum mandatum in promissione à Paulo Eph. 6. 2.

Non occides: ad imaginem quippè Dei factus est homo; ideò hoc respiciens proximos præmittit, & iàm de illo dixerat pòst diluuium, Gen. 9. 6. indicans quàm grauitèr tulerit homicidium primum in Abel. Gen. 4. *Non mœchaberis*, non adulterabis; sìc malè Ruben in nouerca vxore Iacob patris sui, Gen. 35. 22. vndè meruit primogenitura priuari, Gen. 49. 3. & Corinthius apud Paulum 1. Cor. qui fuit excommunicatus: ponit præcepta in his, in quibus iàm præuaricatum,

Non furtum facies, quia subuertitur ordo rerum, de hoc, quia frequens; de facili enim inhiamus alienis; vicinum pecus sempèr habet meliora vbera: cœperunt gigantes, Gen. 6. & Nemrod. Gen. 10. 8. subijcientes sibi alios; Rachel furata est idola patris, Gen. 31. 19. *Non loquèris contrà proximum tuum falsum testimonium*; nàm vltra præiudicium proximi, ad quod resarciendum teneris, imitaris diabolum mendacem, & mendacij patrem. *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt:* hoc tendit ad maiorem perfectionem; Vndè estote perfecti sicut & pater vester cælestis perfectus est, & prohibendo ea, per quæ ad primò prohibita peruenitur, tantò magis censentur prima prohibita, & tantò magis vult eos alienos ab illis. Reducuntur à Christo hæc decem præcepta ad duo, dilectionem Dei, & proximi, quæ manifestatur ex operibus, nàm exhibitio operis est signum dilectionis: Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & si ergà proximos hæc seruamus, vtiquè eos diligimus, nolentes eis fieri quod nobis nolumus, & volentes eis quod nobis; vndè mandatum nouum dilectionis à Christo datum, est explicatio, & declaratio horum, quæ tamèn dilectionem in se continebant; hincquè malè illi, & odio habebis inimicum tuum, à Christo reprehensi: sed charitatem omnia hæc vitantem depingit Paulus 1. Cor. 13. *Cunctus autèm populus videbat voces, & lampades*, fulgura, *& sonitum bucinæ, mòntemquè fumantem: & perterriti, ac pauore percussi steterunt procùl* etiàm à terminis, ad quos dabatur accessus, *dicentes Moysi*, postquàm Angelus cessauerat loqui, & finierat decem præcepta: *loquere tu nobis*, quicquid iubet Dominus, refer, *& audiemus*, obediemus: *non loquatur nobis Dominus*, non audiamus voces Domini nobis terribiles; vox Domini confringentis cedros altas, superbos quosque; sic in Transfiguratione perterriti discipuli à voce Patris, & alibi, vt notaui Act. 2. vide Abulen. Math. 17. q. 92. vbi cur Dominus in his vocibus horribilibus, *ne fortè* non hìc dubitantèr, sed affirmatiuè ponitur; sìc posset dici in Eua, Gen. 3. ne fortè

fortè moriamur ex timore concussi *moriamur*; sic ad apparitionem superiorum substantiarum pauemus, vt dixi 1. cap. Euang. in Zacharia *Et ait Moyses ad populum: nolite timere*, pax vobis, & securitas; *vt enim probaret vos*, experientiam de vobis faceret, *venit*, apparuit Deus, Angelus, *& vt terror illius*, quem probastis, *esset*, remaneret iugitèr *in vobis*, *&* timore pressi *non peccaretis*, non auderetis in eum peccare. *Stetitquè populus de longè* non ausus accedere: iussit Deus vt abirent in tentoria, & remaneret ipse alia auditurus, Deut. 5. 31. *Moyses autèm accessit ad caliginem*, tenebras, *in qua erat* & loquebatur *Deus*, Angelus *Dixit prætereà Dominus ad Moysen* solum, annuens facto ipso voluntate populi non ferentis vocem eius: *Hæc dices filijs Israel: Vos vidistis quòd de cælo* aereo *locutus sim vobis. Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis:* inculcat quod grauius erat, & ad quod proni erant, & in Aegypto viderant abominabile.

Altare de terra facietis mihi: de terra, vt sit stabile ad sustentanda oblata, & quia ignis adhibebatur, *& offeretis supèr eo holocausta, & pacifica vestra, oues vestras, & boues in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei*, in quo mihi offerendum fuerit, in quo mihi offeretis, vel in quo iussero mihi sacrificari, vel elegerim vt inuocetur nomen meum; at in multis, de quibus hic per Abulensem, sacrificatum. *veniam ad te* offerentem, sicùt illud: ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus; *& benedicam tibi*, multiplicabo, augebo te. *Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum supèr eo, polluetur:* hoc ad distinctionem altarium gentilium, quæ poliebant; & vt, perfecto sacrificio, illicò destruerétur, ne supèr his offerrerentur ab Ethnicis idolòthita: etsi in templo fuerit diuturnum, quia ibi nulla suspicio, & quia locus erat electus stabilis, & firmus. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua:* in hoc requirit castimoniam, & puritatem, & pudicitiam.

CAPVT XXI.

HAEC *sunt iudicia*, leges, statuta, *quæ propones eis* seruanda. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis:* hoc fortè dispositum, ne assuescerent, sed abstinerent ab emptione fratrum suorum in seruos; at hoc in voluntarijs procederet, non in emptis ab extraneis, quia potiùs id cedebat in beneficium seruorum emptorum. *Cùm quali veste intrauerit, cùm tali exeat: si habens uxorem, & uxor egredietur simùl:* noluit in quoquam grauari, sed dimitti eo modo, quo receptus. *Sin autèm dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios, & filias: mulier & liberi eius erunt domini sui*, quia à Domino hæc processerant, non ille habuerat, *ipse verò exibit cùm vestitu suo*, quem tulit (eccè dissolutio matrimonij) *Quòd si dixerit seruus: diligo dominum meum, & uxorem* quam dedisti, *ac liberos*, quos ex ea genui, *non egrediar liber*, nolo egredi, nimio amore eos prosequor, non possum ampliùs ab eis separari: *offeret eum dominus Dijs*, iudicibus populi, *&* de licentia eorum, audito seruo, *applicabitur* publicè *ad ostium, & postes* publicos, sicùt enim de licentia Iudicis fiebat, sic in loco publico præsumitur factum, *perforabitquè aurem eius subula*, quo actu obedientia significatur ab eo debita domino; iuxtà illud, aures autèm perfecisti mihi, Psal. 39. *& erit ei seruus in sæculum*, vsquè ad Iubileum; quod denotatur illa perforatione sempèr manente: At cur coràm Dijs, cur licentia accepta, cur perforatio auris? perforatio quidèm non erat actus, qui infamiam irrogaret, sed gratum animum serui ostenderet, & dilectionem ergà uxorem, & filios: æternam, vt dixi, seruitûtem denotaret; non ergò vt ob hunc actum auerterentur serui à continuãdo in seruitute; dic ergò,

ergò hæc omnia iniunxisse Deum, quia difficultèr credi poterat, eos qui libertatem, quæ non benè venditur toto auro, & cui nihil comparari potest, potiri poterant, velle seruitutem, & suspicio erat, ne vi, vel mœtu ad id à dominis cogerentur, præsertim cùm serui viles, & timidi sint, & Domini in eos soleant esse acerbi, hinc Leuit. 25. fratres autèm vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam; ideò Deus volens his prouidere, & rem sinceram reddere, iussit vt Domini intèr eos, & seruos hæc agere non possent, sed vt iudices adirentur, qui perspectam rem haberent ex interrogationibus seruorum, & dominorum, & decernerent quid agendum, & tùnc etiàm Domini non furtiuè, seù clàm perforarent aurem, sed publicè, vt si seruus vi, mœtu, vel blanditijs deceptus esset, posset alijs hæc manifestare.

Si quis vendiderit filiam suam in famulam, concubinam, *non egredietur* è domo domini *sicùt ancillæ exire consueuerunt. Si* postquàm cognita *displicuerit oculis domini sui, cui tradita fuerat, dimittet eam*, eccè repudium: *populo autèm alieno*, gentili *vendendi non habebit potestatem, si spreuerit eam:* similia verba Deut. 24. aliòquin fieret peioris conditionis, & alieni dominarentur Hebræis. *Sin autèm filio suo despònderit eam, iuxtà morem filiarum suarum faciet illi*, tractabit proùt filias tractare solet. *Quòd si alteram ei* filio *acceperit, prouidebit puellæ* primæ *nuptias* alias, *& vestimenta, & pretium pudicitiæ non negabit*, dabit dotem: eccè alia dissolutio matrimonij: *Si tria ista non fecerit, egredietur gratis*, libera *absquè pecunia* refusa.

Qui percusserit hominem volens occidere per insidias, quod apparet ex circumstantijs, *morte moriatur*, occidatur: hoc & multa alia vergunt in declarationem præceptorum decalogi, quæ distinguuntur, & declarātur. *Qui autèm non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius* fortuitò: *constituam tibi locum, in quem fugere debeat*, tutusquè manere, proùt nùnc in Ecclesijs, & locis sacris. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur*; sic actum cùm Ioab per Salomonem, sìc enim occiderat Amasam; & Abner; hìnc homicida talis arcetur à sacrificando, seù ab ordinibus. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem* (graui percussione intellige) *morte moriatur:* si enim modica, non haberet locum tanta pœna: tamèn obstat: quod dicit infrà de maledictione.

Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuinctus noxæ, delicti, *morte moriatur*; æquum est enim homines esse tutos.

Qui maledixerit contumeliosè *patri suo, vel matri, morte moriatur. Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lectulo: si surrexerit, & ambulauerit foris supèr baculum suum* innixus, proùt solent valetudinarij, *innocens erit* à pœna mortis, *qui percusserit, ità tamèn vt operas eius, & impensas in medicos restituat:* hoc, quia nulla industria, nullæ insidiæ, abfuit animus occidendi, quia lapide, vel pugno vsus, rixa improuisa. At obseruandum hìc quis auctor rixæ, quia auctori rixæ ni excedatur, non refundentur operæ, vel expensæ.

Qui percusserit seruum suum, vel ancillā virga, & mortui fuerint in manibus eius, dum percutit, *criminis reus erit*; excessit enìm in correctione, audiens, & videns moribundum, seù morti proximum. *Sin autèm vno die, vel duobus superuixerit*, quia non apparet atrocitas tanta, & æstimauit se non acerbè verberasse, seù ad mortem, sed ad correctionem, *non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est*; non enim præsumitur voluisse occidere qui damnum passus est.

Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierē prægnantem, & abortiuum quidèm fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri taxantes *iudicauerint:* hoc quia dabat operam rei illicitæ rixando; si enim dedisset operam rei licitæ, & adhibuisset quam debebat diligentiam, nihil pateretur. *Sin autèm mors eius* mulieris *fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore*, vt pœna conformis sit deli-

delicto; hinc suprà loquitur de fœtu inanimato, tamèn si animatus esset, eamdem poenam subiret, quam hic. *Si percusserit quispiam oculum serui sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit:* hoc inductum, vt serui benè tractentur à dominis, & meminerint homines esse ad similitudinem Dei factos, non belluarum, & de hoc præmonet sæpè Paulus in Epistolis. *Dentem quoquè si excusserit seruo, vel ancillæ suæ, similitèr dimittet eos liberos;* videtur enim nimia seueritas, & grauis dolor; ideò sic statutum. *Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius:* sic dictum Genes. 9. 5. Sanguinem enim animarum vestrarum requirā de manu cūctarum bestiarum; *dominus quoquè bouis innocens erit*, nullam patietur pœnam, quia ignorabat. *Quòd si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiustertius, & contestati sunt* homines *dominum eius*, vt recluderet ne noceret, *nec recluserit eum, occideritquè virum, aut mulierem: & bos lapidibus obruetur* ad exemplum, *& dominum eius occident* scientem, & non prouidentem; lata enim culpa æquiparatur dolo. *Quòd si pretium, fuerit impositum*, facta copia se redimendi, *dabit pro anima*, vita *sua quidquid fuerit postulatus*, quia non potest dari æquale pretium. *Filium quoquè, & filiam*, paruulos *si cornu percusserit*, vt in casu proximo, *simili sententiæ* mortis *subiacebit:* attenditur enim culpa domini, non horum impotentia euadendi. *Si seruum, ancillamquè* alterius *inuaserit triginta siclos argenti domino dabit* pro noxa, *bos verò lapidibus opprimetur*, ne alteri noceat.

Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritquè bos, aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium iumentorum, quod autèm mortuum est, ipsius erit; debuerat enim aduertere, & prouidere, & ideò fuit in culpa. *Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuum, & diuident pretium, cadauer autèm mortui intèr se dispertient:* hoc vt nullus sit in damno, & quià dominus vulnerantis ignorabat cornupetam esse. *Sin autèm sciebat quòd bos cornupeta esset ab heri, & nudiustertius, & non custodiuit eum dominus suus reddet boue* viuum *pro boue* mortuo, *& cadauer integrum accipiet;* sciens enim in culpa fuit, non adhibendo remedium.

CAPVT XXII.

SI quis furatus fuerit boue, aut ouem: de his agit expressè, quia frequentiùs furto subtrahuntur, & vtiliora sunt, & magis concupita, sed & de alijs similibus idem dicendum: *& occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vno boue restituet, & quattuor oues pro vna oue:* est pœna quintupli imposita proptèr has cōditiones dolosas, quibus grauabantur domini ad subtractorum inuētionem difficiliorem si in alium translata, vel interempta; ideò vt arcerentur homines ab his dolis, & versutiis, grauitatem pœnæ apposuit. Sed cur quintuplum in bobus, quadruplum in ouibus? credo ratione valoris, & æstimationis, ità vt lex seueriùs egerit in maioribus, quàm in minoribus.

Si effringens fur domum, siuè suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere à domino domus *mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis*, excusabitur, quia præsumitur in nocte nō potuisse alitèr rebus suis, vel vitæ prouidere, & præsumitur fecisse ad necessariam rerū, vel vitæ defensionem; fur enim sic inuentus suspicione vrgetur. *Quòd si orto sole* (hic in fure diurno) *hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipse morietur*, nulla datur excusatio; excessit enim occidendo, qui alitèr poterat prouidere. *Si non habuerit quod pro furto* facto *reddet* quintuplum, vel quadruplum, *ipse fur venundabitur. Si inuentum fuerit apud eum*

furem

furem, id *quod furatus est*, viuens (limitat quod dixerat de mortuo, vel distracto) *siuè bos, siuè asinus*, eccè quomodò prouisio cōtrà furtum bouis, & ouis, de quibus suprà, porrigitur & ad alia; *siuè ouis:* hæc nominat, quia frequentiora ad vsum hominum, & ad quæ frequentiùs à furibus inhiatur; *duplum restituet*.

Si læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit dolosè *iumentum suum, vt depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea pro damni æstimatione*, idest, iuxtà æstimationem damni dati *restituet* domino dānum passo, & rectè, vt patiatur in eisdem bonis, in quibus damnum dedit. *Si egressus ignis* incensus ab aliquo, puta ad agrum purgandum, *inuenerit spinas*, & conualuerit, *& comprehenderit aceruos frugum, siuè stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit*; debuerat enim præuidere id de facili contingere posse, & proptereà fuit in culpa.

Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in custodiam, apud eum hæc deponendo, *& ab eo qui susceperat* in custodiam *furto ablata fuerint, si inuenitur fur, duplum reddet, si latet fur, dominus domus*, cui commendata, *applicabitur* ducetur *ad deos*, iudices, *& iurabit quòd non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem* in deposito *tàm in boue, quàm in asino, & oue, ac vestimento, & quidquid damnum inferre potest: ad deos vtriusque causa perueniet*, deponentis, & depositarij: *& si illi iudicauerint* commendatarium suspicione grauari, vel non adhibuisse eam quam debet diligentiam, ità vt illum iudicent reum (quia causæ cognitio requiritur, ad iudices remittit) *duplum restituet proximo suo*; in deposito enim, seù custodia magna fides requiritur.

Si quis commendauerit proximo suo asinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum absquè sua culpa, *vel captum ab hostibus*, quibus resistere non potuerit, *nullusquè hoc viderit*, ità vt probationibus destituatur, *iusiurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui, suscipietquè Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur*, quia prouidere non potuit. *Quòd si furto ablatum non fuerit, restituet damnum domino*, quia non adhibuit quam debuit diligentiam. *Si comestum à bestia*, cuius insidias præuidere non potuit; (ideò distinctio de magna, vel parua bestia non placet, nisi dicas ipso vidente, & prouidere nolente; nàm insidiæ nequè à parua vitari possunt, imò difficiliùs quàm à magna) *deferat ad eum, quod occisum est*, vel pellem, vel aliquid de illo, *& non restituet*.

Qui à proximo suo quidquam horum supradictorum *mutuò postulauerit*, impropriè *mutuò*, quia apparet loqui citrà translationem dominij, *& debilitatum, aut mortuum fuerit* ex culpa mutuatarij, quæ præsumitur, si dominus rei absuit, non consentiens fortè actui, per quem mors, aut debilitatio secuta; ideò ponit, *domino non præsente, reddere compelletur. Quòd si impræsentiarum dominus fuerit*, & is non prohibuerit, non protestatus fuerit, *non restituet, maximè si conductus venerat* cùm iumento *pro mercede operis sui*, quia is tenebatur iumentum custodire, & omnia considerare, & prouidere.

Si seduxerit quis blanditijs *virginem, necdùm desponsatam, dormieritquè cùm ea*, stuprauerit eam, *dotabit eam, & habebit eam vxorem* (nùnc ad alterum tantùm ex communi tenetur) *si pater virginis dare noluerit*, excusatur à nuptijs, sed *reddet*, dabit *pecuniam iuxtà modum* qualitatem *dotis, quam virgines* nuptui tradendæ *accipere consueuerunt*.

Maleficos non patieris viuere, occidantur malefici; hoc enim vitium tendit ad idòlatriam.

Qui coierit cùm iumento, factus cùm illo vna caro, si dici posset; nolite fieri sicùt equus, & mulus, quibus non est intellectus; vel quia sìc voluit; vndè amisit quod erat homo, *morte moriatur*, non enim meretur talem formam portare, sed in chamo, & fræno maxillas eorum constringe.

Qui immolat dijs, mortuis, qui nihil sunt; nihil enim idòlum, prætèr quàm Domino soli: iuxtà primum præceptum decalogi; hæc enim iudicialia circà ea versantur, *occidetur*, ad nihilum redigatur, qui nihilum curauit.

Aduenam non contristabis, nequè affliges, quia est proximus, vt in parabola Samaritani, at exemplo vestro, vestris expensis id didicistis; *aduenæ enìm & ipsi fuistis in terra Aegypti*, vbi sustinuistis onera importabilia, quæ vobis tùnc displicebant. *Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum* de cælo; sic Christus. Luc. 18. & non exaudiet Deus clamorem seruorum suorum clamantium ad se? *& indignabitur furor meus* contrà illos lædentes, *percutiamquè vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli*, percutiam vos, & pœnas infligam proùt peccastis. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi*, indigenti, *qui habitat tecum*, quem eò magìs teneris subleuare, *non vrgebis eum quasi exactor* durus, nec vsuris opprimes: liberalitèr secum agas. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, antè solis occasum reddes ei*; omnia tendunt ad charitatem insinuandam; *ipsum enìm est solum, quo operitur indumentum carnis eius, nec habet aliud, in quo dormiat*, eccè ratio mouens ad charitatem: *Si clamauerit ad me*, quia hoc non præstas, *exaudiam eum, quia misericors sum*, quasi eamdem misericordiam ergà proximum in hoc casu exopto.

Dijs, Iudicibus, maioribus *non detrahes, & principi populi tui non maledices*; sìc Paulus in Actibus, & in Epist. & Petrus monentes, & iubentes subiectionem, & obedientiam ergà Reges. *Decimas tuas, & primitias tuas* cedentes in sustentationem Sacerdotum, & Leuitarum *non tardabis reddere*: vide quanti hæc faciat, vt ne velit quidèm moram, nedùm fraudem in eis: *primogenitum filiorum tuorum dabis mihi*, redimes, vt iàm dictum. *De bobus quoquè, & ouibus similitèr facies: septem diebus sit cùm matre sua*, vt sit tutus à morte, *die octaua*, in qua censetur confirmatus, & posse viuere absquè matre *reddes illum mihi*; primogenita enìm omnia mea. *Viri sancti, segregati eritis mihi: carnem, quæ à bestijs fuerit prægustata, non comedetis, sed proijcietis canibus*: hoc, quia ferum videbatur, & à feritate volebat auertere, ideò sìc dispositum.

CAPVT XXIII.

NON *suscipies vocem mendacij*, ità vt illo mouearis ad aliquod patrandum contrà veritatem: *nec iunges manum tuam* cùm impio ad iuuandum illum proùt Iosaphat à Propheta reprehēsus, *vt pro impio* saluando *dicas falsum testimonium*, vel contrà insontem, proùt per Iezabelem contrà Naboth procuratum fuit. *Non sequeris turbam* tumultum popularem *ad faciendum malum*; nàm non excusaberis sub hoc prætextu, si cognoscas esse malum, vt contigit in impio Pilato; *nec in iudicio*, in iudicando *plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies*; nisi enìm deponas conscientiam, non eris tutus, etsi multorum sententiam sequaris. *Pauperis quoquè non misereberis in iudicio*; nàm iustitia cuique seruanda, nec fouendus pauper in calumnia. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino errāti, reduc ad eum*, proùt tu velles tua ad te reduci, quod tibi vis fieri, alteri præstes: hoc positum ad inducendam proximorum beneuolentiam; si enìm iumenta inimici sìc tractanda, quantò magìs ille? hincquè dilectionem inimicorum etiàm in lege veteri iuberi. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cùm eo*: ad idem tendit, eò magìs, quò præsens est dominus. *Non declinabis iudicium pauperis*, in condemnando pauperem, quia pauper: sicut suprà noluit eius misereri, sìc hìc non condemnari ex hoc solo. *Mendacium fugies*; est enìm diabolicum, nàm diabolus mendax à principio, & dùm loquitur mēdacium, ex proprijs loquitur. *Insontem, & iustum non occides*; nàm hæc esset magna impietas graui pœna à me corrigenda: *quia auersor*, odi *impium*; sìc fecerunt impij iudices Samariæ

mariæ vrgente Iezabele contrà Naboth, imò etiàm lata sententia insons defendendus, vt Daniel pro Susanna. *Nec tu iudex accipies*, si rectè vis iudicare, *munera, quæ etiàm excæcant prudentes; & subuertunt verba iustorum*, quasi, ne dicas: ego prudens & iustus ex munerum acceptione non mouebor. *Peregrino molestus non eris. Scitis enim aduenarum animas*, statum, affectus, *quia & ipsi peregrini fuistis in terra Aegypti:* quasi, facto id didicistis. *Sex annis seminabis terram tuam*, agrum, *& congregabis fruges eius; anno autèm septimo dimittes eam* incultam, *& requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui* de eo, quod inculta producet: *& quidquid reliquũ fuerit, edant bestiæ agri: ità facies in vinea, & in oliueto tuo. Sex diebus operaberis, septimo die cessabis, vt requiescat etiàm bos, & asinus tuus, et refrigeretur* à labore *filius ancillæ tuæ et aduena* operarius. *Omnia quæ dixi vobis, custodite* diligentèr. *Et per nomen externorum deorum non iurabitis, nequè audietur ex ore vestro:* volebat eos omninò liberos ab idolòlatria, quod est maximum peccatorum.

Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis: vult cultum, & ter, vt memoria Dei eò magìs vigeat in eis. *Solemnitatem azymorum,* in qua azyma comedendum, *custodies. Septem diebus comedes azyma, sicùt præcepi tibi, tempore messis nouorum* fructuũ, *quandò egressus es de Aegypto* in memoriam tanti beneficij: *non apparebis in conspectu meo*, & maximè celebrans festa illa, *vacuus*, sinè aliqua oblatione. *Et custodies* scilicèt, *solemnitatem messis primitiuorum operis tui*, quæcunque *seminaueris in agro* offerendorum, & custodies *solemnitatem quoquè in exitu anni, quandò congregaueris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno* in solemnitatibus *apparebit omne masculinum tuum*, omnes masculi *coràm Domino Deo tuo* in loco, quem elegerit. *Non immolabis supèr fermento sanguinem victimæ meæ:* prohibet fermentatum generalitèr, quod & Exod. 12. de agno in phase immolando agit: *nec remanebit adeps*, de quo non comedebatur *solemnitatis meæ*, idest, victimæ in solemnitate mea immolatæ *vsquè manè;* volebat enim eodem tempore vti. *Primitias frugum terræ tuæ*, agri tui *deferes in domum Domini Dei tui* in signum dominij, quod habet Dominus. *Non coques hædum in lacte matris suæ:* fortè hoc erat idolòlatrarum, ideò prohibet fieri, vel est mysticũ, vt magis ad proximos accedãt: nõ placet quia magis sapidus, quia si id, eo nùnc vteremur, & nõ vtimur; nõ placet quia nolebat offerri lactentem, quia iàm de hoc clarè dispositum, vt pòst octo dies offerreretur. *Eccè ego* (hìc vsquè ad finẽ cap. agit de introductione in Terram) *mittam*, continuabo mittere, quia iàm aderat, *Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via* tutò, quia nullus potest ei obsistere; vndè immittet Angelum suum in circuitu timentium eum, *& introducat in locum, quem paraui* tibi ad habitandum. *Obserua eum, & audi vocem eius*, obedias ei, *nec contemnendum putes;* hoc enim magnum esset peccatum: *quia non dimittet* tibi *cùm peccaueris*, vlciscetur, *& est nomen meum in illo*, habet à me omnem potestatem; propterea quod voluerit, faciet. *Quòd si audieris vocem eius*, illi obedieris, *& feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te*, te defendam, illos conteram; sic benedicam benedicentibus tibi, maledicam maledicentibus tibi ad Abraham. & Deuter. 32. & vindictam retribuet in hostes eorum. *Præcedetquè te Angelus meus;* Hìnc apparuit Iosue, & manifestauit pro illo esse. Ios. 5. & nullo modo intelligas de Moyse, aut Iosue, quia Moyses non introduxit, alter non præcessit à principio, & de vno tantùm omnia faciente est verbum; vltrà quòd iàm certi sumus Angelum præcessisse; vndè non impropriãda verba. Prætereà pòst ingressum in Terram Angelus operabatur, & is Michael potiùs, quàm alius, quia Gabriel dicit. Daniel. 10. in fin. Michael princeps vester. (sequitur effectus) *& introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumquè, & Heuæum, & Iebusæum, quos ego conteram*, vt tu regiones illorum possideas: monet à quibus caueant illùc introducti. *Non adorabis deos eorum, nec coles eos* externè, vel internè, *non facies opera eorum* mala, præceptis meis contraria, *sed destrues eos, & cõfringes statuas eorum*, ne appareant, ne sint

tibi occasio peccandi. *Seruietisquè* ex corde *Domino Deo vestro,vt* consequentèr motus cultu vestro *benedicam panibus tuis, & aquis*, omnia vobis ad sustentationem necessaria multiplicẽ; hic enim panes, & aqua pro cibo, & potu, sic infrà cap. 34. 28. *& auferam infirmitatem de medio tui*; ficùt in tribubus eorum non erat infirmus. *Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua*, opprobrium erat sterilitas; *numerum dierum tuorum implebo*, non moriemini antè tempus ordinarium vitæ hominum præscriptum; sìc Iacob, & non peruenerunt adhùc ad dies patrum meorum, qui plùs vixerant, quàm tùnc esset illius ætas. *Terrorem meum mittam in præcursum tuum*, vt omnes paueant, & cor omnium dilabatur, *& occidam omnem populum, ad quem ingredieris, cunctorumquè inimicorum* tuorum *coràm te terga vertam:* (dicit quomodò) *emittens crabrones priùs, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequàm introeas*, ità vt nihil tibi sudandum restet, sed facili negocio omnia obtinebis; & ne possent conqueri, si illicò non eijcerentur omnes, docet moram eis profuturam. *Non eÿciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contrà te bestiæ*, & sint infestæ tibi. *Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donèc augearis, & possideas terram*, quam numero tuorum impleas, & habites. *Ponam autèm terminos tuos à mari rubro vsquè ad mare Palæstinorum, & à deserto vsquè ad fluuium:* designat terram dandam in magno spatio, vt videant non expedire expulsionem habitantium anno vno: *tradam in manibus vestris*, in potestate vestra *habitatores terræ, & eÿciam eos de conspectu vestro. Non inibis cùm eis fœdus, nec cùm dÿs eorum*, ne contamineris, & quia omnes deleri volo. *Non habitent in terra tua*, quam tibi dabo, ab illis eam auferendo, *ne fortè* ex eorum conuersatione *peccare te faciant in me*, contrà me, *si seruieris dÿs eorum*, ad quos ipsi te traherent, *quòd* si attentaueris, *tibi certè* absquè dubio, & controuersia *erit in scandalum* ob pœnas, quas tibi inferam, & mala, quæ permittam.

CAPVT XXIV.

MOYSI *quoquè dixit* Deus: *Ascende ad Dominum*, ad me *tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta senes ex Israel*, de populo, *& adorabitis procùl simùl. Solusquè Moyses ascendet ad Dominum, & illi*, cæteri *non appropinquabunt, nec populus ascendet cùm eo*, Moyse: hoc dicit, ne crederetur, excludendo illos, populum inclusisse. *Venit ergò Moyses* pòst cõgressum cùm Deo, *& narrauit plebi* populo *omnia verba Domini, atquè iudicia*, leges: *respondítquè omnis populus vna voce: omnia verba Domini, quæ loquutus est, faciemus*, non recedemus ab eius præceptis. *Scripsit autèm Dominus vniuersos sermones Domini*, non dicas, legem in scriptis recepit; & alios sermones non: *& mane consurgens ædificauit altare ad radices montis, et duodecim titulos*, lapides *per duodecim tribus Israel*, vt agerentur gratiæ Deo à singulis; sic duodecim lapides reseruati pòst trãsitum Iordanis; & duodecim lapides tulit Elias in ædificationem altaris. 3. Reg. 18. 31. at hic distinctè ab altari, quia de vtrisque separatim agitur; factum enim vt appareret de hoc sacrificio per singulas tribus oblato, qnòd si ex eisdem lapidibus altare fabricatum esset, non appareret, cùm essent confusi in ædificio, & quis inuenisset duodecim lapides, & nõ plures pro altari? *Misitq. iuuenes de filÿs Israel* qui hi essẽt ignotũ, nondùm enim constituti Sacerdotes, & de primogenitis incertum, vt aliàs dixi, imò potiùs certum omnes facrificasse, vt in Abel, & Cain, & hìc in Moyse, & Aaron: nec dicas permissum Moysi, vt sanctificaret Aarõ, & alios, quia si ipse non potuisset, aderant primogeniti, qui poterant, & hi assumpti forent; quòd enim fuerit priuilegiũ in eo, nõ potest probari, quia non exprimitur, & si hi exprimerentur, *Et obtulerunt holocausta, immolauerũtq. victimas pacificas Domino, vitulos*,

tulos, hi maior victima, quæ offerretur. Ps. 50. in fin. hoc fecerunt pro toto populo; elegit ergò Moyses aliquos, qui id tùnc præstarent, ne totus populus confunderetur in sacrificijs. *Tulit itaquè Moyses dimidiam partem sanguinis* victimarum occisarum, *& misit in crateras, partem autèm residuam fudit supèr altare* vice Dei. *Assumensquè volumen fœderis*, pacti, *legit audiente populo, qui dixerunt: omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes*. (repetit quod suprà dixerat) *Ille verò* Moyses *sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis*, confirmans fœdus, pactum, *quod pepigit Dominus vobiscum supèr cunctis sermonibus his*, quos legi: huius aspersionis, & quomodò facta meminit Paulus Hebr. 9. 20. sic Deus cùm victimis firmauit fœdera cùm Abraham, Gen. 15. *Ascenderuntquè Moyses, & Aaron, Nadab, & Abiu, & Septuaginta de senioribus*, principibus *Israel, & viderunt Deum Israel*, Angelum apparentem in forma humana; ideò subdit de membris humanis: *& sub pedibus eius*, id dicunt, quia nedùm Deum, sed & hæc substrata viderunt, non quòd pedes tantùm Dei viderint. *quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenum est*. sed ex verbo. *quasi* improprietatem denotante duplicato dic inferri non posse explicari hæc etiàm quæ oculis apparuerant, nequè supèr his Moyse, & alijs prædictis, *nec supèr eis, qui procùl recesserant de filijs Israel*, reliquo populo, subde, qui & ipsi viderant, *misit manum suam* Deus ad illos puniendos, seù occidendos, eo quod eum vidissent, sed *videruntquè Deum, & comederunt, ac biberunt*, quasi, nequè vllam commotionem, seù perturbationem senserunt, ità vt omnes actiones ordinarias fecerint, seù lætati sint in eo bono, quod illis contigerat; hoc dicit, quia populus dixerat ad Moysen, timens mori, si audiret vocē Dei: loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur, suprà. cap. 20. 19. ad ostendendum vanum fuisse timorem populi, nequè contigisse, proùt illi suspicati erant, sed de huiusmodi timore vide scripta in Euangelijs in Zacharia. Sed tutius est intelligere de solis vocatis, & nominatis vnà cùm septuaginta, non de alijs, de quibus non præcedit sermo; vltrà quod populus terrore concussus non audebat se his visionibus committere, & nullibi apparet posteà ex hac visione quicquam passos esse, & si id contigisset, proùt Moyses dixit de eorum salute, sic subiecisset de flagello, et si Nadab, & Abiu mortui, illud proptèr ignem prophanū suppositum sacro. Sed non videtur apparuisse Deus in aliqua forma, Deut. 4. 12. At ibì quandò data lex audiente populo cuncto, hìc his vocatis tantùm. *Dixit autèm Dominus ad Moysen: ascende ad me in montem, & esto ibi*, moram trahe, non tàm citò, vti soles, recedes: *daboquè tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata* decem, *quæ scripsi* (nàm alia iudicia refertur Moysen scripsiisse) *vt doceas eos. Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius*: hoc addit, ne dicas: cur Iosue cùm eo? minister enim non excludebatur in sermone; sic Ionatha cùm Armigero, Gedeon cùm Armigero. *Ascendensquè Moyses in montem Dei, senioribus ait: expectate hic* in castris, *donèc reuertamur ad vos. Habetis Aaron, & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis* grauioris, *referetis ad eos*; hinc verisimile fit, hos seniores fuisse de electis ad iudicia minora ex Iethro, qui maiora Moysi referebant, & sic non dabimus pluralitatem, quæ non præsumitur; dimisit ergò Aaron, & Hur loco sui superiores septuaginta: prouidet populo de substitutis, timens diù morari. *Cumquè ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini supèr Sinai*, ibì apparebat, *tegens illum nube sex diebus*; vt in his liber à negocijs, & curis, contemplationi vacans purior fieret: *septimo autèm die vocauit eum*, Moysen *de medio caliginis*, in qua manifestabatur. *Erat autèm species gloriæ Domini quasi ignis ardens*, non ergò propriè ignis, sed ad instar; sic de linguis igneis Act. 2. de rubo suprà cap. 3. *supèr verticem montis in conspectu filiorum Israel*, vt maior timor, & reuerentia ergà Deum in eis conciperetur. *Ingressusquè Moyses medium nebulæ, ascendit in montem* in superiorem partem, *& fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, orationi deditus, & cùm Angelo conuersans: in his quadraginta non computantur primi sex dies antè vocationem,

tionem, quia dictio, *ibì*, refert quadraginta dies,& noctes integras, & non diuisim dixisset de die sexto,& septimo. Prætereà non est verisimile non comedisse in illis sex diebus, dùm nō fuit cū Domino, sed cū Iosue, proùt nec verisimile Iosue illis sex diebus non comedisse, ergò illi sex dies non cōputandi in quadraginta,quia Moyses ieiunauit quadraginta diebus,& quadraginta noctibus. Accedit,quia si sex cōputarentur in quadraginta, quod dicit de Moyse solo,dixisset & de Iosue ministro verisimilitèr. Non dicas *ibì*, ideſt in monte, quia iàm dixerat de mōte,vndè ampliùs montē nō refert,sed dùm fuit cùm Domino in parte superiori in caligine. Non obstat Deut. 9. 9. quia non excludit ibì sex dies, imò includit, dicendo non manducans, nequè bibens, quia in illis bibit, & manducauit. Vide Serrar. lib. 4. Iof. q. 14. Magal.in Act.Iof. annot. ingref. terr. Chan. Sec.4. an. 3. fol. 32.

CAPVT XXV.

LOCVTVSQVE *est Dominus ad Moysen, dicens: loquere filijs Israel*, ad quos spectat, vel eliges, *vt tollant mihi*, ad cultum meum *primitias* quædam principalia, & meliora, non omnia; *ab omni homine, qui offert vltroneus*, non vult ab inuitis, sed voluntarjis. *Hæc sunt autèm quæ accipere debetis* pro primitijs, &c. quæ enumerat vsquè ad verf.8. *Facientquè mihi sanctuarium*, sanctum, tabernaculum, seù locum, *& habitabo in medio eorum*, in eo sanctuario manifestabor, vt magis eos ad cultū meum traham: *omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius sanctuarij, sicquè facietis illud* (describit & dat formam) Arcam, &c. 16. *Ponesquè in arca testificationem quam dabo tibi*, & verf. 21. *in qua pones testimonium quod dabo:* agitur de duabus tabulis intrà arcam reponendis, vt essent in testimonium perpetuum, quod infringi non posset. Et quia nihil de manna, verisimile fit quod habetur de ea. Exod. 16. 33. dictum per anticipationem, & circà finem egressionis de deserto reseruatam, vt appareret sempèr tantum beneficium populo collatum. Sed dicas & legem, & manna, & virgam Aaron intrà arcam reposita, non extrà, vt tenui Hebr. 9. Nec obstat Exod. 16. 33. coràm Domino, quasi non intrà arcam, nàm etiàm intrà arcam erat coràm Domino. Non obstat Num. 17. virgam reponendam in tabernaculum testimonij, quia illud arca, vt hic verf.9. sed satis est quod clarè dixit Paulus Hebr. 9. vbi ad alia contraria respondi. Non obstat quod dicitur de Deo sedente supèr Cherubim, nàm non dicitur quòd ibi verè sederet, sed figurabatur sedere, quia de medio eorum ex propitiatorio suprà quod stabat, dabat responsa. vt verf. 22. *indè præcipiam, & loquar ad te suprà propitiatorium, ac de medio* (non suprà) *duorum Cherubim, qui erunt supèr arcam testimonij*, & quia in tabernaculo nihil recondebatur nisi arca, cuius erat reconditorium. 29. *in quibus offerenda sunt libamina:* nota hæc sępèr oblata cùm sacrificijs, proùt panes, seù farina; vndè verf. 30. *& pones supèr mensā panes propositionis in conspectu meo sempèr*, & ex his duobus habemus typum sanctissimi Sacramenti clarum. *Facies & candelabrum*, &c. *Inspice, & fac secundùm exemplar*, formam, *quod tibi in monte monstratum est*. Hebr.8.5. Act. 7. 44. Considera Deum voluisse sibi fieri sanctuarium ab hominibus, & de pretiosis rebus per eos possessis, quod poterat à seipso fabricare absq. hominum ministerio, vel impensa, vt homines magis ei afficerētur, & inflammarentur eius charitate; magis enim afficimur ad ea, quæ opera, & rebus nostris conficimus, seù tractamus. Hoc autèm præstitit Deus, quem cæli cælorum non capiunt, vt maiorem daret occasionem Hebræis, & deindè omnibus hominibus in templis rogandi eum, & gratias ab eo impetrandi, & nossent homines Deum adstare operantem, seù se manifestantem in eo loco à se electo. Hinc Paulus iubet mulieres velo tectas

ctas in templo proptèr Angelos puritatem optantes in nobis, qui adstant preces nostras coràm Deo repræsentaturi, vt in Tobia, & Sara. Tob. 3. & 12. Centurione, Act. 10. & in Apocal.

CAPVT XXVI.

TABERNACVLVM verò, &c. quo cooperienda arca posita in parte interiori, dicta Sancta Sanctorum, dùm stabat, nàm quādò ducebatur, seù portabatur, non applicabatur, sed tabernaculum dissoluebatur, vndè intrà tabernaculum prætèr arcam nihil reseruabatur, quod non esset ad ministerium, sed omnia ministerialia, vt tabula pro panibus, & vasa, candelabrum, thuribulum. Hinc firma quod in præcedenti cap. dixi, intrà illud non reseruatam virgam, neque manna, hæc enim duo nihil facientia ad ministerium reseruabantur intrà arcam. Hebr. 9. vbi etiàm dixi, aliòqui dissoluto tabernaculo, dùm iter fiebat, in quo loco erant? Prætereà si tabulæ reseruabantur intrà arcam, cur non manna & virga? nàm sicùt lex, sic à Deo manna, sic virga frondens. Ex tabernaculo maior veneratio afferebatur arcæ, proùt videmus ex augustiori, & pulchriori ornamento in qualibet re succedere. Vide Abulensem, cur in deserto factum tabernaculum, cur cultus institutus, dati ritus seruandi.

CAPVT XXVII.

FACIES & altare, &c. ad immolandum, cuius forma, & alia necessaria describūtur. 9. *Facies, & atrium tabernaculi*, antè tabernaculū. 16. *in introitu verò atrij fiet tentorium*, &c. 20. *oleum* arsurum sēpèr extrà velum, et si Sacerdotes tantùm ad accendendum luminaria admissi, quomodò nùnc mulieres se ingerunt in ministerio altarium contrà Canones? Aduertendum si hìc mandatur fieri altare de lignis Sethim, alibì de lapidibus rudibus. Exod. 20. 24. 25. non inducitur contrarietas; nàm hoc iussum hìc, vt possent, dùm sistebant, habere paratum altare, nec distraherentur ad noua altaria quotidiè erigenda. Vel fortè forma hìc data non erat idolòlatrarum, & causa prohibitionis non faciēdi altaria ex lapidibus quadratis ea fuit, ne mores idolòlatrarum imitarētur. Vel illa prohibitio erat in altaribus, vbi remansisset memoria Domini, secùs in hoc, quia non erat restrictū ad aliquē locum certum, sed vagū. Vel dicitur de altari faciendo à Deo non præscripto, hìc de præscripto ab illo, qui potuit dare nouam formam; Vel ibì non prohiberi lignorum appositionem; Vel ibì de solidis, hic de inani, & vacuo intùs, ibì in non portatili, hìc in portatili, quod non ex lapidibus, sed lignis fieri debuerat. & si omnia portatilia, arca, tabernaculum, instrumenta quæque, profectò necessarium erat & dari altare portatile. Vel Exod. cap. 20. si altare faciendum erat de terra, nihil disponebatur; at in eo dandus erat aliquis circulus terram retinens, vt simùl subsisteret; ideò ligna, quæ hìc iubentur apponi, non contrariantur decreto illi, imò conueniunt; sinè eis enim altare non subtitisset, sicùt sinè ære, quia igne fuisset absumptum; vndè hìc dicta supplent, seù dant formam dictis in cap. 20. Si autèm faciendum erat lapideum, cùm non esset ædificandum de sectis lapidibus, tùnc intrabat prohibitio, & hunc puto verum intellectum, & differentiā, neque vllam inesse contrarietatem. Sed cur altare ità rude? fortè quia ratione pulchritudinis altaris non putarent placari Deum, sed ratione oblatorum mundorum, & proùt de illis iubebat, significātium mortem Messiæ, qua sola Deum placandum scirent, & intelligerent. Item aduerte, quòd licèt ver-

fic. 20.

sic.20. dicat, *sume oleum, vt ardeat lucerna sempèr*, quæ verba videntur tàm diem, quàm noctem comprehendere, tamèn limitantur à sequentibus, *vt vsquè mane luceat coràm Domino*; ex his enim apparet disponi de nocte tantùm, & quomodò in die id seruari poterat, quandò progrediendum, cùm tùnc omnia dissoluerentur, nec daretur forma in tali casu? erat ergò dispositio illa temporalis, donèc sisterent, vel templum ædificaretur; & probatur 1. Reg. 3. Lucerna Dei antequàm extingueretur, ergò extinguebatur, vide Leuit. 24. vbì dixi. Vide omninò Abulen. 2. Paral. 13. q. 39. vbì disputat, & residet in hac opinione, quam dicit veriorem, sed contrà communem. facit pro hac opin. 2. Paralip. 13. 11. ibì, vt accendantur sempèr ad vesperam. Item in fine perpetuum cultum restringi ad successores Israelitarum, & donèc ille cultus duraret.

CAPVT XXVIII.

APPLICA *quoquè ad te Aaron*, &c. prouiso de arca, tabernaculo, atrio, altari, prouidet de Sacerdotibus, & eorum vestibus, vt nedùm ex ministerio, sed etiàm ex ornatu magnificent à populo, & cùm decore, & maiestate seruiant Domino. Nota Aaron vocatus. Hebr. 5. 4. Ad vers. 3. quæritur an perfectis perficiendis artifices, in quibus infusus habitus artis, defecerint ab illo habitu? dic quòd non, quia dona Dei sunt sinè pœnitentia, Roman. 11. Abulens. hìc latè. Ego scripsi in Ioanne Baptista in Euangelijs. Ad vers. 9. vsquè ad 13. & 16. & 21. & 29. quæritur, cur sculpta erant in duobus, deindè in duodecim lapidibus nomina filiorum Israel? quia pro illis orandum erat Sacerdoti, vt eorum peccata dimitterentur; hinc seruabatur ordo natiuitatis, ità vt Ruben esset primus, qui aliàs fuit postpositus, eò quòd tanquàm peccatores repræsentabantur; ideò dicitur *portabit Aaron iniquitates eorum*, & *memoriale* dicuntur *coràm Domino*; sic & respectu duodecim tribuum ponebātur duodecim panes propositionis. Ad Vers. 30 credo inscripta fuisse doctrinam, & veritatem, sed non in rationali. quia dicitur, *pones autèm in rationali iudicij Doctrinam, & Veritatē, quæ erūt in pectore Aaron, quandò ingredietur*: nàm ex verbo, *pones*, arguitur ergò ibi antè non erant, præsertìm quia dicit, *quæ erunt*; & sìc rationale fabrefactum absquè doctrina, & veritate ponitur suprà versic. 15. & Exod. 39. Sed quòd essent distincta, doctrina, & veritas à rationali. Leuit. 8. 8. ex versione Hebr. Septuag. & Chald. At ex Vrim, & Thumim, seù rationali iudicij, de quo vers. 29. seù Ephod summi Sacerdotis data responsa per Deum apparet. 1. Reg. 23. & 30. in Dauide, & negata Sauli. 1. Reg. 28. Sed quomodò, an voce externa, vel interna, vel splendore, vide Serrar. & Magalian. in locis allegan. vltrà alios hìc, dicit tamèn Iosephus cessasse ducentis annis antequàm ipse scriberet. At de Vrim, & Thumim, vide latissimè apud Serrar. Ios. cap. 9. q. 24. & pluribus seqq. & Magalian. de act. Ios. an. ingress. terr. Chan. Sect. 7. annot. 8. cùm seqq. vltrà alios hìc. Ad vers. 34. tintinnabula in ora vestis posita nedū ad ornatū, proùt mala punica ficta; ideò dicit, quasi: sed ēt ad excitādos omnes adstantes, vt vnà cùm Sacerdote orante, & progrediente ad Dominum & ipsi orarēt, vt orationes communes magis exaudirētur à Deo; vbi enim fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, dixit Christus; hìnc dicitur, *vt audiatur sonitus quandò ingreditur, & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & nō moriatur*. vers. 35. Vel magis vt ostenderetur intrà Deum stare ex sonitu, qui iubebatur, & sìc concitaretur reuerentia in populo ad locum & ceremonias, quæ à Sacerdote fierent, & hæc eo magìs requirebātur in Sacerdote; hinc *& non moriatur*. Ad vers. 36. Cur *sanctum* in lamina summi Sacerdotis? Respondeo: erat tantæ maiestatis Sacerdos indutus, vt quasi pro Deo haberi, & teneri dubium esset à Iudæis: proùt de Herode in Act. Apost. in simili; ideò vt scirent omnia ad Deum

Deum referenda, ipſumquè ſolum recognoſcendum, in loco eminenti & omnibus conſpicuo, ſcilicèt in fronte, vt omnibus appareret voluit nomen eius poni, & ex eo placari; vndè dicitur, *vt placatus ſit eis Dominus*. verſ.28. Vide alia apud Abulen.& alios. Ad verſ. 38. dicitur: *Portabitquè Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt, & ſanctificauerunt filij Iſrael* pro iniquitatibus illis;omnis enim Pontifex ex hominibus aſſumptus,pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, Hebr. 5. 1. & hoc eſt portare iniquitates, pro ijs offerre, orare. Ad verſ. 39. sic Chriſtus Apoc. 1. apparet veſtitus podere, veſte Sacerdotali, & præcinctus ad mãmillas zona aurea; vndè à Paulo dicitur: Sacerdos in æternum, Hebr. cc. 5. 6. 7. & Dauid Pſal. 109. Aduerte, aliqui dicunt hìc, vt Abulenſis, quòd fiebat adeò craſſa nebula ex thimiamate, ſeù thure, vt ſanctuarium impleretur, nec poſſet Sacerdos quicquam videre. At hoc non videtur poſſe ſtare, quia Luc. 1. Zacharias vidit Angelum, niſi dicas ſplendore Angeli factum sìc volentis videri, quod non erat in Angelo hic manente, qui nolebat videri. At cùm ſubſtantiæ ſpirituales manifeſtentur, vel non,proùt eis placet, vt dixi in Zacharia, Luc. 1. hinc non videtur dictum ſubſiſtere. Vndè credo fuiſſe omnia ad cultum, non ad occultationem exiſtentium in ſancta, vel in ſancta ſanctorum. Sed alibì dicam.

CAPVT XXIX.

SED *& hoc facies, vt mihi in Sacerdotio conſecrentur*. Hic agitur de conſecratione Aaron, & filiorum, & ritu in ea ſeruando, & conſidera victimarum occiſionem in conſecratione, ſeù collatione Sacerdotij repræſentantem ſacrificium Chriſti in cruce,in qua & ipſe factus Sacerdos ſeipſum in victimam offerendo, vt obſeruaui in Epiſ. ad Heb. c. 7. Verſ. 2. 23. 32. 40. vbi de ſimila, & vino, ſignificatur ſacrificium incruẽtum Chriſti Domini noſtri. Et quamuis miſceatur oleum, nihil refert, nequè tollitur repræſẽtatio, imò augetur; ex oleo enim miſericordia ſignificatur, qua ſola Deus motus ad tradendum filium pro nobis peccatoribus, quod figurabatur in ſacrificijs illis. Vltrà quod attendendum quod principale eſt in qualibet materia,non miſtum, quod cùm principali confunditur, proùt sìc linitio olei cùm farina. Ad hæc in repræſentationibus non ſingula obſeruanda ad diuerſificandum, ſed quæ concurrunt ad repræſentationem, ſeù ſignificationem conformia, alijs omiſſis; At conſidera quantùm referret oblatio agni mane, & veſpere cùm ſimila & vino; cruentum ſacrificium Chriſti in agno, incruentum ſimila, & vino. Verſ. 2. de vitulo, & arietibus in conſecratione: cur hi? quia interuenire debebant omnia ſacrificia in conſecratione, quæ per Sacerdotes conſecratos miniſtrari debuerant, & præſertim præcipua, & principalia; ideò illa adhibita: oblatio enim horum erat de maioribus; hìnc Deus iuſſit illa offerri ſibi ab Abraham, Gen. 15. & Dauid Pſal. 50. tùnc imponent ſupèr altare tuum vitulos, maiora ſacrificia, gratiora, & pinguiora innuens. Idem nùnc ſeruatur in Sacerdotibus, & Epiſcopis noſtris. Eodem verſic. datur facultas Moyſi offerendi, & conſecrandi, etſi ipſe non eſſet conſecratus, cùm nullibi appareat, vt aduertit Abulenſis; vndè Moyſes non fuit Sacerdos, ſed obtulit, proùt fiebat antè à non Sacerdotibus, vt in Abel, qui non erat primogenitus, ſed Cain, & ſuprà iuuenes illi à Moyſi vocati. Exod. 24. & hìc conſecrauit ex mãdato Dei; hincquè tollitur, quòd ſacerdotium iret per primogenitos; nàm Moyſes non erat primogenitus, ſed Aaron, qui excedebat Moyſen in ætate annis tribus. Facta autèm hac conſecratione non legitur ampliùs Moyſen ſacrificaſſe, nequè alios non Sacerdotes, niſi ex particulari iuſſu Dei, vt in Elia, & Samuele, qui non fuerunt Sacerdotes; imò Moyſes antè non litauit, ſed iuuenes vocauit ad ſacrificandum. Exod. 24. 5. Vndè Pſal. 98. 6. in ver-

in verbis (Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, intelligetur, ideſt, intèr Sacerdotes eius) Moyſes enim quà Dux à Deo delegatus intèr eos erat, & eos præeminebat, & conſecrabat, vt hic: Aaron verò tamquàm primus, & sìc ſubdit de Samuele: & Samuel intèr eos, qui inuocant nomen eius, prophetantes: omnibus enìm erat ſuperior, & princeps, & opportunè ſubdit: inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos, vti principes, & capita populi, & omnibus præſidentes; ideò Dauid exemplo eorum nititur alios prouocare ad Deum exaltandum; vndè verſic. 5. & 9. *exaltate Dominum*, &c. nec firmat Moyſen Sacerdotem, ſed intèr eos fuiſſe ad eum inuocandum. Hinc Moyſes nequè à Stephano Act. 7. nequè Eccl. 45. in quibus locis eius encomia celebrantur, Sacerdos appellatur, ſed tantùm Aarō, quòd ſi fuiſſet, non tacuiſſent; & vt apparet hìc, & Exod. 40. ipſe oleo vnctus non fuit prouùt Aaron, & filij, quæ vnctio ex geſtis in illis videtur requiri, vt quis Sacerdos dicatur. Abulenſ. in toto Penthateuco ſempèr dicit Moyſen non fuiſſe Sacerdotem, ſed Leuitam. maximè Num. 2. q. 2. Verſic. 4. applicatus fuit Aaron, & filij conſecrandi ad oſtium tabernaculi, quia non erat ſanctior locus, quo demonſtrari poſſet maieſtas ſacerdotij, cùm antequàm conſecrarentur, non poſſent ingredi intrà tabernaculum, quod tantùm licebat Sacerdotibus, & qùia poſteà debebāt illud ingredi, & lauari ibi, & alia quæ hìc deſcribuntur: at illud principale, quia induebantur veſtibus ſacerdotalibus, & honeſtus locus, & ſanctus requirebatur, qui dari poſſet, & non erat aptior. Verſ. 7. *Oleum vnctionis fundes ſupèr caput eius*. non eſt inueriſimile & veſtimenta infuſa ex deſcenſu olei, quia infrà verſ. 21. etiàm veſtimenta reſperguntur: vide hìc Abulenſem. & in Pſal. quod deſcendit in oram veſtimēti eius. Verſ. 10. cur imponere deberent manus supèr caput vituli immolandi? Credo tàm in Aaron, & filijs, quàm in alijs, vt appareret quis offerret, præſertim quia hoc erat ſacrificium pro peccato, quaſi ex hoc actu approbantes quod pro ipſis fiebat. Vel erat actus correſpectiuus ad Deum; vndè ex ſanguine beſtiæ cornua altaris loco Dei inungebātur. verſ. 12. & patet, quia ad idem tendit, quod fiebat de alijs, quæ ponebantur in manibus Aaron, & filiorum infrà verſ. 24. & 25. Non videtur actus ad miniſterij applicationem pertinens, quia fiebat ab omni alio offerente. Non placet quaſi manu mitterent, quia iàm erat oblatus Domino; vndè id non requirebatur. Non placet quòd eſſet imprecatio contrà peccatum, & transferretur pœna in caput animalis, quia hìc conſtitiſſet valor oblationis, non in holocauſto, quod non videtur dicendum, cùm in holocauſto conſiſteret. Vltrà quòd manus impoſitio non denotabat abiectionem; tùnc enim poſſet hoc conſiderari, proùt in puluere abijciendo cōtrà Ciuitates nō recepturas diſcipulos Chriſti, ſed potiùs erat actus placidus, vel nil tale indicans. Non dicas Leuit. 1. 4. apparere manus impoſitionem operari placationem; nàm verba id non important. (ſi holocauſtum fuerit eius oblatio, ac de armento, maſculum immaculatum offeret ad tabernaculum teſtimonij ad placandum ſibi Dominū, ponetquè manum ſupèr caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, atquè in expiationē eius proficiens) tribuitur enìm placatio oblationi, non manus impoſitioni, quæ eſt quædam cæremonia inducta, vt dixi; vt appareret de offerente, aliòquin in alijs victimis, ſupèr quibus non ponebantur manus, de quibus proſequitur textus in d. cap. 1. Leuit. non oblatio grata Domino, cuius tamèn contrarium dicitur in fine cap. holocauſtum eſt, & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino. Verſic. 12. Cur cornua altaris ſanguine victimæ pro peccato intingebantur? Quia ſicùt immolans manum appoſuerat ſupèr victimam immolandā pro ſuo peccato, ad idquè denotandum, ità Deus patiens altaris cornua, extremitates altaris ſāguine victimæ intingi, videbatur admittere remiſſionem peccati fieri; quia vt inquit Paulus in epiſt. ad Hebr. abſquè ſanguinis effuſione non fit remiſſio; & habetur Leuit. 17. 11. ſupèr altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis in animæ piaculo ſit: intellige tamèn remiſſionem vel pœnæ, vel culpæ non fuiſſe factam ex illa ſola cæremonia, ſed ex contritione, vel ex illa etiàm aliqua pars pœnæ cō-curren-

currentibus alijs, de quibus videndus Abulens. Leuit. 1. Vel dicas intinctum altare ad quærendam expiationem, & videtur tutius. Sed si iuxtà basim effundendum reliquum sanguinis, quomodò capiebat ibi sanguis tot victimarum? quomodò non fœtor magnus, vel sanies? respondeo, necesse est fuisse ibi aliquem fœtorem ex sanguine profuso, proùt etiàm ex his, quæ cremabantur supèr altare; sed fortè ex odore oriẽte ab altari thimiamatis corrigebatur, & finitis sacrificijs omnia expiabantur, & lauabantur, & sanguis ille cùm aqua mistus profluebat per canalia, seù diuerticula, ne demus miraculum; hinc infrà vers. 36. iubetur mundari altare, &c. Vers. 13. & 14. interiora vituli cremantur supèr altare; fimus, & exteriora extrà castra. Cur id? hoc vltimum, quia victima pro peccato est, de qua non editur, vel quicquam reseruatur. Sed cur non in altari omnia? dic, quia sic statutum; ratio autèm sic statuendi aliundè quærenda, & illa videtur, quia seruiebat pro peccato magno, in quod traxerat populum, seù multitudinem; dicitur enim Leuitic. 4. 3. Si Sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum: & idem seruabatur in vitulo oblato pro peccato multitudinis. Leuitic. 4. 21. quod non seruabatur in peccato minori, seù principis, vel priuatæ personæ, quia pars carnium erat Sacerdotis. Leuitic. 4. & sic non vrebatur totum. Sed cur *extrà castra?* ad maiorem peccati detestationem, & vt sicùt multitudo peccauerat, vel à se, vel exemplo Sacerdotis, sic multitudo tota cognosceret sacrificium, quod cremabatur, & assistere posset, & videre, vt contereretur, & à peccato imposterum auerteretur: in atrio verò, vbi altare erat, non poterat omnis multitudo hæc præstare, seù videre, proùt extrà castra in latioribus terminis. Non comburebantur autèm carnes, & cætera aliorum animalium pro peccato principis, vel priuatæ personæ, quia non concurrebant quæ suprà dixi, vel quòd populũ ad peccata traxissent, vel quòd expediret totum populum assistere: imò dedecebat alios scire oblationem esse pro principis, vel priuatorum peccatis; ea verò Sacerdotis inducentis populum, vel populi publica erant, nimirùm si extrà castra fiebat concrematio; sed Aaron, & filij nondùm erant Sacerdotes, qui potuissent populũ ad peccata trahere, quomodò ergò pro his hoc sacrificium? respondeo, quia tùnc consecrabantur in Sacerdotes, habebantur quasi iàm essent; ideò in eis seruatur quòd in Sacerdotibus seruandum erat in omnibus, & sufficit concurrere vnam rationem ad actum, licèt alia ratio deficiat. Vers. 15. & 19. de impositione manus supèr caput arietum, dic vt suprà ad vers. 10. Vers. 20. linitio ex sanguine in auricula denotat obedientiam; in pollicibus manus, & pedis celeritatem obedientiæ mandatorum. Vers. 23. *& incendet supèr altare.* Obserua hic incenditur in sacrificium torta panis, crustula conspersa oleo, & laganum omnia azyma, quod seruit pro sacrificio incruento Domini nostri Iesu Christi, aliàs verò pars, vel totum cedebat Sacerdotibus. Leuit. cc. 2. 6. 7. Vers. 24. quid significabat eleuatio tortæ; &c. positorum in manu Aaron, & filiorum? fortè vt consacrificarent in eo actu cùm Moyse, qui manus eorum eleuabat, vel proùt suprà vt apparerent offerentes. Vers. 27. 28. præscribitur pars cessura ad beneficium Sacerdotum à filijs Israel offerentibus, non autèm de tùnc oblatis in consecratione. Vers. 31. & seqq. sacrificantes admissi ad comestionem in loco sancto, & de oblatis videntur pacem cùm Deo inijsse, ideoquè hostia dicebatur pacifica, figurans Christum pacificaturum quæ in cælis, & quæ in terris, & propitiatorem datum pro peccatis nostris in Deum commissis. Vers. 34. *quod si remanserit de carnibus consecrati, siuè de panibus vsquè mane, combures,* &c. ità & de Agno paschali nihil volebat reseruari suprà cap. 12. 10. fortè ne quid contrà vetitum ab alijs sumeretur. Vers. 38. de agnis anniculis mane, & vespere immolandis perpetuò in generationes suas, donèc durabit is ritus propositus in lege Moysis, cùm simila, & libamine vini, figura cruenti sacrificij Domini Nostri in cruce in agnis incruenti, in simila, & vino in Sacrosancto Sacramento; nec mistio olei, vt dixi in princ. cap. alterat, sed notat ipsum Spiritu Sancto vngendum, proùt vnctus fuit ex Petro in Act. Apost. vel gratiam ex vsu tanti Sacramenti emanaturam, vel Dei misericor-

ricordiam. Verſ. 44. de electione Aaron,& filiorum clarè, ne id in dubium ab aliquo verteretur, licèt Core,& Abiron cùm eorum congregatione impegerint in hoc. Verſ. 45. vult dicere, cognoſcēt per ſpecialem curam, quam illorum geram, & experientiam me eductorem fuiſſe, & cùm eis habitare: voluit enim Deus id eis notum eſſe, vt ad dilectionem, & obſeruantiam in eum, & mandata eius conuerterentur,& afficerentur.

CAPVT XXX.

FACIES *quoquè altare ad adolendum thimiama*, &c. his odoribus indigebant victimas tātas immolaturi, ex quibus grauis fœtor oriebatur; vel ne inficeretur locus intrà tabernaculum, quia in atrio magìs exhalabat, & poterat ſuſtineri, etſi principalitèr vt Deum colerent, vt hìc: ideò thimiama non poterat in vſus priuatorum fieri, vel conuerti infrà verſ. 37. Verſ. 8. an de die lucerent lucernæ, ſeù accenderentur? nec videtur, vt aliàs dixi, ſed de de nocte tantùm; ideò hìc dicitur *quandò componet*, quod erat de mane *& quandò collocabit ad veſperum*, quod erat in nocte, dum accendebantur; aliòquin ad quid vti hac diuerſitate verborum? Hinc 1. Reg. 3. lucerna Dei antequàm extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei, id eſt, Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei, antequàm lucerna extingueretur, dùm lucerna eſſet accenſa; vndè dicendo accenſam fuiſſe vno tempore, ſcilicèt noctis, in qua dormimus, videtur de alio excludere, nempè de die. Verſ. 12. colligitur numerationem populi proptèr bonam cauſam, vt hìc ad effectum ſolutionis dimidij ſicli præſcripti tàm in paupere, quàm in diuite ad ſanctuarium licuiſſe; quod ſi ad malum finem, ſequitur plaga, vt in Dauid, 2. Reg. 24. qui ad gloriam propriam voluit numerari. Verſ. 18. ex labro, & lotione habetur munditia externa, quàm volebat Dominus in Sacerdotibus; vndè eo magìs internam, quàm ex ea ſignificat. Verſ. 23. de vnguento ad vſum cultus ſui, quod noluit ad alium trahi. Verſ. 34. ex quibus componendum thimiama. Verſ. 37. & 38. etſi dicatur Sancta Sanctorum, non intelligitur de loco, in quo arca, ſeù de arca, ſed de ſanctitate rerum, de quibus in verſic. nempè in vnguento, & thimiamate.

CAPVT XXXI.

LOCVTVSQVE *eſt Dominus ad Moyſen, dicens: eccè*, ne conqueraris te non habere aptum miniſtrum ad ea, quæ iuſſi, perficienda, *vocaui*, elegi: quos vocauit, hos & prædeſtinauit, &c. sìc Iſa. 49. 1. Dominus ab vtero vocauit, elegit me; ſed vocando perfeci, & hoc ſolius Dei, qui dat miniſterium, & perficit ad illud, vt in Saule in alium mutato, & Salomone ſapientia repleto, & Apoſtolis, & Apoſtolicis viris, quibus dictum dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri; ideò ſubditur, *ex nomine Beſeleel*, &c. *& impleui eum Spiritu Dei*, &c. vſquè ad verſ. 12. occaſione autèm vaſorum faciendorum ne exiſtimarēt Hebræi ob hæc opera Sabbatum violandum, ſubdit de illius obſeruantia vſquè ad verſ. 18. & dùm dicit, *ſex diebus fecit Dominus cælum, & terram, & in ſeptimo ab opere ceſſauit*, collige clarè nec antè, nec pòſt ſex dies operatum Dominum, & excludi ex his verbis alios intellectus diuerſos datos Gen. 1. Vel meliùs, repetit de Sabbato, quia ſeruandū erat etiàm in deſerto, quod non erat generale in alijs reſeruatis cùm peruenìſſent ad Terram promiſſam, & congruit hoc nouum memoriale ſabbati in fine ſermonis: fuit enim quidam epilo-

epilogus. *Deditq. Dominus Moysi, completis huiuscemodi sermonibus in mōte Sinai, duas tabulas testimonij* pacti *lapideas, scriptas digito Dei*, opera Dei, proùt solēt homines digito; de Deo enim loquitur more hominū, perferendas secum, & ponendas in arca.

CAPVT XXXII.

V*IDENS autèm populus* impatiens *quòd moram faceret descendendi de monte* Sinai *Moyses, congregatus* tumultuans *aduersùs Aaron, dixit*, quasi vi agens, & compellens: *surge* ad opus, *fac nobis Deos, qui nos praecedant*, ad iter perficiendum: *Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit*, cùm tot diebus absit, nèc compareat, non ergò viderunt illum mortuum à dæmone repræsentatum, vt fingitur; sic Saul sacrificans non expectato Samuele iuxtà condictum; vndè mulctatus regni amissione in se, & successoribus: è contrà populus expectans Zachariam meruit cognoscere ipsum visionem vidisse, Luc. 1. *Dixitquè ad eos Aaron* timore perculsus, à principio enim facilè non consentiebat voluntariè: *Tollite inaures de vxorùm, filiorumquè, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me*, vt ex illis dij fieri possint: non credo id dictum ab Aaron ad scrupulum inijciendum, ne id sequeretur, existimans mulieres, & pueros non assensuros, & sic negocium infectum iri, tùm quia reus fuit, vt ostendam, tùm quia id in excusationem suam non adduxit, quæ fuisset magni ponderis: sed vers. 24. dicit. *quis vestrum habet aurum?* Vndè potiùs credo non constitisse populum in illis simplicibus verbis, *fac nobis deos*, proùt breuitatis causa refert Moyses, cùm ex sequentibus omnia proferat, sed actum esse qui dij faciendi, quomodò, & de alijs concernentibus, & conclusum faciendum vitulum, & aureum, aurumquè ex inauribus, quæ patebant (ex occultis enim non poterat quicquam terminari) sumendum esse ad opus: non enim omnium, & vix principum habere vasa aurea, & hoc vel fuisse inuentum commune Aaronis, & populi, vel Aaronis solius, etsi primum magìs placeat, quia sinè populi assensu præambulo Aaron id non iussisset; Vndè hic apparet peccatum Aaronis populo assentientis in tàm graui excessu. *Fecitquè populus quæ iusserat* Aaron, *deferens inaures ad Aaron*, vt fierent dij. *Quas cùm ille accepisset, formauit*, formari fecit ab artificibus *opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem; dixeruntquè* viso eo: *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*, impiè attribuentes idòlo, dæmoni, quod Dei erat: & hoc peccatum in Spiritum Sanctum, & secundùm Septuaginta dixit Aaron, qui ad eum solum; Vulgata ad omnes, intèr quos & ipse, dixerunt. Hinc peccatum Aaron, & mendacium infrà vers. 24. *& proieci illud in ignem, egressus est hic vitulus* quasi sorte, sed sequentia magis ostendunt eius peccatum. *Quod cùm vidisset Aaron, ædificauit altare coràm* eo vitulo. *& præconis voce clamauit dicens: Cràs solemnitas Domini est.* eccè alia præuaricatio, erectio altaris, & acclamatio ad solemnitatem, ad idolòlatriam. *Surgentesquè mane* diluculò ad malū prompti, & inuitati, *obtulerunt holocausta* idòlo, *& hostias pacificas, & sedit populus* in loco sacrificij *mādūcare, & bibere* de idolòthitis, *& surrexerūt ludere* more gentiliū bacchanalia exercentiū. Sed & peccatū Aaron infrà detegit Moyses versic. 21. & Deut. 9. 20. Aduersùm Aaron quoquè vehementèr iratus Deus voluit eum conterere, & pro illo similitèr deprecatus sum; vndè Aaron excusari non potest à tanta præuaricatione. An autèm internè peccauerit proùt externè? crederem vtroque modo ex premissis; nec exemplum Petri intrat, quia Petrus negauit illum nouisse, non negauit esse qualis erat; at hic idolòlatrando negauit Deum verum, cùm simùl hæc stare non possint. At in contrarium, quòd Aaron non peccauerit peccatum hoc maximum, sed omnia fecerit timore correptus tàm in fabricando

vitulo, quàm in erigendo altari, & proclamando, & alia faciendo ad sensum populi ad omnia, vt credo, instantis, & ni faceret comminantis. Vel alio modo non consenserit, & idolòlatra non fuerit, videtur probari, quia Deus non dicit, peccauit Aaron, sed populus, & Moyses non reprehendit eum de peccato proprio, sed populi; & quia Deus eum idolòlatram non fecisset Sacerdotem maximum, & impunitum de tanto scelere non dimisisset, si enim ex sola incredulitate ad aquas contradictionis tàm seueritèr secum, & cùm Moyse actum, & peccatum illud propalatum, & decantatum totiès, quid in hoc peccato maximo? & quod dicit Moyses orasse pro eo, intellige pro eo, quod fecit inducendo peccatum in populo. S. Athanasius epist. ad Ruffinianum tenet Aaronem omnia fecisse timens ne populus in Aegyptum reuerteretur, vbì maior fuisset difficultas auellendi eum ab idolòlatria, quàm in deserto, vbì faciliorem putauit auulsionem. At Aarõ non adducit hoc dùm se excusat cùm Moyse. *Loquutus est autèm Dominus*, quem nihil latet, *ad Moysen, dicens: Vade, descende* citò: *peccauit populus tuus* ille, *quem eduxisti* potentia mea *de terra Aegypti*: non meus, quia me dereliquit, & fecit sibi conflatile, nec etiàm tuus nùnc, qui (te contempto) ducem quæsiuit, sed tuus, qui illum eduxisti: sic enìm populus dixerat ad Aarõ. Vel vult dicere ironicè, egregium habes populum. *Recesserunt citò de via* bona timendi, & obseruandi me, & mandata mea: *quam ostendisti eis. Feceruntquè sibi vitulum conflatilem* (eccè non fortuitò, sed volentes) & adorarunt, *atquè immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dij tui Israel* (non ergò Deus) *qui te eduxerunt de terra Aegypti*, & sìc idolo dederunt gloriam Deo vero debitam, quem recognoscere debuerant: nihil hìc Deus de Aaron: sed quomodò Deũ nil latet, quomodò omnia enumerat, notat. Hinc cùm Moyses dicat de populo, Deus de eodem, friuolum est dubitare an Aegyptij, qui misti erant in populo Hebræo petierint fieri deos, cùm simus in claris populum Hebræum id petijsse, & dedisse inaures, & passum esse occasionem; nõ tamèn omnis populus præuaricatus est, ex Paulo 1. Cor. 10. nequè idòlis seruiamus, sicùt quidam illorum: non ergò omnes. *Rursumquè ait Dominus ad Moysen: Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit*; sic Stephanus Act. 7. dura ceruice, & incircũcisis cordibus: *Dimitte me* quẽ deprecaris (ex his enìm colligitur Moysen audito tãto scelere Dominũ pro populo deprecatũ esse) ne me retineas, ne me auertas, *vt irascatur furor meus cõtrà eos sic* peccantes, *& deleam eos*, & tamèn nihil tibi detrahetur, imò maiorem ducatum recipies, *faciamquè te in gentem magnam*: non videtur hic aptari, multiplicabo te, & semen tuum, sicùt Gen. 12. ad Abraham, sed supèr gentem magnã populum generẽ, postquàm de alio non possumus dicere, proùt Numer. 14. 12. clariùs: te autèm faciam principem supèr gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc est. *Moyses autèm* compatiens populo *orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contrà populum tuum*, quem tu elegisti, & segregasti, *quem eduxisti de terra Aegypti*, de seruitute magna *in fortitudine magna, & in manu robusta*? in tot prodigijs? (opponit beneficia populo facta) quasi, visne hæc proijcere? vt nemini seruierint? Sed imò beneficia hæc ostendebant populi ingratitudinem, & magìs irritare, & prouocare debuerant Deum ad vindictam; At è conuersò quia magis amat beneficium faciens, & magis accenditur ad maiora elargienda; ideò hæc proponit, tùm quia vult descendere ex eis ad hoc. *Ne quæso dicant Aegyptij*, si sic feceris Domine, *vt* dicis, *callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra*: sic & Abia. 2. Paralip. 14. 11. considerabunt enìm euentum solum; causam, qua motus fueris, ignorabunt; & si eam nouerint, quia ipsi idololatræ, non probabunt: *quiescat ira tua, & esto placabilis supèr nequitia populi tui* pœnitentiam acturi; hæc enim necessaria. Et si populus iste durus te prouocauit, *recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum*, qui à tuo cultu nunquàm aberrarunt, fuerunt tibi fideles, *quibus iurasti per temetipsum*, maiorem non habens, per quem iurares, ex Paulo, Heb. 6. 13. *dicens: Multiplicabo semen vestrum sicùt stellas cæli; & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo*

semini

semini vestro, & possidebitis eam sempèr: quasi, si deles populum, hæc euacuabuntur: esto ergò & tu fidelis eis, verax, obseruans, qualis sempèr. Si populus malus, boni illi, quibus obseruandum iuramentum; numquid horum iniquitas fidem tuam euacuabit, Domine? ex Paulo, Roma. 3. *Placatusquè est Dominus,* his verbis Moysis victus, *ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersùs populum suum,* de illum delendo, non de non puniendo, vt infrà; Hinc quantum valet deprecatio iusti assidua, & quomodò Deus placetur ob bonitatem præcessorum, sìc 4. Reg. 19. 34. & protegam ciuitatem hanc, vt seruem eam proptèr me, & proptèr Dauid seruum meum *Et reuersus est Moyses de monte,* postquàm adorauerant, & victimas obtulerant idòlo; de his enim Deus, & dùm choros ducerent, & luderent; tùnc enim superuenit (hinc præuaricatio populi quandò discessurus à monte Moyses pòst quadraginta dies) *portans duas tabulas testimonij in mau sua, scriptas ex vtraquè parte,* fortè vt occuparent minorem locum, & essent leuioris ponderis, *& factas opere Dei*, digito Dei, Angeli, in summa excellentia: *scriptura quoquè Dei erat sculpta in tabulis*, ità vt nedum tabulæ manu Dei, sed & scriptura. *Audiens autèm Iosue*, qui expectauerat Moysen, dùm descenderent, *tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Vlulatus pugnæ auditur in castris,* sic ei videbatur. *Qui* Moyses informatus à Deo *respondit: non est clamor adhortantium ad pugnam, nequè vociferatio compellentium ad fugam,* vt solet in congressu exercituum, *sed vocem cantantium*, lætantium *ego audio. Cumquè appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros,* quos ducebat populus: *iratusquè valdè,* & zelo magno apprehensus ob tantum scelus, quod abhorruit, *proiecit de manu tabulas & confregit eas ad radicem montis: arripiensquè vitulum, quem fecerant* (quomodò in conspectu populi insanientis intrepidè hæc agit Moyses, & tamèn ex Michaquàm cordi idòla idolòlatris) *combussit, & contriuit vsquè ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel,* his actibus docens nihil esse idòlum; si enim aliquid esset, cur permitteret se sic in puluerem redigi, malè tractari, & in ventrem proijci, & secessum? sic Ioas pater Gedeon de Baal. Iud. 6. 31. sic Asa cùm idòlo Priapi 2. Paral. 15. 9. 31. Ezechias cùm serpente æneo 4. Reg. 18. 4. *Dixitquè ad Aaron,* postquàm sustulit de medio occasionem peccati, quo angebatur; *quid tibi fecit hic populus, vt induceres supèr eum peccatum maximum?* quod est idololatria, illi obsequendo? quasi, cur non nixus es eum auertere? cur in re tanta adeò negligentèr te habuisti? non facit illū pœnitùs liberum à tanto crimine, *Cui ille respondit: ne indignetur Dominus meus:* (iratus enim erat Moyses) *tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum;* sic Deus vocat illum *duræ ceruicis; dixerunt mihi,* quasi vim inferentes: *Fac nobis deos, qui nos præcedant* ad iter: *huic enim Moysi qui nos eduxit de terra Aegypti, nescimus quid acciderit*, postquàm tamdiù moratur, nec reuertitur. *Quibus ego dixi: quis vestrum habet aurum?* quasi aptum id ad idòla *Tulerunt, & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egressusquè est hic vitulus:* extenuat peccatum suum verbis, quasi, forte id factum, cùm de industria fabricatus fuerit vitulus opere fusorio. *Videns ergò Moyses populum quòd esset nudatus* Deo, quem dereliquerat, & consequentèr omni bono; ad spiritualia enim hæc trahenda, tùm quia arguerat suprà Aaron de peccato maximo, in quod ruerat populus, tùm quia non potest de corporalibus, de quibus non constat, intelligi; nō enim nudatus, si inaures solas tulit, de alio nō apparet. *spoliauerat enim eum Aaron.* mercenarius pastor *proptèr ignominiam sordis* idòlolatriam, quæ est contaminatio, & infectio maxima, *& intèr hostes,* dæmones, quibuscum nobis colluctatio, & bellum perpetuum, *nudum constituerat,* expositum omni periculo, & morti more mercenarij ouem lupo dimittentis, & aufugientis, nec illam curantis, aùt defendentis: quales enim hostes medij tùnc? & quid hoc ad gentiles idòlolatras? Vndè cogitare cœpit de remedio, & ex remedio apparet etiam quomodò intelligat nuditatem populi: & duo occurrerunt, vnum expurgatione, & vindicta pro Deo, & hac vexatione inducere populum ad contritionem, &

pœnitentiam, & placare Deum, proùt ex facto Phinees transfodientis Zambri cùm Madianitide, aliud deprecari Dominum, & quòad primum dicitur. *Et stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini*, sequitur partes Domini veri, *iungatur mihi*, sit mecum. *Congregatiquè sunt ad eum omnes filij Leui* sui contribules, magis noti, magis inhærentes, non quòd Leuitarum nullus idòlolatra, si Aaron princeps assensit, quem secutos plures verisimile est: nàm Regis ad exemplum totus componitur orbis: sic Ieroboam idolòlatram; Sichem proselytum secuti populares; at fortè qui adhæserunt tùnc Moysi immunes erant, quia non accessissent infecti, præsertim cùm dixerit: *si quis est Domini*: & hi alios ex suis trucidarunt vers. 29. qui verisimilitèr peccauerant, præsertim Moysi non adhærentes, vt alij; & nulla ratio differentiæ dari potest cur Leuitæ omnes fuerint immunes à peccato, cùm nondùm assumpti essent ad ministerium Domini, & essent proùt cæteri de populo, & eorum caput esset Aarõ. *Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel*, cui tenemur omnes obedire: *Ponat vir gladium supèr fœmur suum*, accingatur quilibet; *ite, & redite de porta vsquè ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum* sibi obuium absquè vllo delectu nocentium, vel innocentium: in publicis enim vltionibus regula seruari non potest; sic infantes in diluuio enecti, & Sodomitæ vsti, qui non deliquerant. Vel nocentiũ tantùm, quod videtur tutius; sed quomodò cognouerint nocẽtes, ad miraculũ recurrendũ, nempè Deũ sic prouidisse: vel omnes nõ accurrẽtes ad Moysen rei, quod incertũ. *Feceruntque filij Leui iuxtà sermonem Moysi, cecideruntquè in die illa quasi viginti tria millia hominum*: sìc & Paulus 1. Cor. 11. ex qua cæde verisimilitèr incussus timor, & pœnitentia, & recognitio peccati in his, qui remanserunt, & præstita magna causa placationis Dei. *Et ait Moyses* Leuitis: *consecrastis manus vestras hodiè Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio*: quasi sacrificium obtulistis hodiè Domino in occisione hac, ità vt mereamini benedici, amplificari, repleri à Domino retribuente, proùt factum, Deut. 33. 9. & cùm Phinees, Num. 25. 15. Quòad secundum remedium dicitur: *Facto autèm altero die, locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum*; vult omninò eos cognoscere peccatum, vt conterantur ad sufficientiam; *ascendam ad Dominum* in monte, & enitar, *si quo modo quiuero eum deprecari*, & placatum reddere *pro scelere* hoc *vestro* maximo. *Reuersusquè Moyses ad Dominum, ait: Obsecro* te Domine, *peccauit populus iste peccatum maximum*: præmittit confessionem nomine populi, quæ est necessaria ad impetrandam veniam, & præcedere debet, *feceruntquè sibi deos aureos*, impiè, te derelinquẽtes Deum verum: *aut dimitte eis hanc noxam*, proùt rogo, *aut si non facis, dele me de libro tuo* prædestinatorum, *quem scripsisti*, in quo nomina talium scripta sunt: hoc dicit ex magno feruore, quo optabat exaudiri à Deo, & per hyperbolem, non quòd id vellet, aut fieri posset, cùm nemo scriptus deleatur; sìc & Paulus optans fieri anathema à Christo pro fratribus suis secundùm carnem, vt in Epist. ad Rom. dixi. Et non dicit quòd certò sciret se scriptum, quia nemo scit an odio, vel amore sit dignus, sed ex præsũptione, & coniecturis, & ductus gratijs, quibus à Deo fouebatur, vel quatenùs ibì scriptus sim, & sic dubitatiuè, vel præsuppositiuè. Non placet, Moysen sìc dixisse extrà se raptum, quia paratus iuit Deum oraturus, & ipse est incipiens sermonem. Non placet, *dele me de libro*, in quo Reges scribuntur; nàm sicùt apud Deum non est acceptio personarũ, sìc nequè diuersi libri, vnus Reges, alius priuatos continens, & subuerteretur intellectus ex verbis Dei: *qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo*; si enim de Regibus loqueretur, pauci remanerent scripti, cùm in Scriptura pauci Reges numerentur boni, & hi ratione peccati nõ essent delẽdi, sed qui in libro prædestinatorũ, si fieri, aut dari posset. Non placet, Moysen voluisse his verbis innuere, cedere ad maiorem gloriam Dei saluationem populi, qui saluus eum perpetuò, & in æternum laudaturus erat, & id magis velle, quàm salutem sui ipsius: quomodò enim colligatur, non video; nàm dicit, *aùt dimitte eis hanc noxam, aùt si non facis, dele me de*

me de libro tuo, quem scripsisti; intentio enìm sua erat salus corporis, non animæ: ideò de gloria populi non cogitauit: pro populo petit dimitti noxam, non agit de gloria, vel laude Dei; dùm de se loquitur agit de gloria, petens de ea deleri. Prætereà stabat simùl pœna corporis, quam merebantur peccatores, & tamèn antè contriti poterant saluari; vndè de hoc non cogitauit Moyses; & si cogitasset, expressisset: nàm quæsitio gloriæ Dei magis illum reddebat Deo gratum, & dignum qui exaudiretur; ad quid enim hoc præterisset? sicutì gloriam Dei quærens vers. 11. *ne quæso dicant Aegyptij, &c.* & vers. 12. *recordare Abraham, &c.* vt sis obseruans; proùt Dauid Psal. 50. vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Vltrà quod esset contrà ordinem charitatis, quæ incipit à seipso; vndè indigeret saluari per eandem hyperbolem. Responsio etiàm Dei eneruat hunc intellectum, quia dicit se deleturũ peccantes de libro, quæ tendit ad sensum verborum Moysis, nō autèm ad hanc intentionem Moysis, & tamèn verisimilitèr Deus intentioni quoquè respondisset, sed clariùs ex verbis, quæ sequuntur: *Ego autèm in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum*: ex his enìm ostenditur nihil actum de gloria Dei maiori ex populi salute, sed de pœna vitanda. Non placet Moysen intellexisse deleri de libro vitæ, idest viuentium, & voluisse, seù expectasse mori vel interfici, quod vidi apud Sanct. Isa. 4. 10. & Exechiel. 13. num. 16. Nàm contraria sunt verba Moysis *dele me de libro tuo, quem scripsisti*. Deus autèm non dicitur scribere nisi nomina prædestinatorum, gaudete quia nomina vestra scripta sunt in Cælo, non autèm viuentium, proùt nos mortales, etsi ad exemplum hoc, & nostram intelligentiam idem dicatur de Deo scribente, facit, quia subdit Deus. *qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo*. quid clarius Moysē intellexisse de vita spirituali? Prætereà nonnè Paulus optabat fieri anathema à Christo pro fratribus Rom. 9? & quandò Moyses intellexit de morte corporali, dicit clarè Deo: interfice me, Num. 11. 15. *Cui respondit Dominus: Qui peccauerit mihi, delebo eũ de libro meo*, in eo non scribetur; sic verba: deleantur de libro viuentiũ, declarantur, & cùm iustis non scribantur. Hinc apparet de quo libro vellet deleri Moyses, nempè de eo, in quo scribuntur iusti, & pij. & stat hyperbole. Vide dicta in Paulo ad Rom. At Deus respondens non explicat illum esse scriptum, sed loquitur generalitèr, & indefinitè. *Tu autē vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi*, ad Terrã promissionis: *Angelus meus præcedet te*, proùt vsquè nũc fecit. *Ego autèm in die vltionis*, mortis cuiusq. vel vniuersalis iudicij *visitabo & hoc peccatum eorum*, cuius eos non pœnituerit: hoc dixit, vt sempèr timeant Dominũ; vndè sapiens: de propitiato peccato noli esse securus, sempèr enitere ad illud delendum. *Percussit ergò Dominus populũ pro reatu vituli, quem fecerat Aaron* iuxta iam dicta in viginti tribus millibus, vel iuxtà dicta per eũ in die vltionis; de hoc tamèn nullibì in Scriptura: & est verisimile Deo satisfactum fuisse in illorum occisione sola pro tùnc: nàm si alia fuisset vltio, describeretur, præsertim ad exemplum in tanto peccato: sic ergò dixit Deus, quia malum nullum impunitum, proùt bonum nullum irremuneratum. & in die vltionis iuxtà opus receperunt.

CAPVT XXXIII.

LOCVTVSQVE est Dominus ad Moysen, dicens: (continuat dicta in præcedenti cap. vers. 34. pòst quæ interposuerat de percussione populi. *Vade* ad populum, *ascende de loco isto tu, & populus tuus, quem eduxisti de terra Aegypti*: adhùc nominat populum Moysi, non *Dei*: in hoc tamèn nihil speciale puto obseruandum, vt alibì dixi. *in terram, quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob*, (ascendebatur enìm in via ad illam) *dicens: semini tuo dabo eam*, sicùt tu rogasti; ium enim Deus verax, & obseruans: *& mittam præcursorem*, & ductorem *tui Angelum*, non ampliùs me repræsentantem, qui vos præcedat, *vt eÿciam* illo ministro *Chananæum*, &c. *& intres in terram fluentem lacte, & melle*, idest, omni bono refertam. *Non enìm ascendam tecum* familiaritèr conuersans, & responsa dans, & mirabilia patrans, proùt faciebam; hinc ostendi

adhùc iratum esse, quia inimici non conueniunt simul libentèr, & more hominum loquitur, cùm Deus vbiquè sit, & iàm per Angelum prouiderit: *quia populus duræ ceruicis es, ne fortè disperdam* te peccantem *in via:* nouerat Deus populum ab eo auertendum, hic & more humano loquitur, quia promptiùs, & faciliùs vindicamus in præsentes, & coràm nobis peccantes: tùnc enim magis accenditur zelus, & ex hac comminata sui subtractione intendit inducere contritionē in populo, proùt sequitur. *Audiensquè populus sermonem hunc pessimum* ex ore Moysis referentis, postquam descenderat de monte, *luxit*, videns se à Domino sperni, *& nullus ex more indutus est cultu suo*, ex hoc dolorem ostentans, & ad misericordiam Deum mouens, proùt Niniuitæ. Ion. 3. *Dixitquè Dominus ad Moysen:* (nùnc docet quomodò sciuit populus quod præmisit) *loquere filiis Israel*, cùm hinc descenderis: *populus duræ ceruicis es, semèl*, si semèl *ascēdam in medio tui* peccantis, in ipsa peccati patratione zelo accensus, *& delebo te:* ideò elegi non ascendere tecum. *Iàm nùnc depone ornatum tuum* (explicat quod prædixerat, neminem cultu suo indutum fuisse id factum ex iussu Domini, *vt sciam quid faciam tibi*, vt vel ex hoc mouear, & deliberem quid mihi tecum agendum: hoc etiàm tendit ad inducendam pœnitentiam, & contritionem in populo, qui peccauerat. *Deposuerunt ergò filii Israel ornatum suum*, vestimenta meliora *à monte Horeb*, idest à mōte illo cœperunt deponere, & sinè illis esse iuxtà verbum Domini, cui obediuerunt. *Moyses quoquè tollens tabernaculum* vnum ex suis, *tetendit* illud *extrà castra procùl;* quia castra erant immunda ob peccatum, & & iàm dixerat Dominus nolle esse in medio populi, & sic firmatur intellectus quid intelligeret Deus in verbis, *non ascendam tecum*. Hinc argue quàm displiceat Deo idolòlatria, vt non possit pati idolòlatras: hinc Christus noluit eos in suo aduentu inueniri in Iudæa, ad quam præsentialitèr missus: *vocauitquè nomen eius tabernaculum fœderis*, non ergò erat illud, quod Dominus mandauerat fieri, quia hoc ex nuncupatione sola recipit nomen; & fortè *fœderis*, quia in eo stans tractabat cùm Deo renouari fœdus intèr eum, & populum, qui defecerat per idolòlatriam, non quòd ibì essent tabulæ, quas nōdùm receperat nouas, primis iàm fractis. *Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem*, litem, controuersiam de Moysi reseruatis, *egrediebatur ad tabernaculum fœderis extrà castra. Cumquè egrederetur Moyses de tabernaculo* suo ordinario, seù papilione, in quo morabatur, ad tabernaculum fœderis. *surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantquè tergum Moysi* ambulantis, *donèc ingrederetur tentorium*, tabernaculum fœderis: eccè quomodò non erat tabernaculum illud ex Dei ordine fabricandum. Ex his ostenditur reuerentia, qua Moysen prosequebantur assurgendo, nec audendo eum in faciem respicere. *Ingresso autèm illo* Moyse *tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium* tabernaculi, *loquebaturquè cùm Moyse:* tabernaculum ergo hoc statutum erat in eo loco, ne Moyses totiès cogeretur montem ascendere, sed posset in loco, quo erat, loqui cùm Domino, qui nolebat in medio populi assistere, *cernentibus vniuersis, quòd columna nubis staret ad ostiū tabernaculi:* hoc ad gloriam Moysis, & vt fides eius augeretur apud populū, *stabantquè ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum:* nolebat Deus quòd secum miscerētur pòst peccatum, vt ad contritionem mouerentur, & cognoscerent differentiam intèr innocentes, & reos quò ad Dominum. *Loquebatur autèm Dominus ad Moysen facie ad faciem sicùt solet homo loqui ad amicum suum*, intellige ergò Moysen vidisse loquentem, proùt Iacob facie ad faciē vidit Dominū, scilicèt Angelum, cùm quo luctatus est, & alij, & vt similitudo data hominis cùm alio loquentis procedat; vndè non placet, *loquebatur facie ad faciem*, sed illum non videbat, audiebat tantùm loquentem; nàm ex textu non videtur colligi: & si infrà de facie, intelligitur de gloria, quam, dùm secum loquebatur, nō videbat, vel alitèr vt ibi. Nec dicas, dùm luctabatur Iacob cū Angelo nox erat, imò vsq. mane, sed & in nocte cominùs pōt videri facies hominis, maximè lucēte luna; sed alij Angelos viderunt, vt Manue, & vxor; vndè stat intellectus, vt faciem viderit, sed nō gloriosā, proùt & Zacharias. *Cūq. ille*

reuer-

reuerteretur in castra, minister eius Iosue filius Nun, puer, iuuenis, non seruus, quia iàm dixit minister, vel puer innocẽtia. Puer vnius anni erat Saul. Puer Samuel non recedebat de tabernaculo, stabat ad custodiam. *Dixit autèm Moyses ad Dominũ: Præcipis, vt educam populum istum* hinc, *& non indicas mihi quem missurus es mecum*, quasi solus non possum, *præsertim cũ dixeris: Noui te ex nomine*, te magnifacio, honoro: sìc enìm solent Principes cũ cognitis: nàm more humano loquitur: *& inuenisti gratiã coràm me*, es mihi gratus, sìc Angelus ad Virginem: inuenisti enim gratiam apud Deum, es grata Deo; Vndè dilectus Deo, & hominibus Moyses: Sed nonnè dixerat Deus, *præcedet te Angelus meus*? at Moyses non acquiescebat, & ex generalibus descendebat, Dominum velle comitem, vt prosequitur. *Si ergò inueni gratiam in conspectu tuo*, si tibi gratus sum, *ostende mihi faciem tuam*, ostende te mihi placatum, benignum, & amabilem, mihi annue; more humano loquitur; quos enim libentèr auscultamus, & ad quorum preces flectimur, solemus facie intendere; vndè Dauid: Ne proijcias me a facie tua, Psal. 50. & Bethsabee ad Salomonem. Ne confundas faciem meam, & Salomon: non enìm fas est vt auertam faciem tuam 3. Reg. 2. 20. 21. &, auertente autèm te faciẽ tuam, turbabuntur, Psal. 103. &, ostendat Dominus faciem suam tibi. Num. 6. 25. *vt sciam*, cognoscam *te* quò tendas, quæ sit mens tua, quid cogites circà populum peccantem, *& inueniam*, sciam, probem facto inuenisse *gratiam antè oculos tuos: respice* oculis misericordiæ *populum tuum, gentem hanc*, multitudinem hanc magnam, quasi, nimium esset tantum numerum hominum, populum tuum delere, satisfactionem recipe ex iàm occisis. *Dixitquè Dominus* tandèm placatus, & annuens precibus Moysis: *facies mea*, protegens *præcedet te*, ero dux tuus, ponam oculos meos supèr te *& requiem dabo tibi* à tanta solicitudine, qua pro populo angeris, exaudiam te, quia pro populo deprecabatur, verisimile est Deum in illis verbis *(facies mea præcedet te)* & populum comprehendere; sicuti verba (& mittam præcursorem tui Angelum) *& ait Moyses* comprobans Dei dictum, adeò hoc exopto, est adeò necessarium, quòd *si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto*, potiùs eligimus hic in deserto morari, quàm sinè te pergere. Vel adhùc dubitans circà verba Domini, quærit habere maiorem explicationem, dùm se magis dilatat in aperiendo sensum suum. *In quo enìm scire poterimus ego, & populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu tuo*, tibi esse gratos, te nobis placatum, *nisi ambulaueris nobiscum*; amici enìm simùl gradiuntur, inimici nec respiciunt quem oderunt, *vt* consequentèr te nobiscum ambulante *glorificemur*, magnificemur, exaltemur *ab omnibus populis, qui habitant supèr terram?* & dicere possimus: non est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appropinquãtes sibi, sicut Deus noster adest nobis. *Dixit autèm Dominus ad Moysen*, se magis explicans, & clarius loquens: *& verbum istud*, rem hanc, *quod locutus es*, petisti, *faciam: inuenisti enim gratiam coràm me*, es mihi gratus, *& teipsum noui ex nomine*, es mihi cognitus: more humano loquitur; sìc enìm Principes cognoscunt magnos; sìc Propheta: Dominus vocauit me nomine meo. *Qui* Moyses *ait: ostende mihi gloriam tuam*, sic enìm credam te hilarem placatum, iram deposuisse (hìnc Ezechias lætus recepta sanitate ostendit thesauros nuntijs Babylonicis) non essentiam; nàm id fuisset ex abrupto, & extrà rem; & dicitur: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se 1. Cor. 2. sed postquàm sum tibi gratus, & amicorum est communicare omnia cùm amicis suis, ostende mihi tuam maiestatem; hinc etsi loqueretur facie ad faciem, non ostendebat Angelus gloriam, maiestatem. Vel suprà *facie ad faciem*, dic familiaritèr; Quòd autèm gloriam apparentis, non essentiam diuinam expeteret, patet ex subsequentibus, & præsertim quia Deus annuit sibi, nec tamèn faciem ostendit, & suprà Exod. 16. 7. mane videbitis gloriam eius, idest, potentiam, magnificentiam eius, & vers. 10. eccè gloria, maiestas, non essentia Dei. At credo Moysen intentum placationi Dei ergà populum intendisse ex hoc in illa gloriæ ostensione magis instare pro venia, æstimans tùnc Deum futurum magis pronum ad illam, proùt solent Reges in actibus eorum gloriam humanam representantibus

tibus

tibus esse magis gratiosos,quasi sic enim credam te hilarem, iucundum, iramquè dimisisse *Respondit* Dominus: *Ego ostendam omne bonum tibi,* faciam quod optas, *& vocabo,* loquar, faciam mirabilia, vt infrà cap. seq. vocare enim Dei est facere; vocat ea, quæ non sunt, ac si sint; sic Num. 6. 27. inuocabuntquè nomen meum supèr filios Israel,& ego benedicam eis, Deut.28. 10. videbuntquè omnes terrarum populi, quòd nomen Domini inuocatum sit supèr te 2. Reg. 6. 2. vt adducerent arcam Dei, supèr quam inuocatum est nomen Domini exercituum.facta mirabilia.3. Reg.8.43. & probent quia nomen tuum inuocatum est supèr domum hanc. Psal. 19. 8. hi in curribus, & hi in equis; nos autèm in nomine Dei nostri inuocabimus, idest in virtute Dei operabimur. Isai. 4. 1. inuocetur nomen tuum supèr nos. Eccl. 36. 14. miserere plebi tuæ, supèr quam inuocatum est nomen tuum: In nomine Domini magno, in potestate mea excelsa coràm te,in conspectu tuo, ad tui, & successorum ducum assistentiam,& ministerium,proùt contigit anteà Exod. 17 6. en ego stabo ibi corã te,in miraculo aquæ è petra eductæ, & infrà in alijs;sic Exod.6.3.Ego Dominus, qui apparui Abraham,Isaac,& Iacob in Deo omnipotente; sic quòd (in nomine Domini) intelligatur de mirabilibus,seù miraculis agendis, seù potentia, vel maiestate, facit, Deut. 18. 19. qui autèm verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.Propheta autèm qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo,&c. sed clariùs. Io. 3. 18. quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei; & Io.5.43. ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me,si alius venerit in nomine suo,illum accipietis: Non placet, *vocabo:* Dominus adest;vel dicam nomine meo,quia verba,*(in nomine Domini* loqui) & *(coràm te)* non aptantur, & quia in seq. cap. id non præstat Deus,sed Moyses, si enim Deus sic promisisset, præstitisset: *&* pro quia *miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit:* quasi, hoc enim à mea tantùm voluntate dependet; hinc prædestinationem à mera, & pura Dei voluntate dependere arguit Paulus Rom.9.15.Vel & quòad alios,de quibus scire aues etiàm *miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit:* quasi, de salute totius populi in vniuersum scire non potes; nàm hoc in mea residet voluntate abscondita,nemini nota:multi vocati,pauci electi:vnus assumetur,& vnus derelinquetur, &c. *Rursumquè ait Dominus non poteris videre,* intendere in *faciem meam,* quia nimis magna gloria decorata est *non enim videbit me homo, & viuet:* videns me morereris oppressus à gloria, & maiestate nimia, sic discipuli in Transfiguratione, ceciderunt in faciem suam, Math.17. loquitur Angelus de se,non de essentia diuina.*Et iterum* dixit, volens Moysi satisfacere. *Ecce, inquit, locus est apud me* in monte Sinai, *& stabis suprà petram* expectans. *Cumquè transibit gloria mea,* maiestas mea, ego in maiestate: (eccè quomodò volebat ostendere ei omne bonum, & vocare in nomine Domini coràm Moyse, & quid intendebat Moyses pro gloria;nàm responsio præsumitur conformis interrogationi:) *ponam te in foramine petræ,* vt sis tutus,ne opprimaris à gloria transeunte; sic solemus in montibus stantes hærere petris,ne præcipitemus deorsùm; sic Dominæ: & virtus Altissimi obumbrabit tibi, proteget te: *& protegã,tegã dextera* mea, *donèc transeam,* ne à gloria superessundaris; sic Elias operuit pallio faciem suam, & stetit in ostio speluncæ Domino in monte transeunte in sibilo auræ tenuis. 3. Reg. 19. 13. & Seraphim velabant facies suas apud Isai. 6. *Tollamquè deindè manum meam,* & tùnc *videbis posteriora mea* postquàm transiero: *faciem autèm meam* nimis gloriosam *videre non poteris,* quasi, aliquid videbis gloriosum,quod non offendat, non tamèn gloriam meam totalem, quia non posses sustinere. Vndè habemus Moysen non vidisse essentiam Dei,proùt nequè Paulus,vt alibì tenui, imò non petijsse, cùm non sit verisimile Moysen ignorasse id non concedi viuenti: in hac enim vita in ænigmate, & per speculum: in alia verò facie ad faciem. eò magis quia sciebat colloquentem secum esse Angelum Dei,non Deum,& in eo non posse essentiã Dei videri; nàm quod Deus dicit intellige de gloria repræsentata Moysi in illo corpore apparituro, non de essentia.

CAPVT XXXIV.

AC deincèps, vlteriùs: *Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instàr priorum*, quas dedi tibi, *& scribam supèr eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti*. Hinc Moyses reassumpsit animum, Deumquè placatum cognouit ergà populum. Sed cur iubet nùnc tabulas à Moyse dolari, quas ipse priùs dederat? quia prima vice ignorabat Moyses quid agendum, nùnc scienti,& facilè prouidere valenti hoc iniungitur, cùm Deus non multiplicet mirabilia, nisi in necessitate, & etiàm vt populus videret quid ageretur. *Esto paratus mane, vt ascendas statìm in montem Sinai, stabisquè mecum supèr verticē montis: Nullus ascendat tecum*, quia nullus dignus. sic paucos admisit Christus in Transfiguratione, & suscitatione puellæ, & in horto, & illos vt testificarentur, quod hìc soli Moysi, sed cornuta facie ornato, vt esset fide dignus concessum, nec *videatur quispiam per totum montem: boues quoquè, & oues non pascantur è contrà*, vt ex diligentia facta à Moyse supèr his ille redderetur fide dignior in magnalibus Dei publicandis. *Excidit ergò*; excidere fecit ab artificibus Moyses *duas tabulas lapideas, quales anteà fuerant, & de nocte consurgens* (eccè diligentia) *ascendit in montem Sinai, sicùt præceperat ei Dominus, portans secum tabulas* non onerosas: hinc collige priores non fuisse pretiosas iuxtà cōmenta Rabbinorū: Quomodò Moyses omnia punctualitèr præstat. *Cumquè descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cùm eo, inuocans nomen Domini*, orans: vndè Dauid, & nomen Domini inuocabo. *Quo* Domino *transeunte coràm eo*, sicùt promiserat, pòst tergum respiciens Moyses, *ait*, intentus placationi, & veniæ pro populo, sicùt dixi cap. præcedēti,& ex his confirmantur ibì dicta,& Dei gloria perfusus in laudes Dei erumpens, proùt solemus in aduentu maiorum laudes eorum recensere, & fecerunt pueri clamantes, Osanna filio Dauid; & ex his beneuolentiam captās, proùt nùnc nos Pater noster, qui es in cælis. *Dominator Domine Deus*, omnipotens Deus: hæc didicit à Deo Exod. 20. primò recognoscit eum in Dominum, potentem omnia, & præsertim peccatores punire, & delere, ac etiàm *misericors, & clemens, patiens, ac multæ misericordiæ*, qua superabundas supèr omnia opera tua: *ac verax*, fidelis, obseruās, adimplens quæ promittis, *qui custodis*, exerces *misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atquè peccata* benignitate tua, *nullusquè apud te per se innocens est*, quasi innocētiæ es auctor, cùm nec cæli sint mundi in conspectu tuo. Iob 15. *Qui*, cùm etiàm iustus sis, *reddis iniquitatem patrum*, à quibus cœpit, *filijs, ac nepotibus* etiàm innocentibus *in tertiam, & quartam progeniem*, generationē, & quousquè tibi placet, & quousquè compleantur iniquitates, Gen. 15. de hoc latè dixi in Euangelijs supèr verbis: à sanguine Abel iusti, &c. & alibì. hùcusquè confessio, & laus; sìc Christus laudās Patrem: Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, &c. Nùnc ad intententum suum: hac enim de causa petijt visionem gloriæ putans Deum placabilem reddere. Miror ab aliquibus referri verba ad Deum loquentem, cùm in Vulgata appareat hæc à Moyse Deo decantari, & ex structura Scripturæ; sed decepti sunt ex verbis positis in præcedenti cap. & vocabo in nomine Domini coràm te, quæ declaranda, vt ibì dixi. Nec obstant verba Moysis. Num. 14. 17. 18. quasi referentis hæc dicta à Domino: nàm cùm simus in claris hæc verba hìc referri, & cani à Moyse, non possumus contrarium asserere, sed referenda dicta. Num. 14. dùm Deus Exod. 20. 5. hæc prænunciauit paciscens cùm populo: hinc ibì dicitur. iurasti, pactus es, fœdus inisti, quod iuramentum, pactum, fœdus hìc abfuit. Non dicas: hæc epitheta Dei Moysen ignorasse; nàm cùm respiciant Dei misericordiam, & iustitiam, hæc ex Genesi, & alijs præcedentibus cognosci possunt, & de tertia, & quarta generatione, Genes. 15. & cùm hæc dixerit, à Deo fuit illustratus vt diceret: cur enim id non concedendum in Moyse? sed & Deus hæc dixit, Exod. 20. 5. quomodò ergò ignorauit? nonne impleuit spiritu suo Beseleel, Oliab, septuaginta senes. At inuerisimilius

hæc

hæc priùs dicta à Deo, posteà à Moyse, exemplo Christi docentis Pater noster; quia nec hìc Deus docens, nec exemplum accommodatur. *Festinusquè Moyses*, ne elaberetur visio: est enim vadens, & non rediens, *curuatus est pronus in terram, & adorans*, vt veneretur, & impetret, *ait, si inueni gratiam in conspectu tuo Domine*, si sum tibi gratus, si quid apud te mereor, *obsecro vt gradiaris nobiscum* in brachio tuo magno, & manu extenta *(populus enim duræ ceruicis est)* quasi, ex tua præsentia dulcorabitur, fiet mollior, lenior, ex tua absentia sic permanebit, adhibe hanc misericordiam, *& auferas iniquitates nostras, atquè peccata, nosquè* sic ablutos, & puros, *possideas* quasi filios tuos in populum peculiarem; sic Eua Gen. 4. 1. possedi hominem per Deum. Et Exod. 15. donèc pertranseat populus tuus iste, quem possedisti. Vel quasi hæreditatem tuam, simus tui sempèr, nos tibi subijciamur, scio enim te cùm peccatoribus gradi nolle; Tu igitùr, cuius est peccata tollere, vt præmisit in confessione, hæc aufer, vt nobiscum esse possis, eccè quomodò omnia à Moyse ad placandum Deum, vt dixi. *Respondit Dominus: Ego inibo pactum*, renouabo pacta irrita ex peccato idolòlatriæ reddita, proùt fit cùm fœdifragis *videntibus cunctis, signa*, mirabilia *faciam, quæ numquam visa sunt supèr terram, nec in vllis gentibus*, vt hæc vos magnificent: *vt cernat populus iste* durus, *in cuius es medio*, quem regis, ducis, *opus Dei terribile, quod facturus sum*, mirabilia quæ faciam, & cognoscat me solum Deum, non conuertatur ad idòla: eccè quod dixerat Dominus suprà cap. præcedenti, vocabo in nomine Domini coràm te, faciam scilicèt mirabilia, vt ibì dixi, non ergò restringit se ad Moysen, & Aaron, de quibus solis nihil præcessit, aut dictum fuerat, neque restringenda hæc verba ad miraculum splendoris faciei Moysi tantùm, sed ad vniuersa quæ fecit, præsertim quia vtitur verbis generalibus, *(signa)* Hinc vide quot fuerint agenda Moysi pro peccato idolòlatriæ, quomodò Deus ostenderit gloriam suam illi, & reliquerit in eo signa, vt populus cognosceret illum, & auerteretur ab idòlis; & quomodò omnia fecit, petijt, & dixit Moyses ad placandum Dominum. *Obserua*, nota *cuncta quæ hodiè mando tibi: ego ipse eijciam antè faciem tuam*, te vidente populo scilicèt, *Amorrhæum, &c.* dixerat cap. præcedenti id facturum Angelum, nunc placatus ipsummet facturum. *Caue ne vnquàm cùm habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi*, cedant *in ruinam*, vt ad eorum idòla adorāda conuertaris; ideò subdit, *sed aras eorum*, in quibus idòlis immolant *destrue, confringe statuas*, quas adorant, *lucosquè*, in quibus hæc faciūt, *succide*, tolle omnem idolòlatriæ memoriam ne labaris: *noli adorare Deū alienum*, ab alijs falsò in Deū assumptum. *Dominus* Ego Deus verus, *Zelotes nomen eius*, non admittens alium, honorem suum nemini dans, *Deus est æmulator*, circumspiciens, vt æmulus solet, & quem nihil latet. *Ne ineas pactum*, fœdera *cùm hominibus illarum regionum* ad saluandum eos, & tecum conuiuendum; *ne, cùm fornicati fuerint cùm dijs suis*, idolòlatrando, *& adorauerint simulachra eorum* muta, & inania, *vocet te quispiam vt comedas de immolatis* idòlis: id prohibetur non per se, sed ne illius occasione ad peiora deducantur: vndè 1. Cor. 7. ratione scandali, & conscientiæ tantùm prohibita idolòthitorum comestio. *Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis, ne, postquàm ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos* sic euenit Salomoni, populo cùm Madianitis, & alijs, *Deos conflatiles non facies tibi*: hoc in specie, & præmissa omnia ad idem, ad extirpandam idolòlatriam præcedentem: etsi Exod. 20. de his egisset Deus. A vers. 18. vsquè 27. alibì dictum. Quòad securitatem adeuntium ad solemnitates ter in anno vers. 24. dic id non ex miraculo, vt aliqui censent, præsertim Abul. millies sed clarè ex gētium eiectione, quibus eiectis nullus erat timor. Quod dicitur versic. 25. de non reseruando vsquè mane, intellige vt hìc de victima phase, agno paschali iuxtà dicta Exod. 12. *Dixitq. Dominus ad Moysen: scribe tibi verba hæc* præcepta, *quibus & tecum* duce, & cùm Israel populo *pepigi fœdus. Fuit ergò ibì cùm Domino* Moyses *quadraginta dies, et quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit*, ieiunus omninò ab omnibus cōprehensis sub pane, & aqua; *& scripsit* Dominus suprà in princ. c. & Deut. 10. 1. cū seqq. *in tabulis verba fœderis decem. Cùmq.*

descen-

descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, erat enim solus etiàm absq. Iosue, vt à nullo potuerit priùs discere *quòd cornuta*, irradians, fulgida *esset facies sua ex consortio sermonis Domini* sic eũ inflammantis,& irradiãtis, vt à populo magis æstimaretur,& simùl Deus, à quo tale decus: sìc ex splẽdore Christi apparẽtis vocatus Paulus,vt dixi Act.9. *Vidẽtes autèm Aaron, & filij Israel cornutam* splendidam *Moysi faciem, timuerunt propè accedere* ad eum, quasi aliquid diuinum repræsentantem. *Vocatiquè ab eo reuersi sunt* (ergò iàm abierant ex timore) *tàm Aaron,quàm Principes Synagogæ.Et postquã loquutus est ad eos* de gestis cùm Domino, *venerunt ad eũ etiàm omnes filij Israel* (optabant omnes scire certò placatum esse Dominum) *quibus præcepit* ex ordine Dei *cuncta quæ audierat à Domino in monte Sinai. Impletisquè sermonibus: posuit velamen supèr faciem suam*, expertus non posse liberè cùm alijs conuersari ob splendorem ex ea emanantem; *Quod ingressus ad Dominum, & loquens cùm eo, auferebat donèc exiret*: tùnc enìm cessabat causa, *& tùnc loquebatur ad filios Israel omnia, quæ sibi fuerant imperata, Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam* ex splendore, *sed operiebat ille rursùs faciem suam, si quandò loquebatur ad eos*, vt possent intendere in eum, & dicta audire. Sed quousquè durauit is splendor in facie Moysi? credendum vsquè ad mortem; cùm enìm esset donum Dei, præsumitur esse perpetuum,proùt omnia eius dona, & quia nullibì de cessatione, & si cessasset, diminuta esset eius fides apud populum, quod non est verisimile factum fuisse à Domino: & ex alijs, de quibus per Abulens. Vide scripta in Ioanne Baptista in Euangelijs, dùm tenui vsum rationis in eo durasse.

CAPVT XXXV.

VERS. 3. *Non succendetis ignem*, idest, ad coquendum, non simplicitèr; ad illuminandum enim,& calefaciendum licebat. Versic. 5. *separate apud vos primitias*, idest, res principales, primarias, pretiosas: hæ enim requirebantur ad ea, quæ iusserat Deus ædificanda, de quibus posteà subijcit: *aurum* &c. Vel *primitias*, primam oblationem: vtitur hoc verbo Paulus in Epistolis ad similem significationem, primitias spiritus habentes, &c. non ergò hic primitias, proùt suprà cap. 34. 26. Versic. 21. Oblationes hæ seruierunt ad magnũ experimentum voluntatis populi ergà Deũ, proùt contrà eũ in inauribus aureis oblatis pro vitulo ædificando, præsertim quia ab vltroneis hæc inferebantur,nullus cogebatur, sicùt docetur 2.Cor. 9. Versic. 24. *de lignis Sethim*; dic fuisse in deserto,& à populo præcidente, & secante oblata: non enim verisimile tabulas Sethim ex Aegypto allatas à coactis exire in tanto impetu. Vers. 30. Nominatio *Beseleel*, non ad tollendum iurgium intèr artifices, de quo non constat; sed vt sciret populus qua diligentia opus perficiẽdum, & cognosceret qualis cura horum perficiendorum in Deo; qui etiàm elegerat, & perfecerat artifices, fieretquè promptior ad offerendum necessaria, & sciret ad quem oblata deferret, vt seq. cap. vers. 4.

CAPVT XXXVI.

VERS. 1. *Fecit*, &c. necessaria ad vsus Sãctuarij: Apparet omnes artes, & artificia à Deo emanasse; sic & 3. Gen. fecit vestes pelliceas Adã è paradiso eijciendo, sic designauit arcam Noe; templum fabricandum, seù docuit quomodò ædificandum per Salomonem. 2. Paralip. 28. 19. & Ezechieli repræsentauit, Ezechiel. in fin. Versic. 3. admirabilior redditur promptitudo populi offerentis, ita vt fuerit necesse prohiberi oblationem, vt sequitur versic. 6. quod abstersit satis maculam ex idololatria contractam. Vers. 8. refertur opus factum vsquè ad finem cap. vt appareat iuxtà exemplar Domini omnia perfecta:

CAPVT

CAPVT XL.

LOQVVTVSQVE *est Dominus*. In hoc capite de erectione omniũ fabricatorũ. Verſ. 7. de labro implendo aqua, & nulla mẽtio ſpeculorũ, in quæ reſpicerent; ſic & verſic. 28. & verſ. 29. pedes, & manus lauiſſe; ſic verſ. 12. totos, & nihil de ſpeculis, quæ vt dixi nihil faciebant ad miniſteriũ. Verſ. 13. *in ſacerdotium ſempiternum.* intellige ad eorum vitam, & quia ſubrogãdi alij. Vide Paulum Hebr. 7. & per totam Epiſt. ex qua colliges non dici hoc *ſacerdotium ſempiternum* propriè, ſed vt dixi, ideò Chriſtus non Sacerdos ſecundùm Aaron, ſed ſecundùm Melchiſedech æternum. d. c. 7. Verſic. 18. de teſtimonio poſito in arca, & quia nulla mentio gomor mannæ, veriſimile eſt huius appoſitionem dilatam vſquè ad finẽ, proùt iàm dictum ſuo loco ſuprà. Et quia nùnc fit mentio poſitionis tabularum in arca. dic nõ fuiſſe poſitas in tabernaculo, quod extrà caſtra poſuerat Moyſes, etſi illud vocauerit tabernaculum nõ teſtimonij, ſed fœderis, fortè quia ſtans in eo agebat cùm Deo de fœdere ex parte populi rupto per idolòlatriam intèr eundem, & Deum reparando, & renouando: tùnc enìm vt ex ordine litteræ nõdùm tabulas nouas receperat pòſt primas fractas. Verſ. 33. apparuit Dominus in gloria, in luce, ſplendore ad approbandum quicquid geſtum fuerat in cultum ſuum: ſic & 3. Reg. 8. finito templo à Salomone. Hìnc videtur colligi columnam nubis non permãſiſſe, dùm ſiſterũt ad montem Sinai; vel quia ibi diù permanſuri, vel quia oſtendebat ſe Deus in monte, & noluit duplici in loco apparere, ſeù manifeſtari; ſi enìm nubes fuiſſet præſens, non quæſiſſent ductorem viæ, poſtquàm nube duce ſiſtebant, vel procedebant, vt hic, & Exod. 13. 21. 22. Verſ. 24. dic altare thimiamatis fuiſſe extrà Sancta Sanctorum ex aduersò veli diſtinguentis, quia ſi fuiſſet intrà, non potuiſſent quotidiè ingredi ad incenſum adolendum, neque minores Sacerdotes id facere potuiſſent, cùm ſemel in anno intraret Sacerdos ſummus, proùt Zacharias offerebat incenſum, Luc. 2. qui non erat ſummus Sacerdos. Sed clarè conſtat, quia verſ. 18. dicitur, *poſuit & teſtimonium in arca, ſubditis infrà vectibus, & oraculum: Cumquè intuliſſet arcam in tabernaculum, appendit antè eam velum* diſtinguens ſcilicèt, ità vt quæ poſteà dicit, intèr quæ & altare omnia ſint extrà Sancta Sanctorum. Quò verò ad thuribulum, de quo Paulus Heb. 9. 3. id conſeruabatur in Sancta, ſed eo vtebantur in Sancta Sanctorum, vt probaui in eo loco Pauli, & quia erat ad illum vſum propterea à Paulo refertur proùt illius loci proprium, non quòd inrtà conſeruaretur, quod conſtat Num. 16. 46. & Leuit. 16. 12. & hìc nulla mentio thuribuli in Sancta Sanctorum poſiti, ſed tantùm teſtimonij, ſeù duarum tabularum verſ. 18. & alioquì quandò in Sancta Sãctorum ingreſſurus Sacerdos magnus, quod faciebat ſemèl in anno, antè ad thuribulum accipiendum, & componendum ingredi debuiſſet, & sìc pluriès contrà ea, quæ apparent clarè in Scriptura. At nullo modo dicas thuribulum eſſe altare thimiamatis, quia maxima differentia intèr hoc, & illud.

FINIS EXODI.

IN LEVITICVM
CAPVT PRIMVM.

VERS.4. Cur Deus voluit offerentem pro peccato ponere manum supèr victimam immolādam oblatam? Credo vt appareret quis offerret, isquè hoc modo se peccatorem recognosceret, & declararet, & contereretur, seù ad contritionem induceretur, nec non quasi vellet in victimam Deo immolandam peccata sua transferri, proùt in hirco capit. 16. & hoc eum non infamabat: nàm non explicabat peccatum suum particulare, sed in genere dicebat se peccatorem, & sìc etiàm fiebat in hirco, vt dixi proùt nùnc, dùm quis coràm Sacerdote in Ecclesia confitetur peccata sua ad aurem, quæ nemini nisi Sacerdoti produntur, non se infamat: eo enim tempore, quo auricularis confessio non erat introducta, Deus hoc modo voluit saltèm apparere in genere de peccatore offerente ad fructum ipsius, ideoquè dicit ad placandum sibi Dominum, *& acceptabilis erit, atquè in expiationem eius proficiens*; sic in genere confitebantur peccata sua baptizati à Ioanne Matth. 3. 6. Vndè non placet id introductum, vt appareret per manus appositionem de abdicatione à se, & translatione victimæ in dominium Domini: nàm iàm obtulerat, iàm erat in manibus Sacerdotum immolanda; vndè de hoc dubitari non poterat, imò superflua fuisset actio, & sìc dixi Exod.29. 10. vbi similitèr Aaron, & filij antequàm initiarentur Sacerdotes, iubentur supèr victimam immolādam ab eis oblatam manus apponere. Quādò autèm victima non erat pro peccato, & nihilominùs apponebantur manus supèr eā ab offerente, id fiebat, vt appareret offerens, vt exemplo eius offerrent alij, & nemo esset qui non offerret, cùm sìc non offerentes, & non comparētes notari, & obseruari possent, & etiàm vt offerentes honorarentur ex illa participatione ad altare cùm Sacerdotibus, & esu in pacificis. capit. 3. ex huiusmodi autèm sacrificijs non dimittebatur pœna peccatorum, nisi ex aliqua magna deuotione, vel alio concursu, sed sola pœna, ad quam tenebantur inobseruantes legem, tantò minùs culpa, peccatum, quod contritione delebatur; cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Psal. 50. Lex enim non tollebat peccatum, vt in Epist. ad Hebr. Roman. Galat. Vers. 17. *Strue lignorum antè composita*; sic fecit Abraham immolaturus Isaac Genes.22. 9. ædificauit altare, & desupèr ligna composuit, cumquè alligasset Isaac, &c. Vers. 9. *suauem odorem Domino*. & vers.13. & 17. sic Genes.8.21. odoratusquè est Dominus odorem suauitatis ad denotandum sacrificia Deo esse grata, proùt odor bonus hominibus. Quæ hìc iubentur offerenda, priùs quasi eadem iussa Abrahæ, Gen. 15.9. sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoquè & columbam, & Gen.22. 13. apparet aries offerendus; sic Noe Gen. 8. 20. de pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta supèr altare. Cur autèm hæ species, non aliæ? dic quia faciliùs hæc occurrebant, & erant

& erant in cõmercio, & poteſtate hominum, ne ex difficultate inueniendi offerenda arcerentur ab oblationibus; & quia hæc difficultas cõſiderari poterat in turturibus, proptereà iunxit alternatiuam faciliorum, aut pullos columbarum. Et hæc omnia inuentu facilia deſeruiebant omnibus, tàm magnis, quã puſillis. Alia cauſa poteſt adduci, quia hæc erant commoditati, & vſui hominum accõmodata, & frequentia, & per conſequens eis grata, & cara: ſic enim periculum faciebat voluntatis hominum præferentium Deum his eis gratis; & hæc videntur meliores, & vniuerſaliores cauſæ, quàm illa idolòlatriæ, & aliæ hìc per alios adductæ. Cur pulli columbarum, non columbæ: turtures non pulli turturum? quia in primis cognitio haberi poterat, & de facili capi, ſecùs in columbis, & turturibus: facilia enìm tantùm imponebat, aliòquin ſi difficilia iuſſiſſet, rara fuiſſent ſacrificia, quæ voluit frequentia, quotidiana, & matutina, & veſpertina. Non placet aues fuiſſe pro pauperibus, quia textus id nõ explicat, dicturus ſi ſic eſſet, proût infrà capit. 5. 7. 11. & in oblatione parientium infrà cap. 12. & cap. 3. fieret eadem diſtinctio in pacificis, quæ non fit, cùm de auibus nullum verbum: licebat ergò tàm diuiti, quàm pauperi holocauſtũ facere de quauis ex tribus ſpeciebus, vt hìc.

CAPVT II.

ANIMA, homo *cùm obtulerit oblationem ſacrificij Domino, ſimila erit eius oblatio, fundetquè ſupèr eam oleum, & ponet thus*. Ex primis verbis, *cùm obtulerit*, &c. videntur hæ oblationes contentæ in hoc capitulo acceſſoriæ ad alia ſacrificia, quæ abſquè ſimila, & libamine non fiebant. Num. 15. ſed ex ſequentibus verbis hoc tollitur, quia conſtituitur ſacrificium in ſimila tantùm abſquè vino, funditur oleum, & thus, quæ non ſempèr interueniũt in illis acceſſorijs, in quibus etiàm vltrà prædicta offertur libamen, ſeù vinum, quòd hìc non offertur. Eſtquè hoc ſacrificium repræſentatiuum ſacrificij incruẽti Domini noſtri reſpectu eius ſacratiſſimi corporis, de quo Malach. 1. eccè hìc figura illius ſacrificij melior, quàm illa Melchiſedech (quatenùs obtuliſſet in pane, & vino tantùm iuxtà communem, & fuiſſet potiùs oblatio ſimplex, proût in primitijs in lege, quæ etiàm ex fermentatis offerri poterant, non tamèn poni ſupèr altare. verſ. 12.) quia hoc abſquè fermento, illud Melchiſedech fortè cum fermẽto, poſtquàm ibi nihil de azymo, & ſic præſumendum, quia azymum inuentum in recordationẽ egreſſionis cùm farina ex Aegypto; & miſtionem olei, vel thuris non tollere figuram dixi in Exodo. Sed cur oleum, & thus cùm hac oblatione? oleum quidèm, vt eſſet panis ſapidior, quia cedebat (vltrà partem cremandam) in vſus Sacerdotum, thus verò vt fieret aliqua crematio, quæ ſolo pane, ſeù farina difficultèr fieri poterat, ideò totum thus cremabatur cùm parte oblationis, verſ. 2. proptereà ad eſum, vel conuiuij partem nullo modo trahi poteſt. Verſ. 4. *Abſquè fermento*. nihil volebat fermentatum. verſ. 11. ob memoriam, quam volebat iugẽ beneficij è ſeruitute Aegyptiaca. Verſ. 11. Sed cur nolebat mel? fortè ne in ſacrificijs daretur occaſio Sacerdotibus anhelandi ad benè condita cibaria: volebat enim eis ſufficere ſapida, quæ oleo, & ſale verſ. 13. condiri volebat, nõ autèm melle quaſi ſuperfluo. Vndè Sacerdotibus ſolis extrà ſacrificia poterant & mel, & alia prohibita offerri, vt hìc, & per Abulenſem, & infrà cap. 7. Nec obſtat quod dicitur cremandum fuiſſe mel, quia inerat & pars Sacerdotũ, quæ non cremabatur, vt hìc. Verſ. 13. iubetur ſal offerri ad ſaporem cibis conciliandum, & vt etiàm ex illo participarent Sacerdotes, & Leuitæ ad domeſticos vſus. Dicit autèm ſal fœderis ex iuſſione, quam facit, & quia firmum hoc eſſe volebat, & ſic dicuntur pacta ſalis ſtabilia, & firma.

CAPVT III.

QVOD *si hostia pacificorum fuerit eius oblatio*. aduerte hæc cōsistebat in victimis, non in inanimatis solis, prout in præcedenti capit. ideò sacrificium illud Melchisedech, dùm obuiauit Abrahæ, non fuit pacificorum, quia ibi nulla hostia, & hoc sacrificium pacificorum videtur antiquum, & antè legem cognitum. Exod. 18. 12. Cur in hac oblatione non assumuntur aues, prout in holocausto? quia de pacificis comedebant omnes: ideò animalia gressibilia adhibita, non volatilia parua, quæ non erant sufficientia, & in holocaustis non concurrebat hoc, cùm tota cremarentur, vt suprà cap. 1. Sed cur Deus volebat adipem, & pinguedinē vri vers. 3. credo, vt melior, seù pinguior pars cederet sibi, & sic ipse præferretur in hac diuisione. Cur sanguinem effundi? vt nihil æstimarent illum, quem iàm prohibuerat, Genes. 9. & à cæde hominum fierent alieni; sed meliùs quia præfigurabat sanguinem à Messia effundendum, & ex eo fiebat expiatio, vndè Paulus ad Hebræos: omnia in sanguine mundantur, & sinè sanguinis effusione non fit remissio. Sed an esus adipis generalitèr prohibitus, an in immolatis tantùm? & videtur esse generalitèr, non oblatorum tantùm, tùm ex verbis generalibus *nec sanguinem, nec adipem omninò comedetis*, tùm quia vnit eum cùm sanguine, qui omninò prohibebatur Genes. 9. vndè eadem debet esse dispositio, tùm quia quò ad immolanda disposuit vers. 16. *Omnis adeps Domini erit*, vndè non erant repetenda alia verba, *nec sanguinem, nec adipem omninò comedetis*, si non prohibebatur generalitèr etiàm extrà sacrificium, proùt sanguis; vndè ratio à quibusdam adducta, quia Deus pro se volebat adipem, non procedit, quia restringitur ad oblata tantùm, cùm non possit comprehendere quæ non immolabantur, quæ nō portabantur Sacerdoti, sed effundebantur, proùt sanguis, vel proijciebantur. Tamèn posset his omnibus responderi, quòd cùm Dominus disponat in hoc cap. de sacrificio, non censetur tangere, nisi ad illud spectantia, non autèm ea, quæ priuatim in esum assumebantur: & si hoc voluisset, dedisset distinctum præceptum. Sed tollitur, quia dicitur, *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris*, & sic etiàm in vsu priuato, & magìs explicando subdit, *nec sanguinem, nec adipem omninò comedetis*: hic de comestione, quæ omne tempus, & animal comprehendit; vndè videtur omninò sempèr, & vbiq. prohiberi, & nihilominùs videtur residendū non prohiberi generalitèr esū adipis, tùm ex dictis pro hac parte, tùm quia capit. 7. 23. dicitur adipem ouis, & bouis, & capræ non comedetis; de his solis, quia hæc sola immolabantur; vndè de immolandis tantùm agit etiàm quò ad hæc, subdit ad propositum: adipem cadaueris morticini, & eius animalis, quod à bestia captum est, habebitis in varios vsus: etsi posset dici in vsus varios, nō tamèn ad esum, at clariùs subdit: si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo; sicùt ergò pœna restringitur ad immolata, ità dispositio. Vrget ratio, quomodò enim accommodabitur hoc ad non immolata, cùm non sint Domino offerenda? quid fiet de adipe tùnc? quem tamèn voluit seruari ad alios vsus in alijs animalibus? vel eisdem morticinis? facit quia de sanguine dubium non erat generalem esse prohibitionem, subdit: sanguinem quoquè omnis animalis non sumetis in cibo, quod non sìc expressit in adipe.

Non obstant verba, *& cunctis habitaculis vestris*, vers. 17. nàm hæc restringuntur ad oblata, seù immolata tantùm, quæ prohibentur, non ad alia non prohibita; & sìc restringenda sunt omnia alia verba generalia; & de sanguine non dixit quidquam in vsus varios reseruari, proùt infrà dicam de adipe. capit. 7. & sanguis proijcitur, non adeps, qui crematur; vndè de sanguine ad adipem non procedit argumētum: hinc sanguinis esus iterùm prohibetur infrà cap. 17.

non

non adipis. Deuter. 12. iubetur effundi sanguinẽ tantùm, nihil de adipe in assumẽdis ad cibum. Ad hæc quia etiam ad immolatitiorum bouis, ouis, & capræ, quæ non immolabantur, sed occidebantur ad vsum priuatum adipes comedi poterant, quia si Deus adipes volebat vti partem meliorem animalis, cur prohibuisset hominibus assumi eamdem in non immolatis? Abulensis autèm in hoc discordat: at ad textum Leuit. 7. iàm respondi intelligi debere in immolatis, non in alijs; & ratio, vt arcerentur à gustu delicatorum ciborum, videtur vana, quia imò ex illo vsu, quandò hæc immolabantur, & Deo dabatur pars delicatior, magìs mœrebantur, quia experti erant cibi suauitatem. Alia ratio, quia non conueniebat eis edere de non immolatis partem, quæ in immolatis Deus volebat, vana est, quia hoc pacto non potuissent comedere de alijs partibus, quæ ad Dei honorem cremabantur integræ in alijs sacrificijs, puta holocausto, & quandò Deus noluit pro suo cultu introducta in vsũ hominum ampliùs cedere, se explicauit, vt in thimiamate, & oleo. Exod. 30. 32. 33. 38. & hæc erant mista, & artificialia, non naturalia. Pòst hæc scripta vidi recentiores pòst Rodulphum tenentes hanc opinionem; contrariam tamèn tenet Abul. Matth. 26. q. 25. & 26. Vers. 5. *Lignis igne supposito*. ergò non erat ignis ex se perpetuus, sed indigebat pabulo lignorum.

CAPVT IV.

LOQVVTVSQVE *est Dominus ad Moysen*, &c. Agit de sacrificijs pro peccato per ignorãtiam in cæremonijs commissis Versic. 3. *Si Sacerdos, qui vnctus est*, magnus. infrà c. 8. vbi vnctus solus Aarõ, non filij *peccauerit*, transgrediendo aliquid per errorem, seù ignorantiam; *delinquere faciens populum* illum videntem, & sequentem in eodem errore. Credo loqui de ignorantijs, seu erroribus circà sacrificia, eisquè notis, & publicis, aliòquin non permisisset Sacerdotem prodere seipsum, si occultè peccasset, & nullo modo hìc de peccatis per malitiam. Versic. 4. iubet Sacerdotem offerentem vitulum imponere manum supèr eũ, vndè verum est quod aliàs dixi, huiusmodi manuum appositionem factam, vt appareret de offerente peccante, qui in victimam peccata transferri vellet, & quomodò non accommodetur illud ex manuum appositione victimam à se auferri, & in dominium Dei transferri, quia hic idem Sacerdos, qui pro Domino capiebat, & immolabat. Versic. 11. & 12. dùm vult comburi reliqua extrà castra, id fit ad maiorem peccati detestationem, & vt omnis populus, qui peccauerat, videret quod fiebat, & à peccato auerteretur; nàm in atrio non poterant singuli videre; ideò hoc idem seruabatur in oblatione pro multitudine, non in ea principis, vel priuati, vltrà mysterium, de quo per Paulum Hebr. 13. 11. quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extrà castra, vt infrà cap. 6. in fin. proptèr quod & Iesus vt sanctificaret per suũ sanguinẽ populum extrà portam passus est. Versic. 13. in expiatione peccati populi per ignorantiã ferè eadem cæremonia. Vers. 22. de peccato principis expiando. Et principem hic intellige non vnũ tantùm, proùt Moysen, Iosue, sed principales plebum, proùt Num. 7. vbi pro peccato principes plebum offerebant hircum, proùt hic: & obserua *& fecerit vnum*; vndè Iacobus, qui deliquerit in vno, factus est omnium reus. Vers. 27. de peccato priuatæ personæ expiando. Sed cur maiora in Sacerdote peccante requiruntur, quã in principe? quia cùm hìc agatur de peccatis in cæremonialibus, & spectantibus ad legem patratis, quæ lex ex ore Sacerdotis requirenda erat, & quam ipse tenebatur scire, & docere, & in his populus illum, non principem, ad quem hæc non spectabant, & quem sequi non tenebatur, sequeretur; ideò cùm ille, non princeps in his populum ad peccatum induceret, maiora in expiatione peccati huius in Sacerdote, quàm in

principe requisita; si verò ageretur de alijs peccatis, in quibus populus principem sequitur, proùt quandò sequutus est Ieroboam idolòlatrātem, & alios, aliud esset dicēdum, & de his hìc non agitur. Propterea veriùs credo hìc agi de peccatis cæremonialia cōcernentibus, quia si de alijs, non fieret hæc distinctio intèr Sacerdotem, & principem, nec diceretur de omni turba Israel simùl per ignorantiam peccante. vers. 13. iunctis alijs iàm dictis, quibus addo infrà in alijs capitibus agi de alijs peccatis ex ignorantia, præsertìm cap. 5. 17. & ex proposito, & data opera, & voluntate mala commissis. cap. 5. 1.

Non obstant verba *de vniuersis mandatis Domini*, quia restringenda ex aliis suprà consideratis ad cæremonialia. Non est verum hìc agi de peccato occulto, cùm clarè agatur de publico; in Sacerdote siquidèm, si peccare fecerit populum; in plebe tota, cuius occultum peccatum esse non poterat; in principe, cuius peccata subditis de facili innotescunt, proùt peccatum Dauid cùm Bersabee; in priuatis, & omnibus, quia faciebant ea, quibus se peccatores declarabant ex specie sacrificij in expiationem peccatorum per ignorātiam commissorum. Sed dices, cur in his cæremonialibus particularis dispositio supèr ignorantia? quia tanta erant præcepta circà illa, vt vix possent absquè aliqua omissione peragi, propterea ad conscientias Iudæorum firmandas necessaria fuit hæc prouisio, quæ in alijs præceptis, in quibus nō viget eadē ratio, necessaria non fuit. Hinc Petrus Act. 15. 10. agens de graui iugo legis dicit: quod nequè nos, nequè patres nostri portare potuimus. At benè credo agi de transgressione cæremonialium, siuè negatiuorum, siuè affirmatiuorum.

CAPVT V.

SI *peccauerit anima*, homo, hoc modo, *&*, pro quia, *audierit vocem iurantis*, fortè aliquid iuramento promittentis, seù affirmantis, *testisquè fuerit*, *&c. portabit iniquitatem suam:* hic detegit quàm malè agant in præiudicium proximi veritatem occultantes, & is tenetur restituere proximo id, in quo illum damnificauit veritatem tacēdo; nec credo sacrificijs posteà subiunctis expiari, proùt aliæ immunditiæ, de quibus subdit, quia nō per errorē, sed dolosè; hìnc infrà vers. 15. *præuaricans per errorē in his quæ Dño sunt sanctificata*, expiatur facta restitutione, oblatoq. sacrificio; Vel si tādèm sacrificijs subiunctis expiabatur, dic facta etiàm restitutione, proùt & cap. seq: & stare potest, quia & vers. 4. de iurante, &c. & fortè non apposuit de restitutione, vel non sub hoc cap. id posuit, quia regularitèr is non videtur moueri malitia, sed vel metu, timore, aut passione aliqua, quæ aliquandò potest eum excusare à pœna, & restitutione, vel in totum, vel in parte, dummodò non peieret. Vers. 5. nota *agat pœnitentiam*, quia per sola sacrificia illa non remittebantur peccata. Vers. 11. habes similam puram in oblationem absquè oleo, & thure, quæ Sanctissimum Sacramentum, seù sacrificium incruentum eò magìs repræsentat, præsertìm cùm sit pro peccato, pro quo Dominus noster Iesus Christus crucem subijt. Sed cur absquè oleo, & thure, quæ in alijs sacrificijs desiderabantur? explicant omnes, *quia pro peccato est*. Sed cur *quia pro peccato*? credo vt nullus sibi persuaderet esse purgatum, quæ purgatio videbatur præsumi ex oleo, & thure quasi Deum placantibus, sed sempèr timeret, sempèr cōtereretur, vndè sapiēs: de propitiato peccato noli esse securus; nemo scit, an amore vel odio dignus sit. Vers. 15. quamuis suprà cap. 3. egerit de his, quæ per ignorantiam in cæremonialibus, tamèn hìc specialitèr agit de commissis per errorem in sanctificata Domino, in quibus damnum datum; at si non per errorem, non dabatur talis expiatio; non enìm disponitur, & animaduerti vers. 1. Vers. 17. eccè casus per ignorantiam extrà cæremonialia in quibuscumque

que

que alijs, & proptereà verus erit intellectus cap. 3. nempè procedere in delictis commissis per ignorantiam circà cæremonialia tantùm, & aduerte diuersitatem oblationum dictarum in cap. 3. & hic.

CAPVT VI.

LOCVTVS &c. *Anima quæ peccauerit:* hæc subiungit concernentia præceptũ charitatis ergà proximum, & vt intèr homines beneuolentia conseruetur, abstineatquè vnusquisque à damno in alterum, & quomodò damna resarcienda, & expurgandum delictum vsquè ad versic. 8. *contempto Domino*, qui omnia vidit, & præsens fuit. Vers. 4. *conuicta delicti*, hoc spectat ad iudicialia, si ad iudices; sed quia subdit quid offerendum pro expiatione peccati, proptereà de his non agitur in hoc loco, vndè conuicta à se, quod tamèn nescio quomodò currat. Vers. 6. *iuxtà æstimationem, mensuramquè delicti*, idest, qui aries erit *iuxtà æstimationem, mensurãquè delicti;* quid enim restabat æstimandum, vel mensurandum, si eodem tempore, & verborum structura dicit, præscribit, assignat quid faciendum? sic interpretare verba similia suprà c. 5. versic. 18. præsertim quia eodem cap. 5. vers. 15. loquens de simili ariete, subdit, qui emi potest duobus siclis iuxtà pondus Sanctuarij, non ergò remittebatur alteri discutiendum circà æstimationem, mensuramquè delicti, cuius speciem etiàm expressit legislator, ità vt nulla videatur inesse difficultas. Vel dicas *iuxtà æstimationẽ, mensurãq. delicti*, idest qui aries erit maioris, vel minoris valoris *iuxtà æstimationẽ, mensuramq. delicti*, per Sacerdotem (iuxta vulgatam) fiendam, nihil hic de Moyse, qui pòst consecrationem Aaron, & filiorum non legitur se amplius ingessisse in sacerdotalibus, & si per illum hæc præstanda fuissent, vti a Iudice, vel Duce facienda fuissent, non vti Sacerdote, qui non erat, vt aliàs tenui. Versic. 12. & 13. de igne perpetuo in altari, vt sempèr posset fieri immolatio. Vers. 15. & 20. de simila in sacrificio sempiterno mane, & vespere ab Aaron, & filijs offerenda fricta, calida, qua figuratur incruentum sacrificium nostrum continens verum, & viuum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, quod sicùt consummatur in altari à Sacerdotibus offerentibus, ità illa comedebatur in atrio à Sacerdotibus illis. Ad Vers. 18. *omnis qui tetigerit*, & versic. 27. & 28. vide Agg. 2. vbi Sanctius num. 46. cùm seqq. Ver. 27. *Quidquid tetigerit carnes eius* (intellige de his, qui de illis edere possunt, scilicèt mares stirpis Aaron) *sanctificabitur* in illius esu, sic potiùs dicerem, quàm (impropriando verba) omnis illa tacturus sanctificetur. Vide.

CAPVT VII.

HAEC *quoquè lex hostiæ pro delicto* omissionis, & cæt. Vers. 7. 8. 14. 33. portio sacerdotalis assignatur Sacerdoti offerenti; portionum autèm sacerdotalium voluit æquam esse mensuram, ne quid minus daretur vni, quàm alteri, vers. 10. sic enim intelligo, non quòd diuisio horum fieret intèr Sacerdotes. Vel si intèr Sacerdotes, intelligo intèr ministrantes. hæc omnia ad tollendas discordias itèr eos. Vers. 13. de panibus fermentatis, intellige horum oblationem fieri Sacerdotibus, non in altari; hoc enim prohibitum; cùm Deus nihil fermentatum voluerit sibi offerri. Vers. 15. vsquè 19. iubetur carnes hostiæ comedi eadem die, vel sequenti, prohibetur in tertia, & hoc vt frequen-

quentiora essent sacrificia, & Sacerdotes alerentur ex recentibus carnibus. Vers. 22. vsquè 29. circà adipem, & sanguinem iàm dixi adipem immolatorum tantùm prohiberi, sanguinem generalitèr.

CAPVT VIII.

IN hoc cap. ponitur executio præcepti Domini in cōsecratione, & vestitu Aaron, & filiorum, de quibus suo loco dictum Exod. 29. At quot, & quales Sacerdotes in lege Moysi Abul. 1. Paralip. 6. 9. 8. & cap. 22. & 23. vbi latè. Sed aduerte quomodò Aaron vocatus à Deo iuxtà Apostolum Heb. 5. & quomodò Moyses voluit id apparere toti populo, ne quis diceret ex affectione motum ad talem electionem descendisse, etsi neque hac cautela euaserit, vt vidźebimus in Core, & Abiron. Vers. 29. *Tulitquè pectusculum*. notat hìc Abulensis q. 8. Moysen non fuisse sacerdotem, quia non id, sed alia ei obtigissent, si fuisset Sacerdos, quæ adde ad ea, ex quibus fui in eadem opinione Moysen non fuisse Sacerdotem. Vers. 33. Sacerdotes consecrati non exibant per septem dies pòst consecrationem, non admittebantur ad functiones Sacerdotales; hincquè sumptum fortè vt sacerdotes noui testamenti non sacrificent nisi obtenta licentia, vt cognoscatur an sciant omnes cæremonias.

CAPVT IX.

FACTO *autèm octauo die* pòst consecrationem; de septem enim suprà cap. præcedenti vers. 33. Vers. 2. & seqq. *tolle*, &c. id est, quod dicit Paulus Heb. 5. 3. Sacerdotem obtulisse priùs pro peccato suo, deindè populi, vt vers. 3. Vers. 4. de simila, quæ sempèr cùm sacrificijs miscebatur, & infrà vers. 17. Vers. 6. *apparebit vobis gloria eius*. manifestabit se Deus in igne, vt infrà vers. 23. & 24. sìc in igne ostendit se Dominus Moysi in rubo, Exod. 3. daturus legem in monte Sinai, Exod. 19. consumens oblata descendit ignis in Abel Gen. 4. iuxtà aliquos: in Gedeone Iudi. 6. 21. in Manue Iudi. 13. 20. in Elia. 3. Reg. 18. 38. in Salomone. 2. Paralip. 7. 1. in Psal. ignis antè ipsum præcedet. Gloria autèm Domini dicitur, dùm sìc operatur Dominus ad maiestatem suam demonstrandam; vndè gloriam Domini dixit Salomon in nebula apparuisse. 3. Regum 8. 12. sìc gloria Domini apparuisse dicitur, dùm pluit manna. Exod. 16. 7. & mane videbitis gloriam Domini. & mediante igne deuorante probauit se Deum; sìc Elias. 3. Reg. 18. 24. 37. An autèm durauerit sempèr ignis hìc sacer? videretur quòd non, quia si durasset, non erat iterùm mittendus tempore Salomonis. 2. Paral. 7. 1. Deus enìm non multiplicat miracula, vbì non est opus. Sed fortè ibì hoc fecit Deus in primo sacrificio in templo ei ædificato ad demonstrandum quàm gratum sibi esset ædificium illud, & vt nouo miraculo populus magis cōfirmaretur. vndè & 2. Machab. 1. 19. narratur, & fit mentio ignis absconsi, dùm ducerentur in captiuitatem, & tempore Nehemiæ inuenta crassa aqua, quæ apparente sole accensa est; non enim fuisset facta huiusmodi conseruatio ignis, si ex silice incendebatur, nec dictū esset vt Sacerdotes ignē perpetuò conseruarent, supponendo ligna, Exod. 6. 13. Vndè non est verum in deserto illicò defecisse. Sed an ignis descenderit in consecratione Aaron, & filiorum suprà cap. 8. an quandò Aaron sacrificauit, vt hìc, & iuxtà litteram hìc tantùm. vndè Moyses litauit igne communi. Non obstat Exod. 29. 43. ibiquè præcipiam filijs Israel, & sanctificabitur

cabitur

cabitur altare in gloria mea; nàm præceptum factum fuit filijs Israel pòst consecrationem Aaronis, vt hic, non antè; vltrà quòd diuinare est ibi agi de igne: prætereà verba Moysis huic tempori non aptantur vers. 6. imò hìc etiàm igne communi cremauit Aaron pro se oblata vers. 13. & ignis descendit tantùm supèr holocaustum pro populo, iuxtà litteram à vers. 15. vsquè ad fin. cap. Vers. 20. *posuerunt supèr pectora* intellige animalium, non sua; nam subditur, *pectora eorum, & armos dextros separauit Aaron, &c.* Vers. 22. *extendens manum ad populum, benedixit ei.* benedictio fit ab Aaron, quæ erat vt Num. 6. 25. vel proùt à Salomone. 3. Reg. 8. 55. sed quia vers. 23. dicitur tàm de Aaron, quàm de Moyse *benedixerunt populo,* non arguas ex hoc Moysen Sacerdotem, qui in hoc cap. & deincèps nunquã se immiscuit in sacerdotalibus, sed dicas id fecisse vtì Dux populi, proùt Dauid, Salomon, & alij populo benedicentes, etsi non essent Sacerdotes.

CAPVT X.

ARREPTIS QVE diligentia magna, velocitate, festinatione (non ebrietate, vel alia causa non expressa) *Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desupèr, offerentes coràm Domino ignem alienum,* qui fortè ad manus eis occurrerat, *quod eis præceptum non erat.* At nequè apparet de præcepto quòd ignis sacer adhiberetur, & fortè non sunt ausi illum attingere. Sed quia fortè id vtì Sacerdotes obseruare debuerant, vel Moyses animaduerterat, etsi non exprimatur, quia Scriptura vult ex subsecutis nos multa apprehendere absquè alia expressione, propterea sequitur: *Egressusquè ignis à Domino,* vel à cælo, vel ab altari in atrio existente, in quo erat ignis sacer, sed credo meliùs à cælo, quia erant in conspectu sanctuarij distantes ab altari atrij, & velum primum intercedebat, *deuorauit eos, & mortui sunt coràm Domino;* sic euenit Ozæ fortè existimanti opus licitum adoriri, tamèn percussus est supèr temeritate 2. Reg. 6. 7. Versic. 3. *sanctificabor in ijs, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor* ex mirabilibus quæ agam, proù in hac percussione horum Sacerdotum; sic Exod. 14. 17. glorificabor in Pharaone; & Moyses in cantico: gloriosè enim magnificatus est; sic Petrus in Anania, & Saphira Act. 5. sed pulchrum documẽtum ex verbis, quòd audiens tacuit Aaron, intelligens hoc à Domino factum, proùt Iob. Vers. 5. *vestitos lineis tunicis:* hìnc fortè argumentum de eorum salute, præsertim quia non redacti in cinerem, proùt de propheta misso ad Ieroboam occiso à leone intacto tamèn cùm asino. 3. Reg. 13. Vers. 11. collige proprium Sacerdotum docere populum, ni mirum si Episcopi debent prædicare.

CAPVT XI.

LOCVTVS QVE *est Dominus* in hoc capite agitur tantùm de animalibus mũdis, vel immundis comedendis, vel reijciendis; sed aduerte quoàd tactum respicientem munditiam, tàm polluebatur qui tangeret morticinum mundi, quàm immundi vers. 39. at de mundis, & immundis iàm præcedebat aliqua scientia, vt in Noe munda offerente colligitur. Gen. 8. 20. ideoquè aduerte multa, quæ priùs obseruabantur, in lege Moysi descripta, & congesta. At opportunè prohibetur tactus, quia si is, quanto magìs esus, quanto magis à prohibito esu abstinere debuerant? hinc Eua Gen. 3. abhorrens ab esu dixit nec licere tangere; & Tobias c. 2. 21. dicit, non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Ex hac doctrina à Deo lata circà edendum, vel non, collige scien-

ſcientiam, quæ in Adam nomina animalibus imponente erat, defeciſſe, hancquè à Deo in his renouatam: hocquè magnum beneficium pro conſeruatione hominum. Verſ. 44. & 45. *ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*, imitamini me: ſic Paulus vult nos imitatores eſſe Dei, Chriſti, ſui, quia & ipſe Chriſti in ſuis Epiſtolis paſſim, & Chriſtus monet nos ad dilectionem inimicorum exemplo Patris pluentis ſupèr iuſtos, & iniuſtos, quem vult nos imitari. Verſ. 45. cur dicit, *Ego ſum Dominus, qui eduxi vos de terra Aegypti, vt eſſem vobis in Deum*, & non fit mentio tot prodigiorum, tranſitus ſicci maris, Pharaonis ſubmerſi, mannæ, aquæ è petra, legis datæ, & aliorum beneficiorum? Credo illam veram reſolutionem, quia ſub eductione ex Aegypto omnia alia comprehendebantur, & ſubintelligebantur, quòd ſi de vno ex alijs dixiſſet, non ità erat.

CAPVT XII.

MVLIER, *ſi ſuſcepto ſemine*, concepto fœtu, non ſemine virili ſuſcepto, ideò ſubdit, *pepererit maſculum*, & infrà, *ſin autèm fœminam pepererit. immunda erit ſeptem diebus iuxtà dies ſeparationis menſtruæ*, proùt ſolent menſtruatæ, id ergò erat ratione immunditiæ contractæ ex partu, & fluxu ſanguinum impurorum ad inſtar menſtruatæ, non ex peccato, & proptereà cùm non faciat fundamentum ſupèr immunditia reſpectu coitus, ſed fluxus ſanguinis, rectè procedit intellectus ſupèr muliere, ſi ſuſcepto ſemine, non virili ſemine, ſed concepto fœtu, vt dixi: vide Abul. Caieta. Oleaſt. hìc, & alios, & Barrad. in Euang. Purificationis. *& die octauo circumcidetur infantulus* iuxtà præceptum datum Abrahæ Gen. 17. *ipſa verò triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ*, donèc purificetur ſanguis eius, & ſic per quadraginta dies immunda erit diuerſimodè tamèn. *Omne ſanctum*, &c. docet à quibus abſtinendum his diebus. *Sin autèm fœminam pepererit*, duplicantur dies vſquè ad octuaginta in totum, & hoc quia maior impuritas in pariente fœminam, quàm maſculum: non enim aliundè hæc differentia. *Cumquè expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio* quadraginta diebus *ſiue pro filia* octuaginta diebus, *deferet agnum anniculum in holocauſtum* totum cremandum, *& pullum columbæ ſiue turturem*, hæc duo ſimùl *pro peccato*, pro immunditia ſupradicta contracta *ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coràm Domino, & orabit pro ea, & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui*, nempè ab immunditia illa ex profluuio ſanguinis contracta: quandò enim ſe præſentabat oblatura, profluuium non patiebatur, aliàs non fuiſſet admiſſa, & ſic ſe declarat cur hæc lex, & ex quo immunditia contrahatur, & illud non eſſe peccatum propriè, ſed immunditiam. *iſta eſt lex parientis maſculum aut fœminam. Quòd ſi non inuenerit, &c.* diſponitur poſſe pro agno anniculo, & pullo columbæ, vel turture pauperem offerre duos pullos columbarum, vel duos turtures, *vnum in holocauſtum, & alterum pro peccato*, ideſt, immunditia, proùt fecit Sanctiſſima Virgo pauper *Orabitquè pro ea Sacerdos, & ſic mundabitur*, vt ſupra. Quæſtio an mulier hæc parturiens, pro ſe vel prole offerat, eſt ſuperflua, cùm clarè conſtet pro ſe ipſa offerre, non pro prole, vt mirum ſit id in diſputationem tractum: agitur enim de muliere. *Mulier, ſi ſuſcepto* verſ. 2. de illius peccato verſ. 6. & 8. Sacerdos orat pro ea verſ. 7. & 8. ipſa mundatur verſ. 7. & 8. dicitur *iſta eſt lex parièntis maſculum, aut fœminã* verſ. 7. & ad omnimodam prolis excluſionem dicitur verſ. 3. *& die octauo circumcidetur infantulus*. Prætereà neceſſe erat id reſtringere ad ſola primogenita, quia alij non deferebantur ad templum redimendi, quòd non congruit textui de quolibet maſculo generalitèr loquenti. Non obſtant verba, *pro filio, ſiuè pro filia*, quia referuntur ad diſtinctionem temporum, nempè dierum quadraginta, vel octuaginta: vndè annectenda ſunt, vt feci, *cumquè expleti fuerint dies purificationis*

ſuæ

siuè pro filio, siuè pro filia, & hic faciendus punctus, postea *deferet*, &c. & sic remanet res absquè vlla minima difficultate. Non obstat vers. Ecclesiæ, obtulerunt pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum: nàm intelligendus est iuxtà hunc textũ, ad quem habuit relationem, nempè pro eo filio, idest, occasione illius, vel pro eo, expletis purificationis diebus pro eo, aliòqui contrarius esset legi ipsi, quod absit vt dicamus; nihil tùnc offerebatur pro filio de necessitate, siuè pro peccato suo (loquimur in habilibus, quia Christus peccatũ nõ fecit) nàm pro originali circuncidebatur, redemptio pro primogenitis fiebat pòst vnum mensem. Num. 18. 16. Vide scripta in Euangelijs in Purificatione Beatissimæ Virginis. Alia quæstio, an Sanctissima Virgo comprehensa ab hac lege, sic potest diffiniri, quia si respicis verba legis, comprehensa fuit, cum conceperit Iesum: verba enim, *si suscepto semine*, intelligenda si concepto fœtu in vtero. Si autèm respicias rationem, quæ est immunditia, qua mota lex ad disponendum, & absquè dubio non comprehendebatur, quia nullam immunditiam contraxerat. Sed ex hoc legislator non intendisset eam excipere, quia leges accommodantur ad ea, quæ communitèr accidunt, & de his cogitant legislatores, non quæ vel raro, vel numquàm euentura, proùt Virginem parere, quod in sola Maria fuit, & ab euentu, quia legi se subiecit: vndè dicit Lucas, secundùm legem Moysis, & legislator à Deo leges recipiens vanè, & inutilitèr id non cogitauit, sciens secùs euenturum. Alia vide supèr his dicta in Euangelijs in Purificatione Beatissimæ Virginis. Sed cur Maria obtulit quæ ad pauperes? quia ipsa pauper & indigẽs, non quia amatrix paupertatis: nàm si diues fuisset, tenebatur ad oblationem diuitum: vndè non poterat tùnc affectum paupertatis ostendere, quicquid dicat hìc Abulensis. Aliqui putant esse mysterium (quos scribentes vide supèr Apocalypsim) quia dùm loquitur de pariente fœminam, non apponit verba, *si suscepto semine*, proùt apponit in pariente masculum; at ego non video quodnàm mysterium elici possit, cùm ea verba tùnc non apponat, quia suprà posita in masculo deseruiunt in fœmina, & sic sunt transportanda, & propterea æquiparat lex has parientes, dicens: *ista est lex parientis masculum, aut fœminam*.

CAPVT XIII.

AGITVR in hoc capite de lepra ad effectum immunditiæ contrahendæ, & separationis, ne cæteri contaminarentur, aut cùm leprosis, qui sunt horrori, conuersarentur: ideò eius cognitio remissa sacerdotibus. Quòad exclusos, vel extrà castra eiectos habemus exẽpla in Giezi, Ozia, & in Maria sorore Moysis, & Aaron, & in leprosis Euangelicis. Et hæc auctoritas sacerdotalis erat suprà Reges, vt in Ozia; sed videbatur causa ecclesiastica quòad spectantia ad cultum Dei an deberent, vel ne admitti tales, sed quòad conuersationem videbatur sæcularis, & spectare ad Reges, vel Iudices sæculares, proùt videmus in peste, dic ratione cõnexionis, & maioritatis, cùm concerneret Deum, & suas cæremonias, omnis cognitio erat Sacerdotum: hinc ad eos remisit Iesus leprosos mundatos, & sic videmus in iure siuè ciuili, siuè canonico multarum causarum cognitionem concedi ratione connexionis, vel maioritatis, & ne continentia earum diuidatur. Considera etiàm quomodò Deus disquirebat omnia, quæ circà hominem, & quæ ad vsum hominis vniuersalitèr versabantur, vt homo ex omnibus ad cultum Dei traheretur, neque vnquàm abstraheretur. Et quia lex illa fuit pedagogus, ex illa ducimur nos Christiani ad considerandam iugitèr beneficia Dei, & præsertim passionem Domini nostri IESV Christi, in cuius memoriam iugem instituit Sanctissimum Sacramentum, in quo omnia præcedentia sacrificia conclusit, & longè, ac eminentèr

nentèr superauit. Considera & mūditiam requisitam ad sacra in laicis nedum in hoc cap. sed in omnibus, & argue qualis,& quanta in recipiendo Sanctissimo Sacramento.

CAPVT XIV.

AGITVR de mundatione leprosi,nec habeo quod dicam in re clara.Quòad hyssopum ex hoc loco declara Psal. 50. Asperges me hyssopo,& mundabor:vtitur enim Dauid hac cæremonia, quæ in mundandis leprosis interueniebat, petens à Deo sic mundari à peccato suo, proùt illi à lepra peccatum figurante.Et quia hyssopus est humilior herba quæ inueniatur, iuxtà illud de Salomone: à cedro vsquè ad hyssopum. 3. Reg.4.33.ideò se conformans significationi hyssopi dicebat se humilians:cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Sed nec contentus hac aspersione,sciens & mundandos à lepra lauari, proptereà subdit, lauabis me tu Domine aqua tua salutari remittente peccata, illaquè purgante, proùt leprosi aqua viua loti, & mundabor à meo peccato, proùt illi à lepra.

CAPVT XV.

AGITVR in hoc cap. de seminifluo. Sed cur is arcetur à tabernaculo, seù Sanctuario? quia in eo fluxu sempèr aliquid inest titillationis carnalis: carnalis autèm homo non percipit quæ Dei sunt, & quia erat maximum beneficium remittere peccata; ideò Deus requirit spirituales ad sui cultum, eademquè ratio seruiet pro alijs pollutionem passis, muliere in menstruis,vel alio modo fluxum sanguinis patiente: quædam enìm carnalitas sempèr remanet, quæ à spiritualibus arcetur. Vers. 15.& 30. *Qui faciet*,id est,sacrificabit. Vers. 19.& 21. Ex his interpretare cap. 12. dùm fit mentio iuxtà dies separationis menstruæ.

CAPVT XVI.

AGITVR de expiatione generali annua, ad cuius similitudinem cap.Omnis vtriusque sexus. Vers. 1. *pòst mortem duorum filiorum Aaron*. Ex hoc argue, non vna vice, sed pluriès datas has cæremonias: & hanc additam hoc tempore, qua reuerentia loci insinuaretur, & extenuaretur pœna filijs Aaron irreuerentibus inflicta. Vers. 2. ex prohibitione ingressus Sanctuarij redditum fuit illud magis venerabile. Eod vers. *in nube apparebo supèr oraculum*, sed nube de per se, qualis, declaratur vers. 12. non ex aromatibus positis supèr ignem: illa enim diuersa. Vers. 4. *Et tunicam*,&c.Cur non Pontificalibus,sed ordinarijs vestibus more aliorum Sacerdotum induendus Summus Pontifex intraturus Sāctuarium? fortè ex duobus. primò,ad humilitatem insinuandā; secundò, vt sciret ex arca, non ephod veste sua solita dari tùnc responsa. Vers. 6. *Cumquè obtulerit vitulum, & orauerit pro se, & pro domo sua.* & versic. 11.& 24. hinc est, quod dicebat Paulus,Sacerdotem orare priùs pro delictis suis, deindè populi;sic enìm requirebatur,vt pro alijs exaudiretur: dixit enìm cæcus natus: peccatores Deus non exaudit; & aduerte, oratio hæc pro se,& domo sua non porrigebatur ad alios Sacerdotes, tùm quia non exprimuntur, tùm quia de illis vers. 33. Vers. 8. Cur sors mittebatur supèr hircis? dic, vt certò scirent Hebræi à Domino eligi hircum peccata portantem, & nullo modo hæsitarent, sic per sortes, quæ ab ipso diriguntur se ingere-

gerebat. Verſ.10. *Vt fundat preces ſupèr eo.* quales verſ.21. *& poſita vtraque manu ſupèr caput eius*(hinc fit certius,quod aliàs dixi, ex poſitione manuũ ſupèr caput victimæ non deſignari tranſlationem dominij illius in Dominum,ſed oratio, ſeù imprecatio in illam pro peccatis)*cõfiteantur omnes iniquitates filiorum Iſrael,& vniuerſa delicta atquè peccata eorum* in genere, *quæ imprecans capiti eius*, in caput eius retundi, *emittet illum per hominem* laicum, quia ſi Sacerdos, vel Leuita,exprimeret,*paratũ*,ne detur mora,*in deſertum:* quòd autèm intelligat ex cæremonia iniquitates ſupèr illũ poni, ſubdit: *Cumquè portauerit hircus omnes iniquitates eorũ in terram ſolitariam, & dimiſſus fuerit in deſerto* in conſpectu hominũ ampliùs non cõpariturus;sic pro Iſaac aries oblatus.Gen. 22.Verſ.12. *Intrabit in Sancta.* intellige ſemèl,vt per Paulum,& infrà verſ.29.& 34.*aſſumptoq. thuribulo*. collige thuribulum extitiſſe extrà Sãcta Sanctorũ,vt alibi dixi. Verſ. 13. *Vt poſitis*, &c. Volebat Deus nebulã, & vaporem aſcendere vſq.ad locum illũ,à quo dabat reſpõſa,vt appareret ad quid id fieret, nẽpè ad cultũ Dei,qui ibi manebat ſub Angelo eum repræſentante,non quòd Sacerdos non poſſet videre locum illum, vbi Angelus permanebat, tùm quia antequàm vapor ab intrante ex thuribulo factus aſcenderet, mora indigebat, & tùnc videre potuiſſet, tùm quia ibi inuiſibilis eſſe poterat Angelus, qui apparet, vel non, ſeù exhibet ſe conſpiciendum, vel ſe occultat, proùt vult, vt dixi in Euang. Luc.2. & quia ſi in nube priùs apparebat,quomodò poterat videri? ideò non legitur viſus tempore Salomonis, quandò in templo apparuit in nebula: & aduerte, quia neque Moyſes videbat Angelũ,cùm quo loquebatur,cùm cooperiretur nebula, & datũ fuit ei ſemèl ſtanti in petra videri poſteriora tranſeuntis Angeli, vel videbat iuxtà quod Angelo placebat,volebat ergò Deus hoc miniſteriũ, & eo oraculum operiri ad maieſtatem ſuã denotãdã: nàm quòad corpus aereũ ab Angelo aſſumptũ, poterat Angelus illud induere,& deponere proùt ei placebat, & iã ſub nube ſua erat,quicquid dicant Abulẽſis, & alij.vide Pined.de reb.Salo. lib.5.c.5.nu. 142. & Abul. Matth.17.q.67. & 2.Paral.5. q.25. qui tandèm dicit de nebula,milliès tamèn in ſuis cõmentarijs ſempèr dixit de fumo ex thuribulo. Verſ.21. *Confiteantur omnes iniquitates filiorũ Iſrael:* in vniuerſũ, nõ ſingulorũ; confeſſio autẽ fiebat Domino, nõ hirco,quicquid dicat Abul. at imprecatio dirigebatur in hircũ,ibi, *quæ imprecans capiti eius*, &c. Verſ. 24. *Indueturq. veſtibus ſuis.* dic communibus, vt ſuprà c. 6. 11. non quibus vti ſolebat vtì maximus Sacerdos: nàm hæc erat dies afflictionis, quibus lætis veſtibus non vtebatur,vltrà quòd phraſis, *veſtibus ſuis*,non eſt apta cõprehendere ſacerdotales veſtes, & ſicùt dixit ſuprà quas veſtes aſſumere debuerat,ità hic eaſdẽ expreſſiſſet, nec fuiſſet contentus his ſimplicibus verbis; & ſolẽt hæ veſtes ſacerdotales ſanctæ appellari infrà c.21.7. Exo.40.13. & licèt ſubdat: *Et poſtquã egreſſus,&c.* ſunt hæc poſtpoſita, quæ præcedere debent antequàm lauet, & induat ſe veſtibus ſuis. Verſ. 29. *Affligetis animas veſtras:* non enìm hæc ſacrificia ſufficientia ad peccatorum dimiſſionẽ,ſed contritio, & pœnæ afflictiuæ aſſumptæ requirebantur, vt hic & alibi dictum. Vide Abulenſem.

CAPVT XVII.

VIDIT Deus, adeò procliuem populum ad idolòlatriã, vt ſempèr in præceptis aliquid contrà eã miſcuerit, & præſertim pòſt adorationem vituli, vt in Exod. & in Leu. vſq. hùc videre licet. Ideò in hoc cap. prohibetur immolatio victimarũ, prætcrquàm ad oſtiũ tabernaculi ad amputandam omnem occaſionem idolòlatriæ, sìc verſ.3. & 4. idem habes Deut. 12. Tamèn Manue pater Samſonis, Iud.13. 29. Samuel in Maſphat 1.Reg.7.9.in Galgala 1.Reg.11. 15. in Bethlehẽ 1.Reg.16.2. Dauid 2. Reg. 24.18. Elias 3.Reg.18.23 extrà tabernaculũ Deo inſpirãte ſacrificarũt, imò etſi nõ eſſẽt Sacerdotes,proùt et Moyſes Deo iubẽte. Sed cur *quaſi ſi ſanguinem fuderit*, cùm

dolòlatri a minor sit homicidio? dic satis fuisse docere periturum idolòlatram de medio populi, proùt homicidam. Vers. 5. *Ideò Sacerdoti offerre debent filij Israel hostias suas*, &c. argue ex hoc vers. oblationē solam factā Sacerdoti denotare abdicationem dominij, & illius translationem absquè alia manuum impositione, quæ aliud denotat, vt sæpius aduerti. Vers. 7. *Et nequaquàm vltrà immolabunt hostias suas dæmonibus, cùm quibus fornicati sunt*. Ex hoc argue adolòlatriam frequentem apud Hebræos, de qua Stephanus Act. 7. 42. Nunquid victimas, & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & Sydus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, adorare eas. Amos 5. 25. & omnes Prophetæ. Vers. 3. & 9. apparet legislatorem loqui de animalibus immolatitijs, seù immolandis, non de comedendis, quod seruit in argumentum, vt etiàm prohibitio adipum non comedendorum restringatur, vt aliàs dixi, ad adipes ex victimis immolandis, non ex alijs, eò magìs quia vers. seqq. subdit de sanguine non edēdo generalitèr, quod si & de adipe generalitèr intellexisset, expressisset clarè, & dixisset quid de adipibus agendum, proùt de sanguine, quem iussit effundi Deut. 12. 16. Ratio autē, quia *anima carnis in sanguine est*, animalis scilicèt; dictum fuit & Gen. 9. quandò primò prohibitus fuit esus sanguinis: quasi, videremini viuū quid (quod horreo) manducare, & quia pro expiatione peccati seruit, vndè ad alios vsus nolo trahi. Vers. 13. *Si venatione, atquè aucupio ceperit feram* non tamèn cùm canibus, quia non videtur prohibitum, Exod. 22. 31. nàm ibì prohibentur prægustata à bestijs, in quibus nō videntur cōprehendi canes venatici, imò ibì, & hic dicitur canibus proijciendā, quod videtur excludere prægustationem canum, seù illorum venationem. Confirmatur, quia vers. is. agitur de capto à bestia, quicquid dicat Abul. Vers. 16. *Portabit iniquitatē suam*, spernens hāc cæremoniam non mundabitur, scientèr enim peccat.

CAPVT XVIII.

COEPIT Scriptura mentionem facere vitij carnis, Gen. 6. quo tempore corruperat caro omnem terram, vt necesse fuerit diluuio vniuersali eam expurgare. Vitium sodomiticum pullulauit, de quo Gen. 18. & 19. Filiæ Lot cùm patre mistæ, Gen. 19. Laban supposuit loco Rachelis Liam, vt Iacob duas sorores habuerit vxores. Gen. 29. Ruben cùm Nouerca. Gen. 35. 22. stuprata Dina, Ge. 34. Nurus Iudæ ausa est cōmisceri cùm socero, Gen. 38. Onan fundens semen, Gen. 38. domina solicitabat Ioseph ad peccatum Gen. 39. Amnon sororē Thamar stuprauit 2. Reg 3. Adonias desiderauit Abisag nouercam 3. Reg. 2. Herodes duxit vxorem fratris sui viuentis. Apud Gētiles fornicatio nō reputabatur peccatum, ità vt & Apostoli Act. 15. scripserint Gentilibus conuersis, vt abstinerent à fornicatione; & Paulus scribit ad Cor. de fornicario cùm nouerca. & omnes Apostoli in omnibus Epistolis supèr hoc sempèr insistant, & Christus concupiscentiam docuerit prohibitam. Hinc DEVS videns homines ad libidinem pronos, & præsertìm populum Hebræum in Decalogo, & in hoc capite multa, quæ ad Decalogum faciunt, decreuit ad hanc colluuiem arcendam, & munditiam inducendam. Et quia exemplis Aegyptiorum, & Chananæorum poterant moueri ad malum, in princip. & versic. 24. 27. vsquè in finem capitis suadet ne illos respiciant. Versic. 5. *Quæ faciens homo*, obseruans, *viuit in eis*, non incurret pœnam, non occidetur, saluus erit, & sìc corporalitèr intelligenda verba, proùt spiritualitèr illa Abacuch. Iustus autèm ex fide viuit: de qua re Roman. 10. Galat. 3. Quò verò ad casus expresè prohibitos, videntur aliqui eorum de iure naturali prohibiti, vt cùm filia, matre, vt per Caietanum hìc. Hinc Dauid non se immiscuit cùm concubinis ab Absalone cognitis 2. Regum 20. 3. nequè Iudas cùm nuru cognita Genes. 38. nequè forsàn Iacob cùm Bala.

Aduer-

Aduerte quòd Iacob, qui accepit duas sorores, non peccauit, quia nōdùm lata hæc lex, & argue non fuisse contrà ius naturale, quia aliàs nō duxisset. Vers. 19. Accedens ad mēstruatam puniebatur morte infrà c. 20. 18. Sed an hoc esset mortale peccatum? Caietanus negat; Abulen. & Oleaster affirmant. Si nùnc non esset, nec tùnc erat, nisi ob inobedientiam fortè. Nec obstat pœna mortis infrà cap. 20. 18. quia multa alia, quæ non sunt peccata mortalia, puniebantur pœna mortis ex aliqua causa Legislatorem mouente, vt esus sanguinis: vide Summistas. Vers. 21. *De semine tuo nō dabis, vt consecretur idòlo Moloch.* intellige de humore, & spermate, nō de filijs: tùm quia si de filijs, alio modo clariùs exprimeretur & hic, & infrà cap. 20. in quo pluriès semen nuncupatur, tùm quia extraneum est hìc agi de filijs, & eos interseri intèr actus carnales, de quibus solis agitur in toto cap. tàm in antecedentibus, quàm in seqq. & de facili etiàm sub hoc agitur de actu carnali mollitiei in dando hoc semine Moloch; & si de filijs ageretur, aliud diceretur, quàm non dari semen, sed non immolari iuxtà Psal. Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs, & effuderunt sanguinē innocentem filiorum, & filiarum suarū, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan Sed modus ignoratur, nec probatur ille, qui dicitur: & datio sanguinis illum excludit. Tamèn ex alijs locis Scripturæ, de quibus infrà, apparet & de filijs agi, vt suis locis obseruabo. Vers. 25. *Et quibus polluta est terra.* Hæc est phrasis Scripturæ ad denotandum magnam abominationē; sìc Gen. 6. corruperat quippè omnis caro viā suam supèr terram; sic suprà cap. 6. pluriès de Sanctuario, & alijs pollutis ob peccata; & in Psal. Cōtaminata est in operibus eorum, infecta est terra in sāguinibus, peccatis; & alibì pluriès. Hinc oīs creatura expectat renouari, & renouabitur. Rom. 8.

CAPVT XIX.

REPLICAT quæ in præcedētibus dixerat. Vers. 2. *Sācti estote, &c.* Deus vult nos sui imitatores. Vers. 7. *Prophanus erit.* comedens de veritis; sic prophanum Esau vocat Paulus contrà iuramentum venientem. Hebr. 12. 16. Et sìc vocatur Sedecias à Propheta rebellans à Nabuchodonosor contrà iuramentum. Vers. 16. *Non stabis contrà sanguinem proximi tui,* in iudicio illū accusans verè, vel calumniosè, vt in eum sæuiat Iudex ad mortem: sic enim meliùs connectitur cùm præcedentibus. Versic. 17. *Non oderis fratrem tuum* peccantem *in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas supèr illo peccatum:* de correctione fraterna dictū in Euangelijs, in quibus à Christo data forma, quæ hic subintelligenda, vel loqui quandò aliqua omitti possunt. Cùm autèm agatur hìc de correctione fraterna, verba, *Non oderis fratrē in corde tuo,* non sunt dicta ad effectum demonstrandi malū hoc esse, proùt est, & huiusmodi cordis peccata etiàm in Scriptura sacra certò prohibētur, sed declarandi quid vitandum, proùt subditur, quid faciēdum in correctione. Vers. 18. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* eccè hic quàm clara dilectio proximi: *diliges amicum tuum,* proximum tuum, *sicùt teipsum;* & infra vers. 33. & 34. declaratur, (proùt declarauit Christus de hoc interrogatus, quemlibet hominem esse proximum nostrum) dùm iubetur aduenam diligi ab Hebræo sicùt seipsum. Non dicas *aduenam* idest, Hebræum, vt dicit Abulen. nàm cùm loquatur cùm toto populo Hebræo, & illi iubeat, denotatur diuersas esse personas ab his, quibus iubet. Nec obstat alia iussio Dei ne cōuersarentur cùm idolòlatris, ne ab ipsis conuerterentur ad idòla, quia tùnc de malis; at hìc non de his: nàm primo casu mali vitandi, non hi, à quibus talis peruersio, & infectio non timetur, vltrà quod de suis satis dixerat vers. 17. 18. nec præsumitur repetitio. Vers. 19. *Iumentum tuum non facies coire cùm alterius generis animantibus,* vt ex hoc discerent, si in iumentis hóc volebat, eò magis in hominibus, ne coitu fœmineo se cognoscerent, vel fœminam modo indebito.

Vel ne ad libidinem concitarentur, dùm animalia hæc ad coitum inducunt: nàm et si hæc eadem ratio in coitu aliorum animalium, nō tamèn in eis requiritur aliquod ministerium hominis, & nullo modo placet ratio, quæ respicit animalia ipsa: nàm nunquid Deo cura est de bobus? & ideò hoc non videtur posse litteralitèr intelligi. Quòad semē, & vestem, vel ad documentum, quia semē vnum aliud impediret, & vestis line, lanaq. cōtexta nō vestitur concinnè: vel ad mysteriū, confusionē vitandam, ordinem seruandum, duplicitatē vitandam, simplicitatem amplectendā. Vers. 26. *Non comedetis cùm sanguine*, argue si etiàm adipes animalium non immolatorum prohibiti essent, id exprimeret, proùt de sanguine, vt aliàs tenui. Vers. 29. *Ne contaminetur terra*, peccato enim contaminatur, vt in præcedenti cap. dixi. Vers. 31. *Non declinetis ad magos*, &c. In hoc impegit Saul, interrogans per Pythonissam. 1. Reg. 28.

CAPVT XX.

A PRINC. vsquè ad versic. 6. agit de dante de semine suo Moloch: Iàm dixi intelligendum de spermate, non filijs, ideoquè subdit de fornicatione cùm Moloch, & nulla filiorū mentio, etsi aptè de illis dicere posset, cùm dicat: *Ponam faciem meam supèr hominem illum, & supèr cognationem eius*. At de filijs intelligi, obseruaui pluriès. Et ego non restringerem hos immolantes Moloch ad Hebræos, vel proselytos, sed dicerem comprehendi quoscūque indigenas; sicùt enim per Hebræos puniuit habitantes idolòlatras maiori cùm difficultate, cur non hos errantes particulares faciliùs, & tutiùs? sic infrà Leuit. 24. vers. 16. blasphemus peregrinus lapidatur: sequitur posteà narrare pœnas contrà præuaricantes, de quibus dixerat cap. 18. Vers. 10. Adulteris pœna mortis infligitur, de qua Io. 8. 5. Vers. 17. Nullo modo credo agi de solo aspectu pudendorum, sed de cognitione carnali: id enim in nullo alio casu ponitur, vide Sanctium Ezech. 22. nu. 12. Vndè omnia verba refer ad factum, & si quæ ad aliud, dic præambula ad factum, sed non morte digna, nisi factum sequatur. Vers. 20. *Absquè liberis morientur*. 21. *Absquè liberis erunt*. dic exterminabuntur cùm progenie sua, proùt suprà vers. 5. sic in Psal. 108. 13. fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius, &c. alij erunt orbi.

CAPVT XXI.

VERS. 1. *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuiū suorum*. Et quia dubiū erat in Principe, ideò specificat de illo vers. 4. idest, in aliquo ex Principibus, qui dicebantur Principes populi, ne ergò quæras quis Princeps, an Rex, an Pontifex: nā vltrà personas enumeratas, & concessas non est transgrediendum. Vers. 2. *Fratre quoquè*. Sed cur prohibiti fratres Nadab, & Abiu, Leuit. 10. 6? quia erant in ministerio, à quo non licuit ob mortuos diuelli: præponendus enim Deus; finite mortuos sepelire mortuos suos, dū de spiritualibus agitur, & id animaduertitur infrà vers. 12. in Sacerdote maximo. *Nec egredietur de Sanctis*. Alij, quia erāt recentèr vncti; at non credo, quia recēs vnctio, sed quia vncti, vt ibì, proùt & dicitur de Sacerdote maximo infrà vers. 10. sed tùnc mouit Moysen ratio illa, & motiuum, quod posteà quòad personas hic distinctas cessauit: tùnc enim nōdùm lata hæc lex. Vers. 6. *Panes Dei sui offerunt*. & vers. 18. & 21. attende quanti faceret Deus panes oblatos, maximè propositionis, vt quasi sub illis omnia sacrificia cōprehendat; hìnc alibì dixi figurā fuisse sanctissimi Sacramenti & prætertim Hebr. 7. Vers. 7. *Nec eā quæ repudiata est*, sic ver. 14. *repudiatā*. si ergo his prohibetur, cęteris permissū, iuxtà Deut. 24. nec dicēdū proùt vidi aliquos dicētes omnibus interdictū repudiatam

tam

tam ducere, vel matrimoniũ cùm ea non cõtrahi, cùm hoc de directo sit contrà d. cap. 24. vt obſeruaui latè in Euangeliis cap. de libello repudij, ad Matth. 19. Verſ. 10. An hæc cæremonialia in deſerto ſeruarētur, habes hìc per Abulenſem omnia diſtinguentē, & excipientem in leproſis, in cinere vitulæ rufæ, ſabbato, & alijs, vt non mereatur corrigi, vel reprehēdi à recentioribus. Vide eundem infrà c. ſeq. q. 2. Verſ. 13. *Virginem ducet vxorem*. Hic & alibi Abulēſis docet virgines vxores ſolere eſſe gratiores, vndè Iob. cap. 31. 1. volens docere ſe de voluptate, qua ſolent homines magis delectari, ne quidèm cogitare, dixit: Pepigi fœdus cùm oculis meis, vt ne cogitarem quidèm de virgine. Verſ. 22. *Veſcetur tamèn panibus, qui offeruntur in Sanctuario*, & hi erant propoſitionis, abſquè dubio autèm licebat & familiaribus Sacerdotis edere de his panibus, quomodò Chriſtus dixit ſolis Sacerdotibus licitum eſſe comedere, Matth. 12. 5.? dic verbum (ſolis) non excludere familiares, quibus alia maiora licebat comedere, vt hic per Abulēſem, & cap. ſeq. & verbum, ſolis, non ſempèr excludit, ſed admittit alios ſolitos, vt in multis locis Scripturæ probatur, vt aliàs obſeruaui: ſeruit infrà cap. 22. 11. ſeruos emptos, & vernaculos de omnibus edere poſſe; & infrà cap. 24. 9. dicitur de his panibus, eruntquè Aaron, & filiorum eius. Vidi poſteà Abulenſem infrà cap. 24. & credo licuiſſe de eis comedere maribus tantùm. Num. 18. vide eundem Matth. 12.

CAPVT XXII.

VERS. 2. *Ab his, quæ conſecrata ſunt*, Deo immediatè, ſecùs in decimis, & primitijs, quæ erant Sacerdotum libera, & nulla pars earum conſumanda ad DEI cultum. Verſ. 3. *Ad poſteros eorum*, quia præſentes in deſerto conſumandi non poterant hæc exequi ſeruanda in Terra promiſſionis. Verſ. 8. *Captum à beſtia*. intellige fera, non cane, vt alias obſeruaui, aliòquin venatio cũ canibus fuiſſet interdicta, quod exprimeretur, & captũ à beſtia videtur prohiberi, quia tactum à beſtia immunda, quod non aptatur cani, quo domeſticè vtebantur, vt in Tobia. Verſ. 9. *Et moriantur in Sanctuario*, proùt Nadab, & Abiu filij Aaron. Verſ. 10. & 11. Perpetui familiares comedunt de ſanctificatis omnibus, non autèm temporales; hìnc licet his edere de panibus propoſitionis, qui non excipiuntur, vt dixi cap. præcedenti. Verſ. 25. *Panes*. Sub his omnia ſacrificia, quaſi hi præcellentes. Hìnc vide quàm benè figurent panes ſanctiſſimũ Sacramentum. Poterant tamèn ſumi pecuniæ ad emendas victimas, vt in Seleuco, 2. Machab. 3. 3. Sed clariùs habetur Eſdr. 1. 6. 9. & ſi neceſſe fuerit (hæc verba Regis Darij) & vitulos, & agnos, & hœdos in holocauſtum Deo cæli, frumentum, ſal, vinum, & oleum, ſecundùm ritum Sacerdotum, qui ſunt in Ieruſalem, detur eis per ſingulos dies, ne ſit in aliquo querimonia, Et offerãt oblationes Deo cæli, orentquè pro vita Regis, & filiorũ eius. & cap. 7. 21. 22. in Artaxerſe, poſtquàm dictum de multis dandis Eſdræ, ſubditur. Omne: quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligentèr in domo Dei cæli: ne fortè iraſcatur contrà regnum Regis, & filiorum eius. Et ſi enìm ex his videatur elici contrarium, vt de manu Regis offerenda acciperentur, tamèn hæc recipiunt declarationem ex eod. c. 7. 17. vbi datur poteſtas Eſdræ accipiendi aurum, argentum, &c. & deindè: liberè accipe, & ſtudioſè eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & ſacrificia, & libamina eorũ, & offer ea ſupèr altare tẽpli Dei veſtri, quod eſt in Ieruſalem. Sed &c. & cap. 8. 35. apparet de oblatis à filijs Iſrael, & potuiſſe pecunia emi offerenda Deo à Gentilibus. tenet Abul. 1. Paral. 21. q. 79. dum agit de Iebuſæo, & q. 80. & ſacrificabãtur erepta ex præda Gentilium. 2. Par. 15. & reſeruata ſunt pinguia de præda pro ſacrificio. 1. Reg. 15. At credo textum loqui Gentiles non eſſe admittẽdos ad ſacrificia iuxtà opin. Rab. Salom. de qua per Lyran. qui enìm offerebant, nedùm intrabãt, ſed participabant de oblatis, manus ſupèr victimas imponebant, quæ omnia Gentilibus erant prohibita, & pro il-

lis hæc sacrificia inducta non erant, sed pro solis Hebræis circuncisis, vt benè per Lyran. referentem, imò Gentiles templo arcebantur: & illis assignatus erat locus particularis, quem non excedebant: hinc motæ turbæ in Paulum quasi Trophimum gentilem in templũ induxisset Act. 21. sic & Thre. 1. Ezech. 44. Et hanc rationem recipit Abul. 1. Paral. 16. q. 29. & c. 18. q. 24. vbi tamèn nõ recedit ab hoc textu, & in hoc mihi non placet. Nõ autèm quòd si aliquid obtulissent absq. immistione in his, quæ solis circũcisis competebant, puta vt pro ipsis oratio fieret, non esset recipiendum: nàm si res oblatæ nõ essent per se immũdæ, sed sacrificio aptæ, non video quid obstare posset: non enim immũda, quia apud immundos: nàm si hoc verũ esset, neq. Esdras recepisset litteras Regis, quibus mandabatur ei prouideri de vitulis, agnis, hœdis à Gentilibus, neque licuisset Hebræis ab eis quicquam emere vti immundũ; & tamèn, & pro sacrificijs de necessitate ab eis emebantur necessaria, vt in exẽplis Esdræ, & Seleuci. potuerunt enim & tempore Seleuci victimas à Gentilibus emere, & pro cibo, vt in Christo Io. 5. dùm fit mentio, discipulos emisse cibos in Sichar. Sicùt non est immundũ, quod penès se retinet leprosus, vel feminifluus, & similes immũdi, sed non possunt offerre, arcentur ab illis actibus tãtùm. Imò si Hebræi immũda vouebãt, non respuebãtur, sed redimi poterãt, vel retineri. Leu. 27. 27. Et sicùt Hebræi rogabant, hostias offerebãt pro Gentilibus, vt in locis Esdræ præscriptis, & pro Heliodoro obtulit Onias Sacerdos, 2. Mach. 3. 32. & cũ fructu, & gratia sanitatis, & sæpiùs habetur in Machabæis, & Baruch. 1. 11. vbi iubetur, vt orẽt pro vita Nabuchodonosor, & Balthas. filij eius, cur nõ poterãt ipsi Gẽtiles tradere hæc immolãda pro ipsis, nulla tamẽ immistione adhibita, cũ ab omni repellerentur? Faciũt motiua, quæ habẽtur apud Abul. Leuit. 27. q. 54. quæ videantur. Deus etiàm suprà in Thren. & Ezech. non conqueritur assumi hostias à Gentilibus, sed ipsos in templum introduci, & ad sacrificia admitti. Et si oblata ab eis absq. alio ministerio, sed simpliciter fuissent repudianda, clarè id expressisset. Imò si hæc vetita, neque pecuniæ assumerentur, proùt Deus nolebat pretium scorti, seù meretricis accipi. Non obstant verba, *quia corrupta, & maculata sunt omnia,* quia intelliguntur, dùm sic susciperentur illis ad sacrificiũ admissis, & de illo participantibus, & sic credo Lyranum referre Rab. Salo. respondentẽ, quæ responsio est aptissima, quia qualitas iuncta verbo intelligitur de tempore verbi; at illis absentibus, seù se non ingerentibus nulla prohibitio, omnia licebant. Hinc dicit textus: *de manu alienigenæ* præsentiam, & immistionem eius denotans, ideò ponitur hoc immediatè pòst ea, quæ nõ possunt offerri, vt appareat de illis solis agi, quæ à præsentibus, & participantibus offeruntur: & hoc de alienigena puto appositũ, quia cũ vers. 10. & 13. dixisset alienigenam comedere non posse de oblatis, cùm dubiũ fieri posset, si ipse offerret, hoc tollit, prohibẽs illi omnem oblationẽ, vt dixi. Non obstãt quæ consideraui in Esdra, quia illud ad maiorem cautelam, & ex abũdanti, vt tutior esset victimarum præsentia, non autèm quòd non liceret animalia eadẽ data offerri: si enim licet offerre empta ab eis, cur non donata ab eisdẽ? certè nulla differentia potest considerari; cũ autèm nõ habeamus prohibitionẽ pro emẽdis, neq. pro donandis. Et obseruãdum pro his, quòd quandò Samuel conuenit Saulem, qui reseruauerat pinguia, obijciẽti Sauli pro Domino sacrificanda seruasse nihil respõdit de immunditia animaliũ, sed tantùm de inobedientia. 1. Reg. 15. & quis dubitat quæ receperunt à Chananæis, & alijs populis Dño sacrificasse? vt 2. Par 15. non sacrificaturi, si immunda, quia apud immundos. Frequentabatur tẽplum à Gentilibus, vt dicitur 2. Machab. 1. 12. Io. 12. ponamus Gẽtilem emisse animal in nundinis, vel mercato quæ fiebãt in tẽplo, vel oblaturũ simplicitèr, vel retenturũ, fiebatnè animal illud immundũ illicò, quia in dominiũ Gentilis venerat? hoc non puto, sed potuisse per eũ simplicitèr offerri, vel distrahi tanquàm mundum, vel inimundum. Accedit, quia Deus prohibuerat offerri quicquam fermentatum, & tamèn fermentati panes Sacerdotibus dabãtur à toto populo. Leuit. 23. Prohibuerat esum adipis, extrà sacrificia tamèn prohibitio non habebat locum, vt tenui. Vide ad prædicta Abulens. Ios. 6. quæst. 23.

CAPVT

CAPVT XXIII.

AGITVR de solemnitatibus, & sacrificijs obseruandis per totum annum, & apparet quàm velit nos gratos Deus pro suis beneficijs in nos collatis. Vers. 10. *Cùm ingressi fueritis*, *&c.* apparet has leges non ligasse nisi in terra Chanaan. Vers. 15. Agitur de festo pentecostes, de quo Act. 2. Vers. 17. *Similæ fermentatæ*. hi ergò panes spectabant ad ius Sacerdotum: nàm Deus prohibuerat omne fermentatum sibi offerri. Credo autèm cùm Abulensi licuisse offerre cuique hos panes, siuè ex proprio agro, siuè aliunde habitos: nàm licèt in vulgata dicatur: ex omnibus habitaculis vestris, in Hebræa; ex omnibus habitaculis vestris adducetis panes eleuationis, tamèn hæc omnia intelligenda secundùm quandam moralitatem. Item secundùm regulas aliorum offerendorum, quæ emi poterant in Ierusalem: vndè Deus præscripsit, vt quæ habebant in proprijs locis longinquis venderent, & ex pretio emerent in Ierusalem ob maiorem commoditatem, ne grauarentur ex asportatione de loco ad locum: quælibet enim dispositio recipit interpretationem à lege vniuersalitèr prouidente: aliòquin in quolibet particulari necesse esset subijcere dispositionem, seù prouisionem in lege generali præcedentem, quod esset absurdum. Vltrà quòd, quid intererat, an proprios, an emptos deferrent? Imò qui distabant adeò siccos detulissent, vt Sacerdotes, & familiæ non essent dentibus fracturi, vt in exemplo Gabaonitarum: in his ergò, in quibus poterat absquè incommodo verificari, transeat, vt darent proprios, at alij distantes, qui grauarentur ex sola gestatione, & siccos detulissent, poterant ex emptis satisfacere. Vers. 18. *Offeretisquè cùm panibus septem agnos*, &c. *& erunt in holocaustum*, vndè in claris non est opus coniecturis: vltrà argumentum, quòd dùm de sacrificio dicitur, intelligitur de holocausto, at adduntur alia Num. 28. 27. Vers. 36. *Est enim cœtus, atquè collectæ*, oblationum scilicèt, tùm quia præcedit *offeretis holocausta Domino*, tùm quia aliæ translationes habent, Hebræa (offeretis oblationem Domino) Septuaginta (holocautomata.) Chaldæa (oblationem coràm Domino.) Vndè erat & cœtus, & oblatio simùl, & oblationes generalitèr repetit vers. 37. non ergò quia cœtus, cesset intellectus pro oblatione, quæ clarè habetur ex verbo, *collectæ*, de quibus Paulus in multis Epistolis, & in Act. Apost. Vers. 40. *Sumetisquè vobis die primo*, ergò hoc die primo tantum ad has frōdes tenebātur, nō alijs, tùm quòd non expressisset de primo, quo vidētur alij dies excludi, tùm quia si vellet septē diebus id fieri, exprimeret, proùt vers. 41. & suprà vers. 6. & 8. & 36. & quòd primus dies erat requiei, & celeberrimus versic. 39. non ità sequentes. Vel parata die primo seruiebāt pro sequentibus.

CAPVT XXIV.

VERS. 3. *A vespere vsquè ad mane*. ergo cremabant tantum in nocte, non in die, vt dixi Exod. 37. & probatur 1. Reg. 3. 3. lucerna Dei antequàm extingueretur. Vers. 5. De panibus propositionis figurantibus Sanctissimum Sacramentum, vt alibi dixi, qui erant Aaron, & filiorum eius, intellige masculorum tantùm. Num. 18. Abulensis hìc. Hos panes cōficiebant Leuitæ. 1. Paralip. 9. 32. Dicunt aliqui & vinum appositum, at in hac Scriptura de hoc nullibì, & mirum esset silentium, si hoc fuisset. Vers. 10. Benè describit: quem pepererat de viro Aegyptio, vt appareat de mala sobole, nec miremur, si primus blasphemus, & si ad iurgia, at causa iurgiorum incer-

incerta, quia de ea nullibi in Scriptura, quicquid alij comminiscantur ex eorum capite. Vers. 11. Apparet blasphemasse, & maledixisse, non autèm protulisse nomen Domini tetragrammaton, ideò hoc vltimum diuinatiuum. *De tribu Dan* ex latere materno, ergò ad hunc nihil aptatur eorum, quæ de Antichristo dicuntur. An autèm Antichristus ex tribu Dan oriturus, vide quæ scripsi Apoc. 7. puto omnia incerta. Versic. 14. *Et ponat omnes, qui audierunt, manus suas supèr caput eius, & lapidet eum populus vniuersus.* Ex verbis clara est ratio cur manus supèr caput eius apponerentur, nempè ad testificandum contrà eum: ideò dicitur, *qui audierunt*; sìc Senes supèr caput Susannæ. Daniel. 13.34. sìc supèr caput idolòlatræ. Deut. 17. 7. & 21. 6. cùm seqq. imò & hi primi lapides mittebant, vt dixit Christus adducentibus adulteram, Io. 8. & probatur Deut. 17. Aliæ causæ per alios dictæ non placent, nec aptantur. Vers. 16. & 22. *Siuè peregrinus*, quia sortitur forum ex delicto. Vers. 21. *Qui percusserit*, occiderit, *hominem* iuxtà alias translationes: at quia verbum, *puniatur*, in nostra aptatur percussioni citrà mortem, ideò posset & simplicitèr de percussione citrà mortem intelligi, præsertim quia suprà de occisore.

CAPVT XXV.

VERS. 2. *Quandò ingressi fueritis terram, quàm ego dabo vobis*. antè ergò non tenebantur ad obseruantiam horum, & sìc annus septimus non incœpit, nisi quandò his, quæ hic dicuntur, locus esse potuit, ne cuncta rimer. Vers. 5. *Vuas primitiarum tuarum*, vinearum tuarum a te plantatarum, quibus solent homines vti operibus manuum suarum delectari nimis, & difficiliores reddi ad illas alijs dimittendas, *non colliges*, &c. Credo hac de causa nuncupari *vuas primitiarum tuarum*, non Dei, non aliorum; consentaneum est autèm Hebræos plantasse vineas multas in terra Chanaan. At non placet dictum *vuas primitiarum tuarum*, idest, primitias vindemiæ, proùt infrà vers. 11. quasi, non præuenies tempus, vuasquè immaturas, quæ dicuntur primitiæ, non vindemiabis, ne alij defraudentur. Obserua, tùnc Deus fructus augebat ad plures annos, Christianis dat centuplum pro ælemosyna. Vers. 8. De anno Iubilæo, in quo obserua clara verba, quòd annus Iubilæus non erat 49. is enim Sabbaticus, & in quo de Iubilæo incunte admonebatur populus, sed erat annus quinquagesimus: vndè non video quomodò supèr his orta difficultas in textu adeò claro, & distinguente. Vers. 9. & 10. *clanges buccina*. de his tubis Iosue 6. 13. quibus in Iubilæo vsus est, ex quo tamèn textu non potest cognosci an essent argenteæ ad Abulensem, vel corneæ. Credo illis tùnc vti voluisse Deum, quia ad lætam anno Iubilæi inuitabantur, sìc in euersione Iericho. *sanctificabisquè*: dicabisquè mihi *annum quinquagesimum, & vocabis*, intimabis, *remissionem*, &c. Vers. 10. vnusquisque reuertetur: quasi inerat pactum de redeundo eo anno, proùt nos pactum de retrouendendo habemus. vers. 15. & seq. sic Legistæ diminuunt pretia rerum ad tertiam, quartam, & quintam partem ratione emphyteosis, feudi, libelli, &c. Vers. 21. seruit ad dicta in Euangelijs, vt non simus soliciti quid edamus, aut bibamus, &c. Versic. 25. Hinc fortè ortum ius congrui nostrum, sed licebat propinquo, primo domino, & propinquiore intimato, vt in Booz in Ruth. Ver. 29. In domo secùs, vt ciuitates implerentur ædificijs, nec esset domorum incertus dominus. Vers. 31. Cessat ratio præcedens, & in multis locis ius congrui non seruatur in agris. Versic. 42. *Mei enim serui sunt*, &c. Sic arguit Paulus seruos peccati ab eo liberatos, factos esse seruos iustitiæ; sic liberatos à dæmone seruos factos Christi liberatoris.

CAPVT

CAPVT XXVI.

VERS. 1. *Nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum;* hinc moti filij Israel contrà tribus trās Iordanē dimissas ob erecta altaria, quibus pōsteà ad adorandum idola vsus Ieroboam, qui peccare fecit Israel; Abraham, & Iacob lapides erexerant in titulum pro cultu Dei veri. A verſ. 3. vſquè 14. conſidera benedictionem, de qua Num. 6. in fin. Verſ. 8. sic Ionathas cùm Armigero, Gedeon cùm tercentis, Machabæi cùm paucis: quomodò persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? &c. Aſa. 2. Paralip. 14. Verſ. 12. *Ambulabo intèr vos.* intellige proùt petebat Moyses, & proùt nùnc faciebat Deus, dans eis responsa. Verſ. 13. *Confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti:* tristes enim proùt captiui incedunt demisso capite; sic pœnitentes: Achab 3. Reg. 21. 27. Publicanus Luc. 18. Verſ. 34. sic contaminari dicitur terra in Pſalmo: Contaminata eſt terra eorum, ob peccata ſcilicèt, & alibi dictum. Verſ. 39. *Et proptèr peccata patrum ſuorum, & ſua affligentur;* sic Chriſtus: vt veniat supèr vos sanguis Abel iusti vſquè ad sanguinem Zachariæ: ideò ſubdit, *donèc confiteantur,* &c. & sìc dùm pœnitet eos, Deus non punit; sic verſ. 41. *donèc erubeſcat incircumciſa mens eorum:* tùnc orabunt, &c. *& recordabor fœderis,* &c. & 43. *ipſi verò rogabunt,* &c. Verſ. 41. sìc Stephanus Act. 7. vos sempèr Spiritui Sancto reſiſtitis: cōtumaces enim sempèr fuerunt, & duri. Verſ. 44. *Non penitùs abieci eos,* eccè quomodò Deus non derelinquit abſquè omni remedio peccatores; sic punit citrà condignum. Verſ. 45. *Recordabor,* &c. sic faciet & in fine, quandò reliquiæ Iſrael ſaluæ fient, vt dixi in Epiſ. ad Rom. *In monte Sinai.* intellige pro maiori parte, & maiora, quia alia ſunt additamenta & interprætationes priorum. *Per manum Moyſi.* Lex per Moyſen data eſt, Io. 5.

CAPVT XXVII.

VERS. 3. Hunc modum æſtimandi vitam hominis maximè reſpectu vſusfructus relicti ſequuntur Iuris prudentes. Verſ. 6. *Ab vno menſe vſquè,* &c. dabatur is menſis, quo nemo tenebatur redimere votum, proùt in primogenito, qui redimebatur pòſt menſem. Num. 18. ità vt ſi is intrà menſem mortuus eſſet, non obligabatur vouens ad redemptionem, vel aliam ſolutionem: ideò conſultò menſis appoſitus pro termino; quod ſi verum eſt, excluduntur intellectus Abulenſis, & colligitur antè triceſimum diem non fuiſſe vouentes in mora, ſed liberi ob terminum à Deo aſſignatum: noluit enim plùs vouentes voluntarios grauare, quàm habentes primogenitos, qui ad redemptionem ex lege cogebantur, & tamèn ſi intrà menſem morerentur, ad nihil tenebantur, quia pòſt menſem tantùm obligabantur redimere, ergò antè erant liberi, & immunes, & ſicùt non poterat dimitti ad miniſterium qui mortuus erat, ſic nec poterat redimi qui non erat: non entis enim nullæ qualitates: ſecùs ſi quis fuiſſet in mora, quia tùnc tenebatur; dies enim interpellaſſet pro homine: vndè Deut. 23. 21. Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Nec ob id fiebat quin vel concepti, vel concipiendi voueri non poſſent, proùt fecit Anna 1. Reg. 1. & proùt primogeniti erant Domini etiàm antè menſem, ſed menſis dabatur ad beneficium vouentium, proùt in primogenitis, vt dixi. Ex verſ. 8. argue conuenientiam Iuris canonici facientis iudices Epiſcopos in cauſis ſuarum Eccleſiarum. Verſ. 9. & 10. & 33. Animal dica-

dicatum Domino non posse mutari etiàm de bono in meliùs; facit quod dicimus non posse mutari causam piã etiàm in magìs piam, nisi à Papa, vt apud Iurisconsultos, quos vide. Vers. 26. An sicùt primogenita quis vouere non poterat, quia Dei, sìc nequè nùnc ea, ad quæ quis ex præcepto tenetur? & videtur posse: contrarium in primogenitis, quia nihil plus dabat vouens; nàm quæ Dei erant, Dei fieri non poterant, nequè pretium dari, quia dans non erat dominus, qui redimere posset. At in prædictis duplicitèr quis obligatur, ex præcepto, & voto: nec vouet quod in dominio Dei est, sed quod in præcepto Dei, & in suo libero arbitrio quòad executionem, vndè præceptum nihil ponit in esse, nisi obligationem sub pœna peccati, vouens ergò ex libero facit se obnoxium ad obseruantiam, sìc Iacob Gen. 28. vouit: Dominus erit mihi in Deum, qui sempèr fuit. Vers. 28. *Omne quod Domino consecratum non vendetur, nec redimi poterit:* hinc bona Ecclesiæ donata non distrahenda. Aduerte etiàm ex additione quintæ partis vltrà pretium videtur ortum, si in euidentem cedat vtilitatem Ecclesiæ, aliquandò concedi distractiones, & adde colligi consecrata Domino mutare conditionem, ità vt pristina onera realia non retineant, tùm ex hoc vers. 28. tùm ex vers. 20. dùm vult consecrata Domino non subiacere legi vniuersali Iubilæi vt tùnc redeant ad dominos, & videtur magnus textus pro oneribus etiàm realibus non subeundis ab Ecclesijs pro bonis etiàm affectis ad eàs translatis, etiàmsi ab eis ad laicos deferantur, & adeò clarum hoc, vt sìc consecrata dicantur succidi, seù mori, ità vt sicùt morte soluitur omne onus, ità consecratione. Sìc omnes Interpretes. Et cùm Sacerdotes hæc de Iubilæo in Iubilæum vẽderent (in omni enìm Iubilæo ad eos reuertebantur, & ipsi ea retinere non poterant) videtur inductum ius Emphyteusis; feudale, libelli ad quinquaginta, ad centum annos. Aduerte, dùm dixi Sacerdotes non potuisse retinere rem immobilem ad eos reuersam tempore Iubilæi, non arguere idem faciendum in nostris, quia tùnc illud fiebat, quia Sacerdotes non poterant retinere immobilia in tribus diuisa, secùs in nostris his diebus, & propterà Ecclesiæ rectè possunt pro se retinere. Vers. 30 *Omnes decimæ terræ Domini sunt, & illi sanctificantur,* separantur. Hinc decimas esse de iure diuino. sìc & cap. Parochianos de dec, at quomodò intelligatur, an simplicitèr, an strictè ad quotam intèr Christianos, videndi Canonistæ, & Theologi, quorum materia.

FINIS LEVITICI.

IN

IN NVMEROS

CAPVT PRIMVM.

LOCVTVSQVE *est Dominus*, Angelus Dominum repræsentans. Versic. 51. *Quisquis externorum accesserit, occidetur*; sic & c. 3.10. & 38. imò si tangeret, vt in Oza, & cap. 4. 15. & 19. nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario cap. 4. 20. hinc Bethsamitæ mortui, quia viderunt arcam Domini nudam 1. Reg. 6. Imò neque Sacerdos intrans semèl in ãno poterat quicquam tùnc videre, non quia portabat thuribulum, quo fiebat nebula, Leuit. 16. 13. sed quia ibi Angelus in nube, vel vt aliàs dixi. Vers. 53. Collige Sacerdotes placare Deum, & auertere indignationem eius.

CAPVT II.

VERS. 25. Quia tribus Dan ad Aquilonem, ideò ex ea Antichristus, argumẽtum parùm stringẽs. vide scripta in Apoc. imò quia caput duarum tribuum aliarum eò magis secùs dicendum. Vers. 49. tribum Leui noli numerare, & tamèn Leuitas pugnasse tenet Abul. Ios. 11. q. 9. & Sacerdotes 1. Reg. 4. q. 11.

CAPVT III.

VERS. 13. In tribum Leui translatum sacerdotium, quia iniuriam in Deum factam per vituli adorationem vindicarunt, Deut. 33. 9. & quia minor numero iuxtà Abulensem hìc. At non potest dici quia ius Sacrdotij esset primogenitorum, ideò hanc plebem pro primogenitis receptam ad ministerium sacerdotale: nàm negatur hoc fuisse priuilegium primogenitorum, vt aliàs tenui, & si ex hoc capite transferendum erat sacerdotium, potiùs vel in tribum Iuda, vel alteram ex Ioseph transferendum fuit, in quas à Iacob translata primogenitura à Ruben. Fuit ergò electio Dei mera, & pura: ideò benè Apostolus Heb. 5. vocatus tamquè Aaron, & sic de tribu tota. Vers. 22. pluriès *ab vno mense, & suprà*; sic numerati Leuitæ, quia non ad bellum, proùt alij, qui à vigesimo anno numerati: sed ad subrogationem loco primogenitorum, qui pòst mensem redimebantur. cap. 18.

CAPVT IV

VERS. 3. *A trigesimo anno & suprà,* &c. sic in trigesimo cœperunt prædicationem Ioannes Baptista, & Iesus. Considera qualia ministeria horū laboriosa', cùm non ministrarent nisi dùm erant in robore,& virtute firma à trigesimo anno vsquè ad quinquagesimum, quod confirma, quia milites vsquè ad sexagesimum assumebantur ad bella. Vers. 5. *Ingredientur Aaron,& filij eius,* & sic inferiores ingrediebantur in casu necessitatis, vt hic in Sancta Sanctorum, & tùnc Angelus sub nube recedebat, quod seruit ad dicta Leuit. 16. Vers. 6. *Et inducent* component *vectes*.extrà illa operatoria, quibus arcam inuoluerant, vt posset portari:non autèm quòd educerentur vectes pro arca inuoluenda. Vers.7. *Panes sempèr in ea erunt;* intellige, cùm peruentum fuerit in terram Chanaan,vbì similæ copia : in deserto enim vbì simila, quam daret populus, ex qua conficerentur panes singulis Sabbatis subrogandi? & quos panes comedebant Sacerdotes, quorum erat cibus, manna pasti? nullibì enim legimus; vndè hoc intelligendum proùt alia, cùm peruenissent in terram Chanaan; in deserto enim hæc nō erant obligatoria, & sic tùnc verificatum fuit:nàm & in terram Chanaan deferebatur arca, & alia omnia, de quibus in hoc capite. Vide Abulensem.

CAPVT V.

VERS. 2. Dum præcipit eijci de castris enumeratos, intelligendum de singulis, quia vna determinatio eos æqualitèr determinat,non diuersimodè, proùt dicit Lyranus. Vers. 3. *Ne contaminent ea cùm habitauerim vobiscum*. hinc collige intellectum, proptèr inhabitantes Angelos in Ecclesijs prohibitum fuisse mulieribus nudare caput ab Apostolo Paulo. Vers. 7. *Confitebuntur peccatum suum.* non videtur secreta confessio, cùm innotesceret peccatum recipienti: & quia offerebatur pro expiatione peccati aries,sed particularis,seù cuiuslibet. *cùm fecerint ex omnibus peccatis,quæ solent hominibus accidere* intèr eos, vt vnus alteri damnum inferat, non loquitur de his quæ in Deum. Vers. 8. *Dabunt Domino.* nota incerta esse Ecclesiæ, vel pauperum. Vers. 10. *Et quidquid in sanctuarium offertur à singulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipsius erit.* Ex his argue quòd manus impositio, quam posteà faciebat offerens, non designabat relaxationem dominij rei oblatæ Domino, cùm iàm ex sola oblatione domini, vel Sacerdotis facta esset, vt alibi dixi. Vers. 12.Incipit agere de sacrificio Zelotypiæ: obserua quodnàm remedium acerbum, & tutum ad certiorandos Hebræos Zelotypos: & nihilominùs ad eorum duritiam necesse fuit etiàm prouisionem libelli repudij introducere, Deut 24. de qua vide scripta per me in Euangelijs cap. de libello repudij ad cap. 19.Matth. At quia hoc remedium non procedebat, nisi quandò maritus deprehendere non posset, & adulterium lateret, & testibus argui non posset, quia non erat inuenta mulier in adulterio. vers. 13. propterea dicendum libellum repudij datum fuisse tùnc,cùm vir certò nouerat mulierem adulteram,& sìc restringendam permissionem repudij, de qua Deut. 24. Nàm si dubius erat, habebat hoc remedium, ideò Deut. 24. dicitur: Proptèr aliquam fœditatem. Vel dabatur optio viro vtendi hoc, vel illo remedio, & sìc cumulata fuerunt remedia: sed placet primus conformis Christo Matth. 19. ex causa fornicationis: hæc enim causa debuit esse certa, vt locus esset libello repudij, & sic intellige cap. 24. Deut. Sed certè magna erat hæc, & horribilis pœna,ex qua deprehēditur quantùm

tùm Deo displiceat adulterium, & induɖa ad duritiam Iudæorum eneruandam, & vt saluarentur innocentes, quæ gladium virorum Zelotyporum non euasissent. At verisimile confitentes excusari à pœna ordinaria mortis, & puniri tantùm in amissione dotis, tùm quia solet lex confitentibus indulgere, tùm quia soli confessioni mulieris (alio indicio non apparente, & non constito de corpore delicti, de quo constare non poterat) standum non erat ad mortem inferendam. Nec procedit simile de Amalechita confitente occidisse Saul. 2. Reg. 1. quia (vltrà confessionem) Dauid certiorabatur ex narratione præcisa, & verisimili iuuenis ad præmium anhelantis, & diademate, & armilla regalibus, quæ agnouit, quæ seruierunt pro corpore delicti. Vers. 15. Obserua sacrificium farinæ hordeaceæ, in quo nō fundebatur oleum, nec thus ponebatur, quod & cùm farina triticea aliàs semèl obseruaui contrà eos, qui dicunt sempèr oleum infusum, & thus positum. Ver. 18. *Discooperiet caput eius*; sic Dan. 13. iusserunt senes Susannam discooperiri, quæ cooperta erat, dùm ad patibulum ducenda iudicaretur. Vers. 28. *Faciet liberos*. intellige modo ordinario, nō miraculosè, vt Hebræi fabulātur ex Lyra.

CAPVT VI.

AGITVR hìc de voto Nazaræorum, quod etsi cōuersus assumebat Paulus ad carnis mortificationē, cùm abstinentia vini esset principalis. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, &c. & ad reprimendum stimulum carnis eum colaphizantem: hinc & in Cenchris totondit se secundùm vnum intellectum. Act. 18. & in Ierusalem obtulit. Act. 21. Vers. 9. Hoc modo volunt aliqui pollutum caput Pauli, vt offerret cùm alijs Act. 21. quod nescio an procedat, quia prohibebatur Nazaræus ingredi ad mortuum vers. 7. & dispositum versic. 9. est quid casuale, & repentinum præter intentionem Nazaræi accidens. Præterea Act. 21. 26. dicitur: annuncians expletionem dierum purificationis. vndè videtur agi de termino, & fine temporis voti Nazaræatus, non de interruptione ob mortuum. & versic. 23. dicitur: sunt nobis viri quattuor votum habentes supèr se, quod fortè tùnc complebatur: vndè diuersæ fuissent cæremoniæ eorum, & Pauli. vt hic, quæ tamèn ibi fiunt eædem. Sed omnia hæc ruunt, quia septima dies purificationis non expectabatur in eo, cuius tempus adimpletum erat, sed in eo, qui pollutus fuerat vt hìc, & hæc septima dies in Paulo Act. 21. vndè vel sìc pollutus Paulus, quod fieri posse credendum est, nec peccasse, vel non attendisse, cùm hæc cæremonialia essent, quæ iàm cessauerant, & quorum nulla erat obligatio, & ad ostentationem tantùm hæc fierent, & omnia referri possent in quattuor socios, & ipse simplicitèr vti illis cæremonijs absquè vlla applicatione. Versic. 25. vsquè ad finem habetur benedictio, quam magìs expressam, et claram vide Leuit. 26. à vers. 3. vsquè ad 14. aliam apud Salomonē perfecto templo.

CAPVT VII.

HIC agitur de oblationibus Principum, quādò fuit erectum tabernaculum. Exod. vlt. quod ibi fuit omissum: non ergò duplex, sed vna tātùm tabernaculi erectio, quidquid dicat Lyranus ex Rab. Salom. Et nota quòd hi Principes plebum plures, ideò quādò de vno dicitur, intellige de omnibus Principibus plebum, quod probatur ex hoc cap. et c. 4. Leuit. vtrobiquè enim pro vno, vel pluribus hircus pro peccato offerendus. Vers. 89. Nota quòd aliàs dixi, Moysen non vidisse loquentem secum, sed audisse vocem loquētis de propitiatòrio: etsi Angelus posset se illi conspiciendum præbere, ideò non posse teneri opinionem Abul. nec argui posse summum Sacerdotem semèl in anno in Sancta Sanctorum ascendentem nebula, seù fumo thymiamatis prohibitum videre Angelum, sed ex alijs, vt sæpiùs tenui.

CAPVT VIII.

DE candelabris, & leuitarum purificatione, quæ iubetur Moysi, & Aaron: & quisque eorum fecit quod iusserat Dominus. Vers. 1. *Cùm posueris*. hinc decipi videntur Recentiores dicentes lucernas separatas à candelabro, cùm essent vnitæ, & ductiles, vt per Abulensem. Vers. 10. *Manus suas*, &c. vt appareat pro quibus oblatio fiat, vt aliàs dixi. Vers. 12. *Offeret Aaron leuitas*. quia ipse Sacerdos iam consecratus, non Moyses. Vers. 24. *A viginti quinque annis, & suprà, ingredientur, vt ministrēt in tabernaculo fœderis*. Sed cur suprà cap. 4. à trigesimo anno, & suprà? Dic ibi agi de numeratione; non de ministerio: quod autèm ibi omittitur circà ætatem ministrantium, hìc suppletum, & nullam esse cōtrarietatem, & sæpiùs in Scriptura non referuntur omnia simùl, sed distinctè, & in varijs locis, supplendo quod in vno omiserat: hinc inferas, quòd dicendo in cap. 4. de anno trigesimo, non exclusit vigesimumquintum vt hìc; & non procedit quod dicitur de ineptitudine ætatis vigintiquinque annorū ad portandum, quia in ea ætate quisque pollet. Sed an Moyses consecratus Leuita? dic quòd non, quia deputatur à Deo vt ministret in hoc opere: vndè non censetur compræhensus, vltrà alia, quæ hìc per Abul. Vers. 26. *Vt custodiāt quæ sibi fuerint cōmendata*. quia eadē pars erat laborantium, seù portātium, quæ custodientium: hinc fortè Dauid tulit legē belli, vt tā procedentium in aciem, quàm remanentium ad sarcinas esset æqualis portio in præda.

CAPVT IX.

AGITVR de phase, de quo aliàs dictum, quòd factum fuit in Sina, hìc repetitum & in deserto aliud non celebrarunt. Vers. 4. *Iustificationes*. Vide Luc. 1. Vers. 10. Argue ad christianos, qui communicant pòst impedimentum, & fortè hìnc deductum. Quid si durasset impedimentum etiàm mense secundò? dic aliud tempus non dari hìc. Vers. 14. *Peregrinus quoquè, & aduena*. intellige de Iudæo, aut proselyto. Argue seruandum festum ab incolis eo loci, quo fit, vt in festo sancti Bartholomæi. Vers. 15. *Species ignis*, non ignis verus sæpiùs dictum, præsertim Exod. 3. & quòd vna nubes erat, quæ per diem, & quæ per noctem, vt hìc, & sæpè dictum.

CAPVT X.

VERS. 10. *In recordationem Dei vestri*. more humano loquitur, & quia Deus vult vt petamus, & audire preces nostras præambulas. Vers. 29. *Dixitquè Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ cognato suo*. is filius Iethro soceri Moysi: idem enim qui vocatur Sacerdos Madiā socer Moysi, Exod. 2. 18. 21. dicitur etiàm Iethro socer Moysi. Exod. 4. 18. & Exod. 18. 1. erat enim binomius, & quamuis ibì cognatus, nil refert, quia verbum aptum est comprehendere omnem coniunctionem, & vbiquè tàm Iethro, quàm Hobab dicuntur cognati: is autèm Hobab venerat & ipse visitatum Moysen, proùt Iethro pater suus fecerat Exod. 18. vel vnà cùm eo; Scriptura enim id non explicat, & certò aliùs est is à Iethro, quia ille abijt in domum suam Exod. 18. is autèm Hobab comitatus est Moysen, vt hìc, etsi non dicatur expressè: sufficit enim non adesse contradictionem, vel alitèr non dici in Scriptura, proùt de Iethro Exod. 18. in fin. & obseruaui in Iacob, dùm promisit Esau ire in Seir. in Gen. Vide scripta Exod. 18. quibus adde fieri mentionem Cinæi 1. Reg. 15. 6. & infrà Num. 24. 22. vbi & capiendum ab Assur. Vers. 31. *Tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor*

ductor noſter. At quia hoc faciebat nubes intra verſ.33. per dies tres prouidens caſtrorum locum, non videtur aliud dici poſſe, niſi Moyſen voluiſſe coniungere diuinum cùm humano auxilio, non de diuino diffidens, ſed confidens ſic placere Deo.

CAPVT XI.

VERS. 1. *Pro labore itineris*. poſtquàm de alio non conſtat: quod autèm ſubijcitur de igne, ſucceſſit pòſt eſum carnium: vndè hoc proemium, ſeù anticipatio eorum, quæ ſubijciuntur. Verſ.6. *Anima noſtra arida eſt*, &c. quomodò nauſeabant, ſi omnem, quem volebant ſaporem illis dabat etiàm impijs, quia in vniuerſalibus vti in pluuijs Dens non diſtinguit, & aliòquin cognitum ex hoc fuiſſet qui pij, qui impij, & nemo ſcit an odio, vel amore ſit dignus, & alibì de hoc diffusè dixi: at etiàm dulcia, & ſuauia, & pulchra nauſeant, dùm frequentantur. Verſ.12. *Porta eos in ſinu tuo.* sic Petro: Paſce oues meas, & Apoſtolis: date vos illis manducare. Verſ.13. *Vndè mihi carnes*, &c. & sic Apoſtoli reſpõdebãt Chriſto. Verſ. 15. *Obſecro vt interficias me.* tanta erat anguſtia Moyſis, vt peteret mori, sic Apoſtoli, vt tæderet aliquandò eos viuere. Tobias petebat mori. Tob.3.6. Ionas. Ion. 3. 8. Elias. 3. Reg. 19.4. Verſ.16. *Congrega*, &c. hi diuerſi ab illis de cõſilio Iethro electis, qui cauſas minores iudicabant: hi enìm ad conſiliũ rerũ gerendarũ quarumcũq. gubernationẽ populi cõcernentiũ electi. Ver.17. *Et auferã de ſpiritu tuo*, tuo ſimili, eiuſdem ſpeciei, nõ eiudẽ numero; sic de Eliſęo, in quo dictũ requieuiſſe ſpiritũ Eliæ. 4. Reg. 2. 15. sic dixi in ſimili Apoc. 3. ſed declaratur ex ver.25. *Cũq. què requieuiſſet in eis ſpiritus*, & 26. *ſupèr quo requieuit ſpiritus*. & verſ. 29. *& det eis Dñs ſpiritũ ſuũ.* Vel *de ſpiritu tuo* tibi conferendo, ſi hi nõ eligerẽtur, quia tu illo, ad quæ ipſi incũbent, nõ indigebis. Verſ.22. Videtur Moyſes dubitaſſe de modo: ideò dicit, *Nũquid ouiũ, & boum multitudo*, &c. hæc enim verbà reſpiciunt modum, proùt Abrahã, & Sãctiſſima Virgo: præſertìm quia obijcit quæ videbantur obſtatura; & Deus non reprehẽdit, ſed proùt Abrahæ explicauit, & Angelus Mariæ dixit; sic illi: *Nũquid manus Domini inualida eſt?* &c. & hæc melior ſolutio, quàm quòd Moyſes pateretur aliquid humanum, ſeù perturbationem, proùt Petrus in Transfiguratione, quia ex verbis ſuis, quæ ſola attendenda, id non dignoſcitur. Verſ.26. *Prophetauerunt*, pſallentes, in laudem Dei proruperunt, proùt Saul, & alij prophetantes in ſignum electionis Deo placitæ, vt à populo reciperentur. Verſ.28. *Prohibe eos*, sic Iacobus, & Ioannes prohibebant eijcientẽ dæmonia in nomine Ieſu, qui eos reprehendit. At non credo peccaſſe Ioſue agentem pro Moyſe vti ad aliud nõ reſpiciẽtem, & fortè timentẽ aliquem tumultum ſuboriri Moyſe abſente in caſtris, præſertìm cùm puer inexpectatus aduenìſſet hæc referens. Vel neſciẽtem quid diceret, proùt Petrus, tractus amore, quo in Moyſen ferebatur. Vel fortè ignorantem ipſos electos, credentemquè eos, qui conuenerant tantùm electos, & deputatos. Vel fortè intẽdentem *prohibe eos*, ſi videtur, ſi iuſtum eſt, & remittentem ſe Moyſi: hìnc Moyſe reſpondente, & docente quomodò prophetarent, acquieſcentem, & nihil dicẽtem de ſexaginta octo corã Moyſe prophetantibus; confirmatur, quia Moyſes illũ non reprehendit, reprehenſurus ſi peccaſſet: dicit enìm, *quid æmularis pro me?* quaſi quid te mouet, quid mihi hìnc boni? vtinam, &c. Præthereà, dicit, *Dñe mi Moyſes prohibe eos*, non ipſe prohibet. proùt Iacobus, & Ioãnes. vndè non aſſentio Abulenſi, & ſiquid aſcribendum Ioſue, potiùs aſcriberem errorem, quia putabat ſe zelo bono moueri; & quia abſquè conſideratione vlla verba protulit, quàm peccatum: non enìm peccatum datur, niſi volũtarium: at cognito errore reſipuit, & tacuit. Non placet quòd Eldad, & Medat fuerunt contumaces nõ eundo ad tabernaculum, verſ. 26. quia id eis non aſcribitur à Scriptura, & potuerunt iuſta de cauſa non conuenire, & ità credendum, quia aliòquin non fuiſſent Spiritu ſancto impleti, vndè hæc non poteſt dari pro cauſa in Ioſue. Vide Serrar. 1. lib. Ioſ. c. 7. q. 6. & ſeq. sic ſupèr lictores Saul, & ipſum factus ſpiritus Domini,

Cc 2 & pro-

& prophetauerunt. 1. Reg. 19. 20. 23. 24. At hi duo absentes Spiritu sancto impleti, vt appareret à Deo idem fieri in præsentibus nō ex præsentia Moysi, vult enim Deus gloriam suam. Vers. 29. *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet?* sic ferè Christus ad discipulos Iacobum, & Ioannem. Luc. 9. & illi audientes datam gratiam gentibus. Act. 11. 17. 18. Vers. 31. *Ventus*, &c. Nota coturnices extantes adduxisse, nō de nouo creasse: & si creasset, non ex nihilo, sed ex materia præexistente, quia pòst primam creationē Deus nihil de nouo creat prætèr animas, vt dixi Genes. 1.

CAPVT XII.

LOCVTAQVE *est Maria* soror: hæc principalis: ideò præmissa: *& Aarō cōtrà Moysen proptèr vxorem eius Aethiopissam*, Sephoram: de alia enim nullibi habemus: quæ extollebat se, fortè more mulierum, videns Moysen suum adeò Deo gratum. *& dixerunt*. (hoc murmur) *Nùm per solum Moysen loquutus est Dominus*, vt velis ex hac causa te extollere? *nonnè & nobis similitèr est loquutus?* quasi, nos illi pares, & æquales, & fortè etiàm dicebant, quis Moyses tuus? proùt illi de Saul, & alij de Dauid, & absquè hac conditione, in quo consistet murmur? *Quod cùm audisset Dominus*, ægrè ferens suis detrahi (Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Dijs non detrahes. Principi populi non maledices) Moyse tacente, *Erat enim Moyses vir mitissimus supèr omnes homines, qui morabantur in terra*, ex qua laude hìc apposita conijce eius silentium, & taciturnitatem, & cōsequentèr scientiam murmuris contrà eum; sic pro Maria Magdalena tacente, nihilquè respondente stetit Dominus cōtrà Pharisæum, Discipulos, Martham: stat enim Deus promptus pro suis, non tardat. *Statìm locutus est ad eum, & ad Aaron, & Mariam: Egredimini vos tantùm tres.* pondera quantùm velit Dominus famam proximi cōseruari; applica ad correctionem fraternam intèr te, & ipsum solum, &c. sic cùm Maria, & Aaron solis detractoribus, vers. 5. secedit illos solos reprehēsurus. Vers. 7. *Qui in omni domo mea fidelissimus est*. in omnibus, ad quē eum elegi, cōplacuit mihi, fidelitèr se habet; sic Paulus Hebr. 3. 5. & Moyses quidèm fidelis erat in tota domo eius tamquàm famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant. Vers. 8. *Ore enìm ad os loquor ei*, quia clarè loquebatur secum Angelus ex propitiatorio, quem tamèn Moyses non videbat, vt aliàs dixi, & hìc obseruat Oleaster, quidquid dicant alij recentiores. Et hinc, neque aliundè, vt pluribus in locis dixi, argumentum desumi potest, quòd Moyses viderit Essentiam diuinam. *& palàm, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*, hoc dicit, quia familiariùs secū Angelus loquebatur de propitiatorio. Quibus verò modis loquatur Deus Prophetis, & illis se manifestet. Abul. 1. Par. 17. q. 14. 15. & 2. Paral. 10. q. 10. & c. 18. q. 26. cū seqq. Vers. 9. *Iratusquè contrà eos abijt* more irati se gessit Angelus Dei personam repræsentans, ne præsens rogaretur. secùs in Abimelech Gen. 20. Amicis Iob c. 42. Vers. 10. *Et eccè Maria apparuit candens lepra quasi nix*. illicò pœna contrà detrahentē Prælato, seù Principi. Vers. 11. Ait ad Moysen: Obsecro domine mi, &c. eccè preces viuentiū bonorum quantùm prosunt; sic Abraham, Lot, Eliæ, Elisæi, Iob, &c. Vers. 15. *Reuocata est Maria* sanata à Deo miraculosè: ideò non fuerunt seruata solemnia solita in leprosis, quæ tamèn Dominus Iesus Christus seruauit in sanatis à se, mittens eos Sacerdotibus, vt appareret de veritate miraculorum, quod hìc non erat necessarium. Sed cur non leprosus Aaron? quia Maria principalis, ipse adhæserat minùs peccans, & fortè seductus ab ea. Vel eum pœnituit, & certè id credendum, saltèm visa lepra Mariæ postquàm preces fudit ad Moysen, illum superiorem, & Deo gratiorem recognoscens, & quia vsus charitate ergà sororem ad Iacob. capit. 5. in fin. Et quia Sacerdos magnus ad ministerium necessarius, à quo ob lepram impeditus esset, non quòd quasi Sacerdos

non

non fuisset punitus, nàm apparet id factum, cùm non fuerit ingressus Terram promissionis, quia non glorificauit Deum ad aquas contradictionis.

CAPVT XIII.

VERS. 3. *Mitte viros*, &c. Sed priùs id petierunt populus, &c. Deut. 1. 22. Sed an peccauerint peccato diffidétiæ, petétes mitti exploratores, & mittentes? Credo quòd non: Nàm quamuis Deus dixerit: Ascende, possidc eam, noli timere Deut. 1. 21. nihilominùs non prohibuit quin præmitterent quæ solét aggressuri aliorum imperia, quod est explorare regiones, quas tentant; sic fecit Iosue in Iericho, & Hai: & id est regulare in Deo. Præterea Moyses ibidèm, Deut. 1. 23. dicit: Cumquè mihi sermo placuisset, misi, &c. At quod plus est, his non contentus interrogauit Dominum, vt hic, & ille iussit id fieri; si enim malum fuisset, vel non assensisset Moyses spiritu Dei imbutus, vel non iussisset Deus, sed vterque reprehendisset. Non dicas, etiàm in petendo Regem erratum, & tamèn Deus concessit: at & Samuel, & Deus explicarunt se quàm malè egissent: & sciebant Samuelem Deo gratum, nesciebant hìc mitti exploratores, ingratum. vndè ibi sumus in casu claro, & quamuis illum concesserit, non excluditur, quin malè fecerint, quod arguitur non ex concessione, sed ex verbis Dei, & Samuelis. Dic ergò hìc neminem peccasse, neq. Moysen, neq. populum, imò prudentèr omnes fecisse, & si secùs fecissent, Deum id explicaturum, & puniturum, proùt quandò Regem petierunt. Accedit quia Moyses explicat multa quæsita necessaria, quæ exploratores referre debuerant. Adde quia Deus iussit mitti duodecim Principes singulos ex singulis tribubus, quos elegit Moyses: si enim populus antè elegisset, misissetquè, aliqua suspicio oriri poterat. Argumenta ab euentu, quia malè successit, sunt friuola, & malitiam aliorum, non factum in se bonum concernentia. In verbo, *principibus*, considera quòd cùm hi non fuerint de principalioribus, non sempèr verbum (princeps) referendum ad illos, sed ad sequentes. Vers. 17. Mutatio nominis in Iosue aliquid magnum significauit, vt de mutatione Abraham, Saræ, additione Israel ad Iacob, Petri ad Simonem. Vers. 31. Etsi agatur de solo Caleb, tamèn infrà cap. seq. vers. 6. habetur & de Iosue: quandòq. enim Scriptura dimidiat facta, vt vna vice vnam partem, alia aliam referat, quod alibì dixi, præsertim Io. 1. sic in cap. seq. vers. 24. de Caleb. vers. 30. 38. de Iosue. Vers. 33. *Deuorat habitatores suos*. quomodò id intelligatur cognoscitur ex subiectis, *populus*, &c. *vidimus monstra*: quasi, impossibile est eos superare; sed magis explicant c. seq. vers. 3. Vtinā mortui essemus, &c. & vers. 9. Nolite, &c.

CAPVT XIV.

VERS. 3. *Vtinam pereamus*, &c. exauditi sunt à Deo infrà vers. 28. vndè cauendū ab his petitionibus insulsis. Vers. 5. *Ceciderunt proni in terrā coràm omni multitudine* ad auertendos illos à tali proposito; sic solemus audita aliqua re malitiosa nos facto alienos ostendere, vt alios auertamus ad illam promptos; sic infrà seruauit Moyses cap. 16. vers. 4. Vers. 8. *Si propitius fuerit Dominus*. & propitius erit vtique, si ab eo nō deflecterimus, sic vult intelligere: ideò subdit, *Nolite rebelles esse contrà Dominum, nequè timeatis*, &c. Vers. 9. *Recessit ab eis omne præsidium*. iàm cesserat tempus excidij illorum, de quo Genes. 15. sic Deus 1. Reg. 15. 2. Recensui quæcumque fecit Amalec, &c. Dominus nobiscum est: quasi, quis contradicere poterit: ideò nolite metuere.

Verſ. 10. *Et lapidibus vellet eos opprimere*. intellige Moyſen, & Aaron, Ioſue, & Caleb, non autèm Ioſue, & Caleb ſolos, tùm quia præmiſit murmur contra Moyſen, & Aaron verſ. 2. tùm quia Deus agit de alio principatu cùm Moyſe, & quia aliàs & contrà Moyſen, & Aaron inſurrexerunt. Verſ. 12. *Te autèm faciam principem*, *&c.* ſupèr populum Gentilem: de extante enim loquitur Deus. Verſ. 13. *Vt audiant Aegyptij*. Magnum argumentum ad mouendum ab vtilitate conceſſuri quod petimus. Verſ. 17. *Magnificetur ergò fortitudo Domini* in clementia, & pœna, & obſeruantia, & terrore inimicorum, *ſicùt iuraſti dicens*, promiſiſti Abraham cùm iuramento daturum te terram hàc ſemini eius, de quo eſt populus iſte: verbum ergò, *dicens*, id eſt, promittens: nàm verbum, *dicens*, non poteſt accommodari ad ſequentia, tùm quia nunquàm ſequentia dixit Dominus Abraham, tùm quia nullam continent promiſſionem terræ, de qua ſub verbo, *iuraſti*, loquitur Moyſes tùm quia ſunt verba deprecatoria Moyſis, Deum ad miſericordiam mouere volētis ex ijs, quæ illi ſunt propria, ſicùt fecit eiſdem vtens. Exod. 34. 6. vt enim ibì dixi, ſunt verba Moyſis: ideò dicit in vocatiuo (Domine Deus) vltrà alia ibì dicta, quæ tamèn Moyſes didicit à Deo, qui eadē verba dixit Exo. 4. 5. non autèm cap. 34. vt multi tenuerunt. Propterea dicit Moyſes: qui viſitas, & *Dimitte; obſecro; peccata populi huius ſecundùm magnitudinem miſericordiæ tuæ; ſicùt propitius fuiſti*, &c. Verſ. 18. *Dominus patiens*, expectās peccatores ad pœnitentiam, *& multæ miſericordiæ:* miſereris enim omnium, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, *auferens iniquitatem*, *& ſcelera* ex tua miſericordia, & benignitate, *nullumquè innoxium*, impunitum *derelinquens*, *qui viſitas peccata patrum in tertiam*, *& quartam generationem*, dixi, *innoxium*, id eſt, impunitum, quia & antecedentia verba (*auferens iniquitatem*, *& ſcelera*) & ſequentia, *qui viſitas peccata in tertiam*, *& quartam generationem*, ad idem tendunt: nec poteſt aptari intellectus omnes homines apud te ſunt, & cenſentur noxij, & peccatores: nàm hoc tenderet ad impeccabilitatem, & puritatem Dei reſpectu hominum, de qua hìc nō agitur, ſed de ſeueritate pœnæ. Vel interpretare (*nullum innoxium derelinquens.*) proùt Exod. 34. qui aufers iniquitatem, & ſcelera, nulluſquè apud te per ſe innoxius eſt: indiget enim quiſque auxilio tuo, innocentia à te requirenda, tibiq. aſcribenda. Sed cùr Moyſes placaturus Dominū meminit pœnarū, & ſeueritatis? credo memorari horum ad Deum magnificandum, eiuſquè maieſtatem recognoſcendam, & teſtificandum ſcire ſe præuaricationes, & pœnas à populo incurſas & potentiam illius ad pœnas inferendas, ſed miſcet miſericordiam, & petit miſereri, dicens: *Dimitte*, *obſecro*, *ſecundùm magnitudinem miſericordiæ tuæ*, *ſicùt propitius fuiſti*, &c. hanc enim petit à Deo eligi, non iram, non potentiam in puniendo; ſic miſcuit & Exod. 34. 6. 7. eodem modo nos ſolemus cùm iratis hominibus agere, quos placare intendimus: præmittimus enim potentiam eorum in vindicando iniuriam, quod eis ſcimus placere, ſed poſteà quærimus eos ad miſericordiam flectere. Verſ. 21. *Viuo ego*. more iurantis; ſic infrà verſ. 28. & Deut. 32. 40. Leuabo ad cælum manum meam, ſic & Abraham Geneſ. 14. & dicam: viuo ego in æternum, & implebitur gloria Domini vniuerſa terra, ad quam vos introducam, ibì glorificabor: de hac enim agit. Verſ. 22. *Qui viderunt maieſtatem meam*, *& ſigna*, manifeſtatam in ſignis, *quæ feci in Aegypto*, &c. *& tentauerunt me per decem vices*, ſæpe; ſic ſolet Scriptura ſub certo numero multa, ſeù incerta comprehendere, vt aliàs dictum. Verſ. 23. *Non videbunt terram*, *pro qua iuraui patribus eorum*. eccè quomodò verba (*iuraſti*, *dicens*. ſuprà verſ. 17.) intelligenda. Verſ. 28. *Sicùt locuti eſtis audiente me*, *ſic faciam vobis in ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra*. ecce quomodò ſibi ipſis procurauerunt, quod nolebant petentes. Sed melius fuit, hos timidos, & ſeruituti aſſuetos deficere, & ſubrogari alios fortiores, & audaciores, & promptiores ad bella. Verſ. 29. *Omnes*, *qui numerati eſtis* iàm *à viginti annis*, *& ſuprà*, *& murmuraſtis contrà me*, *non intrabitis Terram*, ità Abul. & alij. At credo etiàm non numeratos, qui tamē tempore murmurationis iàm peruenerant

rant ad numerum in deserto mortuos, quia vers. 31. de paruulis remansuris tantùm dictum, & quia ætas viginti annorum ad malitiam peruenerat, & tàm hi, quàm illi malitiosè oblocuti sunt: ideò pari pœna puniti. Vel dic nullam differentiam, quia illicò vt perueniebant ad numerum, in numerum redigebantur, ità vt hæc discretio videatur vana. Vers. 30. *Supèr quam leuaui manum meam*, iuraui: eccè alius locus pro intelligentia vers. 21. Vers. 33 *Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta*: eccè pœna temporalis filios tangens, sed necessariò, vt crescerent numero, & ætate ad hostes debellandos: vndè non propriè pœna. *& portabunt fornicationem vestram*, peccatum vestrum, quo dereliquistis Dominum, vt solet virum mulier fornicaria. Sed an Israelitæ in deserto fuerint idòlolatræ, dic bis, in vitulo, & cùm mulieribus Madianitis, alio modo non apparet, vndè quæ referuntur in Prophetis, vel Actibus Apostolorũ per Stephanum ad Terram promissionis reponenda, quæ simùl iunxit Stephanus, de hoc alibi dixi. Vers. 34. *Et quadraginta annis* fractis *recipietis iniquitates vestras*, pœnam iniquitatum vestrarum: ideò *& scietis*, sentietis reipsa *vltionem meam*; sic Psal. 94 10. quadraginta annis infensus fui generationi huic, &c. Vers. 36. Decem exploratores mortui: considera celerem vindictam in eos, quia Deo detraxerant, & publicè peccauerant, & populum in peccatum eorum traxerant. Vers. 45. Secundò inobedientes Deo, qui iusserat, vt regrederentur, puniuntur, & occiduntur ab inimicis. vult Dominus obedientiam præcipuè, vt ex Samuele cùm Saule.

CAPVT XV.

IVBETVR in quolibet sacrificio offerri similam, & libamina, ex quibus habes typum pro sacrificio Missæ clarum. Vide quæ scripsi Heb. 7. & Iacob cœpit hæc libamina, vt aliàs dixi. Vers. 18. de pacto primitiarum. Vers. 22. Commissa per ignorantiam ex oblatione sacrificij quod iubetur, deleri. vsquè ad vers. 28. Videtur hoc additamentum ad ea, quæ offerenda erant, Leuit. 4. 13. Scriptura enim non omnia refert in vno loco, sed in pluribus, vt aliàs obseruatum. Vers. 30. *Si per superbiam*, vt Nabuchodonosor: nonne hæc est Babylon? &c. peribit de populo, sacrificia illa non tollent peccatum hoc. Vers. 31. & seqq. lapidatio hominis colligẽtis ligna in die Sabbati, quod nota ad obseruantiam festorum, & argue obseruantiam Sabbati etiàm in deserto. Sed cur dubitatum supèr pœna huius, quæ iàm decreta erat? placet proptèr paruitatem delicti, & indigentiam, quia pauper, & ad calefaciendum, vel cibos coquendos: ità Caiet. numerans primos omnes delinquentes percussos. Vers. 37. De fimbrijs, & vittis hyacinthinis ad retinendum iugẽ memoriam mandatorum Dei: vndè Christus contrà abutentes: dilatant philacteria, & fimbrias.

CAPVT XVI.

VERS. 1. Core Leuita, & alij de stirpe Ruben primogeniti insurgunt contrà Moysen, & Aaron, quasi illis deberetur Ducatus, & sacerdotium. Et cùm Core ambiret sacerdotium, non Ruben, argue sacerdotium non fuisse debitum primogenitis, quia is non erat Core, hoc autèm alibi tenui. Vers. 3. *Sufficiat vobis*, vt sitis sicùt alij, *quia omnis multitudo sanctorum est*, sancta est, à sanctis patribus descendens, *& in ipsis omnibus est Dominus*. hæc magna coniuratio, quia agebatur de concernentibus totum populum. Vers 4. *Cecidit pronus in faciem*, eorum improbitate & malitia deterritus, seù humi-

humiliare se volens, sìc suprà cap. 14. ceciderunt proni in terram, proût Abraham cùm filijs Heth. Gen. 23.7. seù deprecans Dominum. Vers. 5. *Mane inquit notum faciet Dominus, qui ad se pertineant*, &c. similia Paulus 2. Timot. 2. 19. cognouit Dominus qui sunt eius. Vers. 6. *Tollat vnusquisque thuribula sua*. apparet hos eo vsque descendisse, vt etiam thuribula ad adolendum præparassent. Vers. 10. *Vt vobis etiàm sacerdotium vendicetis:* eccè quò anhelabant hi ambitiosi, & quare commotio. Vers. 11. *Quid est enìm Aaron*, &c. quasi, à Deo vocatus, non se ingessit, Heb. 5. Vers. 14. *An & oculos nostros vis eruere?* falsum pro vero, album pro nigro demonstrare? *Tu scis quòd ne asellum quidèm*, &c. sìc Samuel in suo syndicatu, quod & tùnc in populum recidit. Vers. 15. *Iratusquè Moyses valdè*. cùm id subijciatur pòst inobedientiam eorum, qui noluerunt vocati accedere, videtur hoc Moysen ægrè tulisse, hincquè obedientiam æstimandam. *Ne respicias sacrificia eorum*, qui se ingerunt à te non vocati: potiùs hæc prophetia, quàm imprecatio. Vers. 18. *Quod cùm fecissent*. intellige Core & eius congregatio: sìc enim conuentum cùm Moyse vers. 16. & 17. & licèt dicantur *ducenta quinquaginta thuribula*, ità vt videatur omitti illud Core, nil facit, quia numerorum interruptorum, seù fractorum non meminit Scriptura vt plurimum. Nec obstat mors ducentorum quinquaginta separata vers. 35. quia hi consueta morte interempti, non Core, Dathan, & Abiron duces seditionis primò perempti, & in terram desossi: hæc opinio magis placet, quicquid dicant Recentiores. Versic. 19. *Gloria Domini*, fulgor lucens. Vers. 22. *Ceciderunt proni in faciem*, Deum precibus placaturi, proût & infrà vers. 45. *Cumquè iacerent in terra*. *Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis*, omnium viuentium, hominum; eccè quomodò verba sunt deprecatoria proût etiàm dixi, Exod. 34. *Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis*, superans in fortitudine omnes spiritus humanos, omnes humanas vires; sìc de vehementia spiritus Dei Iob. 4. & de eodem Moyses in Cant. Exod. 15. & suprà cap. 14. non ergò hìc interpellatur quasi conseruator, sed quasi potens omnes delere, confirmatquè potentiam esse in eo faciendi quod dixerat, repentè eos disperdam. *Num vno peccante*, &c. sìc Abraham Gen. 18. 19. Vers. 26. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum*. hac phrasi vsus Paulus. Vers. 27. *Omniquè frequentia* populi, vt suprà vers. 9. ideo iussum recedere: Vers. 29. *Non misit me Dominus*. hoc pro signo veri Prophetæ, Deut. 18. Versic. 31. *Dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum deuorauit illos cùm tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum*. Non ergò filij eorum, vel vxores, vel alij innocentes, qui non exprimuntur hìc, nequè à Moyse infrà vers. 29. quia regularitèr Deus non perdit iustum cùm impio, Gen. 19. 23. Deut. 24. Ezech 18. & Matth. 23. vbi declaratur; & si de Core certi sumus, vt ipso pereunte miraculum factum sit, vt filij non perierint. Nu. 26. 10. & is fuit caput rebellionis & seductor aliorum, quomodò in alijs minus peccantibus dilatata pœna etiàm ad innocentes? & hæc peccata ambitionis sacerdotij, & Ducatus virorum potiùs, quàm mulierum & paruulorum, vt in his non credantur consensisse, proût consensisse, & complices fuisse creduntur filij, & familia Achan, qui propterea cùm Achan fuerunt mortui Ios. 7. dixi in Euangelijs cap. 130. Et cur adeò inconsueta mors his innocentibus? At duo obstant, primum, quia cùm Dathan, & Abiron ponuntur vxores, & liberi vers. 27. imò sufficit dicere omnia, quæ ad illos pertinent. vers. 30. *& deuorauit illos cùm tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum*. vers. 32. nàm in Achan. Ios. 7. 15. dicitur cùm omni substantia sua, & vers. 24. filios quoquè, & filias eius. boues, & asinos, & oues, ipsumquè tabernaculum, & cunctã suppellectilem vers. 24. & cuncta quæ illius erant vers. 25. de talibus autèm nullum verbum in Core. Secundum, quia cap. 26. 10. non datur successio Dathan, & Abiron, quod innuit liberos defecisse: de Core verò subditur de miraculo salutis filiorum, quod si factum esset in Dathã, & Abiron, vtiq. diceretur: & nos nõ possumus astruere miracula. Vndè si filij & vxores horum mortui, proût patres, & viri, dic. quod dixi in Achan, vt fuerint complices: quomodò vero, non constat, nisi fecerint

proût

prouti Iezabel, & vxor & familia Aman, & Achan, vbi dixi. Vel fortè filij Core minores, doli incapaces; aliorum maiores, & capaces doli. Vel illi Dathan, & Abiron habuerunt scientiam, quia Moyses iuit ad eorum tabernacula, vbi erant omnes, non illi Core, ad cuius tabernaculum Moyses non iuit: at non placet, quia credendum iuisse, cùm dixerit Dominus vers. 24. vt iret ad tabernacula Core, Dathan, & Abiron, & si Scriptura non dicat id factum, quia non omnia exprimit. Sed quæuis fuerit causa, satis est hos cùm liberis, vxoribus, &c. absorptos, Core solum absquè filijs. Aduerte. Credo omnes conuenisse coràm Domino, iuxtà conuenta vers. 16. 18. sed gloria Domini apparente fugisse singulos ad sua tabernacula timore oppressos, ibiquè passos esse pœnam, & de alijs igne consumptis vers. 35. non dicitur, quòd tùnc essent coràm Domino, quia fortè & ipsi secesserant eodem timore perculsi. Sed cùm Core non fuerit igne cōsumptus, prouti cæteri ducenti quinquaginta socij, non videtur obtulisse cùm alijs. Respondeo primò. Clarum est Core deuoratum esse à terra os suum aperiente, vt hìc, cùm Deus iusserit secedere omnes à tabernaculo suo vers. 24. quod aliòqui dictum non esset, & quia consueta hominum morte non moriturum dixit Moyses vers. 29. sed clarè habetur infrà cap. 26. 10. Secundò verisimile est Core vnà cùm alijs obtulisse, tùm quia caput aliorum, & illo non comparente, alij non comparuissent verisimilitèr, tùm quia secum facta conuentio. *Tu Core* vers. 6. & vers. 16. & subditur executio vers. 18. *quod cùm fecissent*, &c. quibus stantibus si cùm alijs Core non fuit igne absumptus, verisimilitèr illicò secessit ad tabernaculum suum, & tùnc Deus iussit Moysi, vt significaret populo separari ab eius, & Dathan, & Abiron tabernaculis, &c. versic. 34. Sed an hi verè obtulerint, an tētauerint tantùm? dic verè obtulisse, & probatur vers. 7. *& hausto cràs igne, ponite desupèr thimiama coràm Domino*. vers. 17 *Tollite singuli thuribula vestra & ponite supèr ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoquè teneat thuribulum suum. Quod cùm fecissent*, &c. vers. 35. *Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum*. vers. 38. *eò quòd oblatum sit in eis incensum Domino*, vers. 39. *Tulit ergò Eleazar thuribula ænea, in quibus obtulerant, &c.* vers. 40. *ne quis accedat elienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino*. Simile de Ozia rege lepra correpto. Sed quomodò salui filij Core? Dicūt in aere stetisse donèc vniretur terra iàm aperta. Crederem potiùs eos stetisse in labro, seù crepidine terræ apertæ, & sìc saluos fuisse ex miraculo infrà cap. 26. 10. Versic. 33. *Descenderunt viui* à conspectu hominum sublati, sed iàm mortui: omnes enim mortui *in infernum*; sìc de Antichristo, & pseudopropheta. Apocal. 19. 20. vbi dixi. vel *viui* sepulti in inferioribus terræ; hinc Moyses dicit: *si consueta hominum morte*, &c. ergò mortui sunt. Vers. 38. *Sanctificata*. quia in eis oblatum thymiama cùm igne sacro. Versic. 46. *Tolle thuribulum* hoc habuit ex oraculo Dei Moyses, quia non licebat id, nisi in altare thymiamatis.

CAPVT XVII.

ET locutus est Dominus, &c. *accipe ab eis virgas*, &c. Moysen electū fuisse à Domino in Ducem clarè demonstrauerūt omnia hucvsquè gesta à die, quo de Madian accessit ad populum, intèr quæ vltima à Deo ad eius fauorē dicta contrà Aaron, & Mariam murmurantes suprà cap. 12. & gesta eius ministerio suprà cap. 14. & 16. At orto murmure, & rebellione Core, & sequacium, Deus voluit visibilibus signis, & experientia apparere de electione Aaron in Sacerdotem ex thuribulis, & mortibus, & deindè ad perpetuam memoriam thuribula impiorum in laminas produci, & affigi altari, vt sempèr appareret de veritate electionis Aaron, & nullus auderet se ingerere: ne-

què

què hoc contentus, nùnc denuò alio signo manifesto, & visibili, & perpetuò mansuro in arca reponendo, nempè virgæ germinantis constare de eodem. At cur hæc signa mãsura in Aaron, non in Moyse? Crederem, quia Moysi datus erat Ducatus non transmittendus ad posteros, sed in eo finiendus: vndè sufficiebant pro vita illius quæ facta, & dicta erant, & quotidiè fiebant, & dicebantur, At quia sacerdotium Aaron ad posteros transmittendum erat perpetuò, donèc per Messiam venturum transferretur. ad Paulum in Epist. ad Hebr. propterea hæc signa perpetua pro Aaron voluit apparere, non pro Moyse. Non placet quod dicit Lyranus hoc signum ex virgis factum ad tollendum prætensiones aliarum tribuum, quia iàm de Leui clarum erat ex punitione Core, & quia si hoc verum esset, idem faciendum erat pro Ducatu Moysis quòad aliàs tribus vltra Ruben, de qua erant Dathan, & Abiron. Prætereà satis exclusæ erant omnes, si admissus solus Aaron, ex cuius admissione aliæ tribus excludebantur, & si thuribula in laminas ducta, & affixa erant altari. Vndè standum est voluisse Deum ad maiorem firmitatem fieri hoc nouum signum pro Aaron & filijs, ac successoribus suis. An virga hæc fuerit eadem quæ Moysis? credo quòd non, quia iubetur Moysi vers. 1. accipere virgas singulas à singulis, & vocatur hæc virga Aaron, & erat amygdalina, quia amygdalas produxit: & si fuisset illa Moysis, poterant oriri multæ suspiciones. Vers. 6. *Fueruntquè virgæ duodecim absquè virga Aaron:* vndè necessariò numeratæ tribus Ephraim, & Manasse distinctæ à Ioseph procedentes, & necessariò fuerunt virgæ tresdecim. Vers. 8. *In amygdalas;* hinc virgam Aaron fuisse amygdalinam. Ios. antiq. lib. 4. cap. 4. Vers. 10. *Refer virgam Aaron.* Credendum ità sempèr conseruatam virgam illam florentem, postquàm in signũ rebellium ibi fuit reposita: & dona Dei sunt sinè pœnitentia, & idem credendum de Manna. & hæc virga vsi non sunt ad aquam è petra euocandam. Num. 20. 9. Versic. 12. *Eccè consumpti sumus omnes periuimus.* hoc dicunt, videntes multos iàm perijsse. *quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur*, intellige de irreuerentibus, & non vocatis. *nùm vsquè ad internecionem cuncti delendi sumus?* vt nemo supersit? quasi dandum est remedium, impetranda prouisio à Domino: ideò sequen. capit. Dominus respondet.

CAPVT XVIII.

DIXITQ. &c. *Tu & filij tui*, descendentes Sacerdotes *portabitis iniquitatem Sanctuarij*, quicquid in Sanctuario iniquè, distortè, malè contrà cæremonias gestum fuerit, ità vt pœnas sitis daturi: *& tu, & filij tui sustinebitis peccata*, pœnas *sacerdotij vestri*, quicquid malè egeritis in sacerdotio administrando. Non ergò hic agitur de iniquitatibus, vel peccatis populi circà Sanctuarium, neque est hæc prouisio circà populum, vt in fine præcedentis capitis petebatur: sed circà ministros tantùm: nàm de populo infrà versic. 22. Benè verum est, quòd his, & Leuitis rectè agentibus non orietur indignatio supèr filios Israel. vers. 5. Vel seruato hoc ordine omnibus prouidetur. Vers. 2. & seq. Assignatur ministerium Leuitis. Vers. 8. de datis pro ministerio Sacerdotum: iustum est enim, vt altari deseruientes de eodem viuant. Versic. 16. *Cuius* nempè hominis, *redemptio erit pòst vnum mensem.* ità vt si antè mortuus fuisset, non erat locus redemptioni. Versic. 19. *Pactum salis* offerendi cũ quolibet sacrificio *est sempiternum*, &c. de hoc enim, non autem referuntur verba hæc ad primitias, de quibus iàm dixerat iure perpetuo suas esse. Vers. 20. *In terra eorum nihil possidebitis*, &c. *ego pars*, &c. hoc enim successit loco partis, quã in terra eorum prætendere poterant; & hoc cæremoniale: vndè ad nostra tempora trahi non potest. Versic. 21. De datis pro ministerio Leuitarum, vt filij Israel vltrà peccatum

non

non committant, prætendentes ad hæc ministeria; & hoc modo prouidet populo, qui id petierat suprà cap. præcedenti in fine. Verſ. 28. vſquè ad fin. Iubet dari decimam decimarum de melioribus Aaron. quod nùnc ſeruatur etiàm cùm Epiſcopis à Curatis decimas recipientibus.

CAPVT XIX.

VERS. 2. *Iſta eſt religio victimæ:* agitur de aqua luſtrationis ex cineribus vaccæ rufæ. Verſic. 3. *Tradetiſq. eam Eleazaro Sacerdoti*. hoc dũ viueret Aaron, quia ad Aaron erat ſermo verſ. 1. committitur inferiori Sacerdoti, quia hoc non erat de maioribus miniſterijs. Verſic. 5. *Comburet*, &c. Omnia comburuntur, quia cinis tantùm præparandus erat, ad quem omnia apta, imò ſuperadduntur ligna, & alia verſic. 6. Verſ. 6. & 18. De hyſſopo alibi dixi ad Pſal. 50. Verſic. 11. Cur tanta immunditia contrahebatur circà mortuos, & in domibus eorum repoſita, cùm ſepultura eorum adeò commendetur apud Tobiam etiàm per Angelum? Reſpondeo id fortè factum, ne violarent cadauera illa incinerando, vel proptèr mortuos dolore tracti ſeipſos trucidarent, vt Ethnici faciebant: & vt ſtatueretur fides reſurrectionis, quæ apud Philoſophos, & Ethnicos defecerat, dicentes non dari regreſſum à priuatione ad habitum; & nihilominùs hæc hæreſis intèr Iudæos viguit, & infecit Sadducæos, qui Dominum ſupèr reſurrectione interrogarunt: hìnc Patriarchæ ſoliciti de ſepultura. vt per totam Geneſim in Abraham, Iacob, Ioſeph. Verſic. 12. *Aſpergetur*, &c. non poterit emundari. Sed quodnàm remedium huic daretur, ſi vel per ignorantiam, vel ob cõtemptum? vide apud Abulenſem. Verſic. 19. *Mundus quiſque luſtrabit immundum* purificabat & aqua ſimplici viua, & cineribus, & nemo à ſeipſo poterat purificari, quæ duo trahe ad Baptiſmum noſtrum.

CAPVT XX.

VERS. 1. *Menſe primo*. Intellige anni quadrageſimi, quia Moyſes non deſcripſit niſi geſta primo, & ſecundo anno egreſſus ab Aegypto, & huius quadrageſimi, qui fuit vltimus in deſerto, vt per Abulen. *Mortuaquè eſt ibì Maria*, moritur & Aaron, & Moyſes antequàm ingrediantur Terram promiſſionis; tollũtur omnes hi primates, vt detur locus ſuccedentibus in pace, & non fiat diuiſio, & non attribuatur his ingreſſus in Terrã promiſſionis, ſed Deo. Verſic. 2. *Cumquè indigeret aqua populus*. Nota ſemèl ex petra educta aqua. Exod. 16. & iterùm hìc expetitur, non ergò petra, vel aqua ex illa educta conſequebatur populũ, vt aliqui Interpretes ſupèr verbis Apoſtoli (conſequente eos petra) autumant, quod & ibì reprobaui. Verſic. 3. *Vtinàm perijſſemus intèr fratres noſtros coràm Domino* sic permittente. hìnc inferas iàm defeciſſe plures, qui murmurauerant. Verſic. 6. *Corruerunt proni in terram*, clamantes, preces effundentes ad Dominum, vt & aliàs ſuprà. *Fontem aquæ viuæ*, non tamèn illum, de quo Chriſtus cùm Samaritana, ſed aquæ materialis, quæ petebatur. Verſic. 8. *Tolle virgam*. intellige Moyſis, cui iubebatur, & qua mirabilia facta in Aegypto, & qua educta ſemèl aqua, Exod. 16. non illa Aaron, quæ fronduerat ſuprà cap. 17. quia potiùs de propria præſumẽdum dixiſſe Dominum, quàm de aliena. Nec obſtãt verba infrà verſic. 9. *Tulit igitùr Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini*. quia & illa Moyſis in conſpectu Domini ſtetiſſe credendum. & Septuaginta vertunt, virgam tuam. & virga

Aaron

Aaron conseruabatur ad alium finem, nec est verisimile eductam fuisse pro diuerso fine: & cùm plena esset fructibus, aliqui cecidissent in motu, & vsu. Vers. 10. *Audite rebelles*, &c. *Nùm de petra*. ex his verbis Moysis nō potest elici aliqua eius, vel Aaronis dubitatio, cùm clarè exprobret eis rebellionem, & incredulitatem, quæ ab ipsis abesse significant, etsi falsò; vndè postquàm non crediderunt, fuit hoc vitium internum, Deo soli cognitum: dicitur enim *quia non credidistis*, non aliud, & aliòqui quomodò eliceretur peccatum Aaron, qui non est loquutus? & de Aaron Deus infrà versic. 24. *eo quòd incredulùs fuerit ori meo ad aquas contradictionis*, propterea in verbis nulla vis facienda iudicio meo. Non obstant verba Psal. 105. 32. Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis: & vexatus est Moyses proptèr eos, quia exacerbauerunt spiritum eius. Et distinxit in labijs suis. Nàm esto, vexatus sit Moyses proptèr eos, quod patet suprà versic. 3. intellige rebelles, & incredulos, quòd Deus posset ea mirabilia facere, de quo & Psal. 77. Tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterēt escas animabus suis. Et malè loquuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniàm percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? etsi hæc ad cap. 16. Exod. referrem potiùs, quàm ad hæc tempora. Non tamèn potes inferre Moysen protulisse verba infidelia: nàm quod subdit, distinxit in labijs suis, intelligit exacerbationem spiritus sui, de qua præmittit ostendisse ex verbis, quæ sunt, *Audite rebelles, & increduli*, non autèm protulisse verba denotantia infidelitatem, ad propinquiora enim fit relatio. Nec minus vis facienda in bina percussione, quia properæ fuerunt, & vnitæ, vt mora data non fuerit ab vna ad aliam iuxtà litteram: imò fides eorum magìs eluxisset, si ad primam percussionem aqua non effluente, secundam inflixissent, quasi credentes omninò futurum, quod dixerat Dominus. Et dicendo, *tolle virgam*, absq. dubio intellexit, vt illa vteretur, quāuis dixisset: *loquimini ad petrā*; & sic prima vice factum est: percussa enim fuit petra ex ordine Dei. Exod. 17. vndè nequè hic defectus. Imò percussio ex virga manifestabat virtutem, à qua procedebat miraculum, nempè à Deo, præsertim ministerio virgæ illius, qua tòt alia miracula, & simile aquæ eductæ Exod. 16. in Raphidim facta fuerant: aliòqui enim si simplicitèr educta esset aqua absquè signo exteriori, & manifesto, alteri virtuti, quàm diuinæ poterat miraculum à malè sentientibus attribui. Hinc Dominus noster ne alijs attribuerentur miracula, quibus Deus manifestabatur, adhibebat visibilia, manus, sputa, linitiones, & similia: hinc rectè Moyses vsus est virga visibili, rectè percussit petram. Non dicas Moysen non fuisse incredulum, sed dubitasse Deum non daturum aquam proptèr indignitatem populi: nàm non diceret Deus, *non credidistis, vt sanctificaretis me*, non diceret eos incredulos. non meruisset pœnam, si credidisset potentē Deū facere, sed nolle; nec poterat dicere Deum per ironiā, & sacarsmū iubere, qui dixerat, vt tolleret virgam, & loqueretur ad petram, præsertìm cùm semèl eodem modo Deus dedisset aquam eidem populo, & quia dicitur Num. 27. nec sanctificare me voluistis, quod excludit hunc intellectum. Prætereà, esto sic esset, maior esset eorum culpa, præsupposito enim quòd Deus verè loqueretur, fecissent Deum mendacem, & inobseruantem, præsertìm in casu necessitatis, qualis hìc in defectu aquæ: vndè dùm volumus eos ab incredulitate saluare, in maius baratrum illos retrudimus. Ex his collige quòd quandò carnes desiderauerūt, et Moyses dixit verba illa, non dubitauit, sed quæsiuit de modo: si enim non credidisset, pœnas tulisset, proùt hic: ibi dixi. Vers. 12. *Quia non credidistis mihi*. fuit ergò error cordis à Deo cognitus, et sanctificatus est, magnificatus sic et suprà, *vt sanctificaretis me*, magnificaretis me ex hac mirabili eductione ex petra. non sanctificatus, idest segregatus, hoc enim insipidum *in eis*, idest, in filijs Israel, de quibus præmittit: verba enim referuntur ad propinquiora, non in Moyse, et Aaron, de quibus nullum verbū, et in quibus nulla gloria Domini ad sanctificationem. quicquid dicat Caietanus. Ex hoc

hoc miraculo per hos incredulos facto comprobaui axioma Theologorum, gratias gratis datas ex peccato mortali non auferri in Euangelijs in Cæco nato. Versic. 12. Quia peccatum incredulitatis horum secretum, credo Deum alijs hoc non propalasse: ideò dicitur. *Dixitquè Dominus ad Moysen, & Aaron*, & hæc locutio ad eos solos reddit probabiliorem opinionem, peccatum fuisse cordis occultum, non in verbis, & patens. Vltrà quòd Deus publicè peccantes, publicè arguisset, proùt sæpiùs fecisse apparet suprà. Versic. 13. *Hæc est aqua contradictionis*. cur sìc, subdit: *vbi iurgati sunt filij Israel contrà Dominum*, non credentes, & contradicentes promissioni eius, qui dixerat ex petra educturum aquas: vndè mirabilis mãsuetudo, & iustitia Domini ob eorum peccatum, non deficientis aquam promissam dare, & de hac iustitia Dei Rom. 3. & secundùm ordinem rerum gestarum, & ipsas res gestas diuersa hæc aqua ab illa Exod. 16. Versic. 14. *Hæc mandat*. verba sunt ordinaria per nuncios: sic Ioseph ad patrem Genes. 45. 9. Iethro ad Moysen. Versic. 21. *Quam ob rem diuertit ab eo Israel*. obtulerunt omnia, quæ dixit Dominus Deuter. 2. & nihilominùs noluerunt: vndè non sunt contrarij textus is, & Deuter. 2. sed conformes: vers. enim 8. dicitur; cumquè transissemus fratres nostros, filios Esau, &c. nempè diuertendo, proùt hic. Versic. 24. *Pergat, inquit, Aaron ad populos suos*. moriatur, vt infra vers. 26. & 29. & transeat ad Patres in limbum. hinc animæ immortalitas ex Caietano; & quia non fit mentio sepulchri, verisimilitèr ignotum fuit, proùt illud Moysis. At de lecto, & alijs inuentis in monte Hor, sunt fabulæ Iudæorum.

CAPVT XXI.

VERS. 1. *Per exploratorum viam*. per quam exploratores primi tẽderant ad Terram promissionis. Numer. 13. Reges enim de eorum regnis soliciti memoria retinent quæ obesse possunt, vndè longum tempus elapsum huic intellectui non videtur obstare, eò magìs quia de alijs exploratoribus in Scriptura nihil habemus. *Duxit ex eo prædam*, alicuius momenti, quia aliàs de sola ancilla non fieret mentio, nec diceretur, victor existens pro re modica, nec pro eadem fieret votum. Versic. 2. *Israel voto se obligans*. placent hæc vota Deo, & per ea exaudit: sic Iacob vouit Genes. 28. 20. & exauditus est Iephte, & alij. Versic. 4. *Vt circumirent terram Edom*, à cuius ingressu prohibiti fuerãt suprà cap. præcedẽti. Ver. 9. *SERPENTEM AENEVM*. de quo Io. 3. & sicùt Moyses exaltauit serpentem in deserto, ità exaltari oportet filium hominis: vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, is ergò serpens figurabat Christum in cruce exaltandum, omnes in ipsum credentes saluaturum. Serpens hic durauit vsquè ad tempora Ezechiæ 4. Reg. 18. 4. reliqua clara.

CAPVT XXII.

VERS. 3. *Et quòd pertimuissent eum*; sic Raab Ios. 2. 9. Versic. 5. Imprecationes seruorum Dei quãtùm operentur, apparet in Elisæo contrà pueros, in Elia contrà quinquagenarios. hinc cùm Balaam propheta falsus, Dei tamèn reputatus ex fictione sua: vndè de Deo sępèr agit, dicens: Dei mei. non est mirum si putans Balac posse imprecationes eius lædere populum Dei, misit ad illum, & ferè coegit ad iter, dicens: *noui enim*, &c. versic. 6. & quia nouerat auaritiam Balaam, nuncij portabãt diui-

diuinationis pretium in manibus versic. 7. & licèt immolaret dæmonijs, vt hoc, & seqq. cc. tamèn gentiles cœci eos dicebant deos. Versic. 8. *Quicquid mihi dixerit Dominus*, cuius se faciebat. Versic. 9. *Quid sibi volunt homines isti apud te?* non ignorat Dominus, sed id vult ex ore suo; in simili nouerat Isaias nuncios Babylonios venisse, & ad quid: & tamèn interrogat Ezechiam, quid dixerunt viri isti, & vndè venerunt ad te? Isai. 39. 3. 4. Reg. 20. 14. Samuel de gregibus, & Agag. Versic. 12. *Noli ire cùm eis, nequè maledicas populo: quia benedictus est*. Cur Deus prohibuit Balaam? nonnè dicitur: maledicent illi, & tu benedices? Respondeo, absquè dubio non poterat quicquam Balaam suis magijs cōtrà Dominum, proùt nequè magi Pharaonis, nec ipse dæmon, nisi in quantum permittit ei Deus, vt in Iob, & Achab. At ipse misericors volens hoc modo trahere & Balaam, & populos ignorantes erudire, ne crederent falsis prophetis, & dæmoni, sed scirent vniuersa ab ipso gubernari, ab eiusquè nutu omnia dependere, ideò & retinuit prophetam ne malediceret, & populis id innotescere voluit, fecit & hoc, vt cognoscerent omnes, quanti faceret populum suum, & auerterentur ab illo persequendo: sed potiùs ei in omnibus morem gererent, & obsequerentur, & ne cogeretur Madianitas malè se gerentes contrà populum suum penitùs delere, proùt cōtigit ex consilio malo Balaam. Versic. 20. *Surge, & vade cùm eis*, vt ne dùm tibi, sed & illis appareat sinè me nihil fieri posse, populumquè Israel sub mea esse protectione, & cura: ideò restringit permissionem, ità dùmtaxat, vt quod tibi præcepero, facias. Versic. 22. *Et iratus est Deus*, Angelus Deū repræsentans, cognoscens internam malitiam Balaam, volentis maledicere si posset, versic. 32. & asina vsus est contrà eum, qui mercedem iniquitatis, iniquam ex maledictione, quam intendebat facere inuito Deo, amauit, correptionem verò habuit suæ vesaniæ, subiugale mutum animal, hominis voce loquens, quo vtebatur Angelus tamquàm instrumento, quod prohibuit prophetæ insipientiam, putantis etiàm nolente Deo posse maledicere populo Dei. 2. Petr. 2. 16. ideò Angelus versic. 32. *peruersa est via tua*, mihi contraria. & 35. *vade cùm istis & caue ne aliud, quàm præcepero tibi loquaris*. Dùm dicitur, *duos pueros habebat secum*, intellige de suis: non autèm quòd non essent secum etiàm nuncij, vt per Abulens. cùm de illis clarè versic. 20. 21. 35. bis. 40. & licèt ipsi non viderint, vel audierint, quia nihil de eis, parui refert, quia Angelus apparet quibus vult, quibus non: vel & ipsi viderunt, & audierunt, licèt non dicatur. Versic. 31. *Protinùs aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum*, &c. qui priùs se ei occultauerat, asinæ se aspiciendum præbens versic. 27. id enìm in arbitrio est Angelorum, vt in Daniele vidente, non socijs, Paulo non socijs, de quibus dictum in Zacharia, & Act. 9. *adorauitquè eum pronus in terram* versùs, sedens tamèn super asinam. Versic. 33. *Et illa viueret*: non quòd mortua esset tùnc, sed loquitur eo casu, quo non dedisset locum resistenti, qui non contigit. Versic. 41. *Excelsa Baal*, sacrificia ergò fiebant Baal, vt infrà.

CAPVT XXIII.

VERS. 1. *Aedifica mihi*, vt sacrificaret Baal, in cùius excelsis erant. Vers. 3. *Si fortè occurrat mihi Dominus*, quasi bono prophetæ: hìnc captabat auguria. Versic. 7. *De Aram*, Mesopotamiæ, scilicèt. Non credo immutatam mentem Balaā, quia prophetat, nàm prophetia non est actus voluntatis, sed intellectus, & respicit actum intelligendi, non charitatis: vndè dic omnia quasi per canale emanasse, etsi dixerit. *moriatur*, &c. quià eodem modo pronunciabat illa, quò alia, quicquid dicant Recentiores: vndè censeo meliorem opinionē Abulensis. Versic. 8. *Quomodò maledicam*

cui non maledixit Deus? nàm ipsi maledicent, tu benedices ex Psalm. Vers. 9. *De summis silicibus videbo*, speculabor *eum* ex hoc monte. *Populus solus habitabit*, eiectis alijs populis ex Terra promissionis, *& intèr gentes non reputabitur*, non computabitur cùm illis, quas destruet. Versic. 10. *Moriatur anima mea morte iustorum*: quasi, contentus essem sic benè mori, proùt hi, *& fiant* (declarat, quod dixit) *nouissima mea horum similia* in perseuerantia, sed tendit in honorificentiam Hebræorum, non quod ipse id optaret, vt dixi. Tamèn S.Bernard. in Cant. serm. 21. dicit, optabat sibi extrema iustorum, sed non ità & principia. Versic. 13. *Veni mecum in alterum locum*. sperabat ex loci mutatione fieri locum maledictioni, sed superstitio hæc est. Vers. 19. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis vt mutetur*. 1.Reg.13. Rom. 3. Vers. 20. *Benedictionem prohibere non valeo*. non illustratus, sed quasi mancipium à Deo sìc volente adactus ad benedicendum: nàm si illustratus, non benedixisset inuitus, & nolens. ex Abulens. quicquid dicant Recentiores. Versic. 21.22.23. 24. *Non est idòlum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel*. ideò, *Dominus Deus eius cùm eo est, & clangor victoriæ Regis in illo*, non poterit superari; sic Achior Iudith.5. 17. & seqq. hìnc aberat tùnc ab Israel idolòlatria. *Non accubabit donèc*, &c. ad significandã victoriam magnã, & celerẽ; sìc Genes. 49. Lauabit in vino stolam suam.

CAPVT XXIV.

VERS. 3. *Dixit homo, cuius obturatus est oculus*, intellectualis, qui à se cœcus est, non potest videre: *dixit auditor sermonum Dei*, à quo solo accipit, *qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit*, humiliat se vsquè ad terram visiones recepturus. *& sìc aperiuntur oculi eius*, vt videat; hinc benè suprà à se cœcus; sic infrà versic. 15. & 16. quia, vt patet, etiàm in die visiones habuit. Ex his, quia à Deo aperiuntur oculi Prophetarum, ideò Prophetæ dicti videntes. & propterea oculus Prophetæ dicitur Domini, & sìc expone Zacchar. 9. 1. Versic. 5. *Quàm pulchra*. Omnia, quæ sequuntur in laudem Israelis, & ideò verba vers.7. *Fluet aqua de situla eius*, important abundantiam generis: quasi, non erunt steriles, sed germinabunt, proùt quod sequitur, *& semen illius erit in aquas multas*, dilatabitur in multos populos, erunt magni numero: nàm aquæ populi Apocal. 17. *Tolletur*, proptèr Agag reseruatum à Saule contrà mandatum Domini, rex eius populi primus Saul, & auferetur regnum illius nè dùm ab eo, sed à tota sua progenie, quod fuit translatũ in Dauid: prophetiæ non seruant ordinem, nimirum, si interserit hoc in hac verborum structura. Sed iunge hæc cum vers. 20. vbi de Amalechitis, quorum Rex Agag, & dic ad idem omnia tendere, quia cùm Agag perditur omnis populus, 1. Reg. 15. & præmisit de Agag, quia is primus ad impediendum Israel, infrà Vers. 21. Versic. 8. *Deuorabunt*, &c. prædicit victorias Israelis contrà gentes. Versic. 9. *Accubans*, &c. docet securitatem eius in regionibus, quas debellabunt. Similis phrasis Genes. 49. in Iuda. Versic. 11. *Sed Dominus priuauit te honore dispositio*, muneribus. Sed de quo Domino loquitur? credo de Domino vero, quem Balaam profitebatur externè adorare: de illo enim, de quo Balaam, loquebatur. Versic. 13. *Ex corde meo*. iuxtà meam voluntatem: hinc firmatur, quod dixi suprà, ipsum inuitum, seù quasi organum, & mancipium hæc omnia bona Israelis pronunciasse, quod magìs explicat: *Sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar*. Versic. 14. *Verumtamèn pergens ad populum meum*, finita hac materia benedictionis, vel maledictionis; *dabo ego ex me tibi consilium*, &c. hinc aperitur malitia inueterata Balaam, qui docuit mittere scandalum antè filios Israel Apoc. 2. 14. quos fortè nouerat ad lasciuiam procliues, *extremo tempore*, diebus sequentibus, in fine, in discessu. Vers.17. *Videbo eum*, &c. hæc prophetia ad

Messiam: dicit ergò. *Videbo eum,* Messiam, nempè appariturus est mũdo visibilis Messias, *sed non modò,* sed non in hoc tempore, adhuc distat: *intuebor illum,* non ego, at intuebuntur habitatores huius regionis, *sed non propè,* quia nascetur in loco distante, quẽ nõ nominat, declarat quod dixerat clariùs, quæ stantibus præcedentibus (quæ nõ dicerentur pro Dauid, sed de Messia expectato) nõ possint trahi ad Dauid, qui nec debellauit tot nationes infrà enumeratas. Nec trahi possunt iuxta Recentiores ad populũ Israel, quem præ oculis habebat, dum hæc diceret. *ORIETVR STELLA,* Messias *ex Iacob,* ex stirpe Iacob: Messias enim dicitur lux: sedẽtibus in vmbra mortis lux, Messias, orta est eis. dicitur lux mũdi, stella matutina. Apoc. 22.16.2. 28. *& consurget,* nascetur *virga* Messias, quod enim dixit sub nomine stellæ, nùnc sub nomine virgæ ad denotãdum eius sceptrum: fuit enim Rex. Ego autèm constitutus sum rex. Psal.2.& ad Pilatũ: tu dixisti, quia rex sũ ego. sìc dictus Rex à Prophetis, Nathanaele, Pueris, *de Israel,* idem qui Iacob, qui duplici nomine vocabatur. Vel *ORIETVR STELLA ex Iacob.* datur hoc pro signo Messiæ venturi, & deindè vt dixi. sed melior prima: *& percutiet duces Moab, vastabitq. oẽs filios Seth.* hi populi de per se nõ omnes homines. *Et erit Idumæa possessio eius: hæreditas Seir cedet inimicis suis.* Credo velle dicere sub his populis illi cognitis, cõuertet gẽtilitatẽ totã, totum mundũ ad se, & saluabit omnes. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipsum. *Israel verò fortitèr,* durè, contumacitèr *aget,* quia illum non recipiet: sic ex euentu. *De Iacob erit, qui dominetur* toto mundo, Antichristus, qui de Hebræis nascetur, *& perdat reliquias ciuitatis* Romæ per excellentiam, & quia ibi imperium circà tempus Antichristi à decẽ Regibus destruendum, Apoc.17. & Caietanus videtur assentire de Vrbe Roma: sed infrà meliùs se declarat. Nõ applico id ad Messiã, quia iàm de Messia dixit. Vers.20. *Principiũ Gentiũ,* nobilissimum Gentiũ *Amalec, cuius extrema perdẽtur.* 1.Reg.15. etsi nùnc euaserit, quia opposuit se Hebræis. Vers. 21. *Vidit quoq. Cinæum,* &c. quem saluauit Saul. 1. Reg. 15. sed tamèn vt hic non euasit Assur, qui vna cùm decem tribubus duxit illũ captiuum. 4.Reg.17. hinc clarum quòd Obab iuit cùm Moyse, vt tenui. Hæc mentio Cinæi altiùs extendenda, nẽpè quòd vellet dicere de captiuitate decem tribuum, & Cinæus etsi non idolòlatra cùm idolòlatris captiuãdus esset, & fortè hoc dictum ad dandam ei significationẽ, vt recederet ab illis captiuãdis: hinc hæc prophetia Moysi reuelata, proùt reuelabãtur Elisæo res Syrorũ, vt illa describeret. Occasione etiã huius ponit de Assur, idest, de regno Assyriorũ: ideò congruè subdit de illius debellatione fienda per Romanos, qui pòst eos capient regnũ. Dan. 7. Vers.23. *Heù quis victurus est, quandò ista faciet Deus?* quasi infiniti peribunt. Ver. 24. *Venient in trieribus* nauibus *de Italia,* Romani scilicèt, qui sìc venerunt, *superabũt Assyrios,* & hoc adimpletum, *vastabuntq. Hebræos* per Titum vltimũ destructorem, vsquè ad desolationẽ dictam à Daniele Propheta, Dan. 11.18. Isai.5. in fin. *& ad extremum,* extremis temporibus, propè iudicium *etiàm ipsi* Romani, de alijs intelligere absonũ. *peribunt;* quia Antichristus capiet Imperiũ Romanũ, imò totius mundi, Roma cremabitur, Apoc.17.Dan.7. Imperator occidetur. vt latè dixi Apoc.17. & de materia Dan.7. & 2. 2.Thess.1. Et cũ hic de exterminio Romanorũ, verisimilitèr præmisit de Antichristo eorum destructore in vers. 19. Aduerte, Amalec restitit Hebræis, ipse deletus. Assyrij triũpharunt de decẽ tribubus, ipsi à Romanis victi. Romani vastauerunt Hebræos, ipsi tandẽ perituri per decẽ Reges circà tempora Antichristi, Apoc.17. vndè gentem Iudæam sempèr Deus vindicauit, vt patet in tota Scriptura veteri, Iob.13.16. Ierem.51.49.25.12. in charitate enim perpetua illũ dilexit, illiusq. misertus est. Iere.31.3. hinc in fine reliquiæ Israel saluæ fient. Rom.9. Vers.25. *Surrexitq. Balaã, & reuersus est in locũ suum,* dato primùm consilio Balac ad perdẽdos Hebræos: sìc enim dixerat: pergens ad populum meũ, idest, in discessu à te. Fecit more diaboli instigantis ad peccatum, & postquàm induxit, recedentis, adeò turpe est peccatum: noluit enim ibi assistere pòst infame, & improbum consiliũ; hinc verecundia tẽtus, illud noluit corã oĩbus propalare, sed Regi soli cõicare.

CAPVT

CAPVT XXV.

MORABATVR *autèm eo tempore*, quo præmissa dicta, seù quo Balaam dedit improbum consiliũ, *Israel in Settim* in campestribus Moab, vel propè Moab, *& fornicatus est populus* carnalitèr, & spiritualitèr *cùm filiabus Moab, quæ vocauerũt eos ad sacrificia sua. At illi* amore earum tracti *comederunt, & adorauerunt Deos earum. Initiatusquè est Israel Beelphegor*, sacrificia offerendo: huius Sacerdotes erant mulieres meretrices, quarum princeps fuit Maacha mater Asa Regis Iuda, quam Asa amouit, & Priapum euertit 3. Reg. 15. 13. Oseæ 4. 14. de vno peccato carnis, esu, adoratione, ad sacrificia deuenerunt, & sic in profundum malorum, quod est idolòlatria; sic proptèr mulieres Salomon, & alij perierunt. Fuit hæc decipula mulierum instructarum à viris suis, vt non consentirent Hebræis, nisi sacrificio Dijs adhibito. Diabolus vsus est cautela bona filiorum Iacob cùm Sichem Gen. 34. contrà Israelitas ad præuaricationem in Deum, & adorationem sui, quam in malum nostrum exoptat. *& iratus est Dominus* iustè, videns honorem sibi debitum dari dæmonijs, *ait ad Moysen*, volens purgare tantum scelus: *Tolle cunctos principes populi*, qui peccauerunt: (innoxijs enim non conueniebat pœna) & sìc distinguitur in popularibus infrà versic. 5. *qui initiati sunt Beelphegor*, horum enim exemplo alij moti peccauerant. siquidèm hi facilè populum ad bonum, vel malum, proùt libet, deducunt; sic in Sichimitis duce eorum rege: sìc in tribubus decem ducè Ieroboam; hinc principes maiori, & celeriori pœna digni, hincquè argue magìs grauatum Sacerdotem magnum, cuius causa populus peccat, quàm principẽ, intellige in cæremonialibus, & in his, quæ ad Deum, nõ in alijs, in quibus etiàm principes æqualitèr puniendi, vt alibì obseruaui. *& suspende illos contrà solem in patibulis*, non quasi publicè iudicio meo; proùt dictum Dauidi: tu fecisti occultè, ego faciam in conspectu Solis; quia suspẽsio omnis publica: sed quia fortè in idòli adoratione solis quædam adoratio interueniebat, vt punirentur in aspectu, cuius delectati fuerant cultu, peccando, & quisque videret àb eo, quem adorauerant, nullum afferri auxilium: *vt auertatur furor meus ab Israel.* eccè punit Deus, vt placetur, interrogat Adam, Cain, & alios peccantes, vt fateantur, & vel parcat, vel pœna mitigetur, vt alibi dixi, præualet sempèr misericordia: docet quomodò euadamus ab ira sua horribili. Discant principes punire delinquentes, vt auertatur furor Dei à populo. Non placet, *Tolle principes*, & ipsi suspendant alios: nàm suspensio in illos clarè refertur, maximè ex Septuaginta, & Iudices diuersi à principibus, vt hic: hic vnus intellectus. Alius. *Tolle cũctos principes*, idest Iudices populi *& suspende eos*; qui peccauerũt de populo, *contrà solem in patibulis*. & in executione mãdati Dei. *Dixitq. Moyses ad Iudices Israel: Occidat*, &c. & hæc iussio videtur conformis dictis per Deũ, & magìs firmat intellectũ, & videtur cõgruere alijs trãslationibus. Solùm obstat, quia non videntur principes fuisse immunes à peccato, ad quod solent esse procliuiores, quàm plebs. Tamèn respondetur versic. 14. mentionem non fieri, nisi de Zambri. *Dixitquè Moyses ad Iudices Israel*, constitutos ex consilio Iethro. Exod. 18. *Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor*, sìc iussit etiàm eum vitulum adorauerũt. Exod. 32. 27. *Et eccè vnus de filijs Israel*, dùm sæuiretur in peccantes, *intrauit coràm fratribus suis*, publicè *ad scortum Madianitidẽ* in lupanar, *vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant antè fores tabernaculi* Domini ob scelera, et pœnas à Deo inflictas; refert hoc factum impudentissimũ, et importunum iuxtà statum rerum. *Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari* Sacerdotis magni *filii Aaron Sacerdotis, surrexit de medio multitudinis* zelo accensus, *& arrepto pugione ingressus est pòst virum Israelitem*

litem in lupanar, & perfodit ambos simùl, virum scilicèt, & mulierem in locis genitalibus, quibus peccabant. *Cessauitquè plaga à filiis Israel*, placato Deo egregio hoc facto, vt sequitur: eodem zelo motus Mathathias idolòlatram sacrificantem, & missum à Rege occidit. 1. Machab. 2. *Et occisi sunt vigintiquattuor millia hominum*. ex verbo, *plaga*, et numero occisorum non videtur res iudicio in totum acta, sed et manu Dei; sìc cessauit sterilitas occisis consanguineis Saulis. 2. Reg. 21. sìc alij liberati tradito Bochri. 2. Reg. 20. 22. sìc occiso Absalom 2. Regum 18. 16. sìc Rege Moab filio suo primogenito oblato in holocaustum supèr murum. 4. Reg. 3. in fin. horum exemplo diabolus Horatium, Codrum, & alios in seipsos miserrimè sæuire, quasi liberaturos alios eorum morte, procurauit. Vers. 11. *Phinees*, &c. & 12. *Eccè do ei pacem fœderis mei*. & 13. *& erit tàm ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum*. Deus fecit, proùt duces belli, qui viso egregio militis facto, illicò eum corona donant. vndè etiàm Psal. 105. 31. & reputatum est ei ad iustitiam, &c. idest, in obligationem, quia sìc se obligauit volens Deus, proùt hæc verba interpretatus sum in baptismo Christi in Euangelijs, in illis verbis: decet nos implere omnem iustitiam. & Rom. 4. in verbis: credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, Gen. 15. promittitur autèm sacerdotium sibi, & posteris, non vita vsquè ad finem mundi, vt dixit Petrus Damianus, & sunt verba clara, & hæc promissio certum illum reddidit de æterna successione suorum in sacerdotio. Versic. 17. *Hostes vos sentiàt Madianitæ:* sed vbi Moabitæ, qui vnà cùm Madianitis cōuenerant, Israelem, & Balaam duxerunt? imò Balac Rex Moabitarum excitauit Madianitas, & eorum mulieres miserunt ad peccandum cùm Israel? Vide Abulensem. fortè non erant completæ iniquitates Moabitarum, proùt Madianitarum.

CAPVT XXVI.

POSTQVAM *noxiorum*, qui accesserant ad extraneas mulieres, *sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen, & Eleazarum filium Aaron Sacerdotem* in columna nubis, vel alio modo, non ex propitiatorio, ad quod Eleazarus semèl tantùm in anno ingredi poterat. Versic. 9. *Isti sunt Dathan, & Abiron*. vide quomodò in Scriptura sempèr decantantur peccata publica: sìc Balaam, Ieroboam, Iezabel, Dauid, Her, & Onan infrà versic. 19. horum hìc non dicitur peccatum, sed in Genesi cap. 38. Nadab, & Abiu vers. 61. Vers. 10. *Et factū est grande miraculum, vt, Core pereunte*, terra aperiente os suum, *filii illius nō perirent*, quia non fuerant participes in delicto cùm patre, vt dixi cap. 16. Nec potest teneri quòd Core fuerit ab igne cōsumptus cùm ducentis quinquaginta, quia non daretur miraculum in filijs. Versic. 12. *Filii Simeon*. hæc tribus, quæ anno secundo numerata, fuit quinquaginta nouem millium & trecentorum Num. 2. 13. hic verò decreuit ad vigintiduo millia & ducenta, vndè diminutio est triginta septem millium & centum: cur id? non potest dari ratio naturalis; spiritualis, quia fortè primi, & plures exarserunt in mulieres Moabitas, & Madianitas ob insidias, & scelus Cozbi suprà cap. 25. & fortè rationabiliùs, vt qui adeò barbarè in Sichimitas insurrexerunt, eis nullo modo compatientes, ità idem ipsi in libidinem spumantes experirentur, imò maiora, quia Sichimitæ circumcisi, hi in idolòlatriam ceciderunt, disceremusq. iuxtà Apostolum exequi: vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite, pauens ne & tu tenteris. Ad huius similitudinem, quia tribus Leui fuit socia in eodem facinore parùm creuit, imò omnibus fuit minor numero; vndè Iacob. Genes. 49. Simeon, & Leui, &c. Versic. 42. *Filii Dan*, & 43. *Sexaginta quattuor millia quadringenti*. ex hoc numero dixi eò minus posse firmari ex hac tribu oriturum Antichristum.

Ver-

Versic. 53. *Istis diuidetur*. eccè cur facta numeratio. Theodoret. addit, vt appareret populo eandem quantitatem esse, quæ in exitu ex Aegypto. Versic. 55. *Ità dùmtaxat vt* sors. eccè alius casus per sortem, sicùt suprà de capro emissario, & Act. 1. in electione Matthiæ. Versic. 62. *Ab vno mense.* cur id in Leuitis, dictum suprà. Versic. 64. *Intèr quos nullus fuit*, &c. hic habes quomodò omnes mortui rebelles Deo.

CAPVT XXVII.

ACCESSERVNT, &c. ex harum mulierum instantia clarum est numerationem factam ad effectum distribuẽdi Terram promissionis. Versic. 3. *Nec fuit in seditione, quæ concitata est contrà Dominum sub Core, sed in peccato suo mòrtuus est;* credo murmuris, & blasphemiæ in Deum, tempore exploratorum, iuxtà Abulen. quia sic filiæ nihil detrahunt patri: hinc videtur, quòd omnium seditiosorum filij fuerint eiecti à successione, & clarum est, quòd terra deuorauit omnem substantiam, vt ibi, & hic esset grandis textus pro legibus, & canonibus auferentibus substantiam, etiàm à filijs pro hæresi, & rebellione à principe. Versic. 4. *Retulitquè Moyses*, &c. nota in quibus ad Dominũ recurrendum. Versic. 8. *Nemo*, &c. terminatur ius successionis: & aduerte stantibus masculis esclusas fœminas. Versic. 12. *Ascende in montem*. voluit Deus Moysen mori in monte, ne Iudæi illum adorarent, de quo in Epist. Iudæ. Versic. 13. *Ibis & tu ad populum tuum.* Morieris, & transfereris ad limbum Patrum. Versic. 14. *Quia offendistis*, &c. eccè incredulitas toties decantata, *Nec sanctificare me voluistis*, eccè peccatum à voluntate procedens. Moyses nùnc à Terra promissionis exclusus, mortuus, ad Transfigurationem vocatus illam intrauit. Versic. 16. *Prouideat Dominus Deus spirituum*. qui nosti spiritus hominis, scis tibi placitos, & dator es spiritus; sic suprà Numer. 16. sic Deus scrutans renes, & corda; & Paulus nuncupat Deum discretorem spirituum, hoc modo vsus Petrus Act. 1. qui corda nosti omnium. hinc quam zelans Moyses honoris Dei, & vtilitatis populi; sic Sanctus Martinus. Vers. 17. *Et possit exire, & intrare*. infrà 21. *egredietur, & ingredietur.* regere, iubere. Vers. 18. *Tolle Iosue*, in quo est spiritus, scilicèt Dei: vndè benè cognitor spirituum Deus, *& pone manum tuam supèr eum*. & 23. *& impositis capiti eius manibus*, &c. manus enim est organum organorum, & significat dationem potestatis, sed hic impositio manuum Deo concurrente, operata est etiàm repletionem spiritu sapiẽtiæ. Deuter. 34. 9. illicò, non pòst triginta dies, vide Serrar. & Magal. in Iosue. 1. lib. q. 25. sect. 7. Est locus hic impositionem manuum posse sufficere. Vers. 20. *Dabis ei præcepta*, idest, disces eum quæ mandaui, vt suprà versic. 23. cuncta replicauit, quæ mandauerat Dominus, non ergò dicas *præcepta*, quæ Iosue daret populo: *& partem gloriæ tuæ*, tuam non diminuendo, sed similem tuæ, auctoritatis, maiestatis, magnificẽtiæ coràm populo, ideò subdit, *vt audiat eum omnis Synagoga*, congregatio filiorum Israel. vide Deut. 3. 21. & 28. & hìc Abulen. & Serrar. q. 20. lib. 9. Ios. & Magal. de Act. Ios. an. ingr. ter. Chan. sect. 7. ann. 6. Sed cur non successerunt filij Moysi? quia is Ducatus erat electiuus, non hæreditarius. At non quia ex Sephora Madianitide, vel quia degeneres: nàm in genealogia Christi alij similes, tamèn ad regnum hæreditarium admissi. Versic. 21. *Eleazar Sacerdos consulet Dominum*: non ergò vt Moyses, cùm quo Deus ore ad os loquebatur: nec Eleazar dè propitiatorio, sed per Vrim, & Thummim. 1. Reg. 23. nàm in Sancta Sanctorum semèl in anno; & aduerte. *Ad verbum eius*, scilicèt Eleazari Iosue *egredietur*, &c. non Eleazar ad verbum Iosue, & sìc nota prælatam dignitatem Ecclesiasticam sæculari, nec minùs, *ad verbum eius*, idest, Domini, quia iàm verbum vult haberi ab Eleazaro à Domino. Abulen. tamèn, & alij dicunt ad verbum

bū Iosue Eleazar egredietur, &c. proùt Ios. 4. vide Serrar. Ios. lib. 1. cap. 9. q. 22. & 32. & seqq. vbi reprobat Abulen. & allegat. cap. Solitè. de maior. & obed. Magal. de Act. Ios. an. ingr. ter. Chan. sect. 7. annot. 7. & 10. Vide Abulen. 2. Paral. 18. q. 42.

CAPVT XXVIII.

VERS. 12. *Panes*. 7. 14. de vino, hìnc typus Sanctissimi Sacramenti, de quo dixi Hebr. 7. Versic. 6. *Quod obtulistis in mõte Sinai*. Hìnc collige in deserto nõ sacrificatum. Versic. 9. *Duos agnos*. vltrà alios duos, qui quolibet die offerebantur, & hi in honorem Sabbati. Vers. 15. *In holocaustum sempiternum cùm libamentis suis*. pòstquã in holocausto pro peccato non interueniebant libamina, possumus dicere, *in*, prætèr *holocaustum*, proùt & infrà versic. 23. *pratèr holocaustum*, &c. & 24. & 30. sìc & cap. 29. 6. 11. 16. 19. 20. 25. 28. 31. 34. 38. Vel *in holocaustum*, idest, cùm holocausto: in, enìm sæpè pro, cùm.

CAPVT XXIX.

VERSIC. 7. *Affligetis animas vestras*. ieiunio, & similibus.

CAPVT XXX.

VERS. 2. *Ad Principes*. non enim poterat cùm toto populo loqui, & hìnc intellige alia loca, quandò dicitur, Moysen ad filios Israel locutum esse, nempè per Principes, qui omnibus referebant. Vers. 4. *Et tacuerit*, sciens: & hanc scientiam in omnibus subintellige: ideò versic. 6. *vt audierit*. Versic. 16. *Sin autèm contradixerit postquàm resciuit*, & iàm votum ex eius silentio vires sumpserat, *portabit ipse iniquitatem eius*. aliòquin si simplicitèr intelligeres, esset primus casus quandò scit, & illicò contradicit: non attenditur ergò hìc causa vel bona, vel mala contradicendi, sed simplex contradictio, vel silentium ad votum validandum, vel irritandum: & ne mireris, quia lex cæremonialis est, non moralis; & si ad causas attendisset legislator, expressisset: hoc enìm erat maximum in hac materia: at non attendit, sed simplicem contradictionem, vel silentium eorum, ad quos spectabat. Nùnc autèm causa bona, vel mala contradicendi voto attenderetur, sed est diuersum iudicium legis huius, & nostrorum temporum. Cur in viro dicitur vers. 3. *vouerit, aut se constrinxerit iuramento*, alternatiuè, in puellis autèm, & mulieribus versic. 4. 7. 11. 14. *vouerit, & se constrinxerit iuramento* coniunctiuè? Nescio, an dici posset Dominum considerasse mulierũ instabilitatem, & volubilitatem: ideò in eis voluisse vota iuramento firmata, quod non in viris: non enim persuaderi possum in viros alternatiuè, in mulieribus copulatiuè iuramentum appositum tòt vicibus in vanum, & absquè vlla significatione. At meliùs dicas, additum & in mulieribus iuramentum, ne quis suspicaretur ex illius additione adeò confirmari earum vota, vt ad illorum stabilitatem, vel nullitatem patrum, & coniugum consensus, vel dissensus non requirerentur: ideò in vidua, & repudiata nihil de iuramento, versic. 10.

CAPVT

CAPVT XXXI.

VERS. 6. *Cùm Phinees filio Eleazari*, qui egregiam nauauerat operam contrà illos: vndè præsumebatur in eosdem acriùs moueri. sed videtur tamquàm Sacerdote, vt scilicèt esset Sacerdos in exercitu, præsertim cùm haberet secum vasa, instrumenta sancta; hæc autèm non credo fuisse arcam, quam potiùs cùm Moyse, & populo vniuerso remansisse verisimilius est, neque cùm tàm paruo numero transmissa esset, nequè omissa illius mentio, potiùs instrumenta bellica, ad bellum apta, prout tubæ, de quibus subdit, aùt vestes sacerdotales, vt per Oleast. qui respondet contrarijs: noluit autèm Sacerdotem magnum ire in bello, sed stare in castris. Versic. 8. *Balaam quoquè*, qui perrexerat ad locum suum, ad habitationem suam in Mesopotamia, vndè dixit, de Aram adduxit me Balac, &c. Sed tùnc erat apud Madianitas, quomodò vanum est quærere, posset dici pro eadem causa, qua adductus à Balac. Vers. 13. *Egressi sunt autèm, &c.* in occursum. obserua ritum cùm victoribus redeuntibus, vt Genes. 14. Hebr. 7. 1. in Melchisedech occurrente Abraham, vt in illis locis obseruaui. Versic. 16. *Ad suggestionem Balaam*. eccè iàm recedens consilium dederat, vt dixit. Versic. 17. *Etiàm in paruulis*. ne fortè malitia mutaret intellectum, & ad illorum bonum, & ne ad virilem ætatem traducti cogitarent contrà populum Israel de vindicta; & licet hoc Deo omnium absoluto Domino, & quisque ob peccatum originale morti obnoxius, etiàm infans vnius diei, vt in Iob: *Et mulieres, quæ non nouerunt viros*. ex hoc non potest argui puellas virgines non transmissas ad lupanar, proùt nequè ex versic. 18. *puellas autèm*, &c. quia hæ virgines seruantur ad connubium cùm illis ineundum, vel in vsum ancillarum, & quia certa erat earum innocentia defloratarum, vel certum, vel dubium peccatum. Non dicas defloratas occisas, quia didicerant quomodò cadere facerent Hebræos: nàm occisæ sunt proptèr peccatum præcedens, non proptèr hoc dubium, quia est verisimile didicisse, & virgines quomodò capti Hebræi à mulieribus. Versic. 27. *Diuidesquè*, &c. sic Dauid voluit æquam esse partem bellantium, & sarcinas custodientium. 1. Reg. 30. 24 vt aliàs dixi. Vers. 49. *Et ne vnus quidèm defuit* quod fuit magnũ miraculum. Versic. 50. *Offerimus in donarijs Domini*, &c. didicerunt id ab Abraham, qui dedit decimas Melchisedech de captis in bello Genes. 14. Et in his Dauid omnes superauit.

CAPVT XXXII.

VERS. 5. *Si inuenimus gratiam coràm te*. si sumus tibi grati. Versic. 6. *Quibus respõdit Moyses* &c. Acerbè respondet benè petentibus, & tamèn ex hoc non punitur Moyses præsumptiuè agens: ex hoc reijce eò magis quod dicebatur ad aquas contradictionis cùm populo acerbè egisse, ideò fuisse punitum ipsum, & Aaron: sed tene quod ibi dixi. Versic. 11. *Si videbunt*, idest, non videbunt. sic si introibunt in requiem meam, non introibunt. *Si*, pro, non à viginti annis tempore murmuris, vt dixi. Versic. 14. *Vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa, & alumni hominum peccatorum, vt augeretis furorem Domini contrà Israel*. & versic. 15. *Quòd si*, &c. eccè quod sæpiùs dictum puniri filios sequentes mala vestigia parentum, & puniri tùnc peccata patrum in tertiam, & quartam generationem. Versic. 16. *At illi propè accedentes*. sic Abraham Genes. 18. 23. cùm Angelis. molli responsione iram Moysis fracturi, vt se-

vt fecerunt. Edocentur subditi, quomodò cùm superioribus agant etiàm iratis. Versic. 20. *Quibus Moyses* mitissimus, responsione placidà placatus *ait*, &c. Versic. 21. *Omnis vir bellator armatus*. non omnes, sed quadraginta millia tantùm. Ios. 4. 13. Vers. 23. *peccatum vestrum*, idest, pœna peccati *apprehendit eos*. Versic. 29. *Coràm Domino*. ex corde, & in veritate. Vers. 33. *Dedit itaquè*, &c. & quæ sequuntur, posteà successerunt in executionem.

CAPVT XXXIII.

VERSIC. 3. *In manu excelsa*. in prodigijs, in cœde Aegyptiorum, & subuersione. Versic. 4. *Nàm & in dijs eorum exercuerat vltionem*. cùm hæc sit ratio præcedentium, videtur intelligere in his verbis de principibus, seù primoribus Aegyptiorum, vt sciremus omnes primogenitos cuiusuis occisos: & conformitèr Deus dicit. Exod. 12. 12. percutiamquè omne primogenitum. 23. Transibit enim Dominus percutiens Aegyptios, &c. & versic. 23. percussit omne primogenitum, à primogenito Pharaonis vsquè ad primogenitum captiuæ, &c. At obstat, quia Exod. 12. 12. subdit, & in cunctis dijs Aegypti faciam iudicia: vndè videntur & idòla destructa, & concordant omnes versiones: in eo tamèn loco contrarium sensi. Versic. 52. *Confringite titulos* erectos in honorem deorum, *& statuas* idòlorum *comminuite, atquè omnia excelsa* loca, in quibus idòlis sacrificant, *vastate*; sìc comminuenda idòla aurea, & argentea præscripsit; sìc infodit sub therebintho omnia idòla Iacob Gen. 35. vbì dixi.

CAPVT XXIV.

DEVS, nè intèr se discordarēt Israelitæ, hic prescribit terminos Terræ promissionis, quam tamèn totam nō possederunt ob eorum peccata, inquit Sānctus Hieronymus. Et eligit diuisores, ne & in his eligendis fieret discessio aliqua, & rixa: immò, & forte iubet diuisiones fieri. quandò verò hæ liceant, vide Abulensem.

CAPVT XXXV.

VERS. 2. *Vt dent Leuitis de possessionibus suis, Vrbes ad habitandum*. non ergò ad dominium, vt ipsi efficiantur domini vrbiū. sìc etiàm ipsi petūt ad habitandum. Ios. 21. 2. & licèt versic. 10. dicatur, dedit Iosue ciuitates filijs Aaron Hebron, *& suburbana earum*, intelligitur ad habitandum: nàm dominus ciuitatis erat Caleb. Ios. 14. 13. tradidit ei Hebron in possessionem: & quamuis Ios. 21. 12. dicatur, agros verò, & villas eius dederat Caleb ad possidendum, non excludit dominiū ciuitatis, sed declarat, & ampliat quod dixerat cap. 14. 13. & quamuis Leuitæ ædes intrà vrbes possiderent, non fit, vt etiàm vrbium essent domini, sed tantùm domorum: dominium verò erat principis illius ciuitatis, seù potiùs tribus, & sìc vrbes erant eis pro habitatione: non autèm erant domini illarum, vt per Lyran. cuius melior videtur opinio, quàm recentioris contradicentis. Versic. 4. *Mille passuum spatio tendentur*. & quod subdit versic. 5. de duobus millibus non contradicit, sed intelligit de circumferentia,

rentia, seù circuitu à quatuor partibus. Versic.6. Cur vrbes fugitiuorum intrà illas, quæ Leuitis dantur? credo vt homicidæ tutiores sub Leuitis essent, & à Leuitis fieret iudicium. Sed an tabernaculum esset asylum? videtur, quia Ioab fugit ad altare, & Adonias 3. Reg. 1. 51. & 2. 29. & elicitur Exod. 21. 14. à contrario sensu. Dùm datur licentia propinquo occidendi percussorem, argue ad bannitos nostri temporis, qui impunè occiduntur ab omnibus, vt in Bullis. Versic. 11. Prouidetur ei, qui casu occidit, seruatò ordine Iosu. 20. 4. Vers. 19. & 21. intellige iuxtà versic. 12. & 24. causa priùs ad iudicium deducta. Versic. 25. 28. 32. Cur expectatur mors Sacerdotis magni? hoc fuit arbitrarium. nulla ratio satisfacit, nisi quòd erat in pœnam occisoris, & est pœna incerti temporis: ideò non placet causa Abulens. vt interim tepesceret furor propinquorum occisi, quia poterat summus Sacerdos diù, & ad modicum tempus viuere, & secundo casu furor non tepuisset. Fortè dici posset expectandam mortem Sacerdotis, nè contaminaretur præsentis homicidæ memoria, adeò Deus voluerit illum ab effusione sanguinis alienum; & si diceres, idem fore in Sacerdote successuro. Respondeo, vel is ignotus, vel quia non suo tempore patratum homicidium, non eadem ratio, & vis memoriæ. Vers. 30. *Sub testibus* saltèm duobus, non vno: in ore enim duorum, vel trium testium stat omne verbum, non vnius. Versic. 33. *Ne polluatis terram:* vide quàm horrendum homicidium, vt terra polluatur. & Gen. 4. 10. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

CAPVT XXXVI.

VERS. 6. *Nubant quibus volunt, tantùm vt suæ tribus hominibus*. Hoc intelligitur in mulieribus habentibus hæreditatem in possessionibus, quæ hæredes erant masculis non extantibus, secundùm casum propositum, iuxtà quem intelligenda responsio Dei, & Moysis, immò hæ obligatæ erant nubere vni nè dùm de tribu, sed propinquo, proùt fecerunt filiæ Salphaad nuptæ filijs patrui sui. versic. 11. Sed an obstet huic ampliationi, quia sicùt propinquus non tenebatur, sed poterat euitare connubium, vt in Ruth. cap. fin. sic mulieres fuisse liberas, & ex facti contingentia in filiabus Salphaad non possumus firmare regulam. Prætereà deficiente linea, nihil debebatur consanguineis, seù nulla sequebatur confusio possessionum; ergò cessabat ratio, & consequentèr mulieres erant liberæ; liberum autèm erat mulieribus non succedentibus in hæreditate quibusuis de alijs tribubus nubere, vt dicunt omnes, quicquid dicant Lyranus, & Abulensis: cõfusio enim tribuum cõsiderata fuit quòad hæreditates, & bona Terræ promissionis, non quòad alia: & ideò cessante ratione, lex non ampliatur ad alia; & ex textu Hebræo clarè habetur, & exemplis probatur hìc per Recentiores.

FINIS NVMERORVM.

IN DEV-

IN DEVTERONOM.

CAPVT PRIMVM.

HAEC *ſunt verba*, &c. repetitio eſt præcedentium, ſed neceſſaria ad ſuperſtitum informatione, quia mortui erãt omnes, qui erant viginti annorum, & ſuprà tempore murmuris, & noui homines ſurrexerant, quibus non erant hæc annunciata, nec præſentes fuerant omnibus, quæ acciderant: & quia repetuntur iàm dicta, commentaria erunt breuiora, non enim expedit ſemèl dicta repetere. Eſt autèm Moyſes auctor, prætèrquàm dùm agitur de eius morte, cap. fin. quod vel à Ioſue, vel Eſdra additum creditur. Verſic. 1. *Hæc ſunt verba, quæ loquutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael.* Verè omnis Iſrael ſtabat coràm Domino. infrà cap. 29. 10. At non credo omnes audiſſe Moyſen loquentem, quia fuiſſet miraculum, quod Scriptura non dicit, nec nos poſſumus ex noſtro capite illud aſtruere. *vbi auri eſt plurimum.* hic agit de regione, quæ auro abundat, nihil de vitulo, qui auro ex Aegypto aſportato conflatus eſt. Verſic. 2. *Vndecim diebus*. hi, quibus locutus eſt Moyſes, non alij, & non dùm ambularet, ſed ſtaret, quia non ſempèr loquebatur, ſed horis congruis. Verſic. 8. *Supèr qua iurauit Dominus*. quaſi nulla ſuſpicio in contrarium mouere debuerat; quia iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, dona Dei ſunt ſinè pœnitentia. vide Rom. 3. *& ſemini*, quod poſſedit, non hi, quibus promiſſio facta. A verſic. 9. vſquè ad 18. De electione Iudicum ex conſilio Iethro, quod hìc Moyſes tacet, loquens compendiosè. Verſic. 22. *Mittamus viros*. Defendi Numer. 14. bonum fuiſſe cõſilium Moyſis verſic. 23. & Deo placitum, nequè ex hac cauſa factum, vt exploratores falſa referrent. A verſic. 24. vſquè ad verſic. 37. De exploratoribus bona, verſic. 25. & 36. mala, verſ. 28. nunciantibus, & murmure, & pœna murmurantium. Verſ. 37. *Proptèr vos*. occaſione veſtri, ſed ob peccatum proprium Moyſi Deum non ſanctificantis coràm populo, & ità intellige, nè contrarietur. Verſ. 38. *Hunc exhortare, & robora.* eccè partem gloriæ, quam volebat Deus Ioſue à Moyſe conferri, vt dixi ſuo loco. Verſ. 42. *Ait mihi Dominus: Dic ad eos: Nolite aſcendere*. Cognoſcuntur viſcera miſericordiæ Dei præmonentis eos, nè perirent; ſic ab Adam, Cain, & alijs confeſſionem elicere procurat, nè puniat. Verſic. 44. *Sicùt ſolent apes*. hinc Pſalm. 21. Circundederunt me ſicùt apes, &c. Verſ. 45. *Non audiuit vos*, eccè iuſtitia iuncta cùm miſericordia præcedente; ſic & cap. 3. verſ. 26. cùm Moyſe.

CAPVT

CAPVT II.

VERS. 4. *Et timebunt vos*, ita vt transitum dare nolint: ideò subdit ne contrà eos moueantur: sed hoc fuit in secũdo trãsitu, quod clarè apparet, quia subdit vers. 9. *cibos emetis*, &c. & vers. 7. fit mentio quadraginta annorum, quibus transierunt solitudinem. Vers. 6. *Cibos emetis, & comedetis*. apparet Hebræos vltrà manna cibos comedisse, quandò dabatur vt emerent, vel inuenirent. Vers. 9. Dominus est, qui tribuit regna, & mutat habitatores, vt hìc vsquè ad vers. 13. & à vers. 20. vsquè ad 23. hincquè colligit Oleaster non esse vsquequaquè verũ diuisiones regionum esse de iure gentiũ, sed diuino aliquandò, vt hìc, & de iure naturali Abul. vt in Gen. notaui. Vers. 15. *Cuius manus*, potentia *fuit* ad conterendũ illos. Vers. 25. *Hodiè incipiam mittere terrorem, &c.* de quo Raab, & Gabaonitæ, *sub omni cælo*, sed audituris, vt subijcit. Vers. 27. *Transibimus*, &c. etsi Deus iussisset bellum contrà Sehon, tamẽ voluit fieri cùm eo solita, nempè priùs pacificè requiri ad dandũ transitum, & commeatum. Vers. 29. *Sicùt fecerunt filij Esau.* nũc de recẽti, vt dixi, & sìc nõ obstat Nu. 20. quia illud prima vice. Vers. 30. *Quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius*. permisit indurari, vt in Pharaone dictũ in Exo.

CAPVT III.

VERS. 11. *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum*. intellige in illa regione. Vers. 24. *Domine Deus tu cæpisti ostendere*. a beneficio recepto vult mouere, tùm quia commemorando ostendit gratitudinem, tùm quia paratior, & promptior est qui dedit ad iterum dandum, quàm qui recepit ad recipiendum. *nequè enim est alius Deus*, &c. sìc in Psal. quis sicùt Dominus Deus noster? &c. Vers. 25. *Videbo Terram hanc optimam, & montem istum egregium*. refert eandem terram montuosam, montibus refertam: nàm relatio ad montem vnum, quem non exprimit, videtur diuinatiua, & si de vno, expressisset, proùt fecit de libano. Vers. 26. *Propter vos*. occasionalitèr, quia verè peccauit Moyses. *Sufficit tibi*, &c. numquid Deus mutatur sicùt homo? quandò enim decreuit irreuocabilitèr, nõ mutat. Vers. 28. *Præcipe Iosue, &c.* cognoscitur quid vellet, quandò dixit: Da ei partem gloriæ tuæ.

CAPVT IV.

VERS. 1. *Vt faciens ea*, non contraueniens, *viuas*, non subijciaris pœnis illorum. Vers. 2. *Non addetis ad verbũ*, &c. idest omnia admussìm, & perfectè absquè vlla omissione, sic infrà vers. 5. & 6. *implebitis*; ideò subdit, *custodite*, &c. Vers. 5. Ab exemplo, & à securis stabilire eos nititur. Vers. 6. A laude, quã obseruaturi obtinebunt, eos allicit. Vers. 9. *Docebis ea filios, & nepotes tuos*. sic de Abraham Gen. 18. 19. vndè gratum est Domino, vt alios edoceamus; sìc vers. 10. *doceantquè filios suos*. & vers. 14. idem Ios. 4. Ver. 15. *Nõ vidistis aliquam similitudinem*, &c. hinc in veritate, & spiritu adorare oportet. Ioan. 5. Vers. 20. *De fornace ferrea*. sìc fortè dictum de Abraham de Vr Chaldæorum, quasi de immensis periculis. Vers. 21. *Proptèr sermones vestros*. occasione enìm illorum peccauit Moyses. Vers. 26. A pœnis eos deterret ab idolòlatria. Ver. 29. Ne desperent, ad pœnitẽtiam, cùm peccauerint, eos attrahit: sed aduerte qualis pęnitentia, *toto corde quæsieris, & tota tribulatione*, amaritudine *animæ tuæ*. Vers. 30. *Nouissimo tempore*. tùnc enim reliquiæ Israel saluæ fient. Dan. 12. Rom. 9. Vers. 32. A magnitudine beneficiorum eos allicit. Vers. 33. *Et vixisti*. quasi ab insolito, & contrà id, quod ipsi timebãt. Vers. 43. Separatio trium ciuitatum refugij. Moyses nõ cessat ab officio suo vsquè ad mortem. hìnc exemplum capiant Prælati, & Principes.

CAPVT V.

VERS. 3. *Non cùm patribus nostris*, Abraham, Isaac, Iacob *inÿt pactum*, vt illud ignoremus, aut credamus nos non tangere, *sed nobiscum:* quasi non possumus, nec debemus hæc ignorare, & negligere, sed opere complere. Non placet, *non cùm patribus nostris* tantùm: tùm quia ibi erant, qui præsentes fuerant, vndè frustratoria erat patrum mentio: tùm quia nihil operabatur, pactũ enim cùm illis nõ obligabat successores, qui erãt obligati obligatione propria, & personali: tùm quia littera peruertitur. Nec obstat simile Gen. 32. 28. quia aliundè apparet sic litteram illam intelligendam, cùm alibi, qui Iacob vlteriùs dicitur non appellandus, appellatur, quod hìc dicere non possumus. Vers. 4. *Facie ad faciem*, cominùs, loquelam, & voces audientibus nobis, dùm decalogũ promulgauit; nã alia mediante Moyse, non quòd speciem viderint, vt dixit suprà cap. 4. 12. quod explicat, subdens, *de medio ignis*, à nemine visus, igne tectus, fumo, nebula, & sic vide, quomodò loquebatur & cùm Moyse facie ad faciem, idest, Moyse audiente, at non vidente, vt aliàs tenui. Vers. 7. *Non habebis deos alienos* à me, vltrà me: hinc subdit, *in conspectu meo*, qui omnia video. Vers. 8. *Non facies tibi sculptile*. diuersum à Deo tuo, idòlum: propterea subdit: *Non adorabis eos, & non coles:* vndè non potest dici hìc vetari omnes omninò imagines, sed tãtùm quæ ad idolòlatriam faciebant: si enim aliud esset, cæremoniale esset præceptũ, quod intrà præcepta naturalia nõ poneretur: nàm quid importaret hæc facere absq. adoratione, vel cogitatione adorationis? Non obstat Deut. c. 4. 15. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est Dominus in Horeb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis sculptã similitudinem, aùt imaginem masculi, vel fœminæ. Nàm Moyses refert quod factũ, non præceptum Dei: & sic referẽdo docet à quibus abstinere debeant, & quæ vitare, ne peccent: poterãt enim sic faciendo ad falsam adorationem trahi. *& quæ versantur in aquis sub terra*. hìnc mare non esse altiùs terra, vt alibì dixi. Ver. 6 *Ego Dominus Deus tuus*, &c. 7. *Non habebis deos alienos in conspectu meo*. 8. *Non facies tibi sculptile*, &c. 9. *Non adorabis ea*, &c. *Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatẽ patrũ supèr filios in tertiã, & quartam generationem his, qui oderunt me*. 10. *Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea*. eadem verba habẽtur Exod. 20. 2. vsq. ad 7. Verba, *reddens iniquitatem supèr filios*, seù in filios Exod. 20. *in tertiam, & quartã generationẽ his*, seù eorum, Exod. 20. *qui oderunt me*, duplicẽ habent sensum: Vnũ communem, vt puniat Deus peccata parẽtum in filios sequentes peccata parentum. Hieron. 18. Ezech. Aug. con. Adimãn. c. 7. Greg. lib. Moral. ad Iob. 21. Chrysost. hom. Psal. 84: omnes in Catena Græca Exo. 20. vbì & Raba. Barrad. Matth. 23. Sic in Ophni, & Phinees filijs Heli malis. 1. Reg. 2. 12. 34. sic in decem tribubus, quæ secutæ sunt peccatum Ieroboam. 3. Reg. 18. & is intellectus stabilitur Leuit. 26. 39. & proptèr peccata patrũ, sua affligẽtur, donèc confiteantur iniquitates suas, & maiorum suorum, &c. & Iob 21. 19. Deus seruabit filijs illius dolorẽ patris. vbì Pined. Alium, vt ex sola iniquitate parẽtum puniat etiàm filios temporali, & corporali pœna. S. Tho. 1. 2. q 87. art. 8. Vgo Vict. Abul. hìc, & Exod. 20. Vasq. 1. 2. q. 83. art. 4. disp. 135. c. 1. Tertul. lib. 1. con. Marcio. c. 15.

Placet secundus. Primò, ex verbis textus: nàm verba *(his, seù eorum, qui oderunt me)* referuntur ad patres principales in locutione, & de quorum iniquitate agitur, non ad filios, de quibus accessoriè, & de quorum iniquitate non agitur.

Secundò, quia verbum *his*, seù eorum, Exod. 20. refertur ad generationem: generatio verò dicitur respectu patrum, non filiorum: ideò patres, non filios referunt.

Tertiò, vana esset mentio tertiæ, & quartæ generationis, quia dicitur clarè, *iniquitatem*

tatem patrum, non filiorum: vndè quomodò possumus dicere de iniquitate filiorum?

Quartò, vanum esset dicere, iniquitatem patrum punire in filios,& filios merentes ex proprio peccato non punire.

Quintò, nimis restringimus potestatem Dei in filios, si in filios tantùm malos pœnam infert ob peccata patrum.

Sextò,ad quid simùl annectere,se patrum iniquitatem in filios,& patrum bonitatem in filios extendere, si hæc fundanda quòad filios in filiorum bonitate, vel iniquitate?

Septimò, subiungit hoc Deus ad terrorē pòst præceptum de idòlis non adorandis, vt sciant pœnam ne dùm in ipsos, sed etiàm in filios extendendam. obseruat Tertull. con. Marcio lib. 2. cap. 15. Abul. Exod. 20. q. 4. circà fin. ideò restringit se ad tertiam,& quartam generationem, ad quam solēt homines peruenire: at si ex parte filiorū attendenda adhùc bonitas, vel malitia, quam emphasim, quem terrorem hæc habebunt?

Octauò, si proptèr bonitatem patrū filijs benedicit, ergò & proptèr malitiā eorundē punit: contrariorum enim eadem disciplina.

Nonò, declaranda hæc, si dubia, ex dictis infrà c. 7. 9. custodiens pactum,& misericordiam diligentibus se, & his, qui custodiunt præcepta eius in mille generationes: & reddens odientibus se statim, ità vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinùs eis restituens quod merentur.

Decimò, Exod. 34. 7. habes hæc clara, & absquè vlla mistura: qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatē, & scelera, atq. peccata, nullusq. apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filijs,& nepotibus in tertiam, & quartā progeniem. sic Iere. 32. 18. Qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum pòst eos, &c. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu: cuius aperti sunt oculi supèr omnes vias filiorū Adam, vt reddas vnicuiq. secundùm vias suas,& secundùm fructum adinuētionum eius. Idem habetur. 2. Reg. 12. Isai. 14. & 65. Ioan. 9. quis peccauit, hic, an parentes eius, vt cœcus nasceretur?

Vndecimò, si mali essent filij, vel alij successores vsq. ad mille generationes, sempèr punirentur, hinc Christus, vt veniat supèr vos sanguis iustus, qui effusus est à sanguine Abel iusti, vsquè ad sanguinem Zachariæ, quem effudistis, &c. cùm ergò hìc strictè ad quartam generationem, intellige de peccato patrum, non filiorum.

Duodecimò, quia & facit misericordiam in multa millia diligētibus,& custodientibus præcepta sua, vt in regno Dauid, vsq. ad captiuitatē Babylonicā. In Salomone, & filijs 3. Reg. 11. 15. in Abia,& filijs 3. Reg. 15. 4. & in salute Ierusalē proptèr eum Isa. 37. 35. in Iehu malo,& filijs malis. 4. Reg. 10. 30. in successoribus Phinees. Num. 25. cui reputatum ad iustitiā, obligationem, à generatione in generationem vsq. in sempiternū. Gen. 18. dùm vult Deus proptèr paucos parcere omnibus. & Iere. 5. 1. ad vnum se restringit. patet in parabola zizaniorū, & alijs mille exēplis, in quibus apparet, non obstante malitia successorum, Deū seruasse pacta cùm bonis antecessoribus facta; & patet Ro. 3. 3. & habetur in Psal. 131. Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos, & filij eorum vsq. in sæculum, sedebunt supèr sedem tuam. Si autē dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: Visitabo, &c. misericordiam, &c. semen eius in æternum manebit. Psal. 88. sic dedit illis Terram promissionis, proùt iurauerat patribus, quā tamèn ob multas præuaricationes nō meruerant: itidèm ergò & in malis pœna. vide Abulen. Matth. 5. quæst. 331.

Decimotertiò, quia peccantes filij, proùt alij extranei, puniuntur ex delicto proprio, quandò illud committunt, sic Leuit. 26. 39. dùm non fit mentio generationum; vndè nō expediebat hoc cùm patribus annectere. & si dicis, id fit, quia ob exemplum præcedens, plùs puniuntur. Figuer. Oleæ 1. fol. 12. col. 2. respōdeo id nō procedere à patribus, sed ab ipsis exēplum paternū non considerantibus.

Decimoquartò, quia ab exemplis cognoscimus verè Deum temporalitèr, & corporalitèr punire filios ob peccata patrum. Nō peccauerant filij doli incapaces in vniuersali diluuio, incendio Sodomitico, in primogenitis Aegyptiorum, in cœde Madianitarum, quandò Deus iussit, & paruulos occi-

di Num. 31. in cœde aliorum populorum, quorum infantibus non parcebant Deuteron. 7. 2. Ios. 6. 21. in progenie Heli. 1. Reg. 2. 31. in progenie Saul. 1. Reg. 21. in filijs, & filiabus Achan retento intellectu, quòd non participauerint. Ios. 7. 24. sed patres, & nihilominùs in pœnam patrum, & ipsi extincti. Non peccauerat filius infans Dauid adulterinus ex Bethsabee, & tamèn proptèr patris delictum mortuus est. 2. Reg. 12. 14. Non peccauerunt filij Core, ità vt, patre pereunte, ipsi non perierint, Numer. 16. & 26. 10. & tamèn tota substantia patris perijt, nihilquè remansit d. capit. 16. sic proptèr peccatum Saul, eius posteritas remansit priuata regno. 1. Reg. 13. 13. & 15. 28. & 28. 17. imò & ob peccatum Principis puniuntur populi, vt tempore Dauidis in enumeratione, quo mortui septuaginta millia viri. 2. Reg. 24. sed non deerànt peccata populi expurganda. Abulen. dicto capit. 24. quæst. 30. & 31. non punitum Dauid pœnitentem, sed translatam pœnam in alios de populo, & populum puniri ob peccata sua. Abulen. 2. Paralipom. 16. quæst. 29. ob peccatum Principis. Ierem. 10. 2. & pluriès apud eum. Et aliquandò ob peccatum vnius, vel paucorum Deus punit multitudinem. videndus Abulen. Ios. 6. quæst. 26. vsquè ad quæst. 43. ibi enim Ios. 6. 18. dicitur, & omnia castra Israel sub peccato pœnæ sint, atquè turbentur. vide ibidèm Magalian. versic. 18. annotat. 5. sic Ios. 7. peccante Achan punitur populus. & ibi omnes, & patet Genes. 18. 23. nàm dicente Abraham, numquid perdes iustum cùm impio? Deus in responsionibus: si fuerint quinquaginta, quadraginta, &c. vndè colligitur & iustos proptèr impios perdi, id tamèn non sempèr, nec in omnibus; nàm Lot saluus in Ierusalem perdenda, data significatio fidelibus, in Iericho Raab, & suis; & Christus Angelis, ne fortè colligentes zizania, eradicetis cùm eis & triticum, & ratione tritici differtur zizaniorum perditio, vt suprà dixi.

Sed quod maius est, Deus dimittit à pœna patris, & illam transfert in filios. sic in Dauide, vbi suprà. & 2. Reg. 24. in Regno in Salomone. 3. Reg. 11. 12. in eodem in Ezechia, 4. Reg. 21. in Achab. 3. Reg. 22. 29. Abulen. Matth. 5. quæst. 337. Sed hoc non est mirum, quia iustis de causis mouetur Deus, vt appareat de eius iustitia, vt patres afflicti ad eum redeant, aut filij auertantur à vijs paternis: diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum, quia Deus Dominus est absolutus omnium, & filij, & substantia sunt in potestate patris, & in eius dominio, nec proptèr hoc perditur vita æterna, sed acquiritur ex tribulationibus patientèr sumptis: sufficit tibi gratia mea, nàm virtus in infirmitate perficitur. sic obseruat S. Thom. d. art. 8. Abulen. Exod. 20. quæst. 4. in fin. sic ad probationem Iob permisit filios eius, & substantias perire Iob. 1. Differentia, an filij adulti, vel infantes emancipati, vel non extrà domum, vel in domo, non currit, quia generalis est sententia omnes comprehendens, & nepotes ex filia Saul ob peccatum Saul occisi. quarè tene opi. Abul. Ios. 7. quicquid dicat ibi Magal. vide Abul. 2. Reg. 12. q. 13. & 14. & 4. Reg. 14. q. 5. & Matth. 5. q. 330. vbi latè de hac materia, & q. 331. & 335. & 336. itèm Cornel. Ezech. 20. Sed cur Deus puniat filios, vide Abul. 4. Reg. 5. q. 42. & qq. seqq. Deum proptèr Regem populo, & Regi proptèr populum mala, vel bona inferre. Abul. 1. Paral. 17. q. 24.

Dixi temporalitèr, & corporalitèr, quia spiritualitèr Deus nō punit peccata patrum in filios, sed succedit quod scriptum est Ezechiel. 18. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: filius nō portabit iniquitatem patris, nequè pater iniquitatem filij, &c. loquitur ibi de pœnis spiritualibus, seù animæ. S. Tho. vbi suprà. Vasquez 1. 2. q. 135. art. 4. cap. 2. ideò dicit: omnes animæ meæ sunt. Vndè responsio, quam vidi dari, quòd ibi filij non imitantur patres, non currit iuxtà prædicta, quia pœna corporalis, & temporalis procedit etiàm in non imitantibus, vt dixi. Est similis textus Iere. 31. 29. & in iudicio quisque reddet rationē de eo, quod egit in corpore suo, nō in alieno: alioquin iniustitia magna esset. Quod autèm dicebant: Patres comedebant vuam acerbā, &c. intelligitur de tēporali, & corporali afflictione, nō spirituali. vide Abul. q. 330. 331. & 335. Matth. 5.

Dices

Dices, etiàm spiritualitèr Deum punire peccata patrum in filios; nàm, esto, quòd filius Dauid circumcisus, vel in fide patris saluus, & sic translatus nè malitia mutaret intellectum, & sic de alijs saluis: at idem dici non potest de infantibus gẽtilium tempore diluuij, incendij Sodomitici, & alijs prædictis. Respondeo, hos damnari, seù ad gloriam non ascendere, non quia patres mali, sed ob peccatum originale, quod ab Adam traxerũt, & cùm essent subiecti morti naturali,& spirituali,quòad carentiã gloriæ, Deus nullam fecit eis iniustitiam, immò misericordiam, quia poterant supèruiuentes peccata actualia patrare; at maiorem fecisset misericordiam saluando: at quorum vult miseretur,quorum vult corda indurat: aliud vas facit in honorem,aliud in contumeliam. videndus Paulus Roman.9. Abulens. Deut. 5.7.11. & nihilominùs & gentiles poterant Deum cognoscere,& saluare infantes. Rom. 1.ipsis imputandum,si salui non sunt eorum infantes, vel hi præsciti. vide Vasquez 1.2. q.135. art.4. cap.3.

Dices, saltèm filij imitantes peccata patrum puniuntur etiàm pro peccatis patrum, quia Christus dicit Matth. 23. Implete mẽsuram patrum vestrorum, eccè ego mitto ad vos Prophetas, &c. & ex illis occidetis, &c. vt veniat supèr vos omnis sanguis iustus, qui effusus est supèr terram, à sanguine Abel iusti, vsquè ad sanguinem Zachariæ, &c. Amen dico vobis, venient hæc omnia supèr generationem istam, eccè relinquetur vobis domus vestra deserta. Respondeo non puniri filios pro peccatis patrum, sed pro proprijs, quæ impleuerunt mensuram. At est aduertendum, sicutì ad interitum corporis veri, defectio vnius membri non ducit illud ad interitum, ità nequè in corpore mystico, putà, vnius ciuitatis, Regni, Imperij penitùs destruendi, non attendit Deus peccata vnius ætatis, sed plurium; ideò expectauit, vt iniquitates Amorrhæorum complerentur ad illos delendos, quas dixerat Genes. 15. nondùm completas; sìc & credendum in Amalechitis Amorrhæorum exemplo,etsi non exprimat clarè 1.Reg.15. & tùnc rememorari, & in mentem Dei punientis venire dicuntur omnia etiàm antiqua scelera; & quia tempore vltimæ ætatis vltimi membri infecti perficiuntur, in vltimam ætatem dicuntur omnia antiqua mala venire, & consummari, non quòd verè patiãtur ipsi ob peccata patrũ, sed ob propria; sìc in euersione ciuitatis Babylon, sub qua alia Apocal. 14. 16. 17. 18. 19. 2. dixi in Euangel. cap. 130. vide Magalian. Iosue 10. versic. 40. quandò, & ex quibus causis moueatur Deus ad punitionem populi totius: & nihilominùs Deus in subuersione vniuersali dat significationem bonis, vt fugiant à facie arcus, vti in diluuio, in subuersione Sodomitarum Lot: in euersione Ierusalem, vt in Euangelijs: in incendio Ciuitatis, Apocal.18.4. & hæc ratio magìs excludit intellectum primum, de quo in principio dixi. Vel puniti fuerunt patres pœna æterna, at merebantur etiàm pœnam aliam in hoc mundo, nempè euersionem rerum, regnorum, progeniei, ciuitatum, hic autèm differtur à Deo, nè cedat in præiudicium successorum, quorum iniquitates adhùc nõ sunt cõpletæ; his autẽ cõpletis Deus omnia euertens punit,& præsentium, & prædecessorum impietates. Dices, filij pro peccatis patrũ puniuntur etiàm in spiritualibus, quia maledictio, quam meruerat Chanaan,extẽsa ad Cham filium eius. Respondeo, illam esse prophetiam, non pœnam. Hæc quòad Deum: quò verò ad Iudices. Deuteron.24. Non occidentur patres pro filijs, nequè filij pro patribus: sed vnusquisque pro peccato suo morietur; sìc seruauit in casu læsæ maiestatis, seù rebellionis Amasias 4. Reg.14. vbì Abulen. q.5. 2. Paral. 25. 4. Iustum, & & innocentem non interficies. Exod. 23.

At dices, cur filij Achan vnà cùm ipso mortui? cur filij Dathan, & Abiron? Respondeo, quia complices delicti: hi enim eandem pœnam patiuntur, quam principales delinquentes: non enim placet responsio Vasquez 1. 2. quæst. 135. art. 4. cap. 3. & aliorum Ios. 7. filios non occisos, cùm Scriptura ipsos sublatos dicat vnà cùm patre, & substantia tota, quod sufficit ad denotandum verè & illos morti traditos. vide ibi per me scripta, & Abulen. Possem & dicere hos Deo iubente passos, & mortuos: sed melior prima responsio, quia è contrario fi-

lij Core, qui non fuerunt complices, nihil passi sunt Num. 16. & 26. 10. Dices, cur occisi infantes, & mulieres de tribu Beniamin? Iud. 20. in fin. at ibi in bello, vel de ordine Dei secundùm Lyranum. Deut. 24. aùt vt puto veriùs, malè, & contrà legem actum, proùt & contrà pueros, & mulieres corruptas innocẽtes & Iebusenos. Dices, cur filios Saul tradidit Dauid suspendendos, 2. Reg. 21. cùm nihil peccassent? Respondeo, non videtur posse saluari, nisi quòd Deo iubente, & hoc ad inserendum obseruantiam iuramenti; nàm ibi non potest dici factum, vt in eis puniretur pater, seù auus iàm mortuus; hincquè hæc ratio in alijs videtur nutare. vide ibi Abulen. quæst. 22. & per me dicta. Vide Vasquez loco prædicto.

Non dicas, Iudex potest non ratione pœnæ, sed ratione medicinæ iuxtà Lyran. Deuteron. 24. quia hæc distinctio bona quòad Deum, & hac vtitur S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 8. at quò ad homines, non sunt facienda mala, vt veniant bona. Rom. 4. Hinc quàm malè agant barbari, & ignari Iudices, vel Principes, qui occidunt innocentes, ad sedandos animos aliquorum, seù populi, ipsi dabunt pœnas tantæ iniustitiæ, quia nũquam licet damnare contrà veritatẽ, etsi aliquãdò parcere. Abul. Matth. 15. q. 45. 46. Ad omnia prædicta vide Abul. Ios. 6. à q. 26. vsq. ad q. 43. latè tractantem de more, Serrar. & Magal. vers. 18. annot. 5. & eosdẽ Ios. 7. vbì latè: Abulen. 2. Reg. 21. q. 22. & 4. Reg. 14. q. 5. 6. vbì an patres pro peccatis filiorum puniantur, & Matth. 5. q. 330. 331. 335. 336. 337. & Matth. 23. in qq. Castr. Ierem. 32. Petr. Figuer. Thren. 5. vers. Patres. vide Maldon. & Sanct. Ezech. 18. Vers. 11. *Non vsurpabis nomen Domini Dei tui frustrà*, irreuerentèr abutendo: *quia non erit impunitus, qui supèr re vana nomen eius assumpserit*, adeò Deus honoris sui est tenax vindex: de præceptis omnibus dixi in Exodo. Versic. 24. *Probauimus hodiè, quòd loquente Deo cùm homine, vixerit homo*. erat enim vulgare hoc de morte videntis Deum, vel Angelum; vndè & vers. 25. & 26. in hoc timore perstitisse apparet. Versic. 33. *Vt viuatis*: eccè ex obseruantia legum non incurrebant mortem, vt aliàs dixi.

CAPVT VI.

VERS. 1. *Et faciatis ea in Terra, ad quam transgredimini possidendam*. hinc collige nõ fuisse sacrificatum in deserto, nisi quandò fit specialis sacrificiorum mentio, vt in monte Sinai. Vers. 2. *Vt timeas Dominum Deum tuum:* initium enim sapientiæ timor Domini, Psal. 110. *vt prolongentur dies tui*. eccè quomodò ex obseruatione mãdatorum Deus prorogat vitã, dat regna; sìc in honore parentum specificè, vt longo viuas tempore, &c. suprà cap. 5. 16. sìc & infrà versic. seq. 3. 18. 25. Versic. 4. *Dominus vnus est*. declarat quod in decalogo dixerat, nè haberent deos alienos: quasi, ab hoc vno nè discedas, alijs nè te immisceas, quia non sunt dij. Baruch. 6. Vers. 5. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. idest, in quantùm potes, nihil subtrahendo, nihil ei præponendo. Vers. 6. *Eruntq. verba hæc*, &c. vsquè ad versic. 10. vult dicere, ne vnquàm obliuiscantur, & à versic. 10. nequè etiàm in prosperitate, in qua solet nasci obliuio. Vers. 7. *Narrabis ea filijs tuis*, sìc Abraham Gen. 18. 19. vult Deus edoceri legem suam à quocumque: ideò mandauit vnicuique de proximo suo, præsertim patri de filijs. Vers. 10. *Quas non extruxisti*, &c. & sic in labores aliorum introierunt. Vers. 13. *Dominum Deum tuum timebis*. iterùm repetit timorem necessarium, *& illi soli seruies*, non idòlis, quod dicit versic. 14. hoc vsus Dominus contrà diabolum. *ac per nomen illius iurabis*. si quandò tibi ex necessitate iurandum fuerit, & hoc ne per aliud nomen iurarent, maximè idòlorum: ideò subdit: *Non ibitis pòst deos alienos*. Vers. 15. *Quoniàm Deus æmulator*. & suprà cap. 5. & Exo. 20. Zelotes. *in medio tui*, omnia videns, nè putes occultari. Vers. 16. *Non tentabis*

Domi-

Dominum Deum tuum. faciendo quæ non decent, existimans tùnc tibi adfuturum, proùt Christus dixit diabolo: vel experiri volens qualis tecum sit, cùm iàm scias te esse illi populum peculiarem.

CAPVT VII.

VERS. 2. *Percuties eas vsquè ad internecionem*. eccè quomodò etiàm paruuli innocentes ob peccata patrum conteruntur, vt dixi suprà cap. 5. Versic. 3. *Nequè sociabis cùm eis coniugia*. restrictio est ad hos populos tantùm, non in vniuersum, sed ratio, quæ subditur vers. 4. generalis est: vndè videtur prohibitio extendenda ad omnes; à quibus poterant hæc mala expectari; sed in facto, & exemplis apparet non seruatum cùm alijs populis in Dauide, Salomone, & alijs. vide similem textum Exod. 34. 12. cùm seqq. Versic. 4. *Et delebit te citò*. sic & infrà vers. 10. Versic. 5. *Aras eorum subuertite, & confringite statuas*, &c. sic Moyses cùm vitulo, sic Iacob cùm idòlis, quæ infodit sub therebyntho; sic & infrà vers. 25. & 26. Vers. 6. *Sanctus es*, segregatus. Versic. 8. *Sed quia dilexit vos Dominus*. eccè quomodò præcedat Dei misericordia. vide Rom. 9. Versic. 12. *Si postquàm audieris*. Vide quomodò Deus quærit à nobis opera bona. Versic. 14. *Non erit apud te sterilis*. Sterilitas enim apud Hebræos mala reputabatur: hìnc Rachel, Rebecca, Anna filios exoptantes.

CAPVT VIII.

VERS. 1. *Vt possitis viuere*. nè pereatis contrafacientes. qui seruauerit, viuet in illis, vt alibì dictum. Vers. 2. *Vt affligeret, atquè tentaret te, &c*. eccè quomodò tentatione probat Deus. Sic cũ Abraham, Iob, Tobia; hìnc Paulo: sufficit tibi gratia mea: nàm virtus in infirmitate perficitur. Versic. 3. *Quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo*, re, *quod egreditur de ore Dei*, de qua iubet Deus, iuxtà Dei voluntatem. Vers. 14. *Eleuetur cor tuum*. in prosperis enìm id de facili succedit. Vers. 16. *Cibauit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui*. quasi etiàm pro patribus tuis beneficium hoc impertiuit.

CAPVT IX.

VERS. 4. *Proptèr iustitiam meam*, &c. disce omnia Deo referenda, à quo procedunt, & ipse eligit, Roman. 9. non nobis, *cùm proptèr impietates suas istæ deletæ sint nationes*, impletas dic iuxtà dicta Genes. 15. & hìnc collige, Deum subrogare alios loco priorum, vt habetur Apocal. 2. & 3. Nemo accipiat coronam tuam, &c. eadem subdit vers. 5. & 6. Vers. 5. *Et vt compleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est, &c*. obserua Deum complere, non obstante iniquitate nostra, quod promisit patribus. Rom. 3. vbi vide. Vers. 7. Reducit ad eorum memoriam contradictiones contrà Dominum, vt conterantur. Simile Act. 7. Stephanus; vos sempèr Spiritui sancto resistitis. Vers. 19. *Et exaudiuit me*. vt contereret, & deleret, sicùt dixerat vers. 8. 14. 19. 25. Vers. 20. *Aduersùm Aaron*, &c. vide peccatum graue Aaronis, aliàs non diceretur Deum voluisse conterere. Vers. 21. *Igne combussit, & in-*

fru-

frustra comminuens, &c. sic faciendum iussit posteà Deus simulachris idolorum. Vers. 23. *Ascendite, & possidete Terram, quam dedi vobis, & contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei, nequè vocem eius audire voluistis*. Aduerte, hæc verba non respicere factum exploratorum missorum ad terram explorandam, quia illud Deo, & Moysi placuit, vt aliàs aduerti, Num. 13. 4. Deuter. 1. 22. Sed credulitatem, quam nuncijs mala referentibus habuerunt, quæ operata est, vt detrectarent ascendere ad terram iuxtà præceptum Domini, nec non respicere alium actum, dùm pòst prohibitionem ascendere voluerunt. Versic. 27. *Recordare seruorum tuorum Abraham, Isaac, & Iacob*. eccè quomodò Deus benefacit in millia diligentibus se, etiàm non obstante malitia successorum: ideò subdit: *nè aspicias duritiam populi huius, & impietatem, atquè peccatum*.

CAPVT X.

VERS. 1. *Faciesquè arcam ligneam*. eam scilicèt, supèr quam propitiatorium, & Cherubim, non diuersam: hinc de tabulis: *ponesquè eas in arca*: in ea enim, non in alia positæ. & versic. 3. *feci igitùr arcam de lignis Sethim*: de his enim illa. & vers. 5. *posui tabulas in arcam*, Versic. 4. *Scripsitquè*, Angelus, scilicèt Deum repræsentans. Versic. 10. *Et te perdere noluit*: hoc rogauit Moyses, non quòd non puniret omninò. *Steti in monte*. secunda vice, non tertia. Versic. 12. 13. Inculcat timorem, & dilectionem ergà Deum, & obseruantiam mandatorum, ex qua dilectio, & timor cognoscitur, vt dixit Christus: qui diligit me, sermonem meum seruabit. Versic. 15. *Conglutinatus est Dominus*. non poterat significantiùs amorem Dei explicare; sìc anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, 1. Regum 18. 1. & anima Sichem cùm Dina, Genes. 34. 3. at hoc per Incarnationem Verbi pinguiùs cognitum. Versic. 20. *Iurabisquè in nomine illius*. in necessitate, non in nomine idolorum.

CAPVT XI.

VERS. 1. *Ama, & obserua*. ex obseruantia mandatorũ, vt dixi, colligitur amor. Versic. 2. *Cognoscite hodiè*, rememorando scilicèt *quæ ignorant filij vestri*, &c. Versic. 6. Etiàm filij cùm Dathan, & Abiron sub verbo domus, ex Abulen. Vers. 11. *Sed montuosa est*: ideò benè currit intellectus datus ad verbum, Montem, & Libanum. Versic. 8. & 13. 22. & per totum cap. apparet terram sub conditione dandam, & possidendam, si custodierint mandata Dei, &c. & tamèn eueniet finalitèr quod dicit, quandiù cælum imminet terræ, quia in vltimis diebus ab Hebræis habitabitur terra, in qua Antichristus figet imperium. Versic. 26. *Benedictionem, & maledictionem*. sic Elias. Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autẽ Baal, sequimini illum, 3. Reg. 18. 21.

CAPVT XII.

VERS. 1. *Quæ facere debetis in Terra*, &c. obserua in deserto hæc nõ potuisse seruari, nec seruata fuisse, vt latè etiàm prosequitur vers. 4. & vltrà vers. 11. Vers. 3. *Idola comminuite*: sìc suprà cap. 7. 25. sic seruauit Moyses in vitulo. Iacob infodit sub terebynthum. Versic. 4. *Non facietis ità Domino Deo vestro*, scilicèt vbi

vbi libet: sed in loco eligendo, qui in Silo Iosf. 18. 8. vsquè ad Heli. Iudi. vlt. 9. indè in Nobe 1.Reg.21.1. indè in Gabaa in Ierusalem in templum 2. Paralip. 1. 3. & 13. Vide Abulen. Verf.8. *Non facietis*, &c. quia præscripta sunt omnia ibì quæ agenda. Verf.15. & 16. *Absquè esu dumtaxat sanguinis*. adeps ergò, qui non excipitur, sed sanguis cùm taxatiua, poterat comedi, vt latè tenui in Leuitico: replicat *Hoc solùm caue, ne sanguinem comedas* verf. 23. Verf.29. vsquè in fin. agit de idolòlatria: & sempèr de hac, ad quã videbat populum inclinare, & abominabili Domino.

CAPVT XIII.

VERS. 1. *Si surrexerit*. eodem themate vtitur Paulus ad Galatas. Si Angelus euangelizet vobis præterquàm euãgelizauimus vobis, anathema, &c. Quod dicitur infrà cap.18. de credendo Prophetæ comprobanti signis, intellige de his, quæ de nouo oriuntur, aut de dubijs, non autèm de certis, vt hìc, & abominabilibus à cultu Dei auertentibus. Verf.3. *Tentat vos*. tentare permittit ad probationem, vt in Abraham Gen.22. Verf.5. *Propheta*, &c. *interficietur*. quod nota contrà hæreticos, qui comburuntur. Verf. 6. vsquè ad 12. Nota hæreticis etiàm domesticis, & coniunctis non parcendum, sed & hi deferendi: præferendus enìm Deus, & vtilitas communis. Verf. 12. vsquè in finem delendam Vrbem idolòlatram vnà cùm omnibus in ea repertis, vt sit anathema.

CAPVT XIV.

VERS. 1. *filij estote* operibus *Domini Dei vestri*, sicùt estis adoptione, & verf.2. sic Tobias. quia sumus filij sanctorũ. *nõ vos incidetis*, &c. prohibet hos ritus malos in mortuorum luctu. Verf.21. *Peregrino*, gentili, *da* &c. Verf.22. *Decimam*, &c. Vide Oleast. & Abul. Verf. 29. *Vt benedicat*, abundare faciat: hoc est centuplum in hac vita pro eleemosyna.

CAPVT XV.

VERS. 2. *Repetere non poterit*, repetendi non habebit potestatem; omnis ergò obligatio soluebatur cũ ciue, & propinquo, secùs cũ aduena, & peregrino. Verf.4. *Et omninò indigens & mendicus non erit inter vos*. intellige ex contributione diuitum, quod clariùs exprimit verf. 7. vsquè ad 12. propptereà subdit: *vt benedicat*, &c. & verf. 11. dicit: *pauperes non deerunt*, quibus scilicèt benefiat, & Christus, pauperes sempèr habebitis. Verf. 5. *Si tamèn audieris*, &c. sempèr cùm hac conditione loquitur, vt pluriès obseruaui. Verf.6. *Fœnerabis*, &c. hìnc ostendit abundantiam ipsorum, non permittit vsuras. Versic. 14. & 18. *Dabis viaticum*, &c. quod seruit in exemplum dominis huius temporis cùm famulis, quod faciebat S. Carolus. Verf. 15. *Memento*, &c. mouemur enìm ad compatiendum alijs in eo, quod ipsi passi sumus. Verf.19. *Non operaberis*, &c. prohibet vsum primogenitorum omninò, adeò voluit esse sibi præcipua. Versic.23. Excipit sanguinem, non adipem, adipem excepturus, si illius esus esset prohibitus, proùt sanguinis, vt obseruaui pluriès.

equos ad fastum, & superbiam, vti Salomon fecit, *nec reducet populum in Aegyptum*, regionem illam debellaturus, *equitatus numero subleuatus*, confidens in equis, & curribus, *præsertim cùm Dominus præceperit vobis, vt nequaquàm ampliùs reuertamini*, Deus nō vult ampliùs morā vestrā in Aegypto, sed maneatis in Terra promissionis: prohibet hoc, quia aliquandò desideramus repetere regiones, quas semèl incoluimus, ni mirū si Deus in Ieremia, & alijs Prophetis improbat auxilium petitū ab Aegyptijs, & si qui tempore Ieremiæ in Aegyptum confugerūt, perierūt iuxtà prædictionem. Vers. 17. *Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant animum eius*, proùt in Salomone, sed aliquas poterant habere, vt Dauid, *neque argenti, & auri immensa pondera*; quia sic populum expoliaret, proùt Salomon 3. Reg. 12. Vers. 18. *Describet sibi Deuteronomium*. discant hinc principes, & alij, non solis Sacerdotibus discendam legem, sed omnibus iuberi, & præsertim magnis: ideò versandum sempèr in ea, *accipiens exemplar à Sacerdotibus*: hinc & Bibliæ, & conciliorum autographa retinētur apud Sedem Apostolicam, ne corrumpantur ab hæreticis. Vers. 20. *Nec eleuetur cor eius in superbiam supèr fratres suos*, quos regit, sit humilis, affabilis, *nequè declinet in partem dexteram, vel sinistram*, bonum operetur, *vt lōgo tempore regnet ipse, & filij eius supèr Israel*. hinc Deus faciens misericordias supèr mille, quādò patres boni: quòd si impij, citò regna aufert, vt in malo Saule, Achab, & alijs.

CAPVT XVIII.

VERS. 1. *Non habebunt*, &c. hinc etiam vrbes dabantur eis ad habitandum, non in dominium, vt aliàs dixi. Vers. 8. *Partem ciborum eamdem accipiet, quam, & cæteri*: qui enìm ministrat altari, de altari viuere debet: vndè verisimilitèr, vt hìc habetur, Leuitis dabantur aliqua in cibum, dùm erant in ministerio; sic cùm Samuele actum. Vers. 6. vsquè ad 15. Prohibentur quæ idololàtriam respiciunt, & sempèr in his ob pronitatem Iudæorum in illam. Vers. 13. *Perfectus eris, & absquè macula*; sic Christus: estote perfecti, sicùt & Pater vester cælestis perfectus est: &, estote sancti, sicùt ego sanctus sum. Vers. 15. *PROPHETAM de gente tua*, &c. hæc omnia de Messia vsquè ad vers. 20. *de gente tua, & de fratribus tuis*, stirpe Iudæ: sic enim Iacob dixerat Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donèc veniat qui mittendus est, &c. de Iuda enìm, de quo erat sermo, intelligebatur venturum. *ipsum audies*; sic replicauit bis Deus in baptismo, & transfigurationē. & hæc iungi debuerāt, & credi; *vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb*, &c. *qui autèm verba eius, quæ loquetur in nomine meo* (& sic dicebat Christus) *audire noluerit, ego vltor existam*, vndè est qui quærat, & iudicet, dixit Christus. Non videtur posse trahi is locus ad alios Prophetas mittēdos: tùm quia singularitèr loquitur, & hìc Propheta per excellētiam intelligitur de Messia: tùm quia loquitur de subrogando Propheta loquente vice Dei, & leges nouas daturo, proùt in Horeb, & is solus Messias, qui Homo & Deus, & nouas leges daturus erat. Quod autèm subdit de Prophetis falsis, referendum ad eos, qui se dicebant Christos, Messias, quos etiàm in nouissimis diebus futuros, & cauendos prædixit Christus, & Apostoli: & multos temporē suo Ioannes in Epistolis dixit extare, negantes Christum venisse; potest & referri ad ipsum Antichristum recipiendū ab Hebræis, vt prædixit Christus: si alius venerit in nomine meo, illum accipietis. Io. 5. 42. Et licèt antè verba hæc, *PROPHETAM*, &c. dixerit de ariolis non sciscitandis, & alijs incantatoribus, & similibus, non tamèn inferri potest ex hoc in vers. *PROPHETAM*, &c. agere de pluribus Prophetis, quia locutio est de vno perfecto, & singulari, & præcipuo datore nouæ legis, habente verba Dei: vndè Christus dicebat venisse in nomine Patris sui Io. 5. 42. loqui omnia, quæ à Patre audiuerat,

rat,& debere eos loquelam suam agnoscere. At omnia sinè difficultate procedunt, quia sìc hunc locum interpretatur Petrus Act. 3. 22. & sìc communis erat interpretatio Io. 1. 45. quem scripsit Moyses, &c. & Christus: si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enìm ille scripsit, nec alibì, quàm hìc, & inclusio Messiæ excludit alios omnes, quibus dicta de illo congruere nequeunt. Vide Caiet. qui hanc opinionem alijs defendit. Comprobatur hæc opinio, quia nihil intererat populi præsentis circà gubernium hoc scire de Propheta tali: nam quòad introductionem illius in Terrã promissionis, prouisum erat de Iosue, & omnibus hoc innotuerat, quòad iudicia, dum essent in Terra promissionis, prouisum erat suprà c. 17. vers. 8. vsquè ad 13. vbi etiàm iubetur obedientia Sacerdotibus, & Iudici decernentibus: hi enìm in decisione causarum non indigebant Propheta, aliòqui tùnc de illo dixisset Moyses; & Sacerdos habebat propitiatorium, & Ephod, & poterat in dubijs interrogare Dominum. Confirmatur hoc ab euentu, quia Deus non gubernauit populum suum per Prophetas, nequè sempèr Prophetas habuerunt, imò per plura tempora caruerunt: vndè ad perpetuitatem Prophetarum hæc trahi non possunt: hìnc dictum in Psal. iam non est Propheta, & tempore Samuelis seruus Domini erat pretiosus, nec erat visio manifesta. 1. Regum. 3. & 1. Machab. 4. 46. quòad vsquè veniret Propheta, & responderet de eis: & 14. 41. donèc surgat Propheta fidelis.

Secundò. is Propheta, de quo Moyses, nedùm homo, sed Deus futurus, aliòqui verba, *vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quãdò concio*, &c. essent frustatoria: ibi autèm audita vox Dei, seù Angeli Deum repræsentantis à toto populo, ergò vt conueniat locutio, necesse est Moysen dicere de simili voce, sed carne humana vestita, quæ de facili audiri possit.

Tertiò. benè congruunt omnia contextui: vetuerat enìm, ne augures, aut diuinos interrogarent, quasi veritatem ab eis audituri, & in his non imitarentur gentes, dæmones loco Dei audientes loqui; subdit, tu enìm popule Israel ad maiora eueheris: nam à Deo suo tempore habebis responsa, qui in carne humana tibi apparebit: ideò ipsum audies, &c. habebit enìm verba Dei, cùm Deus sit: quòd si non audies, punieris, ipse Deus vltor existet; quæ omnia de alio propheta nequè dicta, nequè dici possunt.

Quartò. non potest trahi tota excellentia huius Prophetæ ad omnes Prophetas mittendos: de vno enìm possunt dici, vni possunt conuenire: at omnibus nullo modo, imò inconuenit de omnibus velle vniformitèr sìc dicere.

Quintò loquuturus erat hic Propheta noua, quæ à Deo audierat, quæ viderat, quæ nouerat: dicitur enim: *ponam verba mea in ore eius*, &c. At solus Christus enarrauit nobis quæ alij nõ poterant: vndè Io. 1. vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. ergò alteri hæc prophetia nõ applicatur.

Sextò. verba, *de gente tua & de fratribus tuis*: &, *de medio fratrum tuorum*, habent suam emphasim, vt explicaret Messiam de Iudæis oriundum: quòd si non ageretur de Messia, ad quid illa apponere? parui enìm æstimandum erat vndè procederent Prophetæ, dummodò à Domino mitterentur, sicutì Niniuitæ non spreuerunt Ionam natione diuersum, sed attenderunt, & audierunt.

Septimò. verba, *sicùt me*: &, *similem tui*, non carent virtute: nàm si de simplici Propheta homine mittendo ageretur, ad quid hæc proferre? sciebant enìm non animal, sed hominem mittendum: importabunt ergò, *similem tui*, apparentem in carne humana: at & Deum. Non dicas similem in virtutibus, & prodigijs, quia si de homine, nullus æqualis in his Moysi. Num. 12. 6. 7. 8. Deut. 34. 10. si de Messia, nullo modo æquandus Moyses, nisi quia induit carnem humanam.

Octauò. mittebantur Prophetæ iuxtà rerum contingentiam, vel secundùm eam loquebantur: at non sìc in isto, in cuius ore ponenda verba à Deo, locuturo omnia ei præcipienda, quasi ex professo, qui audiendus, id est, ei obediendum, & inobedientes vltioni subdendi, prout contigit, quod in alio Propheta factum non legitur, quàm in Messia.

Nonò. sìc successit: nàm in propria veniti: Verbum caro factum est, habitauit in nobis: locutus est de ore Dei. Io. 1. & post hæc, in terris visus est, & cùm hominibus conuersatus

ſatus eſt. Baruch. 3. in fin. & videndum cap. 5. Io.

Decimò. non dicitur de alio Propheta, qui non audiatur, *ego vltor exiſtam:* id autèm dicitur de inſigni, & præcipuo; sìc ſolemus in atrocibus delictis, vel contrà perſonas inſignes patratis, ego proprijs manibus id vindicabo; id autèm meliùs Meſſiæ, quàm alteri aptatur, imò in vniuerſum incongruit; & sìc euenit. proùt conſtat legenti, quæ paſſa ſit Ieruſalem, & habitatores in illius deſolatione.

Vndecimò. veriſimile eſt Moyſen de Meſſia intellexiſſe in his vltimis vitæ ſuæ verbis: sìc enìm in extremis vitæ diebus ſolebant Patres antiqui magna prædicere, vti Iacob Gen 49. de Meſſia, & alijs. Ioſeph de Dei viſitatione, Gen. 50. Tobias de libertate, Tob. 14.

Non dicas, poteſt hæc Prophetia ad omnes futuros Prophetas, & ad Chriſtum aptari; nàm dùm illam pluribus aptas, ineptam reddis, ſeù dubiam, vni tantùm, Chriſto ſcilicèt: nàm non poteſt ſub pluralitate in vnum tantùm declinari, & verificari: hæc enìm ſunt duo contraria, ſeù diuerſa.

Prætereà, de nullo Propheta prædictum venturum eſſe, niſi de præcurſore Ioanne: hæc ergò Prophetia eſt de ſummo, is autèm Meſſias.

Inſupèr, quæ Prophetia hæc eſſet, prædicens futuros Prophetas? certè quilibet abſquè Moyſe hoc poterat prædicere: ne ergò sìc deprimamus Moyſen, dicendum de Chriſto hæc prædixiſſe. Vltrà quòd, nunquàm alia Scriptura declarat hìc agi de pluribus, ſed de vno Chriſto, quomodò ergò nos poſſumus hanc ad plures trahere? Ex hac autèm Moyſis Prophetia firmatur illa Iacob Geneſ. 49. & Balaam. Num. 24. Orietur Stella ex Iacob, & virga ex Iſrael, &c.

CAPVT XIX.

VERS. 2. *Tres ciuitates*. ad refugiũ; hinc collige quàm bona, quamquè ſeruanda immunitas Eccleſiarum, vt ad eam confugientes ſint ſalui, idquè ſpectare ad regimen bonum. Verſ. 4. *Et qui heri, & nudius tertius nullum contrà eum odium habuiſſe comprobatur*. hæc erat probatio præſumptiua, quæ ex alijs elidi poterat. Verſ. 6. *Dolore ſtimulatus*. & ex hac cauſa iuſti doloris occidens occiſorem excuſabatur. Verſ. 9. *Si tamèn cuſtodieris*, &c. ſempèr cùm hac exceptione, & reſeruatione loquitur Scriptura. Verſ. 11 *Si quis autèm &c* hìc, vltrà odium, requiruntur etiàm inſidiæ: ideò ſi ſinè inſidijs ex ſola inimicitia non damnabatur. Verſ. 15. Teſtimonium vnius reijcitur. Verſ. 17. *Et iudicum*. credo ſæcularium, & sìc videtur communis, & annexa iuriſdictio circà hæc. Verſ. 19. Pœna talionis vſquè ad fin. cap. sic ſeruatum in ſenes contrà Suſannam. Daniel. 13.

CAPVT XX.

VERS. 3. Sacerdos à milite timorem, & affectus excutiebat, & Gedeoni iuſſit Deus ſimiles dimittere. Iudi. 7. 3. Verſ. 10. Pax primò offerenda in bello. Verſ. 16. *De his autèm ciuitatibus*, &c. & sìc infantes in his, & mulieres occidebantur, ne docerent abominationes, &c. & ne augeretur numerus bellantium: vndè etiàm innocentes pro patribus patiebantur, vt aliàs dixi, in corpore, non in anima.

didit non interuenturam, vel illam non elisuram suas probationes: hincquè dic à principio, quandò signa sumebantur, non vocatos testes, vel notarium illa notantem, vel aliud actum, ex quo signa redderentur inconcussa, contrà quæ probationes non admitterentur in contrarium.

Dic etiàm muliere, seù parentibus non producentibus signa, non potuisse condemnari mulierem ad mortem ex solo dicto viri, sed probationes interuenire debuisse; ad vnius enim viri testimonium neminem potuisse condemnari est clarum, meliusquè esse sic dicere, quàm speciale fuisse, vt vnius viri testimonio staretur: non enim Scriptura vno loco omnia ponit, sed alia ex generalibus iàm dispositis petenda ad maiorem declarationem, & pinguiorem determinationem. Poterat is repudiare, sed elegit accusare illam ad mortem, ex qua accusatione amittit beneficium repudij. Vers. 24. *Quia non clamauit*. intrà ciuitatem non præsumitur clamasse, sed tenetur probare clamorē, in agro verò præsumitur clamasse vers. 27. clamauit iuxtà præsumptionem. Vers. 28. Vi cognoscens tenetur hìc ad dotem, & ducendum; sic & Exod. 22. 16. in canone videtur vnum sufficere. vide. Vers. 29. Ruben contrà hoc peccauit, & Corinthius, quem Paulus tradidit Sathanæ.

CAPVT XXIII.

VERS. 1. Qui arceantur ab Ecclesia, id est, congregatione, & iuribus, seù priuilegijs Hebræorum. Ver. 4. Nota morem occurrendi exercitibus cùm pane & aqua, quod obseruaui ad Heb. 7. in Melchisedech, de quo Gen. 14. Vers. 9. *Quandò*, &c. notent milites custodire se debere ab omni re mala in castris, & seqq. versic. Si Deus requirit tantam munditiam corporalem in castris, qualem spiritualem? & quid præscribat. S. Ioannes, habetur Luc. 3. Vers. 15. *Non trades seruum*. nota hìc in fauorem religionis, quia is ad Iudaismum conuertendus fugiebat à domino suo, quod nota pro statu Euangelij fauorabiliori. Vers. 19. *Non fœnerabis*, &c. permisit hoc Deus vt alienis ad vsuram darent, ne id facerent cùm Hebræis: At tùnc excusabantur à peccato, quia Deus permittebat, sicùt permittere poterat furtum, vt cùm Aegyptijs. Faciunt quæ dicuntur Deut. 24. de libello repudij per omnes, & me in Euang. cap. 108. Nec dicas, in libello repudij dicit quomodò dandus libellus, secùs in vsuris, quia illa materia requirebat declarationem, non hæc vsurarum, quæ à pacto recipiebat conditiones; attendenda ergò est permissio, non huiusmodi qualitas non alterans illam, aliòqui lex permittens esset decipula, & via ad peccatum, quod dici non potest, & quòd Deus id facere non potuisset, quod est absurdum: vide Abulen. Quia verò vsuræ dicuntur prohibitæ de iure naturali, non erant permissæ nisi Hebræis, non alijs, ità vt alij Hebræis non possent fœnari, sed fœnerando peccarent. At dicuntur prohibitæ de iure naturali, quia naturalitèr pecunia nō producit pecuniam, quod ignoro ad quid dicatur: potiùs enim est iniustitia, vt ex quo nihil fructus recipio, debeam vsuras, patet, quia si alia interueniant, puta periculum vitæ, vel aliud, etiàm ex pecunia exigitur licitè vsura, sed hæc ad Canonistas, & Theologos distinguentes contractus. Vers. 21. *Et si moratus fueris*. ita vt si mora interueniente res pereat, tenearis, vt alibì dixi.

CAPVT XXIV.

VERS. 1. *Si acceperit*, &c. *& non inuenerit gratiam antè* oculos eius, ei displicuerit *proptèr aliquam fœditatem*, id est, non simplicitèr, non ex pluribus caussis, vt multi contrà textum dicunt: sed ob fornicationem, quæ tangit fundamentum matrimonij, fidem scilicèt, quam frangit fornicando, dicit *aliquam*, quia plures species fornicationis, & ita intelligendum suadet verbum fœditas; & quod plus est, & necessitatem imponit Christus Matth. 5. & 19. sic declarans: ab eo enim non licet recedere. hincquè corrige contrarium sentientes. Et si Hebræi ex alijs caussis repudiabant, id erat ex facto, non vi legis. Vers. 4. *Non poterit prior maritus recipere eam in vxorem.* hinc argue dissolutum fuisse vinculum matrimonij: tùm quia libera erat cuique nubere: tùm quia non poterat ad primum regredi; quod Deus apposuit, ne homines essent proni ad repudium, sed consideratè agerent. Facit Aug. lib. 19 contrà Faust cap. 26. *quia polluta est, & abominabilis facta est coràm Deo*, si iterum ad primum virum reuertatur contrà Dei præceptum: hic enim sola abominatio: nàm præcedentes actus erant liciti, nempè ducere alium virum, eidem copulari, non ergò illi actus abominatio, & sic necessariò de hoc vetito intelligendum. Aduerte etiàm, quòd non peccabant repudiâtes, cùm ex Dei permissione eis liceret, vide scripta in Euang. c. 108. ad c. 19 Matth. aliòqui lex esset decipula, & ducens ad peccatum, quod dici non potest. Vers. 5. *Cùm acceperit*. sponsus enim debet stare in lætitia, proùt dixit Christus de discipulis non ieiunantibus, dùm ipse sponsus erat cùm eis. Vers. 6. *Non accipies*, &c. quia cùm illis viuit debitor, auferres vitam sic faciendo. Vers. 9. *Mementote*, &c. cùm superiùs egerit de lepra, vt sciant à Domino immitti, refert factum Mariæ; sic Ozias leprosus factus à Deo. 4. Reg. 15. 5. & Giezi. Versic. 10. *Non ingredieris*, &c. ne capias quod ei displicet, sed ipse proferat quod habuerit: sic enim seipsum declarat. Vers. 12. *Sin autèm pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes*. credo non amplius recepturus, quia fuisset maximum impedimentum quotidiè dare, & recipere: ablatio ergò pignoris prima seruiebat ad probationem, an posset satisfacere, habita verò hac experientia semèl, non erat locus alteri experientiæ, sed restitutioni pignoris, vt hic, *reddes* ergò dic, non recepturus, præsertim quia subditur, *vt habeas iustitiam*, remunerationem *coràm Domino Deo tuo*. pro iustitia enim obligationem ad faciendum, siuè remunerationem accepi in Baptismo Christi in Euangelijs: Decet nos implere omnem iustitiam. & Roman. 4. & Genes. 13. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, in quibus locis vide. Non dicas ergò, misericordiam, vt hic per Recentiores, quia obstat dictum Pauli. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solùm autèm mihi, &c. Versic. 15. *Ne clamet contrà te ad Dominum*. hoc enim vnum de clamantibus ad Deum. Iac. 5. Versic. 16. *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus*: innocens enim pro nocente non punitur. Exod. 23. vide scripta suprà capit. 5. vbi latissimè dixi: id enim vetitum Iudicibus, at non Deo, quia Deus omnium Dominus. Hinc quàm malè agant Iudices, & Principes barbari, & ignari, occidentes innocentem ad sedandos animos aliquorum, vel populi, ipsi reddent rationem. Vers. 19. *Quandò messueris*. omnia ad pietatem, & eleemosynam, ad quas eos inducit etiàm ex memoria præcedentium eorum necessitatum in Aegypto.

CAPVT

CAPVT XXV.

VERS. 3. *Vt quadragenarium numerum non excedant*. & sic seruatũ in Paulo: quinquiès quadragenas vna minus accepi 2. Cor. 11. 24. Verſ. 4. *Non ligabis os bouis terentis*, &c. hoc Paulus traducit ad miniſtrantes, quibus danda victualia. Verſ. 5. *Sed accipiet eam frater eius*, ſi adſit, aliòqui propinquior, ſi velit, vt ſeruatum fuit in Booz cùm Ruth; & antè legem hoc ſeruatum Gen. 38. at non ſeruatæ cęremoniæ contrà propinquum recuſantem ducere Ruth, quia propinquior, non frater. Verſ. 11. *Apprehenderit verenda eius*, quia id in muliere, non viro, id factum, quia huiuſmodi apprehenſio in muliere ſapit immunditiam, & impudentiam, quæ ceſſant in viro: ſi enim aliæ eſſent cauſæ, etiàm viri comprehenderentur in pœna inciſionis manus. Verſic. 17. *Memento quæ fecerit tibi Amalec*, quod 1. Reg. 15. executum fuit.

CAPVT XXVI.

VERS. 1. *Cumquè intraueris Terram*. apparet ad cęremonialia non fuiſſe obligatos, niſi in Terra promiſſionis. Verſ. 3. *Profiteor*. gratus animus verbo, & re, & hunc volebat Deus. Verſ. 5. *Syrus*, Laban *perſequabatur patrem meum*, Iacob, ità communitèr exponitur: at non placet expoſitio, niſi detur pro cauſa, cur, vrgẽte fame, Iacob non petierit Syriam, puta, quia Laban perſecutus fuit Iacob, is fame preſſus non repetijt Syriam, vbì paſſus erat perſecutiones à Laban: *ſed deſcendit in Aegyptum, &c.* non enìm video ad quid commemoratio malorum Syriæ, quæ diù præceſſerant antè deſcenſum in Aegyptum, in beneficio Dei recolẽdo quòad Hebræos illius temporis hæc dicentes: vndè verſio Hebræa magìs quadrat, vel Septuaginta. Vel refer ad originem Iudæorum in perſecutionibus, quæ cœperunt à Iacob. At non ſtat, quia ab Abraham cœperunt: vndè primus intellectus melior. Verſ. 14. *Non comedi ex eis in luctu meo*, in neceſſitate, *nec ſeparaui ea in qualibet immunditia*, tanto minus vſus ſum illis ad peccatum, *nec expendi ex his quidquam in re funebri*, quod videbatur ratione pietatis aliquo modo licere: quaſi, nequè in neceſſarijs, nequè in illicitis, nequè licitis vſus ſum illis, ſeù diminui, ſed integra fero. Verſ. 15. Reſpice ritum Salomonis in dedicatione templi 3. Reg. 8.

CAPVT XXVII.

VERSIC. 3. *Et poſſis in eis ſcribere omnia verba legis huius*. fortè principalia: non enim crediderim deſcripta omnia, ſed Ioſue 8. videbimus. Verſ. 12. *Supèr montem Garizim*, vbì templum, de quo Samaritana Io. 4. Verſ. 25. *Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam ſanguinis innocentis*, &c. is à Canonibus vocatur aſſaſſinus, vt in c. pro humani. de homi. in 6. quod fortè in hoc fundatur. At in c. pro humani de priuato, hic videtur loqui de Iudice.

CAPVT XXVIII.

VERS. 12. *Fænerabis*, mutuum dabis ex abundantia tua *gentibus multis*. nihil hic de vsura. Vers. 23. *Sit cælum, quòd suprà te est, æneum*, &c. sic ad denotādum cessationem influxus cælorum in Isaia, & Apoc. dicitur plicandum sicùt liber, qui plicatus ad nullum vsum seruit. Vers. 28. *Amentia & cæcitate mentis*. sic videmus cœcos Hebræos palpantes in meridie Euangelij, supèr quos positum velamen. 2. Cor. 3. cæcitas ex parte contigit in Israel. Vers. 53. *Et comedes fructum vteri tui*; sic factum sub Ioram rege 4. Reg. 6. & tempore Titi. idem vers. 68. de venditione captiuorum in Aegypto sub eodem, vt per Iosephum. Vers. 59. *Et plagas seminis tui*, quia ego sum Deus visitans iniquitatem patrum in tertiā, & quartam generationem his, qui oderunt me, vt aliàs dixi.

CAPVT XXIX.

VERS. 2. *Vocauit*, &c. vocare fecit, & congregauit in vnum non quòd ad alia diuertissent. Vers. 4 *Et nō dedit vobis Dominus cor intelligēs*, &c. quasi, hæc omnia mirabilia adhùc non benè considerastis, & perpendistis: ideò infrà vers. 9. *vt intelligatis vniuersa quæ facitis*. Vide hic Teodoret. quomodò Deus moueat corda nostra, & inducat Vers. 6. *Panem*, &c. *vt sciretis quia ego sum Dominus Deus vester*, qui alia quacunque re vos paui, iuxtà illud: non in solo pane viuit homo, &c. Vers. 17. De idòlis, de quibus ferè sempèr, vt magis ea abominentur. Vers. 19 *Et absumat ebria*, praua sitientem auidam cultus Dei. Vers. 23. *Salis ardore*. sic Achimelech in agro Sichem. Iudi. 9. 45. *in exemplum*, &c. eccè quomodò quattuor tantùm ciuitates arsæ, non quinque: salua enim Segor ad preces Lot. Gen. 19. Vers. 24. *Quare sic fecit Dominus*, &c. sic & de Babylone. Apoc. 18. Vers. 29. *Abscondita Domino Deo nostro: quæ manifesta sunt nobis*, &c. secreta Dei nobis reuelata; sic Psal. 50. Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi; hoc enim maximum beneficium, vt ex absconditis futuris moueamur, vt faciamus Dei voluntatem, & de futuris loquitur, non de peccatis præteritis, quæ non diceret abscondita, seù secreta Dei, cùm ea & alijs innotescant.

CAPVT XXX.

VERS. 9. *Vt gaudeat*, &c. more hominum loquitur; sic gaudium est in cælo supèr vno peccatore pœnitentiam agente, &c. Vers. 10. *Si tamèn audieris*, &c. sempèr hæc conditio apponitur, repetit vers. 17. Vers. 11. cùm seq. docet quàm facilis sit obseruantia mandatorum, & hac vsus Paulus Rom. 10. 6. hic non intelligit de captiuitate præsenti, quia tùnc in fine mundi tantùm conuertentur, & tùnc non succedent sequentia. Vers. 19. *Et semen tuum*. quia illud Deus punit, vel præmiat iuxtà bonitatem, vel malitiam patrum. Vers. 20. *Ipse est enim vita tua*. sic Io. 1. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. sic: in ipso viuimus, mouemur, & sumus: ego sum via, veritas, & vita.

CAPVT XXXI.

VERS. 2. *Non possum vltrà egredi & ingredi* operari. Vers. 3. *Et Iosue iste transibit antè te*. non ergò de Iosue, de quo clarè hic, obscurè cap. 18. in vers. Prophetam, &c. Vers. 7. *Confortare, & esto robustus, &c.* implet quod ei iusserat Deus de Iosue, vt daret illi de gloria sua. Vers. 14. *Voca Iosue*, &c. hoc fecit, vt redderet eum populo amabilem, & admirabilem. Vers. 16. Prædicit Deus idololatriam populi, & mala ex ea euentura. Vers. 17. *Abscondam faciem meam ab eo*. eccè quomodò Deus nouerit corda. Vers. 19. *Nùnc itaquè scribite*. hoc fecit Deus, vt eò magis auerterentur à malo, & idololatria. Vers. 20. *Introducam*, &c. Deus nequè ex malitia nostra futura, vt hìc, sed nequè præterita à suis promissionibus deficit. Rom. 3. Vers. 23. Loquitur Deus cùm Iosue, ad illum firmandum, stabiliendum. *Et ego ero tecum*. sic cùm Apostolis Christus: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsquè ad consummationem sæculi, & sìc dicendo Deus contulit quod dicebat: dixit, & facta sunt, nō hoc possunt homines eligentes, sed solus Deus, & apparet infrà c. 34. 9. in Iosue repleto spiritu Dei, & in Saule electo Rege. Vers. 26. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini*. intellige extrà arcam à latere, non intrà, quia in ea tabulæ, virga Aaron, & manna conseruabantur. Hebr. 9. Vers. 27. *Sempèr contentiosè egistis*. & Steph. Act. 7. vos sempèr Spiritui Sancto resistitis. Vers. 30. *Audiente vniuerso cœtu Israel*. intellige ad quem vox perueniebat, non quòd ex miraculo ad omnes peruenerit: miracula enìm non sunt præsupponenda.

CAPVT XXXII.

VERS. 1. *Audite cœli*, &c. sìc & Dauid similia 1. Paral. 28. de Domino audiēte, vbì Abulen. q. 25. sìc & Isai. c. 1. Vers. 4. *Dei perfecta sunt opera*. quæ non possunt cauillari, *& omnes viæ eius iudicia*, iustæ viæ eius: *Deus fidelis*, obseruans. Rom. 3. Vers. 5. *Peccauerunt ei*, Deo; sed qui? *& tùnc non filij eius in sordibus* idolorum: ideoquè *generatio praua est, atquè peruersa*. sordes idola suprà cap. 29. 17. Vers. 5. *Memento dierum antiquorum, &c.* quia prædixerat: *nonnè ipse est pater tuus qui possedit te, & fecit, & creauit te?* hæc omnia synonima: nàm & possidere idem quod facere, seù generare; vndè Genes. 4. Eua: possedi hominem per Deum, vt probet hanc antiquam protectionem, dicit, quandò separabat regiones hominibus, disposuisse de Terra promissionis eis danda vers. 8. *constituit terminos* fines *populorū* habitantium in Terra promissionis *iuxtà numerū filiorum Israel* in eā introducendorum, ne ipsi ex angustia regionis paterentur: nequè hoc mirum. *Pars autèm*, pro, enìm *Domini populus eius: Iacob funiculus*, mensura *hæreditatis eius*. Vers. 10. *Inuenit eum in terra deserta*, &c. in deserto enim stabilita sunt pacta, & receptus est in populum Dei, in Sinai vt in Exodo. Vers. 14. *Cùm adipe agnorum*, &c. ergò adeps comedebatur, aliòqui hìc non apponeretur. Vers. 15. *Incrassatus est dilectus* ille, quem dilexit, & infrà c. 33. vers. 3. in prosperitate, & qui maiora recepit beneficia, *dereliquit Deum*: ideò cauendum in prosperitatibus. Pincerna oblitus Ioseph in prosperitate. Gen. 40. Vers. 20: *Abscondam faciem meam ab eis*, protectionem meam subtraham. Vers. 21. *Ipsi me prouocauerunt, &c.* hoc dicto vtitur Paulus Ro. 10. 19. hoc enim maximè eos corrodit, videntes gentes eis præferri. Vers. 22. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit vsq. ad inferni nouissima*. Credo hìc agere de maxima vastatione terræ, in qua degent, cùm subiecta pòst hæc verba ad idem tendant: vult

vult enim dicere, omnia etiam subtùs terram penetrabo, nihil sanum derelinquam. Vndè non credo hic agere de igne infernali propriè, vel conflagratorio mundi, quia non erat differenda horum pœna ad ignem conflagratoriũ totius mundi: hùc tendũt auium deuoratio, de qua Apoc. 19. & in Isaia immissio bestiarum, quod successit. 4. Reg. 17. 25. Vers. 28. *Gens absquè consilio est*, &c. hinc video illam casuram; at vers. 29. *Vtinam saperent*, ipsi, non hostes: hìc enim nihil de hostibus: *& nouissima*, futura *prouiderent*, quia non sic errarent. Sed quæ nouissima mala? *Quomodò* (vers. 30.) *persequatur*, persequuturus sit (& hoc in eorum perniciem, & pœnam idololatriæ) *vnus* hostis *mille* ipsorum, *& duo fugent decem millia? nonnè ideò, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?* ita permittet eos diripi, & malè tractari, vt tùnc saltèm his pressi reuertantur. *Non enim* (vers. 31.) *est Deus noster vt dij eorum* impotens ad peccata punienda: *& inimici nostri*, qui manum suam potentem supèr se senserunt. *sunt iudices*, facto experti, & experituri. *De vinea Sodomorum* (vers. 32.) *vinea eorum* in amaritudinem conuersa, vt dicunt Prophetæ, *& de suburbanis Gomorrhæ*, nullius fructus: venit enim Dominus, & nullum fructum recipere potuit, vt Christus dixit in parabola; ad idem tendunt quæ sequuntur: *Vua eorum*, &c. vsquè ad vers. 34. Et quia poterant dicere more illorum: Peccauimus, & quid nobis triste accidit? Deus oblitus est, subdit versic. 34. *Nonnè hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* quasi indelebilia? *Mea est vltio* (vers. 35.) peccauerunt ipsi, fecerũt quod eis placuit, at ego vlciscar, mea est vindicta. *& ego retribuam in tempore* differo expectans ad pœnitentiam, sed tandèm retribuam in tempore opportuno, mihi beneplacito, *vt*, ità vt *labatur pes eorum*, cadant penitùs, & ne putetis me longiùs dilaturum: *iuxtà est dies perditionis vestræ, & adesse festinant tempora*, instant, & mille anni antè Deum tanquàm dies hesterna, quæ præterijt: & suprà cap. 7. 10. reddens odientibus se statim, ità vt disperdat eos, & vltrà non differat, protinùs eis restituens, quod merentur: hìnc Deo vindicta remittenda, non tamèn deprecanda, vt dixi ad Roman. in Epist. Pauli: *Iudicabit* (vers. 36.) puniet *Dominus populum suum. & in seruis suis* ad eum redeuntibus pòst flagella, quibus tribuetur intellectus, *miserebitur*, flectetur; sìc multi in obsidione Ierusalem salui, quibus data significatio: *videbit* enim *quòd infirmata sit*, defecerit, *manus*, potentia, voluntas eorum ad malum ex præcedentibus plagis, *& clausi quoquè defecerũt*, vt solent intrà ciuitates obsessi, *residuiquè consumpti sunt*, quasi, ad nihilum iàm redacti. *Et dicet* tùnc: (versic. 37.) *Vbì sunt dij eorum*, idòla, *in quibus habebant fiduciam? De quorum* (versic. 38.) *victimis comedebant adipes*, pinguia, non quòd prohiberentur adipes comedere extrà sacrificia, vt aliàs tenui. *& bibebant vinum libaminum* ad sacrificia, idòlothita hæc. *Leuabo* (vers. 40.) *ad cælum manum meam, & dicam* iurans: *Viuo ego in æternum*; sic Ierem. 51. 14. cœtera clara. Vers. 43. Rediens ad tempus, quo populi miserebitur, dicit: At ò Gentes, ne insurgatis ex his, quæ dixi, & acturus sum contrà populum meum: sed, *Laudate*, benefacite *gẽtes populum eius, quia* tandèm pòst eius pœnitentiam *sanguinem seruorum suorum* per vos fusum *vlciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum*, qui persecuti sunt eos. Apoc. 6. 17. 18. 19. *& propitius*, placabilis *erit terræ populi sui* dilecti, & sìc pœnas dabitis malorum in eum patratorũ, sic Iob. 13. 16. Iere. 25. 12. & 51. 24. 49. Vers. 51. *Præuaricati estis, & non sanctificastis me.* eccè peccatum commune, pœna æqualis, aliàs hæc obseruaui.

CAPVT.

CAPVT XXXIII.

HAEC *est benedictio, qua benedixit Moyses* mox moriturus, *homo Dei*, Deo gratus: quasi, cui credendum, & fidendum: sic Io.1.homo missus à Deo. *filijs Israel antè mortem suam* tùnc propinquam. *Et ait: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan*; sic Abac.3.3. Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan. & Iudi. 5. nominat & hos montes contiguos Sinai; non autèm quia in singulis aliquod beneficium impartitus sit Deus: ideò subdit *& cùm eo sanctorum millia*, qui ei astant, quasi, in maiestate, qui non apparuerunt nisi in datione legis, non in serpente æneo, non in coturnicibus: hinc plures angeli in danda lege: ideò dicitur data per angelos in manu mediatoris. *In dextera* manu *eius ignea lex*, quia ardebat mons: quasi non est angelorum astantium, & promulgantium, sed ab ipso emanans, & condita. *Dilexit populos*, plebem Israeliticam, dando eis legem præ alijs: charitate enim perpetua dilexit illum. Ierem.31.13. & suprà c. 32. incrassatus est dilectus; & hæc magna bonitas Dei: at nedum hos diligit, sed & *omnes sancti in manu illius sunt*, tuti ab alijs sub protectione sua viuūt, nemo eis nocere potest. *& qui appropinquant pedibus eius*, sequuntur eius vestigia, *accipient de doctrina eius*, illustrabuntur a Deo ad intelligendum eius iudicium, legem. *Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Iacob*, ab omnibus seruandam. *Erit* lex ista *apud rectissimum* obseruantem illam *rex*: quasi rex gubernans illum, & ducens, *congregatis principibus populi cùm tribubus Israel*, quandò bello eiectis hostibus in Terra promissionis, populus in suis ciuitatibus pacificus viuet. *Viuat Ruben & non moriatur*; id meruerat Ruben filius Iacob, concumbens cùm nouerca Bala. Gen. 35.22.1. Paralip.5.1.Gen.49. at non tribus, & ab eo descendentes: tamèn ob illius peccatum, *& sit paruus in numero*, & Gen. 49.4. effusùs es sicùt aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. hinc & Principatus illi vti primogenito debitus, translatus in Iudam, primogenita in Ioseph. Gen.49.1. Paralip. 5. 1. & quia credendum Moysen se conformasse cùm Iacob, non placet repetitio negatiuæ sic, *&*, non *sit paruus in numero*: potiùs enim destruit dictum.

At cur omittit benedictionem Simeon? dicunt quia hæc tribus fornicata fuerat cùm Madianitis, & punita, non placet, nec concludit, nec habet rationem meo iudicio, incertum dicas. Hinc argue. sicùt ex omissione tribus Simeon facta à Moyse non dicimus ex ea oriturum Antichristum, ità neque videtur dici posse oriturum ex Dan, omissa à Ioanne in Apocalypsi.

At pro causa omissionis factæ à Moyse de tribu Simeon dicerem hoc esse: quia tribubus Simeon & Leui Iacob multa mala imprecatus est, & nihil boni: vndè cùm omnia mala iterum in eam essent coaceruanda, elegit potiùs silentium Moyses, quàm de illa mala antiqua rememorari. Hinc est quòd etsi eadem mala dixerit Iacob de Leui vnà cùm Simeon, tamèn explicat se cur id faciat, nempè, quia ex actu bono se à primis maledictionibus extraxerat, quod non potuit dicere de Simeon, qui vsquè ad extrema tempora etiàm cùm Madianitis fornicata est, & pœnas dedit.

Hæc est Iudæ benedictio. in qua de illius regno, & superioritate in alios agitur: iàm Iacob prædixerat regnum hoc in tribu Iuda stabiliendum. Gen.49. 8. Iuda te laudabunt fratres tui ob egregia opera tua: ad laudem enim aliorum his mouemur. Sed quæ illa opera? manus tua, potentia tua, in ceruicibus inimicorum tuorum, proptèr quòd adorabunt te venerabundi filij patris tui, aliæ tribus: antè reges enim solebant procliues, & adorabundi stare, & adhùc permanens in illius fortitudine, dicit: Catulus Leonis Iuda, fortissimus 1. Paralip. 5. 2. ad prædam rapiendam fili mi carissime ascendisti: requiescens accubuisti vt Leo, & quasi leæna, à qui-

à quibus præda non poteſt eripi: ideò ſubdit: quis ſuſcitabit eum? quis illi erit moleſtus? quis tentabit prædam ab illo auferre? vndè nedum prædicit illius victorias, ſed illarum firmitatem, & durationem, quam eò magis declarat ſubdens. NON AVFERETVR SCEPTRVM de Iuda, & dux de fœmore eius, donèc veniat qui mittendus eſt, Meſſias, durabit imperium illius vſquè ad aduentum Meſſiæ, hucuſquè de Iuda; nàm quæ ſequuntur, ad Meſſiam ſpectant, vt ibì dixi, explicans quomodò vſquè ad Meſſiam peruenerit regnum Iudæ; ſed ad Moyſen. Cùm ergò Iacob sìc de Iuda prædixiſſet, quia etiam in promiſsis Deus vult rogari, proùt in miſsione Meſsiæ: ideò præſupponens Moyſes Iudam rogaturum, vt eueniret quod Iacob prædixerat: vel docens eum vt ad preces confugeret, dicit: *Audi Domine vocem Iudæ* pro regno, *& ad populum ſuum introduc eum* vti regem, & dominantem: ſequetur enim attenta eius fortitudine. *manus* potentia *eius* sìc alijs prælati *pugnabunt pro eo* populo, *& adiutor illius contrà aduerſarios eius erit* qui de facili deſtruentur: ſtat ergo Moyſes in eadem Prophetia Iacob. Ex his excluditur quòd orationes eſſent futuræ pro inimicis debellandis, vel Terra promiſſionis capienda: tùm quia non eſſent conformes Prophetiæ Iacob: tùm quia præſupponit Moyſes id illum facturum: tùm quia hæ præces cõmunes omnibus, at hìc de particulari Iudæ. Vel quòd orationes ſint de Meſsia mittẽdo, quia id cõmune omnibus tribubus, & quia de Meſsia ſubdit Iacob in alia clauſula, & etiàm agitur de tribu illa, nõ de alio.

Excluditur quòd hìc agatur de orationibus Dauid, & Salomonis pro victorijs, quia illi iàm reges, & hìc de regno adipiſcendo. Non dicas: *introduc eum ad populum ſuum*, id eſt ad limbum, vt Lyranus, quia abſonus eſt intellectus, cùm agatur de quærendis in mundo, non pòſt mortem.

Leui quoquè ait: Perfectio tua, & doctrina tua, quibus homines & perfectos, & doctos reddis, *viro ſancto tuo*, Moyſi de hac tribu, quam tibi ſegregaſti, infuſæ, conceſſæ: vndè recognoſcit beneficium à Deo, ipſiquè omnia refert. *quem* virum *probaſti in tentatione*, in multis periculis, ſicut Deus tentauit Abraham Gen. 22. *Et iudicaſti*, condemnaſti *ad Aquas contradictionis*. in te non credentem, & te non ſanctificantem coràm filijs Iſrael: hinc cognoſce ſi tùnc peccauit Moyſes, an non, vt ſæpè aduerti. Videtur melior interpretatio omnia ad Deum referri, quàm verba prima ad tribum Leui, ſcilicèt *perfectio & doctrina tua*; &c. ſequentia, *quem probaſti*, &c. ad Deum. Non credo hìc agere de Aarone, quia de illo mortuo non diceret condemnationem, vltrà quòd Moyſes, non Aaron, in tentationibus probatus. Præterea, *perfectio, & doctrina* quatenus ad legem, potius ad Moyſen, quàm ad Aaron referenda. *Qui* Moyſes, ſed vna tota tribus Leui, *dixit patri ſuo, & matri ſuæ* idolòlatrantibus in vitulo aureo, quibus præpoſuit Deum: *Neſcio vos; & fratribus ſuis: Ignoro vos*, imò quod plus eſt: *& neſcierunt filios ſuos* adeò zelati ſunt honorẽ Domini. Exod. 32. *Hi, ò Domine, cuſtodierunt eloquium tuum*, præceptum tuum in occidendo idolòlatras, *& pactum tuum*, quo pacti ſunt ſempèr futurum tuum populum, tibiquè adhæſurum. *ſeruauerunt*. Vel idem eloquium, quod pactum quia lex per modum pacti data, Exod. 24. 8. *ſeruauerunt*, inquam, *iudicia tua ò Iacob, & legem tuam ò Iſrael*, hæc tibi à Deo ad ſeruãdum data vel omnia in idem recidunt. *ponent thymiama in furore tuo* ad puniendum Domine, innuit quando Aaron cùm thuribulo ſaluauit populum. Num. 16. *& holocauſtum ſupèr altare tuum* ad te placandum: ad hoc enim initiati ſunt.

Benedic Domine fortitudini eius, illam amplia, & maiorem redde benedictione tua, *& opera manuum illius ſuſcipe*, ſint tibi grata. *Percute dorſa inimicorum eius*, fac eos victores, *& qui oderunt eum, non conſurgant*. deijciantur: hinc quod & Leuitæ bellabant, vt alibì dixi, rogat vt exaltentur, vel prædicit exaltandos, & à Leuitis trahe ad Eccleſiam, & Eccleſiaſticas perſonas cõtrà Tyrannos, ſeù alios eos conculcantes. Conſidera ex prædictis diuerſitatem Prophetiæ huius ab illa Iacob ob ea, quæ poſteà contigerunt hìc à Moyſe dicta. Quia dicitur hìc: *qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos*. quæritur an occiderint etiàm patres idolòlatras Exod. 32. Abulen. tenet dici hoc

de

de patre, & matre per hyperbolem. At credo verè dici, & propriè: non enim est hic locus pro hyperbole, cùm dicat Moyses factum horum; & si nescierunt filios suos, vti hìc, & Exod. 32. 27. cur ad hyperbolem confugiendum, cùm agitur de parentibus, cùm amor feratur magis in filios, quàm in parentes? & quòad obseruantiam debitam parentibus habuerunt præceptum Domini: nàm Exod. 32. 27. dicit Moyses: Hæc dicit Dominus Deus Israel, &c.

Et Beniamin ait: *Amantissimus Domini*, dilectus Domini, quia primus rex Saul ex hac tribu, & si non peccasset, regnum in ea permansisset, 1. Reg. 13. & templum in eius sorte *habitabit confidentèr in eo*, in quo sperabit: *quasi in thalamo tota die morabitur*; hoc dictum, quia in eius sorte ædificatum templum; *& intèr humeros illius requiescet* tutus, intèr humeros stare dicitur, qui in medio stat, in medio stare, qui tutus. sìc vidua illa: in medio populi mei habito, 4. Reg. 4. 13. tuta, non indigens auxilio, Vel *intèr humeros*, id est, intèr fortitudines Dei: in humeris enim, seù brachijs fortitudo. Vel prædicit eum fortem futurum, quod apparuit, cùm pugnauit solus contrà vndecim tribus. Iudi. 20. ad quam fortitudinem respexit Iacob. Gen. 49. dicens: Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia, & iuxtà translationem nostram meliùs ad Beniamin referuntur verba, *& intèr humeros eius requiescet*, quàm ad Deum, quia superiora sempèr ad Beniamin: vndè præsumitur continuare in eodem. At ne mireris, si in hac, & alijs esset varietas in Iacob, & Moyse, quia non vni Prophetæ omnia, diuidit spiritus illustrationes cui vult, & proùt vult.

Ioseph quoquè ait: De benedictione Domini, quæ abundare facit, *terra eius* erit, & sic de singulis, quæ ad eandem abundantiam spectant. sic Isaac benedicens filijs Gen. 27. 28. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & olei, &c. & 39. in pinguedine terræ, & in rore cæli desupèr erit benedictio tua: in benedictione Iacob pro Ioseph de eadem abundantia Genes. 49. filius accrescens Ioseph. vers. 22. Deus, &c. benedicet tibi benedictionibus cæli desupèr, benedictionibus abyssi iacentis deorsùm, benedictionibus vberum, & vuluæ. Dùm dicit hic Moyses: *de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum*, quæ duo idem important, referendum videtur ad eandem abundantiam proùt superiora, & inferiora verba de eadem tractantia, etsi in benedictione Iacob Gen. 49. 26. verba, donèc veniret desiderium collium æternorum, ad aliud referantur, vt ibì dixi; ex hac locutione innuit Moyses, in prima creatione fructus fuisse delicatiores. *Benedictio illius. qui apparuit in rubo, veniat supèr caput Ioseph, & supèr verticem*, idem quod caput, supèr personam *Nazaræi* pulchri, separati *intèr fratres suos. Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius*; sic Iacob: & decorus aspectu: filiæ discurrerunt supèr murum, ad illum inuisendum. *cornua rhinocerotis cornua*, potentia, fortitudo *illius: in ipsis ventilabit*, vincet, debellabit *Gentes vsquè ad terminos terræ* sibi debitæ in sortē. *hæ sunt fortitudines Ephraim, & hæc millia* benedictionum, & prosperitatum *Manasse* filiorum Ioseph. Aliqui attribuunt, quia Ieroboam tribus Ephraim, & successores regnarunt diù supèr decem tribus Israel: & Iosue, qui Terram promissionis obtinuit. Sed cur dicit: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo?* Credo, quia tùnc Dominus dixit se Deum Abraham, Isaac, & Iacob, & à Iacob habuerat Ioseph benedictiones suprà alios: ideò Moyses meminit illius apparitionis, & hæc videtur melior alijs per alios adductis, per Caietanum de Ahia, per Abulensem de benedictione Angeli.

Et Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, in vijs, portubus, negocijs ob merces comparandas, *& Issachar in tabernaculis tuis*. Populos vocabunt ad montem Domini, ad templum; Zabulon ob merces, Issachar ob abundantiam frumenti, & olei, quæ gentes empturæ venient, & adorabunt: qui populi *ibì immolabunt victimas iustitiæ* debitas Domino; sic Psal. 50. Tùnc acceptabis sacrificium iustitiæ: Domino enìm omnis cultus debetur. *Qui inundationem maris quasi lac sugent* Zabulonitæ, qui in mercibus lucrabuntur, *& thesauros absconditos arenarum*, Issacharitæ agriculturæ dediti; & iuxtà

hæc

hæc sic de his duobus Iacob. Gen. 49. Vide Isa. cap. 9.

Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad, in portione lata possessionis, quæ sibi obuenit: *quasi Leo* præda onustus iàm *requieuit* in sorte sua, quæ obtigit ei cis Iordanem, *cepitquè brachium, & verticem*, omnia fortia, vt Leo dilacerans belluas alias. *Et vidit*, videbit *principatum suum* in hoc, in quo alijs præualet, *quòd in parte*, portione, regione *sua doctor* Moyses *esset repositus* in sepulchro incognito. *qui* Gad *fuit*, erit *cùm principibus populi* accinctus, *& fecit*, executus est *iustitiam Domini* iustè in gentes sœuientis, *& iudicium suum*, pactum *cùm Israel*, quo fuit assistendi cùm eo in prœlio, donèc potirentur Terra promissa; sic de Gad accincto Iacob. Gen. 49.

Dan quoquè ait: Dan catulus fortissimus *Leonis*, innuens ad Sampsonem, *fluet largitèr de Basan*, innuens ad Iordanem, de fortitudine Dan, & Iacob. Gen. 49.

Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: repetit quod dixerat per diuersa: *mare, & meridiem possidebit.* dicit situm fortis ei obuenturæ: hæc benedictio cùm illa Iacob non conformat, sed est ab illa diuersa, non contraria.

Aser quoquè ait: Benedictus, multiplicabitur *in filijs*, in progenie *Aser, sit placens*, placebit *fratribus suis* Israelitis, *& tingat*, tinget *in oleo pedem suum*, abundabit oleo; sic Iob. 29. 6. lauabam pedes meos butyro. & Gen. 49. 11. lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Sed abundantia ab oleo potest transferri ad omnia, quia Iacob Gen. 49. 20. dicit: Aser, pinguis panis eius: sub pane enim omnia veniunt in Scriptura ad conuiuium spectantia, & præbebit delicias regibus, ità vt etiàm regibus, quibus nihil deest, delicias sit præbiturus. *Ferrum, & æs calceamentum eius*, ad abundantiam horum significandam: quasi, sicùt de oleo, sic de ferro, & ære abundabit, vt illis indui possit; vel pedibus illa calcabit. *Sicùt dies iuuentutis tuæ* floridi, *ità & senectus tua* florida erit, non deficies, prout Moyses, & Caleb. *Non est Deus alius* similis *vt Deus rectissimi* populi Israel, vel, *vt Deus* rectus, iustus: *ascensor cæli auxiliator tuus:* quasi, nullus contrà te poterit: quis enim Deus sicùt Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra? *Magnificentia eius discurrunt nubes:* quasi, si nubibus dominatur, sub quorum typo protectio expandit nubem in protectionem eorum, proteget te vtiquè; *habitaculum eius sursùm*, nedùm *ascensor cæli*, sed habitator, *& subtèr*, inferiùs *brachia sempiterna*, potentia indeficiens: propterea poterit tibi adesse, munieris ab eo: *ejciet* sua potentia *à facie tua*, à te *inimicum*, omnes inimicos tuos, *dicetquè*, illi iubebit: *Conterere*, euanesce, & fiet, quia dixit, & facta sunt. *Habitabit Israel confidentèr*, tutò in Terra promissionis, *& solus*, absquè mistura populorum, vel etiàm si solus, quia Deus potens cùm illo. *Oculus Iacob*, viuacitas, quæ ex oculis manifestatur, vt dixi Gen. 49. in Iuda, seù lætitia: quasi, lætus viuet Iacob *in terra frumenti* & vini ebria, abundanti, *cæliq. caligabunt rore*, adeò rore terra implebitur, vt cæli caligare, obscuri fieri videantur, proùt videntur, dùm niuis descēdit. *Beatus es tu Israel*, sic, beatū dixerunt populū, cui hæc sunt (repetit) beatus populus, cuius Dominus Deus eius. *quis similis tui popule, qui saluaris à Domino* omnipotente, cui nullus valet resistere? Non est alia natio tàm grandis, quæ habeat deos appropinquātes sibi, sicùt Deus noster adest nobis. *scutum*, qui Dominus scutum est *auxilij tui* in te defendendo, *& gladius gloriæ tuæ* in inimicos tuos prosternendo: *negabunt te inimici tui*, nolentes subijci, sudabis in illis subdendis, *&* tandèm *tu eorum colla calcabis* victor, subijcies eos, dominaberis eorum. De benedictionibus his, & Iacob Gen. 49. vide Masium, Iosue 19.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

ASCENDIT ergò *Moyses*, Deo obediens sic iubenti, *ostenditquè ei omnem terram*, quod Deo possibile fuit: hinc infrà *vidisti eam oculis tuis*. *Hæc est terra, pro qua iuraui Abraham*, &c. quasi, adimpleo quod promisi. *Mortuusquè est ibi Moyses*, vanè ergò dicitur raptus, vel venturus contrà Antichristum, cùm Enoch, & Elias tantùm venturi, vt pluribus in locis dixi, & præsertim Apoc. 11. & fortè resurrexit, quandò multa corpora Sanctorum pòst Christi resurrectionem surrexerunt, non antè, quia Christus primogenitus mortuorum. *iubente Domino*: in ipso enim sortes, & tempora nostra: *& sepeliuit eum* Dominus ministerio Angelorum, illum transferens, non ipse sepeliuit se ipsum, vel homines, nàm subditur, *& non cognouit homo sepulchrum eius vsquè in præsentē diem*, ne adoraretur à Iudæis, vt in Epist. Iudæ dictū in altercatione Michaelis cum diabolo supèr Moysi corpore. Non placet causa, quia diabolus adorabat in Phogor: ideò nolebat ibì corpus Moysis; quia non adorabatur in valle, vbi Moyses sepultus, sed in monte. Secundò, quia sicùt ignotum sepulchrum hominibus, sic & dæmonibus, aliòqui reuelaturis hominibus, inducturisquè illos ad adorationē: hæc causa refertur hic per recentiores à Serrario inuenta.

Causa Oecumenij altercationis, quia dicebat diabolus non conuenire sepulchrum occisori Aegypti, videtur fabula: nàm pòst illius occisionem, quæ fecerat Moyses magna mirabilia Deo grata? *Moyses centum & viginti annorum erat, &c. non caligauit, &c.* sic enim requirebatur in Duce per desertum ducturo tantam multitudinem; & si in multitudine non fuit infirmus, id desiderabilius in capite; sic Apostoli prædicaturi, & mundum lustraturi infirmitatibus corporalibus non fuerunt pressi. Non credo autèm illi mortuo remansisse splendorem vultus: tùm quia diuinare est: tùm quia, sicùt fit mētio horū hìc, sic fieret & huius splēdoris. *Fleueruntq; eum*, funus fecerunt *filij Israel*, &c. *Iosue verò filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit supèr eum manus suas*, iubente Domino, vt daret illi partem gloriæ, scilicèt quia Moyses ex signo declarauit eum Ducem populi, & tùnc repletus spiritu, non pòst 30. dies luctus, vel hìc executio in susceptione ducatus pòst obitum Moysis, *& non surrexit vltrà Propheta, &c.* sic de Ioanne Baptista Christus: intèr natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.

LIBRI DEVTERONOMII FINIS.

IN IOSVE

CAPVT PRIMVM.

ET (idioma Hebræum) & magis placet hìc, quàm alius intellectus, *factum est*, successit *pòst mortem Moysi serui Domini, vt loqueretur Dominus* per Angelum in somnis non interrogatus, vltrò, quia nihil de interrogatione, quæ diceretur, & quia verba ipsa sonant Dei locutionem vltroneam nulla præcedente interrogatione, & cùm aliud non habeamus, illi standum, *ad Iosue filium Nun, ministrum Moysi*, iàm illi subrogatum Ducem populi, *& diceret ei*, ad illum confirmandũ, & stabiliendũ: præuenit Dominus, ostendens vigilantiam suam magnam supèr populum suum; vndè credo verisimilius hæc locutum Dominum ad Iosue illicò pòst mortem Moysis, vt habent verba textus, & non pòst triginta dies luctus: nàm alioqui & Dux, & populus incerti fuissent per triginta dies quid eis agendum, & non est credendum eos in hac angustia per dictum tempus dimissos. At posteà executio dilata pòst luctum, qui præcedere debuit: *Moyses seruus meus*, in obsequendo mihi, & præceptis meis obediendo, & honorem meum zelando, fidelis in omni domo Dei Heb. 3. 2. fidelissimus. Num. 12. 7. *mortuus est*, vt vidisti: si pòst mortem Deus vocat Moysen seruum suum, non ergò is damnatus; sed quomodò damnatus is, cui ea tantùm pœna adiudicata, vt non intraret in Terram promissionis? nõ enìm iudicat Deus bis id idipsũ. Et huic loco est conformis Eccl. 45. & Malach. 4. sed certam rem reddunt omnia, quæ pòst contradictionem ad aquas intèr Deum & Moysen consecuta sunt vsquè ad mortem, & vltimò is titulus *seruus meus mortuus est*, qui deindè astitit Transfigurationi. *Surge*, accingere, para; *& transi Iordanem istum* in verbo meo, qui ità iubeo, *tu* Dux, *& omnis populus tecum, in Terram, quam ego dabo*, mea potentia, *filijs Israel*, descendentibus à Iacob dicto Israel, sicùt iuraui Patribus eorum: completæ igitùr tùnc erant iniquitates Amorrhæorum Gen. 15. & nùnc decerno: *Omnem locum, quem calcauerit vestigium pedis vestri*, ab habitatoribus nùnc tentum, *vobis tradam* possidendum perpetuò, *sicùt locutus sum Moysi* vltimò: ideò de illo tantùm mentio: sed primò, Abraham, Isaac, Iacob. At terminat quod indefinitè dixerat. *A deserto, &c. erit terminus vester*; sìc & Deut. 11. Hinc malè Hebræi antiqui censuerunt, & censent eorum recentiores, datum illis occupare totum mundum, idquè futurum tempore Messiæ, quem vanè cœci expectant; hoc enìm intelligendum de regno spirituali Messiæ, non eorum temporali, quod non egreditur fines præscriptos. At verò Terram promissam in hæreditatem, datam possidendam à populo Israel, eis diuidendam, eiectis antiquis habitatoribus, clamat omnis scriptura, & præsertìm hoc capit. versicul. 6. *tu enim sorte diuides populo huic terram*. Et quamuis secùs in his euenerit, peccatis populi imputandum, cui (si obediret) hæc sìc danda, vel intelligenda promissio iuxtà euentum. Antichristo dabitur dominium totius mundi, quia subditos sibi faciet decem reges occupaturos Imperium Romanum. Daniel. 7. Apocalips. 17. & sìc decipiuntur cœci Hebræi. Putant aliqui terram hanc Abrahæ promissam, & populo Hebræo datam, eo quòd fuerit pos-

possessa à filijs Sem, qui eiecti à Chananæis, & Abraham esset de stirpe Sem. At hæc ratio non placet, quia Deus illam promittens fundat se non in hoc, sed in iniquitatibus Chananæorum Genes. 15. & habemus maledictionem Chanaan factam à Noe Genes. 9. 25. qua innuitur Chanaan priuandum, seù diminuendum, quia proùt benedictio abundantiam, ità maledictio priuationem; hincquè dicendum terram Chanaan fuisse populi eiecti hæreditariam. Et Deus iubet Abrahæ exire de domo, & regione propria in terram ei demonstrandam, quæ verba non sunt ducturi ad ea, in quibus ius aliquod prætenderet, vel maiorum esset. Et si fuisset data à Deo ex eo, quòd aliquandò fuisset descendentium Sem, non gratuitò, sed ex iustitia videretur eis data, quod repugnat toti Scripturæ, & verbis Dei dicentis dare illam ex se, & ipsum esse, qui mutat regna, & gentes. Ex his perpende misericordiam, & benignitatem Dei; nàm etsi Chanaan maledictus, & reprobatus, tamèn dedit ei terram melle, & lacte manantem, vt ad frugem bonam ipse, & posteri ducerētur, & tandèm (completis iniquitatibus) populo electo illam concessit. *Nullus* aduersariorum, seù incolarum *poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ suæ*, hoc erit tibi præcipuum: quis enìm contrà Dominum? ideò subdit: *sicùt fui cùm Moyse* in omnibus prodigijs, portentis, alijsquè negocijs, illum magnificans, & protegens, *ità ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te*, quod affirmatiuè dixit, negando firmat. Hæc, quæ loquūtur de hostibus externis, non possunt extendi ex vi verborum ad contumaciam, vel rebellionem populi, vt per Masium, eò magis quia omnia sunt ad Iosue, & populum ibì, *vobis. Confortare, & esto robustus*, & sic dicendo, illum talem reddit, quia dicere Dei est facere: *tu enìm* debellabis gentes, & hoc præstito, *sorte diuides populo huic Terram, pro qua iuraui patribus suis*, Abraham, Isaac, Iacob. *vt traderem eam illis* in semine eorū. *Confortare igitur, & esto robustus valdè, etc.* Vers. 8. *Non recedet volumen legis huius ab ore tuo.* sìc erat dictum, vt principes præ manibus illud haberent. Deuter. 17. & incipit Deus à primo Iosue, & seruauit Iosias. Vers. 11. *Præparate vobis cibaria: quoniàm pòst diem tertium transibitis Iordanem*, & tunc manna deficiet, *& intrabitis ad possidendā Terram*, &c. *Cibaria*, intellige de armentis, & alijs, quæ apud eos erant, maximè pòst captas Vrbes, & debellatos Reges: non de manna, quæ cùm conseruabatur, scatebat vermibus, & quia illa non defecerat. Sed si illa non defecerat, cùr alia cibaria præparanda? quia non poterant insistere collectioni mannæ bello intenti, & illa cessatura. *Quoniàm pòst diem tertium transibitis Iordanem*. Et cùm hìc dicatur de certo tempore, dic iussionem factam iuxtà illud, & nullū interuenisse errorem, vel mendacium, sed præuentum in narratione, & si dixisset antè tempus ad excludendum mendacium, iuxtà verisimile loquutus esset; *transibitis Iordanem*, non per vada, quia nimia erat multitudo, sed miraculosè, vt citò omnes transuaderent, vel quia tùnc non poterat Iordanis transuadari, & in hostes imparatos, & timētes ob miraculum irruerent. Vers. 12. *Rubenitis quoquè, &c.* hæc omnia verba Iosue, vt clarè ex verbis textus, non autèm Moysis: sed vtitur gestis à Moyse, nè videatur ipse quicquam noui ingerere: & hæc admonitio, nō quia crederet eos à promissis defecturos; sed vt magìs accenderet ad opus. Versic. 14. *Vxores*, &c. Intellige quòd cùm illis manserint, & multi viri ad defensionem regionis, & mulierum, ac aliorum, aliòqui fuisset magna imprudentia immunita loca, & viris vacua solis mulieribus, & paruulis habitanda dimittere: sed & hoc obseruatum suprà in lib. Num. Si dicis, Deus protexit illos, confugis ad miraculum. Si dicis, ter in anno ibant omnes ad templum, & Deus protegebat illos. Exod. 34. at non dicit hoc textus; sed pòstquàm Deus deleuisset hostes eorum, tùnc ipsos tutos futuros, vt ibì dixi, & ab vno miraculo aliud non potest argui. Vers. 17. *sicùt obediuimus in cunctis Moysi, ità obediemus & tibi:* quasi progrediemur ad omnia, ad omnes pugnas: *tantùm sit Dominus Deus tuus tecum, sicùt fuit cùm Moyse*, vt victores simus, cùm a Domino sit expetēda victoria de hostibus. Vel dummodò conformia Domino iubeas. Lyran. 1. Reg. 22. hìnc fortè Paulus sæpè in suis epistolis addit de agēdis

in Domino. Et quia Rubenitis, & Gaditis, & Manassensibus dictum erat de Moyse, non alijs; ideò credo responsionem esse horum tantùm, non aliorum: his enim in specie iussum, quia de re eorũ nõ agebatur, sed aliorũ tantũ; & quia respõsio re fereda ad proximè præcedentia in dubio, & hi proximè præcedunt: vndè non probo quod dicit Masius.

CAPVT II.

MISIT igitur in executionem præmissorum. *Iosue duos viros exploratores in abscõdito:* non enim hæc exercitui propalanda, nè ad hostes deferantur: hoc autèm prudentèr actũ: nàm etsi Deus iussisset Iordanem transiri, volebat tamèn Iosue vti medijs humanis: sic Gedeon Iud.6. voluit multis confirmari, etsi victoria ei prædicta esset. Sed an hi duo fuerint Caleb, & Phinees? non est credendum hoc fuisse, sed potiùs tribules: si enim illi, nominarẽtur. Prætereà, si Caleb, suspecta fuisset eius relatio, qui semèl de regione iàm dixerat. Phinees erat sacerdos, qui in his bellicis nõ creditur assumptus. Vers. 1. *Mulieris meretricis.* non hospitæ, quia recepit eos hospitio vltrò, vel rogata, non ad id omnibus parata. Iac.5. Hebr.11. meretrix autèm appellatur infrà cap. 6. 17. 22. 25. Hebr. 11. 31. Iacob. 2. 25. quòd si talis non fuisset, totiès Scriptura eam non nominasset; sic Magdalena peccatrix, Luc. 7. immò tùnc temporis etiàm, dùm proferuntur verba hæc de illa, teneo talem fuisse: in dubio enim verba intelliguntur de tempore prolationis: & hoc nihil eam grauat, immò reddet maiorẽ, & maiorem facit apparere in ea Dei misericordiam, proùt idẽ dicimus de Magdalena, & de Paulo. Dices, si meretrix, Salmon non accepisset eam in vxorẽ; respondeo, duxit conuersã ad Deũ, & iàm omnes Ierichuntini, qui cùm ea concũbere potuerant, perierant: & non est mirandũ, quia voluit Deus huic mulieri ob actum hunc insignem benefacere, qui potest in momento honestare pauperẽ, proùt & fecit cùm obstetricibus Aegyptiacis, quibus ædificauit domos. Exod. 1. 20. 21. vndè Psal. 86. 4. Memor ero Rahab, & Babylonis sciẽtium me. Credo autèm hos ad meretricẽ diuertisse, vt minùs suspecti redderentur illùc non aduẽtasse exploraturi, sed alia acturi. At clarè apparet à Domino salus exploratorũ, quia mouit Rahab ad illos saluandos, proùt Lot Angelos hospites, absq. eo, quòd adhùc cõmunicassent secum qui essent, vel si dixerunt, id fuit, cũ Rex misit, vt educerentur; & patet, quia non abscondit eos, nisi postquàm iussa est educere viros. vers.4. & 16. & quia non petijt ab eis quicquã antè, sed pòst latitationẽ, hincq. maior illius misericordia, & beneficium pinguius. Vers. 3. *Exploratores quippè sunt*, hoc dicunt nè prętextu hospitij eos defenderet. Vers.4. *Fateor*, &c. an possit dici nõ dixisse mendaciũ, sed amphibologicè locutam? nã *nesciebam vndè essent*, id referri potest ad primũ eorum ingressum, quod est etiã verisimile. *Cùmq. porta claudatur in tenebris*, potest dici non explicare de porta ciuitatis, sed de sua, illud stare de per se, *& illi paritèr exierunt*, scilicèt de aliquo eius thalamo. *nescio quo abierunt*, vt vobis dicere tenear, cũ hi mei hospites, & quia causa Dei præferenda erat iussioni regiæ; *persequimini citò*, quò abierũt, *& cõprehendetis eos*, si poteritis, loquitur euentualitèr; At vix credendum tantã in meretrice à mendacio officioso cautionẽ, & illis diebus, vt per Augustinũ ad Cõsens. c.13. to.4. & in qq. in Exod. lib. 2. c. 1. Verũ non mendacio, sed ex operibus Rahab iustificata est, suscipiens nuncios, & alia via eijciẽs Iac. 2. 25. & Hebr. 11. 31. fide Rahab meretrix non perijt cũ incredulis, excipiens exploratores cũ pace, quibus etiàm adeuntibus credendum viaticum dedisse: idem iudicium de obstetricibus Aegyptijs. Nullo modo autèm peccasse mortalitèr, agẽdo cõtrà patriã, quia cùm illustrata à Deo, vt ex verbis eius constat, sciret voluntatẽ Dei esse, vt faceret, proùt fecit, tenebatur præferre Deum, nedùm patriæ, sed sibi ipsi. Qui non odit patrem, &c. adhùc autèm & animam suam proptèr me, non est me dignus. Hinc Abraham Deo obediens filium immolabat. Vers. 10. *Audiuimus*, &c. hic timor à Deo iniectus, de quo & Gabaonitæ infrà. Vers. 13. *Vt saluetis patrẽ*, &c. Aliqui putãt de se nihil dicere: at falluntur, nàm sub his magis ipsa, si pro-

si proptèr ipsam illi. Prætereà constat ex verbis, *detisquè mihi verum signum, & eruatis animas nostras à morte* in responsione etiàm illorum id colligitur: *Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamèn non prodideris nos: faciemus in te misericordiam, & veritatem, & vbi ligaueris eum in fenestra & patrem tuum*, &c. *congregaueris in domum tuam. Cunctorum sanguis, qui tecum in domo* tua *fuerint*, &c. Vers. 14. *Si tamèn non prodideris nos.* hoc est pactũ, quod fuit reciprocum, eam non proditurã, ipsos liberaturos: vndè non est recurrèndum ad quid hoc: si enìm ipsa reuelasset, & fuissent occisi, vel passi essent ipsi, & filij Israel, absoluti erant à iuramento: nàm est pactum ad sibi cauendum, illud autèm respicit dissolutionem obligationis. Hìnc non placet eos cogitasse saluos fieri etiàm Rahab prodente eos ex Abulen. quia non fuit hoc propositum, sed cautio sola. Dices, cur nõ & ipsi iuramentũ extorserunt à Rahab? quia in arcto positi, & periculo non potuerunt, aut debuerunt eam ad aliud adstringere, & ad indignationem prouocare, & quia iàm ipsam videbant ad omnia promptam, nèc placet vt descendamus ad cognitionem miraculorum. *Misericordiam, & veritatem*, fidelitatem, iustitiam, obligationem, qua teneri volumus. Vers. 21. *Dimittensquè eos*, repetit hoc, ne qui dixit suprà vers. 15. *dimisit ergò eos*, putemus tùnc factum, & pòst demissionem secuta hæc verba quia nèc tempori, nèc loco, nèc secreto, quod maximè requirebatur, conueniebat. Sed obstant verba, *per quam demisisti nos*, ex quibus vel à prædictis recedẽdum, vel præteritum pro futuro mutandum, vel vt alij saluant, quos vide, Caietanum, Abulen. Versic. 23. *Narraueruntquè omnia, &c* credendum, quæ retulerunt nedùm à Rahab, sed & aliundè habuisse, & proprijs oculis vidisse, vel auribus audiuisse, quia verisimilitèr per vrbẽ ambulauerunt, antequàm ad Rahab diuerterent. Vers. 24. *Tradidit Dominus omnem terram*, &c. quàm explorauerant; Iericho autèm, & terram eius exploratum ierant, vers. 1. non ergò de tota Chananæa loquuntur.

CAPVT III.

VERS. 1. *Venerunt ad Iordanem, & morati sunt ibì* tres dies, qui tres dies computandi vnà cùm illis tribus, de quibus cap. 1. pòst diem tertiũ transibitis Iordanem, aliòqui hæc non subsisterent, & ad quid ibì tanta mora, quam nèc textus patitur, volens illicò siccatum fluuium, & transisse omnes? Tamèn verba, *morati sunt ibì*, videntur contrarium innuere. Vers. 4. *Spatium cubitorum duum millium*, cur hoc, assignat duas causas textus, primam, *vt procùl videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini.* Secundam ob reuerentiam arcæ, *& cauete nè appropinquetis ad arcam.* Scimus ob id quid contigerit Ozæ, & Bethsamitis videntibus curiosè arcam, & cùm has habeamus ex textu, non videntur expiscandæ aliæ, vt per Masium, & recentiores. Vers. 5. *Sanctificamini*, expurgãdo vos; sic Num. 11. 18. Sãctificamini, cràs comedetis carnes: idem Iacob ad suos. Vers. 6. *Et ait ad Sacerdotes: Tollite arcam*, &c. erat hoc officium Leuitarum, sed nõ exclusiuè ad Sacerdotes, vt hìc, & infrà cap. 6. & 1. Paral. 15. & 2. Reg. 15. Vers. 7. *Hodiè incipiã exaltare te*, his signis Deus vult suos ministros agnosci; sic in Moyse, sic Messiæ data signa prædicta à Prophetis; & Christus signa dedit suis, & confirmauit eorum dicta sequentibus signis. Mar. 16. in fin. Vers. 10. *Dominus Deus viuens*, ad differentiam idòlorum, quæ dicuntur mortua, & muta. Vers. 11. *Eccè, arca fœderis Domini omnis terræ* verba, *omnis terræ*, ad Deum, non ad arcam referuntur ex contextu, & hoc repetit vers. 13. *Domini Dei vniuersæ terræ.* Aduerte iàm nubes cessauerat, quæ illos direxerat per desertum, & tùnc in vijs tritis, & cognitis non erat necessaria. An autèm arca fuerit in secundo templo? dic quod non. Sed an adhùc inuenta? & cùm nulla sit memoria, dic quod non. Sed an in extremis temporibus com-

paritura? & crediderim quod sic, quia non est verisimile Deum voluisse abscondi à Ieremia, nè profanaretur, & posteà voluisse ab alijs profanari, cùm tùnc potiùs potuisset à Ieremia destrui, & hæc gratis, & inanitèr facta esse: at apparitura tempore Antichristi ad conuersionem faciliorem Iudæorum, vt prophetiæ Ieremiæ loquentis de arca materiali sit locus, vt alibi tenui. Vers. 18. *Iordanis autèm ripas aluei sui tempore messis impleuerat*. hoc dicit ad denotandam necessitatem maiorem miraculi, quæ etiàm inerat in tanta multitudine, tot rebus, paruulis, bellicis traijciendis. Vers. 17. *Siccam humum arentem alueum*. quomodò id factum, non dicitur, proùt in mari rubro à vento exsiccato; satis est nobis ad miraculum id factum esse, proùt & in Elia, & Eliseo 4. Reg. 2. quia modi non desunt Deo omnipotenti.

CAPVT IV.

VERS. 6. *Interrogauerint vos filij vestri*; sic & vers. 21. & 22. & alibi notaui hoc sempèr à Domino desiderari, vt posteris sua mirabilia recitentur. Vers. 7. *In monumentum*. vult enim Deus nos esse gratos, & assiduam memoriam retinere suorum beneficiorum. Vers. 9. *Alios quoquè duodecim lapides*. non credo ad hos respexisse Ioannem Baptistam dicentē: potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: cur enim potiùs de his, quàm de alijs? eò magis quia hi lapides repræsentabant filios Israel, vers. 8. non autèm gentiles. Vers. 25. Eccè cur Deus faciat mirabilia, vt cognoscatur, & timeatur: simili de causa Christus, vt Messias cognosceretur, & reciperetur.

CAPVT V.

VERS. 1. *Dissolutum est cor eorum*. ecce effectus miraculi siccati Iordanis: vt nè quidē ausi sint se opponere Iordanis transitui. Vers. 2. *Ait Dominus ad Iosue*. credo per somnium, quia requirebatur in his obedientia mandatorum; sic cùm Ioseph in somnis eadem de causa, vt credo, & sic crederem dici posse in omnibus quandò non apparet quomodò loquutus sit Dominus, tùnc enim sufficit consensus admoniti, sed cùm obedientia. *Et circumcide secundò filios Israel*. non dicit *secundò*, quia semèl circumcisi iterùm circumciderentur (quia nèc bis pellis illa cædi potest) sed quia circūcidēdi qui nunquā circūcisi fuerant, quia erāt in itinere, nō quod indigerēt distingui ab alijs populis, vt se explicat clarè vers. 4. & seqq. vsq. ad vers. 8. & cur antè circūcisi non fuerint, cōstat vers. 8. quia nō poterant ad libitū consistere, nube incerto tempore, quò prosequi necesse erat, præeunte. Vndè *secundò* quia prima vice Abraham, secundò hìc Iosue iussa circumcisio, vt etiàm dixi in Euangelijs in circumcisione Domini. Cùm Deus iubeat secundò circumcidi, apparet eum tolerasse incircūcisos ex causa iàm dicta: & tolerātia Dei, & necessitas excusant à peccato; nùnc fit circūcisio, quia mãducaturi pascha; hinc in deserto non factū phase nisi à principio. Vers. 6. *Quibus antè iurauerat, vt nō ostēderet eis terram*: illi enim eam nèc viderunt, proùt Moyses, cui ostensa in monte, & non defecit Dominus, quia promissio intelligebatur rebus sìc stātibus, & expressè dictum. si obedirent præceptis eius. Versic. *Hodiè abstuli opprobrium Aegypti à vobis*. hìc intelligit de opprobrio nascente ex præputio, quod reciderant: incircumcisio enim erat opprobrium apud Hebræos 1. Reg. 14. & 17. dicitur in primo: transeamus ad stationem incircumcisorum: in secundo vocatur Goliath incircumcisus. *opprobriū* autèm *Aegypti*, id est,

id est gentilium, & horum in specie, quia ab ea parte discesserant de recenti, in qua antè diù commorati fuerant. Vers. 10. *Fecerunt Phase.* cùm hic de illo, verisimile est nunquàm aliàs factum Phase, nisi dùm exprimitur. Vers. 12. *Defecitquè manna, &c.* in necessarijs enim vtitur Deus miraculis, non in alijs. Vers. 13. *Cùm autèm esset Iosue in agro vrbis Iericho,* solus, quia non datur ei socius, fortè meditans, vt Isaac, & deprecans duo, vt res benè reuerteretur, & quid agendum in Iericho capienda, *leuauit oculos* meditationi intentos, *& vidit virum,* Angelū, non Deū, vt sempèr tenui; sìc tres viri Abrahæ, vnus cū Iacob luctās, duo Apostolis in ascētione, alij mulieribus in resurrectione; & fortè illum Angelū, qui solebat in nube ducere exercitum: nàm non mutat Deus ministros, quibus onus imposuit, proùt in Gabriele factum videmus, quo Deus ad incarnationem demonstrandam, & implendam cùm Daniele, Zacharia, Maria Vergine, & posteà etiàm cùm Ioseph vsus est, & fortè is Gabriel, qui ex Daniele protegebat Hebræos, in cuius adiutorium venit Michael. Alij Michaelem non Gabrielem quia is princeps: *stantem contrà se*, (dicit locum, non minas) *Euaginatum tenentem gladium*, paratum ad prælium, accinctum pro populo Dei, proùt visus Angelus à Dauid in area Areuna euaginato gladio ad populum puniendum; à Balaam ad illum terrendum, & auertendum, à Tobia Raphael ad iter accinctus, à Moyse in rubo ad prodigia facienda. *Perrexitquè ad eum*, quem non cognoscebat Angelum, *& ait: Noster es, an aduersariorum?* Etsi quasi homo respondisset, & non manifestasset se Angelum, Iosue interrogaturus erat: cur euaginato gladio stas contrà me? *Qui respondit: Nequaquàm*. negat vltimum, dicens: *sed cùm princeps exercitus Domini;* sìc dicitur militia cælestis, de qua & Apoc. 19. & Iacob, castra Dei sunt hæc; vidit & ea Eliseus, & puer. At hìc *princeps exercitus Domini*, populi Israel, quia de hoc agebatur; *& nùnc venio,* asto in adiutorium vestrum. Eccè quomodò ad preces, vel cogitationem Iosue illicò Dominus se ostendit; sìc Apoc. 22. venio: veni Domine Iesu. *Cecidit Iosue pronus in terram. Et adorans*, dulìa Angelis conueniente, quem cognouit ex verbis, vel illustratione. Cur hìc patiatur adorari, cur renuat in Apoc. c. 19. 10. & 22. 9. explicat Angelus in illis cc. in primo, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum habentium testimonium Iesu, Deum adora: in secundo, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum, qui seruant verba prophetiæ huius, Deum adora. nempè id facere ob præstantiam personæ, quæ tamèn præstantia non excedit Angelos: nàm Christus de Ioanne Baptista, nullus maior intèr natos mulierum: qui autèm minor est in regno cœlorum, maior est illo. Cùm ergò habeamus rationem ab Angelo, acquiescamus illi; vide scripta in Apocal. *Ait: Quid Dominus meus loquitur,* iubet *ad seruum suum?* sìc Paulus, Domine quid me vis facere? obedientia prompta. *Solue, inquit, calceamentum de pedibus tuis*, reuerere locum; *locus enìm, in quo stas, sanctus est* me præsente; sìc & ad Moysen ex rubo. Sanctus Michael dixit Garganum sub sui tutela esse. Terribilis est locus iste, &c. dixit Iacob, ob apparitionem sibi in somnis factam. Et constat de monte Moria, in quo apparuit Angelus, & ædificatum templum à Salomone. *fecitquè Iosue, vt sibi fuerat imperatum*. At non videtur respondere quæsitis Angelus: nàm non venit, vt Iosue reuereretur locū, sed vt ostēderet se promptum in eius auxilium, & populi Dei; sed vel iàm hoc prædixerat: ideò non repetit, reuerentiam indicit, & hanc in dicendo ostendit qualis sit, quali tutela munitus populus; cùm & loco, in quo manet, reuerentia debeatur. Vel (quod verius credo, cap. sequ. docet quomodò capienda Iericho, vt videbimus.

CAPVT

CAPVT VI.

IERICHO autèm clausa erat, &c. præmittit hoc, vt explicet quàm prudens consilium, & factum subsequatur. *Dixitquè Dominus*, Angelus idem *ad Iosue*, continuans sermonem, quem auctor diuisit interponẽs statum vrbis Iericho: *Eccè dedi*, &c. Cur Deus iubet per septem dies circuiri ciuitatem? Potest Deus illicò muros dissipare; sed placuit differre ad septem dies, vt Ierichuntinis daretur spatium conterendi, & conuertendi, & recognoscendi Deum verum: sicuti enim Rahab cõuersæ prouisum, ità & cùm alijs factum esset ex Dei misericordia. Hoc autèm modo voluit muros circuiri, vt exerceretur fides Israelitarum: hìnc Paulus Hebr. 11. fide muri Iericho corruerunt. At hìnc processiones nostræ ad placandam Dei iram, & impetrandas gratias, vel agendas institutæ; Indicitur silentium, dùm non erat congrediendum cùm hostibus, quia tùnc vanus clamor. Indicitur vociferatio, quandò cùm hoste congrediendum, ciuitas capienda, trucidandi obsessi, vt antè terrerentur clamore. Diuersa causa tacendi ab hac indicta populo ab Ezechia. 4. Reg. 18. 36. hic quia nondùm bellum ciendum, ibì quia populi non erat respondere, sed missorum à Rege, quia & prudentes erant, & mentem Regis notã habebant. Vers. 17. *Sitquè Ciuitas hæc anathema*. recognoscit facto victoriam à Domino, cui omnia offert, experti erant aliàs quantùm profuerit vouere Deo Ciuitates Chananæi. Num. 21. *sola Rahab*, &c. Eccè fructus hospitationis; & versic. 21. 23. 25. de quo Paul. in epist. & pódera quomodò sui crediderunt Rahab, quod non fecerunt generi Lot, sicùt animæ, quæ erant cùm Paulo in naui, eidem donatæ, ità hi Rahab: quæ etiàm ob conuersionem suam admissa ad connubium Selmon principis Iuda, & ex ea descendit Christus Matth. 1. prohibitio enìm connubij cùm Chananæis erat eis in idololatria persistentibus, secùs in conuersis, de quibus periculum non erat eas ad idololatriam filios Israel tracturas, hìnc in Canonibus clausula illa: si possit permanere absquè iniuria Creatoris, qui præferendus. Vers. 18. *Quippiam contingatis*. hoc dicit ratione præcepti, de quo infrà c. 7. ne illi contrafiat, sìc & Eua cùm serpẽte Genes. 3. Vide ibi scripta; idem infrà cap. 9. *& omnia castra Israel sub peccato sint*, pœna, atquè *turbentur*; proùt contigit cap. seq. Vndè Abraham: numquid perdes iustum cùm impio? Genes. 18. 23. vide scripta per Abulen. & per me Deut. 5. Vers. 21. *A viro vsquè ad mulierem, ab infante vsquè ad senem*. cur hi? vide scripta Deut. 5. hìc per Abulen. & c. 7. q. 53. infrà Serrar. Magalia. Hi seruarunt anathema prætèr vnũ Achan, vt videbimus: inobseruans & Saul in Agag, & pinguibus seruandis 1. Reg. 15. sed & Achan, & Saul pœnas dederunt. Vers. 15. *In medio Israel*, sub protectione Israel; sìc vidua ad Eliseum: in medio populi mei habito 4. Reg. 4. 13. Vers. 26. *Maledictus*, &c. sìc contigit 3. Reg. 16. 34. At Abimelech sal dispersit Iudi. 9. 45. Num 21. alio modo. Vers. 27. *Fuit ergò Dominus cùm Iosue*, sìc de Ioanne Baptista. Luc. 1. 80. de Iesu verò, Luc. 2. 40. *& nomen eius vulgatum est in omni terra* circà obtentam à Chananæis.

CAPVT VII.

FILII autèm Israel præuaricati sunt, &c. *iratusquè est Dominus*, qui promissiones impleri vult. Vers. 4. *Ascenderunt ergò tria millia pugnatorum*, &c. eccè quomodò persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia. Deut. 31. hoc nouerat Balaam. Num. 23. Vers. 9. *Et quid facies magno nomini tuo?* sìc & Moyses quandò Deus volebat delere populum; in sua precatione nullo modo peccat Iosue, absit hoc, nàm omnia quæ procedũt, protulit respiciens honorem Dei, si vincerentur ab hostibus, & potiùs

tiùs eligit trans Iordanem manere, quàm vinci, nè incideret in Dei vituperium pœnès gentes: sic nèc Moyses peccauit hyperbolicè dicens: aùt dimitte hanc noxam, aùt dele me de libro, quem scripsisti, & si peccasset, reprehensus fuisset à Deo, non fuisset exauditus. at considera pronum precantem. Vers. 11. *Peccauit Israel*, &c. sic Deus tempore famis, Dauidi dixit eam contigisse proptèr occisionem Gabaonitarum factā à Saul 2. Reg. 21. 1. Vers. 13. *Anathema in medio tui*, &c. hinc Balaam, non est augurium, &c. Num. 23. 21. Vers. 15. *Comburetur igni.* hoc ad maiorem execrationem dixit, vt solemus; vndè non sic factum, sed lapidibus obrutus vers. 25. & *congregauerunt supèr eum aceruum lapidum.* vers. 26. si enim exustus fuisset, non diceretur, *supèr eum*, & sìc filij, & filiæ lapidati sunt: nō enim illis maior pœna, quàm patri, & Deus dixerat etiàm, *donèc conteratis*, vers. 12. *deleatur.* vers. 13. vndè optio pœnæ erat remissa Iosue, mors erat in præcepto. Vel de combustione quòad bona, quibus aptatur, & clarè habetur, *lapidauitquè eum* vers. 25. At ridiculum hìc agi de pœna combustionis in inferno, vel purgatorio: sed vide contumaciam Achan, & filiorum, qui non produnt se ipsos, sic Iudas etsi à Domino indicatus. Vers. 18. *Achan*, &c. sìc Ionathas per sortes 1. Reg. 14. 42. & Ionas Ionæ 1. in Saulis electione, & Matthiæ Act. 1. Sorte factum iuxtà textum, non alio modo diuinatiuè. Vers. 19. *Da gloriam Domino Deo Israel*. sìc illi cùm cœco nato: da gloriam Deo; *& confitere*, dic veritatem atquè *indica mihi*, &c. vt Deus glorificetur in tua confessione, & introducendo populum suum ad Terram promissionis purgato delicto Exod. 32. Num. 14. Non sufficiebat sors, interrogandus reus, & constandum de corpore delicti; sic Ionathas deprehensus per sortem confessus est veritatem. Vers. 21. *Vidi*, sìc mulier Eua Genes. 3. *Contrà medium tabernaculi mei*, *argentumquè fossa humo operui*, & suprà vers. 11. dixit Deus, *& absconderunt intèr vasa sua*, & ministri *currentes ad tabernaculum*. vers. 22. *auferentesquè de tentorio*, vers. 23. hinc ex loco, & facto, & præsumptione iuris censeo filios, & filias fuisse conscias, & ni mirum si omnes lapidati, proùt illi Dathan, & Abiron, qui fuerunt participes; sicuti liberij filij Core, non participauerunt, Num. 26. 10.

Dices, quomodò participarūt filij, & filiæ, quæ non interuenerunt in oblatione rerum in Iericho? Respondeo, cognouerunt hæc à patre sublata, & vel approbauerunt malè factum, & adiuuerunt patrem occultantē anathema: puniuntur enim etiàm pòst factum dantes auxilium. Vel non reuelauerunt, proùt fortè tenebātur, quia causa erat Dei, & tota respublica periclitabatur, furtū erat rerum Deo dicatarum, & Deus, & salus totius populi præferenda patri; videmus & Saphiram peccati consciam mortem subijsse cùm Anania viro suo: sed & ipsa vendiderat, & fraudis particeps erat. Imò etsi non constaret de participatiòne, ex pœna subsecuta credendum interuenisse, quia aliàs nō fuissent puniti, proùt nequè filij Core innocentes; & in simili idem dicimus de filijs Dathan, & Abiron, de quorum participatione non constat, nisi præsumptiuè ex pœna mortis eis illata cùm patribus.

Dices, si hoc verum esset, tantò magis conscia præsumeretur: at de illa nihil. Respondeo, cùm nequè vxoris, nequè alterius familiaris mentio fiat, credendum est nequè vxorem, nequè alios extitisse prætèr filios, & filias: in casu enìm Dathan, & Abiron fit mentio vxorum, Num. 16. 27.

Vel Deo iubente sìc fecit Iosue (& hoc tutius) proùt credendum Deo iubente fecisse Dauid 2. Reg. 21. quia aliàs ei non licuisset innocentes occidere, Deut. 24. at Deus visitans peccata patrum in tertiam, & quartam generationem. Sed meritò populus totus passus erat ob peccatum Achan, & Saul. Et aduerte, irrationalia, & inanimata vsta ad delicti detestationem, sìc absorpta tabernacula, & substantia Core, Dathan, & Abiron Num. 16. 31. Vers. 22. *Repererunt cuncta abscondita*, *& argentum*: hinc constitit de corpore delicti, sinè quo non poterat dānari Achan confessus. Versic. 24. *Tollens*, &c. & omnes numerati perierunt: nàm vltrà quòd hìc dicitur, *tollens*, & agitur de pœna inferenda, non alio, & vna est determinatio, quæ omnes æqualitèr determinat, vers. 25. dicitur: *& cuncta, quæ illius erant, igne consumpta*

sumpta sunt, & apparet ex consequentibus, quia nunquàm fit mentio filiorum, seù stirpis Achan, etsi de ipso fiat mentio 1. Paralip. 2.7. proùt nec Dathan, & Abiron. Num. 26. 9. in quorum casu idem seruatum. Prætereà ad quid suos tollere? non ad interrogandum, quia iàm delictum confessum: non vt astarent patibulo, quia id tùnc incognitum, & nullibì de hoc habetur. Adde nihil seruatur de substantia Achan, & tamèn pro filijs aliquid seruandum erat; etsi posset dici omnia consumpta, quia omnia sua erāt sub anathemate Deut. 7. vt per Abulen. in text. & qq. differentia quod in infantibus, & non emancipatis puniat Deus, secùs in emancipatis filijs, & adultis, vana est, quia dicitur indifferentèr: ego sum Deus visitans peccata patrum in tertiam, & quartā generationem, & quia filij, seù nepotes Saul ex filia trucidati, qui sub Saulis iure nullo modo erant; ideò tene opin. Abulen. quicquid Magalia. vide Abulen. 9. 13. & 14. 2. Reg. 12. Vers. 15. *Lapidauitquè eum:* non combusserunt, clara sunt verba, vstio sequitur ad bona, non memini legisse in Scripturà quemquam igni traditū iussu Iudicis: vrenda erant quæ abstulerat Achan, pallium, & alia, si alia Deo promisissent, satis igitur fuit hæc cùm sua substantia vri, non hominem, cùm homines non vrendi, sed occidendi forent, vers. 21. & 24. & numquàm legitur in Scriptura vel seruatum, vel seruandum: Iudas solus Thamar nurum damnauit ad ignem Genes. 38.25. Vers. 26. *Et auersus est furor Domini* ab eis, sìc & 2. Reg. 21. occisis filijs Saul: sìc pòst diluuium Dominus ad misericordiā versus Gen. 8. Sed an saluus Achan? videtur ex verbis suis, quibus apertè, & clarè fatetur delictum, & cùm compunctione dicens, *verè ego peccaui Domino Deo Israel*; sicùt compunctum cognoscimus Dauid dicētem, peccaui. Nec obstant verba Iosue, *quia turbasti nos, exturbet te Dominus*, nàm verba seruiunt pro sententia condemnatoria, & pro delicto præcedente, & non est Iudicis ad pœnam æternam sontes dānare: vide hìc alios, Abulen. Serrar. Magal.

CAPVT VIII.

NE timeas, &c. sìc Deus cùm Abraham pòst pugnam contrà Reges Gen. 15.1. & Noe pòst diluuium Gen. 8. ad hos animandos. *omnem multitudinem* non iuxtà Deum exploratores contenti duobus, vel tribus millibus: hoc autèm nè terrerētur paucitate copiarum simùl fugatarum. Vers. 4. *Ponite insidias*, quas in iusto bello licere nemo negat; & sufficit Dominum iussisse, vt illis vterentur. Vers. 6. *Putabunt enim nos fugere.* fictio licita: Christus finxit se longiùs ire. Vers. 18. *Leua clypeum*, vt à Deo recognosceretur victoria: ideò vers. 26. *non contraxit manum, quā in sublime porrexerat tenens clypleum, donèc interficerentur omnes* sic de Moyse substollente manus, Exod. 17. 11. Vers. 30. *Tùnc edificauit Iosue altare Domino*, &c. sìc Noe Gen. 8. sic multi alij gratias agentes de victorijs.

CAPVT IX.

VERS. 2. *Congregati*. eccè mali de facili conueniunt in perniciem victorū. Vers. 15. *Fecitquè Iosue cùm eis pacem*. &c. Sed peccaueruntnè Iosue, & Principes contrauenientes præcepto Dei, qui dixit: percuties eas vsquè ad internecionem Deut. 7.2. dic quod non, quia ignorarunt eos esse de populis interdictis, & cauerunt an essent, nec potuerūt diuinare, & fuit permissio Dei, vt saluarentur Gabaonitæ, & destinarentur ad seruitia, quibus posteà addicti fuerunt, & seruit infrà cap. 11. 20.

Atsi

At si validum iuramentum, & in fœdere, nedum quod non occiderentur, sed pax constituta, cur seruituti mancipati?

Atqui nihil promissum, nisi ne occiderentur vers. 15. & fœdus ad aliud non extendebatur, seruitus autèm fuit in pœnam, prout in textu dicitur ob fraudem, quam commiserunt in fœdere, & licuit Iosue, & principibus ab illis deceptis se à fraude eximere, & pœnam eis constituere, quam censuerunt seruitutem perpetuam, & ipsi dixerunt ex principio: serui vestri sumus, vndè non infregerunt iuramentum, sed pœnam statuerunt doloris iuxtà eorum intentionem, vers. 11. hinc Iosue: *cur nos decipere fraude voluistis*, &c. quarè hoc non ab intentione, non errantes: quasi quòd etiàm à iuramento possent resilire, sed in pœnam fecerunt. Quod dicitur iuramentum non tenere appositum supèr contractu per dolum facto, ad Legistas reijciendum, & tùnc non erant hæc iura, vt possent scire filij Israel an teneret, vel non fœdus, seù iuramentum, seù actus essent secundum hæc iura noua regulanda; ideò seruandum existimarūt iuxtà leges tùnc extantes. At certum est nō potuisse Israelitis scientèr cùm Chnanæis cognitis inire fœdus, quia Dei præcepto contraissent, nisi fortè ipsi Chananæi ab idololatria ad cultum veri Dei transissent, infrà cap. 11. 20. quia aliàs Iosue non dixisset: *nè fortè in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, & non possimus fœdus inire vobiscum* vers. 7. (*possimus*) intellige absquè peccato.

Quarè si voluissent profiteri Iudaismum, potuisset profectò cùm eis iniri fœdus, quia cessabat ratio non ineundi fœderis, ne scilicèt, dum illi in idololatria permanerent, traherent Iudæos ad illam, ea ergò causa cessante, videtur licuisse: hæc sentit & Masius.

Seruitus verò fuit non singulorum populi, sed totius populi vniti, & congregati vers. 27.

Si dicis: cur citò inueniendi, & de calliditate conuincendi sìc fecerunt? Respondeo, quia putarunt vel Iudæos non fracturos pacta, vel eorum conditionem aliquo modo meliorem futuram. vers. 14. *tulerunt ergò de cibarijs eorum*, in signum amicitiæ, & fœderis.

CAPVT X.

VERS. 8. *Nè timeas eos*, &c. & adfuit Dominus, qui *misit supèr eos lapides magnos grādinis*, &c. vers. 11. Eccl. 46. sic in Aegypto grādo. Vers. 12. *Sol* (dū declinaret ad occidentē, & parū diei superesset) *contrà Gabaon*, apparens, existens *nè mouearis*, siste gradum. *& Luna* (hinc declinatio diei) *contrà vallem Aialon* apparens, tu quoquè siste cursum. *Steterūtquè Sol, & Luna* immobiles, *donèc vlcisceretur se gens*, exercitus Israel *de inimicis suis*: sicut enim miracula fiunt in necessarijs, sic durant necessitatibus durantibus, non vltrà. *Nonnè scriptum est hoc in libro iustorum?* hoc dicit, scribens ad maiorem rei firmitatem, postquàm excedit captum nostrum: liber autèm hic tùnc extans, nùnc deperditus. Non dicas Genesis, quia esset præposterus ordo, & nihil ibi de hoc. *Stetit itaquè Sol* (replicat de Sole, quia is lumine suo permanēte auxiliatus est, omissa Luna, quæ tùnc nihil contulit) *in medio Cæli*, idest, in Cœlo, seù ea parte, quæ erat in prolatione verborum Iosue, illuminās hæmisphærium nostrum, non iuit ad occasum, quod explicans clariùs subdit, *& non festinauit occumbere spatio vnius diei* artificalis, non naturalis, quia nox nihil proficiebat, sed erat contraria; & si spatio vnius diei, ergò dies illa iàm erat ad occasum, parum, aut nihil de ea restabat, vt alia miraculosa subrogaretur, & sìc opinio, quod tùnc esset meridies, quia dicitur, *in medio Cæli*, euanescit. Vide Magalian. meliùs loquentē, quàm Serrar. pòst alios, quos adducit. Abulen. Ios. 17. q. 2. Serrar. 4. Reg. 20. in Ezechia. Sanct. Isa. 38. & ibidèm Cornel. & eundē Sanct. in Ezechia; vt quid enìm stare iussus Sol in meridie, si tantum diei restabat? deficiēte vino, deficiente die fit miraculum: fit quandò vidit Iosue diem non sufficere, in meridie verò id asse-

id assequi non poterat. *Non fuit anteà, nec postea* intellige tempore scribentis,& sic excluditur illa Ezechiæ, *tàm longa dies:* nàm Eccl.46.dicitur, facta est vna dies quasi duo. *Obediente Domino voci hominis,*sic clamantis, & rogantis, *& pugnante pro Israel:* facit enim Deus voluntatem timentium eum: sic obediuit Samueli, voces & tonitrua in aere tempore non suo excitanti: Eliæ prò sacrificio, & cæde quinquagenariorum igem optante, claudenti, & aperienti cælum, Eccl. 48. sic tenebræ in Aegypto, Ecclypsis in morte Christi. Habacuc ad hoc alludens;sol & luna steterunt in habitaculo suo.

Sed an longior dies, quandò vmbra per lineas decem, seù gradus descendit in horologio Achaz tempore Ezechiæ 4. Reg. 20. 11. Isa. 39.? Respondeo, si dixerimus secundùm aliquos, quod retrogressio facta sit iuxtà cursum ordinarium solis, & linea, seù gradus importet horã, & hæc opinio S.Dionisij Areopagitæ ad Policarpum. D. Hier. in d. cap. Isa. 38. Ada. & aliorum: vide ibi Sanct. & Cornelium. q.2.& tùnc cùm retrocessus, & progressus sit viginti horarum, fuit longior illa, quàm hæc Iosue, quæ non potuit importare viginti horas diei. Sed hæc opinio non procedit, quia si dantur viginti horæ, aliqua pars noctis comprehenderetur, & miraculum non apparuisset totalitèr: miracula verò fiunt ad manifestationẽ Omnipotentiæ Dei: hinc Babilonij cognouerunt portentum, & rex misit interrogatum Ezechiam per nuntios 4. Reg. 20. Isa. 39. 2. Paralip.32. 31. & decem horæ sufficientes erãt ad signum, quod Ezechias expetierat; vndè non præsumitur excessisse: non enim facit Deus per plura, quod fieri potest per pauciora, & Ezechias non petebat nisi retrocessum: & de hoc 4. Reg.20. Eccl. 48. 26. In diebus ipsius retrò redijt sol, & addidit regi vitam. Si verò dixerimus secundùm alios lineam, seù gradum non importasse horam integram, sed dimidium horæ iuxtà Abul. hic q. 90. Caieta.4. Reg. 20. & sic quinque horas in retrocessu, alias quinque in progressu consumptas, & tùnc quia dies artificialis in illis regionibus capit maius spatium, erit minor illa, quàm dies Iosue. At inuerisimile est, lineam, seù gradum non importasse integram horam, tùm quia diuisio horarum fortè non erat tùnc in vsu, imò neque hora iuxtà recentiores 1. Reg. 11. de horis agentes, tùm quia si per quinque horas tantùm durasset portentum, quia (vt dicam, verisimiliùs est retrocessum fuisse momentaneum) parum innotuisset, & tamèn Babilonijs notum fuit, vt dixi.

Si verò facimus retrocessum momentaneum, (quod est verisimilius, & tenet Caieta. 4. Reg.20.) & linea, vel gradus importet horam, quod est præsumendum (quia in dubio præsumendum de perfecto, non de imperfecto,) dies Ezechiæ non excedens decem horas, minor erit die Iosue. Vndè verisimilitèr tempore Ezechiæ hora erat decima, quæ nobis vigesima secunda in horologio, & supererant tantùm duæ horæ diei; reuersa est autèm vmbra ad principium ortus solis, & sic ad primam lineam, seù gradum, seù horam.

At opponitur id non posse stare, quia cùm data sit optio Ezechiæ retrocessus, vel progressus per decem lineas, si elegisset progressum, non apparuisset. Respondeo, imò apparuisset, quia progressio in momento facta esset ad principium horæ nonæ, quæ erat prima diei sequentis secundùm cursum naturalem. Secundò, casu quo Ezechias elegisset progressum, non defuissent Deo omnipotenti viæ ad portentum manifestandũ, quia aliàs non proposuisset eo modo, neque optionem dedisset Ezechiæ: vide Abulen. 4. Reg. 20. in pluribus qq. Vel nouerat Deus quid electurus Ezechias. De alio, qui stare fecit solem, habetur 1. Para. 4. 22.

At circà retrogressum, potiùs videtur tenendum solem retrogressum fuisse pedetentìm, & cùm mora ordinaria, tùm quia de modo extraordinario nullum verbum in textu 4. Reg. 15. de quo verisimilitèr vti de re graui habita esset mentio, & modus extraordinarius non præsumitur, tùm quia textus videtur modum ordinarium, & cursum innuere, dicens, vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? nàm sicùt de gradibus cursu ordinario, ità de lineis, & subditur, *& reduxit vmbrã per lineas, quibus iàm descenderat in horologio Achaz retrorsùm decem gradibus:* Et Eccl.

48.

48. 26. in diebus ipsius retrò rediјt sol, & addidit Regi vitam.

Respondeo, iàm erat modus extraordinarius retrocessio, vndè de hoc non curandum; imò & ostendebatur magis miraculum ex subita retrocessione, sicquè præsumitur factum ad maius signum ostendendum, & certiorandum Ezechiam; ex textu verò vel non elicitur quid certum, vel potiùs momentanea retrocessio, cùm dicatur *reduxit vmbram per lineas* quàsi illicò. Cornelius Isa. 38. tenet momentaneam retrocessionem sub Ezechia 9. 3.

At quod longior fuerit dies Iosue, quàm Ezechias, probatur clarè, quia de eius prolixitate fit mentio nedùm hìc, *non fuit anteà, nec posteà tàm longa dies*, sed & Eccl. 46. 5. vna dies facta est quasi duo, quibus si opponis scribentem loqui de suo tempore, oppono Spiritum Sanctum intercessisse, qui futura nouerat, & satis esse diei Ezechiæ similia circà prolixitatem à Scriptura non attribui, attributura si fuisset, proùt attribuit diei Iosue. Habemus & hæc, non seruata mora, facta Domino nostro in Cruce pendēte, ad maius miraculum, vt refert Areopagita in Epist. ad Policarpum.

Prætereà, si per decem horas, seruata ordinaria mora, subretrocessisset, mundus totus fuisset territus per illud spatium, quod non est præsumendum à Deo factum, in momento verò facta retrocessio parum turbasset videntes eum solito more illicò procedere. Solet & Deus opera sua absquè mora facere, & sic præsumendum fecisse iuxtà regulam suam.

Dices, nihil intererat scire durationem diei Ezechiæ, proùt Iosue, esto, at nihilominùs rei adeò grauis facta esset mentio. Vide Sanct. Isa. 38. & Cornel. Vers. 16. *Fugerant enim* pro autèm, vide Gen. 14. 18. & Heb. 7. scripta. Vers. 21. *Sani, & integro numero*, eccè aliud miraculum. Vers. 24. *Ponite pedes supèr colla Regum*, &c. ad illos animandos: ideò subdit, *nolite timere, nec paueatis*. Vers. 27. *Cumquè occumberet sol*, &c. *vt deponerent eos de patibulis*, sìc iussum Deut. 21. 23.

CAPVT XI.

VERS. 19. *Non fuit Ciuitas, quæ se traderet*, &c. & vers. 20. *Domini enim sententia*, hìnc cognoscitur, quod si proùt Gabaonitæ alij se humiliassent, clementiam aliquam inuenissent. Et quod propterea pacisci cùm eis non erat penitùs prohibitum, vt iàm tenui. *Sed Domini sententia fuerat, vt indurarentur*, *&c.* permisit Deus ob eorum peccata, proùt hìc Abulen. & Serrar. & visum est in Pharaone, & habetur Roman. 9.

CAPVT XII.

DE Regibus victis nil aliud: aduerte, quia & tempore Ezechiæ, & Saul multi debellati. 1. Paralipom. 4. 41. & 5. 10. & 20.

CAPVT XIII.

CONTINET diuisionem terræ captæ, & capiendæ in Chanaan. Versic. 6. *Ego sum, &c.* ad addendum animos; sic Absalon cùm seruis: ego sum, qui præcipio. 2. Regum 13. 28.

Versic. 14. & 33. de tribu Leui, quæ non habuit sortem, & infrà capite decimoquarto, 4.

CAPVT XIV.

VERS. 2. *Sorte omnia diuidentes*, ne quis conquereretur, at sortes regulabat Deus. Versic. 4. Leuitis subrogati Manasses, & Ephraim, qui in sortem vocati; intellige tamèn vt per Abul. & alios; & Leuitis datæ Vrbes ad habitandum, quod & aliàs dixi. Versic. 6. de Caleb vsquè ad finem cap. & Caleb promissam Hebron apparet versic. 12. etsi alibi non habeatur specificè, sed in genere. Num. 14. Versic. 15. *Adam maximus ibì intèr Enacim situs est*, non intelligo de Adam protoplasto, sed de alio Adam, vel homine gigante, quia dicitur *intèr Enacim*, quos suprà nominauerat versic. 12. si enim de protoplasto intendisset, non subiunxisset *intèr Enacim*. Itèm de protoplasto non fecisset mentionem per transennam; cùm ergò de Enacim ageret, præsumendum de eiusdem generis homine verba haberi iuxtà Caiet.

CAPVT XV.

SORS filiorum Iuda. at de Caleb à versic. 13. & versic. 15. exponit pro præmio nuptias filiæ suæ capienti Cariathsepher; sic Saul promittit filiam occidenti Goliath 1. Regum 17. 21. & Michol pro centum præputijs Philisthijm. 1. Regum 18. 25. 27. Intèr Othonielem autèm, & Axam non fuisse contractas nuptias lege interdictas, clarum est, quia non adest in ea prohibitio intèr patruum, & neptem, & in prohibitis non intrat argumentum ab alijs gradibus similibus. Othonielem autèm, & Caleb fuisse fratres germanos, innuit textus vtens verbo *iunior*, & Iudic. 1. minor, quæ phrasis in patruelibus non est in vsu. Versic. 63. quomodò non potuerunt delere tùnc Iebusæum, fortè peccatis irretiti, quem posteà deleuit Dauid. 2. Regum 5. & tùnc Ierusalem facta Ciuitas Regia.

CAPVT XVI.

SORS Ephraim. Versic. 10. Non interfecerunt Chananæum in Gazer, sed fuit tributarius, hincquè mala exorta ex conuersatione.

CAPVT XVII.

SORS Manasse. De filiabus Salphaad versicul. 3. & sequentibus Versic. 13. fecerunt sibi tributarios Chananæos. Vers. 15. querela filiorum Ioseph.

CAPVT XVIII.

VERS. 1. Tabernaculũ Mosaicum, non aliud collocatum *in Silo* non alibi sub dio, Deo (vt verisimile est) interrogato, & annuente, pòst cuius fixionem vult Abulensis cœpisse cæremonialia obligare, tùnc enim erat pax, & facta diuisio coràm Domino ad tollendas omnes querelas: sed cùm tabernaculo, & castra mota; non enìm absquè castris dimittebatur. Vers. 3. Excitatio Iosue in torpentes; cognoscebat enìm, quod magis afficerentur ad propria, quàm ad communia; & ex hac exprobratione elicitur terram diuidendam non fuisse in potestate populi, sed acquirendam. Versic. 11. Sors filiorum Beniamin.

CAPVT XIX.

SORS Simeon, infrà Iudam, vt fiat locus prophetiæ Iacob illius dispersionis, proùt, & in Leui Genes. 49. Vers. 10. Sors Zabulon. Versic. 17. Sors Issachar. Vers. 24. Sors Aser. Vers. 32. Sors Nepthali. Versic. 40. Sors Dan. Versic. 49. Pars Iosue ex præcepto Domini: hìnc habetur Iosue, & Chaleb prouisum ex ore Dei. Vers. 51. *Eleazar sacerdos, & Iosue*, sic præmittitur Eleazar, suprà capit. 17. 4. & cap. 14. 1. infrà cap. 21. 1. 25.

CAPVT XX.

SEPARATIO ciuitatum fugitiuorum, de quibus Num. 35. Deut. 19. ibì vide. Nùnc harum loco immunitas Ecclesiastica: vide hic scribentes quæ dicunt Abul. Magalian. & alij de iure diuino nõ humano, quia res Deo sacratæ ex sui natura sunt exemptæ ab omni vsu profano. Et cœpisse à consecratione Ecclesiarum tempore Constantini, & ex potestate data propinquis occisi percutiendi occisorem impunè. Collige morem, & sanctiones inductas percutiendi bannitos impunè, & cùm prçmio. At cur expectaretur mors Pontificis ad reducendum occisorem in patriam, cùm innocens repertus deberet illicò reuerti. Placet id factum in horrorem homicidij; & vt propinquis, quibus licebat occisorem talem antè decisionem, vel pòst decisionem causæ extrà locum refugij occidere, daretur hoc solatium ad eorum duritiam infringendam; & proptereà terminus erat varius iuxtà vitam Pontificis, cuius varietatis nulla potest assignari ratio. Abulen. hìc quæst. 23. & 24. Ratio Masij fundata in verbis, quòd oleo sancto vnctus esset, non placet: nàm illud ad specificandum, & declarandum magis Sacerdotem magnum, non ad aliud; & profectò quid in illum committebat imprudentèr occidens? Cur autèm potiùs mors magni Sacerdotis, quàm Principis, vel alterius at-

tenderetur, potest dici hoc factum, quia in Ciuitatibus refugij habitabant Leuitæ, qui subditi erant in cæremonialibus Sacerdoti magno: ideò illius maioris mors potiùs, quàm alterius attendebatur. videndus Abulen. dicta quæst. 24.

CAPVT XXI.

CIVITATES quadraginta octo datæ Leuitis. Versic. 41. Epilogus Deum adimpleuisse, quod promiserat vsquè ad finem capitis.

Sed an harum absoluti domini Leuitæ? tenui dominium remansisse penès tribus, & præsertim agens de Hebron data Caleb. Vatablus tenet dominium remansisse penès dãtes hìc; dabantur enim ad habitandum, vt ipsi dicunt. Vide Serrar. hìc quæst. 9. qui concordare nititur discordantes, & Abulen. 1. Paralip. 6. 55.

CAPVT XXII.

DIMISSIO tribuum Ruben, & Gad, & dimidiæ Manasse ad loca sua. Versic. 4. & 5. aduerte in omnibus ferè capitibus, & in hoc nominatur Moyses famulus Domini. Versic. 8. *Diuidite prædam hostium cùm fratribus vestris*, remanentium enim ad sarcinas, & bellantium æqua debet esse portio. Versic. 13. *Phinees*, hic missus, si missus fuisset in Iericho similitèr nominaretur. Versic. 17. 18. & 20. quomodò vno peccante vltrò extendatur ad alios; de qua re alibì; & pòst remissionem remanet tamèn pœna, vt in Dauide. Versic. 22. *Fortissimus Deus* Israel, sic Genes. 33. 20. 46. 3. Num. 16. 22. Versic. 25. *partem non habetis in Domino*, in eius cultu. alias pars hæreditas suprà 13. 8. Versic. 31. *Nùnc scimus, quòd nobiscum sit Dominus, quoniàm alieni estis à præuaricatione hac*, vel quia immunes estis à peccato, vel quia Deus non vult vos in peccatum hoc cadere. Versic. 34. *quod Dominus ipse sit Deus*, sic Elias 3. Regum 18. 21.

CAPVT XXIII.

EX toto contextu, & hac cõcione Iosue mortẽ sibi instare cognoscentis, apparet de conditione, quòd si seruirent ex corde DOMINO, gentes auferrent, continuarent in terra, sin minùs, nequè eijceret, nequè ipsi ibi permanerent. Sic concionati sunt Iacob. Genes. 49. Moyses, Isaac, Tobias.

CAPVT

CAPVT XXIV.

VERS. 2. *Trans fluuium habitauerũt patres vestri ab initio* scilicèt, *Thare pater Abraham, & Nachor: seruieruntquè dijs alienis*, patres scilicèt, quos solos refert verbum *seruierunt*, tenui enim Genes. 11. & 12. & Act. 7. & Eccles. 44. Abraham non fuisse idolòlatria maculatum ex pluribus. *Tuli ergò patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus*, &c. at ex verbis *patrem vestrum Abraham*, videtur & ipsum comprehensum in idolòlatria: verùm dicas vel *patrem* non ex illis antiquis dijs seruientibus, vel distingue, vt non referatur Abraham, sed Thare, & præcedentes. Masius, Serrar. & Magnalian. hìc tenent cõtrarium, ego defendi Acto. 7. hanc opinionem, & in additione. Vers. 13. *Terram, in qua non laborastis*, iuxtà illud: in labores aliorum introierunt. Versic. 14. *Et auferte Deos* id est ex corde, non quod haberent idola, vel Aegyptiaca, vel Chananæa; & quia subdit. *quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia & in Aegypto*; de his in specie, nè sequerentur vestigia mala Maiorum. Vers. 15. *Datur optio*, &c. sìc Elias 3. Reg. 18. non quod eis daretur optio, sed vt magis firmarentur in Dei cultu; sciebat enim eos non electuros contrarium. Vers. 32. *In Sichem, in parte agri*, de hoc Act. 7. Non fit mentio luctus in Iosue, & Eleazaro, proùt in Iacob, Ioseph, Aaron, Moyse, non quòd (vt credo) factus non sit, sed quia nõ omnia explicat Scriptura, multa vult à nobis præsupponi vtì solita, quod eò magis, hìc cùm ageretur non de vno tantùm, sed de duobus; vix enim fieri potest vt in vno luctus omissus, in alio non esset sequutus.

FINIS LIBRI IOSVE.

IN LIBRVM IVDICVM

CAPVT PRIMVM.

POST mortem Iosue *consuluerunt filij Israel Dominum*, fortè per Phinees Sacerdotem *dicentes: quis ascendet antè nos* ad bellum *contrà Chananæum, & erit dux belli?* absquè Deo noluerunt in re tàm graui, & ardua quicquam adoriri; viderant Moysen à Deo, Iosue similitèr datum, crediderunt ab eodem ducem recepturos, tutiusquè bellaturos. Verſ. 2. *Iudas ascendet*, incipit hic hæc tribus præualere, regnum posteà adeptura, primò in Dauid iuxtà prophetiam Iacob Geneſ. 49. Verſic. 7. *ſicùt feci, ità reddidit mihi Deus*, ſententia terribilis, memoriaquè digna; eccè quomodò vexatio dedit ei intellectum. Verſ. 8. *oppugnantes ergò filij Iuda Ieruſalem ceperunt eam*, non tamen arcem, quam expugnauit Dauid tempore ſuo, vel non penitùs deleuerunt, vt infrà verſ. 21. vbi apparet Ieruſalem fuiſſe in ſorte Beniamin, ſed cohabitaſſe posteà cùm eis tribum Iuda, quæ illam debellauerat. Verſ. 16. *Filij autèm Cinæi cognati Moyſi*, eccè quod alibi obſeruaui hos ſequutos eſſe Moyſen. Verſ. 20 *Dederuntquè Caleb Hebron*, dominium ergò ciuitatis erat Caleb, vt alibì dixi, Verſ. 24. *Oſtende nobis introitum Ciuitatis* locum immunitum, per quem poſſimus ingredi, & apprehendere illam, *& faciemus tecum miſericordiam, &c.* sic cùm eo, proùt cum Rahab, & hos reſeruando nedùm non peccauerunt, ſed benè egerunt. Verſ. 28. *poſtquàm confortatus eſt*, præualuit *Iſrael, fecit eos* populos *tributarios, & delere noluit*, quod ceſſit in eorum exterminium, prout Deus eis prædixerat.

CAPVT II.

ASCENDITQVE *Angelus Domini*, &c. poſtquàm dixit in ſuperiori cap. preuaricationem tribuum nolentium delere Chananæos, ſed ſub tributo dimiſſæ, ſubdit in hoc capite quæ mala ea de cauſa euenerit, & eſt quaſi proœmium totius libri Iudicum.

Aſcendens, &c. fortè anguſtiabantur Iſraelitæ, qui sìc præuaricati erant, nec poterant ſurgere, ſeù vindicare ſe de inimicis ſuis, & grauati congregati erant in locum vnum, quem non explicat, ſed à fletu in eo facto per illos, locus flentium nomen obtinuit. *Aſcenditquè Angelus Domini*, Dominum repræſentans in forma humana viſibili, *de Galgalis*, vel quia ex eo loco viſus eſt venire, vel reuelauit ipſe, fortè innuens eis ex loco, in quo circumciſi erãt, quid promiſiſſent, quod

ſignum

signum iustitiæ fidei Rom.4.11. recepissent, ad quid tenerentur, quod eorum munus. Vel quia in Galgalis idòla, infrà cap.3. 19. ne auderent negare quod ipse vidisse significabat ex eo loco veniens; sed non currit, quia pòst hæc idòla posita ab Eglon, vel incertum *ad locum flentium*, vbi fleuerunt, proùt in captiuitate Babilonica, illic sedimus, & fleuimus amaricati. *Et ait*, sequitur obiurgatio Angeli facilis, ex qua apparet de conditione sempèr à Deo in promissionibus adiecta, si seruarent pacta: promissiones enim intelliguntur rebus sic stantibus. Ne autèm existimaremus quidquam horum malorum, & peccatorum contigisse tempore Iosue, propterea, etsi in fine eius libri dictum esset, & de dimissione tribuū ad possessiones suas, & de ipsius morte, de eisdem tamèn ad maiorem explicationem repetit, & quomodò eius tempore, & seniorum seruierunt Domino omnes illi, qui eorum tempore vixerunt: at generatione sequenti ad idòla itum Vers. 5. *Immolaueruntquè ibi hostias Domino*, sic Gedeon, & Manue, Dauid, Samuel, Elias; at quia in his apparuit de volūtate Dei, dic & in hoc loco de eadem voluntate factum: loca enim, in quibus apparebāt Angeli, sancta erant, vt dixerunt duo apparentes Angeli Moysi, & Iosue, & Iacob: verè locus iste sanctus est, &c. Vers. 22. *Vt in ipsis experiar Israel*, sic tentauit Dominus Iacob Genes. 22. non quod non sciat, sed nos ad merendum prouocet, & in bono stabiliat.

CAPVT III.

IN hoc capite incipit Auctor describere particularia, quæ generalitèr in superiori capite delibauerat, nàm enarratis gentibus dimissis, & ad quid, & præuaricatione Israelitarum in ducendo filias Chananæorum, & dando eis suas, & malo subsecuto, proùt in Salomone, subdit de eorū captiuitate sub rege Syriæ octo annis, & liberatione mediante Othoniele primo Iudice, quæ durauit quadraginta annis; & quomodò iterùm peccantes dati sunt Eglon regi Moab decem, & octo annis, & liberati per Aod more Iudith cùm Holoferne, & de Samgar, cuius tempore præsupponenda alia captiuitas, vel aliud malum, vel bellum, vt infrà cap.5.6. sub Philistijm. Vers. 2. *vt posteà discerent*, &c. nota artem bellandi à Deo. Vers. 10. *Fuitquè in eo spiritus Domini*, sic de Iosue dictum, vndè non peccauit Aod occidendo Eglon: nequè etiàm peccauit dicendo de verbo secreto: Supèr his, & quandò liceat occidere tyrannum, Abulen. & Serrar. hic. Vers. 19. *Et reuersus de Galgalis, vbi erant idòla*, fortè ex visione ipsorum zelo accensus prò Domino, vel vt dicat causam, qua motus, quam tamèn potuit antè scire, cùm appareat præparasse gladium ancipitem, & ostendat causam occidendi Eglon iustam: *dixit ad regem: verbum*, vel factum, *secretum habeo ad te ò rex*, vndè non mentitur, similitèr dùm dicit *verbum Dei*, à Domino enim motus Aod, nàm dicitur *suscitauit eis Saluatorem*; at pondera vers. 20. reuerentiam regis, qui dicente Aod de verbo Dei, statìm surrexit de throno, at fortè non ob reuerentiam Dei, sed auditurus secretum ab Aod; ob secretum enìm iusserat alios secedere. Quærit hìc Serrar. an omnes Iudices dati populo Hebræo sint sancti, & beati, & tenet affirmatiuè, quod probari credit Eccl. 46.13. at scimus Abimelech malum, & fortè alios, vndè non video quomodò id possit firmare, Eccles. verò cap.46. loquitur de bonis, qui fuerunt, non dicit, vel firmat omnes fuisse bonos. Licèt enìm Iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui nō sunt auersi à Domino, & ibi Iansen. de aliquibus Paulus Heb.11. vndè in alijs res dubia: si omnes boni, de omnibus in specie dixisset, eosquè nominasset, proùt Paulus, quos nominat beatos.

CAPVT

CAPVT IV.

REFERTVR victoria Debboræ, & Barac in Sisaram ducem Iabin Regis Chanaan, pòst reuersionem populi ad Deum. Versic. 3. *Nongentos enìm habebat falcatos currus;* & 13 *& congregauit nongentos falcatos currus.* vndè mentitur Iosephus dicens de tribus millibus vltrà Scripturam, præsertim cùm de his aliundè scire nequiuerit: ideò malè Abulensis præferens illius dictum Scripturæ sacræ; neque intrat saluatio potuisse habere aliundè summam vltrà nongentos; nàm excluditur id à verbis *& congregauit?* Versic. 4. *Erat autèm Debbora prophetissa vxor Lapidoth*, non ergò Barac, tum ex diuersitate nominum virorum, tùm quia ipsa habitabat in monte Ephraim, & verisimilitèr erat de illa tribu: Barac verò de tribu Nephtali, & in dubio non præsumitur confusio tribuum, tùm quia si Barac suus vir fuisset, nèc illa vsa esset eo modo vocandi illum, nequè ipse cùm ea, vt iret secum, tùm quia sicùt de Lapidoth, sìc de Barac esset expressum, *quæ iudicabat populum in illo tempore*, cùm enìm nullus esset iudex imperans *ad eam* quasi prophetidē, de qua confidebāt *ascendebātq. ad eā filij Israel in omne iudiciū*, vers. 5. si enim fuisset ipsa Iudex cùm imperio, non aduocasset Barac, nec Barac eodem tempore iudex diceretur, non dedisset præeminentiam Barac, non iuisset comes, sed ipsa adiunxisset sibi Barac, vide Serrar. Vers. 8. *Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam.* Barac multum confidebat in Debbora prophetide, habente spiritum Domini, sic 1. Esd. 5. prophetæ Dei adiuuantes eos in fabrica templi vers. 2. Versic. 9. *In manu mulieris tradetur Sisara*, hic mos Dei eligere debilia, vt confundat fortia. Vers. 11. *Haber autē Cinæus* &c. eccè iterùm quomodò cognatus Moysi iuit secum per desertum, vt tenui. Vers. 15. *Perterruitquè Dominus Sisaram*, &c. eccè Dei assistentia, prout cum Iosue, Moyse, & alijs, vide Abulen. Vers. 17. *erat enìm pax*, &c. ergò contrà fœdus fecit Iahel: sicùt enim ipsa in pace comprehēsa, & ipsa offensa, pax rumpebatur, ità ipsa agente, eo magis quia tamquàm amica inuitat illum, & recipit in hospitem, & timorem deponere iubet. *intra ad me Domine mi; intra, nè timeas.* vers. 18. nèc obstat quod laudetur infrà cap. seq. benedicta Iahel, &c. quia laudatur factum quod cessit in vtilitatem populi, non modus, non circumstantiæ: sìc laudantur Obstetrices, Rahab, Iudith benè agentes, non circumstantiæ aliæ, puta mendacia: sic in Iudith laudatur factum Simeonis, & Leui contrà Sichem ex aliqua parte, non illud totum, vt alibi obseruaui. vide Abulen. rationes verò Serrar. q. 22. parùm vrgent. Vers. 19. propinat lac pro aqua, vt sopore oppressum posset interimere, vt fecit: vndè cap seq. Benedicta Iahel lac dedit pro aqua; huic ergò imputata victoria, non Debboræ, vt & infrà cap. seq. vers. 24. Vide Serrar.

CAPVT V.

CECINERVNTQVE *Debbora, & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes*, sic Moyses, & Maria Aegyptijs submersis, Iudith, & alij victores. *Qui spontè obtulistis*, non coactè, *de Israel animas* vitas *vestras*, corpora vestra, *ad periculum*, proùt in bellis, *benedicite Domino* pro victoria, & incolumitate vestra. *Audite reges, auribus percipite principes* populi Israel *ego sum, ego sum quæ Domino canam*, præcinam, præintonabo, *psallam Domino Deo Israel*, victoriam ab eo recognoscens, & alia beneficia.

Domine cùm exires de Seir, associando, & as-

& assistendo cùm populo tuo progrediente, & exeunte, *& cùm eodem transires per regiones Edom* Deut. 33. *terra mota est* ad tui præsentiam, *cælique, ac nubes distillauerunt aquis*, idest omnia elementa te recognouerunt, quod declarat clariùs.

Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai, à facie Domini Dei Israel, quasi omnia coràm te curuantur, vt dicit Iob. Similè Num. 21. inclinauit scopulos, &c. de cælo Mãna, & pluuia: de petris aqua: de Sinai tot prodigia, sic Dauid Psal. 67. Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cũ pertrãsires in deserto, terra mota est, etenìm cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.

In diebus Samgar filij Anath, in diebus Iahel quieuerunt semitæ, quæ non frequentabantur ob insidias, *& qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios*, vt euaderent ab insidijs, quæ tendebantur, refert præcedentia gesta memorabilia, in quibus laudatur Deus, & de Samgar, quia propinquius, & notius, quæ videtur ratio aptior, vide Serrar. qui alias refert, sed hæc videtur melior.

Cessauerunt fortes in Israel, & quieuerunt durante seruitute sub Iabin: quasi non potuerunt ex illa se eximere, impotẽtes fuerunt: *donèc surgeret Debbora, surgeret mater in Israel*, cuius tempore victoria contrà eum facta est.

Noua bella elegit Dominus, per mulieres Debboram, & Iahel: at non eis danda gloria, sed Domino; *& portas* arces, potentias *hostium ipse subuertit: clypeus, & hasta si* non *apparuerint*, apparuerunt, *in quadraginta millibus Israel*, triginta enìm millia iuncta decem millibus: quasi hæc victoria adeò à Domino fuit, vt nec ensis humanus extractus è vagina, vt illud (si) non introibunt in requiem meam, vndè placet intellectus Lyrani, non Abulensis.

Cor meum diligit principes Israel, ex corde hos diligo, quasi ne puteris me hoc dicere eis insultando, & exprobrando, sed do gloriam Deo, propterea *qui propria*, &c. & vos mecum *benedicite Domino*.

Qui ascenditis, &c. vel eosdem principes, & similes illis in delicijs, & commoditatibus stantes interpellat.

Vbi collisi sunt, &c. ibì narrentur iustitiæ Domini in hostes, *& clementia in* erga *fortes Israel*, quos saluauit, & victores effecit: *tùnc* enim *descendit populus Domini*, Israel *ad portas* ad arces, ad fortalitia, tunc debellauit hostes, victor fuit, *& obtinuit principatum*, regnum, præeminentiam, superauit, antè enìm seruiebat. *Surge, surge, &c. & apprehende*, præsens pro præterito, surrexit & apprehendit *captiuos tuos, &c.*

Saluatæ sunt reliquiæ populi, quem dissipabat Iabin ex hac victoria, *Dominus in fortibus suis*, in sua fortitudine, militia sua forti dimicauit. Vel *in fortibus*, contrà fortes, & hoc meliùs connectitur sequentibus.

Ex Ephraim per Iosue ducem exercitus *deleuit eos* fortes, qui erãt in Amalec viuente Moyse, hoc præteritum, *& pòst eum*, Ephraim scilicèt *ex Beniamin* orietur dux *in* contrà *populos tuos ò Amalec*, isquè Saul, & hoc prophetãt futurum. *de Machir* tribus Manasse, *principes descenderunt & de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum* contrà Sisaram, vel intelligit tempore Saul.

Duces Issachar, vltrà iàm dictos, *fuere cùm Debbora* in prælio, *& Barac* ducis præeuntis *vestigia sunt secuti* (numerat qui fuerunt in bello) *qui* Barac *quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit*, nihil faciens vitam suam, *diuiso* constituto *contrà se*, ex aduerso, è regione *Ruben*, tribu Ruben, *magnanimorum reperta est*, visa est *cõtentio* æmulatio quærentium, & adnitentium contrà Sisaram pro victoria alteri præualere.

Quarè habitas intèr duos terminos, ò Iabin, ad eum loquitur, nempè intèr tribum Barac, & Ruben, & ità propè *vt audias sibilos gregum?* harum tribuum, replicat more canentium, *diuiso contrà se Ruben magnanimorum reperta est contentio*, & his indicat quomodò vicerint.

Galaad, tribus habitans in regione Galaad *trans Iordanẽ quiescebat*, notat qui nõ accesserint ad bellum. *& Dan vacabat nauibus: Aser habitabat in littore maris, & in portubus morabatur*, eorum negocijs, & mercibus incumbebant, & detrectauerunt ad bellum accedere.

Zabulon verò, & Nepthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome repetit

quod

quod antè de his dixerat, qui fuerunt in bello.

Venerunt reges, & pugnauerunt, pugnauerunt reges Chanaan in Thanac iuxtà aquas Maggedo, quasi in loco parato, & apto ad nocendum Israeli, in planitie scilicèt, in qua curribus vti poterant, *& tamèn nihil tulere prædantes*, etsi ad prædam inhiarent.

De cælo à Domino *dimicatum est contrà eos*, reddit rationem cur nihil tulerint, *stellæ manentes*, more poetarum loquitur, tribuens stellis quod Deo priùs attribuerat, *in ordine* statu, *& cursu suo, aduersùs Sisaram pugnauerunt*, ne diceres cælum ad nos descendisse pugnaturum: ideò sic dicit immotum in suo ordine stetisse, non proùt tempore Iosue, at diuinitùs pugnatum timore immisso, suprà cap. 4. 15. & fortè terror ex signis de cælo immissis.

Torrens Cison, dicit loca, in quibus casus hostium, *traxit cadauera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca*, conculcauit *anima mea*, fortitudo mea, *robustos*, excitat se ad hostes proterendos, vel dicit quomodò se erexerit.

Vngulæ equorum, in quibus aduersarij confidebant, *ceciderunt*, & consequentèr equi defecerunt, *fugientibus impetu*, & per præceps, *ruentibus fortissimis hostium*, equis enim vngula priuatis itineri ineptis hoc contigit, nimirùm si Sisara relicto curru in fugam se dedit, equis destitutus.

Maledicite, malum imprecamini, quia sic merentur, & in pœnam eorum *terræ Meroz dixit Angelus Domini*, hoc vt ab Angelo dictum, amplexandum, ne quis diceret malum non expetendum, vel imprecandum; nàm vult dicere à Deo hoc, *maledicite habitatoribus eius*, repetit more canentium: *quia non venerunt in auxilium Domini*, pro populo bellantis, declarat, *in adiutorium fortissimorum eius*, militum, de quibus supra. Vel prophetat maledicendum his à Deo, sed primum melius.

Benedicta intèr suprà *mulieres Iabel vxor Haber Cinæi*, pro actu contrà Sisaram, *& benedicatur*, restringit, *in tabernaculo suo*, in quo illum patrauit. Vel in domo sua, quæ multiplicetur, in eo quod malè egit, non benedicitur, sed quod benè.

Aquam petenti Sisaræ *lac dedit*, propinauit, vt maiori sopore opprimeretur, *& in phiala principum*, qua solent vti principes, *obtulit butyrum*, quod idem quod lac, est enim repetitio.

Sinistram, &c. describit quomodò interfecerit per hunc, & vers. seq.

Per fenestram, nùnc irridet coniunctos Sisaræ vsquè ad vers. 31. *respiciens vlulabat* plorans *mater eius, & de cænaculo* thalamo *loquebatur: cur*, &c. sic Tobias, & vxor pro filio, & Ruben pro Ioseph.

Vna sapientior, & socrui respondit, bona pro Sisara cogitans, vt socrum consolaretur, vel ad gloriationem, & fastum, vt in Cant. Moysis Exod. 15. 9. dixit inimicus, persequar, &c.

Sic pereant, &c. inimicis malum, amicis splendorem precatur.

Quieuitquè terra per quadraginta annos.

CAPVT VI.

PRAEMISSA præuaricatione filiorum Israel, & quomodò dati sub Madian, & oppressionibus passis dicitur clamasse ad Dominum, *qui* vers. 8. *misit ad eos virum prophetam*, proùt ad Ieroboam, non ergò Angelum, cui prophetæ nomen non conuenit, qui exprobrauit eis liberationem Aegyptiacam, & aliorum eos affligentium, terram datam, & idololatriam, quam horret Deus; sic & suprà cap. 2. similia præstitit per Angelum, at non tardat Dominus, nàm vers. 11. & seq. Gedeoni filio Ioas excutienti, & purganti *frumenta in torculari* occultè, non in area *vt fugeret Madian*, ascendendo ad loca munita, vt suprà vers. 2. & sic laboranti, non otianti, *apparuit Angelus Domini, & ait: Dominus tecum*, de præsenti, & sic intelligit Gedeon infra, hic primùm verba hæc, *virorum fortissime*, à fortitudine laudat, quia assumendus ad ea,

quæ

quæ illa indigebant, ecce quomodò Deus operantibus præsto est: sic eligit Dauid pastorem, Saul asinas quærentem; vide hìc Serrar. q. 23. *dixitquè ei Gedeon*; ignorans adhùc an esset Angelus, credens eum virum, cuius speciem referebat. *Obsecro mi Domine, si Dominus nobiscum est*, quo adstante omnia bona prouenìunt, *cur apprehenderunt nos hæc mala?* nimìs enim grauabantur, vt in princ. cap. sìc interrogat Sanctissima Virgo: quomodò fiet istud, & ibì vide similia multa, *vbì sunt mirabilia eius*, quæ fecit populo huic, *quæ narrauerunt patres nostri, atquè dixerunt*, hìnc collige Hebræos suis omnia narrasse, proùt habebant in mandatis, & plurièss obseruatum in præcedentibus libris: & de Abraham Genes. 19. *De Aegypto eduxit nos Dominus?* scilicèt in prodigijs, & manu forti, & tamquàm peculiares, *nùnc autèm dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu* potestate *Madian*. *Respexitquè ad eum Dominus*, Angelus Deum repræsentans, & hoc signo intendens eos liberàre, *& ait: vade in hac fortitudine tua*, ideò suprà *virorum fortissime*, *& liberabis Israel de manu*, potestate *Madian, scito quòd miserim te*. ego sum, qui iubeo, qui mitto; neque adhùc Gedeon nouit hunc angelum, sed suspicatur proptèr verba. *Qui respondens ait: obsecro mi Domine, in quo*, quomodò ego, *liberabo Israel?* non dubitat de actu, sed de modo; sic & Abraham Genes. 15. sìc Maria Virgo, vt dictum in Euangelijs, quod & explicat: *Eccè familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei*, humilitatis, & abiectionis causa hæc dicit, sìc Saul cùm Samuele 1. Reg. 9. 21. *Dixitquè ei Dominus: ego ero tecum*, ne timeas: *& percuties Madian quasi vnum virum*, magna facilitate, *& ille: si inueni, inquit, gratiam coràm te*, si tibi gratus sum, *da mihi signum, quod tu sis qui loqueris ad me*, quo cognoscam, vel notum fiat quis tu sis, adhùc titubabat an esset Angelus, *nèc recedas hìnc*, differ paulispèr, *donèc reuertar ad te, portans sacrificiū*, ex hoc vult signum, idest quæ in sacrificium dentur, *& offerens tibi* ad cibum, *qui* Angelus, *respondit: ego præstolabor aduentum tuum*, volebat enim signo præmunire eum. *Ingressus est itaquè Gedeon* domum, *& coxit hædum*, cocta non offerebantur, sed de oblatis coquebantur panes, & carnes, at hic non potuit id seruari, præsertim quia & ad cibum deferebantur, *de farinæ modio azymos panes*, vt celeriùs rediret, proùt Abraham, & Lot cùm Angelis, & Pythonissa cùm Saul, qui de Azymis cibos parauerunt: *carnesquè ponens in canistro, & ius carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit ei*, Angelo, *cui dixit Angelus Domini: tolle carnes, & azymos panes, & pone suprà petram illam, & ius desupèr funde*, hoc dixit, vt omnia cederent in sacrificium, nihil in cibum, *cumquè fecisset ità, extendit Angelus Domini summitatem virgæ quam tenebat in manu*, fortè enim peregrinantis faciem repræsentabat, *& tetigit carnes, & panes azymos: ascenditquè ignis de petra, & carnes, azymosquè panes consumpsit: Angelus autèm Domini euanuit ex oculis eius*, nūcio exposito, & signo dato. *vidensquè Gedeon, quod esset Angelus Domini*, tùnc enim aperti sunt oculi, ex igne, & incendio hoc sumpsit (proùt Elias, Deus, qui exaudierit per ignem, sit Deus) *ait: Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem*, clarè, proùt Iacob luctans; quasi moriar; versabatur enim hoc in ore vulgarium, vt videntes Deum, vel Angelum morerentur, vt dixi in Zacharia, vide hìc Abulen. & Serrar. *dixitquè ei Dominus*, idest Angelus Deum repræsentans; qui iàm euanuerat, hoc est, oculis Gedeonis non apparebat, iterùm apparens; ostendunt enim se, vel abscondunt ad eorum libitum: *Pax tecum: nè timeas, non morieris*, hoc signum boni Angeli, vt dixi in Zacharia *ædificauit ergò ibì Gedeō altare Domino*, non ad sacrificium, sed ad memoriā facti, ut Dauid in area Ornan Iebusæi ad sacrificium, *vocauitquè illud, Domini pax*, quasi hic mihi timenti mortem pax data, & euasi, *quod nomen retinet vsquè in præsentem diem*, sic Iacob: vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. *Nocte illa visioni dixit Dominus ad eum; tollet aurum patris tui & alterum taurum annorum septem*, non constat quod hic destinati ad sacrificium Baal, *destruesquè aram Baal, quæ est patris tui: & nemus*,

mus, quod circà aram est succide, vult Deus antè liberationē idolòlatriam exterminari, qua stante nolebat eos liberare: *& ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ huius, supèr quam antè sacrificium posuisti: tollesquè taurum secundum, & offeres holocaustum*, quod totum cremabatur, *supèr struem lignorum, quæ de nemore succideris* nedùm Deus voluit prima fieri contrà Baal, & aram, & nemus, sed & hæc sibi fieri, & offerri, vt contrarijs etiàm actibus eius cultus manifestaretur, & minister constituitur Gedeon, vndè & minister suprà cùm Angelo dici poterit. *Assumptis ergò Gedeon decem viris de seruis suis*, solus enim non potuisset vna nocte aram destruere, lucum succidere, altare construere, ligna deferre, & immolare, *fecit sicùt præceperat ei Dominus*, illicò exequitur: sic Abraham de nocte consurgens: sic Ioseph. Ex apparitione Gedeoni facta, ex verbis *(quæ est patris tui)* ex hoc facto, & obedientia æstimo Gedeonem liberum ab idolòlatria, etsi pater infectus; proùt dixi de Abraham libero, Thare infecto alibì, idquè confirmant dicta pro Abraham, quem nunquàm contaminatum idolòlatria tenui; vide Theodoret. & Serrar. *Timens autèm domum*, familiam, *patris sui, & homines illius ciuitatis, per diē noluit id facere, sed omnia nocte compleuit*, in quo commendatur prudentia Gedeonis. Versic. 31. *Numquid vltores estis Baal, vt pugnetis pro eo vos homines? qui aduersarius est eius, moriatur, antequàm lux crastina veniat:* quasi sic precor, sic volo, at nō manu nostra: nàm *si* Baal *Deus* est, *vindicet se* sua potentia *de eo, qui suffodit arameius*. Puto vel Ioas à Gedeone monitum de his, quæ euenerant, & credidisse, & approbasse facta, vel ex naturali affectu Gedeoni paruisse: at primum puto verius, quia si perstitisset Ioas in cultu Baal, filium postposuisset cultui illius, patet infrà ex Mich. cap. 18. 24. Versic. 34. *Spiritus autèm Domini induit Gedeon*; sìc & in Saul surrexit, & in alijs, Iosue, Aod, &c. Vers. 36. *Si saluum facis per manum meam Israel, sicùt locutus es*, &c. & sìc voluit duo signa pro victoria, hoc autèm credendum factum esse instinctu Dei ad ipsum, & populum iàm congregatum certificandum, ne expauescerent, præsertìm quia vtitur secunda vice, *Ne irascatur furor tuus*, &c. more Abraham rogantis pro Sodomis, alìoquin si malè fecisset, Deus non concurrisset ad miracula, & primum signum incendij sacrificij fuit in manifestationem Angeli loquentis: quærebat enìm Gedeon dubitans quis esset, sìc apparitio in nocte, quæ agenda contrà idolòlatriam, & pro Dei cultu. At hæc pro victoria futura, & in confirmationem dictorum ab Angelo. Vide Abul.

CAPVT VII.

VERS. 1. *Igitur Ierobaal, qui & Gedeon:* sic de Saulo binomio. Act. 13. Saulus, qui & Paulus, ex hoc textu ille declaratur. Versic. 2. *Multus tecum est populus*, &c. vult Deus à se recognosci victoriam ad deuinciendum sibi magìs populum, & ne proruat in vanitates, sibi ipsi victoriam ascribendo, *ne glorietur*, vndè Paulus: qui gloriatur, in Domino glorietur, hincquè patet quod dixit: non est Deo difficile in paucis vincere, quod & dictum à Machabæo. Vers. 3. *Qui formidolosus est*, &c. sic statutum Deut. 20. & obseruatum 1. Mach. 3. 56. Vers. 4. *De quo dixero tibi*, ad præmonendum, proùt Samueli de Dauid. Vers. 5. 6. 7. Retinentur lambentes aquas tercenti tātùm, vel quia hi ad pugnā paratiores, & expeditiores, vel quia hos sciebat in minori esse numero, & paucos volebat, quod videtur magìs vrgere, quàm alia ratio ex modo bibendi diuerso, in quo nullam vim facerē, imò potiùs si vlla differentia facienda esset, crederem hos tercentos ex modo bibendi fuisse segniores: at hos Deum retineri voluisse, vt segnibus victoriam reportaret sibi, non militum fortitudini ascribendam. Nèc obstat si timidiores eiecti, quia id ad exercitum diminuen-

minuendum, & quia id solitum in castris Iudæorum ex legis præscriptione. Vers. 9. vsquè 17. De somnio à Deo prædicto, & immisso, quo confortatus Gedeon: qui dicitur *subcinericius panis ex hordeo*, quasi neglectus,& minimus; debiles eligit Deus,vt confundat fortes. At ex hoc somnio,& interpretatione collige etiàm malis concedi gratias gratis datas,vt dixi in Cœco nato in Euang. id enim fit ad vtilitatem aliorum, non prophetantium: hinc Pharao, & Nabuchodonosor, & Caiphas futura somniant, & prædicunt. At hi tres non intellexerunt somnia, vel prophetias, sed is intellexit, vers. 14. ad profectum Gedeonis, sed vel non credidit, vel non permisit Deus, vt sibi, & exercitui fuga, vel alio modo consuleret, quicquid dicat Abul. & Serrar. Ad huius facti similitudinem cœpit omen suum Ionathas cùm armigero. vide Abulen. Vers. 10. *Sin autèm solus ire formidas, descendat Phara puer tuus*. Eccè quomodò Deus compatitur nostræ imbecillitati, videt imperfectum nostrum, vide Gen. 7. pòst diluuium. Vers. 17. *Quod me facere videritis*, &c. sic Abimelech, infra cap. 9. 49. sic Christus Dominus iussit, vt eum imitaremur. Vers. 18. *Domino, & Gedeoni*, vt iuxtà somnium nomen Gedeonis horrerent, & Dominus vult etiàm hanc gloriam seruorum suorum, reliqua de victoria clara.

CAPVT VIII.

VERS. 2. *Quid enim tale facere potui*, &c. mollis responsio fregit iram Ephraitarum; *nonnè melior est racemus Ephraim, vindemijs Abiezer?* ex qua ego ortus sum? quasi quid magnificum poteratis à me minimo recipere? *In manus vestras*, &c. & sic declarat illud, *quid tale facere potui*, &c. prudentèr se gessit, quia non erat tempus discordiæ, sed persequendi hostes. Versic. 5. *Date, obsecro, panes*, &c. hi recusantes malè fecerunt, imò victoribus occurri solet, vt obseruaui Gen. 14. Heb. 7. & sub panibus intellige obsonia. Vers. 16. *Tulit ergò seniores*, &c. cur hæc pœna crudelis? ad exemplum in delicto contrà principem, sic Dauid contrà Ammonitas 2. Reg. 11. 1. Paral. 20. Vers. 20. *Dixitquè Iether primogenito suo*, ad illum animandum, proùt Iosue, qui iussit poni pedes supèr colla quinque regum. Vers. 21. *Tu surge, & irrue*, &c. non id quærunt, quasi cederet in vilipendium à puero occidi, proùt de muliere seq. cap. Abimelech: sed quia puer celerem mortem non intulisset; ideò dicunt *iuxtà ætatem robur est hominis*. Vers. 22. *Dominare*, &c. rectè recusat dicens: *Dominabitur vobis Dominus*, quod ipsi malè obtulerunt, quia quandò tempore Samuelis petierunt regem, dixit Deus: non abiecerunt te, sed me, & regnũ erat Dei, proùt terra tota Chanaan 1. Paral. 28. vbi Abul. q. 18. qui meminit huius loci. Vers. 27. *Fecitquè ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra*, in memoriam tantæ victoriæ, & honorem Dei, non ad sacrificium, non ad consulendum Deum, quia illud in Ephod à Domino ordinato, & iussio, secùs in hoc, vel alio, nequè credendum in eo peccasse Gedeonem, tùm quia nihil de hoc, & humilis apparet respondens Ephraimitis, recusauit regnũ pro se, & filijs, sed retulit ad Dominum, & ipse destruxerat aram Baal, tùm quia Deus non esset passus, vt per quadraginta annos vitæ suæ quiesceret terra vers. 26. imò Deus Core, & Abiron, & regem Oziam assumentes sibi honorẽ puniuit; tùm quia non diceretur vers. 32. *mortuus est in senectute bona*, vt in Abraham; imò pòst mortẽ eius vers. 33. dicitur, *auersi sunt filij Israel*, &c. & vers. 35. imponitur ingratitudo Israeli iuxtà omnia bona Gedeonis cùm domo sua: & Paulus Heb. 11. cùm Sanctis refert. *Fornicatusquè est omnis Israel*, non Gedeon, *in eo* idololatrando, vel fornicatio sic capitur, & *factum est Gedeoni*, non in eo peccanti, sed vel illius memoriæ à parùm considerantibus, vel suorum, quos subdit, *& omni domui eius in ruinam*, quia Deus puniuit suos idololatras. Nec obstat, dedit occasionem peccandi,

quia & serpens factus à Moyse, & in eo peccatum, & tamèn imputatur Moysi peccatum aliorum. Vidi pòst Serrar. quem consulas. Abul. 2. Reg. 18. q. 21.

CAPVT IX.

QVOMODO Abimelech filius Ierobaal, occisis septuaginta fratribus, vt faciliùs induceret Sichimitas ad constituendum eum regem, sublato timore fratrum, qui ad regnum aspirare poterant, proùt Absalom ex consilio Achitophel declarans se non posse ampliùs reconciliari patri ex cognitione concubinarum 2. Regum 6. & posteà à Sichimitis timore vacuis factus rex. *Supèr lapidem vnum*, quasi nullo resistente, salua manu, *remansitquè Ioathan minimus*, absconditus, & is versic. 8. parabolam proposuit lignorum ad oliuam, ficum, vitem, recusantes imperium, quæ tria ad idem tendunt, & rhamnum acceptantem, ex qua inferebat dimissos bonos fratres, & electum pessimum in regem, qui timens sibi, & recognoscens suam indignitatem, proùt Rhamnus intèr ligna vers. 15. suspicabatur id ne seriò fieret, propterea inducit dicentem, *si verè* non per irrisionem *me regem constituitis, venite & sub vmbra* protectione *mea requiescite: si autèm non vultis*, vi agere intédens, *egrediatur ignis de Rhamno* ad incendium apto, *& deuoret cedros libani*, sub his Principes, & hoc vel imprecatur, vel à Deo emanare credit in Sichimitas, vers. 20. & in Abimelech, nequè placet hac parabola agere de præcedentibus Iudicibus, de fratribus enìm, & se erat sermo, & sìc præsumitur quisque loqui potiùs de spectantibus ad se, & propinquos, quàm ad alios. Vers. 23. *Misitquè Dominus spiritum pessimum*, non excitans eorum animos, sed permittens eos labere in peccatum, subtrahens ab eis suum diuinũ auxilium. vel *Spiritum*, idest diabolũ dissentionis immittens, proùt spiritum deceptorem in Achab. 3. Reg. 22. *qui cæperunt eum detestari*, &c. ex quo collige, etiàm impijs aliquandò displicere scelera aliorum. Vers. 25. *Agentes prædas de prætereuntibus*, hìc primùm de latronibus viarum, etsi de gigantibus. Genes. 6. & de Nembrod. Genes. 10. Vers. 28. *Quis est Abimelech?* &c. sìc alij de Saul, & de Dauid. 1. Reg. 10. 27. 2. Reg. 20. 1. Vers. 29. *Vtinàm*, sìc & optabat Absalom. 2. Reg. 15. 4. Vers. 36. ex dictis Gaal arguitur eius formido vsquè ad vers. 39. Vers. 43. vsquè ad 50. apparet euenisse quod dixit Ioathan, in Sichimitas. Vers. 45. Nota sal dispersum supèr vrbem destructam, quod prima vice legitur factum in Scriptura sacra. Vers. 53. *Et eccè vna mulier fragmen molæ*, &c. sicùt Abimelech supèr vnum lapidem occidit septuaginta fratres, ità ipse (fragmine molę scilicèt) saxo illisus caput, & ab alio occisus, & de hoc 2. Reg. 11. 21. Vers. 14. *Ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus sim*, sìc & Saul, ne ab incircumcisis 1. Reg. 31. 4. 1. Paral. 10. 4.

CAPVT X.

AGITVR de Thola, & Iair Iudicibus, de quorum gestis nihil refertur, sed malum idolòlatriæ filiorũ Israel, quomodò afflicti, & oppressi per annos decem, & octo clamauerunt ad Dominum, confitentes peccatum, quibus exprobrauit liberationem à plurium seruitute, *& tamèn* (dicit) *reliquistis me, & coluistis deos alienos: idcircò non addam, vt vltrà vos liberem*, quod intelligendum iuxtà præsentem statum idolòlatriæ. *ite, & inuocate*, &c. vers. 14. sìc & Moyses Deut. 32. 37. & dicet: vbi sunt dij eorum, &c. sed iterùm recurrentes ad Dominũ, & proijcientes idòla aliorum deorum auditi sunt: *doluit enìm supèr miserijs eorũ* vers. 16. Vers. 4. *Supèr triginta pullos asinarum*; horum vsus intèr Hebræos, non equorum; sìc infrà c. 12. vers. 14. hinc Iesus his vsus.

CAPVT

CAPVT XI.

FVIT illo tempore Iephte Galaadites vir fortissimus ab hac virtute commendatur. Vers.2. *Hares in domo patris nostri*, &c. hinc de illo tempore etiā adulterini arcebātur à successione, sic & Ismael, & alij per Abraham, & Saram. Vers. 3. *Cōgregati sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi principem sequebantur:* sic videbimus, & in Dauid tempore Saulis: at credēndum, quòd proùt Dauid, & ipsi in hostes pergerent. 1. Reg. 22. Vers. 9. *Si verè venistis ad me*, &c. hæc sunt verba diffidentiæ, proùt & Rhamni suprà cap. 9. 15. Vers. 11. *Locutusq. est Iephte omnes sermones suos coràm Domino, &c* hinc probitas viri, vel securitas principatus. Vers. 12. *Et misit nuncios*, &c. hinc prudētia Iephte volentis scire causam belli. *Quid mihi, & tibi est*, idest, quo iure niteris, vel quod tibi negocij mecum? vide scripta in Euang. in nuptijs Canæ. Vers. 18. *Nec voluit intrare terminos Moab.* ex his declara dicta in Exod. su pèr circuitu illius terrę. Ver. 13. Probat Iephte terram suam, quia Dominus eam populo concessit: Deus enim Dominus terræ, & ipse mutat regna, proùt vult; & ex præscriptione tercentorum annorum vers. 26. vide Abul. 1. Reg. 30. q. 15. Eumdem hic, & Serrar. Vers. 30. Votum Iephte offerendi Domino holocaustum primum domus suę occurrens ei reuertenti. Vers. 34. *Occurrit ei vnigenita filia sua*, quam in holocaustū sacrificasse verisimiliùs, tùm quia sic cantabat votum, tùm quia visa illa, *scidit vestimenta sua, & ait: Heù, heù me filia mea decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meū ad Dominum;* & tùnc verisimilitèr explicauit votum; *& aliud facere non potero:* tùnc enim vigebat tanta obseruantia iuramenti, & voti, & horror ab eis discedendi, vt quisque niteretur ea effectui mandare absq. vlla reseruatione, sicùt dictū est in iuramento Iosue, & principum facto Gabaonitis. Ios. 9. *Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuū ad Dominum, fac mihi quomodocumque pollicitus es*, ex quibus verbis colligitur assensus, & fortitudo virginis, quæ augetur ex reditu pòst duos mēses, quos rogauit præstari sibi, ut circuiret montes, & plangeret virginitatem cum sodalibus suis, *fleuitquè eam*, non quia reseruanda (vt quid enim, si reseruanda erat, flere?) sed quia moritura absquè prole, quæ eo tempore desiderabilis erat: sed omnia clara ex textu, quia vers. 39. subditur. *Expletisquè duobus mensibus reuersa est ad patrem suum, & fecit ei sicùt nouerat.* & alludens ad uirginitatem deploratam, quia sinè prole decesserat, dicit, *quæ ignorabat virum*; & ex planctu filiarum Israel. non enim planxissent reseruatam, sed mortuam; planctus enim pro mortuis, non pro reseruatis. Dices indiscretum fuit uotū, iniusta actio est. Respondeo. si uotum, & actionē ex deliberatione humana, non ex instinctu Spiritus sancti fecisset Iephte. Vndè & à Paulo intèr Sanctos numeratur Hebr. 11. & habuit exemplum Abrahæ, ut ex eo saltē suspicari potuerit id licere.

Aduerte tamèn, quia Ioram iurans occidere Eliseum, nō seruauit iuramentū. 4. Reg. 6. quia fuit iuramentum inconsideratum, & factum contrà iustitiam, atquè adeò horrore facti auersus est: uide Abul. 4. Reg. 6. q. 40. tamèn Abul. credit Iephte peccasse, quia fuit actus contrà naturam occisio filiæ, idē Abul. 4. Reg. 6. q. 31. 32. & non habuit iussionem, proùt Abrahā à Deo: undè si ignorauit, fuit crassa ignorantia non excusans: & quamuis Paulus intèr Sanctos eum referat, tamèn potuit & peccasse, proùt Dauid, Petrus, & alij. & pœnituisse. Sed huius opinionis censura nobis omittenda est.

Concludo igitùr Iephte peccasse fortè uenialitèr in aliqua circunstantia actus uoti à se facti, mortalitèr uerò in substantia facti nullo modo peccasse, quia actus uoti in substātia fuit bonus, & à Deo uolitus. At flendo in occursu filiæ non peccauit, quia hoc naturale, & proùt ingemimus mortuos, ità morituros, & in his non offenditur Deus, eò magìs, quia Deum prætulit filiæ uotum obseruando. Sanctus Hieronymus Ierem. 7. in fin. dicit, non sacrificium placet, sed animus offerentis. Vide Hugon. Cardin. Ierem. 7.

CAPVT XII.

DE seditione Ephraim contrà Iephte, dequè quadraginta duobus millibus cæsis. Versic. 3. *Posui animam meam in manibus meis*, exposui me periculo vitæ. Deindè de Abesan, Ahialon, Abdon Iudicibus, quorum nulla gesta recitantur, nisi prolem numerosam duorum.

CAPVT XIII.

RVRSVMQVE *filij Israel fecerunt malum* supèr omnia mala idolòlatrãdo. Vers. 2. *Erat autèm*, *&c.* incipit historiam Samsonis. Versic. 3. *Cui apparuit Angelus Domini*, quem tamèn ipsa non cognouit, *& dixit ad eam*, probans se Angelum ex scientia occultorum: *sterilis es*, *& absquè liberis*, at bona nuncio: *sed concipies*, & non aborties, & *paries filium*: ex euenturis de illo, *caue ergò nè bibas vinum*, &c. hæc respiciebant non matrem, sed filium. Versic. 13. & 14. Nazaræum dicendum *ab infantia sua, & ex matris vtero:* sic enim prælectus erat, vndè etsi manducabat hæc mater, non illa, sed in aliud conuersa recipiebat filius in vtero, & natus in lacte, non quod in vtero sanctificatus esset, agitur enim de solo nazaræatu, non sanctificatione; vide quæ dixi de Ieremia, de quo hìc Abul. in Euang. in Ioanne Baptista. & 1. Cor. 2. in q. An gratia prima data Adam ex præuisis meritis Christi. *vsquè ad diem mortis suæ*. versic. 7. Vers. 6. Constat Angelum apparuisse in forma humana, & venerabili. mulier sapiens cùm viro suo communicat visionem. Vers. 8. *Orauit itaquè Manue*. apparet bonitas horum coniugum ex oratione, & quia crediderunt verbis viri Dei. vers. 12. Vers. 16. *Si me cogis*, etiàm si me cogas, *non comedam panes tuos*, eccè sub panibus obsonia, quia vers. 15. obtulerat hœdum: *si autèm vis holocaustum facere*, de hoc Angelus hìc, & cùm Gedeone, quia gratius sacrificium Deo, *offer illud Domino*, ad Dominum referunt omnia Angeli; sìc Apocal. 22. Deum adora. *Et nesciebat Manue, quòd Angelus Domini esset*, nequè vxor, vt dixi. Vers. 17. *Quod est tibi nomen, vt si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te?* eccè animi gratitudo. Vers. 18. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* venerabile, admirandum: quasi id tibi sufficiat: trium Angelorum tantùm scimus nomina ex ministerio iniũcto, & perfecto, non aliorum: volunt enim omnia in Deum referri, adeò zelant illius honorem. sìc ille cùm Iacob noluit nomen indicare. Versic. 19. *Tulit itaquè Manue hædum de capris, & libamenta, & posuit supèr petram, offerens Domino, qui facit mirabilia*, à quo recognoscenda mirabilia facienda nobis dicta, non ab Angelo: *ipse autèm, & vxor eius intuebantur*, assistebant. Vers. 20. *Cumquè ascenderet flamma altaris*, ex lignorũ appositorum strue, ne demus miraculum, cuius nulla mentio, *in cælum Angelus Domini paritèr in flamma ascendit:* sicùt dicitur de ascensu per flammam, ità diceretur de igne, seù flamma ex miraculo, si id factum esset, & sufficit hoc signum datum solùm, sicùt Gedeoni incendium: vndè posteà non ascendit in flamma, sed euanuit. Vers. 21. *Et vltrà eis non apparuit Angelus Domini*. expletis enim eorum nuncijs non sistunt. Vers. 22. *Morte moriemur, quia vidimu. Deum*. sìc tùnc currebat hæc vana vox, & dubitatio, ut in Gedeone, & alibì dixi. Vers. 23. *Si Dominus*, &c. ex felicitèr gestis, & ex tuta promissorũ expectatione à Deo repulit hunc timorem mortis uxor prudens. Vers. 24. *Peperit*, &c. eccè adimplementum, *& benedixit ei Dominus*, benefecit, confortauit. Vers. 25. *Cæpitquè spiritus Domini*, fortitudinis esse cũ eo.

CAPVT

CAPVT XIV.

VERS. 3. *Numquid non est* &c. *incircumcisi sunt* ex his verbis videtur parentes innuere non licere vxorem accipere de Philistijm, & sic erat, quia erant Chananæi, sed tamèn ad saluandum actum debet dici ex verbis huius contextus Dominum iussisse, seù voluisse, idquè aliquo modo manifestasse; At verò parentes enixos Samsonem remouere à coniugio Philistinæ à principio, quia, vt dicitur in textu, *nesciebant quòd res à Domino fieret, & quæreret occasionem contrà Philisthijm*. Vers. 5. *Apparuit catulus Leonis &c. Irruit autèm spiritus Domini in Samson*, robur spirans, *& deliceravit leonem*, voluit Deus ex hoc actu tutum illum reddere fortitudinis insitæ, & concessæ, *& hoc patri, & matri noluit indicare*, ex vers. 9. proùt nequè Saul patruo de regno; hinc prudentia illius arguitur: ex vers. 16. apparet cur eis non reuelauerit, & quia hìc non reuelauit, nequè credendum, quòd dixerit reuelationem à Deo, si habuisset de accipienda Philistina. Vers. 8. *Et eccè examen apum*, &c. *ac fauus mellis*, &c. quod fuit indicium mirabilium, quæ gesturus erat sua fortitudine. Vers. 15. *Incendemus te, & domum patris tui*, &c. sic Ephraitæ contrà Iephtæ suprà cap. 12. 1. Vers. 16. *Patri meo, & matri*, &c. Et si ratio non videatur bona, quia in vxorem maior charitas, Gen. 2. proptèr hoc derelinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, tamèn in hoc præferendi parentes, qui habent in potestate filios, præsertìm Pater, & quidèm in his, quæ non pertinent ad statum vxoris. Vers. 17. *Septem igitùr diebus conuiuij*, &c. in primis diebus ex curiositate propria, proùt parentes, vel instantibus iuuenibus, qui cùm ea tractabant, etsi non dicatur, nisi de die septimo, quandò acritèr cùm ea egerunt. vers. 15. *tandemquè die septimo cùm ei esset molesta, exposuit*, ne contristaretur delicias suas, proùt Adam ex Augustino. *Quæ statìm indicauit ciuibus suis*, eccè quàm parùm fidendum mulieri. Vers. 18. *Si non arassetis in vitula mea*, vxorem meam non interrogassetis, &c. Vers. 19. *Irruit itaquè in eum spiritus Domini*, fortitudinis, hoc dixit, quia verum actum fortitudinis exercuit, non quod robur de nouo infunderetur, sed animositas. *Iratusquè nimis ascendit in domum patris sui:* Aegrè tulit enim problema suum reuelari, & hinc capta occasio iræ, quæ creuit vxore eius alteri tradita. vers. 20. & cap. seq.

CAPVT XV.

REDIENS Samson ad vxorem, & exclusus, quia alteri data, quod non licebat, quia viro, non mulieri repudium licebat, vt & infrà in Michol vxore Dauid dicetur, vulpibus tercentis ussit segetes, ligatus à suis, & solutus mille Philistijm mandibula asini percussit, cecinit Domino, proùt Moyses, Debbora, Iudith; sitiquè moriens, è mandibula Deus aquam propinauit, dicenti: *Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, atquè victoriam: en siti morior*, quia quid mihi hæc proderunt siti deficienti? proùt Esau vendens primogenita Iacob, dicens: en morior, quid mihi proderunt primogenita? Gen. 25. 31. sic & puero Agar sitienti prouidit de aqua Deus per Angelum. Vers. 6. *Samson gener Thamnathæi*, ergò per totam Philistijm debacchata flāma, cùm Philistijm interrogent, Vers. 8. *Ità vt stupentes suram fœmori imponerent*, morem stupentium ex aliqua re mirabili exprimit. Vers. 18. *Incidamquè in manus incircumcisorum*, sic & Saul. 1. Reg. 31. 4.

CAPVT XVI.

SAMSON in Gaza ad meretricem portat portas ad montem, & euadit, & in hoc resurrectionis D. N. figura, quia sicùt Samson viribus suis euadit sublatis portis, sic Christus potentia sua suscitat se ipsum, & idem dùm Samson ligatus soluit se ipsum suprà cap. præced. & in hoc pluriès, & dùm se occidendo tot occidit, victoriam, quam sua morte Christus contrà dæmones habuit, figurat. Vide Serrar. q. 42. 43. & seqq. Deperit Dalilam, à qua deceptus capitur, exoculatur, & tandèm occidit se, & philistinos plures. Vers. 17. *Tùnc aperiens veritatem*, sic suprà cùm vxore cap. 14. 17. Vers. 21. *Statim eruerunt oculos eius.* sic factum Regi Sedeciæ mœruit in oculis puniri, qui per eos totiès peccauerat. Vers. 23. 24. *Tradidit Deus noster.* eccè gloriatio, sic, & dicunt: manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia. Vers. 25. *Lætantesquè per conuiuia.* sic fratres Ioseph eo in cisterna deposito, nequè eius miserebantur. Vers. 28. *At ille inuocato Domino*, &c. exaudiuit autèm Deus precem pauperis, quem iàm iàm pœnituerat vexatione maxima fractus. Vers. 30. *Moriatur anima mea cùm Philistijm*, Quasi libentèr animam meam trado, postquàm tot cadent mecum Philistini: & sic saluus, & Sanctus ex Paulo Heb. 11. cùm Philistijm anima, vita hæc mortalis, non immortalis anima, quam saluauit: si enim Balaam iniquus dixit: moriatur anima mea morte iustorum, quæ pretiosa est in conspectu Domini, quid bonus Samson? vide Abul. & Serrar. Vers. 31. *Iudicauitquè Israel viginti annis*, & c. 15. 20. S. Paulus intèr Iudices illum refert Hebr. 11. 32. vndè Masius decipitur contrarium dicens. vide Serrar.

Nihil suadet fuisse gigantem Samsonem, imò omnia contrarium, & præsertìm quia moli corporis attributæ fuissent vires, non capillo, non nazaræatui, non Deo, & Scriptura id explicasset, proùt de alijs, & cur quæsitum esset in quo consisterent eius vires? quomodò vxorem duxisset?

Aduerte, fortitudo Samson erat immanens, non autèm superueniens, dùm dicitur, *& insedit in eum spiritus Domini*, quia quo tempore ligabatur à Dalila, nihil agens contrà Philistæos apparebat, & quia rasis capillis amisit eam.

CAPVT XVII.

FVIT *eo tempore.* Vndè videntur pòst dicta de Samsone hæc continuare, contrà Abul. qui tenet hoc factum Michæ, & Leuitæ alio tempore contigisse. Vers. 2. & 3. Accipe exemplum pro monitionibus ad reuelandum subrepta, vel amissa, & similia: nàm id, quod operatæ sunt execrationes mulieris in filio, operantur monitiones nostræ, quæ præmittuntur cùm comminatione. Vers. 3. *Consecraui, & voui hoc argentum Domino*, idest idòlo, sæpè tribuitur idòlis, quod non conuenit, sed iuxtà reputationem cultorum. Riber. Machab. 2. num. 25. Vers. 5. Si hìc ædicula pro idòlo, quanto melius in domibus nostris oratoria in honorem Dei? Versic. 6. *Non erat Rex*, idest rector, seù Iudex in Israel: nàm nullus rex antè Saul. Vers. 10. *Esto mihi parens, ac Sacerdos:* & vers. 11. *Fuitquè illi quasi vnus de filijs*, hinc discamus titulos sacerdotum, & quomodò cùm eis agamus, eosquè tractemus. Vers. 13. *Nùnc scio*, &c. hinc commonendi laici, vt retineant apud se Sacerdotes, quia proptèr illos Deus eis benefaciet; sic ob Iacob Laban, ob Ioseph domino suo benedixit Deus.

CAPVT

CAPVT XVIII.

VERS. 5. *Rogauerunt autèm eum, vt consuleret Dominum*, non videntur peccasse Danitæ, qui intellexerunt de Domino vero, qui sub nomine Domini intelligitur. Vers. 6. *Ite in pace*, &c. an consulto, & reuelãte Domino id fecerit Leuita, incertum, quia Scriptura non aperit. Vers. 19. *Vt habeamus te patrem, ac Sacerdotem*. idem dixerat Micha cap. præced. Vers. 23. *Quid tibi vis? cur clamas?* sìc Abner cùm Phalthiel. 2. Reg. 3. 16. Vers. 24. Si Micha tanti facit idòla sua, in quibus omne bonum suum dicit, quid nos Deum nostrum? Vers. 30. *Vsquè ad diem captiuitatis suæ*, quæ non fuit tempore Ieroboam, quia præscribitur aliud tempus, *quo mansit Arca Domini in Silo*, vers. seq. & 1. Reg. 7. ablata idòla auctore Samuele, & tempore Ieroboam erecti vituli in cultum. Hinc argue malitiam huius tribus, quæ tanto tempore idolòlatriam coluit, & sic furtum idòli cessit eis in ruinam.

CAPVT XIX.

DE iniuria facta Leuitæ, cuius vxor violata, & mortua. Vers. 2. *Quæ reliquit eum*, &c. credo fuisse iurgia intèr eos, non autèm illam adulterasse, quia nihil de hoc textus, & quia vir voluit reconciliari, blandiri, &c. quæ videntur iram præcedentem, & iurgia innuere, etsi fuisset inter eos quicquam graue, non illicò mulier virum in domum introduxisset sibi timens. Versic. 3. *Quæ suscepit eum*, discamus quid agendum cùm inimicis se reconciliari volentibus, vt vltrò nos ostendamus paratos: eo magis cùm coniugibus. Vers. 15. & 18. *Et nullus eos recipere voluit hospitio*, ex hoc cogita quales viri loci huius. Vers. 17. Senex vltrò, non rogatus adit hominem; sìc cùm pauperibus verecundis agendum; sìc Booz cùm Ruth; sìc Samaritanus cùm sauciato, Tobias cùm contribulibus. Tob. 1. Abraham, & Loth cùm Angelis. Vers. 21. *Lauerunt pedes suos*, sìc Abraham, lauentur pedes vestri. Vers. 22. *Vt abutamur eo*, contrà naturam, vt infrà vers. 24. vndè clara sunt verba contrà Lyranum: simile in Sodomitis cùm Angelis, & Lot. Vers. 23. *Quia ingressus est homo hospitium meum*, sìc & Lot dicebat, sub vmbra culminis mei. Vers. 24. *Habeo filiam virginem, & hic homo*, &c. An is proferens, & alius educens (vers. 25.) peccauerint? de primo vide in Lot. Gen. 19. si carebat intentione producendi illas, non peccauit; de secundo credo peccasse, quia priùs vis, & mors expectanda; sed aduerte Senem non produxisse vxorem Leuitæ, sed Leuita eam produxit ex textu. Abulensis tamèn vult eam productam à Sene de consensu viri, & si volentem, proùt videtur, peccauit & ipsa, quia non tenebatur obedire, si vi, de qua non apparet, ipsa non peccasset. Vide Caiet. & Serrar. q. 10. Vers. 26. *Dominus meus*, eccè honor ab vxoribus viris debitus, de quo S. Petrus, & Paulus, Sara Abraham dominum suum vocabat. Vers. 29. *Et cadauer vxoris cùm ossibus suis in duodecim partes, ac frusta concidens*, vt appareret de corpore delicti, & magis commouerentur animi inspicientium; sic Saul ad eumdem effectum misit frusta boum ad vniuersum Israel 1. Reg. 11. *Misit in omnes terminos Israel*, non tamèn ad tribum Beniamin, quia non conuenit in Maspha, proùt aliæ tribus infrà cap. 20.

CAPVT

CAPVT XX.

DESTRVCTIO tribus Beniamin: narratur priùs congregatio Israelis, qui tùnc colebant Dominum, & exemplo Achaz timebat, ne ob tantum scelus vnius loci totus Israel pateretur, proùt dixerunt Ios. 22. & infrà vers. 13. *& auferatur malum de Israel*. Vers. 3. *Interrogatusquè Leuita*, ordine seruato procedunt. Vers. 5. *Volentes me occidere*, aùt & id minati sunt viri illi contrà nolentem satisfacere furori eorum, aùt sub hoc verbo intelligit vitium, quod non audet referre; aùt omnia dixit, & Scriptura non vtitur repetitione eorum, quæ dixerat cap. præced. Vers. 11. *Conuenitquè totus Israel ad Ciuitatem Maspha*, vers. 1. Vers. 18. *Iudas*, id est tribus Iuda, *sit dux vester*, sic & suprà cap. 1. Vers. 21. *Egressiquè &c.* bis præualent Beniamitæ Deo sic disponente, quia cùm illis voluit punire alias tribus, vel quæ non puniebant Danitas habentes idòlum in Lais, vel ob alia peccata; vel quia confidebant in se ipsis, vers. 22. & volebat victoriam cognosci à se versic. 35. multas causas adducit Serrar. q. 5. apud eum vide: tandèm ex vigintiquinque millibus, & septingentis, sexcenti tantùm fuga elapsi sunt, & remanserunt de Beniamitis.

CAPVT XXI.

VERS. 7. *Vndè vxores accipient? omnes enim in commune iurauimus*, &c hinc non fuisse illicitum ducere vxores ex alia tribu, dummodò non haberent hæreditatem, ne confunderentur sortes: nàm non fundant se in prohibitione legis, sed iuramenti. At aduerte, quia hæ admittebantur ad hæreditatem, cùm masculi non adessent: sed hìc dispensatum in casu necessitatis, vt per Abul. allegantem exemplum Dauid. q. 29. vel filij denominabantur ab Auo materno, vt per eundem. At eo casu non tenebantur iuramento, sed ob simplicitatem, & ruditatem illius ætatis sìc censuerunt, & descenderunt ad maiora mala in Galaad, & raptum in Silo; sìc visum in iuramento Iosue, & Principum cùm Gabaonitis: in iuramento Saulis: sìc in voto Iephte: sìc in lege, vt per omnes in illis locis: vndè Mach. 2. noluerũt etiàm ad defensionem in Sabbato pugnare, sìc in hac cæde Iabesanorum: sed cessante illa ruditate, cæperunt legem interpretari mitiùs: vndè cẽsuerunt ad defensionem pugnandum etiàm in Sabbato, vt in eisdem Machabæis asinum in foueam cadentem releuandum, Luc. 13. Vers. 4. *Extruxerat altare*, aliud, quia fortè vnum ibi existens sufficiens non erat, sic Caiet. vide Serrar. q. 1. Vers. 8. *Quis est de vniuersis tribubus in Israel, qui non ascendit ad Dominum in Maspha?* id non quæsierunt, quasi qui non iurauerit, vt per Abul. sed in exercitu non fuerit, vers. 5. nàm etsi iurassent, mortui non dabant filias suas, nàm mors omnia soluit: sed dabantur à victoribus in vxores Beniamitis, vel illæ accipiebant viros, vers. 13. Vers. 21. *Et rapite ex eis singuli vxores singulas*. Sed an sic cõsulentes facerent contrà iuramentum, quo ipsi putabant ligari? vide Abul. certò malè consuluerunt, si non contrà iuramentum.

FINIS LIBRI IVDICVM.

IN

IN RVTH

CAPVT PRIMVM.

IN *diebus vnius Iudicis, &c. facta est fames in terra*, quæ fames, quo tempore, incertum. *Abijtquè homo de Bethlehem Iuda, vt peregrinaretur in regione Moabitide;* sìc fecit Abraham, Isaac, Iacob in Geraris, in Aegypto. Vers. 7. *Egressa est itaquè, &c. cùm vtraque nuru*. Quæritur an nurus conuersæ essent ad Deum Israel; & videtur, quia cùm tantus intercederet amor, & charitas intèr vtrasque, & Noemi, non est credendum id potuisse succedere stante religionis diuersitate, & idolòlatria ex parte nurum, quam adeò abominabantur Hebræi. Accedit mulieres has de facili assensisse viris suis, & ex longinquitate temporis, nempè decem annorum, & quia ambæ volebant redire cùm Noemi ad loca, in quibus nouerant Deum verum, non idòla adorari; & hunc animum præsumuntur habuisse à principio,& in vita virorum,quos sequi decreuissent ad terrã, quia aliòquin non se coniunxissent illis, quos sciebant reuersuros. Accedit,& imprecatiò Noemi ergà illas sub nomine Dei Israel, quem idòla venerantes irrisissent. Sed obstare videntur verba Noemi: *En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, vade cùm ea*, præseferũt enim illa verba vnam ex nuribus nempè Orpham perseuerasse, vel saltèm redijsse ad culturam Idòlorum. Quapropter melior sententia est Orpham nunquàm se conuertisse ad cultum veri Dei Israel: Ruth verò si non antè, tamèn tùnc cultum veri Dei fuisse amplexam, cùm dixit, *populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus*, quasi tùnc certe sequi uellet Deum Israel: nàm uel id omninò infertur, uel fortè etiàm uoluisse se perseuerare in cultu Dei ueri. Et iuxtà hunc sensum res nullo modo dubia est, saltèm in Ruth, quæ præsumitur aùt priùs, aùt tùnc assumpsisse religionem, cùm unà cùm socru perrexit Bethlehem. Nàm credendum est Noemi non ducturam fuisse Ruth, nisi sciisset conuersam ad Deum Israel,& hæc ratio (mea quidèm sententia, salua meliori) comprehendit, & Orpham, quia ambabus dicebat libentèr eas secum ducturas,si haberet uiros,quos eis daret. Vide dicta infrà c. 3.

Sed cur Noemi non duxit illas, imò reiecit, fortè quia erat pauper, & ignorabat quomodò eis prouideret; de uiro ex se clarè loquitur, de alijs nil occurrebat pauperi mulieri, quæ famis, & inopiæ causa à patria recesserat cùm uiro, & liberis, quibus nùnc orbata: undè nèc Ruth nisi inuita secũ admisit. Sed meliùs dicitur Noemi reiecisse nurus ut eas probaret ueraces in sponponso proficiscendi cùm ipsa. Vers. 17. *Quæ terra te morientem, &c.* uult dicere, sicùt in uita dixi tecum staturam, sìc & in morte; quarè nunquàm te derelinquam, sempèr tecum ero; sic infrà cap. 2. 20. de Booz dicitur, eamdem gratiam, quam præbuerat uiuis, seruauit & mortuis,& idem de nuribus suprà uers. 8. & de Ruth cap. 2. uers. 11. proùt Paulus: siuè uiuimus, siuè morimur, Domini sumus; non autèm intendit de transportatione sui corporis ad patriam suam, ut per Abul.

CAPVT

CAPVT II.

CHARITAS Ruth. cap. 1. apparuit, quia Noemi desolatã,& uiro,ac liberis orbatã noluit derelinquere.In hoc autẽ cap.eius solertia, solicitudo, seù operositas,quia ultrò petit à nuru licentiam colligendi spicas,& colligit nunquàm recedens uers. 7.

Humilitas tùm in collectione spicarum, tùm quia laudata à Booz cadit in terram, uersic. 10. & dicit se ancillam suam,& non similem unius puellarum suarum, uersic. 13. sic Abigail cùm Dauid, sic Sanctissima Domina cùm Angelo. Charitas itèm, quia de reliquijs detulit ad socrum uersic. 18. & quæ colligebat, ad illius uictum etiàm seruiebant. Gratitudo animi, quæ apparet ex uerbis cùm Booz. At hæ uirtutes non occultæ, sed in ore omnium, uers. 11. undè illam laudat Booz, & hæ uirtutes fuerunt ei gradus ad virum magnum acquirendum, proùt Booz. Vers. 3. *Accidit autèm*, hæc Dei prouidentia. Vers. 4. *Dominus vobiscum*, similis phrasis 2. Paral. 15. 2. hoc acceptum ab Angelo, primò hæc dicente Gedeoni, Dominus tecum, ut ibì obseruaui, & responsio messorum *Benedicat tibi Dominus*. quadrat cùm nostra, & cùm spiritu tuo. Vide supèr his uerbis Serrar. in pluribus qq. Versic. 16. *Vt absquè rubore colligat*, eccè charitas Booz iuncta cùm prudentia, cùm pauperibus erubescentibus petere seruanda, quod & alibì obseruaui, præsertìm in Sene Iudic. 19. & sic S. Nicolaus cùm patre habente filias nubiles. Vltrò Abraham, & Lot cùm Angelis, imò expectantes hospites transeuntes, seù accedentes. Vers. 20. *Eandem gratiam, quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis*. hæc ad suffragia mortuorum excitanda in hominibus.

CAPVT III.

VERS. 3. *Non te videat homo* Booz, *donèc esum potumquè finierit*, sub hoc & alij, quia non expediebat, vt à quoquam videretur, & tùnc dices: *non te videat homo* vllus, *donèc* Booz *esum, potumquè finierit*. Vers. 8. *Expauit homo*, sentiens ad pedes iacere aliquem, & facilè interrogauit, quæ es? & ad responsionem Ruth dicentis quæ esset, & quomodò, & cur ibì iaceret, & ex iussione Noemi id fecisse: verisimile est enìm singula enarrasse ad sui exonerationem, & tùnc subiunxisse, *expande pallium tuum supèr famulam tuam*, introduc me ad te; fac me sponsam tuam: vide ad hæc Sanct. Isai. 4. 16. vndè nec lectum eius ingressa erat, nec verisimilitèr vestes deposuerat, quia nuda sub dio non mãsisset; hincquè malè videtur dici eam nudam, nudum Booz tetigisse,& ex tactu Booz vidisse, sed dicendum *vidit Booz*. cognouit ipsa narrante, & se prodente, visus enim ponitur pro alijs sensibus, nàm pro tactu ponitur Io. 20. quia vidisti me Thoma, credidisti, *quia propinquus es* non vtì meretrix, sed vtì vxor ratione propinquitatis vult recipi. Vers. 10. *& priorem misericordiam*, quam fecisti viro tuo uiuenti, *posteriore*, hac misericordia, qua moueris ad suscitandum illi semen, etiàmsi is mortuus, & tua nihil intersit, & posses illius immemor esse, *superasti*: est enìm maior misericordia mortuis elargiri, à quibus nihil speras, quàm viuentibus, à quibus aliquid sperare potes: hinc magna charitas orare pro mortuis. Sancta ergò, & salubris est cogitatio, &c. vt in Machab. *quia* amore uiri tui mortui mota, *non es secuta iuuenes pauperes, siuè diuites* ad explendam libidinem, proùt poteras, sed ad me senem diuertisti. quasi illi tibi non defuissent, & nihilomi-

lominùs me illis prætulisti: sicùt ergò in bonam partem hæc à Ruth gesta, sic per Booz capta Deo inspirante: *Noli ergò metuere*, non te recusabo. *sed quicquid dixeris mihi, faciam tibi*, sed faciam quicquid volueris, *scit enim omnis populus, qui habitat intrà portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis:* quasi, nosco te talem, & ab ijs cognosceris, vt non sit mihi pudori te ducere: ideò *nec abnuo me propinquum*, &c. contrà illos, qui parentes ad inopiam deductos respuunt, nèc suos vocari filios permittunt. At magna viri continentia abstinentis se tot concurrentibus. Vers. 14. *Dormiuit itaquè ad pedes eius*, non intrà, sed extrà eius lectum, *vsquè ad noctis abscessum*, denotat hæc quies animi quietē, & sinceritatem, & quòd coniugij causa verè accesserit: si enim alio animo, totam noctem insomnem duxisset, *caue ne quis*, &c. solicitudo Booz pro pudore, & fama mulieris, & propria. Vers. 18. *Expecta filia*, *&c. nequè enim cessabit homo*, ex his vltimis verbis apparet quàm tutò, & confidentèr ad actum huiusmodi miserit Noemi suam Ruth; & quæ esset virtus viri huius cognita; & de qua posset adeò sibi Noemi repromittere, & securam esse.

CAPVT IV.

ASCENDIT ergò Booz, &c. illicò implet quod promiserat: hinc viri probitas. Versic. 3. *Vendet Noemi*. 4. *eme, & posside. Ego agrum emam*. 5. *quando emeris*. non ergò adhùc venditus. Vers. 6. *Nequè enim posteritatem familiæ meæ delere debeo*, hoc dicit, quia primogenitus ea sic ducta (debuerat denominari sub nomine prædefuncti viri propinqui, Deut. 25. & sic delebatur) quòad filium illum sua posteritas, quæ poterat etiàm in eo tantùm residere aliquo tempore, & sic deficere, etsi alios habuisset. Vel si non habuisset alios, & vnus tantùm nasceretur, non sibi, sed prædefuncto, hoc alio modo deficiebat eius posteritas; & quamuis is denominaretur nomine vtriusque patris naturalis, & legalis, vt vult Abul. tamèn aliquo modo detrahebatur posteritati naturalis patris, cùm eius nomen integrè non seruaretur. Vers. 7. *Soluebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo*, hoc erat testimonium cessionis in Israel, proùt nùnc in datione clauium, quæ significant dominij translationem: sicùt enim pedibùs dicimur in possessionem ire, sic exuere indumentum pedum, & illud tradere innuebat eandem translationem dominij.

Soluebat calceamentum propinquus, qui non tenebatur, & recusabat, & dabat propinquo volenti suscitare semen, vt hìc: at fratri obligato, & nolenti tollebat mulier calceamentum de pede eius, Deut. 25. 9. quæ denudatio pedis, & ablatio indumenti significabat idem quod suprà; importabat enim ablationem dominij ab ipso tùm mulieris, tùm bonorum, vt credo; non autèm denudationem omnium vsquè ad corrigiam calceamenti, vt per Abul. q. 81. id enim non videtur aptari, & sic primo casu ille dabat, quia nolens, & non obligatus, secundo mulier auferebat, quia iure suo contrà obligatum vtebatur. At hìc propinquum Booz calceum soluisse clarè habetur, versic. 7. & 8. Versic. 13. *Et dedit illi Dominus, vt conciperet, & pareret filium*, naturalitèr, non supernaturalitèr: quandò enim miraculosè, exprimitur ad Dei gloriā, & prolis magnitudinem, vt in Abraham, & Sara, Rachele, Anna Elisabeth, Zacharia, & in dubio miracula non sunt præsumenda, quandò sinè eis fieri potest quod narratur. Vers. 14. *Et vocaretur nomen eius in Israel*, sed cùm nominetur Obed, non Abialon, quod erat nomen primi viri, aùt ad obseruantiam legis, Deut. 25. sufficiebat denominari familia, aùt propinquus non tenebatur ad illam legem, quæ loquitur de fratre, præsertìm quādò propinquus alium filium non habebat, proùt videtur in Booz, postquàm in genealogia Obed solùm recitatur, non alius. Vers. 14. & 17 *Vicinæ autèm mulieres congratulantès ei*, &c. sic in Ioānis natiuitate, Luc. 1. Deus vult hęc primordia in Magnis viris enunciari, quod & factū in porta à Senioribus antè eius ortum.

FINIS LIBRI RVTH.

PRAEFATIO

IN LIBROS REGVM.

VNA cùm Libris Regum interpretatus ſum aliqua in Libris Paralipomenon, quæ ad ſupplementum Librorum Regum deſcripſit Eſdras, omiſsis illis, quæ in Paralipomenon repetuntur, ne bis idem interpretando nauſeam lectori afferrem.

IN I. LIBRVM REGVM

CAPVT PRIMVM.

F*VIT vir vnus* benè fuit; sic & Luc. cap. 3. qui fuit, qui fuit: omnes enim morimur, & ſicùt aqua dilabimur *de Ramathaimſophim*, id-eſt, Ramatha, vt infrà verſ. 19. de tribu Leui, 1. Paralip 6. 25. 26. Hìnc Samuel non Sacerdos, ſed Leuita. Verſ. 2. *Et habuit duas vxores:* tùnc enìm licebat polygamia, vt in Lamech, Abraham, Iacob, Dauid, & alijs; imò quis habens vxorem obligabatur ducere relictam fratris ad ſuſcitandum ſemen defuncti fratris, Deuter. 25. & viſum in Ruth. Verſ. 3. *& aſcendebat ſtatutis diebus, vt adoraret*. & verſ. 7. obligati enìm erant viri ter in anno coràm Domino ſiſtere, sìc & MARIA, & Ioſeph cùm IESV Luc. 2. *erant autẽ ibì duo filij Heli, Ophni, & Phinees Sacerdotes Domini*, patri coadiutores, cùm Heli eſſet inhabilis: præmittit de his, quia de illis acturus, non alijs de cauſis, de quibus recentiores. Verſ. 4. *Et immolauit Elcana* per Sacerdotes ſacrificium pacificum, hoſtiam pacificam: ideò *deditquè*, &c. quia & illa comedebant offerentes. Verſic. 5. *Anna autèm dedit partem vnam*

triſtis

tristis compatiens eius sterilitati. *Quia Annam diligebat: Dominus autèm concluserat vuluam eius*, sìc & Rachel sterilis, quam diligebat Iacob, Lia fœcunda, quam spernebat, Gen. 29. 31. Vers. 6. *Vt exprobraret:* opprobrio enim ascribebatur tùnc sterilitas fœminæ, sìc & Racheli, & Elisabeth, Luc. 1. & Saræ Tob. 3. Vers. 8. *Numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?* quasi me huic desiderio filiorũ præferre deberes, & consolari, sìc Ruth. 4. 15. & multo tibi melior est, quàm si septem haberes filios: hìnc arguitur excessus dilectionis intèr virum, & mulierem per Theod. 2. Reg. 1. adducens dictum Adam, quamobrèm relinquet homo, Gen. 2. Vers. 9. *Surrexit autèm Anna, postquàm comederat, et biberat in Silo,* ex his videtur nõ posse negari Annam bibisse, & comedisse; clara enim sunt verba. Nèc videntur contrariari verba præcedentia *flebat enim, & non capiebat cibum*, quia illud primò: at postquàm Elcana eam inuitauit, & adegit dicens *cur fles? & quarè non comedis?* tùnc comedit, sed & tùnc potuit à fletu se cohibere, & tristitia; At quia eandem amaritudinem continuasse refertur vers. 10. *cùm esset amaro animo flens largitèr*, potiùs puto tristitiam non remisisse etiàm dùm comedit, eo magìs, quia & ad Heli dicit *vinum, & omne quod in ebriare potest non bibi.* Imò & Elcana dicitur tristis, dum dedit partem Annæ vers. 5. Hìnc non dicas, tristes ad sacrificia hæc accedere non potuisse, nàm si qui erant *amaro animo*, vel accedere non poterant deprecaturi, vt liberarentur à malis, quibus premebantur, vel non poterant edere de pacificis hostijs, daretur maximum absurdum. Nisi dicas per præoccupationem loqui de esu Annæ, quæ comederit tantùm, postquàm ab Heli, & oratione discessit vers. 18. At vel læta, vel tristis cibum ceperit, non est curandum, nàm & in tristitia sumens non peccasset, quia lætitia non est in præcepto.

Non obstat Deut. 12. 18. & lætaberis, & reficieris coràm Domino Deo tuo; nàm prius dixit simplicitèr vers. 12. epulabimini, & vers. 18. coràm Domino Deo tuo comedes ea in loco, &c. vndè non est in præcepto lætitia, sed aliquandò est effectus oriens, aùt ori- ri solitus ex comestione: aliquandò est passio naturalis: aliquandò passio rationis, & tandèm est aliquandò effectus charitatis supernaturalis, vt docent Theol. ex quàm pluribus locis sacræ Scripturæ.

Non obstat dictum Aaronis Leuit. 10. 20. quia ex eo non infertur præceptum pro lætitia, sed quòd Aaroni non suppetijt animus placendi Domino in cæremonijs, in ministerio, dùm esset mente lugubri, sìc & Dauid absorpto à timore Angeli contigit, vt non potuerit ad altare accedere 1. Paralip. 21. 30. Vers. 10. *Orauit ad Dominum, cùm esset amaro animo;* eccè ad quem confugiendum in tribulatione; sìc Iacobus: amaro animo est, psallat; sìc Tobias, & Sara Tob. 3. orarunt in tribulatione positi. Vers. 11. *Et votum vouit*, voto enìm sæpè ad petitiones flectitur Dominus, vt in Iacob, seruo Abrahæ, Iephte, populo contrà Chananæos: votum autèm fuit de prole Deo applicanda, addens ex uoto perpetuum seruitium, quod in Leuitis temporale, & vicissitudinarium erat, & nazaræatu perpetuo, vt in Samsone. Ex consequentibus verò constat, & Elcanam, & Samuelem votum approbasse. Vers. 13. *Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantumquè labia eius mouebantur*, proùt, & Iudith cap. 13. 6. orans cùm lacrymis labiorum motu in silentio, & dictum Moysi nihil enuncianti, quid clamas? at Deus inspector cordis. *Aestimauit ergò eam Heli temulentam.* sic Apostolos illi, qui conuenerant; Act. 2. sic Dauidem coràm Achis insanum, 1. Reg. 21. 13. hinc in iudicijs quàm facilè decipiamur, & quàm abstinendum. Vers. 15. *Nequaquàm*, &c. modestè respondet Anna, & diluit obiectum. Vers. 17. *Vade in pace*, eccè quomodò mollis responsio fregit iudicium Heli, qui euasit defensor, & pro ea deprecatur, *& Deus Israel det tibi petitionem tuam* verba deprecantis, non prophetantis, inuerisimile enim quam corripuerat, illicò voti compotem futuram pronunciasse. Prætereà si Heli prophetasset, quandò redijt Anna pòst partum, aliquid dixisset, & tamèn solùm dicit petitionem suam impletam. Vers. 18. *Et abijt mulier in viam suam, & comedit*, quæ anteà cibum respuebat. *vultusquè*

què illius non sunt ampliùs in diuersa mutati: priùs erat tristis, & ex vultu cognoscebatur, at exhilarata fuit à Domino pòst orationem: nec posteà vultus concidit in mœrorē: Non autèm sempèr in oratione perseuerauit, quia nihil ad hæc verba, præcessit de oratione. Vers. 19. *Et recordatus est eius Dominus*, auxiliatus est illi: sic de Noe: recordatus est Dominus Noe, &c. *& pòst circulum dierum*, non ergò statim, *concepit:* non hìc de cognitione conceptionis, sed veritate agitur, *& peperit filium.* ex sterilibus Deus sempèr Magnos protulit: ex Sara Isaac: ex Rachele Ioseph: ex Elisabeth Ioānem Baptistam: ex vxore Manue Sāson, & ex hac Anna Samuelē. *eo quòd à Deo postulasset eū*, nō quòd Samuel, idest à Deo postulatus. & sìc maledictio, seù exprobratio Phœnennæ conuersa est in benedictionem, proùt sperauit Dauid, & obtinuit in maledictione Semei. 2. Reg. 16. 11. & 12. sìc in Magdalena defensa à Pharisæo insultante. Vers. 20. *Et factum est pòst circulum dierum concepit Anna, & peperit filium*, transacto tempore ad pariendum constituto. Versic. 21. *votum*, dic quod præcesserat, de quo hìc tantùm mentio. Vers. 22. *Non vadam, donèc ablactetur infans, & ducam eum.* & vers. 23. *Lactauit filium suum, donèc amoueret eum à lacte.* vers. 24. *Et adduxit eum secum, postquàm ablactauerat in* cùm *vitulis*, &c. *precorquè, vt impleat Dominus verbum suum*, credo velle dicere Elcanam fieri voluntatem Dei, de qua ei non constabat, cùm Deus nihil promisisset. sìc cap. 3. 18. Heli, Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat: alibì alia exempla posui. *Puer autèm adhùc erat infantulus;* intelligitur ergò de propria ablactatione, & vera, non septem, vel duodecim annorum. Potuit Anna differre, quia non arctabātur ducere ad Templum, sed redimere primogenita. Numer. 18. 15. imò & Samuel non redimēdus, quia Deo perpetuò consecratus, & Leuita. vide scripta in Euāgelijs c. 12. Et dicta Leu. 12. respiciūt parientē, non partum, gratis ergò dicitur Samuelem non fuisse ductum, quia tener nimis, vel infirmus, vel alia de causa, de qua non constat. Versic. 24. *Tribus modijs farinæ, & amphora vini.* hæc erant libamina, quibus in sacrificijs vtebantur, vt vidimus in Leuitico, & alibi. Versic. 26. *Obsecro mi Domine*, humiliat se, *viuit anima tua Domine* hoc ei precatur, proùt illud, viuat rex: vndè non puto hoc esse iuramentum, nàm si iurasset, protulisset alijs verbis, per vitam tuam, salutem, &c. proùt Thecuitis, eò magis, quia ad nihil seruiebat, imò extrà rem, & superfluum erat iuramentum. Ex his, & sequentibus verbis, in quibus nihil de prophetia Heli, collige Heli non prophetasse. Versic. 27. *pro puero isto oraui*, &c. id dicit ad puerum extollendum, vt esset ei gratior. Versic. 28. *Commodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino*, hoc est, toto tempore vitæ suæ iuxtà votum meum. Cùm autèm Samuel non fuerit delatus ad templum, nisi pòst annos; apparet oblationem, quæ fiebat à parturiente in templo pòst purgationem, seruisse pro matre nō pro filio, vt tenui Leuitic. 12. & in Euangelijs capite duodecimo. Puto autèm Annam purificandam iuxtà legem Moysi Leuitic. 12. tempore congruo adijsse Sanctuarium: non enìm credendum Annam in hoc defecisse, nequè illam exemptam fuisse, proùt dicit Abulens. ex eo quòd esset vxor Leuitæ: nàm hoc priuilegium nullibì lego, sed legem Leuitic. 12. omnes comprehendentem, & nullam excipientem; & habemus exemplum Dominæ nostræ, quæ à Bethlehem, non à Nazareth, vt dicit Abul. ad templū legem impletura accessit; nec quicquam facit: oblatio, quæ fiebat à purificanda, cedebat in beneficiū Leuitarū, ergò non tenebatur ire ad templum, & offerre. Nàm primò nego oblationē cessisse ad beneficium Leuitarum; oblatio enìm dabatur Sacerdoti, Leuitic. 12. & iura Sacerdotum, & Leuitarum erant distincta: immò Leuitæ ex decimis suis dabant partem Sacerdoti: & etiàm Sacerdotes minores offerebant maiori Sacerdoti, quandò litabant, infrà capite secundo, versic. 36. Ecclesiastic. 50.

Secundò, non ob id fuisset exempta mulier: nàm vltrà partem tangentem Sacerdoti fiebat holocaustum, Leuit. 12. quod to-

tum

tum, cremabatur in honorem Dei.

Tertiò, non ob id, quia vir Leuita, vxor exempta erat à comparitione coràm DEO: nàm Leuitica priuilegia erant personalia, quæ non extendebantur ad vxores, vltrà quod nullum erat eorum priuilegium, quod illos à comparitione coràm Domino excusaret.

Quartò, sunt clara verba importantia præsentiam mulieris offerentis, ibi, deferet, tradet, sumet, Leuitic. 12. Quod si dicas Annam iuxtà tempus Legis non iuisse, quia dicitur versic. 22. *Anna non ascendit*. Respondeo, dici ibi Annam non ascendisse cùm puero, quandò ascendit Elcana, at non negat ascendisse aliàs, dùm obligata erat, & præsumitur potiùs tempore obligationis suæ ascendisse, vt illi satisfaceret. Quòd si etiàm non ascendisset, vel id fuisset ex causa legitima, & necessaria, qua derogaretur legi, vel fortè quia admitterentur alij pro mulieribus, etsi id non appareat: non autèm quia vxor Leuitæ, vt dicit Abulen.

CAPVT II.

EXVLTAVIT præ iubilo à Deo pro partu, exhilaratum *cor meum*, anima mea, *in Domino* me protegente; sic IESVS in laudes Patris exultauit in spiritu. Sanctissima Virgo, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo, Luc. 2. *& exaltatum est cornu meum*. vires meæ, priùs depressum & humile in *Deo meo*; idest potens facta sum in virtute Dei mei, peperi, quæ priùs sterilis eram: omnia à Deo recognoscit. *dilatatum est os meum* ad loquendum, priùs mutilum, & mancum *supèr inimicos meos*, mihi exprobrantes, hæc Phænenna, & sui, capit. 1. *quia lætata sum in salutari tuo*, in te saluante: læti enim tutiùs, & clariùs eloquia proferunt: hinc ad Dei laudes se conuertens, dicit.

Non est Sanctus, hæc laus cælestium dicentium: Sanctus, Sanctus, &c. *vt est Dominus: nequè enim est alius extrà te, & non est fortis, sicùt Deus noster*. capit. 1. dixit Deum exercituum. excludit alios deos, seù idòla. sic Isai. 43. 10. 44. 6. Date Deo laudem sanctitatis, & fortitudinis: conuertit se ad reprehensionem eorum, qui erexerant se contrà illum, quæ possunt contrà Phænennam restringi, quatenùs illa in his peccaret, quam tamèn non nominat.

Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes in vobis, scientia vestra, fortitudine, seù in his, in quibus non deberetis: *recedant vetera*, mala, *de ore vestro: quia Deus scientiarum* omnisciens, *Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes*; ità vt sciat etiàm intima cordis, scrutator sit internorum, incognitorum, & cùm sciat, & potens sit, cuncta gubernat, omnibus prouidet, vanè, & superbè gloriantes deprimit, vt subdit; seù stat in laude Dei, dicens eum scientem, & scrutatorem cordium: sed prima expositio melior, propterea dicit.

Arcus, arma, *fortium superatus est*; & in Psal. arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni, *& infirmi accincti sunt robore*, Deo auxiliante his, illos prosternente.

Repleti priùs pro panibus se locauerunt, eò vsquè peruenerunt, vt pro mercede victum tantùm quærerent, proùt mercenarij debiles, *& famelici* priùs *saturati sunt*, & Psal. vt alat eos in fame; *donèc* tandèm *sterilis peperit plurimos*; alia translatio (septem.) Sed sub septem plurimos: hìnc alios tres filios, & duas filias habuit, infrà versic. 21. *& quæ multos habebat filios infirmata est*, depressa; non hìc de morte filiorum Phænennæ: sed eius depressione ex partu Annæ, prosequitur multa de Dei potentia, proùt Sanctissima Virgo, Deposuit, &c. in quibus dùm dicit *deducit ad inferos*, intellige, tradit in miserũ statũ, *& reducit* in pristinũ, vt in Nabuchodonosor in belluam deducto, & ad pristinum reducto, nõ potest intelligi de loco dãnatorũ, quia ab eo non datur reductio, deindè dicit nihil de his mirandũ esse, *Domini enim sunt*

cardines fundamenta *terræ*, *& posuit supèr eos orbem:* ab eo conditum, ni mirum, si hæc ipse gubernat, & regit imperio suo, sìc etiàm fiet sempèr: nàm

Pedes Sanctorum suorum sibi segregatorum, directos in viam pacis iuxtà Zachariã: seù vias, & operationes bonas *seruabit* ab impijs, quia illos non relinquet in eorum manibus: sicùt enìm pedes sunt fundamentum corporis humani, ità (vult dicere) stabiliet, firmabit Sanctos suos, vt non possint ab impijs commoueri, vel alio modo labi, *& impij in tenebris conticescent*, non hiscent; sìc de inueto in nuptijs absquè veste nuptiali obmutescente. *vel in tenebris conticescent*, sinè via erunt, aberrabunt in tenebris, palpabunt vt cœci, proùt Sodomitæ ad portam Lot, & Syri sub Elisæo: *quia non in fortitudinè sua roborabitur vir*, quod & suprà dixerat; sic Psal. Fallax equus ad salutem: in abundãtia autẽ virtutis suæ non saluabitur. qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur, &c.

Dominum formidabunt aduersarij eius, cui non potest resisti: *& supèr ipsos in cœlis tonabit:* quis enìm sicùt Dominus Deus noster, qui in altis habitat? lucem habitat inaccessibilem; & ne dicerent: quid mali nobis euenit? subdit, veniet tempus supplicij: ideò non hæc ad iudicium referenda, proùt sequentia: vltrà quòd verbum *tonabit*, non congruit tempori iudicij, *Dominus iudicabit fines terræ* omnem terram in finali, & vniuersali iudicio, *& dabit imperium regi suo* filio, de quo Psal. 2. Ego autèm constitutus sum rex ab eo supèr Sion montem sanctum eius. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, &c. *& sublimabit cornu*, regnum, potentiam *Christi sui* Messiæ, quia tùnc confringet capita inimicorum suorum, & subdet omnia sub pedibus suis, Psalm. 109. 1. Cor. 15. De regno Christi latè Mendoz. hic.

Dicit Abul. quæst. 10. (quod alibì non memini legisse) Scripturam vti hac similitudine cornu ad denotandam excellentiam, & potentiam ex cõmutatione faciei claræ Moysis: At omnes dicunt id à belluis deductum, quæ fortitudinem suam in cornibus retinẽt, & sìc apparet in Apocalypsi, in qua dicitur cap. 17. & alijs locis de bestia habente cornua septem, & hoc videtur verisimilius, præsertìm quia cornua, quæ apparebant in facie Moysi erãt tantùm ex splendore, vt habetur etiàm ex Paulo. Vers. 11. *Puer autèm* Samuel *erat minister*, suo tempore intellige, *in conspectu Domini*, &c. non in ætate infantili, & infirma, proùt & infrà vers. 18. *antè faciem Heli sacerdotis*, sub Heli iussu, & ductu. Vers. 13. *Puer sacerdotis*, seruus, seù minister illius sacerdotis, ad quem pertinebat ius sacrificij illius, de quo agebatur, & hi filij Heli, de quibus loquitur. Vers. 15. *Da mihi carnem, vt coquam Sacerdoti*, id fiebat, vt condiretur meliùs: sed erat contrà ritus sacrificiorum. Vers. 17. *Peccatum grande nimis corã Domino* in spectãtibus ad Dominũ, vel in Dominũ, *quia retrahebãt homines à sacrificio Domini*, & sic à religione, & cultu. Vers. 18. *Ephod* hìc non est indumentum sacerdotale, quia Samuel Leuita, & puer: ideò ab eo distinguitur à verbo *Lineo*. Vers. 20. *Et benedixit* bona precatus est, vt subdit: *reddat tibi*, &c. Vers. 21. *Et magnificatus est puer Samuel.* sìc de Salomone, magnificatus est rex Salomon. 2. Paralip. 1. 1. sed *apud Dominum* in obsequio, & complacentia illius infrà. num. 26. Vers. 22. Quæ essent mulieres obseruãtes ad ostiũ tabernaculi, verisimiliùs illæ, de quibus Exod. 38. 8. Vers. 23. Correctio Heli erat manca, & debilis, *quarè facitis*, &c. & Dominus dixit infrà capit. 3. 13. hoc ad patres familias, & Prælatos. Vers. 25. *Si peccauerit vir in virum*, inferens ei iniuriam, vel dãnum, *placari ei potest Deus:* quasi hoc remissibilius est intèr peccata: *si autèm in Dominum* immediatè *peccauerit vir, quis orabit pro eo?* quis gratus, innocens ponet se pro muro? difficiliùs enìm hæc remittuntur, sic Christus Matth. 12. 32. quicumque dixerit verbum in Filium hominis, Christum, remittetur ei: qui autèm dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, nequè in hoc sæculo, nequè in futuro. & Marc. 3. 28. & Luc. 12. 10. sìc S. Ioann. Epist. 1. & ibì dictum, & hoc in specie in peccato in Spiritum sanctum: at hic de spectantibus ad cultum Dei, & honorem suum, & sacrificij sui: ideò audiant Clerici ministri.

Non

Non placet, *si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus*, quia sunt sacrificia expiatoria, *si autèm in Dominum peccauerit vir*, vti vos, qui sacrificia tollitis, *quis orabit pro eo?* quod nàm aliud dabitur sacrificiũ expiatorium? tùm quia non tollebant hi sacrificia, sed contrafacientes legi potiùs seipsos, quàm illa contaminabant, vndè offerentes non defraudabantur, quòad Deum, cor & actus eorum bonos cognoscentem; & eisdem filij Heli correcti vti poterant; tùm quia verba non referuntur ad sacrificia, quæ ex se non erant apta ad tollenda peccata, sed ad precantes, & ad preces aliorum piorum se interponentium pro peccante. *Et non audierunt vocem patris sui*, *quia* consequentèr *voluit Dominus occidere eos*, permisit eos indurari, vt consequentèr morte mulctarentur, proùt factum est: de induratione dictum in Pharaone, & sæpiùs. Vers. 26. *Puer autèm Samuel*, &c. *& placebat tàm Deo, quàm hominibus*; sìc Paulus: prouidentes bona coràm Deo, & coràm hominibus, &c. vide dicta in Zacharia, & Elisabeth, Luc. 1. Vers. 27. Exprobratio viri Dei ad Heli de beneficijs ei, & domui suæ collatis: sìc cùm Saul, & Dauid: hìnc vult Deus nos gratos. *Nunquid non apertè reuelatus sum*, apparui *domui patris tui* Aaronis primi Sacerdotis, cui tu successisti. De Leui non potest intelligi; hinc dicit *domui* omnes comprehendens, & alia omnia percutiunt Aaronem, non Leui, vt patet. *cùm essent* generalitèr loquitur de domo *in Aegypto in domo Pharaonis?* captiui in fornace ferrea, quandò dedit Aaroni tot mirabilia patrare, ex illis enim per suum ministerium, ad quod electus fuit ipse, non alius, à Deo patratis, Deus ei apertè reuelatus dicitur. *& elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in Sacerdotem* in deserto, vt in Exodo, & deindè subdit omnia sacerdotalia tributa.

Sed an Vir Dei fuerit Propheta, vel Angelus? videtur Angelus, proùt in Gedeone: nàm sermo Domini erat pretiosus, rarus in diebus illis, non erat visio manifesta, infrà cap. 3. 1. & cœperunt Prophetæ tempore Achaz, quorum primus Isaias.

At obstat, quandò sub viro Dei Angelus intelligitur, sempèr profertur aliquid ad explicationem: hìc verò nihil dicitur. Itèm dicitur *venit*, si enìm Angelus, diceretur missus est.

Itèm, non est verisimile missum Angelum ad solam exprobrationem, & annunciationem malorum Heli, qui tantùm missus legitur ad populum, Iudic. 2. Sed cognitus vt Angelus; & Dauidi in peccato missus Nathan: electuro pœnam missus Gad propheta, 2. Reg. 24. 11. sic & Sauli Samuel.

Itèm, enunciaretur ab Heli cognitum fuisse, si Angelus fuisset.

Itèm, si fuisset Angelus, non confirmaret Deus dicta per eum ex reuelatione Samuelis: qualis enim fides eis præstanda, apparet ex Paulo, Galat. 1.

Ad id, quod dicitur cap. 3. 1. respondetur sermonem Domini fuisse rarum etiàm in Prophetis; & si non erat visio manifesta Prophetarum, tantò minùs credendum Angelum fuisse; sed in quolibet tempore non defuisse Deo homines, quos mitteret, sicùt Eliæ dixit, seruasse sibi septem millia, qui non curuauerant genua antè Baal; & infrà capit. 22. habetur de Propheta Gad misso ad Dauid. Puto autèm hæc contigisse eodem tempore, quo referuntur, postquàm successit reuelatio de eisdem facta Samueli, & quia in dubio ordo litteræ præsupponendus vti reperitur, non alio modo diuinandus, eò magis, quia nihil concurrit, quod, secùs quàm dictum est, suadeat. Vers. 29. *Quarè calce abiecistis*, &c. hùc trahe quod dicit Paulus, irritam quis faciens legem Moysi, &c. Heb. 10. 28. *vt comederetis primitias*, idest meliorem partem, vel antè sacrificium.

Vel *Quarè calce abiecistis* tu, & filij tui *victimam meam, & munera mea, quæ præcepi*, *vt offerrentur in templo* ad honorem meum, & vos Sacerdotes hæc non curastis, *& magìs honorasti filios tuos*, quos abijcere à sacerdotio, & punire debueras, *quàm me* Deum tibi adeò beneuolum, quem præponere debueras filijs: qui non odit patrem, filios, &c. & vsquè eò peruenistis, *vt comederitis primitias* partem meliorem, *omnis sacrificij populi mei Israel*. Vers. 30. *Loquens locutus sum*, *vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsquè in sempiternum*, in sacerdotio summo, & mi-

nori respectiuè, vt suprà vers. 28. non quòd Heli in specie facta fuerit; intelligit enim de illa promissione Aaroni facta, propterea addit, *& domus patris tui*, & deindè restringit pœnam ad Heli. Hinc non placet, quod dicit Caietanus, & sequitur Mendoza hìc tantùm dici de promissione facta Heli, & non alibì; domus autèm Heli comprehenditur sub Aaronica, seù prioribus, eò magìs, quia introductio Heli, & suorum in summum Sacerdotem fuit quædam interruptio sacerdotij æterni delati Phinees; verbum autèm *sempiternum* intellige ad longum tempus. *Nùnc autèm dicit Dominus, absit hoc à me*. Quarè autèm Deus hic videtur mutari, cùm sit fidelis, & verax, nequè etiàm ob peccatum soleat mutari, Rom. 3.

Respondeo, non mutatur verè, sed promissio erat conditionalis, dummodò illi, quibus promiserat, permanerent in eius cultu; sìc promiserat terram Chananæorum in æternum, dummodò illum reuererentur, nequè ad idola, vel alia peccata diuerterent: vndè illis deficientibus, & Deus non concessit promissa conditionalia, vel abstulit; quarè mutatio fuit ex parte hominum: vndè Ierem. 18. 7. repentè loquar aduersùs gentem, & aduersùs regnum, vt eradicem, & destruã, & disperdam illud, si pœnitentiã egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam supèr malo, quod cogitaui, vt facerem ei. & iterùm: subitò loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam: pœnitentiam agam supèr bono, quod loquutus sum, vt facerem ei. At quæ absquè conditione, seù simplicitèr promisit, non obstante peccato, obseruat, nequè in eis fit mutatio; sic Rom. 3. hinc, non obstante peccato Dauid, Messias ex eius radice processit, quod ipse timens peccatum rogabat: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris, vt ibì dixi; & Paulus d. cap. 3. vide Abul. Num. 23. & 2. Paralipom. 18. quæst. 45. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autèm contemnunt me, erunt ignobiles*. hæc est ratio à natura procedens, vt quod tibi vis fieri, alteri facias, & è contrario; sìc dixit & Dominus ad Moysen Exod. 32. 33. Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Hìnc collige iuxtà cultum, vel spretum Dei nobis benè, vel malè esse; sìc Samuel ad Saul. 1. Regum 15. 23. pro eo ergò, quòd abiecisti sermonẽ Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex; & ità contigit, quod hìc dicitur, quia hi amoti fuerũt à sacerdotio. 3. Reg. 2. 27. vide hìc Abul. quæst. 29. & 30. Vers. 31. *Ecce dies veniunt*, instant: nàm coràm Deo mille anni tamquàm dies hesterna, quæ præterijt; ideò nimirum si dilatum, & sub Salomone id factum: vide scripta Gen. 49. *& præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui*. sacerdotium, & semen, vt prosequitur. vide similia Apocalyp. 2. & 3. *vt non sit senex in domo tua* nullus perueniet ad ætatem maturam, & infrà clarè. Versic. 32. *Et videbis æmulum tuum*, de linea Aaronica descendẽtem in templo, hoc magìs cruciat, & acuit, vt suprà cap. 1. 6. sìc fuit 3. Reg. 2. 27. vndè Paulus ad æmulationem gentilium prouocabat Hebræos ad fidem, *in vniuersis prosperis Israel*, hinc quale sacerdotium, quàm diues, quàm gratiosum. Vel refertur ad tempus Salomonis, cuius regnum pacificum, *& non erit senex in domo tua omnibus diebus*, intelligo hic senem vt suprà, & infrà, in ætate, non sacerdotio, præsertìm quia dicit *in domo tua*, non *in tẽplo* proùt intellexit in æmulo, & non est verisimile figuratè loqui in re adeò clara, & verba, *omnibus diebus*, declarantur infrà verbis *pars magna*. Vers. 33. *Veruntamèn non auferam penitùs virum ex te ab altari meo*, erunt minores, non maiores Sacerdotes; & licèt esset hæc angustia, vt præmisit ex vna parte, tamèn melius erat, vt saltèm ad aliquod ministerium tolerarentur: ideò ad beneficium hoc ponit Deus, nequè fient hęc in vita tua, *sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua*, vita tua, priùs tu morieris, hæc in tuis posteris; sic cùm Salomone proptèr Dauid 3. Reg. 11. 33. & Ezechia 4. Reg. 20. 18. 19. & Achab. 3. Reg. 21. 29. non enim puto hæc verba in præiudicium, sed in leuamen Heli apponi, proùt præcedẽtia *veruntamẽ*, &c. *& pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem venerit*, quod in parte verificatum fuit, quandò Saul occidit septuaginta quinque viros vestitos

ſtitos Ephod lineo, infrà cap. 22. Verſ. 34. *Hoc autèm erit tibi ſignum,&c.* Vt ſciat certò hæc euẽtura, dat ſignum de proximo futurũ, mortem filiorũ: in qua & futuris alijs malis punitus Heli, proùt Dauid in filio adulterino ex Berſabee. Verſ. 35. *Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem,* fidum, obſeruantem cæremonias meas, à quibus deuiarunt filij tui; non is Samuel, qui ſacerdos nõ fuit, ſed intèr eos, qui inuocant nomen eius, Leuitæ potiùs Sadoc. 3. Reg. 2. 27. *qui iuxtà cor meum, & animam meam*, mentem, deſiderium meum faciet: *& ædificabo ei domum fidelem,* ſtabilem, perpetuam, prolẽ ei dabo, sìc Exod. 1. eccè quod dixerat ſuprà, *quicunque glorificauerit*, &c. *& ambulabit coràm Chriſto,* Salomone rege *meo cunctis diebus*, vndè infrà cap. 12. 3. loquimini de me coràm Domino, & coràm Chriſto eius. Verſ. 36. *Futurum eſt autèm,*&c. eſt opinio Abul. vt hi non precarentur admitti ad vnam partem ſacerdotalem, quaſi eiecti à Sacerdotio minori, ſed ad partem ſacerdotalem in ſacrificio pro ſe ipſis oblato, de quo laici non poterant contingere, quandò erat pro peccato, ſed ſoli Sacerdotes: & opinio videtur textui congrua in extremis verbis. At quia ſuprà dictum, *non auferam penitùs virum ex te ab altari meo*, in quibus verbis promittitur conſeruatio miniſterij, propterea dicendum petituros eſſe admitti ad illam partem ſacerdotum minorum, quam Deus reſeruat.

CAPVT III.

PVER autèm Samuel miniſtrabat Domino, in Leuiticis, non in ſacerdotalibus, *coràm Heli*, ſub Heli Sacerdote, *& ſermo Domini erat pretioſus* rarus: pretioſa enìm rara *in diebus illis* explicat de quali ſermone, ſcilicèt prophetico, *non erat viſio manifeſta,* in vigilia; hìnc eò minùs credendum virum Dei miſſum ad Heli fuiſſe Angelum. *Factum eſt ergò in die quadam, Heli iacebat in loco ſuo*, hoc dicit, vt reddat veriſimilem aditionem Samuelis ad illum in nocte; *& oculi eius caligauerant, nèc poterat videre*, fortè id additur, ne crederetur Heli dicentem Samueli vocantem fuiſſe Deum, quicquam vidiſſe: id enìm experientia, non viſu nouerat. Vel potiùs, vt ſciremus ipſum non incubuiſſe lucernæ extinctioni, vel accenſioni, quia non videbat, ſed hoc erat miniſterium, proùt ſubdit, Samuelis; & docet cauſam cur ibì dormiret Samuel. Verſic. 3. *Lucerna Dei antequàm extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, vbì erat arca Dei*, sìc expone: *Antequàm extingueretur lucerna Dei*, de mane, quæ ſtabat accenſa per noctem (vide ſcripta Exod. 30.) *Samuel dormiebat in templo Domini, vbì erat arca,* ſtabat ſcilicèt ad hoc miniſterium; ob id ſuprà dixerat: *Samuel miniſtrabat Domino*; & hoc dicit, vt ſciremus de nocte ſermonem Samueli factum. Verſ. 4. *Et* tùnc antè horam matutinam *vocauit Dominus*, Angelus Domini *Samuel* voce tantùm, in vigilia, nõ in aliqua figura, proùt quãdò locutus eſt Dominus, ideſt Angelus in monte Sinai ad populum: uocem eius audiſtis, figuram non vidiſtis. Voluit Deus, vt Samuel ab eo vocatus adiret Heli, vt à Sacerdote diſceret, quod ſeruit ad exemplum noſtrum, vel potiùs ad litteram, vt daretur occaſio Heli interrogandi Samuelem, & ab eo diſceret quid iuberet Dominus de ſe, proùt contigit, & illi crederet. Verſ. 11. *Eccè ego facio,* in præſenti, quia citò facturus, *verbum*, rem, factum *in Iſrael*, hoc autèm erat iàm prædictum Heli, quòd iudicaturus, puniturus eſſet domum eius in æternum, quia non corripuerit filios; audiãt Patres, & Prælati, & erat hæc omiſſio, nàm verſ. 13. *eò quòd nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos*, vndè non poteſt aliud in Heli cõminiſci, & verba cap. 2. 29. quarè calce abieciſtis, victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, vt offerrentur in tẽplo, reſpiciunt filios ſequentia verò, & magis honoraſti filios tuos quàm me, Heli. Verſ. 14. *Idcircò iuraui domui Heli*, ſententia irreuocabili, *quòd non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus, vſquè in æternum,* hoc ſignificat

Deus

Deus, ne putaret Heli Dominum pœnituisse ex sacrificijs fortè per eū allatis pòst missionem viri Dei ad se, & hac de causa ad magis certiorandum Heli, & ne confideret in sacrificijs, per Samuelem hæc significauit; sìc Deus Moysi deprecanti pro se: ne vltrà loquaris mihi de hac re: & Samueli roganti pro Saule: quid rogas, cùm abiecerim eum? &c. & Ieremiæ iniunctum, ne rogaret pro populo; & hoc quòad pœnam; sìc Isa. 1. Ierem. 15. non quòad culpam: nàm quotiescunquè ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor. vide Abul. Leuit. 1. & ibi per me dicta: dixit Dauid: quoniàm si voluisses, sacrificium dedissem vtiquè holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies, Psal. 50. Vers. 15. *Samuel timebat indicare visionem Heli*, & in hoc non peccabat, imò ex modestia laudandus, vltrà quòd *timebat quidèm*, sed non explicatur ipsum non dicturum aliquandò, & interim vtì morosus argui non poterat; sed & Deus non iusserat reuelare, etsi id honorificum dixit Raphael Tob. 12. imò credendum Deum dispofuisse sìc fieri, proùt factum est, vt Heli interrogans vltrò magis crederet. Vers. 18. *Dominus est: quòd bonum est in oculis suis faciat*. Sancta responsio, omnia in Dominum patrem nostrum reponens etiā quòad seipsum, quia dicit, *quod bonum est*, quæ verba non desperantis, non despicientis, sed in Deo se reponentis, & de eius bonitate apparet vsquè in finem, cùm non morte filiorum, sed arca captiua ceciderit. Prætereà dici potest, vniendo primò sibi dicta à viro Dei cùm dictis Samuelis cognouisse sententiam Dei irreuocabilem, quòad pœnam, præsertìm adhibito iuramento, & quòd sacrificijs non expiaretur peccatum: ideò benè dixisse Heli *Dominus est, quod bonum* &c. Hincquè colligitur Heli institisse sacrificijs ad expiandum peccatum, & placandum Dominum, at quia non integrè prouidit, non cecidisse de verbis Domini. Similia verba in bonam partem accepta à Ioab. 2. Reg. 10. 12. Dominus autèm faciet quod bonum est in conspectu suo. Simile videtur de pueris Sidrach, Misach, & Abdenago, dùm dicunt posse Deum eos eripere de igne, at si noluerit, non ob id statuas adoraturos, Dan. 3. 17. quasi dicerent, fiat quod bonum videtur Deo. Vers. 19. *Et non cecidit*, &c. & *fidelis Samuel Propheta*, &c. hoc enim signum tutum, Deut. 18. & deindè continuauit Deus Samuele in prophetam vti, vt subditur.

CAPVT IV.

E*T factum est*, ad verificationem prædictorū ad Heli. Versic. 3. *Quarè percussit nos Dominus* recognoscunt plagam à Deo, proùt Iob cap. 1. *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini*, &c. confidūt in arca, à cuius præsentia tot beneficia aliàs receperant: sed intùs non reformantur, quod seruit contrà illos, qui confidunt in aliqua eorum deuotione, & in peccato perseuerant; illud bonum opus, sed eis peccato inuolutis parùm proficuum: ideò expurgandum vetus fermētum, vndè his impijs non profuit afferre arcam. Et ex hac eductione arcæ, hocquè exemplo fortè introductum, vt nos educamus imagines sacras, & reliquias ad pluuiam obtinendam, vel arcendam, & ad alias calamitates euitandas, vel gratias consequendas. Vers. 8. *Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt Dij*, &c. timent, noscunt prodigia à Deo facta, sed ad eum non conuertuntur, imò confidunt in eorum virtute, dicentes: *confortamini, bellate, &c.* Vers. 18. *Cumquè ille nominasset arcam Dei* pro qua *erat cor eius pauens*, uers. 13. *cecidit*, &c. hinc benè præsumendum de Heli adeò solicito de arca Dei, cui prætulit mortem filiorum, & uerisimile Deum pro suo peccato nuncijs his amaris, & morte illum puniuisse temporalitèr tantùm, ut hìc Abul. & Serrar. Opinio contraria est contrà textum dicentem non ad nuncium mortis filiorum, sed captionis arcæ cecidisse, & *erat cor eius pauens pro arca Dei*, non igitur pro se, uel lucro, quod cessasset, præsertim

tìm quia inuerisimile hæc sibi in mentèm illicò occurrisse, & supèr eisdem discurrisse. Accedit quia senex ferè cœcus, priuatus filijs, quibus non poterat cogitare de relinquendo sacerdotio, & quod plus est à Deo edoctus illud in familia sua non duraturum, & in dubio tutior pars eligenda, quæ ad salutē tendit. Nō obstat mors improuisa, quia & Iosias ferro, & Simeon Stilita fulgure perijt, & alij violentèr, quos saluos credimus. Non obstat cōniuētia in filios, quia ex duplici dicto viri Dei, & Samuelis præsumendum operatum esse quicquid ei licuit, proùt videmus ad sacrificia pro placando Deo confugisse, & verba *eò quod nouerat filios suos iniquè agere, & non corripuerit eos*, respiciunt tempus præteritum. Prætereà, nequè capta arca cessasset sacerdotium, vel sacrificia, nàm & arsò tēplo in captiuitate Babilonica, eodem loco altare extructo sacrificabatur; & si nurus pro arca, cur negamus in Sacerdote? Versic. 19. Solicitudo nurus eius pro arca Domini; & verba, *translata est gloria ab Israel, eò quod capta esset arca Dei*, docent optimam illius mentem conformem menti soceri, à quo fortè edocta.

CAPVT V.

NARRANTVR mala, quæ passi sunt Philistijm ab arca Dei. Vers. 3. *Eccè Dagon iacebat pronus*, &c. ex hoc, & ex trūco Dagō, vers. 4. & 5. & pœnis, seù plagis, & dimissione necessaria arcæ poterant Philistijm Deum verum cognoscere, sperantèm Dagon eorum deum falsum, & ipsos: sic potuerunt, & Aegyptij Deum verū ex plagis, & prodigijs cognoscere, eò magis quia & in deos eorum sœuitum; ad hoc propositum sic dixit Ioas pater Gedeonis de Baal: Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram eius, Iudi. 6. 31. ex his ortum illud, arcam & Dagon non posse stare simùl; non posse quemquam seruire Deo, & Mammonæ. Vers. 5. Si Sacerdotes, & omnes alij profani non calcant limen, quia tactum à membris Dagon: quæ reuerētia ergà Deum nostrum verum, Sanctissimum Sacramentum, sacrasquè Reliquias? Vers. 7. *Non maneat arca Dei Israel apud nos*, &c. & idem vers. 11. eijciunt arcam, quam venerari debuerant; sic Geraseni ob porcos enectos Iesum ab eorum finibus eijciunt, Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8. Vers. 8. *Circumducatur arca Dei Israel*, fortè id hauserunt, quia circà Iericho, & à principio deserti vsquè ad terram Chanaan circumducta fuerat, & malum non apportauerat Israelitis, sed bonum, quod tamē eis malè cōtigit. Vel potiùs experturi, an (ea ad alia loca exportata) plaga quiesceret: adhùc enìm incerti erant plagas hasce ab arca fieri, vt infrà cap. 6. 9. Vers. 9 *A paruo vsquè ad maiorem*; sic enìm proptèr peccata patrum puniuntur filij, vt alibì dictum. *Sedes pelliceas*, vt pars illa calefieret, quia calor mitigabat fortè dolorem, vel vt sedere posset in perforatis sedibus pellibus amictis, non quod in ea parte roderentur à muribus, vt aliqui dicunt, intèr quos Abul. quod est absurdum, & contrà textum exprimentem in alijs damna murium, & murium naturam.

CAPVT VI.

FVIT ergò arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus, ex longo tempore conijce quàm magna plaga, quæ mortes fuerint, quàm sanguinolenta eorum victoria in arcæ captione vltrà expressa. Dicit Abul. quòd nunquàm Philistini viderunt quid esset intùs arcā: hìnc capsella facta ab eis, in qua repositi ani, & mures. Vers. 3. *Nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato:* peccatum autèm erat, quia non recognoscebant

ſcebant plagas à Deo Iſrael procedere: hinc dicunt, *& ſcietis quarè non recedat manus eius à vobis*, & ideò ſuadent dare anos, & mures ad plagam à Deo recognoſcendam, *quinque anos aureos facietis, & ſimilitudines anorum veſtrorum*, non ergò imagines hominum integras, ſed partes illas tantùm, *& quinque muros aureos, &c.* non plures, *& dabitis Deo Iſrael gloriam*, ſic Ioſue ad Achan: da gloriam Deo, *ſi fortè releuet manum ſuam à vobis, & à dijs veſtris* nempè Dagon, de quo expreſſum, *& à terra veſtra*; & ſic vexatio dedit eis intellectum, & voluit Deus in eis glorificari, proùt in Pharaone. Vel *peccatum*, quia retinebant arcam penès ſe: ideò dicunt verſ. 6. *quarè*, &c. & 7. *nūc ergò*, &c. Vel *pro peccato* ideſt pro pœna, ſeù plaga, qua opprimimini, quod credo melius. Verſ. 6. *Quarè aggrauatis*, &c. ab exemplo monent: hinc Deus voluit hæc conſeruari ad doctrinam aliorum: vndè Paulus: quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, &c. *nonnè poſtquàm percuſſus eſt, tùnc dimiſit eos, & abierunt?* quaſi fieri ab aliquo non poteſt, quin fiat conſilium Dei; propterea ſicùt Pharao percuſſus tandèm dimiſit populum, ſìc nos arcam. Quod hìc iſti dicunt, ſubditi Pharaonis dicebant Regi, monentes eum, vt dimitteret populum. verſ. 7. *Facite plauſtrum nouum vnum, & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum*. Omni quo poſſunt honore arcam dimittere ſuadent, noua aſſumendo: itidèm ſupèr plauſtrum nouum deduxit arcam Dauid. Verſ. 7. *Conciderunt ligna plauſtri, vaccaſquè impoſuerunt ſupèr ea holocauſtum Domino*, hinc vide ea, quæ erāt gentilis, poterant offerri Domino, & prohibitionē ſtare tantùm, ſi ipſi gētiles de ſacrificio participare vellent, proùt alibì dixi, & de materia hic per Abul. q. 4. Verſ. 19. *Percuſſit autē de viris Bethſamitibus, eò quod vidiſſent arcam Domini:* &c. Hebraicè, quia aſpexerunt quæ erant in arca Domini: hinc abſit à nobis curioſitas. At non credendum tot homines, nempè ſeptuaginta, & quinquaginta millia vidiſſe extantia intùs arcam, ſed fortè vel conuenerunt ad id, vel aſſenſerunt, vel in viſione ſola arcę peccatum, pro qua pœna mortis, quod videtur tutius, non quòd non rectè immolaſſent vaccas, quod non exprimitur, proùt de viſione arcæ.

Minùs placet hos percuſſos, quia inſpexerunt contrà arcam, timentes aliqua à Philiſtijm ablata; quia ſicùt id non fuiſſet curioſum, nèc damnabile, ſìc nequè punibile, ideò perſiſtendum in viſione ſola. Verſ. 20. *Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei Sancti huius?* refer hoc ad iudicium: & ad reuerentiam, & timorem Deo debitum: vide dicta in monte Sinai, & ſupèr parabola, quòd videntes Deum morerentur. Ex his verbis firmatur magìs clarè dicta de quinquaginta millibus mortuis, quod ſi ſeptuaginta tantùm mortui, non fieret hæc admiratio, ſeù querela. Vltrà quod non video quomodò à verbis claris textus recedamus. Dubium an tot in Bethſamis extiterint, tollitur ex eodem textu id aſſerente. Verſ. 21. *Deſcendite, & reducite eam ad vos*, nemo vult in domo ſua plagas, tribulationes à Deo, quiſque vellet ſempèr læta, conamur triſtia eijcere.

CAPVT VII.

VENERVNT ergo, &c. reductio arcæ in Gabaa. *Eleazarum autèm ſanctificauerunt*, ſegregauerunt, deputauerunt, *vt cuſtodiret arcam Domini:* non autèm quòd Sacerdotem conſtituerint. Verſ. 2. *Multiplicati ſunt dies*, multum temporis pertranſijt, quod explicat ſubdens. (*erat quippè iàm annus vigeſimus*) hoc tempore iudicauit Samuel, & ex eius monitis *requieuit omnis domus Iſrael pòſt Dominum*, ſequens Dominum, & in eo ponens omnem fiduciam. Verſ. 3. *Ait autèm Samuel*, explicat geſta Samuelis conantis auertere populum ab idololatria; *Si in toto corde veſtro &c. auferte deos alienos de medio veſtri*, ſìc & Iacob cùm ſuis Gen. 35. 2. hoc erat peccatum

tum, quo grauabantur Israelitæ, & ideò dati erant in seruitutem Philistijm, à quo si alieni fierent, promittit Samuel, *& eruet vos de manu Philistijm*, & sic fecerunt *Abstulerunt ergò, &c.* est repetitio iàm dictorum. Versic. 6. *Hauseruntquè aquam, & effuderunt*, ad denotandum toto corde abijcere idololatriam, & ad placandum Dominum, *& etiàm ieiunauerunt, &c.* ad eundem effectum, & propterea subdunt: *Peccauimus Domino*. Vers. 8. *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum*, eccè recursus ad viros Sanctos etiàm viuentes, de quo alibì dixi; sic ad Eliam, Elisæum, & alios. Vers. 9. *Tulit autèm Samuel, &c. & obtulit* sic & Elias, sic Dauid obtulerunt: at non ob id Samuel, vel illi Sacerdotes, sicùt nequè Moyses, vt tenet Abul. & alibì dixi: in Sacerdote enim requiritur vnctio, proùt in Aarone, & successoribus. Vel *obtulit* ministerio sacerdotum, proùt Saul infrà c.c. seqq. quod fortè tutius est, & idem in Dauid, hanc opi. defendit Mendoz. 1. Reg. 2. nota. 17. sect. 2. Vers. 10. *Intonuit autèm Dominus fragore magno*, &c. sæpiùs Dominus euidentèr pugnauit pro populo Israel, vt vidimus tempore Moysis, Iosue, Iudicum, & Machabæorum. Vers. 11. *Tulit autèm Samuel lapidem vnum*, in memoriam tantæ victoriæ, & beneficij diuini, quod à nobis expetit Dominus; sic aliàs sæpè factum, vt vidimus. At Saul, & Absalon sibi ipsis fornices extruxerunt. Vers. 15. *Iudicabat quoquè Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ*, per se, & filios, donèc constitutus Rex Saul, vt infrà Vers. 16. *Et ibat per singulos annos circumiens:* sic visitationes Episcoporum per diœceses.

CAPVT VIII.

FACTVM est autē cū senuisset Samuel, posuit filios suos Iudices Israel, Deo (vt creditur) annuente, qui nihil dixit de hoc contrà Samuelem, imò populo petente regem, dixit: non spreuerunt te, sed me, & habebat exemplum Moysis petentis à Deo, vt substitueret sibi dignum, & ipse antequàm audiret populum regem petentem, Deum adijt, & idem in filijs deputandis fecisse, populo assentiente, seù non contradicente credendum: hinc collige quandò Episcopi non possunt per seipsos visitare, alios deputare, quòd cautū in Concilio, & Canonibus. Versic. 3. *Et non ambulauerunt*, sic electus bonus Saul, qui malus effectus. Sed cur Heli ob malitiā filiorum passus, non Samuel? quia primus sciens non correxit, quod de Samuele non dicitur, & pòst scientiam illius fit prouisio à Deo. Vers. 5. petitio Regis. *Eccè tu senuisti*, impotens es ad iudicandum, *& filij tui non ambulant in vijs tuis rectis: constitue nobis regem*, adeunt Samuelem pro hac causa, quia ipse præsidebat, & volebant de eius consensu hæc peragere. Vers. 6. *Displicuit sermo in oculis Samuelis, eò quod dixissent: Da nobis Regem:* eccè probitas senis quærentis tantùm quæ Dei erant, non sua, non filiorum, & ideò in filijs non peccauit. Vers. 7. *Non enìm te abiecerunt sed me, ne regnem supèr eos:* erat enim is populus Deo peculiaris, & sub Dei tutela, sic Gedeon, ibi vide. Vers. 8. *Iuxtà enìm omnia opera tua*, &c. sic Stephanus Act. 7. contrà eos. *Sic faciunt etiàm tibi:* quasi, si me totiès dereliquerunt, ne conqueraris, vel doleas, si hæc in te quoquè machinantur; sic Christus: si me persequuti sunt, & vos persequentur. Vers. 9. *Prædic eis ius Regis*, magna Dei misericordia, qui vt retrahat hos à petitione regis, prædici facit mala euentura ex principatu Monarchico de facili in tyrannidem conuertibili, & defluente. Vers. 19. & 20. *Nequaquàm rex erit supèr nos, & erimus nos quoquè sicùt omnes gentes*, &c. ex superbia, & fastu, & more gentium explicant se petere regem.

CAPVT

CAPVT IX.

ELECTIO, & vnctio Saul in Regem. Versic. 2. Saul electus, & bonus: *& non erat vir de filijs Israel melior illo:* eccè quomodò Deus optimum elegerat. Vers. 3. *Perierant autèm asinæ*, vide quomodò Deus quærentem asinas, non otiantem eligit; sic Dauid de pòst fœtantes. Vers. 5. *Nè fortè dimiserit pater meus asinas, & solicitus sit pro nobis*, proùt erat, infrà c. 10. 2. hinc probitas Saulis de solicitudine patris anxij, & sic illum honorantis, eadem fuit in Tobia. Vers. 6. *Eccè vir Dei*, loquitur puer iste de Samuele, quasi de incognito Sauli; hinc Saul à rebus domesticis non abstrahebatur: vndè nèc nouerat Samuelem, vers. 18. Obserua verbà, *vir Dei*, de homine dici, non Angelo, vt suprà dixi. Vers. 8. *Eccè inuenta est, &c. demus homini Dei, vt indicet, &c.* nùnc eleemosina pro sacrificio, oratione, Missa; prophetis deferebantur munera, sic Naaman ad Elisæum 4. Reg. 5. Benadad ad eundem 4. Reg. 8. Ieroboam ad Ahiam 3. Reg. 14. Vers. 10. *Optimus sermo tuus*, hinc natura Saulis mitis, quia acquiescit seruo suggerenti. Versic. 15. *Dominus autèm reuelauerat auriculam Samuelis*, indicauerat Samueli. Vers. 20. *Et cuius erunt optima quæque Israel?* Eccè quales Reges. Vers. 21. *Numquid non filius Iemini*, &c. Humilitas Saulis, alia eius virtus; sic Gedeon cùm Angelo, Iudi. 6. 15. & Dauid destinatus gener regis Saulis. At Deus eligit infirma, vt confundat fortia, & hic mos Dei; sic in Dauide. Intelligit de regno, quia etsi in littera nō explicetur, præsumendum Samuelem explicasse alijs verbis claris: nàm alioquin non intellexisset ex tacitis, vel obscuris, eò magis quia regnum videbatur deferendum Iudæ, Gen. 49. At contrarium dicendum, non dùm enim reuelauerat Samuel de regno, quod fecit dùm vngere eum noluit, vers. 27. & quomodò poterat de regno suspicari, cùm nullus vnquàm rex fuisset in Israel? Sed quia magna dixerat Sauli ex reputatione sibi incongrua, proptèrea dicit Saul *numquid*, &c. *quare ergò*, &c. Vers. 23. *Da partem*, &c. Samuel edoctus à Deo præparauerat pro Saule, reseruaueratquè cibos meliores; sic maiorem partem dedit Ioseph Beniamin, Gen. 43. 34. Vers. 27. *Dic puero* &c. prudentia Samuelis in vngendo Saul, ne resciret puer, & fortè etiàm indixit Sauli silentium, donèc à Domino egrederetur verbum: & aduerte, quòd Samuel fit comes Saulis, proùt nùnc facimus honorando maiores nobiscum hospitantes; silentium regni opportunum, ne alij insurgerent, proùt contrà Moysen, & Aaron, & alios Iudices, ideo cap. seq. datur à Deo signum euidens, & hinc fortè Saul voluit indicare patruo.

CAPVT X.

TVLIT *autèm Samuel lenticulam olei, & effudit supèr caput eius*, hæc signa externa regni ad denotandum inthronizationem, & interna, quæ infundit Deus: vndè vers. 6. *& mutaberis in virum alium*, & vers. 9. *immutauit ei Deus cor aliud*, sic effusio facta supèr Iehu à propheta, *& deosculatus est eum* à se abiturum amoris ergò, ideò subdit de euenturis ei in itinere, non puto alia de causa. *Et hoc tibi signum, quia vnxit te Deus in principem, Cùm abieris*, &c. hoc dicit Samuel ad certificandum Saulem, qui aliòquin poterat dicere: quì scis me regem futurum, quis tibi indicauit? vndè hoc ego scire potero? & vt signa euentura seruirent ad hoc demonstrandum, quæ aliò trahi poterant. Ex his, quæ contigerunt, Samuel propheta verus apparuit, Deut. 18. Vers. 7. *Dominus tecum est*, tibi assistens, te confortans, regens, adiuuans; sic Gedeoni, Dominus tecum,

tecum, Iudic. 6.12. & Mariæ Angelus, Luc. 1. Verſ. 8. *Et deſcendes ad me in Galgala*, nempè tempore ſucceſſiuo, *ſeptem diebus expectabis*, poſtquàm illùc perueneris; vndè clarum eſt ſeptem dies non deſumi à tempore, quo hæc dicebantur, ſed quo in Galgala peruenturus erat, hinc cap. 11. *pòſt menſem*. Verſ. 11. & 12. *Nùm & Saul intèr prophetas?* hoc voluit Dominus, vt oſtenderet populo probitatem Saul, & illi crederetur ab eodem: ſic in Moyſe, & Aaron, quibus fides haberi voluit, vt in Exodo. *Reſponditquè alius ad alterum*, addens iàm dictis, *dicens: Et quis pater eorum?* quaſi eò magis mirum, quia nequè patres prophetantium prophetæ fuerunt, aùt hi ſpiritualibus incubuerunt, ſed ſunt pura ruſticani, vt Saul. Sed an ſic *quis pater eorum?* quis indidit hæc in Saulem? quis eorum genitor in eis? ſed primus melior videtur. Verſ. 16. *De ſermone autèm regni non indicauit*, eccè illius prudentiam: ſic nequè Samſon parentibus de leone, & melle: fortè patruus audiuerat Saulem intèr prophetas prophetaſſe, & ſuſpicabatur à Samuele hoc procedere. Verſ. 18. 19. *Ego duxi Iſrael de Aegypto*, exprobrat beneficia, & illud maximum, quod ſæpè repetitur, præſertim in prophetis, *vos autèm hodiè proieciſtis Deum veſtrum*, &c. quaſi diffidentia, quam habuiſtis in Deum, petijſtis Regem, vt potè ſaluandi à Rege, non à Domino. Verſ. 20. 21. *Cecidit ſors ſupèr Beniamin*, eccè quomodò conijciuntur ſortes in ſinum, ſed à Domino tẽperantur. *Quæſierũt ergò eum, & non eſt inuentus*. quomodò Saul vnctus non conuenit cùm vocatis, imò abſconditur domi, à Deo reuelandus, verſ. 22. ſciens de electione regis agendum: at hoc fortè eius humilitati attribuendum. Verſ. 24. *Viuat Rex*, hoc acceptũm in morem. Verſic. 27. *Nùm ſaluares nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera*, in recognitionem; eccè nunquàm res exitum habent in totum fœlicem, ſempèr aliquid deeſt, & tamèn infrà cap. 11. in fine receſſerunt ab hoc dicto: *ille verò diſſimulabat ſe audire*, hinc prudentia Saulis.

CAPVT XI.

ET factum eſt quaſi pòſt menſem, opportune inauguratus rex, vt reſiſteret regi Naas opprimenti populum. *Habeto nos fœderatos, & ſeruiemus tibi*, ſubmiſsè ſe habebant, & ille crudelitèr volens oculos dextros eis eruere ad opprobrium, quod vereor an vnquàm auditum. Verſic. 3. *concede nobis ſeptem dies:* ſic & Bethulia ſub Iudith quinque dies petijt ab Holoferne. Verſ. 5. *Quid habet populus quod plorat?* bonum exemplum principis, vt quærat de miſerijs ſubditorum. Verſ. 6. *Et inſiluit ſpiritus Domini bonus in Saul*, & verſ. 7. *aſſumens vtrunque bouem, concidit in fruſta, miſitquè in omnes terminos Iſrael per manum nunciorum*, ad magis commouendos animos ex facto, proùt fecit Leuita ille, qui eadem de cauſa in fruſta concidit vxorem ſuam, & miſit ad tribus Iſrael. Iungit *Samuel*, vel quia in magna veneratione erat apud populum, vel vt crederetur rem eſſe à Domino. Sed cur Saul Rex redit ad boues? vide Abul. ſic Apoſtoli mortuo Domino ierunt piſcatum, Ioan. 21. hinc magna Saulis humilitas.

Non placet receſſiſſe, quia aliqui non recepiſſent eum in regem, nàm non ideò deſijt eſſe rex à cœteris ſuſceptus in regnum. Verſ. 8. *Inuaſit ergò timor Domini populum*, ex facto Saul, Domino concurrente, fruſtrà enìm abſquè Deo verba fiunt ad populum. Verſ. 9. *Cràs erit vobis ſalus, cùm incalueerit Sol*, prophetat Saul confidens in Domino. Verſ. 12. *Saul nùm regnabit ſupèr nos?* eccè populi lubricitas, à factis, & ſucceſſibus iudicat. Verſ. 13. *Non occidetur quiſquam in die hac*, &c. Saulis æquitas, & iuſtitia; ſic cùm Ionatha actum, vt videbimus, & Dauid pro Semei. Verſ. 14. *Innouemus ibi regnum:* hanc enim victoriam cenſuit Samuel opportunam ad regnum in perſona Saulis firmandum, accedentibus maximè verbis populi.

CAPVT XII.

D*IXIT autèm Samuel*, &c. sindicatum facit, vt se ex eorum ore expurgato, possit liberiùs vti innocens contrà eos exprobrare ingratitudinem, ideò beneficia magna, & liberationem à seruitute Aegypti, & aliorum commemorat, hìnc etiàm quæ dixit, miraculo comprobauit, sic Christus, quis ex vobis arguet me de peccato? Sic Moyses. Num. 16. aduerte, non se laudat Samuel, sed expurgat, quicquid dicant Recentiores. Versic. 2. *Porrò filij mei vobiscum sunt*, vt si præuaricati sint, dùm vos iudicarunt, quos dixistis in vijs meis non ambulasse, damna vestra ab eis repetere possitis: quasi nèc filios meos excuso, habent ipsi ætatem, de seipsis rationem reddant. Potiùs dic, *vobiscum sunt* exauctorati, & in ordinem redacti sub rege: dicit de se inutili *senui, & incanui*, de filijs sic, ne, dùm eos obiurgat pro regis petitione, existimarent pro se, vel filijs dicere. Versic. 7. *Misericordijs*, præsertìm, dùm minus merebantur, Rom. 3. Vers. 12. *Cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis*: diffiderunt non liberandos per Dominum à Naas: ideò petierunt regem, hoc peccatum, & malitia. Vers. 15. *Et supèr patres vestros*, idest principes, quod declarat. Vers. 25. *vos, & Rex vester paritèr peribitis*, exprimens Regem clarè, quod quidam negant gratis. Vers. 17. *Inuocabo Dominũ, & ipse dabit vobis voces, & pluuias*, & sic miraculo comprobat veritatem, eos malè fecisse petendo Regem; sic Christus ad probandam diuinitatem; vt autèm sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. sìc Elias per ignem; & crediderunt Samueli, quia vers. 19. *timuit omnis populus*, & cognouit peccasse petendo Regem. Hìnc ex miraculo hoc quærebant Iudæi signum simile à Christo. Versic. 21. *Nolite declinare pòst vana*, idòla, quæ nihil sunt, inquit Paulus. Vers. 22. *Quia iurauit Dominus facere vos sibi populum*, sed cùm conditione, vt prosequitur. Vers. 23. *Absit autèm*, &c. ad Principes, & Prælatos, ne desistant benefacere subditis etiàm contrà eos malè se gerentibus, & ad omnes. Paulus; nulli malum pro malo reddentes, sed bonum: Dominus; benefacite persequentibus vos.

CAPVT XIII.

F*ILIVS vnius anni erat Saul cũ regnare cœpisset*, suprà dixit qualis Saul antè regnũ c. 9. 2. electus, & bonus, &c. & cap. 10. 23. 24. nùnc qualis in regni administratione, nempè puer, ideò ab hoc capite incipit narrare puerilia, quæ gessit, nimirum si *duobus autèm annis* solis *regnauit supèr Israel* legitimè, nàm pòst hos fuit tyrannus, seù occupator regni de facto pòst Dauid vnctum, vt obseruaui Acto. 13. & infrà cap. 15. dicam, vbi & Abul. q. 27. scribit; sed quomodò supplendi hi quadraginta anni vide scripta Act. 13. in additione, in qua tenui inferendos ad Dauid ex pluribus, quibus adde ex verbo (amoto illo,) nempè Saule, declarari non mortem illius, sed insistentiam in regno attentam fuisse, & amotum, dùm Samuel hoc dixit, & pòst vnctionem Dauid, cui posteà victoriæ contrà Philistæos datæ, Sauli negatæ, qui etiàm cùm filijs ijsdem victus, & prostratus. Vers. 2. *Et elegit sibi Saul*, nùnc capit regni gubernacula. Vers. 3. *Saul cecinit buccina, audiant Hebræi*, id ad subleuandos animos oppressorum; & vt congregarentur contrà Philistijm, & fortè ad eleuationem, & superbiam, & hìnc incipiat malus esse, & posteà præcipitat offerendo Samuele non expectato, proùt Ozias Rex. Vers. 9. & 12. *Necessi-*

tate compulsus obtuli holocaustum, excusat se, sed vanè, vt sequitur Samuel dicens: *stultè egisti, &c. in sempiternum,* intellige ad multum tempus, quia tribus Iuda regnatura aliquandò. Gen. 49. vel hæc ad scientiã Dei referenda, qui nouit etiàm quæ nunquàm extitura iuxtà S. Thom. Dicit hìc Abulens. contrà Lyra. Saulem non obtulisse manibus proprijs, sed mediante Sacerdote Achia, qui ibì erat infrà cap. 14. vers. 3. & 18. At quodnàm hoc fuisset peccatum? nonnè poterat repeti sacrificium saltèm alio die? & cur Samuelis tàm acris obiurgatio? cur tanta pœna regni defectus? & Samuel non dicit, non expectasti, sed sacrificium obtulisti, vel vtrũque, & verba textus sũt directa in Saulẽ offerenrem, hãc opinionem tenet Rup. Abb. Apoc. 2. fol. 21. Theodor. cap. 14. & alij hic.

Obstat prædictis præsentia Sacerdotis, & quòd prætergressio mandati fuerit non expectare Samuelem iuxtà condictum, Deus enim iniunxit hoc præceptum vers. 13. proùt Adam de non comedendo de ligno, & quia tùnc non sublatum regnum ab ipso, proùt posteà cap. 10. sed non dilatatum ad suos; cùm enim id procederet à mera Dei voluntate, sicùt à principio in solo Saul potuit illud terminare, sic ponere illam conditionem, etsi parui momenti, qua non seruata illud terminauit. Itèm quia infrà cap. 15. 13. dicitur quòd Saul offerebat holocaustum, & nulla ibì obiurgatio, ergò præsumitur ritè fecisse mediante Sacerdote, aliòquin Samuel supèr hoc nõ tacuisset. Itẽ quia cap. 14. per Sacerdotem interrogabat: ideò per eumdem præsumitur sacrificasse: Addo quia cap. 10. 8. Samuel ipse dicit Sauli, *vt offeras oblationem, & immoles, &c.* quæ intelligenda seruatis seruandis. Vltimò, si Ozæ incensum adolere tentanti orta lepra visibilis, quid Sauli sacrificanti contigisset? Vers. 19. Quæ inuentio *faber ferrarius,* &c: legitur in Porsena cùm Romanis; & in alijs hic per Recentiores.

CAPVT XIV.

VICTORIA Ionathæ. Vers. 6. *veni, transeamus ad stationẽ incircumcisorum horum, si fortè faciat Dominus pro nobis, quia non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis,* & sic contigit; sic in Gedeone, & Machabæis: credendum ad hoc Ionatham motum à Deo, ex verbis his; sic Saul dùm boues in frusta concidit; sic propheta ille. 3. Reg. 20. 35. petens percuti, addit Ionathas verbum, *fortè,* quia præcedere debuerat ominis captio, vt infrà: vel quia Dominus nondùm perfectè illum disposuerat instinctu suo, proùt fecit successiuè, non quòd de Domino diffideret, quia aliòqui tantum facinus aggressus non esset, & satis est Dominum indidisse spiritum sic agendi, proùt egit omine capto, imò & armigerum simili diuino instinctu afflatũ credendum est, quia aliàs non exposuisset se tanto periculo, & facinori. Vers. 8. Omen recipere intendit Ionathas à verbis aduersariorum, & recepit, vers. 12. sic Gedeon cùm puero suo Phara Iud. 7. seruus Abrahæ Eliezer: Gen. 24. serui Benadad, & Timotheus Dux contrà Iudam in Machabæis, & infrà cap. 19. Dauid: suprà Palestini in vaccis arcam ducentibus; & hìc non fuit superstitio ex Abul. quia à Deo. Versic. 15. *Et accidit quasi miraculum à Deo,* hic *quasi* affirmat, fuit enim miraculum, *à Deo* proùt 2. Paralip. 20. & stupor in illis. Versic. 19. *Contrahe manum tuam,* accelera, citò fac, contracta enim breuiora. Vers. 24. *Maledictus vir,* iuramentum indiscretum, vt ex euentu: 28. 30. 31. & dictis Ionathæ. 29. sic votum Iephte, Iudic. 11. potuit tamẽn moueri optima ratione, ne detineretur populus cibo intentus, & aduersarij elaberentur; at non omnia perpendit peiora portendentia, *panem* omnem cibum vers. 24. 43. sic sæpè in Scriptura. Meliùs erat itinerantes sumere cibum, vt fecit Ionathas. Vers. 27. *Ionathas non audierat, cùm adiuraret pater eius populum:* vndè non tenebatur, neque puniri poterat vti ignorans, de cuius igno-

rantia clarè textus.verſ.27. vndè exemplum populi non comedentis non conſideratur à Scriptura, ideò neque nos illud conſiderare poſſumus, *& illuminati ſunt oculi eius*, poſtquàm comedit, quia defecerat ob laborem, & laſſitudinem: verſ.29. sic de Onagro Iere. 14. Verſ. 32. *Comeditquè populus cùm ſanguine*, quod non licebat, neque pòſt legem; neque antè. Gen. 9. ſed non punitur hìc ratione neceſſitatis famis. Sed an vltrà alias rationes prohibitionis eſus ſanguinis dictas Gen. 9. poſſit dici factam eſſe, quia effuſio hæc ſanguinis in ſacrificijs denotabat effuſionem ſanguinis, & mortem Meſsiæ, & ob eius reuerentiam? Verſ. 35. *Tuncquè primùm cœpit ædificare altare Domino*, ſcilicèt Saul, nàm alij antè eum, vel pòſt arcam in Silo conſtitutam. Verſ. 38. *Peccatum hoc hodiè:* sic & infrà verſ. 41. peccatum dicit ſecundùm eius reputationem; Vel *peccatum*, pœna peccati, quia Deus non reſpondebat; sic nautæ in Iona: Ion. 1. Verſ. 39. *Viuit Dominus Saluator Iſrael*, tribus iuramentis obſtringebatur ad interficiendum Ionatham, primo verſ. 24. ſecundo hìc, tertio verſ. 44. ſed liberatur à populo: verſic. 45. ità vt nèc Saul periurus, nèc Ionathas innocēs percuſſus. Puto Saulē malè iuraſſe, & captus religione iuramenti, contrà quod credèbat indiſtinctè non poſſe venire iuxtà reputationem illorum temporum, voluiſſe in illius obſeruantiam occidere Ionatham innocentem, proùt religione voti Iephte filiam; & dictum ſuprà in iuramento Ioſue, & Principum cùm Gabaonitis. Verſ. 40. Credo Saulem, & Ionatham ex vna parte poſitos, vt conſtaret ſincerè rem agi, & Saulem velle exequi iuxtà ſortes irremiſſibilitèr, proùt dixerat verſ. 39. hinc populus videns omnia fidelitèr agi, dixit: *Quod bonum videtur in oculis tuis fac*, hoc magis placet, quàm quod dicit Abul. Verſ. 41. *Da ſanctitatem*, oſtende innocentiam. Verſ. 43. *Guſtans*, &c. fatetur Ionathas, proùt Achan etiàm per ſortes deprehenſus à Ioſue. Verſic. 45. *Ergò nè Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael?* ratione ergò populus vicit Saulem, ne in Ionatham ſæuiret, hæc vna, qua vſus Abraham cùm Deo, Gen. 18. 23. 25. numquid perdes iuſtum cùm impio? alia, quia ignarus, abſens, qui fortè non comprehendebatur, quia famelicus, neceſſitas enim non habet legem, & quia modicum quid guſtauit. Verſ. 52. *Nàm quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad bellum, ſociabat eum ſibi*, vt poſſet Philiſtæis reſiſtere, Pulchrum exemplum Principibus ergà benemeritos, & aptos, & rempublicam. At cùm Ionathas eſſet innocens, verſ. 27. cur Deus non reſpondet? cur Deus illum manifeſtat? Dic, contrauentum erat iuramento de facto, & iuxtà reputationem, ob id Deus non reſpondet: ſed manifeſtat. At excuſandus erat Ionathas; ideò fecit, vt à populo ſaluaretur, docuit ex primis qualem obſeruantiam iuramenti, ex ſecundis, innocentes illo non teneri ad pœnam. Vide Abulenſ. & Serrar.

Non placet, Ionathas improbauit factum patris, verſic. 29. nàm iuſtè id fecit, neque etiàm ſi malè feciſſet, grauaretur iureiurando, quod ignorabat, verſ.27.

Non obſtant verba Ionathæ, *ecce ego morior*, verſ. 43. nàm dicebat videns patrem ſic volentem, non quòd ipſe diceret mortem mereri; imò ex verbis ſuis excuſationem inſinuabat, & licèt Scriptura non referat omnia, credendum tùnc in tanto periculo, & neceſſitatem ſuam, qua ſola excuſabatur, & ignorantiam, quæ itèm ſola ſufficiebat, ad liberationem deduxiſſe, ſicùt extenuans transgreſſionem dixit rei modicitatem: *guſtans*, &c. verſ. 43. & tacet Scriptura, quia ex præcedentibus comprehenduntur.

CAPVT

CAPVT XV.

ET dixit Samuel ad Saul: *Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem supèr populum Israel*, hoc præmisit, vt magis illum accèderet ad capessenda mandata Dei, quæ dicturus erat; ideò subdit: *nùnc ergò tu*, sìc vnctus, & electus *audi vocem Domini*. Vers. 2. *Recensui quæcunque fecit Amalec Israel*, &c. Exod. 17.8. & penitùs, prout hic, delendum iussit Moyses; Num. 14. Deut. 27.17. cogita peccatum commissum tot annis antè, nùnc expiari in hac generatione, sìc Gen. 15. nondùm completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, & pòst quadringentos circitèr annos eos deleuit; & Christus Iudæis: venient omnia supèr generationem istam à sanguine Abel iusti, vsquè ad sanguinem Zachariæ, &c. Amalecitæ autèm vocantur peccatores, infrà versic. 18. Vers. 6. *Dixitquè Saul Cinæo: Abite*, &c. eccè cognatus Moysis, qui secum descenderat vt alibi dixi. Vers. 9. *Pepercit Saul, & populus Agag*. ex misericordia, vt creditur, prout Achab Benadad 3. Reg. 20. 32. cùm seq. sed vterque in pernicem eorum, de Saule hic, de Achab. d. cap. 20. Vers. 11. *Pœnitet me*, habet se Deus per modum pœnitentis ad nostram intelligentiam, *& clamauit ad Dominum tota nocte*, pro Saule; sic viri boni, & sancti faciunt pro peccatoribus rogantes. Vers. 12. *Erexisset sibi fornicem triumphalem*, eccè fastus Saulis, fecit sibi nomen, & Dauid 2. Reg. 8. & Absalom. Sed an erectio hæc sit peccatum? vide Abul. hic q. 23. *Et Saul offerebat holocaustum Domino de initijs prædarum*, sic, & Abraham dedit decimas Melchisedech. Gen. 14. cùm hic nulla obiurgatio pro oblatione, verisimile est per Sacerdotem obtulisse. Vers. 15. *Pepercit enim populus*, &c. in populum transgressionem reijcit, & vers. 21. vt se à culpa eximat; sed in vanum, & falsò, suprà vers. 9. & sìc conseruans de anathemate incurrit, prout Achan. Ios. 7. Vers. 16. *Sine me*, &c. magna modestia Samuelis cùm Rege Saule: nàm etsi à Deo missus, petit licentiam ab eo loquendi, *nocte*, prout 1. Reg. 2. & in Ioseph. Matth. 2. Vers. 17. *Nonnè cùm paruulus esses in oculis tuis*, id est te sciente, & affirmante mecum, suprà cap. 9. 21. hoc præmittit, vt maius ostendat beneficium regni, non vt ostẽdat ei placere humilitatẽ, vt dixit Caiet. nàm verum dictum, sed hic non intentum, *caput in tribubus Israel factus es? vnxit te Dominus*, quasi non à te recepisti, sed à Domino tantum beneficium. Vers. 18. *Et misit te Dominus*, &c. explicat ipsius inobedientiam. Vers. 20. *Imò audiui*, &c. turpitèr negat Saul, & negationem fouet ex victoria: inobedientiam verò in populũ reijcit, quam etiàm excusat ex verbis, *vt immolet Domino*, eccè quomodò, quæ erant gentilium, Domino offerebantur, vt aliàs tenui, quia id non reprobatur hic, nisi quia transgressum mandatum Domini: non enim vult Dominus sacrificia furtiua, vel de anathemate. Vers. 22. Obedientiam Domino magìs placere, quàm victimas in concursu, quia obedientia procedit à corde sincero, quod in victimis, aut adipe non apparet: vult cor Deus bonorũ nostrorum non indigens, vide Isa. 1. Vers. 23. *Pro eo ergò quòd abiecisti sermonẽ*, præcetum *Domini, abiecit te Dominus ne sis rex*, & infrà vers. 26. in quo deliquisti, puniris, priùs posteritas Saulis regno priuata: suprà cap. 13. nùnc ipse priuatur, ità vt ampliùs rex non sit; sic, & infrà vers. 26. & 28. pondera verbum, *hodiè*, statim cap. 16. 1. cùm ego proiecerim eum, ne regnet supèr Israel, hincquè datus, & vnctus successor ipsi viuenti: d. c. 16. & licèt diù pòst toleratus Saul, fuit rex de facto, & occupator, vt dixi cap. 13. 1. vndè verè non regnauit, nisi duobus annis supèr Israel, vt ibi, vide Abul. 1. Reg. 9. q. 10. & hìc q. 27. & Serrar. in prin. & vers. regni; & quæ ego dixi, Act. 7. & ibi in additione. Vers. 24. *Peccaui*, &c. nùnc fatetur errorem audita Domini sententia irreuocabili, quod ei nõ profuit, *timens populũ, & obediens voci eorum*, quod eum non excusat principem, & sermonem Domini scien-

rantia clarè textus.verſ.27. vndè exemplum populi non comedentis non conſideratur à Scriptura, ideò neque nos illud conſiderare poſſumus, *& illuminati ſunt oculi eius*, poſtquàm comedit, quia defecerāt ob laborem, & laſſitudinem: verſ.29. ſic de Onagro Iere. 14. Verſ. 32. *Comeditquè populus cùm ſanguine*, quod non licebat, neque pòſt legem; neque antè. Gen. 9. ſed non punitur hìc ratione neceſſitatis famis. Sed an vltrà alias rationes prohibitionis eſus ſanguinis dictas Gen. 9. poſsit dici factam eſſe, quia effuſio hæc ſanguinis in ſacrificijs denotabat effuſionem ſanguinis, & mortem Meſsiæ, & ob eius reuerentiam? Verſ. 35. *Tuncquè primùm cœpit ædificare altare Domino*, ſcilicèt Saul, nàm alij antè eum, vel pòſt arcam in Silo conſtitutam. Verſ. 38. *Peccatum hoc hodiè*: ſic & infrà verſ. 41. peccatum dicit ſecundùm eius reputationem; Vel *peccatum*, pœna peccati, quia Deus non reſpondebat; ſic nautæ in Iona: Ion. 1. Verſ. 39. *Viuit Dominus Saluator Iſrael*, tribus iuramentis obſtringebatur ad interficiendum Ionatham, primo verſ. 24. ſecundo hìc, tertio verſ. 44. ſed liberatur à populo: verſic. 45. ità vt nèc Saul periurus; nèc Ionathas innocēs percuſſus. Puto Saulē malè iuraſſe, & captus religione iuramenti, contrà quod credèbat indiſtinctè non poſſe venire iuxtà reputationem illorum temporum, voluiſſe In illius obſeruantiam occidere Ionatham innocentem, proùt religione voti Iephte filiam; & dictum ſuprà in iuramento Ioſue, & Principum cùm Gabaonitis. Verſ. 40. Credo Saulem; & Ionatham ex vna parte poſitos, vt conſtaret ſincerè rem agi, & Saulem velle exequi iuxtà ſortes irremiſſibilitèr, proùt dixerat verſ. 39. hinc populus videns omnia fidelitèr agi, dixit: *Quod bonum videtur in oculis tuis fac*, hoc magis placet, quàm quod dicit Abul. Verſ. 41. *Da ſanctitatem*, oſtende innocentiam. Verſ. 43. *Guſtans*, &c. fatetur Ionathas, proùt Achan etiàm per ſortes deprehenſus à Ioſue. Verſic. 45. *Ergò nè Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael*; ratione ergò populus vicit Saulem, ne in Ionatham ſæuiret, hæc vna, qua vſus Abraham cùm Deo, Gen. 18. 23. 25. numquid perdes iuſtum cùm impio? alia, quia ignarus, abſens, qui fortè non comprehendebatur, quia famelicus, neceſſitas enim non habet legem, & quia modicum quid guſtauit. Verſ. 52. *Nàm quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad bellum, ſociabat eum ſibi*, vt poſſet Philiſtæis reſiſtere, Pulchrum exemplum Principibus ergà benemeritos, & aptos, & rempublicam. At cùm Ionathas eſſet innocens, verſ. 27. cur Deus non reſpondet? cur Deus illum manifeſtat? Dic, contrauentum erat iuramento de facto, & iuxtà reputationem, ob id Deus non reſpondet: ſed manifeſtat. At excuſandus erat Ionathas; ideò fecit, vt à populo ſaluaretur, docuit ex primis qualem obſeruantiam iuramenti, ex ſecundis, innocentes illo non teneri ad pœnam. Vide Abulenſ. & Serrar.

Non placet, Ionathas improbauit factum patris, verſic. 29. nàm iuſtè id fecit, nequè etiàm ſi malè feciſſet, grauaretur iureiurando, quod ignorabat, verſ. 27.

Non obſtant verba Ionathæ, *ecce ego morior*, verſ. 43. nàm dicebat videns patrem ſic volentem, non quòd ipſe diceret mortem mereri; imò ex verbis ſuis excuſationem inſinuabat, & licèt Scriptura non referat omnia, credendum tùnc in tanto periculo, & neceſſitatem ſuam, qua ſola excuſabatur, & ignorantiam, quæ itèm ſola ſufficiebat, ad liberationem deduxiſſe, ſicùt extenuans transgreſſionem dixit rei modicitatem: *guſtans*, &c. verſ. 43. & tacet Scriptura, quia ex præcedentibus comprehenduntur.

CAPVT

CAPVT XV.

ET dixit Samuel ad Saul: *Me misit Dominus, vt vngerem te in Regem supèr populum Israel*, hoc præmisit, vt magìs illum accéderet ad capessenda mandata Dei, quæ dicturus erat; ideò subdit: *nùnc ergò tu*, sìc vnctus, & electus *audi vocem Domini*. Vers. 2. *Recensui quæcunque fecit Amalec Israel*, &c. Exod. 17. 8. & penitùs, proùt hic, delendum iussit Moyses; Num. 14. Deut. 27. 17. cogita peccatum commissum tot annis antè, nùnc expiari in hac generatione, sìc Gen. 15. nondùm completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, & pòst quadringentos circitèr annos eos deleuit; & Christus Iudæis: venient omnia supèr generationem istam à sanguine Abel iusti, vsquè ad sanguinem Zachariæ, &c. Amalecitæ autèm vocantur peccatores, infrà versic. 18. Vers. 6. *Dixitquè Saul Cinæo: Abite*, &c. eccè cognatus Moysis, qui secum descenderat vt alibì dixi. Vers. 9. *Pepercit Saul, & populus Agag*. ex misericordia, vt creditur, proùt Achab Benadad 3. Reg. 20. 32. cùm seq. sed vterque in pernicem eorum, de Saule hìc, de Achab. d. cap. 20. Vers. 11. *Pœnitet me*, habet se Deus per modum pœnitentis ad nostram intelligentiam, *& clamauit ad Dominum tota nocte*, pro Saule; sic viri boni, & sancti faciunt pro peccatoribus rogantes. Vers. 12. *Erexisset sibi fornicem triumphalem*, eccè fastus Saulis, fecit sibi nomen, & Dauid 2. Reg. 8. & Absalom. Sed an erectio hæc sit peccatum? vide Abul. hìc q. 23. *Et Saul offerebat holocaustum Domino de initijs prædarum*, sic, & Abraham dedit decimas Melchisedech. Gen. 14. cùm hìc nulla obiurgatio pro oblatione, verisimile est per Sacerdotem obtulisse. Vers. 15. *Pepercit enìm populus*, &c. in populum transgressionem reijcit, & vers. 21. vt se à culpa eximat; sed in vanum, & falsò, suprà vers. 9. & sìc conseruans de anathemate incurrit, proùt Achan. Ios. 7. Vers. 16. *Sine me*, &c. magna modestia Samuelis cùm Rege Saule: nàm etsi à Deo missus, petit licentiam ab eo loquendi, *nocte*, proùt 1. Reg. 2. & in Ioseph. Matth. 2. Vers. 17. *Nonnè cùm paruulus esses in oculis tuis*, id est te sciente, & affirmante mecum, suprà cap. 9. 21. hoc præmittit, vt maius ostendat beneficium regni, non vt ostēdat ei placere humilitatē, vt dixit Caiet. nàm verum dictum, sed hìc non intentum, *caput in tribubus Israel factus es? vnxit te Dominus*, quasi non à te recepisti, sed à Domino tantum beneficium. Vers. 18. *Et misit te Dominus*, &c. explicat ipsius inobedientiam. Vers. 20. *Imò audiui*, &c. turpitèr negat Saul, & negationem fouet ex victoria: inobedientiam verò in populū reijcit, quam etiàm excusat ex verbis, *vt immolet Domino*, eccè quomodò, quæ erant gentilium, Domino offerebantur, vt aliàs tenui, quia id non reprobatur hìc, nisi quia transgressum mandatum Domini: non enìm vult Dominus sacrificia furtiua, vel de anathemate. Vers. 22. Obedientiam Domino magìs placere, quàm victimas in concursu, quia obedientia procedit à corde sincero, quod in victimis, aut adipe non apparet: vult cor Deus bonorū nostrorum non indigens, vide Isa. 1. Vers. 23. *Pro eo ergò quòd abiecisti sermonē*, præcetum *Domini*, *abiecit te Dominus ne sis rex*, & infrà vers. 26. in quo deliquisti, puniris, priùs posteritas Saulis regno priuata: suprà cap. 13. nùnc ipse priuatur, ità vt ampliùs rex non sit; sìc, & infrà vers. 26. & 28. pondera verbum, *hodiè*, statim cap. 16. 1. cùm ego proiecerim eum, ne regnet supèr Israel, hincquè datus, & vnctus successor ipsi viuenti: d. c. 16. & licèt diù pòst toleratus Saul, fuit rex de facto, & occupator, vt dixi cap. 13. 1. vndè verè non regnauit, nisi duobus annis supèr Israel, vt ibi, vide Abul. 1. Reg. 9. q. 10. & hìc q. 27. & Serrar. in prin. & vers. regni; & quæ ego dixi, Act. 7. & ibi in additione. Vers. 24. *Peccaui*, &c. nùnc fatetur errorem audita Domini sententia irreuocabili, quod ei nō profuit, *timens populū, & obediens voci eorum*, quod eum non excusat principem, & sermonem Domini scien-

tem, Saul dicit *peccaui*, nèc remittitur ei pœna priuationis regni, quia erat sententia irreuocabilis, & iàm peccatum occultauerat, & occultabat, in populum reijciens totum, vel partē: vndè verisimilitèr nō dolebat corde sincero. At Dauid contrito corde dixit, peccaui, ideò meruit remissionem quòad culpam; & non erat sententia in eum irreuocabilis, nisi quòad pœnam in filium natum, & respectu concubinarum, quas fœdauit filius Absalom in conspectu populi turpitèr, & rebellionis eiusdem Absalom. Obseruat Theodoretus Saulem in Ionatham voluisse animaduertere ob quid minimum, ipsum tantam transgressionem præcepti Domini non curasse; sìc videmus festucas in oculis aliorum, in nostris nèc trabes. Versic. 25. *Sed nùnc porta quæso peccatum meum* tolera me peccatorem, *& reuertere mecum vt adorem Dominum*, imò potiùs, vt coràm populo famam conseruaret ex præsentia Samuelis, vt infrà vers. 30. vide quàm bona conuersatio cùm probis. Vers. 26. *Non reuertatur tecum*, fugiunt boni malos, timentes Domino displicere, si secum conuersentur, vt hìc, & contigit in Iosaphat, at pro eorum conuersione conuersandum, vt dicit Dominus in Euang. Vers. 28. *Scidit Dominus regnum Israel à te hodiè*, statìm, *& tradidit*, ergò non ampliùs es rex, vt suprà dixit, vide suprà vers. 23. sìc de decem scissuris in Ieroboam 3. Reg. 11. Vers. 29. *Porrò triumphator Dominus*, victoriarum, qui res proùt triumphator ad libitum regit, &c. non enim in his, quæ irreuocabilitèr dicit, mutatur. Ego Deus, & non mutor. Sic ad Moysem petentem introduci in terram: ne vlteriùs de hac re loquaris mihi: Deut. 3. de Esau, Gen. 27. 34. 35. Heb. 11. Anthioco 1. Macab. 9. sìc dixit Balaam, Num. 23. si autèm reuocabilitèr, secùs. Iere. 18. Ioel. 2. quis scit, &c. in Niniuitis: Ion. 3. Vndè non lugebat, aùt orabat Samuel pro Saule, etiàm antè dicta à Deo cap. 16. 1. quasi Deus mutandus, vt in regnum illum reintegraret, cùm hìc dicat Deum non recessurum à dispositis: sed ex pietate, & compassione, quicquid dicat Abul. qui 1. Reg. 30. q. 4. tractat quandò Deus mutetur, vel non. Versic. 30. *Peccaui*, at non pœnitet proptèr Deum, ideò subiungit, *sed nùnc honora me coràm Senioribus populi mei, &c.* & quamuis subdat, *vt adorem, &c.* hoc in postremis. Vers. 32. *Adducite ad me Agag*, cur Saul illum nō occidit? fortè consternatus ex verbis Samuelis; & quia cùm contrauenisset, Deus noluit vti ampliùs eius ministerio; Samuel verò zelo accensus executus est Dei præceptum: pondera verbum, *tremens* videntes enim mortem instantem sìc vexantur. *Siccinè separat amara mors?* sìc ne separandus sum ab hominibus amara morte, cuius amaritudinem gustare incipio, cùm sim Rex? ò mors, quàm amara est memoria tua, pacem habenti in substantijs suis?

Vers. 33. *Sicùt fecit absquè liberis*, &c. sicùt tu fecisti immisericors in matres, quarum filios occidisti, sìc tua mater idem meretur de te, sìc de se Adonibezec, Iud. 1. 7. sicùt feci, ità reddidit mihi Deus; punit nos Deus iuxtà peccata nostra. Vers. 35. *Et non vidit Samuel vltrà Saul vsquè ad diem mortis suæ*, idest nunquàm viuens, sic 2. Reg. 6. 23. igitur Michol non est natus filius vsquè in diem mortis suæ, idest numquàm, nisi quandò excitatus à Pythonissa; Samuelem enìm fuisse verum Ecclesi. 46. 23. & tenui alibì, & ibì dicitur. Intellige, *non vidit* proùt hìc, agens secum de re aliqua, vel negocio; & sìc excluditur quandò prophetauit coràm Samuele infrà capit. 19. quia tùnc nihil simùl actum, nàm quod dicitur Saulem quasi extrà se positum capit. 19. non vidisse Samuelem, non tollit difficultatem, quia dicitur hìc Samuelem non vidisse Saulem. *Verumtamèn lugebat Samuel Saulem*, &c. eccè charitas magna Samuelis, sìc faciunt boni viri pro improbis: mouentur enìm ad compassionem ergà illos.

CAPVT

CAPVT XVI.

VERS. 1. *Vſquequò tu luges Saul*, quaſi ceſſa à lacrymis, *cùm ego proiecerim eum, ne regnet ſupèr Iſrael?* eccè iàm lata ſententia priuatoria: ſubdit executionẽ, quæ erat ſubrogatio alterius in regem. *Imple cornu tuum oleo*, quia longiùs progreſſurus: ideò cornu, non lenticula vtitur, prout in Saule fecerat: ſuprà cap. 10. *Et vnges quem monſtrauero tibi*, cur non indicat? puto ex duobus; primò, quia Deus ſẽſim occulta ſua pandit, & non vna vice, ſed pluribus: ſecundò, vt magìs mereatur, qui obedit, nec adijciat animum vltrà quærere, & in Domino totus ſit, ab illoquè dependeat; ſic egit cùm Abraham monito egredi de terra ſua, & ire in terram demonſtrandam: hæc magìs placent, quàm ne ſi ex abrupto vnxiſſet Dauid, exiſtimaretur ex ſua, non Dei electionem factum, id enìm non aptabatur in puero Samueli incognito, & in Samuele viro apud omnes probatiſſimo; potiùs, vt myſteria, quæ interuenerunt, manifeſtarentur. Verſ. 2. *Quomodò vadam? audiet enìm Saul*. non peccauit Samuel ſic dicens, ſed prudentèr egit; ſic Abraham: vndè ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim terram? Geneſ. 15. 8. & alibì obſeruaui. *Vitulum*, &c. eccè prudentiam ſerpentum docet Dominus: hinc ſimplices ſicùt columbæ, prudentes ſicùt ſerpẽtes eſtote, dixit Chriſtus Apoſtolis. Verſic. 7. *Homo videt ea, quæ parent*, hinc ſæpè decipitur: *Dominus autèm intuetur cor*: ego ſũ Deus ſcrutans renes, & corda: ideò non poteſt errare, aut decipi; ſic Act. 1. in electione Matthiæ. Verſ. 10. *Adduxit Iſai filios ſeptem* vltrà Dauid: ideò cap. ſequ. dicuntur octo. verſ. 12. Verſ. 11. *Adhùc reliquus eſt paruulus*. hos reſpicit Dominus: vndè Chriſtus: Confiteor tibi pater, quia hæc abſcondiſti à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, & Paulus, eligit infirma, vt confundat fortia. *Nec enìm diſcumbemus priùs, quàm hùc ille veniat*. eccè anſietas, & diligentia Samuelis in obediendo Domino, ſic Eliezer ſeruus Abrahæ. Geneſ. 24. 33. Tobias cùm Raguele Tob. 7. 10. Chriſtus cùm Samaritana, Ioan. 4. Verſic. 13. *Et vnxit eum in medio fratrum eius*, & tùnc Saul facto deſijt eſſe rex, toleratur tamèn in regno diù, & ſic toleratus retinens non peccabat, eo magìs ignorans quid factum cùm Dauide. vide Abulenſ. infrà cap. ſequ. quæſt. 12. & in ſignum verſic. 14. *directus eſt ſpiritus Domini à die illa in Dauid*. replens eum virtutibus, gratijs, fortitudine, prudentia, prophetia, at *receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino* miſſus, permiſſus, sìc & verſic. 15. 16. 23. Cũ hìc dicatur *ſpiritus nequam* vanè nituntur aliòquin cõtrà textũ attentare hũc fuiſſe Angelum bonum. Verſic. 18. *Et Dominus eſt cùm eo*, sìc dictum, & in Saule ſuprà capit. 10. 7. Sed boni ſerui Saul bona domino conſulentes hìc, & quandò duxerunt illum ad Samuelem, & in domo Pythoniſſæ, sìc illi Naaman Syri. Verſic. 19. *Mitte ad me Dauid:* eccè lex regni, de qua Samuel ſuprà capite octauo. Verſic. 23. *Dauid tollebat cytharam, & pertutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat. recedebat enìm ab eo ſpiritus malus*, quomodò, vide Abulenſ. & alios per Serrar. qui agunt, & de piſce Tobiæ, de quo alibì dixi: vide eumdem Serrarium Tob. ſexto, & 8. Lorin. in Acto. 5.

CAPVT

CAPVT XVII.

CONGREGANTES, &c. hic Dauid victoria in Philistæū. Versic. 4. *Et egressus est vir spurius*. eccè de damnabili coitu gigas, monstrum, sic quādò caro corruperat omnem terram, orti gigantes. Genes. 6. Versic. 12. *Isai, qui habebat octo filios*. vndè verificatur, quod suprà cap. præcedenti versic. 10. dicitur. Versic. 15. *Abijt Dauid*. Saule ad bellum eunte, Dauid redijt ad pascēdum gregem. Versic. 26. Zelus Dauid pro Deo. & 36. 46. *vt sciat omnis terra, quia Deus est in Israel*. Versic. 28. *Quarè venisti, & reliquisti pauculas oues illas in deserto?* contrà Prælatos non residentes possunt hæc verba accommodari. *ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, qui, vt videres prælium, descendisti*. excedit Eliab: at Dauid se expurgat. *Quid feci mali? numquid non verbum est* tantùm? quasi, quid ex hoc mali? Vel numquid non accessi hùc iussus à patre, Isai? quasi non bellum visurus. Versic. 33. *Non vales*, &c. more hominū loquitur Saul: at à Deo alia operanda. Versic. 24 *Pascebat seruus tuus*, &c. hæc de se Dauid relata. Eccl. 47. occasione impulsus, quæ aliàs non dixisset; sic Ioannes de se: ego vox clamantis, verbis Legatorum quasi coactus; Beatissima Virgo, quoniàm virum non cognosco, verbis Angeli inuitata; Paulus. 2. Cor. 11. & 12. referens beneficia. nàm versic. 11. dicit, factus sum insipiens, vos me coegistis. leonem & Samson occidit, & tres Banaias princeps Dauid. Versic. 37. *Dominus, qui eripuit*, &c. docet se in Domino confidere; & meliùs versic. 45. vbi prophetat de victoria. 46. 47. Versic. 39. *Non possum sic incedere*, &c. volebat Deus à nudo, & inermi victoriam obtineri, quæ sibi imputaretur: ideò in habitu, & armis pastoralibus comparere in acie, seù certamine voluit; infirma eligit, vt fortia confundat. *quinque limpidissimos lapides*, tot capiebat pera, tot putauit sufficere. Vers. 50. *Præualuitquè Dauid*, &c. gloriatio Philistæi morti traditi absorpta à puero. benè Paulus: qui gloriatur, in Domino glorietur, proùt Dauid hic. Versic. 54. *Arma posuit in tabernaculo suo*, non Domini, etsi postea ad tabernaculum Domini exportauerit, quæ inuenta in Nobe, & ei data à Sacerdote: infrà cap. 21. Versic. 55. *De qua stirpe*, &c. hinc parùm moratus erat secum Dauid: vel Regum est tot implicari, vt difficile his incumbant. An autèm aliquandò liceat duellum, vide Lyran. Abulens. Serrar. hic.

CAPVT XVIII.

VERS. 1. *Anima Ionatæ cōglutinata est animæ Dauid*, modus Scripturæ ad explicandam vehemētem dilectionem. sic Gen. 34. 3. & conglutinata est anima eius cùm ea, quod magis declarat: *& dilexit eum Ionathas quasi animam suam*. & versic. 3. *diligebat eum quasi animam suā*. & facto id ostendit: versic. 4. non dilexit verbo tantùm, sed opere, & veritate; proùt iubet S. Ioannes. vide Abul. Versic. 2. *Tulitquè Saul*, &c. & sic Dauid factus curialis; & Vers. 5. præfectura donatus. sed citò cœpit tribulatio. versic. 6. vsquè in fin. capit. Versic. 7. *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*, quia prostrato Philistæo, tot Philistini occisi: in textu Bibliorum correctorum non adest verbum, Ierusalem. Vers. 11. Pondera verbum, *secundò*, idest duplici vice, bis, sic Luc. 6. sabbato secundo, duplici sabbato, vt ibi dixi. Versic. 12. *Et timuit Saul Dauid eò quòd Dominus esset cùm eo, & à se recessisset*. impiorum hoc est, vt formident bonos, & opera eorum. Vers. 17. *Non sit manus mea in eum, sed sit supèr eum*

manus

manus Philiſtinorum, & verſ. 21. & 25. sìc Dauid in Vriam: 2. Reg. 11. 15. Iezabel cùm Naboth 3. Reg. 20. 10. Hebræi cauſam mortis Chriſti in Pilatum reijcere tentarunt, vt dicit Auguſtinus. Inuidia quò duxit Saulem, vt ſæuiret in ſaluatorem? Serrar. hìc colligit Patres. Verſ. 18. *Quis ego ſum?* &c. & 23. *ego autèm ſum vir pauper, & tenuis*, humilitas magna Dauid; sic Abigail, sic Sāctiſſima Virgo. Verſ. 21. *In duabus rebus gener meus eris hodiè*, prima, quia iungeris filiæ meæ; ſecunda, quia dabis mihi centum præputia Philiſtinorum, vt infrà dicitur: quaſi vna ſinè alia non fiet: ex ſubiunctis enim colligitur quis fuerit animus Saulis in illis verbis. Vel charus mihi eris vti gener, nedum quia accipies filiam meã, ſed etiàm quia debellabis inimicos meos, quod æquè æſtimo, ac primum. Verſ. 25. *Non habet rex ſponſalia neceſſe*, dixi in Gen. an ſponſus conſtitueret dotem necne, occaſione ſerui Abraham cùm Rebecca; vide hìc Serrar. de more ſeruato, & Abul. q. 35. Pined. de rebus Salom. lib. 5. cap. 2. Rib. Oſeæ 3. & infrà 2. Reg. 3. 9. Gen. 29. 34.

CAPVT XIX.

LOCVTVS, &c. ſenſìm odium, & inuidia Saulis in deterius progrediuntur, ita vt iubeat occidi Dauid: at probitas Ionathæ manifeſtatur, tùm dicendo Dauid, vt caueret, tùm loquendo de eo bona patri, vt auerteret eum, quod & ad tempus impetrauit: ad exemplum, vt officia impartiamur ex corde ſincero, & in veritate proximis, non fictè, cùm familiaribus agit Saul, proùt Herodes, Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Verſ. 6. *Viuit Dominus*, iurat Saul. *quia non occidetur*, & tamèn totiès contrà iuramentũ committit, quod in Ionatha filio, etſi temerarium, ſeruare volebat. Verſ. 11. *Miſit ergò Saul ſatellites ſuos in domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & raperent*, verſ. 14. *& interficeretur manè*, vti reus, non illicò iubet occidi, dicit Abulenſis, quia sìc ſuggeſſit Dominus prò liberatione Dauid, sìc non captum conſilium Achitophel, ſed Cuſai prò ſalute ipſius Dauid 2. Reg. 17. sìc receſſum à conſilio, & machinatione Aman contrà Iudæos in Eſther. Verſ. 12. *Depoſuit eum per feneſtram*, sìc, & ſalui exploratores à Rahab, & Paulus Damaſci à fratribus per murum in ſporta. Impleuit Michol quod dixit Adam: quamobrèm relinquet homo patrem ſuum, &c. Gen. 2. in fin. Verſ. 19. *Inuentum eſt ſimulacrum*, poſuit illud Michol, vt longius ſpatium haberet Dauid fugiendi, dùm lictores perſcrutantur, vel credunt iacere infirmum, nequè in hoc credo peccaſſe Michol etiàm leuitèr ex facto, Chriſtus finxit ſe longiùs ire: ſuprà videmus Samuelem negaſſe ire cùm Saule, poſteà iuiſſe. vide Abul. hìc q. 16. ſed ex verbis habetur mendacium officioſum: verſ. 14. & 17. & hoc non poteſt excuſari, Abul. q. 21. & 22. sìc mendacio paruulos Aegyptijæ obſtetrices: exploratores Rahab liberarunt. Credo fuiſſe lignum ſimulacrum illud, vel aliud ſimile, quod de facili occurreret quærenti, non iecur capræ, vel vter, quia vbi hæc tùnc ſuppetebant in nocte, & ex improuiſo? eò magìs, quia cùm cooperuerit, apparet ex ſe non repræſentaſſe humanam figuram; si enim tale fuiſſet, non erat neceſſarium cooperire illud. Sed an peccauerint lictores? Vide Abul. q. 24. At magna impudentia Saulis cognoſcentis protectionem Dauid à Domino, & contrà eum euntis; sic peccator cùm in profundum malorum venerit, ſpernit Deum.

A verſ. 18. vſquè ad fin. cap. habetur fuga Dauid ad Samuelem, de lictoribus illùc miſſis à Saul prophetiæ ſpiritu imbutis, proùt de miſſis ad capiendum Ieſum; & ipſo Sauli: vndè: *nùm, & Saul intèr prophetas?* hincquè collige etiàm malis prophetiam dari, vt in Caipha, & dixi in Euangelijs in Cœco nato, et ex Auguſtino. Verſ. 19. *Nunciatum eſt autèm*, &c. fortè Saul indixerat, vt ſcientes vbi eſſet Dauid, nunciarent, proùt de Chriſto Hebræi, quia & infrà cap. ſeq. & alibi pluriès nunciatum.

CAPVT

CAPVT XX.

DAVID conuenit Ionatham, qui completam malitiam patris refert, fœdus simùl ineunt. Vers. 6. *Rogauit me Dauid*, mendacium officiosum. Versic. 8. *Tu me interfice* sìc Moyses ad Deum; vt interficias me. Numer. 11. 15. Versic. 13. *Reuelabo aurem tuam*, indicabo tibi; sìc suprà cap. 9. 15. reuelauerat autèm Dominus auriculā Samuelis. Vers. 27. *Cur non venit filius Isai?* non vocat Dauid, quia odiosorum nèc nomina proferimus. Versic. 30. *Quia diligis filium Isai:* quos odimus, ab omnibus odio haberi vellemus. Versic. 35. *Puer paruulus*, ne quicquam obseruaret, proùt euenit, vers. 39. hinc prudentia Ionathæ, sìc & Samuel cùm Saule de puero. Vers. 41. *Cadens pronus in terram, adorauit tertiò*, sìc Iacob videns Esau, dùm à Mesopotamia rediret, *& osculantes se alterutrū fleuerunt pariter*, sìc descendente Paulo magnus fletus factus est: hìnc dilectio apparet, sìc, & Samuel deosculatus est Saulem pòst vnctionem.

CAPVT XXI.

VENIT *autèm Dauid in Nobe ad Achimelech Sacerdotem*, in Nobe erat sanctuarium, non arca, quæ in domo Abinadab in Gabaa suprà cap. 7. *& obstupuit Achimelech, eo quòd venisset Dauid solus, & dixit ei, quarè tu solus es, & nullus est tecum?* addit affirmatiuæ negatiuam ad magìs confirmandum. Iustè *obstupuit*, cùm Dauid esset gener Regis, tribuuus supèr mil le viros, solitus stipari militibus, & in bellum progredi. Christus dicit Mat. 12. Mar. 2. Luc. 6. de Abiathar filio eius, vide hìc Abul. q. 24. fortè quia ibì ipse præsens, vel vices patris gerebat, vt de Phinees viuente Heli, patre suo dicit Ioseph. lib. 5. antiq. & hìc de patre, qui illi præerat; vel quia Abiathar maioris famæ, quàm pater suus. dixi Matth. 12. *& ait Dauid ad Achimelech Sacerdotem: rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, proptèr quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim*. Dauid ad tollendum stuporem ab Achimelech vtitur mendacio officioso, & verisimili, & ne æstimaret se solum, dixit. *Nàm & pueris*, ne rescirent negocium, *condixi in illum, & illum locum*, vt expectarent, vel peruenirent, hoc in discessu.

Nùnc ergò, si quid habes ad manum, præsto, comestibile, *vel quinque panes* tantùm *da mihi, aut quicquid inueneris*, pro me, & pueris, fame conficiebatur Dauid, nèc requirebat in fame delicias.

Respondens Sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laicos, communes, *panes ad manum, sed tantùm panem sanctum*, quem solis Sacerdotibus licebat comedere, vt dixit Christus Matth. 12. 4. & habetur Leuit. 2.6.7. 22. quem dabo, *si mundi sunt pueri*, serui, *maximè à mulieribus:* hoc addit, quia pollutio communior, loquitur de pueris, sed sub illis & de Dauid. Videntur autèm pueri non fuisse simùl cùm Dauid coràm Achimelech, qui affirmatiuè, & negatiuè dixit solum Dauid; & quia dicitur, *dedit ei*, non eis, *sanctificatum panem*, vers. 6. & concurrit responsio Dauid, *condixi in illum, & illum locum*, vndè verisimilitèr reliquerat eos extrà Nobe, & eis afferre volebat panes. vide Abul. hic q. 3. & 4. & Matth. 12. At magìs placet pueros fuisse præsentes ex his, quæ dixi Matth. 12. c. 40. in Euang. Non obstat *dedit ei*, quia de illo vti principali, & de domino, nàm constat ex tribus Euangelistis, & *panem* pueros comedisse, negatio verò respicit alios vltrà seruos: uerba uerò Dauid referenda ad primores, non ad seruos, qui ei erant necessarij, inuerisimile est etiàm Dauid panes detulisse pueris suis alibì stan-

bus

bus, uel dùm esset in fuga spoliasse se comitatu seruorùm necessariorum, & necessitatem sibi imposuisse uel inueniendi illos, uel expectandi. Et tres Euangelistæ uniformitèr dicunt de illis, qui cùm ipso erant Dauid. At daturus erat & immundis. Abul. hìc, & Matth. 12. quia necessitas non habet legem. Sed si munditia quæritur in esu panum horum, quid in sanctissimo Sacramento?

Et respondit Dauid Sacerdoti, & dixit ei pro se, & pueris: *Equidèm si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quandò egrediebamur*, uel latitabamus, *& fuerũt vasa puerorũ sancta*, replicat, & magis affirmat quod dixerat. *porrò via hæc polluta est*, ut scilicèt nos laici comedamus panes sanctos, *sed & ipsa hodiè* in hac nostra necessitate famis urgentis *sanctificabitur in vasis* corporibus nostris famelicis, non imputabitur ad peccatum proptèr necessitatem, ut dixit Christus Matth. 12. Vel aliundè potuimus contrahere immũditiam, quia uia hæc polluta est, facilè contingere potuit, quod tamèn ignoramus, *sed hodiè*, &c. ob necessitatem. Non videtur posse dici *via hæc polluta est*, quia pergo ad Philistinos, nàm sicuti interrogabat de pollutione iàm contracta Sacerdos, ità præsumitur de illa respondisse Dauid, at illa nondũ causauerat pollutionem, cùm ad illos non peruenisset, sed causatura erat, propterea non aptantur.

Dedit ergò ei famelico *Sacerdos sanctificatum panem, nequè enim erat ibi panis cõmunis, nisi tantùm panes propositionis, qui sublati fuerunt à facie Domini, vt ponerentur panes calidi*, recentes: uoluit ostendere his uerbis necessitatẽ dandi panem sanctum.

Erat autèm ibì quidam de seruis Saul in die illa intùs in tabernaculo Domini: & nomen eius Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul, de hoc mentio, quia retulit hęc omnia gesta ibì ad Saul, dicit originẽ ad significandam eius malitiam. *Dixit autèm Dauid ad Achimelech: si habes ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum, sermo enim regis vrgebat*, hinc apparet quibus insidijs pateret Dauid, vt ne haberet quidèm qui deferret hæc ei.

Et dixit Sacerdos: eccè hìc gladius Goliath Philistæi, quem occidisti in valle Terebinthi est inuolutus pallio pòst Ephod, detulerat eum illùc Dauid, postquam dimiserat in tabernaculo suo, suprà cap. 17. 54. hinc licere ponere hæc insignia victoriarũ in honorẽ Dei, *si istũ vis tollere, tolle; nequè enim hic est alius absquè eo*, id apponit, vt constet cur tulerit. *Et ait Dauid: Non est huic alter similis, da mihi eum*, tulit reportaturus, quod licuit, vide Abul. 2. Reg. 8. 9. 14. De hac materia Pined. de rebus Salom. lib. 1. cap. 3.

Surrexit itaquè Dauid, ibì malè tutus, *& fugit in die illa à facie Saul*, & à suo regno, ne deprehenderetur: non autèm quod Saul eum exulem declarasset à regno, quia infrà cap. seq. & 27. apparet Dauid sìc elegisse exulare ad sui securitatem, *& venit ad Achis regem Geth*.

Dixeruntquè serui Achis ad eum, qui fortè non viderat, nèc nouerat Dauid; nèc in bellum descenderat; *cùm vidissent Dauid: Numquid non iste est Dauid rex terræ?* victorem intelligunt potiùs, quàm regem, quia regem sciebant esse Saul; quod declarantes: *nonnè huic cantabãt per choros dicentes, percussit Saul mille, & Dauid decem millia?* eccè quomodò dùm putamus latère, patemus: sic in Moyse occidente Aegyptium.

Posuit autèm Dauid sermones istos in corde suo, quibus valdè vrgebatur, *& extimuit valdè à facie Achis regis Geth*, cùm ipse victor contrà suos fuisset, & exercitum profligasset pòst occisum Goliath.

Et immutauit os suum coràm eis, ex industria se insanum simulans, nèc peccauit, vt hic Abul. q. 36. & 37. *& collabebatur intèr manus eorum: & impingebat in ostia portæ*, sic Balthassar rex, Dan. 5. 6. 9. & Agag. suprà cap. 15. 32. *defluebantquè saliuæ eius in barbam*, eadem de causa fictæ insaniæ.

Et ait Achis ad seruos suos: Vidistis hominem insanum, sic Heli Annam, 1. Reg. 1. reputauit temulentam; illi Apostolos Acto. 2 *quarè adduxistis eum ad me?*

An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret me præsente? hiccinè ingredietur domum meam? ex consilio Domini hoc factum, vt non reciperetur ibi Dauid.

CAPVT

CAPVT XXII.

ABIIT ergò Dauid indè ab Achis, *& fugit in speluncam Odollam*. *Quod cùm audissent fratres eius*, &c. ab eo vocati 1. Paral. 12. fit mentio eorum, qui ad eum transfugiebant, quorum aliqui, te enim Deus adiuuat. Sic Chusai ad Absalon 2. Reg. 16. 18. & rex Geraris ad Isaac Gen. 26. 28. & sic vniam quæ habentur in Paral. Vers. 3. *Maneat, oro* dixit ad regem Moab *pater meus, & mater mea vobiscum*, hinc apparet vel eos passos aliquam persecutionem, vel timuisse à Saule, quod imitati sunt Imperatores, & Reges ethnici in Christianos, & velit Deus ab hoc abstinere Catholicos Principes, dùm agitur de immunitate ecclesiastica. Vers. 5. *Dixitquè Gad propheta ad Dauid*, eccè cura Dei, eccè adfuisse prophetas, vt suprà dixi in viro, qui locutus est ad Heli, erat Dauid propheta, & tamèn hæc ignorabat; sic & Elisæus mortem filij mulieris: pluriès Deus permittit Sanctos pro alijs miracula operari, pro se ipsis aliorum opera vti, vt humiles fiant. *Noli manere in præsidio*, ergò cùm eo discesserunt pater, & mater, qui manserunt apud regem Moab cunctis diebus, quibus Dauid fuit in præsidio, vers. 4. *proficiscere, & vade in terram Iuda*, sic Moysi in Madian, sic Ioseph in Aegypto morantibus. Volebat Deus ibi ostendere protectionem, quam habebat sui Dauid, eumquè subijcere periculis, vt fortior euaderet in tribulationibus, prout Iob, Tobias. Vers. 7. *Filius Isai*, ex odio reticens nomen, & per derisum sic appellans, quod & suprà cap. 20. 27. *numquid*, &c. & vers. 8. apparet noluisse quemquam esse beneuolum Dauid, quem odio habebat, & sic fit communitèr malè. Vers. 9. *Respondens autèm Doeg Idumæus*, ne putes te tutum quasi à nemine cognitus, dùm malè operaris, eccè quomodò occulta panduntur; sic euenit Moysi occidenti ægyptium, Exod. 2. *filium Isai*. Doeg seruat morem domini, non appellando Dauid proprio nomine; sic Curiales adulantes dominis. Vers. 17. *Scientes quòd fugisset, & non indicauerunt mihi*: hinc erat edictum positum contrà Dauid de illo reuelando, proùt contra Iesum. *Noluerunt autèm serui regis extendere manum*, &c. & rectè quia seruiendum regibus in Domino, dùm licita iubent, non illicita, proùt hic. Vers. 18. *Conuersusquè Doeg Idumæus*, benè Idumæus, exequens iniquum mandatum domini; quod alij detrectauerant, *vestitos Ephod lineo*, sic in Samuele de lineo ad differentiam Ephod Sacerdotis magni, suprà cap. 2. 18. At occisio hæc prædicta Heli suprà cap. 3. Abul. q. 28. vbi proptèr Heli hi occisi, & sic: sum Deus visitans iniquitates patrum in tertiam, & quartam generationem. Versic. 19. *Nobe autèm*, &c. quò peruenit odium Saulis, in quod profundum malorum, exarsit in innocentes, & in animalia. Versic. 20. Quomodò Abiathar euasit, filius Achimelech, & iuit ad Dauid, qui eum saluum fecit.

CAPVT XXIII.

ET *annunciauerunt*, & cæt. hinc cognoscamus cur Deus iusserit Dauid, vt iret in Iudæã; volebat enim eius ministerio Philistæos à Cœlo profligari. Vers. 2. *Consuluit ergò Dauid Dominum*, hic & pluriès consuluit Dominum, ad exemplum nostrum, vt in negocijs nostris Dominum sempèr consulamus. 4. Reg. 19. 9. Vers. 3. *Et dixerunt viri*, &c. sic Apostoli ad Iesum volentem reuerti in Iudæam pro Lazaro, Io. 12. Vers. 12. *Si tradent me viri Ceilæ? respondit, tradent*, & quia id non contigit, probatur in Deo scientia eorum, quæ non fuerunt, non sunt, & non erunt ad D. Thomam.

Vers.

Verſ. 14. *Et non tradidit eum Deus in manus eius*. sic: non derelinquet eum in manibus eius, de iuſto. Verſic. 18. *Ionathas autèm reuerſus eſt in domum ſuam*. ergò non erat cùm Saule, vt dicebat Lyranus, ſed ſolus acceſſit ad illa loca, in quibus latebat Dauid. Verſic. 21. *Benedicti vos à Domino*, sic Dauid viris Iabes Galaad pro geſtis pro Saul. 2. Regum 2. 5. Verſic. 26 *Itaquè Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius, vt caperent eos*. hoc fuit conſilium Chuſai cõtrà Dauid datum Abſaloni adulatorium contrà cõſilium Achitophel. 2. Reg. 17. Verſic. 27. *Feſtina*, &c. & sìc liberatus Dauid; sìc Ezechias tẽpore Sennacherib. 4. Reg. 17. Sed cur Deus diſtulit, dùm non poterat euadere, eius ſalutem? vt magìs humiliaretur, & ab eo magìs recognoſceretur ſalus; sìc cùm populo, quem perſequebatur Pharao in Exodo: cũ Ioſeph Matth. 2. cùm eodem Dauid in rebellione Abſalonis. Abraham bis erepta vxore, & extento brachio ad filium immolandum. Putant aliqui nuncium hunc fuiſſe Angelum. Abulenſ. 2. Regum 22. quæſt. 3. ſed incertum.

At de multis modis, quibus Deus miraculosè in Scriptura ſacra dedit victorias. vide hìc per Abulen. quæſt. 8. & capit. 24. quæſt. 15. Obſerua, quòd etſi tot inſidiati fuerint Dauid, ſeruientes Sauli, tamèn aſſumptus ad regnum, non legitur in quemquam vindicaſſe: hinc lenitas Dauid, proùt Moyſis.

CAPVT XXIV.

ASCENDIT ergò Dauid, &c. Verſic. 5. *Eccè dies*, &c. quandò id Dauid dictum non apparet, potiùs videntur verba inuenta à viris Dauid, maximè reſpectu Saul, quia id nunquàm euenit: nàm etſi Dauid ſurrexerit, tamèn præcidit oram clamydis, non autèm cogitauit interficere: & ſi fuiſſent verba Dei, habuiſſent effectum ſuum. Si ergò fuerunt verba à Deo, verificata ſũt in alijs inimicis Dauid. Verſic. 7. Quàm generoſum cor Dauid, & Deo fidens, & inimicum in actu perſecutionis, & periculi ſaluum dimiſerit, quem in ſua habebat poteſtate. magnum exemplum parcendi inimicis, verſic. 20. ex ore Saulis: sìc Moyſes, & Aaron pluriès, Samuel cùm populo, Eliſæus cùm Syris, Achab cùm Benadad, ſed is malè, idem Dauid cùm Semei. Verſic. 11. *Cogitaui*, venit mihi in mentem, ſed non conſenſi, *vt occiderem te*, quia & hìc, & in nuncio mortis Saul, & Isboſeth apparet quàm abhorruerit Dauid à ſimili cæde: ideò hìc ſubdit: *pepercit tibi oculus meus*. & quandò ſuprà dicitur: *percuſſit cor ſuum Dauid* fuit circà inciſionem oræ veſtis Saul, non circà cogitationem occidendi; vndè dicitur, *eò quòd abſcidiſſet oram clamydis Saul*; & ſi Dauid peccaſſet in hoc, Scriptura dixiſſet, proùt de alijs peccatis, & infrà dicit. *Ab impijs egredietur impietas*, & ſe liberans ſubdit, *manus ergò mea non ſit in te*. Verſic. 17. *Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit*. non poſſunt impij etiàm odio pleni non commoueri actibus generoſis, & beneficis: ideò Paulus: congeres carbones ignis ſupèr caput eius, Rom. 12. Verſic. 18. *Iuſtior tu es*. sìc Iudas ad nurum, Geneſ. 38. 26. fatetur peccatum Saul, ſed recidit in idem, vt videbimus, etiàm extorto à Dauide iuramento. verſic. 22. & 23. Hinc Dauid non exturbauit Isboſeth de regno, quod occupabat, at Deus permiſit occidi à ſuis.

CAPVT XXV.

MORTVVS *est autèm Samuel, & congregatus est vniuersus Israel*, quod fuit signum eius sanctitatis. Sequitur de Nabal iniquo. Simile in Euang. Luc. 16. de Epulone, & Lazaro. Versic. 3. Raro vir, & vxor boni. de Zacharia, & Elisabeth, erant ambo iusti antè Deum. Luc. 1. Versic. 11. *Tollam ego panes*, &c. sic Iesus cùm Chananæa: non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Versic. 22. *Mingentem ad parietem*, de cane si prouerbium, aliòquin viros, quia non intendebat occidere canes. Versic. 25. *Dominus meus rex*. postquàm Abigail sic eum nominat, & alia dicit infrà ad regnum spectantia; & Saul dixit suprà cap. 24. 21. Scio, quòd certissimè regnaturus sis; Ionathas totiès, serui Achis cum Regem terræ dixerunt. cap. 21. 11. & 2. Reg. 3. quæ dixit Abner: suspicor famam regni Dauid apud omnes percrebuisse: & fortè fratres sui publicauerunt vnctionem, vel æquiualens.

Sed considera prudentiam mulieris, quæ præsens voluit hæc adimplere; & præmisit munera, proùt Iacob ad Esau. Primò captat beneuolentiam nuncupando eum Regem. Secundò iram Dauid probat, virum suum accusans, se excusat ex ignorantia, vt ei plus deferat. Tertiò, addit & imprecationem contrà eius inimicos, in se culpam reijcit: *Aufer iniquitatem*, vel pœnam famulæ tuæ. prospera omnia ei futura denunciat. *erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium*, more hominum: solent enim homines, qui habent quædam gratiora, ea in fasciculo colligare ad maiorem cõseruationem; est ac si diceremus, intrà thesaurum conseruaberis viuens, tutus eris: ideò dicit, *in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuũ*, vel à Domino Deo tuo, vel coràm eo: sic Iob petebat: quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? vbi Pined. huius loci mentionem faciens: ponit antè oculos ea, quæ decent animum generosum, qui non curat leuia, & immaculatum, & purum, qui timet contaminari, & facere ea, quorum posteà pœniteat. Versic. 32. Verbis Abigail placatus Dauid assentit, & recedit à iuramento, quod sicùt erat asperum, & excedens contrà Nabal, qui non merebatur mortem, & iniquum contrà eos, qui non deliquerant, vt infrà Abigail, & Dauidmet (& hìnc vltionem iniuriæ prohibitam Deuteron. 32. infrà 33. & 34.) sic non fuit ei vinculum iniquitatis, proùt votum à Iephte, & alia iuramenta ab alijs iniquè seruata absquè vlla exceptione, & delectu ob reputationem, & vsum illorum temporum malum, à quo recessit mitis Dauid parcens Nabal, & suis ob Abigail, quæ eum leniuit verbis humilibus; & sic non stabant res in primo statu, quandò iurauit, iuramentum verò seruandum rebus sic stantibus: peccauit tamèn deliberando occidere Nabal, & suos, & iter ad id arripiendo cùm suis viris. Hincquè cauendum ab ira, à motibus, à passionibus nostris, & sic nemo tutus à peccando: qui gloriatur ergò, in Domino glorietur, non in se confidat. Sed si peccauit Dauid in deliberando occidere Nabal, & deueniẽdo ad actus ferè proximos: si & spoliando Miphiboseth pro Siba; numerando populum, quomodò dicitur alibì non peccasse, nisi in verbo Vriæ? Recentiores hìc multa referunt: tu dic grauioris, & in quo magis insederat, & obsorduerat, vt necesse fuerit mittere prophetam, mentionem fieri; alia tegi sub silentio, eò magis quia pro illo pœnam recepit à Deo. Non dicas maximũ peccatum fuisse numerationem populi, ob quod percussa fuerunt septuaginta millia hominum: nàm primò illud fuit peccatum ortum ex quadam animi imbecillitate, quæ vicit Dauidem in tentatione: itèm fortè non processit ex malitia, sed, vt dictum est, aut ex fragilitate, aut ex ignorantia culpabili; immò putabat, dùm iussit (quàmuis se deciperet) rectè agere; itèm in hoc non obsurduit,

duit, sed illicò absterſit pœnitens; ideò pòst pœnitentiam non imputatur, & quòad populum non est passus, quia Dauid peccauerat, sed quia aliundè merebatur mortem. Alia duo leuiora quidèm, quæ multò minus demerebantur indulgentiam diuinam.

Non excuſandum tamèn peccatum in Nabal, quia non est executus, nam sufficit diſpoſuiſſe illum, & ſuos occidere. Nihil eſt, peccauit rex, peccauit nondùm rex, quia hìc nulla differentia quòad peccantem.

Prætereà vti Rex peccauit in Miphiboſeth, & in numeratione populi.

Non attendas, non erat ſolitus peccare, ſeù frequens in peccatis; quia hoc modò nec peccatum in Vriam memorandū fuerat.

Vel dicas multotiès in Scriptura verba aliàs taxatiua ſolùm, tantùm non ſempèr taxare, & terminare, vt alia non comprehendantur; ideò & hæc peccata (vltrà illud in Vriam) comprehenſa, vel nō probari omiſſa, vel non imputata.

Vel dic fieri mētionē ſolius peccati Vriæ, quia blaſphemare fecit ab hoſtibus nomen Dei, quaſi impotentis ſaluare ſuos, quos Dauid euidenti mortis periculo ſuppoſuit, ut obſeruaui infrà cap. 12. hæc enim qualitas percutiebat Deum, ideò dixit: tibi ſoli peccaui, & Nathan aperuit dicēs, quia blaſphemare feciſti, &c. ibì cap. 12. difficiliùs namquè remittitur hoc, quàm peccatum in proximum. 1. Reg. 2. ex Heli. sic etſi Salomon adamauerit tot alienigenas mulieres, tamèn Deus meminit idolòlatriæ, non libidinis. 3. Reg. 11. 33. Verſ. 36. Quæ uita hominum, dùm conuiuatur Nabal, & iucundus, & ebrius lætatur, parabatur ei exitium cùm domo ſua: prudentia Abigail nihil indicantis uſquè manè, hinc S. Bernardus: correctiones nō faciendas de ſerò, quia magìs grauant, & in nocte plura mala occurrunt, ſed de manè. Verſ. 38. Mors Nabal à Deo. Mihi uindicta, & ego retribuam. eccè cura Dei pro Dauid, pro ſeruis ſuis, qua oſtendit ægrè ferre eorum iniurias, quod Dauid verſ. 39. benè refert. Verſ. 41. *Eccè famula tua*, &c. humilitas Abigail: & Sanctiſſima Virgo, eccè ancilla Domini. Verſic. 42. Quod uerbis dixerat, comprobat. *Et feſtinauit*, &c. Voluit enim in omnibus correſpondere benignitati Dauid, eam in uxorem petentis. Polygamiam permiſſam tenet Abul. hìc q. 17. Verſ. 44. *Michol filium ſuum*, &c. non poterat Saul, quia non poterant fœminæ repudiare uiros: propterea mortuo Saul repetijt eam Dauid, & recepit. peccauit ipſa conſentiendo ſecundo coniugio, & ſecundus uir Phalti ſciens eſſe alterius.

CAPVT XXVI.

ET *venerunt Ziphæi*, &c. actus impauidus Dauid circà Saul. Verſic. 8. *Concluſit Deus inimicum tuū hodiè in manus tuas*, fortè alludit ad id, quod dictū erat ſuprà cap. 24. 5. Verſic. 9. *Ne extendas*, &c. eccè animus Dauid nunquàm occidēdi Saulem, quod explicat. verſ. 10. & 11. clariùs. Verſ. 11. *Propitius ſit mihi Dominus, ne extendam*, &c. abſit à me. Verſ. 12. *Sopor Domini irruerat ſupèr eos* profundus; sic Gen. 2. mirum enim fuit in exercitu, & circà regem obſeruantes ſoporaſſe, vt nihil intelligerent: ſed hoc à Domino. Verſic. 15. *Vt interficeret regem*. Eccè quomodò sic dicebat, quamuis abeſſet animus; & sic ſuprà cap. 24. 11. vbì dixi. Verſic. 19. *Si Dominus incitat te aduerſùm me*. Sæpè enim sic permittit; & videbimus in eodem Dauide, Salomone, & alijs. *odoretur ſacrificium*, quod illi offers me (ipſo incitante) perſequendo; complaceat ſe in hoc, quod agis contrà me, proùt ſolet in ſacrificio ſibi grato: vt in illo Noe. Gen. 8. 21. quaſi mihi quoquè acquieſcendum. *Si autèm filij hominum* mendaces *maledicti*, &c. *Et nùnc non effundatur ſanguis meus in terram coràm Domino*, nō conuenit me pati perſecutionem ad mortem, quaſi à Domino mihi inferatur; & id perſuaſum ſit, *quia egreſſus eſt rex Iſraël, vt quærat*, &c. quaſi id ex præſentia tua fit: nam reges non ſolent niſi pro re graui in caſtris,

& acie intereſſe; ſic ſuprà capit. 24. 15. quem perſequeris rex Iſrael? in perſona accedens. Verſ. 23. *Dominus autèm retribuet vnicuique ſecundùm iuſtitiam ſuam, & fidem.* hic de meritis iuxtà Paulum: fidem ſeruaui,&c. in reliquo, &c. alibì Dauid: retribuet vnicuique ſecundùm opera ſua. Simile 2. Reg. 3. in fin.

Dicit hic Abul. peccaſſe Abiſai volentē occidere Saul: itidèm Dauid peccaturum,ſi occidiſſet, vel voluiſſet occidere, ad quod videtur dicendum, quòd Dauid tenebatur fugere, ſi poſſet: ſed quādò non poſſet fuga euadere, abſquè dubio poterat occidere,vt euaderet:immò cùm eſſet indictū bellū contrà eum innocentem, non debuerat ſe in his terminis conſtituere; vt nec poſſet euadere, ſed præuenire poterat, & quouis modo aduerſarios percutere, quia hæc defenſio; & quia bellū erat,cuius varij euentus,& iuxtà occaſionem armis agendum, aliàs de facili in inſidias inimici incideremus; quòd ſi non fecit, & alios prohibuit facere, exceſſit, & ſupererogauit, & omnia feciſſe credendum ex inſtinctu Dei, ſicùt Syris cœcitate percuſſis, & ad regem ductis Eliſæus prohibuit quicquam mali inferre, eò quod à Domino id factum eſſet ad alium finē. 4.Reg.6. Hinc eſt, quod poſteà Dauid elegit fugam extrà regnum Saul. infrà cap. 27. 1.

CAPVT XXVII.

ET ait Dauid. fuga Dauid ad Achis. Sed quomodò ad Achis, coràm quo iàm inſanierat,& inſanus ab eo reputatus fuerat,& à facie eius eiectus? At tùnc ſolus abſquè comitibus, nuncijs non præmiſſis: nùnc eſt ſtipatus, & veriſimilitèr præmiſit ad eum nuncios, ità vt receſſerit Achis concepta opinione prima. Vel dic à Domino factum, proùt quandò mouit cor Aegyptiorū ad mutuandum pretioſa Hebræis, & arma. Fugit autèm, ne daretur in manus Saul, vel ipſe cogeretur manus in eū mittere,neceſſitate aliqua coactus ad ſui defenſionē. Verſ. 5. *Si inueni gratiam*, &c. fortè manens ibi erat regi oneroſus, vel timebat obſcurare ſua præſentia maieſtatem regis, quòd videtur ex verbis inferre. vide Abul. Narrantur prætereà cædes, quas faciebat Dauid de gentibus, quæ tamèn non erant ſubditæ regi Achis. Puto autèm Dauidem permiſſum ſaluari apud Philiſtijm, tùm vt tempore ſuæ moræ apud eos patraret in eis has cædes, tùm vt exploraret vires,vrbes,& potentiam eorum, & deindè aſſumptus ad regnum eos tutiùs debellaret, & perderet.

CAPVT XXVIII.

FACTVM eſt autèm, &c.Verſ. 2. *Nùnc ſcies*, &c. non tamèn habebat animū præliandi cōtrà Iſraelitas. vide Abul. Verſ. 3. *Samuel autèm mortuus eſt.* repetit mortē Samuelis, de illo dicturus infrà. *& Saul abſtulit magos*, &c. hoc ſanctè: ſed ipſe incurrit verſ. 7. Verſ. 5. *Timuit, & expauit cor eius nimis.* hoc eſt,quod prædixit Dominus daturum cor pauidum. Ver. 6. *Et non reſpondit*, &c. iàm enim eum abiecerat, vt nō eſſet rex,& parata erat ei mors, & voluit reſponderi per Samuelem cognitū illi, in quo ipſe confidebat, & ideò eum elegit,qui ſuſcitaretur, & Saul reſipiſceret; sìc cùm Iuda traditore Dominus vſquè ad finē, ſed gratis abſq. effectu. Verſ 8. Quàm indecens actio, Regē habitu mutato ire interrogatum mulierem Pythoniſſam! hoc peccatū imputatur ei vnà cùm peccato in Amalecitas, non confidendo in Domino. 1.Paralip. 10. vbi refertur idem peccatum. Samuel autē refert quæ ſuo tempore contigerunt,& ſatis fuit dicere: *quarè inquietaſti me*, vtēs hoc modo illicito quantùm in te fuit, *vt ſuſcitarer?* 1. Paral. 10. Verſ. 12. *Cùm autèm vidiſſet mulier Samuelem* cognouit Saulē facilè reuelante Samuele: Saul eum adorat

(intel-

(intellige, vt hominem reuerendum, non latrìa, & sìc Abul.) & Samuel dicit: *quarè inquietasti me, vt suscitarer?* suscitatio enim ex communi vsu intelligitur de corpore proprio, vt alibì dixi, & præcipuè in scriptis supèr Euang. cap. 73. de Transfiguratione, occasione apparitionis Moysis, quia sìc credo posse sustineri; Sed clarè habetur Eccles. 46. 23. & verificatum quod dicitur suprà cap. 15. 35. vide de hoc. 1. Paralip. 10. vbi scribentes. S. Basil. verò Isai. 8. dicit dæmonē fuisse, non Samuelē, & sequitur Fr. Tad. Isai. 47. in discursu. Iansen Eccl. 46. Sed nō dicas, vt Iāsen. Auctorē Ecclesiastici referre verba hìc posita, seu historiam; nàm si non esset vera apparitio Samuelis, nō attribuisset eidē, & cùm ibi iunctìm alia referat Samuelis facta egregia, non potest hoc cēseri diuerso iure. Dices, cur per ventriloquam surrexit? respondeo Deum fecisse hoc, sicùt per Balaā benedixit. Theodor. Caiet. Abul. Serrar. & alij hìc. Dicit, *inquietasti me*, quia ad mundana hæc tractus, à quibus liber erat, & ibi quiescebat. Tob. 3. Vers. 19. *Cràs autèm tu, & filij tui mecū eritis*. moriemini; sìc in Prouerb. hodiè mihi, cràs tibi. Vers. 20. Ex hoc apparet mulierem non fuisse præsentem verbis Samuelis, & fortè neq. serui, quia nihil dicunt, ne eat in prælium, proùt vt edat. Vers. 23. *Coegerunt eum serui sui:* boni serui; sìc illi Naaman.

Audit hæc Saul mala, & nihilominùs it in prælium, Deo hoc ordinante, neq. serui distrahunt: sìc & Achab non audiens Michęā.

CAPVT XXIX.

CONGREGATA, &c. ponuntur acies hinc indè dispositæ. Vers. 3. *Est apud me multis diebus, vel annis*, dicit, *annis*, vt magis perspectum illum habere cognoscant, non ex veritate, quia apud eum mansit quattuor mēnsibus tantùm. Vers. 4. *Ne fiat nobis aduersarius*, sic & Aegyptij timebant de Israelitis multiplicatis Exod. 1. 10. Vers. 5. *Percussit*, &c. erat hoc in ore omnium. Vers. 6: *Sed Satrapis non places*, & vers. 9. quanti ex hoc capite excluduntur ab officijs, & dignitatibus! opponentes rationem, reddent. Vers. 8. *Et pugnem*, &c. id verbo dicebat; non corde. Vers. 9. *Sicùt Angelus Dei*, eadem verba dixit Iacob, Gen. 23. & Thecuitis 2. Reg. 14. & Esther. 15. 16. Vers. 11. *Surrexit itaquè de nocte*, &c. Dei voluntate factum est; ne Dauid rex futurus Israelitarum foret in prælio contrà eos, quia saltèm à suspicione rebellionis non fuisset vacuus, & populum sibi odiosum reddidisset; & quia præparauerat eum Deus liberatorē Siceleg; & captiuorum, & vt muneribus beneuolos sibi faceret aliquos ex Israelitis.

CAPVT XXX.

CVMQVE venissent Dauid, & viri eius, à Deo missi pro Siceleg, & captiuis. Vers. 2. *Et non interfecerant quemquā*, Vers. 19. Deo sic prouidēte. Vers. 6. *Volebat eum populus lapidare*, quia hanc ruinam ab eo recognoscebant, eò quod fortè ciuitatem absquè defensore reliquisset, vel quia ex infestatione ipsius in populos extraneos id cōtigisset. *confortatus est autèm Dauid in Domino Deo suo*; propterea præualuit: recurrit enim ad eum per Sacerdotem vers. sequ. non ad magos, vt Saul. Vers. 11. *Inuenerunt virum Aegyptium*, is similis fauciato: vide domini rusticitatem, & acerbitatem ergà seruū, quod absit à Christiano. Vers. 16. Hic euenit proùt Abraham, Gen. 14. Vers. 24. *Aequa erit pars*, &c. pulchra lex bellica, posteà seruata, vide hic Abul. q. 17. Vers. 26. *Et misit dona*, & fecit illos sibi beneuolos opportunè capturus regni gubernacula. Quærit hìc Abul. q. 15. an esset effectus verus dominus Dauid rerum ablatarum à primis dominis, & dicit quod sic, quia erat iustum bellum, & primi domini erant priuati dominio suorum bonorum; allegat exemplum Abraham, & Iephte; addo quod domini habebant ea pro derelictis. Quærit etiàm Abul. an teneretur Dauid ad obseruantiam legum cæremonialium, & quantum ad circumcisionem, & Sabbatum sic, ad alia non.

CAPVT XXXI.

PHILISTIIM, &c. victoria Philistinorum, & mors Saul, ac trium filiorum, proùt dixit Samuel; & hoc idem refertur 1.Paralip. 10. *fugerunt*, &c. quia sìc dixerat eis Deus, si eum non sequerentur. Vers.2. *Percusserunt Ionathan*, &c. priùs moriuntur filij Saul, vt ipse magìs affligeretur, ego sum Deus visitans, &c. Vers. 3. *Totumquè pondus prælij versum est in Saul*, sic enim ad maiores perdendos incumbitur in prælijs, vt in Achab infrà 3.Reg. vlt. Versic. 4. Occidit seipsum Saul impiè suo gladio, quo totiès & Dauid, & Ionathan voluit percutere, punit nos Deus per quæ peccamus; quod verò dicit 2. Reg. 1. 10. Amalecites, potuit interuenire, vt citiùs moreretur, quia anima eius erat in angustijs, nèc viuere poterat, sed differebatur exitus animæ: nàm non ob id fit, quin Saul consciuerit sibi mortem, quia in gladium suum iàm incubuerat, nèc viuere poterat, & quia idem est, quem seipsum occidere, vel rogare alium, qui occidat, proùt Abimelech Iudi. 9. 54. nemo enim dominus membrorum suorum, at qui occidit illum, vtì reus occisus est à Dauid. 2. Reg. 1. Vide Abulens.

Non obstat quòd hic dicatur *mortuus est*: nàm mos est Scripturæ non referre omnia in vno loco, sed in pluribus; quod ergò hìc omisit, retulit infrà cap. seq. At quàm malum exemplum regis, quia illo motus armiger suus, in seipsum idē patrauit Saul: alter Iudas, & Achitophel, verisimilitèr damnatus est, & 1. Paralip. 10. dicitur: Saul mortuus est proptèr iniquitates suas, & quia in Deo non sperauit: hic enim titulus non daretur ei, si saluus esset; & finis vitæ malus clarè, qui non potest defendi: imò & vita præcedens mala, odij plena, & persequens innocentem Dauid. Non obstat factum Samsonis, & Raziæ, quia à Deo inspirati, sicùt & aliæ virgines tempore Euangelij, iuxtà August. de Ciuit. Dei. lib. 18. Vide hìc Lyra. & Brug. Caiet. Abul. q. 9. & 10. Serrar. Vers. 9. *Præciderunt caput*, & circumtulerunt, proùt Holofernis. Vers. 10. *Et posuerunt arma eorum in templo Astaroth*, sicùt Dauid in tabernaculo Domini, & Iudith 5. hic mos Gentiliū. Vers. 11. Sepultura Saul, & filiorum à Galaaditis, quæ præsumenda ritè facta, postquàm hi laudantur à Dauid infrà 2. Reg. 2. 4. 5. & quia ieiunauerunt septem diebus; sic ieiunauit Dauid supèr Saul, & Ionatha, & Abner. 2. Reg. 1. & 3.

FINIS PRIMI LIBRI REGVM

IN

IN II. LIB. REGVM.

CAPVT PRIMVM.

FACTVM *est* contigit, *postquàm mortuus est Saul*, de quo suprà 1. 32. *vt Dauid reuerteretur à cæde Amalech*, de qua 1. Reg. 30. *& maneret in Siceleg duos dies* antequàm quicquam de bello ei innotesceret. *In die autèm tertia apparuit homo veniens de castris Saul*, loquitur de incognito, non ergò filius Doeg, vel similis, *veste conscissa, & puluere conspersus caput*, doloré præsagiens: hæc enim signa dolentis, vt in Niniuitis, & Thamar oppressa ab Amnon: *& vt venit* peruenit *ad Dauid, cecidit supèr faciem suam, & adorauit*, reuerentiam hanc ei ostendens, *Dixitquè ad eum Dauid*, admiratus hominem sic apparentem: *Vndè venis?* dolorem sìc præferens? *Qui ait ad eum: De castris Israel fugi. Et dixit ad eum Dauid: quod est verbum, quod factum est?* quid accidit? quis belli exitus? *indica mihi: Qui ait: fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui sunt*: sic enim prædixerat Deus futurum: quomodò persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? nonnè ideò, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos? &c. Deut. 32. 30. *Sed & Saul, & Ionathas filius eius interierunt*. sic permisit Dominus, vt fieret locus Dauidi, & prædictioni Samuelis. *Dixitquè Dauid*, non contentus simplici relatione *ad adolescentem, qui nunciabat ei: Vndè scis, quia mortuus est Saul, & Ionathas filius eius?* cùm tu dixeris fugisse de castris? *& ait adolescens, qui nũciabat: Casu* (non ergò erat de seruis Saul, aut filius eius seruorum, puta Doeg, qui nèc fuisset incognitus Dauid) *veni in montem Gelboe, & Saul incumbebat supèr hastam suam*, & suprà 1. Reg. 31. supèr gladium; *porrò currus, & equites appropinquabant ei*, hoc dicit, vt ostendat cur Saul sequentia dixerit, *& conuersus* Saul *pòst tergum suum*, adhùc viribus sustentabatur, *vidensquè me vocauit*; fortè timebat ne aliquis esset hostium. *Cui cùm respondissem: Adsum, dixit mihi: Quinàm es tu? & aio ad eum: Amalecites ego sum: Et locutus est mihi: sta supèr me, & interfice me: quoniàm tenent me angustiæ*, dolores vehementes mortis, *& adhùc tota anima mea in me est*: quasi hoc modo non tàm citò deficiam, cùm integer sim sensibus, & adhùc supersint vires *stansquè supèr eum occidi illum*, innuit proprio ense id patrasse: *sciebam enim* cognoscebam, *quòd viuere non poterat pòst ruinam* belli, quod malè cesserat, vel vulnerum à sagittarijs receptorum, 1. Reg. 31. 3. & à se, cùm supèr hastam incumberet: postquàm hoc ipse confitetur, quis diuinabit contrarium? *& tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum hùc*, hinc argue famã publicam Dauid successurum in regno, quod & suprà dixi, sed videtur hoc factum ad aucupandum gratiam Dauid: existimauit

uit enim is rem gratam ei facturum, & præmium reportaturum; sic censuit Dauid infrà cap.4.10. *Apprehēdens autèm Dauid vestimenta sua scidit* præ amaritudine animi, *omnesquè viri, qui erant cùm eo*, exemplo eius moti: eccè quanti fiant actus maiorum ad animos accēdendos, & ad sequelam; *& planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsquè ad vesperam supèr Saul, & supèr Ionathan filium eius, & supèr populum Domini, & supèr domum Israel, eò quod corruisset gladio,* sìc & supèr Abner ieiunatum intra cap.3.35. ostenderunt his mœstitiam magnam: vndè de Dauid dici potest, quod de Booz Noemi, misericordiam, quam seruauerunt mortuis, seruauit & viuis: sicùt enim bis pepercit vitæ Saul, sic mortuum deflet. *Dixitquè Dauid ad iuuenem, qui nunciauerat ei: Vndè es tu? Qui respondit: filius hominis aduenæ Amalecitæ ego sum*, vult scire hoc Dauid ad inuestigandum qua causa potuisset moueri ad interficiendum Saul, *& ait ad eum Dauid: Quarè non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum*, vnctum *Domini?* regem, qui tibi non poterat iubere sui ipsius occisionem, cùm non esset dominus membrorum suorum? vel recipit confessionem mortis illatæ, nèc credit de iussu, seù precibus Saul, vt dicunt Legistæ in confessione qualificata. *Vocansquè Dauid vnum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est.* At quomodò potuit hoc Dauid? sola enim confessio non sufficit ad eum, qui se reum facit, occidendum, nisi constet de corpore delicti: Vndè Iosue voluit priùs ablata ab Achā inueniri, antequàm in eum lege ageret, vt constaret de corpore delicti. At hic non constabat; & quod in sola confessione fundauerit se Dauid, patèt, quia subditur. *Et ait ad eum Dauid: sanguis tuus supèr caput tuum*; proùt illi: sanguis eius supèr nos, & supèr filios nostros: *os enim tuum locutum est aduersùm te, dicens: ego interfeci Christum Domini*. Accedit, quia inuenit eum in angustia mortis, & potiùs eum liberauit à doloribus vrgentibus. Posset dici pro corpore delicti suffecisse diadema, & armillam regalia, & idem esse vel sanum, vel vulneratum interficere; hìncquè vide de irregularitate, quæ contrahitur, si moribundo mors acceleretur, & ex mora vsq. ad vesperam præsumitur à Dauide maiorem captam informationem.

Sed quomodò 1. Reg. 31.4. dicitur: arripuit itaquè Saul gladium, & irruit supèr eum. Quod cùm vidisset armiger eius, videlicèt, quòd mortuus esset Saul, &c. hìc autèm Amalecites illum occidisse? Dicūt hunc mendacem, putantem placere Dauid in morte Saulis. At non placet, quia si id fecisset, vt placeret Dauidi, non quæsiuisset in suo facto executionem, subdens: *sciebam enìm, quod viuere non poterat pòst ruinam*, nequè est verisimile tale facinus mentiri, nempè occisionem regis. Prætereà, Dauid sistit in dicto Amalecitæ infrà cap. 4. 10. quandò iàm poterat noscere ex alijs veritatem. Insupèr, Scriptura aperuisset mendacium, nèc sic reliquisset rem indigestam? Itèm faciebat Amalecites fundamentum in solo nuncio mortis, ità Dauid infrà cap. 4. 10. mortuus est Saul, non ego occidi Saul. Vltimo, Dauid ipse in spiritu in Elegia sua loquitur de vulneratis mortuis, non à se ipsis occisis à vers. 28. vsquè in fin.

Vndè credo posse stare, & dicta cap. 31. & hìc, nempè Saul irruisse supèr gladium suum: sed quia natura auertit nos a destructione nostri suppositi, & dolor ictuum non de facili duplicatur: hìnc multi se vulnerāt, vt se occidant, at non perficiunt; vide Abul. 2. Reg. 17. 9. 19. propterea Saul petijt occidi, vulnerari ad mortem ab Amalecita, à quo ipse naturalitèr auertebatur, vt citiùs moreretur, quia anima eius erat in angustijs, & sìc mortuus sit, & quia incubuit supèr hastam, & quia à sagittarijs priùs vulneratus, & finalitèr ab Amalecita. Et non est nouum Scripturam dimidiare facta in narrationibus, & supplere in vna parte quod in alia omiserat, immò hoc est frequentissimum: & propterea quia in dicto cap. 31. omiserat de Amalecita, quod referendum erat occasione relationis Dauid fiendæ, suppleuit nùnc in hoc c. 1. immò & in cap. 31. non expressit, neque declarauit mortem Saulis ex gladio proprio, sed irruisse, & deindè mortem, omisso medio, quod hìc refert. Idem verò est quòad Saul, vel se occidisse,

disse, vel alteri tradidisse se occidendum, vt hìc per Abulensem. Mortuo verò Saule occidit se armiger, qui fortasse in illum occidendum incumbere noluerat.

Planxit autèm Dauid planctum huiusmodi, &c. carmen lugubre, *& praecepit* Dauid *vt docerent filios Iuda*, vt instruerentur, *arcum*, vel sic denominat threnum, vel est genus instrumenti musici; agitur enim hìc de Elegia canenda, non de instrumento bellico, sic & Cant. 7. chorus castrorum pro instrumento musico, vt ibi Doctores, & Septuaginta hìc conformes, vndè non placet quod dixit Sanctius Ezech. 39. 2. arcum, id est arma bellica, à qua opinione hìc videtur recedere, & in hanc meam resilire, & Mend. 1. Reg. 2. in verbo arcus, *sicùt scriptum est in libro iustorum*, quod non extat, *& ait: Considera Israel*, in mentem reuoca, *pro his, qui mortui sunt supèr excelsa tua*, montes, *vulnerati*, sic Isai. 1. Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo, &c. *Nolite annũciare in Geth*, &c. optat silentiũ, nollet ad inimicos famam hanc percrebescere: *ne fortè laetentur filiae Philisthijm*: mulieres enim solent his nuncijs receptis choros ducere, saltare; sic Maria soror Moysis, & Aaron cùm alijs, & illae dùm dicebant: Percussit Saul mille, &c. sic de mulieribus agit Sephora Iudi. 5. 28. 29. proùt in tristibus plangunt, & lamentantur: vndè Iesus: filiae Ierusalem nolite flere supèr me, &c. *ne exultent filiae incircumcisorum*; sic de illis Saul, & Ionathas.

Montes Gelboe, &c. execratur loca, quae receperunt sanguinem eorum; sicùt Deus: maledicta terra in opere tuo, Gen. 3. 17. & in coede Abel. cap. 4. 11. nùnc igitùr maledictus, &c. *A sanguine*, &c. nunquàm *rediȷ̃t retrorsùm*, id est in vanum non fuit iacta; sic de verbo: non redibit ad me vacuum, sinè fructu. *Saul, & Ionathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoquè non sunt diuisi* sicùt in vita se amauerunt, sic in morte vnà simùl perierunt, non potuerunt vnus ab alio dissolui, *aquilis velociores*, fugã hoc modo cooperit, & in verbis *leonibus fortiores* casum abiecti clypei, quod in tota Elegia repetijt. *Filiae Israel supèr Saul flete, qui vestiebat vos coccino*, &c. sìc plangebant illae Dorcas illas vestientem, Acto. 9. 39.

Doleo supèr te, &c. amabilis mihi supèr amorem mulierum, quae solent intensiùs diligere, ideò subdit, *sicùt mater vnicum amat filium suum, ità ego te diligebam*, numquid potest mater obliuisci filij vteri sui, eò magis vnici?

CAPVT II.

EGITVR *pòst haec consuluit Dauid Dominum*, per sacerdotem in Ephod. Vers. 4. *Vnxerunt ibì Dauid* quamuis enim Samuel eũ vnxisset, vnctus fuit denuò, quia illa prima vnctio fuit secreta, haec publica, in qua apparuit de consensu populi. Vers. 5. *Misit ergò Dauid nuncios*, magna puritas animi Dauid, quid nedum benefecit Sauli viuo, & mortuo, sed ei benefacientes benedicit, & quasi sibi beneficia impartirentur, gratias agit, & ad defensionem eorum se offert. Vers. 10. *Isboseth duobus annis regnauit*, antequàm inciperet bellum cùm Dauid, quia aliòqui regnauit septem annis, & mensibus ex Abul. qui placet. At de mala fide Isboseth, & Abner videtur apparere ex verbis Abner infrà cap. 3. 9. 10. 18. & ex dissensione, de qua vers. 17. & Caiet. ibì. vers. 14. *Surgant pueri, & ludant*, &c. sed ex malo ludo orta mors tot hominum, & inimicitia, vt in hoc, & seq. cap. & de Monomachia hìc Abul. Serrar. sed latiùs in Goliath. Ves. 18. *Quasi vnus de capreis*, vndè in Cant. cap. 8. 14. fuge dilecte mi, & assimiliare capreae, &c.

Deindè habes mortem, & sepulturam Asael.

CAPVT

CAPVT III.

FACTA est ergò longa concertatio, &c. eccè ex ludo quæ mala orta, & discordiæ. Verſ. 8. *Numquid caput canis ego ſum*, contrà quem tu agas adeò iniuriosè, qui ſto *aduersùm Iudam hodiè*, ſempèr, *& qui fecerim*, &c. Vel *numquid caput canis ego ſum* iniurioſus, & pertinax *aduersùm Iudam hodiè*, vſquè hùc perſiſto, *qui*, &c. quaſi, non ero impoſterum talis, mutabor, & sìc fecit, vt infrà: ideò ſubdit de tradendo regno Dauid, & hoc magìs placet, & ad increpationem opponit beneficium. Verſ. 12. *Cuius eſt terra?* quaſi totum regnum Iſrael nonnè tuum? sìc Samuel cùm Saule: & cuius erunt optima quæque Iſrael? nonnè tibi, & omni domui patris tui? 1. Reg. 9. 20. Verſ. 14 *Miſit autèm Dauid nuntios ad Isboſeth*, abſquè dubio ſuggerente Abner, ex verſ. 16. Verſ. 17. & 18. Apparet vulgatum regnum Dei nutu deberi Dauid, sìc & ſuprà verſ. 9. & 10. Verſ. 27. *Et mortuus eſt* Abner *in vltionem ſanguinis Aſael fratris eius*, quod repetit verſ. 30. non ergò ex inuidia, quæ ſi extitiſſet, Scriptura non tacuiſſet; vel non poſſumus diuinare, quicquid dicat Abulenſis. Eccè qui gladio ferit, gladio perit; sìc & Ioab percuſſori contingit à Salomone. Dei permiſſione hæc geſta, vt non confidens in homine, vel non mediante homine, vel ex proditione, ſed à Deo integrum regnum reciperet Dauid, proùt factum eſt. Verſ. 28. *Mundus ego ſum*, &c. verè Dauid, Pilatus falsò hæc verba protulit. Verſ. 29. *Et veniat*, &c. non imprecatur, ſed prædicit futura in Ioab, & domum eius; sìc & verſ. 39. alij eſſe imprecationem licitam, ex S. Thom. 2. 2. q. 76. art. 1. Verſ. 31. *Porrò Dauid ſequebatur feretrum*, notà morem aſſociandi mortuos ad ſepulturam, cœpit à Ioſeph, qui aſportauit, & aſſociauit cadauer patris ſui vſquè ad Terram promiſſionis, in qua ſepultum. Verſ. 37. *Et cognouit omne vulgus*, quæ ſolicitudo Dauid, vt oſtēderet ſe inſontem à cœde Abner, sìc quæ fecit pro Saul, pro quo ieiunauit, proùt hìc, ſuprà c. 1. hinc quā principes cauere debeāt à ſcandalis, & malis actibus, ne habeāt imitatores. Ver. 38. 39. Dauid ſeruos informat, cur adeò amara ei eſſet mors Abner, quia cecidit vir, in quo confidebat ipſe nouus rex.

CAPVT IV.

MORS Isboſeth per Rechab, & Baana ingreſſos domum illius latentèr, aſſumentes ſpicas tritici, quæ ibi erant, cùm ancilla oſtiaria purgaret triticum, ideò enìm fit mentio ancillæ purgantis triticum, quaſi & ipſi operarentur circà purgationem tritici, ne vt ſuſpecti reijcerentur, ſi inuenti forent ad regem ingredientes.

Qui attulerunt caput ad Dauid, quibus auditis, & viſo capite, ex quo conſtabat clarè de corpore delicti, iuſſit eos percuti.

At quomodò oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit? erat ne illa? non credendum, etſi de hac ſola mentio: quomodò enìm rex cùm vna ſola oſtiaria? ſed fortè vel alij cuſtodes obdormierunt, vel non aduerterunt: ideò fit mentio ancillæ purgantis triticum, non quod eſſet ſola, & cuſtos regis, ſed vt appareat quomodò decipientes cuſtodes ex aſſumptione ſpicarum introgreſsi ſunt ad Regem. Vel quia fortè à parte oſtij, in qua ancilla purgabat triticum, erat aditus ad Regem.

Proditio hæc in Isboſeth deſcendit à geſtis Abner in eumdem: erecti enìm exemplo eius ſunt animi proditorum, ſcientium totum Iſrael in eum coniuraſſe per Abner. Sed quàm rectæ iuſtitiæ Dauid, & in his, & in Amalecita occiſore Saul perdendis! quomodò cauit, ne quiſquam poſſet ſuſpicari ſe con-

conſcium cædis illorum; Fit mentio Miphiboſeth occaſione mortis Isboſeth, non alia de cauſa, & vt appareat de hoc, quē poſteà Dauid ad ſe accerſiuit, & fecit commenſalem ſuum.

Nota inciſionem, & ſuſpenſionem manuum, & pedum, & cadauerum, quia & noſtris temporibus Iudices id faciunt, quod factum eſt & à Philiſtæis de cadaueribus Saul, & Ionathæ, & aliorum 1. Regum. 31. & fortè capitis Goliath, quod Dauid gerebat in manu, 1. Reg. 7. 57. & capitis Holofernis à Iudith.

CAPVT V.

ET *venerunt vniuerſæ tribus Iſrael ad Dauid*, &c. idem 1. Paralip. 11. 6. Euectio, & vnctio Dauid ad regnum ſupèr totum Iſrael: recole quæ paſſus eſt, antequàm peruenerit, & videbis quàm vitandæ dignitates mundi, idem in Mardochæo, & Ioſeph. Verſ. 6. Captio Ieruſalem, ſeù potiùs arcis, verſ. 7. quia iàm Ciuitas capta fuerat à tribu Iuda, & Beniamin, Iudi. 1. 21. At quid ſibi vult: *Non ingredieris hùc, niſi abſtuleris cœcos, & claudos, dicentes: Non ingrediatur Dauid hùc*. Credo hos velle dicere, erit tibi difficile eijcere cœcos, & claudos, ideſt, infirmos, dibiles, inutiles, quaſi hi ſoli reſiſtent tibi, quod ſi hoc, quid facies cùm fortibus, validis, ac ſanis? ſic Sanctius Thren. 4. num. 31. Iſai. 29. 3. & 33. 47. claudi diripiunt rapinam. Et quamuis dicatur verſ. 8. de præmio auferentibus cœcos, & claudos, odientes animam Dauid, id fit, non quod ſic ſtaret, cùm intelligeret de percutiente Iebuſæum tàm in fiſtulis domatum, quàm in cœcis, & claudis, vt conſtat 1. Paralip. 11. 6. quæ enim prudentia fuiſſet ponere cœcos, & claudos ad defenſionem arcis? ſeriò ſiquidèm, non iocosè fiunt bella: ſed ſtatur in eodem dicto Iebuſæorum, quos ipſe cœcos, & claudos nuncupabat, proùt ipſi dicebant; & ideò etiàm dùm dicitur de prouerbio: *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum*, non intelligitur ſolùm de eiſdem Iebuſæis, ſed etiã de alijs. *Hæc eſt Ciuitas Dauid*, quam regalem ſedem conſtituit à Deo præelectam, in qua tot mirabilia vſquè ad diem iudicij fierent. Verſ. 8. *Propoſuerat enim Dauid in die illa præmium*, ſic Caleb Iudic. 1. 12. Verſ. 11. Dauid domum ædificat. Deindè proſequitur ad vxores, & filios, & victorias contrà Philiſtijm vſquè in fin. cap. Verſ. 21. *Et reliquerunt ibì ſculptilia ſua*, fortè edocti exemplo arcæ in prælium ductæ, vel quòd antè id ipſi faciebant ex more antiquo, & ea iuſſit Dauid comburi iuxtà legem 1. Paral. 14. 13. Verſ. 23. *Sed gyra*, &c. hìnc inſidiæ licitæ in bello licito, de quo aliàs.

CAPVT VI.

REDVCTIO arcæ in domum Obededom, & deindè in domum Dauid: idem 1. Paralip. 13. Verſic. 7. *Exſtendit Oza manum ad arcam*, &c. percuſſus Oza hìc, quia videns boues laſciuientes calcitrare, & arcam declinantem, & timens illam caſuram ex plauſtro, *extendit manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniàm calcitrabant boues, & declinauerunt eam, iratuſquè eſt indignatione Dominus, & percuſſit eum ſupèr temeritate, qui mortuus eſt ibì iuxtà arcam Dei*, & 1. Paralip. 13. *tetendit Oza manum ſuam, vt ſuſtentaret arcam, bos quippè* pro boues *laſciuiens paululùm inclinauerat eam: iratus eſt itaquè Dominus contrà Ozam, & percuſſit eum, eò quòd tetigiſſet arcam, &c.* temeritas ergo Ozæ fuit non conſiderare arcam eſſe Domini, quam ipſe defenſurus, & ſuſtẽtaturus eſſet à ſe ſinè Ozæ miniſterio, & auxilio, ſimilitèr Beth-

ſamitæ

famitæ ex sola curiosa inspectione ad septuaginta de populo, & quinquaginta millia de plebe percussi 1. Reg. 6. 19. Num. 4. 20. non autèm solùm quia tetigit, nàm & in apponendo eam supèr plaustrum, eam tetigerat, & secum alij, vers. 3. 1. Paralip. 13. 7. qui tùnc percussi essent, idem fecerunt Palestini, & ex illo actu nihil passi sunt, vndè non est necesse ingredi illam difficultatem tactus solius, de quo hìc, & Paralip. quia de illo cùm qualitate temeritatis, de qua dixi, & an esset nuda arca, vel cooperta, tangenti enim nudam arcam mors imposita Num. 4. 15. 19. at nè id contingeret, cooperiebatur priùs ab his, quorum erat ministerium, & dabatur portitoribus. Num. 4. 15. quod & hic præsumitur factum, vndè non placet, quod portantes non possent tangere arcam etiam coopertam, quia portabatur in vectibus. Num. 4. 15. 1. Paralip. 15. 15. & dicitur tangi quod inuolutum tangitur, & in vestibus, vt in Emorrhoissa. Abulens. Matth. 14. q. 202. sicùt incurrit tangẽs vestes clerici, hinc & curiosè respicientes mortui 1. Reg. 6. 19. Num. 4. 20. id enim non aptatur, quia cooperiebatur nè tangeretur, & tactus vestium tegentium non improbatus: vide Riber. de templo cap. 3. lib. 3. Similitèr non est necesse ingredi in aliam difficulatem, an Oza esset Leuita, quia siuè Leuita, siuè non, ex temeritate, & ex tactu arcæ, si cooperta, non fuisset, mortem merebatur ex lege. Num. 4. similitèr non expedit quærere, an Oza esset sanctificatus, proùt voluit Dauid sanctificari Sacerdotes, & Leuitas, quandò arca allata fuit de domo Obededom 1. Paralip. 15. 12. & 14. & sanctificatus fuit Eleazarus custos arcæ 1. Reg. 7. 1. quia sicutì prudẽtèr fecit Dauid, vt honor debitus Deo daretur, ità non aptatur, cùm hìc de temeritate Ozæ, non omissione sanctificationis agatur, sed etiàm potiùs præsumenda. Sed quia non possumus in opinionibus nostris certam veritatem habere, si de præmissis dubitaretur, videamus an Oza esset Leuita.

Pro affirmatiua facit, quia non est verisimile arcam depositam in domo Abinadab non Leuitæ; præsertìm cùm Leuitæ essent numerosi, & id non passurum Samuelem viuentem, & videmus sub Dauid translatam in domo Obededom Leuitæ 1. Paralip. 15. & 26. 4. & huic non obstat denominatio Gethæi, quia ex incolatu, vel aliundè potuit illam nãcisci. Accedit quia Dauid conuocauerat omnes Sacerdotes, & Leuitas 1. Paralip. 13. 2. quibus præteritis non est verisimile elegisse non leuitas minantes arcam, nempè Ozam, & Ahio fratres vers. 3. Nèc dicas Leuitas vocatos 1. Paralip. 13. non comparuisse 1. Paralip. 15. 13. quia loquitur cùm principibus familiarum, vndè alios non excludit, & inuerisimile est ex tot Leuitis vocatis aliquos saltèm non comparuisse, ideòque ex verbis Dauid non excluduntur omnes.

Pro negatiua, quia Abinadab pater eius non numeratur intèr familias Leuitarum.

Secundò, quia sanctificatus fuit Eleazar eius filius pro custodia, qui si fuisset Leuita, ad illum actum sanctificatione non indigebat, & si Eleazar non erat Leuita, nequè Oza alter eius filius.

Tertiò, quia 1. Paralipom. 15. 1. videtur innuere hoc Dauid, dicens illicitum esse, vt à quocumque portetur Arca Dei, nisi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & ministrandum sibi vsquè in æternum: & vers. 12. *Vos, qui estis Principes*, &c. vsquè ad vers. *dixitquè*. hincque apparet Sacerdotes, & Leuitas primæ trãslationi sub Oza non fuisse præsentes.

Quartò, si fuissent Oza, & frater Ahio Leuitæ, nõ posuissent arcam supèr plaustrũ, quod fuit inuentum Palæstinorum, sed supèr humeros in vectibus portassent, proùt fecerunt Leuitæ. 1. Paralip. 15. vndè potiùs inclinarem in hanc partem Ozam non fuisse Leuitam.

Sed cur mors Ozæ existimanti, & intendenti bonum agere? Respondeo, sufficit fecisse temerè contrà mandatum Domini, & in his, quæ ad cultum suum spectabant, nòn patiebatur Deus, vt homines in his quicquam præterirent; sìc percussit filios Aaron igne alieno vtentes, quamuis malo animo id non fecerint Leuit 10. 1. 2. 3.

Versic. 9. *Quomodò ingredietur ad me arca Domini?* timor hìnc, & reuerentia ergà Dominum: & si in arca, quid in sanctissimo

Sacra-

Sacramento. Verſ. 14. *Dauid erat accinctus Ephod lineo.* Is ergò habitus licebat alijs vltrà Sacerdotes, & Leuitas; vel is ab alijs diſtinctus, quia regis. Verſic. 7. *In medio tabernaculi.* cœperunt duo eſſe tabernacula, vnum Moyſis, quod fuit in Gabaon, donèc templum fieret. 3. Reg. 8. 1. Paralip. 21. 29. aliud hìc, de quo. & 1. Paralip. 16. 1. 2. Paralip. 1. 4. 3. Reg. 1. *obtulit holocauſta*, &c. intellige per Sacerdotes. Verſ. 22. *Et ludam, & vilior fiam*, &c. diſcamus humiliari coràm Domino exemplo Dauid, qui reſpondit Michol, quæ eum deſpexerat, & reprehenderat. Seruit quod contigit Heraclio Imperatori ferenti Crucem. Ex hoc cap. de Muſica, & ſono in Eccleſijs, vide Abul. Verſ. 23. *Vſquè in diem mortis ſuæ*, nunquàm, sic 1. Reg. 15. in fin.

CAPVT VII.

FACTVM *eſt autèm*, &c. Cogitatio Dauid ædificandi templum, à qua remouetur, & illius ædificatio Salomoni reſeruatur, quia ipſe bellator, 1. Paralipom. 28. Verſic. 2. *Vides nè quòd ego*, &c. sic bonus Vrias infrà cap. 11. 11. Arca Dei, & Iſrael, & Iuda habitant in papilionibus, &c. hinc ornatus Eccleſiarum. Verſ. 3. *Omne, quod eſt in corde tuo, vade fac*, &c. At non fuerat reuelatus Nathan ſermo Domini, verſic. 5. sìc nec Eliſæo de viduę filio mortuo, de alijs Abul. quæſt. 6. S. Gregorius Moral. lib. 2. cap. 27. Verſic. 5. *Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* quaſi, non, nequè tædeat te. *Nequè enìm habitaui*, &c. vſquè ad verſic. 8. vbi enumerat beneficia Dauid conceſſa, & præſertìm victoriam inimicorum, exindè pacem, & tùnc per filium ſuum templum ædificandum in pace. vide Paralipom. 17. 22. vbi latiùs hæc narrantur. & 1. Paralip. 28. Verſ. 11. *Domum faciat tibi Dominus*, prolem dabit, sìc in Aegyptiacis obſtetricibus. Exod. 1. Verſ. 12. Ad litteram intelligo de Salomone, proùt & 1. Paralip 22. vbi Abul. *Suſcitabo ſemen tuum*. &c. vndè ſequitur *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſquè in ſempiternum*, ad multos annos.

Itèm ad litteram de Chriſto ſpiritualitèr: & tùnc *ſuſcitabo; &c.* & *ædificabit domum nomini meo*, ſcilicèt Eccleſiam, Act. 20. Ierem. 23. Dan. 1. *& ſtabiliam thronum regni eius vſquè in ſempiternum*, in æternum verè: ideò tu es Sacerdos in æternum, Pſal. 109. & Angelus Luc. 1. regnabit in æternũ, & regni eius non erit finis, & 1. Cor. 15. *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* hæc de Salomone per aliquod tempus; & conuenit, quia non dicit ſe patrem, & illum filium, ſed *in patrem, & in filium* adoptione; at ſempèr in Chriſto, quia eſt filius Dei naturalis. Hebr. 1. vide Abul. 1. Paralip. 21. *qui* (de Salomone ſolo,) *ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorũ*, hominum, *& in plagis filiorum hominum*, quæ ab hominibus ſolent inferri. *Miſericordiam autèm meam non auferam ab eo*, ità vt exturbem eum à regno, *ſicùt* illud *abſtuli à Saul, quem amoui à facie mea*; ſicùt autèm de Saul in regno, ità in Salomone de regno temporali miſericordia, nihil de ſpiritualibus, ſeù de Chriſto. Alij ad membra referũt. *Et fidelis* ſtabilis *erit domus tua*, quam faciet tibi Dominus, *& regnum tuum vſquè in æternum* ad multas ætates, *antè faciem tuam* cœptum, *& thronus tuus erit firmus iugitèr*, repetitio eſt. Si verò de Chriſto, intellige æternitatem verè, vt dixi.

In quantum dixi intelligendum de Salomone, non obſtant ſenſui verba, *cùm dormieris ſuſcitabo ſemen tuum*, &c. quia Salomon vnctus fuerit rex viuente Dauid; nàm licèt vnctus fuerit, tamèn non ſuſcepit regni gubernacula, niſi pòſt mortem Dauid. vide Abul. quæſt. 9. Sed an Salomon ſaluus, vel damnatus, Abul. q. 13. ego dixi in Apoc. c. 7. Verſic. 18. *Sedit*, ſtetit *coràm Domino.* hæ ſunt incerta, & occulta, quæ manifeſtauit Dauidi Deus, Pſal. 50. Verſ. 19. *Iſta eſt enìm lex Adam*, vt homines quærãt ſucceſſores, & diuturnam conſeruationem

familiæ: de hoc erat sermo. Versic. 20. *Tu enim scis seruum tuum Domine Deus*, scis qualis sim tecum, sic Petrus: Domine tu nosti, quia amo te. Ioan. 21. quasi non est mihi quid vltrà dicam, vel petam, cùm tu excedas Domine. 1. Paral. 17. 18. Versic. 25. *Nùnc ergò Domine Deus*, &c. petit firmitatem dictorum. Vers. 26. *Vt magnificetur nomen tuum*; sic Psal. 50. vt iustificeris in sermonibus tuis: hìnc proptèr gloriã Dei moueri debemus. *Dominus exercituũ*, potens, verax, & obseruans Deus supèr Israel. Vers. 27. *Vt oraret te oratione hac*; hìnc & si Deus promittat: vult tamèn posteà à nobis peti. petite, & accipietis, &c. reliqua clara.

CAPVT VIII.

FACTVM *est autèm*, &c. recitantur plures victoriæ Dauid, quæ & 1. Paral. 18. Vers. 1. *Tulit Dauid frenum tributi de manu Philistijm*: Israel enim soluebat illis tributum, quod est frenum ad retinendum in obedientia subditos. Vers. 2. *Mensus est eos funiculo: mensus est autèm duos funiculos. vnum ad occidendum, alium ad viuificandum*. Est, ac si diceret, egit cùm eis, proùt ei libuit, sicùt funiculo proprias res mensuramus, & possidemus. Vel est phrasis, proùt in cap. 17. 13. 2. Paralipom. 21. 13. Versic. 11. *Quæ & ipsa sanctificauit*, &c. eccè pietas Dauid deferentis Domino spolia pretiosa ad exẽplum victorum Christianorum. Vers. 13. *Fecit quoquè sibi Dauid nomen* non erectis arcubus triumphalibus, sed vt subdit, cœsis decem, & octo millibus. Vers. 14. *Et posuit in Idumæa custodes*, &c. tùnc verificatum dictum Isaac: Maior seruiet minori. Genes. 27. Vers. 15. *Faciebat quoquè Dauid iudicium, & iustitiam omni populo suo*; & his conseruantur regna, & populi; subdit & de ministris regi necessarijs, & de Sacerdotibus. 1. Paralip. 18. 17. vbì apparet duos fuisse summos Sacerdotes. vide Serrar. Vers. 18. *Filij autèm Dauid Sacerdotes erant*, idest principes, primi ad manum Dauid. 1. Paralip. 18. in fin. non autèm Sacerdotes propriè, cum tribui Leuiticæ ex Aaron tantùm id esset concessum, & de Sacerdotibus proprijs. nàm dixit Versic. 17. & 1. Paralip. 15. 11.

CAPVT IX.

VERS. 1. *Putasnè est aliquis*, &c. hinc Dauid gratitudo, & obseruantia promissorum Ionathæ, & nimirùm, si suprà cap. 4. vers. 4. facta mentio Miphiboseth, cùm de eo Scriptura agere deberet: & cùm fecerit eum commensalem suum, vers. 7. non poterat familiariùs eum tractare; sìc cùm Berzellai, & filijs, & cùm dederit ei omnia, quæ fuerant Saul, versic. 9. magnam fecit misericordiam cùm eo. Vers. 6. & 8. Humilitas Miphiboseth, adorantis Regem, & dicentis se canem mortuum, idest, inutilem, ineptum. Vers. 7. 10. 13. sub verbo *panem*, omnia obsonia, conuiuium.

CAPVT

CAPVT X.

FACTVM *est autèm pòst hæc*, &c. Memor Dauid beneficiorum Naas, eo mortuo, misit nuncios ad Hanon filium consolaturus eum: At suggestione Principum cũ nuncijs malè actum contrà ius gentium, hincquè cædes, & bella. idem 1. Paral. 19. Vers. 3. *Dixerunt Principes*, &c. sìc illi cùm Achis contrà Dauid. 1. Reg. 29. 3. eccè mali consiliarij, de quibus in concilio contrà Iesum. Versic. 6. Obserua in quas angustias ponant se filij Amon, proptèr quid minimum alijs suggerentibus. sìc & Aman, & Achab ob vineam. Vers. 12. *Dominus autèm faciet quod bonum est in conspectu suo*; sìc Heli. 1. Reg. 3. 18. Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. Versic. 16. *Misitquè Adarezer*, hìc victoria cõtrà Adarezer, de qua suprà cap. 8. 3.

CAPVT XI.

FACTVM *est autèm vertente anno*, &c. *Dauid autèm remansit in Ierusalem* otiosus; ideò sequitur vers. 2. *vt surgeret Dauid de strato suo pòst meridiem, & deambularet*, &c. *viditq. mulierem se lauantem: erat autèm mulier pulchra valdè*, nec auertit oculos, proùt posteà petebat à Deo: Auerte oculos meos, ne videãt vanitatem. & Iob, pepigi fœdus cùm oculis meis, vt ne cogitarem quidèm de virgine. pòst visum, & interrogationem, quæ esset, *missis nuncijs tulit eam, dormiuit cùm ea*, potentia regia à Samuele prædicta. 1. Reg. 8. *statìmque sanctificata est immunditia sua*. concepit, per conceptum autèm sanctificata ab immunditia, quia cessant menstrua: vel se lauit Leuit. 15. 18. purganda à pollutione contracta ex nefario concubitu. *& reuersa est in domum suam concepto fœtu* adulterino. non hìc sistit peccatum, sed trahit ad maiora suo pondere. *Concepi*, quasi indiget res remedio, ne adultera iudicer. *Misit autèm Dauid ad Ioab, dicens. Mitte ad me Vriam*: volens præsentia sua, & cognitione suæ vxoris adulterium abscõdere, & hùc tendebant omnia; finxit autèm vocasse Vriam, vt sciret de statu belli, versic. 7. familiaritèr secum agit, iubens: *Vade in domum tuam*, &c. *secutusquè est eum cibus regius*. At vir bonus *dormiuit antè portam domus regiæ, & non descendit ad domũ suam. Nuntiatũq. est Dauid: non iuit Vrias in domum suam*. Ex hoc apparet adulterium fuisse propalatum intèr curiales: nàm non potest rex tàm occultè agere, vt hæc non videant serui. Vrgente autèm Dauid Vriam, vt descẽderet in domum suam, respondit ipse: *Arca Dei*, &c. sìc suprà cap. 7. 2. Dauid agẽs de tẽplo ædificando; sìc Christi fidelis quisq. recogitans quæ passus est Dominus noster. Vers. 13. *Et inebriauit*, impleuit, *eum*, secũdùm Scripturam, aliòqui & Dauidi, & Vriæ peccatum inureretur. quod nemo dixit; & si fuisset ebrius, signa dedisset ebrietatis: at sobrietatis signum fuit non descendere in domum suam: vndè non placet Abul. Vers. 15. Peccatum primũ adhùc operatur in Dauid. *Misitq. per manum Vriæ*, proditoriè: vndè in prouerbio, litteræ Vriæ. *Ponite Vriã*, &c. noluit ipse occidere, sed per alios occidi procurauit; sìc Saul tentauit contrà Dauid. 1. Reg. 18. 18. 25. & Dauid ab eo didicit; eccè malum exemplũ quæ operetur; Iezabel per alios occidi fecit iustũ Naboth; Hebręi Christum per Pilatũ, in quem culpam refundere voluerunt, iuxtà Aug. Vers. 16. *Igitùr Ioab*, &c. *posuit Vriam*, &c. & sic ignorans Ioab seruiuit malæ iussioni Dauid; tamèn Abul. non credit eum peccasse: at in quantũ alijs fuit causa mortis, de quibus Dauid non iusserat, nõ videtur à peccato liber, cùm in hoc non gesserit, quæ ad prudentẽ Ducẽ spectabant: at clarũ peccatũ Iudicũ cõtrà Naboth. 3. Reg. 21. Vers. 25. Quomodò amore mulieris captus Dauid, non curat mortem tot virorum; quomodò excusat malè gesta ab euentu vario bellorum; quomodo cœcus nihil cõsiderans ex peccato iàm cõtracto, in

quo sedebat, Psal. 1. 1. nihil hìc de Deo, nihil in eum relatum: Ioab verò obsequutus Dauid omnia censuit sibi tuta, & fuerunt. Versic. 27. Tandèm Dauid potitur optatis nuntijs mole peccatorum onustus: *peperitquè ei filium* adulterinum; hìnc stetit Dauid in peccato ferè per annum. At iàm ad lacrymas: *& displicuit verbum*, malum, *hoc, quod fecerat Dauid*, quod hominibus occultare nixus est, *coràm Domino*, cui nihil occultum: ex parua scintilla quàm magnus ignis! Sed dùm dicitur displicuisse Domino quòd vxorem Vriæ duxisset, intellige non simplicitèr; sed eo modo quo fecit, Vriam occidendo, vt eam reciperet. De adulterio & homicidio Dauid, Pined. de rebus Salomonis lib. 1. cap. 3.

CAPVT XII.

MISIT ergò Dominus, misericors, & nolens mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat, *Nathan* prophetam satis familiarem Dauid, non filium, *ad Dauid*, iàm in peccato annuali sedentem, & in profundum malorum iactatum, qui proposuit parabolam ouis pauperis, idest vxoris, & charissimæ, quæ alebatur de eodem cibo, quo vir, hìnc charitas. Proponitur hæc parabola ex magna Dei misericordia, quia etsi peccator, tamèn naturalia retinebat, & ex naturalibus ad spiritualia ductus fuit, præsertìm ex timore propriæ sententiæ, & malorum comminatorum: habuit enìm is modus proponendi magnam Ephasim, & operatus est magnam commotionem in Dauid: similis parabola ex gestis contrà pauperem Naboth à rege Achab, & Iezabele. Expectauit autèm Deus natiuitatem pueri, vt esset in quem pœna reijceretur, ex qua & pater affligeretur. Vers. 7. Cōmemorat beneficia ei collata, vt inferat vers. 9. *Quarè ergò, &c. & vxorem illius accepisti in vxorem tibi*, non displicuit hoc simplicitèr Deo, sed modus crudelis, & illicitus: ideò omnia vnit. Dū dicit *vxores domini tui*, idest, Saul, in *sinu tuo*, intellige de domo domini tui, idest, filia eius, quia & Merob promissa, & Michol data. Non placent Lyran. & Abul. potuisti accipere, etsi non accepisti: nàm intelligit de datis de facto, *& dedi tibi*, quod verificatum verè in sola Michol, non in vxoribus Saulis. Vers. 11. *Et dormiet cùm vxoribus tuis in oculis Solis huius*, idest apertè, publicè, quod contigit per Absalom ex consilio Achitophel. Vers. 13. *Peccaui Domino*, corde hoc dixit, quod non Saul, 1. Reg. 15. 24. nèc Iudas Matth. 27. ideò hic, non illi veniam impetrarunt, hinc Nathan: *Dominus quoquè transtulit peccatum tuum*, pœnam mortis tibi debitam in filium, vt dicit: vndè tu *non morieris*, hæc pœna remissa tibi. *Verumtamèn, quoniàm blapshemare fecisti inimicos Domini*, nomen Domini tui ex victoria contrà tuos, Vriam, & alios occisos in acie, quasi non potuerit illos seruare, & dij sui præualuerint, non quòd Dauid malus vnctus Saul eiecto: quid enìm hoc ad illos, & ad hoc tempus, quo iàm hæc res antiqua? Ex hac qualitate peccati, in quo clarè contrà Deum peccatum est, quod difficiliùs remittitur, hìncque etsi aliàs peccauerit antè, & posteà, tamèn de hoc solo fit mentio contrà eum: & Dauid, tibi soli peccaui, fortè hùc respiciens: difficultas remissionis habetur ab Heli, 1. Reg. 2. 25. Si peccauerit vir in uirum, placari ei potest Deus, si autèm in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? *proptèr verbum*, factum *hoc* illi displicens, gloriæ suæ detrahens, filius, *qui natus est tibi*, adulterinus, quem deperis, *morte morietur*, irreuocabilitèr, hìnc Deus in filios transfert pœnas patrum ad patres castigandos, nèc tamèn filijs nocet, quia is ad limbum Abraham translatus, ne malitia mutaret intellectū, at fuit magna pœna in Dauid, nàm ipse in luctu, & ieiunio stetit per septē dies, sicùt Abraham per tres dies afflictus, dùm iussus immolare Isaac. Gen. 22. 1. Ver. 20. & 21. *Vt poneret ei panē*, eccè pro pane conuiuium, vt aliàs obseruaui. Vers. 22. *Quis scit*, &c.

puta-

putabat Dauid sententiam Dei quòad infantē reuocabilem, sed decipiebatur. Vers. 23 *Numquid potero reuocare eum ampliùs?* &c. numquid mortuis facies mirabilia, aùt medici, &c. sæpiùs hæc in Iob, vbi obseruaui. Vers. 24. *Et cōsolatus est Dauid Bethsabee vxorem suam*, hinc non displicuit Deo cōiugium, sed modus, vt dixi, *ingressusquè ad eam dormiuit cùm ea: quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum*, cùm adhùc nihil boni egisset; sìc Iacob dilexi, Esau autèm odio habui: vide Rom. 9. & non se continuit Dominus, quin & ostenderet dilectionem, reputans delicias esse cùm filijs hominum. *Misitquè in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius amabilis Domino*, magna hæc gratia; sicùt de Ioanne Baptista: ab vtero implebitur Spiritu Sancto, proùt impletus fuit: eccè quomodò Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit: pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleuat, 1. Reg. 2. Vers. 25. *Igitur pugnabat Ioab*, agitur de expugnatione Rabbath Vbis regalis, & pœna in Ammonitas insolita ob malum exemplum præcedens; sìc Gedeon tulit Seniores Ciuitatis Socchot, & spinas deserti, ac tribulos, atquè comminuit viros Socchot, Iudi. 8. 16. Et apparet magna probitas Ioab vocantis regem ad vrbem citò expugnandam, vt victoria regi, non sibi ascriberetur, quod seruit ad exemplū inferiorum in quolibet actu, vt honorem superioribus referāt, quòd malè seruatur; de hac victoria, 1. Paralip. 20. vbi Abul. de corona Melchom idoli secundùm eum, etsi hìc regis. At vereor, & ibì de rege, qui si Hanon hìc, & ibì Melchom erat binomius; non enim ablatio coronæ de capite idoli esset quid insigne, proùt de capite regis viuentis, & in prælio: & in summa nihil placet de idolo, & Dauid illa vsus non esset, nèc etiàm partibus ex illa corruptis, quia non licebat.

C A P V T XIII.

FACTVM *est autèm*, &c. Ardens amor Amnon in Thamar, & stuprum, ipsius cædes, fuga Absalom: ex vno actu quot mala! Addidicit à patre luxuriari: caueant patres à malo exemplo, hæc etiàm facta cedunt in pœnam peccati Dauid. Versic. 2. Describitur eius amoris vehementia, proùt Gen. 34. Sichem in Dinam. Vers. 3. *Vir prudens valdè*, &c. is de illis, de quibus Christus: prudentiores sunt filij huius sæculi in generatione sua filijs lucis, sìc de Achitophel infrà: at quàm malus consiliarius. Vers. 5. *Thamar*, &c. non potest abscondi ignis, qui in sinu detinetur. Vers. 6. *Veniat oro Thamar soror mea*, solent sorores indulgentiores esse. Vers. 13. *Loquere ad regem, & non negabit me tibi*, hoc dixit non secundùm veritatem, cùm soror esset, quam vri filiam regis non creditur præterijsse, sed vt euaderet vim. Vers. 15. *Et exosam*, &c. id Dei permissione factum in actu adeò probroso. Vers. 19. *Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa*, &c. in signum maximæ mœstitiæ. Vers. 21. Cur Dauid non punit Amnon? cur non ipse punitur à Deo, proùt Heli? cur non Amnon punitur à Deo pro peccato in filiam Dauid? At fortè satis pœna quòad vtrumque à Deo in morte Amnon, & fuga Absalom. Vers. 22. Cognoscitur mala indoles Absalom non loquentis, sed memoriam tenentis, obseruantis opportunitatem proùt Iudas, ex exequentis, mortemquè fratri inferentis. Vers. 28. *Ego sum, qui præcipio vobis*. hoc auxit animum seruis. Vers. 30. Eccè fama crescens in malum sempèr. Vers. 31. 36. 37. Rex anxiatur ob mortem primogeniti dilecti, vers. 22. eccè pœna peccati in Vriam; & tandèm consolatur vers. 39. est enim Deus misericors.

CAPVT XIV.

INTELLIGENS *autèm*, &c. reductio Abſalō Thecuite prudente muliere ſubmiſſa per Ioab, quæ parabola regem vincit: parabolis autèm vtebantur Hebræi; sìc Nathan ſuprà cap. 12. Ioathan Iudi. 9. 8. & Dominus noſter in Euangelijs frequentèr. Verſ. 2. *Ne vngaris oleo:* vnctio enim deſignabat lætitiam; vndè Chriſtus, vnge caput tuum oleo, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. Verſ. 13. *Quarè cogitaſti tu* rex *huiuſcemodi rem* tollendi filium tuum Abſalon, qui occidit Amnon, *contrà populum Dei*, cuius intereſt conſeruari primogenitum regis, qui eſt Abſalon, ità *vt peccet rex, & non reducat eiectum ſuum?* æquiparat hoc ei, quod dixerat quæri filium ſuum ad mortem: hinc facit hoc peccatum in rege, & ſacrificium gratum Deo, ſi reducatur. Verſ. 14. *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur*, quaſi finis omnium venit: *nèc vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans ne penitùs pereat, qui abiectus eſt*, quia non vult mortem peccatoris, ſed vt magìs conuertatur, & viuat, hæc omnia ad placandum regem: ſatis enìm mouent. Verſ. 17. *Sicùt enìm Angelus Dei*, & verſ. 20. *Sapiens es, ſicùt habet ſapientiam Angelus Dei*, sic angelum Eſther dixit Aſſuerum, & cap. 19. 27. & ſuprà dixi. A iuſtitia eum commendat, pro qua ſeruanda nō concutiatur bono, vel malo. Quia multi cùm regibus hac phraſi vtuntur, puto fuiſſe conſuetudinem inueteratā dicere reges angelos, vt hic. Verſ. 29. Ioab vocati non euntis ad Abſalon incenduntur ſegetes, nota qualе obſequium velint domini, & ad quæ deſcendant. Verſic. 32. *Interficiat me*, sic Moyſes cùm Deo, Dauid cùm Ionatha.

CAPVT XV.

IGITVR *poſthæc*, poſtquàm in gratiam Dauid receptus Abſalon, labitur in rebellionem contrà patrem ingratus. Verſic. 4. *Quis me conſtituat Iudicem*, &c. magna ſuperbia Abſalon putantis ſe rectè recturum, & hinc permiſſione Dei decipiuntur, qui putant, ſi aſſumpti ſint ad munia, ad quæ aſpirant, poſſe grandia operari. Verſ. 7. *Pòſt quadraginta autèm annos*, ætatis ſuæ petit ire in Hebron quaſi ſoluturus vota, at verè rebellionem contrà patrem perfecturus, permiſſus sìc à Deo peccatum Dauid in Vriam purgante. Dices non poſſe intelligi pòſt quadraginta annos ætatis Abſalon, cùm ad eos non perueniſſet. At hoc non obſtat, ad eos fortaſsè peruenit: ſed eſto ad eos non peruenerit; & tùnc dic incertum de quibus annis agatur, ſiuè Abſalon, ſiuè Dauidis. Verſic. 19. Factum Ethai Gethæi egregium, ſequendo regem humiliatum, & deſtitutum. Verſ. 31. *Infatua, quæſo, Domine conſilium Achitophel*, & sic contigit infatuari, fatuum reputari, & præferri conſilium Chuſai, eccè quomodò cor Dauid erat confidens in Domino. Verſic. 33. Chuſai volens ire cùm rege remittitur profuturus magìs Regi in Ieruſalem. Sed quàm pauci ſequuntur Dauid in anguſtijs poſitum, priuatum regno, & coactum bellare contrà filium, quem tenerè diligebat, quod in eo erat magnæ contradictionis.

CAPVT

CAPVT XVI.

C*VMQVE transisset*, Sibæ occursus, nimia credulitas Dauid, & eiusdem largitio iniusta contrà iura Miphiboseth innocentis, inauditi. Vers. 5. De Semei maledicente, iaciente lapides, & terram in Dauid, & suos spargente, vsquè ad vers. 14. Versic. 8. *Reddidit tibi Dominus*, malè iudicabat Semei, quia non ob Saul, sed ob Vriam Dauid patiebatur. Versic. 9. *Canis hic mortuus:* omninò inutilis, vt suprà de se Miphiboseth c. 8. vers. 9. Vers. 11. & 12. *Iuxtà præceptum Domini*, Dei permissionem in pœnam meam. *Si fortè respiciat Dominus*, &c. & sic factum est visa patientia Dauid; sic cùm Iob, & Tobia, & Sara, & alijs. Vers. 16. De Chusai, in cuius verbis non cognosco mendacium, immò credo posse à mendacio omnia saluari: profert enim verba, quæ nihil præsupponunt certi, quicquid cùm Dauid conuenerit. Vers. 21. *Ingredere, &c. vt cùm audierit, &c. roborentur*, dicentes: pax intèr eos ampliùs non erit, quia ad immedicabilia deuentum; sic & suprà obseruaui in Abimelech, Iudi. 9. si enim hoc non vidissent, poterant timere ne rebellio in caput eorum recideret: vndè fuit consilium ad negocium aptum, at improbum, inuerecundum, permissum tamèn à Deo, & perfectum, & consequentèr euenit quod dixit Dominus: Ego faciam in conspectu omnis Israel, & Solis, 2. Reg. 12. in pœnā Dauid. Nō placet ratio, vt ex concubitu cùm illis videretur rex iuxtà suspicionē Salomonis cōtrà Adoniā petentē Abisag, at illud in Adonia, quia reginā in vxorē volebat non sic Absalon, qui nèc vxorem vnam, nèc reginam, sed concubinas opprobrium respiciens stuprauit. Vers. 23. *Consilium autèm Achitophel*. &c. At de malis consiliarijs vide cumulata in Euangelijs in cap. de concilio.

CAPVT XVII.

D*IXIT ergò Achitophel*, &c. Dat consilium Achitophel, quod dissipatur à Chusai Deo volente. Vers. 3. *Vnum virum tu quæris* ad necem: *& omnis populus erit in pace*. Simile Caiphas: expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Versic. 5. *Vocate Chusai*, qui ad primum consilium improbum suprà cap. præcedenti, vers. 21. vocatus non fuit, & ipse reprobat consilium Achitophel, & suum recipitur; Deus miseretur Dauid, non relinquens eum in manibus iniusti filij vers. 14. Vers. 18. *Vidit autèm eos quidam puer;* sic visus Moyses, etsi se obseruans, interficere Aegyptum, Exod. 2. vndè nemo confidat; nihil occultum, quod non sciatur, infrà cap. 18. 14. Vers. 23. Achitophel se suspendit, finis mali consiliarij: videant imitatores, sic Saul, Iudas in se ipsos crudeles. Vers. 25. Narrat præfecturam Amasæ. Vers. 72. Munera amicorum Dauid, dùm præmeretur, & esset in castris.

CAPVT

CAPVT XVIII.

IGITVR *considerato Dauid populo suo* qui ad eum accurrerat, vel secum ierat quasi coactus ad defensionem, dedit præfectos. Vers. 3. *Non exibis* hinc amor populi ergà Dauid; & sapientèr actum, quia vnus quærebatur ex consilio Achitophel, quod fortè innotuerat; cap. 17. 3. sic solus Achab quæsitus ad necem, 3. Reg. 22. 32. Vers. 5. *Seruate mihi puerum Absalom*, eccè charitas Dauid: At numquid potest pater obliuisci filij vteri sui? Vers. 9. *Adhæsit caput eius quercui*, non ergò appensus capillis, quorum nulla mentio, & hæc opinio S. Chrysost. & Theod. superbia aerea imbutus in aere suspēditur; dæmones superbi è summo in aerem demissi; hic finis filiorum in parentes versorum. Vers. 18. De titulo Absalom sibi erecto denotante eius superbiam. *Dixit, non habeo filium*, Deus fecit eum sterilem. Vers. 14. Mors Absalom Ioab infigente lanceas in cor eius, & seqq. Sed cur interfecit Ioab Absalom cōtrà præceptum regis, & Dauid eum non punit? Dicendum præceptū Dauid processisse ex excessu amoris filialis: at nō ad obseruantiam, ideò nèc obseruauit Ioab, nèc puniuit Dauid, sed eodem amore actus conuertitur ad lacrymas. Vel quia sciuit appensum quercui, cognouit à Deo factum: ideò siluit. Vel (vt ex alijs patet) non expediebat Dauid in Ioab quicquam aggredi; sic cùm interfecit Abner. Vel in bello mors Absalom, & varij euentus belli, neque in eo possunt facta mensurari. Vel quia cognouit eo superstite pacem non habiturum, & silentio approbauit factum Ioab. Cur Dauid desinit plangere filium paruulum pòst mortem, plangit autèm pòst mortem Absalom? Respondeo, satis planxisse primum antè mortem per septem dies; secundum antè mortem nullo modo, ideò pòst mortem flet. Prætereà dici potest, quia primus saluus, secundus damnatus: poterat enim Dauid vehementèr suspicari æternam Absalom damnationem, vt ob id plangeret; & uerba, *vt ego moriar pro te*, sunt & considerantis æterna, & ex compassione carnali, & affectu paterno, sed quia poterat dubitare de salute Absalom ex specie mortis, & ideò dicitur *contristatus est rex*, audita morte, quamquàm eius speciem nondùm intellexerat: ad id faciunt dicta per Ioab, retentio populi, nuncius mortis ad Dauid, qui statìm dolere cœpit, *fili mi Absalom, &c. quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* viscerum paternorum obliuisci non poterat; & hìc pœna magna Dauid, & victoria luctuosa.

At mirum, Dauid, qui curam tantam habuit sepulturæ Saul, Ionathæ, Abner, aliorum de domo Saul in fin cap. 21. nihil de Absalom lapidibus obruto, vide Abul. q. 5. Fortè non expediebat Dauid spoliato regno suo, proùt non expediuit lugere, infrà cap. seqq.

CAPVT XIX.

NVNCIATVM *est autèm Ioab*, flenti Dauid, & derelicto à populo suadet Ioab à luctu recedere, & populus redijt, & rebelles regem Dauid recipiūt.

Et hìc non peccauit Ioab, sed benefecit regem increpando, cùm ad eius beneficium loqueretur, neque dùm de Ioab iussit Salomoni, de hoc intellexit, sed de morte Abner; & Amasæ, 3. Reg. 2. vndè non recipio quod dicit Abul. Vers. 10. *Quem vnximus*, & quia non legitur vnctus Absalom, fortè bonus intellectus, quod dicitur, dùm Dauid vnctus hic; vnctio hæc sit pro electione, seù consensu populi in eum. Vers. 11. Mittit Sacerdotes pro pace, hic exemplum per quos hæc debemus tractare. Versic. 16. occursus

Semei,

Semei, cui impunitas data iuramento, cui non contrauentum per Salomonem, quia ex noua causa fecit eum occidere; hinc Dauid, 3. Reg. 2. 9. postquàm non potuit à iuramento retractus eum punire, dixit: Tu noli pati eum esse innoxium, Vir autèm sapiens es, vt scias quæ facies ei, deducesquè canos eius cùm sanguine ad inferos, scilicèt si errauerit, propterea d. cap. 2. 36. Salomon dedit ei præceptum, quo prætergresso, Semei fuit occisus, ideò meliùs Lyran. quàm Abul. Vers. 24. Occursus Miphiboseth, intèr quem, & Sibam diuidũtur bona, alia inquisitione supèr veritate non facta in præiudicium Miphiboseth, immò fortè constito de veritate saltèm præsumptiuè, Abul. q. 27. 28. 29. qui tamèn q. 30. putat vel Miphiboseth compensatum, vel sufficientia verba Miphiboseth, & q. 31. credendum id non imputatum Dauid, qui arguitur tantùm peccati in Vriam, at huius alia ratio, vt alibì dixi. Posset dici, quod pòstquam bona in Miphiboseth prouenerant ex liberalitate regia potuisse in illis ei præiudicare. At non videtur sinè causa facere potuisse, maximè quia erant paterna, hìc Lyranus contrà adulatores, & detractores. Vers. 27. *Sicùt Angelus Dei*, vide suprà cap. 14. 17. Vers. 32. De Berzellai octuagenario, qui noluit ire cùm Rege, sed misit Chanaan filium suum. Vers. 41. Aemulatio Israelis, & Iudæ in reducendo regem, quæ apparere facit quàm gratus Dauid.

CAPVT XX.

ACCIDIT *quoquè, &c. vir Iemineus*, sempèr hi de hac stirpe insidias tetenderũt Dauid, suprà Semei, nùnc iste occasione verborum, *non est pars*, &c. dicit hìc quidam in similibus verbis, Acto. 8. Petrum separasse Simonem à communione fidelium, quod non puto, quia Petrus corripuit tantùm illum, & docet poenitere, & Simon rogat, vt pro eo precentur, quia non quadrant censuris, quas alio modo exercuit Paulus contrà Corinthium. Vers. 3. Decem mulieres concubinæ ab Absalom cognitæ in custodiam clausæ, hæc ad similitudinẽ monasteriorum nostrorum temporum, inuenta à Dauid, ne cogeretur repudiare eas, & ipsæ liberæ alijs inferioribus sociarentur, quod turpe fuisset vxoribus regis: videtur species diuortij nostrorum temporum, dixi speciem, seù potiùs similitudinem diuortij, quia nostris temporibus, quibus vna tantùm vxor licet, vir procurans diuortium remanet sinè vxore: at Dauid plures adhùc retinebat, & retinere poterat, cùm tùnc licita prolygamia, neque carcer conuenit, quo vsus Dauid. Versic. 4. *Dixit autèm rex Amasæ*, quem constituerat ducem militiæ, vt infrà: at quia *moratus extrà placitum*, vers. 5. & Dauid timebat seditionem Bochri, *ait Abisai*, &c. sed quia Ioab iuit & ipse in prælium, & apparet eum ducem exercitus, puto Abisai iussum à rege ire cùm Ioab, etsi non exprimat Scriptura verbis, sed ex facto deprehenditur. Versic. 9. Ioab occurrit Amasæ, & salutauit, & osculatus est eum (alter Iudas) & occidit eum, quia *voluit esse pro Ioab comes Dauid*, vers. 11. Ioab verò nolebat comitem in officio; & vers. 23. solus electus fuit, & suprà cap. 10. vers. 13. dicit rex, pro Ioab, ergò Ioab iàm erat dux, seù magister militiæ, sic & suprà cap. 8. 16. Vers. 18. *Qui interrogant, interrogent in Abela, & sic perficiebant. Nonnè ego sum*, (nomine ciuitatis loquitur) *quæ respõdeo veritatẽ in Israel, & tu quæris subuertere ciuitatẽ talem, & euertere matrẽ*, parturientem veritatem *in Israel? Quarè præcipitas hæreditatẽ Domini?* vel quia dedit, vel quia adhùc sua; ex hoc prouerbio, & verbis intendit prudens mulier dicere laudes suæ ciuitatis, quæ non mereatur demoliri, proùt timebat: at recepto capite Bochri Ioab recessit. Vndè quàm parum diuturni motus violenti contrà reges. Vers. 26. *Ira autèm Iairites erat Sacerdos Dauid*, particularis ad spiritualia, seù sacrificia: non enim præsumitur diuersa significatio verbi (*Sacerdotes*) præcedentis, & huius subsequentis,

quentis, & quia verbum (*Sacerdotes*) ponitur pro principes in filijs Dauid supra cap. 8. 18. qualis is non erat. Obstat tantùm, quia dixit de Sacerdotibus propriè: ideò is princeps, seù dux suprà alios, 1. Paralip. 11. 9. 7. & hæc videtur veritas, quia duo Ira intèr fortissimos numerantur, 1. Paralip. 11. 28. 40. & infrà cap. 23. quorum is vnus.

CAPVT XXI.

FACTA *est quoquè fames in diebus Dauid tribus annis iugitèr*, hoc est ordinarium Dei, vt puniat peccatũ vnius generationis in alia: ego sum Deus visitans inquitates patrum in filios in tertiam, & quartã generationẽ, & Christus: Vt veniat supèr vos omnis sanguis, à sanguine Abel iusti, vsquè ad sanguinẽ Zachariæ, &c. & consequentèr passus est & Dauid famem hanc in pœnam peccati Vriæ, & populus pro alijs peccatis, & licèt dicatur. *Proptèr Saul, & domum eius*, &c. tamèn dic hoc fuisse principale, ac primùm, sed alia subsecuta, ob quæ generatio illa passa meruit famem.

Sed contrà, quia satisfacto Gabaonitis cessauit fames: At ex præcedenti vexatione datus intellectus, & satisfactum diuinæ iustitiæ, quòad alios pro pœna debita pro tùnc à Deo requisita. At non peccauit Dauid non dans à seipso satisfactionem Gabaonitis contrà Abulens. secùs dicentem, primò quia ignorauit, vndè *consuluit Dauid oraculum Domini*, secundò, quia postquàm Deo reuelante sciuit: nempè quod *proptèr Saul, & domum eius sanguinum*; sic & in facto Saul, & illi de domo sua peccarunt, & fuerunt participes facinoris, *quia occidit Gabaonitas*, tùnc executus est mentẽ Dei, quod ipse à se ipso facere non poterat: nàm cùm Saul, & alij delinquentes mortui essent, illicitum erat Dauid in successores innocentes sæuire. Deut. enìm 24. dicitur: non punientur filij pro patribus, à Iudice scilicèt. Vers. 1. *Quia occidit Gabaonitas*, verè, vt & infrà vers. 5. contrà iuramentum filiorum Israel, Ios. 9. 16. Zelo motus, quasi pro filijs Israel, & Iuda, versic. 2. dicens Gabaonitas disperdendos iussu Domini, & indecentem esse eorum cohabitationem cùm Israelitis, quod non aptabatur pòst iuramentum præstitum: quandò autèm occiderit, non constat. Versic. 3. *Quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum, vt benedicatis hæreditati Terræ promissionis Domini? Dixeruntquè ei Gabaonitæ: Non est nobis supèr argento, & auro quæstio, sed contrà Saul, & contrà domum eius*, & sic domus eius particeps periurij: *nequè volumus, vt interficiatur homo de Israel*, vltra domum Saul; vndè subdunt: *Virum, qui attriuit nos, & oppressit iniquè, ità delere debemus, vt nè vnus quidèm residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel*; sed restringunt petitionem: *Dentur nobis septem viri de filijs eius*, eius descendẽtibus, *vt crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul quondàm electi Domini*, regis, credendum conuenisse cùm Dauid, qui pepercit Miphiboseth proptèr iusiurandum Domini intèr ipsum, & Ionatham. Immò puto Dauid nequè septem dedisse, nisi consulto Domino, quia innocentes in delicto, ob quod petebantur ad necem, non poterat ipse dare ad mortem, sed Dominus solus, qui *repropiatiatus est terræ*, versic. 14. Et hic cognitum idem, quod dixit Caiphas contrà Christum: expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat Ioan. 11. Sed cùm dicitur, *quinque filios Michol* versic. 8. dic Merob; sic 1. Regum 18. 19. vel adoptiui Michol, sed magna charitas Resphæ, & Dauidis, quæ nos vrget ad curam pro mortuis nostris, etiàm si vti delinquentes à iudice occisi: manserunt autèm cadauera in patibulis contrà legem, quæ iubet eodem die deponi, quæ non ligabat Gabaonitas gentiles, vel donèc constaret placatum esse Dominum: ideò dicitur: *donèc stillaret aqua supèr eos de cælo*, quod fuit signum placationis Dei, & quia ignoramus quo tempore stillauerit aqua, non possumus determinare quanto tempore perman-

manserint in patibulis, quia in historijs gentilium referuntur plures ex oraculo occisi: hinc fortè accepit dæmon, qui quasi simia imitatur Dominum, seù transformat se in Angelum lucis, vt decipiat. Vers. 12. *De platea Bethsan*, id est, de Bethsan; etsi in muris suspendissent: sic enim dicimus communitèr, *Dalla talpiazza*. Versic. 15. Incipit referre prælia contrà Philistinos, in quibus non seruat ordinem historiæ: nàm præcesserunt, sicuti patet, 1. Paralip. 20. & quidèm in primo deficiente Dauid ex aliquo casu, & subeunte periculum mortis; tùnc iuratum ne egrederetur imposterum in bellum, & sic seruatum, suprà cap. 18. 3. Prætereà suprà cap. 8. refertur Dauid sustulisse frenum tributi de manu Philistijm: vndè in his non placet Abulensis.

CAPVT XXII.

LOCVTVS *est autèm Dauid Domino verba carminis huius*, &c. sìc Moyses, Debbora, Samson, Iudith, & alij victores. Sed quia repetitur, immò idem est cùm Psal. 17. ibì de hoc, si dabitur. Interim vide Lyran. & Abulen. qui benè explicant; & & refer verba (cùm sancto sanctus, &c.) ad Dominum.

CAPVT XXIII.

HAEC *autèm sunt verba Dauid nouissima*, de se, & domo sua spiritu prophetico descripta: *Dixit vir*; sic Balaam, Num. 24. 3. *cui constitutum est*, concessum *de Christo*, vncto Rege *Dei Iacob*, vt sit Rex promisso Iacob, de quo ipse, Gen. 49. 8. in Iuda. *Dixit Deus Israel*, Iacob *mihi*, *locutus est fortis Israel*, sic fortem, & fortissimum appellat Iacob, & Moyses; *Dominator hominum*, Dominatorem appellat, & Moyses dicens, Dominator Domine: *iustus Dominator in timore Dei*, supèr timentes Deum, & Domina: & misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Est hæc phrasis Hæbraica, proùt illa in Gen. cap. 19. 24. Pluit Dominus ignem à Domino.

Subdit nũc quid locutus sit de domo sua, *Sicùt lux auroræ oriente Sole*, *mane absquè nubibus rutilat*, splendet, *& sicùt pluuijs germinat herba de terra*, sic erit domus tua. & se humilians, & à Deo omnia recognoscens. *Nèc tanta est domus mea apud Deum, vt pactum æternum* de illa perpetuanda *iniret mecum firmum*, stabile, *in omnibus, atquè munitum*, vt conuelli nequeat, sic suprà cap. 7. 19. *Cuncta enim salus mea, & omnis voluntas* mea fit: *nèc est quicquam ex ea quod non germinet*, omnia prosperantur, omnia ad meàm exaltationem, & vota cedunt: sìc Apostolus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Præuaricatores autèm* aduersantes mihi, à Deo omnipotente, *quasi spinæ euellentur vniuersi*, quæ non tolluntur manibus placidè. *Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato* lancea ferrea munito, *igneque succensæ comburentur, vsquè ad nihilum*; destruentur, ad nihilum redigentur, sic Psal. 3. quoniàm tu percussisti omnes aduersantes mihi sinè causa, dentes peccatorum contriuisti, in simili Ioannes Baptista, Matth. 3. & Luc. 3. Vers. 8. *Hæc nomina fortium* virorum *Dauid*, sìc 1. Paralip. 11. 10. *Sedens in cathedra*, &c. non is Dauis, sed alius ab eo, quia de viris Dauid, non de Dauid sermo: vndè dic is Iesbaam, 1. Paralip. 11. 11. & concordat ordo, quia sicùt ibì sequitur Eleazar pòst hunc, ità hìc, & idem primus ponitur, 1. Paralip. 27. 2. & licèt hìc octingentos, ibì trecentos occidisse dicatur, cùm pluribus vicibus id contingere potuerit, ibi de vna, hìc de alia vice agitur, sìc & Abul. ibì. Vers. 14. *O si quis* *mihi*

mihi daret potum aquæ de cisterna, &c. idem 1. Paral. 11. 17. vbi Abul. dixit hoc Dauid, prout fit siti, & calore vrgente absquè animo inducendi aliquem ad tantum periculũ, & propterea noluit *allatã bibere, sed libauit eam Domino*. Eccè quomodò omnes quærant placere principi; sìc illi, qui occiderunt Isboseth, & qui occiderat Saul: ideò principes fileant, dùm aliquid illicitum desiderant, ne alij ad illud inducantur ex eorum desiderio: Sed exemplo Dauid libemus Domino nobis grata. Non placet sub aqua Dauidem desiderasse Bethlehem obtinere, quã obsidebat; nàm si id foret, quandò aqua allata fuit, id expressisset, & damnasset eos pro re tantilla periculo vitæ se exponentes, & id tacendo, & dicendo nolle bibere sanguinem illam afferentium, videtur residere illud fuisse desiderium suum verum, non fictum, Vers. 26. *Hira*, & 38. *Ira* obserua non fuisse Sacerdotem, sed principem, vt dixi cap. 20. 26. agit verò hic Abulen. q. 30. licuisse Sacerdotibus pugnare in bello.

CAPVT XXIV.

ET addidit furor Domini irasci contrà Israel, ob eorum peccata, *commouitquè* permisit commoueri, *Dauid in eis dicentem*, Satan ministro, 1. Paralip. 21. 1. vbi Abulen. videndus, hinc Iob etiàm à Deo omnia per Satan immissa à Deo recognouit permittente, Iob. 1. sìc permissa potestas in Achab, 3. Reg. vlt. sìc expetiuit Satan, vt Apostolos cribraret sicùt triticum, Luc. 22. 37. nihil enìm potest Satan in nos, si Deus non permittat, hinc petijt à Christo mitti in porcos, Dauid quoquè maledictionem Semei à Domino recognoscit, 2. Reg. 18. 11. & Psal. 38. obmutui, & non aperui os meum, quoniàm tu fecisti, amoue à me plagas tuas, & Isa. 38. Domine vim patior, quid dicam, aùt quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit? *Vade numera Israel, & Iudam;* ex superbia hoc gestum Abul. hìc, & 3. Reg. 15. 9. 4. vide Act. 13. scripta per me, quia si ex causa, non meruisset pœnam, at adeò commotus Dauid, vt nèc audierit Ioab retrahentem, vers. 3. & sic contingit in peccatoribus, vt dùm ad peccatum inhiant, non audiant verba corrigentis obcœcati à diabolo, at patrato malo, tùnc aperiuntur oculi; sìc in Eua factum, & Adamo: ideò vers. 10. *Percussit autèm cor Dauid eum, postquàm numeratus est populus: &* reuersus in se *dixit: peccaui valdè*, &c. & redit absquè propheta semèl ictus pòst peccatum in Vriam. *Sed precor Dominè vt transferas iniquitatem serui tui*, iàm id expertus in peccato Vriæ, dùm dixit Nathan: transtulit Dominus peccatum tuum. *Surrexit itaquè Dauid mane* inquietus, & conscientia peccati exagitatus. Culpa tandèm liberato pro pœna datur trium optio, & coarctatus dubius quid eligeret, ait: *melius est, vt incidam in manus Domini*, dum agitur de pœna temporali (*multæ enìm misericordiæ eius sunt*) & sìc Daniel. 23. 23. *quàm in manus hominum*. Electa pestilentia, *mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum;* & sìc proptèr regem perijt populus, etsi ipsi quoquè rei, & in peccato, præsertim rebellionis, vt aliàs ostendi. At apparuit misericordia Domini iuxtà prædictionem Dauid. *Nàm cùm extendisset manum suam Angelus Domini* percutiens *supèr Ierusalem*, vidente Dauid, ad eius preces peccatum in se recognoscentis, non in ouibus, & petentis in se vindicari, & vitam propriam pro subditis offerentis, qua nulla maior charitas, *misertus est Dominus*, sìc ad preces Moysis dicentis: aùt dimitte populo, aùt dele me de libro, quem scripsisti; Paulus verò cupiebat anathema fieri pro suis, hi tamèn nullam occasionem dederant, proùt Dauid: hìnc magnum exemplum Principibus, & Ecclesiasticis obnoxijs ex mandato Dei opponere se pro muro Israel; hoc autèm præcessit in Dauid, etsi postremum referatur; *misertus Dominus ait Angelo* bono: etenìm tàm boni, quàm mali puniunt; dixi in Apoc. cap. 10. Pined. Iob. 2. vers. 7 & 8.

suffi-

ſufficit nùnc,contine manum tuam;sìc Abrahamo Iſaac immolare volenti, & obedienti oblatus aries loco filij immolandus, & Iſaac reſeruatus: sìc placatus Deus ex facto Phinees, Deus enìm voluntate noſtra, & oblatione prompta contentus eſt multotiès. Hìnc argue Angelos ignorare futura, vt obſeruaui, 1. Cor. 2. & Deus, quì à nobis expetit gratiarum actiones, notificat Dauid altare conſtituere eo in loco,in quo Angelum viderat, & offerre,proùt fecit empta area, & bobus ſiclis ſexcentis quinquaginta, vt hìc, & 1. Paralip. 21. 25. quæ gratis noluit recipere, imitatus Abraham, Gen. 22.16. hìc autèm altare, & oblatio, & ignis de cœlo,ex quo oſtenſum exauditas preces, Abul. 1. Paralip.21.9. 86. quia altare holocauſtorum erat in Gabaon, 1.Paral. 21. 25. & in eodem loco priùs oblatus Iſaac, & pro eo aries, & poſteà ædificatum templum à Salomone, & ex multis locis conſtat,loca,in quibus Angeli apparuerunt, habita in magna veneratione, vt in Moyſe, Ioſue, Iacob, & alijs, & Gargano. At eo timore correptus Dauid, vt non potuerit ad altare accedere, 1. Paralip. 21. in fin. dixi in Zacharia, & cap.22. dicitur domus, & altare Dei, pro qua præparauit Dauid omnia neceſſaria, 1. Paralip. 22. & 28. & aſſignauit ſacerdotes,& Leuitas in templo ſeruituros, 1.Paralip. 23. & 24. & alia ſcripta manu Domini, 1. Paralip. 28. 19. & de multis donarijs pro templo, 1. Paralip. 29.

Quòad numerum militum diuerſum hìc, & 1. Paralip. 21. ſicùt diuerſimodè, sìc & tempore datum numerum illorum à Ioab: nàm in vtroque loco à Ioab datus numerus, ità vt alij non poſſint aſſumi, qui illum diuerſificent, id autèm contingere potuit, vel ex mala numeratione, vel ex miniſtrorum infida relatione ſemèl facta, & ſecunda vice cognita, & correcta, vel alio modo.

Quòad ſummam ſiclorum maiorem, 1. Paralip. 21. quàm hìc: dic hìc nullam mentionem pretij areæ fieri, ſed tantùm boum; *Emit ergò Dauid aream, & boues, argenti ſiclis quinquaginta*, at 1. Paralip. 21. 25. mentionem pretij areæ hìc omiſſi fieri:dedit ergò Dauid Ornã pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos, & hæc videtur veritas ipſa,alias reſponſiones vide apud Abulenſ. hìc, & 1. Paral.27. q. 82. qui dùm vult concordare textus ex differentia ſicli, non videtur tenendus; aliàs dicebã hìc de arrha, 1.Paral.21. de emptione, ſed eſt contrà textum. Pined. de rebus Salom. lib. 5. cap. 5. ſect. 6. dùm dicit Dauidem dediſſe Ornan, pluſquàm valebat, 1. Paralip. 21. loquitur contrà textum, dicentem argentum dabo quantum valet, & concordat textus hìc, quia dicitur: *emam pretio*, &, *emit ergò Dauid aream*, &c.

Quantum verò durauerit peſtilentia, incertum: vide Abul. hìc, & 1. Paralip. 21. illud certum, immiſſam de mane vſquè ad tempus conſtitutum; conſtituti autèm erant tres dies: at videtur non duraſſe tribus diebus integris, quia aliòquin à ſe ipſo ceſſaſſet Angelus, nequè indiguiſſet moneri à Domino: *ſufficit nùnc, contine manum tuam*: hincquè collige Deum punire citrà condignum.

FINIS SECVNDI LIBRI REGVM.

IN
III. LIB. REGVM.
CAPVT PRIMVM.

ET *Rex Dauid ſenuerat, habebatquè ætatis plurimos dies*, sic & 1. Paral. 23. 1. præmittit hoc, quia ſeruit & ad rationem ſequentiũ, quam aliundè diuinare non poſſumus, *cumquè operiretur veſtibus, non calefiebat;* etſi enim id in alijs ſeptuagenarijs non contingat, in eo erat ob multa, quæ paſſus erat ſub Saule in tot bellis, tot afflictionibus, terroribus à Deo immiſſis; hęc ſcimus: infirmitates, vel alia ignoramus. hinc diuinare eſt, quòd huiuſmodi infrigidatio ei euenerit ex viſione Angeli, ex Abulen. 1. Par. 21. *Dixerũt ergò ei ſerui ſui*, fideles, veri, & prudentes, prout illi Saulis. 1. Reg. 28. 23. Naaman Syri. 4. Reg. 5. 13. *Quæramus domino noſtro regi adoleſcentulam*, &c. *rex verò non cognouit eam*. Sed an ei fuerit vxor? dic quod sic: ſub alia enim ſpecie eam non retinuiſſet Dauid ſanctus, & ſenex, cùm aliòquin detractum eſſet honori puellæ; & quamuis eam non cognouerit, non fit, quin vxor ei eſſe non potuerit. Vide ſcripta cap. 2. de Annunc. Verb. in Euang. dùm tenui verum matrimoniũ extitiſſe intèr ſanctiſſimam Virginem, & Ioſeph. & Abiſag habitam, & tentam pro vxore, & regina, oſtẽdit petitio Adoniæ in vxorem, & reſpõſio Salomonis ad matrem pro Adonia agẽtem infrà cap. 2. 22. poſtula ei & regnum, & mors Adoniæ; ſub eo enim prætextu, quia illa regina, ſuſpicatus eſt Salomon Adoniam regnum affectaſſe, quicquid teneat Abulen. magìs enim hæreo Lyrano, & miniſterium puellæ ſeruiuit pro dote. vide Pined. de rebus Salomonis. lib. 5. cap. 52.

Adonias autèm filius Haggith eleuabatur dicens: ego regnabo poſt patrem meum: fecitquè ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent antè eum: sic fecerat & Abſalom. 2. Reg. 15. 1. *Nec corripuit eum aliquandò pater ſuus*, Dauid ſciẽs, *dicens: Quarè hoc feciſti?* ſcilicèt de curribus, equitibus, viris, non de regno: dicit enim, *feciſti*, quod verbum ad regnum non aptatur, quod non dùm ſumpſerat. sìc nequè Amnon, 2. Reg. 13. 21. cùm autèm audiſſet Rex Dauid verba hæc, contriſtatus eſt valdè, & noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniàm diligebat eum, quia primogenitus erat ei. Credo autèm Dauid non corripuiſſe Adoniam, quia facta illa conueniebant filio regis primogenito, proùt & Abſalom; sìc non corripuit Amnon, fortè quia immedicabile erat vulnus, & malum illud refricare. Verſ. 11. *Dixitquè Nathan*, &c. fungitur eodem officio, quo Rebecca cùm Iacob, Gen. 27. Verſ. 20 *Verumtamèn*, &c. *vt indices eis quis ſedere debeat*, &c. hæc præfert, nè videatur deſperatis rebus occurrere velle, ſed adhùc integris. Verſ. 12. *Peccatores*, vel aſcribẽtur nobis peccata, vt puniamur; vel afflicti. & Nathã ſuprà verſ. 12. *Salua animam tuam, & filij tui Salomõ*. Verſ. 23. *Et adoraſſet eum pronus in terram*.

eccè

eccè ritus reuerentialis ergà reges; sìc Bethsabee suprà vers. 16. & infrà 31. & 2. Reg. 24. 21. & alibì sæpè, præsertim in Esther. Vers. 30. *Sumpsitquè Sadoc sacerdos cornu olei* sacri *de tabernaculo*, à Dauid erecto. Versic. 41. *Iamquè conuiuium finitum erat*, eccè quomodò letitiæ humanæ misceantur tristibus. Vers. 47. *Et adorauit rex in lectulo suo*, sic Iacob Gen. 47. 31. & Ezechias. Vers. 48. *Benedictus Dominus Deus Israel*, sic Zacharias, & idem Dauid, 1. Reg. 25. 32. & 1. Paral. 29. 10. Vers. 49. *Territi sunt ergò, & surrexerunt*, euenit iuxtà illud. Tempore fœlici multi numerantur amici. Tempora si fuerint nubila, nullus erit. Vers. 50. *Adonias autèm, &c. tenuit cornu altaris*, putans se ibi tutũ, & verè dictum erat de voluntario occisore: ab altari euelles eum, quasi alios tutans. Vers. 52. *Non cadet ne vllus quidèm capillus eius in terram:* hæc prouerbialia ad ostendendam securitatẽ, quibus vsus Christus dicens: & capillus de capite vestro nõ peribit. Vers. 53. *Vade in domum tuam*, quasi esto securus: qui enim dimittitur possidere propria liberè, fit tutus; & habetur similis phrasis: vnusquisque erit sub vite, & ficu sua, hoc magìs placet, quàm, vitam priuatam age.

Ex hoc facto Salomonis vncti, putant aliqui Salomonem cepisse regni gubernacula illicò, intèr quos Pined. de reb. Salom. lib. 2. contrà Abul. At decipiuntur: Nàm Bethsabee loquens regi, dicit: *Pòst te*, vers. 20. Nathan, vers. 27. *Pòst eum*, Dauid vers. 30. *Pòst me*. Et licèt dicat Dauid *Regnabit pro me* vers. 35. *& sedentem in solio meo*, vers. 48. tamèn intelligit gubernaturum regnum pòst eum ex alijs præmissis. Hinc 1. Paral. 23. 24. 25. 26. Dauid pòst constitutum Regem Salomonem distinguit ministeria templi ædificandi per Salomonem, & Leuitas à viginti annis assumendos, & cap. 27. ordines militiarum seruientes Regi Dauid, intèr quos Ioab, & Abiathar. vers. 24. & 34. eiecti à Salomone infrà cap. 3. & cap. 27. conuocatis principibus, &c. manifestat Salomonem electũ à Domino; & Salomoni præcepta dat, & descriptionem templi, referens omnia pòst mortem suam, rogat dari Salomoni cor perfectum, &c. dicens eum tenellum, deindè enumerantur dies regni Dauid vsquè ad mortem eius; qua enumeratione clarum fit, Dauidem sempèr vsquè ad mortem gubernasse, idem dicitur, 3. Reg. 2. 11. & sequitur: Salomon autèm sedit supèr thronum Dauid patris sui, &c.

Non obstat factum cùm Adonia: Nàm illud respicit confirmationem eius vnctionis, non vltrà progreditur. Secundò, timor Adoniæ non reddit certam administrationem Salomonis. Tertiò, illud respicit pacem, & quietem, quod absquè regia administratione fieri decuit, & potuit: at nulla cœdes, nulla molitio, proùt Dauide mortuo. Quartò; & Salomoni vncto multa licuisse credendum, & quis contradixisset facienti? Sed non infertur, Dauidem gubernaculis regni spoliatum, & Salomonem ea suscepisse illo viuente. Quintò, Dauid moriens præscribit ei quid agendum, infrà cap. 2. Sextò, secundò vnctus Salomon, 1. Paralip. 29. 22. quo tempore credendum suscepisse regni gubernacula. Septimò, non petijt sapientiam ad gubernandum nisi mortuo Dauide, 3. Reg. 3. 2. Paralip. 1. Octauò, fortè factum de consensu Dauid.

CAPVT II.

A*Ppropinquauerunt autèm dies Dauid, vt moreretur*, statutum est enim omnibus hominibus semèl mori: *præcepitquè Salomoni filio suo*, &c. dans exemplum patribus morituris præcepta filijs relinquendi, sìc Isaac, Iacob, Moyses, Tobias. Vers. 4. *Si custodierint filij tui, &c. non auferetur tibi vir de solio Israel*, quoniam pòst captiuitatem Babylonicam, nullus vir Dauid, vtiquè cessauit sceptrum tùnc, & factus est locus prophetiæ Iacob Gen. 49. vt ibì dixi, & hòc quia non custo-

dierunt, &c. Vndè non poteſt dici continuaſſe in alia tribu ſceptrum, quia non illa Dauid, non illi aptatur verbum *tibi*. Verſ. 5. De Ioab occidendo, quem ipſe tolerauit, quia fortè non expediebat in eum lege agere ipſo viuente, & in bellis occupato, *quæ fecerit mihi*, quæ illa, ſubdit, *quæ fecerit duobus*, &c. & infrà verſ. 28. ex dictis contrà Ioab interficiendum, *effudit ſanguinem belli*, qui in bello ſolet effundi, *in pace* proditoriè, quod non licebat, & explicans modum, quo homicidia patrauit, ſubdit: *& poſuit cruorem prælij in balteo ſuo, qui erat circà lumbos eius* hærens, non ſeparatus, *& in calceamento ſuo* non à ſe diuiſo, ſed *quod erat in pedibus eius*, quaſi propè, tamquàm amicus, proditoriè: dùm enim inimici percutiuntur, vel eminùs ſauciatur, vel non recipitur ſanguis eorum ſupèr ſe: hìnc excluſa vindicta mortis Abſalonis in bello interêpti, ſic ſanguis eius ſupèr nos, & ſupèr filios noſtros, Matth. 27. ſanguis tuus ſupèr caput tuum, 2. Reg. 1. ſanguis eius ſupèr eum veniet, Oſeæ 12. 14. *Facies ergò iuxtà ſapientiam tuam*, non tibi præſcribo modum, *& non deduces canitiem eius pacificè ad inferos*, ad ſepulchrum, non patieris mori in lecto ſuo, ſed occides gladio. Verſ. 7. De filijs Berzellai, oſtenditur animus gratus Dauidis, qui & pòſt mortem voluit eos beneficijs afficere ad exemplum cuiuſque. Verſ. 8. De Semei, quem non præcipit occidi ex prima cauſa, ſed noua, ideò dicit: *Vir autèm ſapiens es, vt ſcias quæ facies ei*, &c. hìnc Salomõ præcepit ei ne diſcederet de Ieruſalem, & diſcedentem puniuit, & ſic ex noua cauſa: referens tamèn iniuriam paternam, vt in fin. cap & ideò non contrauentum iuramento, cui contrauẽtum eſſet, ſi ex prima cauſa Semei occidebatur; quia dixit Dauid ſimplicitèr. Non morieris; iurauitquè ei, non dixit ergò, non te occidam, ſed pepercit generalitèr, & indiſtinctè, 2. Reg. 19. 23. Verſ. 11. *Dies autèm*, &c. hìnc Salomonem non gubernaſſe viuente patre: ideò & ſubditur verſ. 12. *Salomon autèm*, &c. dixi ſuprà cap. 1. Verſ. 13. *Et ingreſſus eſt Adonias ad Bethſabee*, per mulierem putat faciliùs obtinere; ſic per Euam dæmõ: per matrẽ filij Zebedæi. *Pacificus nè eſt ingreſſus tuus?* quæ pacis ſunt affers? quæris? non quòd timeret ab eo quicquam mali. Verſ. 15. *A Domino enìm conſtitutum eſt ei*, sìc finxit & Chuſai cùm Abſalom, hæc addit, vt videatur alienus à regni affectione, & ſe conformare cùm dictis à Dauid patre reuelante, à Deo datum regnum Salomoni. Verſ. 16. *Nùnc ergò petitionem vnam precor à te; ne confundas faciem meam* rubore, ſi neges, nititur capere Bethſabee; proùt & illa Salomonem verſ. 20. antequàm dicat petitionem; sìc mater filiorum Zebedæi, vel ipſi cùm Chriſto. Verſic. 19. Conſidera reuerentiã Salomonis regis ergà matrem: *ſurrexit in occurſum, adorauit eam; poſitus eſt thronus matri, quæ ſedit ad dexteram eius*. Sic Pſal. 44. aſtitit regina à dextris tuis. Verſ. 21. *Detur Abiſag*, &c. sìc in Acto. Sanet te Ieſus Chriſtus, pro baptiſmo Græcorum: baptizetur ſeruus Chriſti. Verſic. 22. vſquè 26. Denegatio petitionis, & prudentèr magìs, quàm Herodes. Mors Adoniæ, vel ex præſumptione vehementi affectati regni ob petitionem Abiſag in vxorem, & quia ſemèl vſurpauerat regnum; vel præmiſſa inquiſitione iuridica, ex quo & Abiathar eiectus, & Ioab occiſus fautores Adoniæ. Verſic. 26. Eiectio Abiathar Sacerdotis morte digni, cui tamèn pepercit, hìnc nulla tùnc diſtinctio iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ſæcularis, vt per Abulen. *vt* conſequentèr *impleretur* ſermo Domini, &c. 1. Regum 2. 31. Verſic. 28. vſquè 35. Occiſio Ioab, *apprehendit cornu altaris*; ſed non in illo tutus occiſor voluntarius, Exod. 31. nequè imputandum Salomoni, aùt Banaiæ, ſi non fuit auulſus ab altari, quia ſufficit præmonuiſſe, vt ab illo diſcederet, & non obediente locum tutum non fuiſſe, aliòqui ex facto ſuo locus non tutus, fieret tutus, & attendendum principale, quod eſt, vt moriatur, Exod. 21. 14. & exemplum Ioiadæ in Athalia non cogit, quia non illa lex, ſed factum ſatìs prudens, & *amouebis ſanguinem innocentem*, &c. & verſic. 33. 44. 45. hìnc princeps non puniens ſubdit ipſe pœnam. *Et reuertetur ſanguis illorum in caput Ioab*, in eius perniciẽ, *& in caput ſeminis eius in ſempiternum*: eccè quomodò homicida & poſteris præiudicat,

dicat,

dicat, quia eos punit Deus: Ego ſum Deus viſitans, &c. Verſic. 36. De Semei, cui iuſtè præceptum: nàm hominibus malæ famæ præſcribuntur aliqua ad eos continendos, at nùnc cautio de benè viuendo; & sic ex noua cauſa iuſtè occiſus.

CAPVT III.

CONFIRMATVM eſt igitur regnum in manu Salomonis, ex geſtis cap. præced. *& affinitate coniunctus Pharaoni regi Aegypti: accepit namquè filiam eius*, priùs proſelytam factam; vt creditur veriſimiliùs, ne contrafieret Deut. 7. Exod. 3. *& adduxit in ciuitatem Dauid*, in arcem Sion, *donèc*, &c. de domo ei facta infrà cap. 7. 8. Putat Pined. de reb. Salom. lib. 5. Pſal. 44. eſſe epitalamium pro his nuptijs. At agitur ibì ex communi de nuptijs Meſſiæ cùm Eccleſia, & auctor illius Dauid, non Salomon, & multa non conueniùnt Salomoni, quæ non diſtinguo, quia extrà materiam eſt tractatio. Verſ. 2. *Attamèn populus*, &c. & licebat, ſeù permittebatur, quia nondùm ædificatum templum. Serrar. hìc. Verſ. 3. *Dilexit autèm Salomon Dominum*, qui prior dilexerat eum, 2. Reg. 12. 15. diligimus enìm eum, quia primus diligit nos inquit Ioannes, *ambulans*, &c. *excepto*, &c. Dauid enìm immolabat in Ieruſalem. Verſ. 4. *Mille hoſtias in holocauſtum*, non ergò pacificas contrà Abul. Et ſi in Gabaon, non peccauit, quia ſi peccaſſet, non ei apparuiſſet Dominus, vt ſubdit. Verſ. 5. *Poſtula quod vis, vt dem tibi*, non poteſt nòn tradere Deus bonorum amator, vltrò ſe offert; vltrò pulſat. Ego ſto ad oſtium, & pulſo, &c. Et ſi Salomon antè ſomnium poſtulauerat ſapientiam hanc, Sap. 7. & 8. hinc obtulerat in Gabaon, vbi ſomnium, in quo repetijt tantùm, quod antè petierat Vide. Abul. qui negat poſtulaſſe, Serrar. hìc & Pined. de rebus Salom. lib. 3. cap. 8. affirmantes contrà Abul. Vide ad hoc ſomnium Salomonis Perrer. in Dan. cap. 1. q. vlt. Verſ. 9. *Dabis ergò ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere intèr bonum, & malum, quis enim poterit iudicare?* &c. & verſ. 11. *poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendũ iudicium*, & verſ. 12. *dedi tibi cor ſapiens*, &c. eadem habentur, 2. Paralip. 1. Ex quibus dic Salomonem non petijſſe ſapientiam ſimplicitèr, ſed ad regendum tantùm, datam autèm ſimplicitèr à Deo petitiones noſtras extendente ex ſua miſericordia, proùt hìc, & ibì habetur: hoc dixi quia aliqui tenent Salomonem petijſſe ſapientiam abſquè reſtrictione, vti Pined. de reb. Salom. lib. 3. quod eſt contrà verba Scripturæ, & mentem ipſius humilem, quæ petitione ſimplici reputaretur ſuperba: ſapientiam verò puto eadem nocte infuſam, tùm ex verbis Dei: feci: dedi, tùm quia Deus non moratur: dixit, & facta ſunt, potiùs præuenit, tùm ex facto ſubſecuto iudicij intèr meretrices. Sed aduerte regnum conceſſum cùm conditione, *ſi ambulaueris*, &c. quod cùm non fecerit, *proptèr Dauid* non ipſe, ſed filij, & poſteri priuati. Verſ. 16. vſquè ad fin. Controuerſia mulierum ſupèr filio viuo, quæ deciſa ex præſumptione, non quòd intenderet diuidere, habetur in cap. Afferte de præſumptio. *Commota ſunt quippè viſcera eius* sìc & Ioſeph viſo Beniamin. Gen. 43. 30.

CAPVT IV.

ERAT autèm, &c. de ministris,& principibus Salomonis; ditione, magnificentia, sapientia, de quibus, & 2. Paralip. 1. Verſ. 4. *Et Abiathar*, nominatur is, non quia talis, cùm eiectus ab administratione iuxtà dicta Heli 1. Reg. 2. & 2. Reg. 2. Sed antequàm eijceretur: hic enim multa conglobantur temporum diuerſorũ. Verſ.25. De pace, quam explicat. *Habitabat Iuda & Iſrael abſquè timore vllorvnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua*, ſic Gen.49. in Iuda, vbi dixi, &4. Reg. 18.31. Verſ.26. *Quadraginta millia præſepia equorum*. Vt concordet cum 2. Paralip. 9. 25. dicendum præſepium vnum fuiſſe pro vno equo, quia ibi quadraginta millia equorum.

CAPVT V.

MISIT *quoquè Hiram rex Tyri ſeruos ſuos ad Salomonem*, gratulâturus; *audiuit enim*, &c. sic & Dauid cùm Naas filio Hannon, 2. Reg. 10. deindè ſequuntur acta cùm Hiram circà præparationem lignorum templi, & de operarijs vſquè in finem cap. de qua re & 2. Paralip. 2. Verſ. 3. *Et quia non potuerit*, &c. cur Dauid non potuerit, ſubdit proptèr bella imminentia, non dicas proptèr fuſum ſanguinem, vt 1. Paralip. 22. 8. videtur innui, nàm ibi de fuſo ſanguine, & bellis miſtìm ad oſtendendum plures inimicos extare illi, qui poterant impedire, & eſt maior expreſſio, quàm in alijs locis habeatur, non autèm eſt noua ratio, hinc 2. Paralip. 7. 10. dicitur: nèc addent filij iniquitatis, vt affligant eum, vt priùs, & ſimilia ſubdit, 1. Paralip. 22. 9. & Salomon effuderat ſanguinem, & alij. Vide Theodoret. 1. Paralip. 17. enumerantem iuſtos fundentes ſanguinem, & Abulen. 1. Paralip. 17. q. 17. & hic.

At in Pined. de reb. Salom. lib. 5. cap. 5. ſect. 2. ratio ſumpta (vt credo) ex 2. Reg. 7. quòd Deus noluerit ſibi ædificari templum à Dauide, quia volebat ipſe ducere exercitum, reſpicit Deum, & tempora antè Dauid, quandò arca portabatur, & circuibat cùm populo, non autèm reſpicit Dauid, & eius tempora, quibus arca non ſempèr deferebatur in aciem, ſed ſtabat in tabernaculis ædificatis, & templo etiàm ædificato bellabat bella Dominus pro populo ſuo, vltrà quod & templo ædificato poterat non inferri in illud arca, quarè ſtandum in ratione concernente perſonam Dauid, quod proptèr bella imminentia prohibitus fuit, 3. Reg. 5. 3. clarè, & proùt in dicto cap. 7. declaratur non ædificaſſe templum Dauid, quia non ipſe, qui ad alia, ſed filius ad id electus, & ex 1. Paralip. 17. 5. dùm dicitur, nequè enim manſi in domo ex eo tempore, &c. apparet non quæſiſſe ſibi ædificari templum, quia nondùm erat requies populo ſuo, vt & ibi per Abul. q. 17. & eumdem, 1. Paralip. 22. q. 11. 14. 17. 18. & ſeqq. vbi tangit alias rationes, & præſertìm quia neceſſarij tanti operarij, quos Dauid bellis diſtentus non potuiſſet congregare, vndè ſubditur hic verſ. 4. *& non eſt Satan*, &c. Immò nèc Salomon cœpit ædificium, niſi inimicis ſublatis, Abul. 1. Paralip. 28. 9. 21. & 2. Paral. 3. q. 3. vbi latè differit, cur Dauid non ædificauerit, & Salomon pòſt triennium diſtulerit, idem 2. Paral. 6. pòſt q. 8. Prætereà fuſio ſanguinis de illo tēpore non obſeruabatur, vndè & Sacerdotes bellabant, vt dixi, 2. Reg. 23. & tenet Abul. Verſ. 4. *Et non eſt Satan*, aduerſarius, Matth. 16. 23. Marc. 8. 33. quod declarant ſequentia, *nequè occurſus malus*. Verſ. 7. *Benedi-*

Ɛtus.

ctus Dominus Deus hodiè, 2. Paralip. 2. 12. additur Israel, quæ verba sæpè protulit Dauid, vt obseruaui suprà. Vers. 17. *Quos dolauerunt cæmentarij*; sic & 2. Paral. 2. 18. & ideò non auditus malleus in templi ædificatione, infrà cap. 6. 7. vide Pined. de reb. Salomonis lib. 5. cap. 5. sect. 14. num. 91. 2. Paral. 2. additur. Quis ergò poterit præualere, vt ædificet ei dignam domum? Si cœlum, & cœli cœlorum capere eum nequeunt, quantus ego sum, quis ego sum, vt possim ædificare ei domum? *Sed*, &c. sic Paulus Acto. 17. 24. Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli, & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nèc manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitquè, &c. & Stephanus Act. 7. 48. sed non excelsus in manufactis habitat, & infrà cap. 8. vers. 27.

CAPVT VI.

FACTVM *est*, &c. ædificatio templi in monte Moria, in quo Abraham, & Dauid sacrificauerant, 2. Paral. 3. 1. *quadringentesimo, & octogesimo anno*: vide hìc Abul. Serrar. Pined. de reb. Salom. lib. 5. & aduerte ad Pined. non posse dari soli Sauli annos quadraginta in hac computatione, quia ætas Dauid non patitur. Vers. 12. *Domus hæc, quam ædificas, si ambulaueris*, &c. eccè quomodò Deus sèpèr apposuit conditionè, qua non seruata, non mirū si promissa defecerunt. Vers. 38. *Aedificauitquè eam annis septem*, magna celeritate, quia reædificata fuit non tàm pulchra annis quadraginta sex, Io. 2. iuncto 1. Esdr. 3. vbi de luctu eorum, qui primum templum viderant.

CAPVT VII.

DOMVM *autèm*, &c. de domo sua & alijs ædificijs. Vers. 10. *Decem, siuè octo cubitorum*, more hominum loquitur; vide scripta in Euangel. in miraculo in Cana capite 22. Metretas binas, vel ternas.

CAPVT VIII.

TVNC *congregati sunt*, &c. delatio arcæ in templum. Vers. 9. *In arca autèm non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ*, sic & Paralip. 10. At quomodò dicit Paulus de vrna Mannæ, & virga Aaron? Respondeo, loquitur Paulus de tempore Moysis, & de suo tabernaculo; hìc de alio tēpore: quid autèm de illis actum, non apparet, nisi hìc deficere. Vanum est asserere, manna, & virgam non conseruata fuisse intrà arcam, quia est contrà Scripturam id clarè dicentem, vt obseruaui Hebr. 9. ideò non placet quod ex Ribera ibì dicit Pined. de reb. Salom. lib. 5. cap. 5. sect. 24. vers. 10. Non etiàm placet extructo templo alibì urnam, & uirgam transportata ex arca, quia hoc est contrà textum dicentem *in arca* non fuisse *aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ*, quæ uerba proferuntur in tempore transportationis arcæ ad templum, & si ex arca ad alium locum fuissent transportata, fieret mentio tantæ rei: immò non referebat describere quid tùnc foret in ea, quia credidissemus semèl in ea posita contineri, nèc amota fuisse. Vers. 10. De nebula intrà templum miraculosa, quæ cœpit càntantibus Leuitis 2. Paralip. 5. 13.

Vers.

Verſ. 12. *Dominus dixit vt habitaret in nebula*, 2. Paral. 1. ſic enim cœpit Deus manifeſtari, Exod. 19. 9. 16. Verſ. 15. *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, nùnc orat Salomon: ſic & Dauid, & Hiram, & Zacharias. Verſ. 16. cùm ſeq. apparet cur Dauid non ædificauerit templum, quia non ille ad hoc electus, ſed Salomon filius eius, vt dixi ſuprà cap. 5. & habetur 2. Reg. 7. 5. & 2. Paralip. 6. 2. vſquè 12. prohibitus autèm Dauid ob imminentia bella. Verſ. 22. *Expandit manus ſuas*, ſic Abraham: leuo manum meam ad Dominum, &c. Gen. 14. & Paulus: leuantes puras manus: hæc enim eleuatio manuum cælum versùs deſignat recognitionem Dei. Verſ. 23. *Qui cuſtodis pactum*, &c Deus enim verax, & omnis homo mendax. Verſ. 25. *Non auferetur de te vir*, &c. ità tamèn *ſi cuſtodierint*, quod cùm non fecerint, ni mirum ſi ablatum ſceptrum. Verſ. 27. *Ergò ne putandum*, &c. hinc non in manufactis habitat, ſìc Act. 7. & 17. & ſuprà cap. 5. dixi. Verſ. 28. *Reſpice ad orationem*, domus mea, domus orationis vocabitur. Verſ. 30. cùm ſeqq. Dùm petit orationem in templo factā in cælo exaudiri etiàm pro gentilibus, quos adoraturos acceſſiſſe ad templum habetur, Io. 12. Abul. hìc, eſt ſimilis phraſis Chriſti: quæcumque alligaueritis ſupèr terram, &c. ſed aduerte, requirit pœnitentiam, vndè Dauid: Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Verſ. 33. *(Quia peccaturus eſt tibi)* nemo enim tutus, *non enim eſt homo, qui non peccet*, verſ. 46. Verſ. 39. *Quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*, &c. ego ſum Deus ſcrutans renes, & corda. Verſ. 51. *Fornacis ferreæ*, ob ſeruitutem amaram, quia premebantur ab Aegyptijs, 2. Paral. 7. additur, Ignis deſcendit de cælo. ſìc & tempore Moyſis: vide Abul. 2. Paral. 3. q. 7. & cap. 5. q. 40. vbì multa ſimilia & in cap. 7. in prædictis qq.

CAPVT IX.

FACTVM *eſt autèm*, &c. ſìc & 2. Paralip. 7. 11. apparitio ſecunda Dei facta Salomoni, & promiſſio de perpetuitate, ſi ſui cuſtodiſſent præcepta eius, quod cùm non fecerint, venerunt ſupèr eos mala, quæ videmus, & domus facta eſt in exemplum; ſic & Apoc. 18. de Vrbe Roma in diebus Antichriſti, & Ierem. in Thren. Quomodò ſedet ſola Ciuitas, &c. cap. 1. 1. & cap. 2. 15. Hæccinè, &c. Verſ. 10. De oppidis datis Hiram, & alijs geſtis Salomonis, de quibus, & 2. Paralip. 8. & ibì uerſ. 11. Obſerua noluiſſe Reginam permanere in domo Dauid, eo quòd ſanctificata eſſet, quia ingreſſa eſt in eam arca Domini; quod facit ad reuerentiam ſacrorum. At quòad oppida Hiram obſerua, quia credo liberè in eum translata: ſi enim precario iure tantùm, non diceretur: *Dedit Salomon Hiram viginti oppida*: uerbū enim (dare) importat dominij translationem; neq. de Hiram diceretur, *egreſſus, vt videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei*, nèc nominaſſet ea, *Terram Chabul*: hæc enim omnia denotant perpetuitatem, & dominium; & adfuit cauſa faciendi hæc in Salomone, quæ exprimitùr ob ea, quæ fecerat Hiram ad ædificationem templi, & fortè in ſatisfactionem, ut dicit Abul. ſi enim data eſſent, ut ex illis fructus reciperet, quia expenderat, ſufficiebat fructus tradere, uel ius ad illos, non loca; & non conqueſtus eſſet, & nominaſſet *terram Chabul*. Vndè non placet opinio Hotomanni relata hìc à Serr. De hoc etiàm tempore non credo cognitum precarium, uel ſimilē contractum temporalem, & ſaltèm non apparet, & Siceleg data fuit Dauid perpetuò, illud tantùm apparet Leuitis datas urbes ad habitandum: Caietanus uerò ex apparitione Dei Salomoni facta æſtimat actum licitum, & quòad ſubditos credendum eſt cauiſſe, ne ſubditi auerterentur à lege Dei. Verſ. 22. Nota non coegiſſe uiros Iſrael ad onera perſonalia, ſeù ſeruilia. Verſ. 26. De claſſe in Ophir, ſeù Tharſis, ſìc & 2. Paralip. 8. 17. at omnia extendi ad claram intelligentiam.

Deut.

Deut.28.Cũq. trãsissemus fratres nostros filios Esau,qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Helath, de Asiongaber,venimus ad iter, quod ducit in desertũ Moab.

1.Par.29.4. Tria millia talẽta auri de auro Ophir,& septẽ millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos parietes tẽpli.

3.Reg.9.26. Classem quoq. fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est iuxtà Ailath in littore maris rubri, in Terra Idumeæ. Misitquè Hiram in classe illa seruos suos viros nauticos, & gnaros maris, cùm seruis Salomonis. Qui cùm venissent in Ophir, sumptũ indè aurum quadringẽtorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.

2.Par.8.17.Tùnc abijt Salomõ in Asiongaber,& in Ailath ad orã maris rubri,quę est in terra Edom. Misit autèm ei Hirã per manus seruorum suorum naues, & nautas gnaros maris, & abierunt cùm seruis Salomonis in Ophir, tuleruntquè indè quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad regem Salomonem.

3. Regum 10.11. Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit de Ophir ligna thyina multa nimis pretiosas,& 22. Non erat argentum, nèc alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis, quia classis regis per mare cum classe Hiram semèl per tres annos ibat in Tharsis, deferens indè aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pauos.

2.Paral.9.10.Sed & serui Hiram cùm seruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina, & gemmas pretiosissimas, & 20. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur, siquidèm naues regis ibant in Tharsis cùm seruis Hiram semèl annis tribus: & deferebant indè aurum, & argentum, & ebur, & simias, & pauos.

3.Reg.22.49. Rex verò Iosaphat fecerat classes in mari, quæ nauigarẽt in Ophir proptèr aurũ;& ire non potuerũt,quia cõfractæ sunt in Asiongaber. Tùnc ait Ochozias filius Achab ad Iosaphat. Vadant serui mei cũ seruis tuis in nauibus, & noluit Iosaphat.

2. Parilipom.20.36. Et particeps fuit, vt facerent naues, quæ irent in Tharsis: feceruntquè classem in Asiongaber. Prophetauit autèm Eliezer filius Dodau de Maresa ad Iosaphat dicẽs: quia habuisti fœdus cùm Ochozia,percussit Dñs opera tua, cõtritæq. sunt naues, nèc potuerunt ire in Tharsis.

Iudith.2.13. De Holoferne. Effregit autèm ciuitatem opinatissimam Melothi; prædauitquè omnes filios Tharsis, & filios Ismael, qui erant contrà faciem deserti, & ad austrum terræ Cellon.

Psal. 47.8. Conteres naues Tharsis.

Psal.71.10. Reges Tharsis,& insulæ munera offerent.

Isai. 2.16.Quia dies Domini exercituum supèr omnes naues Tharsis, & supèr omne, quod visu pulchrum est.

Iere.10.9.Argẽtũ inuolutũ de Tharsis affertur,& aurũ de Ophaz, opus artificis,&c.

Ezech.38.13.Saba,& Dedan,& negotiatores Tharsis, & omnes leones eius dicẽt tibi:Nũquid ad sumenda spolia tu venis? eccè ad diripiendam prædam congregasti multitudinẽ tuam,vt tollas argẽtum,& aurũ, &c.

Ion. 1.3.Surrexit Ionas,vt fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis: & dedit naulum eius, & descendit in eam, vt iret cùm eis in Tharsis à facie Domini: & cap.3. 2. Proptèr hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis. Collige ex præmissis eandem esse regionem Tharsis, quæ Ophir: clarè enìm apparet ex collatione textuum, quos de industria descripsi.

Secundò, puto nauigationem fuisse in Orbem nouum, quem nos nùnc dicimus, tùm quia classis parabatur, in qua seruiebant nedùm serui Salomonis, sed & Hiram; tùm quia ad illam perficiendã tres anni requirebantur: ad nauigationem enìm ad loca propinqua,vel cognita nequè classis, nequè tot viri, nequè tantum spacium temporis necessaria.

Tertiò nauigationem illam amissam, & obscuram redditam, postquàm euersæ naues paratæ à Iosaphat (in quibus, seù classe paranda, expensa erat nimia, & regalis, non priuatorum; & magnum periculum nauigationis.) cùm pòst eum nulla fiat mentio in Scriptura similis nauigationis, quæ posteà adinuenta fuit, præsertìm nostris sæculis à Columbo, & alijs. Vide Pined. de reb. Salom. lib. 4. si plura desideras.

CAPVT

CAPVT X.

SED & *Regina Saba*,&c. de qua & 2. Paralip. 9. magnum exemplum mulieris & Reginæ, & diuitis, ac gloriosæ per longa itinera accedētis videre Salomonem datum Christianis, vt soliciti, ac frequentes sint ad visitandos homines sanctitate famosos, & loca sancta, ac munera deferenda. proùt legimus multos alios fecisse, & nùnc frequentèr fieri à pijs. Eccè enim plusquàm Salomon hic, dixit Christus de seipso, Matt.12.42. Luc.11.31.quod potest ad viros probos, & loca sancta trasferri, & pro illis vsurpari.Et si hæc Regina dicit,*Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coràm te sempèr, & audiunt sapientiam tuam*, & vers.24. *Vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis*, &c. quantò magìs illi, de quibus Christus, Beati oculi,qui vident quæ vos videtis Matth. 13. 16. Luc. 10. 14.

Credo autē Reginā non stetisse diù apud Salomonē, cùm à regno diù abesse non expediret, nec diuturna mansio elicitur ex victimarum immolatione,quia satis fuit semèl vidisse, & ex vna alias ediscere, quicquid dicat Pined. de reb.Salom.lib.5.cap.5. cap. 14. num. 47. qui voluit stetisse per annum: si enim tanta mora fuisset, vtì de notabili re facta esset mentio in Scriptura. Versic. 1. Verba, *in nomine Domini*,reguntur à fama, non à verbo *venit*, famam terminat Salomonis à virtute Dei procedentem, non Reginam venientem: vndè ex hoc nihil potest elici de religione Reginæ, eo magìs quia in correctis adest coma antè verbum, *venit*, & concordat, Eccl. 47. 19.

Fama hac motam Reginam in comperto est hìc,& 2.Par.9. At quia alia, quibus moueri potuerit, non excluduntur: nonvidetur posse tolli,quin ex verisimili coniectura prophetia Balaam persuaderi potuerit, vt differit Cardinalis Baronius. Vers. 9. *Cui complacuisti*, sìc de Christo. In quo mihi benè complacui, de Dauide, qui inuenit gratiam coràm Domino. Vers. 21. & 27. De argento, intellige per hyperbolem. Versic. 22. *Tharsis*, vide supèr hoc scripta per Riberam Ionæ 1. num. 6. cùm seqq.

CAPVT XI.

REX *autèm Salomon adamauit mulieres alienigenas multas amore ardentissimo*, proùt de Sichem cùm Dina, Gen. 34. & de Ionatha cùm Dauid, 1. Reg. 18. 1. Incipiūt eius impinguati,incrassati,dilatati peccata, quorum cùm pœnitētia non referatur, proùt Adam Sap. 10. sed contaminatio in senectute, verisimilius æternalitèr perijsse, proùt tenui in Apoc.c.7.eò magìs,quia peccatū carnis difficultèr purgatur,cùm hæreat carni, & ossibus, præsertim in senecta, de qua fit specialis mentio; sìc & idòlolatria, quæ est peccatum maximum,& in Spiritum sanctum, tribuens dæmoni, quod Deo vero debetur; quæ in eo maior, qui & idòlis templa erexit, ità vt alij eius exemplo magìs mouerentur ad illa colenda: & hoc ne contristaret delicias suas, proùt Adam, & populus Israel cùm Moabitis. Salomonem verò idòlolatria infectum fuisse apparet versic.4. *Vt sequeretur deos alienos*. 5. *Sed colebat Salomon Astarthen,& Moloch*.7. *Tùnc ædificauit Salomon fanum Chamos, & Moloch*. 10. *Præceperat ne sequeretur deos alienos*. 33. *Eo quod dereliquerit me, & adorauerit Astarthen,& Chamos,& Moloch*. Et si Deus hac de causa diuisit regnum in filio suo, vers. 11. & 33. & 2. Paralip. 10. 15. & Eccles.47.22. Et incitari stultitiam tuam, quæ versabatur in idòlòlatria, vt faceres imperium bipartitum,quod durauit sempèr, quid clarius? Vers. 11. *Quia habuisti hoc*,&c.

magna

magna Dei benignitas, qui Salomoni manifestat flagellum, vt resipisceret; & hinc verificatum quod sempèr dixit Deus conditionatè, si præcepta eius seruarent, se cum illis in sempiternum futurum, secùs si ab eo recessissent, & cùm secutum fuerit, quod dixit Deus de scissione regni in Roboam, tanto minus credendum Salomonem pœnituisse. Hæc autèm scissio est principium defectus sceptri in Iuda, vt obseruaui, Gen. 49. in prophetia Iudæ, vt Israelitæ inciperent se erigere ad aduentum Messiæ, & obserua quomodò verificatur: Ego sum Deus visitans iniquitates patrum in tertiam, & quartam generationem, immò & in multas, quia vsquè ad captiuitatem Babylonicam, qua fuit sceptrum in domo Iuda, sempèr sic diuisum mansit regnum; in captiuitate autèm Babylonica, cùm implessent mensuram patrum suorum, penitùs priuata fuit tribus illa sceptro. At sicùt peccata patrum officiunt posteris, ità prosunt bona: ideòque proptèr Dauid & Ierusalem sedem regni electam ab eo, Deus seruauit tribum vnam posteris Dauid vsquè ad captiuitatem Babylonicã, vt eo tempore fieret posteà locus prophetiæ Iacob, Gen. 49. vbi dictum.

Vers. 14. 23. 26. Tres ei Deus suscitat aduersarios, vt vexatio tribueret intellectũ, quod fuit magnũ Dei beneficiũ; & cũ non legatur de pœnitentia, neq. id ei iuuit. Dùm fuit cũ Deo, omnia prosperabantur, postquã discessit, incidit in aduersa: vndè Achior persuadebat Holoferni, vt inspiceret an populus Hebræus declinasset à Deo, Iudith 5. & Balaam Num. 23. 21. dicebat: non est idòlum, &c. & docuit mittere scandalum antè filios Israel. Num. 24 14. Apoc. 3. Dùm vers. 15. dicit Ioab sepelisse, *qui fuerant interfecti*, intellige de suis, ex cœde de Idumæis sumpta, non de Idumæis, quorum sepulturæ eius nihil intererat, quales autèm interfecti illi, an dimissi ad præsidium, an alij, incertum. *Salomon constituerat* Ieroboam *præfectum supèr tributa vniuersæ domus Ioseph* causa ædificij Mello imposita, & hinc argue fuisse opus magnum, & præmisisse de Mello alia de causa, non quod præfecerit eum operi Mello, quia de hoc nihil habemus. Cùm autèm ad aures Salomonis peruenisset actus Ahiæ Silonitis cùm Ieroboam, qui magis eum afflixit præmonitum à Deo se daturum regnum seruo suo, vers. 11. propptereà, *voluit Salomon occidere Ieroboam: qui* huius rei conscius *aufugit*, & subtraxit se ab imperio Salomonis, & hoc modo credo leuasse *manum contrà Regem*, & rebellasse, postquàm non apparet vel bellum Salomoni intulisse, vel quicquam contrà eum machinatum esse: sed Scriptura vtitur illis phrasibus, quia scopus erat nominare eos, quos suscitauerat Deus contrà Salomonem: vel dic rebellasse animo, vel aliquo signo dato. Quòad scissuras decem, sic à scissione vestis totum regnum à Saul transferendum dixit Samuel Sauli, 1. Reg. 15. 28. Obserua etiàm lapsum Salomonis à carnalibus cœpisse, & ab ijs in profundum idolòlatriæ, & omnium peccatorum grauissimorum demersum, quod contingit pluriès ijs, qui in hæresim nostris temporibus labuntur, vt proptèr carnalia quodque vitium arripiant, etiàm magiam, & idolòlatriam. Sed quomodò vna tribus tantùm remansura, cùm duæ sint, Iuda, & Beniamin? Respondeo vnam dicit remansuram, nempè Beniamiticam, quam designat faciens mentionem Ierusalem; cuius illa erat, & in qua habitabat, dominaturo, & remansuro in Iuda, cuius ille erat: hinc mentio Dauid eiusdem tribus; ni mirum, si de vna tantùm agit verbis, facto de duabus, cùm pallium in duodecim partes, quarum decem tantùm Ieroboam assignat; remanebit ergò vna dominaturo in Iuda. Et cùm dicat Ieroboam supèr Israel dominaturum, necessariò infert filium Salomonis supèr Iuda, quia hæc duo sceptra semèl diuisa fuerunt intèr Dauid, & Isboseth per septem annos cùm dimidio. Vndè non placet Beniamiticam annexam quasi non tribum ad paruum numerum redactam sub Iudicibus, quia de hoc tempore creuerat, & erat numerosa, & nomen tribus retinebat, proùt aliæ. Vers. 40. Aliud peccatum Salomonis interficiendi Ieroboam, quod non apparet expurgatum, cùm Ieroboam exul fuerit, donèc mortuus est, vndè inclino non esse saluatum.

Adde exactiones grauissimas, quibus populum onerauit, quæ durarunt vsquè ad

eius

cùm Hebræis nunquàm facta talis gentium vnio; & Tyry adhùc ciues tempore Christi, vt in Chananæa pro filia agente.

CAPVT XXIV.

ECCE *Dominus dissipabit terram* omnē in die iudicij vniuersalis, *& nudabit eā* hominibus,& omnibus mistis,*et affliget faciem eius, & disperget habitatores eius*, quia vnus assumetur, & vnus dimittetur, & quia percussio vniuersalis erit, etiàm supèr pastores, & greges dispergentur, vt dixit Christus, & Michæas 3. Reg. vlt. ideò subdit. *Et erit*, &c. omnes æquabuntur, & nulla erit personarum acceptio, opera tantùm respicienda. *Dissipatione dissipabitur terra tota, & direptione prædabitur*, vt in bello, nèc poterat dare simile aptius in actionibus humanis. *Dominus enim locutus est verbum hoc*, & erit. *Luxit* Matth. 24. 30. & tùnc plangent omnes tribus terræ, *& defluxit terra* defecit, *& infirmata est*, depressa, *defluxit orbis* hinc de die iudicij agi, *infirmata est altitudo* fastus, primores *populi terræ* vniuersæ. *Et terra infecta est ab habitatoribus suis*, peccantibus, & Dauid: terra infecta est in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum, *quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius* aliud ex eorum capite sibi constituentes, *dissipauerunt fædus sempiternum*, custodiæ mandatorum Dei; alludit ad pactum in monte Sinai de lege seruanda, quod baptizati pro lege Euangelica inirent: *Proptèr hoc* ob violationem legum *maledictio* à Deo indicta *vorabit terram*, sic Gen. 3. maledicta terra in opere tuo, *& peccabunt* in extremis illis diebus Antichristi *habitatores eius: ideòque insanient cultores eius*, in vanitatibus, & idolòlatria, Antichristus enim omni arte procurabit adorari Apoc. 13. *& relinquentur homines pauci*, ob bella, homicidia, quæ patrabit Antichristus, vel fideles, quia erit tanta tribulatio, vt in errorem inducantur (si fieri posset) etiàm electi, & Luc. 18. filius hominis veniens, putàs inueniet fidem in terra? *Luxit vindemia*, nùnc vult docere, quomodò omnia dolore plena, & luctu, & incipit ab his, in quibus solemus lætari, nempè vindemia, & dicit nedùm lætam, sed luctuosam futuram, & sic de singulis, cùm & quæ dulcia erant, amara fient. *Attrita est Ciuitas vanitatis*, totus orbis idolòlatriæ tempore Antichristi deditus; idolòlatria vanitas, quia idòlum nihil; hoc & ad Ierusalem solam, vt infrà. Non potest intelligi de Roma, quæ in aduentu Antichristi arsa erit, Apocalip. 17. de qua re pluribus alibi. Vndè tutius est de toto orbe intelligere, postquàm de illo subuertendo agitur. Posset intelligi de Roma, si illam præmittas, at hìc agitur de tempore iudicij, & sub Antichristo, non antè, *clausa est omnis domus nullo introeunte* repetit alio modo, quod dixerat de paucitate hominum, & prosequendo eamdem materiam; *clamor erit supèr vino*, & omnibus edulijs *in plateis*, quia insurget penuria, & fames, *quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum* in toto orbe, quòad penuriam, & paucitatem hominum, tot enim remanebunt pòst Antichristi clades, *quomodò si paucæ oliuæ, quæ remanserūt. excutiantur ex olea* iam excussa, *& racemi, cùm fuerit finita vindemia*, hi sic remanentes *leuabunt vocem suam, atquè laudabunt*, gratias Deo agentes à tanta calamitate liberi, *cùm glorificatus fuerit Dominus hinnient* lætabundi *de mari* de toto orbe Antichristo occiso, & debellato. *Proptèr hoc in doctrinis* alios edocentes; docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Matth. vltimo, quod ad Apostolos, & Apostolicos viros videtur referendum; hìncque hæc accommodantur pòst desolationem Ierusalem à Romanis; *glorificate Dominum in insulis maris*, in quibus salui educti à persecutione, vel in toto orbe; & sic hæc ad Apostolos, & pòst captiuitatem Ro-

manorum, *nomen Dei Israel. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti* Christi victoris; & debellatores Antichristi, *& dixi* horribilia audiens; *secretum meum mihi; secretum meum mihi*, non sunt hæc alijs propalanda, non proijciendæ margaritæ antè porcos; vel non possum ea referre: at videns iniquitates tùnc extantes: in spiritu, subdit admirans, & condolens. *Væ mihi præuaricantes*, ad quæ mala homines proruperunt; sed quæ pœna instat *formido, & fouea, & laqueus supèr te, qui habitatores terræ, & erit* sic: *qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo*, idest nullum erit effugium: similis phrasis de euadente leonem, incidente in Vrsum Amos 5. de laqueo in Psal. laqueus contritus est, & nos liberati sumus, *quia cataractæ de excelsis apertæ sunt*, alludit ad tempora diluuij, in quibus nemo saluus prætèr octo animas, *& concutientur fundamenta terræ*, & consequentèr homines corruent, quod prosequitur declarare. *Confractione*, &c. *& grauabit eam iniquitas sua*, suprà versic. 5. *& non adijciet, vt resurgat*, quia renouabitur Roman. 8. *Et erit: In die illa visitabit Dominus supèr malitiam Cœli in excelso* solem; lunam, astra Deuteronom. 17. Ierem. 19. Isaiæ. 40. quia & illa immutabuntur vnà cùm omnibus elementis 2. Pet. 3. *& supèr reges terræ, qui sunt supèr terrã*, vel vt ostendat nullum immunem, vel ad proterendam superborum exaltationem: in his verbis de iudicio, quia subdit de pœna. *Et congregabuntur* mali iudicati, *in congregatione vnius fascis in lacum* inferni, *& claudentur ibì in carcere* perpetuò, nunquàm exituri, ideò dicit, *& pòst multos dies*, idest infinitos, in æternum, *visitabuntur* pœnis intolerabilibus, sic in Euangelio. Alligate eos in fasciculos ad comburendum, vide Apocalip. 19. 20. *Et erubescet Luna, & confundetur Sol*, obscurabuntur, non dabunt lumen suum circà dies iudicij, *cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem* cælesti; depositis omnibus aduersarijs 1. Corinth. 15. *& in conspectu senum suorum* Sanctorum, senes, quos tu nosti *fuerit glorificatus*, in pace æterna cùm his staturus, & laudes, & gratias recepturus, de his senibus perfectis, prudentibus, qui euaserunt mundum, carnem, diabolum Apoc. 4. non enim ibi verè senes, sed figuratè.

Posset & hoc caput intelligi de Ierusalem, strictè ad eam capiendo *terram, orbem*, & alia in desolatione facta per Vespasianum, & Titum vsquè ad versic. 21. præsertìm quia in sequenti cap. 25. de eadem, quasi corollariè; & deindè à versic. 21. vsquè ad finem de diebus iudicij, & nouissimis: sicùt in Euangelijs hæc duo confunduntur, & simùl tractantur, & fortè hic intellectus tutior, vide ad hoc caput, & seqq. dicta per Alcasar Apocalip. 20. nota. 4. alitèr differentem.

CAPVT XXV.

DOMINE *Deus meus es tu* postquàm propheta tot retulit secutura magna, & terribilia, ad Dei laudes recurrit, sìc Christus pòst multa. Confiteor tibi pater, &c. *Exaltabo te, & confitebor nomini tuo*, te laudabo, *quoniàm fecisti mirabilia, cogitationes antiquas*, quas tu cogitasti, & promisisti Patribus antiquis nostris. *fideles* tutas, veras, quas adimpleuisti, præsertìm de Messia mittendo, quod est principale in prophetia. *Amen* ità verè: cogitatio antiqua Dei fuit de salute hominum pòst lapsum Adæ, quam manifestauit Genesis 3. hìnc Agnus occisus ab origine mundi, quia tùnc cœpit salus, & hoc est, quod Deus impleuit, vndè non hìc de Beatis, sed de hoc implemento, quod expectarunt Patres, & totus orbis. *Quia posuisti Ciuitatem* Ierusalem rebellem,

lem, Christum suum occisuram *in tumulũ*, non ergò orbẽ, quia orbis arefaciẽdus, & incinerandus, non in tumulum reducendus, *vrbem fortem in ruinam, domum alienorum*, quæ non habitetur ab Hebræis, sed exteris, *vt non sit ciuitas, & in sempiternũ non ædificetur*, sic Dan. 9. 26. 27. vbi perpetua desolatio; in alio enim situ reædificanda, vel *in sempiternum*, idest, ad aliquod tempus: ex his intellectus de Ierusalem, quem dixi cap. præced. videtur melior. Sancti verò lætantur in iustitia Dei, lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. *Supèr hoc*, hac illius ciuitatis desolatione rebellis, & contumacis Ierusalem, *laudabit te populus fortis*, Romanus, *Ciuitas gentium robustarum*. Daniel. 9. 26. Populus enim Romanus ex pluribus collatus, *timebit te*, colet te, ad quam regnum transferes, sic Christus: auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius, vel populus electus, Christianus, ex duobus populis electus. *Quia* repete, exaltabo te, *quia factus es fortitudo* nascendo, & moriendo *pauperi*, *fortitudo egeno*, naturæ humanæ, quæ aliundè non poterat habere auxilium, *in tribulatione sua*; peccatorum, quibus grauabatur; *spes* factus es *à turbine* vehementi, *vmbraculum ab æstu* ineuitabili, *spiritus* ira, vis *enim robustorũ*, diaboli, mundi, carnis est *quasi turbo impellens*, deijciens sua vi *parietem*, Vel (stando in primo dicto) quia in obsidione Ierusalem per Romanos, *factus es fortitudo pauperi*, &c. cùm fideles tùnc habuerint significationem fugiendi ab arcu, & in Pellam se retraxerint salui. Vel intellige generalitèr de protectione Dei ergà pauperes, pupillos, viduas, de quibus in præced. capit. egit, hoc enim epilogat præcedentia omnia. At è conuersò, *sicùt æstus in siti*, qui eam auget *tumultum alienorum*, à te quales hi sint, *humiliabis*, deprimes, & *quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies*, vel hæc in iudicio, vel in Ierusalem, vel simplicitèr, & vniuersè ad omnia præcedentia comprehendenda, quod censeo aptius. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis* sufficientèr *in monte hoc* Sion, & pressius Caluariæ, *conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ*, puræ. non hæc ad gloriam cœlestem, quia non omnibus populis illa data, non ad corporalia, non ad sacramentum corporis, & sanguinis, sed ad mortem Christi, & sic ad spiritualia, morte enim sua in monte salus omnibus populis reddita sufficientèr; & cõgruunt subsequentia, quæ spiritualitatem aperiunt, & declarant præcedentia. *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati*, idest, vinculum peccatorum *supèr omnes populos*, quia nullus excipiebatur, & *telam, quam orditus est supèr omnes nationes*, quibus mors æterna instabat, deleto chirographo, quod contrà eos erat Christi morte. *Præcipitabit*, magis explicat, *mortem* incursam ab Adam citrà; quam sua morte vincet; absorta est mors in victoria, &c. *in sempiternum*, nunquàm reuixuram, & dominaturam, & *auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra*; erat enim totus mundus in mœrore, & opprobrio ob peccata, *quia Dominus locutus est* omnipotens ille. *Et dicet*, omnis homo prudens, *in die illa, Ecce Deus noster iste, expectauimus eum*, in eum credentes, & *saluabit* pro saluauit, *nos: iste Dominus. Sustinuimus eum* per multa sæcula, *exultabimus, & lætabimur in salutari eius*, quod nobis præstitit, in quo sumus liberi effecti. *Quia requiescet* vincens, & & liberans *manus* potentia *Domini in monte isto: & triturabitur Moab*, potentia diabolica sub eo victore, & triumphatore, palàm dæmones in triumphum traducente, *sicutì teruntur paleæ in plaustro*, quæ in minimas partes diuiduntur. *Et extendet manus suas sub eo*, potentias, pœnas inferendo, *sicutì extendit manus ad natandum* omni vi, & spiritu, nè demergatur, ad illum conterendum, & subijciendum, & *humiliabit gloriam eius* fastum, qui in mundo voluerit adorari, & detrahetur in infernum, indè non egressurus, nisi sub Antichristo Apocalip. 20. *Cùm allisione manuum eius* potentiæ eius, portarum inferi, vndè: ego vici mundum; princeps huius mundi iàm iudicatus est, eij-

manorum, *nomen Dei Israel*. *A finibus terræ laudes audiuimus*, *gloriam iusti* Christi victoris; & debellatores Antichristi, *& dixi* horribilia audiens; *secretum meum mihi*; *secretum meum mihi*, non sunt hæc alijs propalanda, non proijciendæ margaritæ antè porcos; vel non possum ea referre: at videns iniquitates tùnc extantes in spiritu, subdit admirans, & condolens. *Væ mihi prauaricantes*, ad quæ mala homines proruperunt; sed quæ pœna instat *formido*, *& fouea*, *& laqueus supèr te*, *qui habitator es terræ*, *& erit* sic: *qui fugerit à voce formidinis*, *cadet in foueam*, *& qui se explicauerit de fouea*, *tenebitur laqueo*, idest nullum erit effugium: similis phrasis de euadente leonem, incidente in Vrsum Amos 5. de laqueo in Psal. laqueus contritus est, & nos liberati sumus, *quia cataractæ de excelsis apertæ sunt*, alludit ad tempora diluuij, in quibus nemo saluus pratèr octo animas, *& concutientur fundamenta terræ*, & consequentèr homines corruent, quod prosequitur declarare. *Confractione*, &c. *& grauabit eam iniquitas sua*, suprà versic. 5. *& non adijciet*, *vt resurgat*, quia renouabitur Roman. 8. *Et erit*: *In die illa visitabit Dominus supèr malitiam Cœli in excelso* solem; lunam, astra Deuteronom. 17. Ierem. 19. Isaiæ. 40. quia & illa immutabuntur vnà cùm omnibus elementis 2. Pet. 3. *& supèr reges terræ*, *qui sunt supèr terrã*, vel vt ostendat nullum immunem, vel ad proterendam superborum exaltationem: in his verbis de iudicio, quia subdit de pœna. *Et congregabuntur* mali iudicati, *in congregatione vnius fascis in lacum* inferni, *& claudentur ibì in carcere* perpetuò, nunquàm exituri, ideò dicit, *& pòst multos dies*, idest infinitos, in æternum, *visitabuntur* pœnis intolerabilibus, sic in Euangelio. Alligate eos in fasciculos ad comburendum, vide Apocalip. 19. 20. *Et erubescet Luna*, *& confundetur Sol*, obscurabuntur, non dabunt lumen suum circà dies iudicij, *cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion*, *& in Ierusalem* cælesti; depositis omnibus aduersarijs 1. Corinth. 15. *& in conspectu senum suorum* Sanctorum, senes, quos tu nosti *fuerit glorificatus*, in pace æterna cùm his staturus, & laudes, & gratias recepturus, de his senibus perfectis, prudentibus, qui euaserunt mundum, carnem, diabolum Apoc. 4. non enim ibi verè senes, sed figuratè.

Posset & hoc caput intelligi de Ierusalem, strictè ad eam capiendo *terram*, *orbem*, & alia in desolatione facta per Vespasianum, & Titum vsquè ad versic. 21. præsertìm quia in sequenti cap. 25. de eadem, quasi corollariè; & deindè à versic. 21. vsquè ad finem de diebus iudicij, & nouissimis: sicùt in Euangelijs hæc duo confunduntur, & simùl tractantur, & fortè hic intellectus tutior, vide ad hoc caput, & seqq. dicta per Alcasar Apocalip. 20. nota. 4. alitèr differentem.

CAPVT XXV.

DOMINE *Deus meus es tu* postquàm propheta tot retulit secutura magna, & terribilia, ad Dei laudes recurrit, sic Christus pòst multa. Confiteor tibi pater, &c. *Exaltabo te*, *& confitebor nomini tuo*, te laudabo, *quoniàm fecisti mirabilia*, *cogitationes antiquas*, quas tu cogitasti, & promisisti Patribus antiquis nostris. *fideles* tutas, veras, quas adimpleuisti, præsertìm de Messia mittendo, quod est principale in prophetia. *Amen* ità verè; cogitatio antiqua Dei fuit de salute hominum pòst lapsum Adæ, quam manifestauit Genesis 3. hìnc Agnus occisus ab origine mundi, quia tùnc cœpit salus, & hoc est, quod Deus impleuit, vndè non hìc de Beatis, sed de hoc implemento, quod expectarunt Patres, & totus orbis. *Quia posuisti Ciuitatem* Ierusalem rebellem,

lem, Christum suum occisuram *in tumulũ*, non ergò orbẽ, quia orbis arefaciẽdus, & incinerandus, non in tumulum reducendus, *vrbem fortem in ruinam, domum alienorum*, quæ non habitetur ab Hebræis, sed exteris, *vt non sit ciuitas, & in sempiternũ non ædificetur*, sic Dan. 9. 26. 27. vbi perpetua desolatio; in alio enim situ reædificanda, vel *in sempiternum*, idest, ad aliquod tempus: ex his intellectus de Ierusalem, quem dixi cap. præced. videtur melior. Sancti verò lætantur in iustitia Dei, lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. *Supèr hoc*, hac illius ciuitatis desolatione rebellis, & contumacis Ierusalem, *laudabit te populus fortis*, Romanus, *Ciuitas gentium robustarum*. Daniel. 9. 26. Populus enim Romanus ex pluribus collatus, *timebit te*, colet te, ad quam regnum transferes, sic Christus: auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius, vel populus electus, Christianus, ex duobus populis electus. *Quia* repete, exaltabo te, *quia factus es fortitudo* nascendo, & moriendo *pauperi*, *fortitudo egeno*, naturæ humanæ, quæ aliundè non poterat habere auxilium, *in tribulatione sua*; peccatorum, quibus grauabatur; *spes factus es à turbine* vehementi, *vmbraculum ab æstu* ineuitabili, *spiritus* ira, vis *enim robustorũ*, diaboli, mundi, carnis est *quasi turbo impellens*, deijciens sua vi *parietem*, Vel (stando in primo dicto) quia in obsidione Ierusalem per Romanos, *factus es fortitudo pauperi*, &c. cùm fideles tùnc habuerint significationem fugiendi ab arcu, & in Pellam se retraxerint salui. Vel intellige generalitèr de protectione Dei ergà pauperes, pupillos, viduas, de quibus in præced. capit. egit, hoc enim epilogat præcedentia omnia. At è conuersò, *sicùt æstus in siti*, qui eam auget *tumultum alienorum*, à te quales hi sint, *humiliabis*, deprimes, *& quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies*, vel hæc in iudicio, vel in Ierusalem, vel simplicitèr, & vniuersè ad omnia præcedentia comprehendenda, quod censeo aptius. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis* sufficientèr *in monte hoc* Sion, & pressiùs Caluariæ, *conuiuium pinguium*, *conuiuium vindemiæ*, *pinguium medullatorum*, *vindemiæ defæcatæ*, puræ. non hæc ad gloriam cœlestem, quia non omnibus populis illa data, non ad corporalia, non ad sacramentum corporis, & sanguinis, sed ad mortem Christi, & sic ad spiritualia, morte enim sua in monte salus omnibus populis reddita sufficientèr; & cõgruunt subsequentia, quæ spiritualitatem aperiunt, & declarant præcedentia. *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati*, idest, vinculum peccatorum *supèr omnes populos*, quia nullus excipiebatur, *& telam, quam orditus est supèr omnes nationes*, quibus mors æterna instabat, deleto chirographo, quod contrà eos erat Christi morte. *Præcipitabit*, magis explicat, *mortem* incursam ab Adam citrà; quam sua morte vincet; absorta est mors in victoria, &c. *in sempiternum*, nunquàm reuixuram, & dominaturam, *& auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie*, *& opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra*; erat enim totus mundus in mœrore, & opprobrio ob peccata, *quia Dominus locutus est* omnipotens ille. *Et dicet*, omnis homo prudens, *in die illa*, *Eccè Deus noster iste*, *expectauimus eum*, in eum credentes, *& saluabit* pro saluauit, *noster iste Dominus*. *Sustinuimus eum* per multa sæcula, *exultabimus*, *& lætabimur in salutari eius*, quod nobis præstitit, in quo sumus liberi effecti. *Quia requiescet* vincens, & & liberans *manus* potentia *Domini in monte isto*: *& triturabitur Moab*, potentia diabolica sub eo victore, & triumphatore, palàm dæmones in triumphum traducente, *sicutì teruntur paleæ in plaustro*, quæ in minimas partes diuiduntur. *Et extendet manus suas sub eo*, potentias, pœnas inferendo, *sicutì extendit manus ad natandum* omni vi, & spiritu, nè demergatur, ad illum conterendum, & subijciendum, *& humiliabit gloriam eius* fastum, qui in mundo voluerit adorari, & detrahetur in infernum, indè non egressurus, nisi sub Antichristo Apocalip. 20. *Cùm allisione manuum eius* potentiæ eius, portarum inferi, vndè: ego vici mundum; princeps huius mundi iam iudicatus est, eij-

CAPVT XXVII.

IN *die illa* aduentus, & mortis Christi, in qua dæmon ligatus in inferno per mille annos, vel in iudicio vniuersali perpetuò, *visitabit* ad pœnam *Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti supèr Leuiathan serpentē vectem*, fortem, *& supèr Leuiathan serpentem tortuosum*, malitiosum, callidum Gen. 3. 1. *& occidet cetum* diabolum *qui in mari est* in mundo, at de mare, quia figuratur sub ceto; sic Apocal. 13. de bestia de mari ascendente: occidet autèm ad inferos transmittendo per annos mille in morte, vndè surrecturus tempore Antichristi, in iudicio, nunquàm; ibi enim tùnc ligandus æternalitèr Apoc. 20. videtur tamèn ex sequentibus agi de prima eiectione per passionem; & quia eijciendus de mari, idest de mundo, & is mundus tempore iudicij non erit, sed renouatus, & non ad habitationem. *In die illa vinea meri*, pura Ecclesia, quæ est sinè ruga, *cantabit ei*, gratias agens de passione amara pro ea suscepta, & Leuiathan pulso: hinc etiàm melior intellectus de prima eiectione è mundo. *Ego Dominus, qui seruo eā* defendo, alo, *repentè propinabo ei* defensionem; *nè forte visitetur contrà eam*, ab aduersarijs ad illam conterendam, *nocte, & die seruo eam*, vndè portæ inferi contrà eam non præualebunt, hæc ad Ecclesiam militantem, non triumphantem. *Indignatio non est mihi* contrà eam, quia morte Christi pax successit, *qui dabit me spinam, & veprem in prælio*, vt bellum infestum ei indicam, quasi nullus; *gradiar super eam* amicè protegens, & deindè *succendam eam pariter?* quasi hæc duo contraria non faciam, vel *gradiar supèr eam* conculcando, *& succendam eam paritèr* ad nihilum redigam, *an potiùs* quia mihi grata *tenebit fortitudinem meam* nè illam contrà eam exeram, *faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?* operando iuxtà voluntatem meam, vndè tantò minus ei infestus ero. *Qui ingrediuntur impetu in Iacob*, missi ad prædicandum, volantes sicùt nubes impetuosæ, hi attendendi, hi pacem apportantes: quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona; tùnc enim *florebit & germinabit Israel* in cultu Dei, *& hi implebunt faciem orbis semine* Euangelio. *Numquid* Deus, *iuxtà plagam percutientis se percussit eum?* Israel, qui Christum occidit, aut sicùt Israel *occidit interfectos eius* seruos fideles *sic occisus est?* Israel. *In mensura contrà mensuram cùm abiecta fuerit* vinea, venerit finis eius, mundus finietur, *iudicabis eam* Domine, tùnc enim nulla misericordia, iustitia exercebitur iuxtà mensuram delictorum, *meditatus est* Dominus *in spiritu suo duro* ad iustitiam directo *per diem æstus* iudicij, diei iræ, & furoris, vel in desolatione Ierusalem totali per Romanos pœnas debitas inferre. *Idcircò supèr hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, & iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius*, etiàm si maximum occisionis Mesiæ, *cùm posuerit omnes lapides altaris* templi arsi à Romanis, nō idolorū, quia tùnc in clade Romana non colebantur idòla in Ierusalem, *sicùt lapides cineris allisos* in puluerem redactos, & cùm *non stabunt luci, & delubra* omnia fuerint euersa: loca enim hæc seruabantur in aliqua parte, etsi idòla non adorarentur, & Israel conuersus fuerit ad Dominum, & ipsum solum adorauerit, quod erit in aliquibus vsquè ad Antichristum, & in fine mundi in reliquijs, quæ saluabuntur, & ne confidatis in Ciuitatis fortitudine, *Ciuitas enim munita* Ierusalem desolata erit, *speciosa*, & clara *relinquetur, & dimittetur quasi desertum* non habitabitur, *ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit* tutus, abductus à nemine, *& consumet* mordendo, depalcēdo *summitates* arborum, herbarum *eius*. sic de Babylone suprà. *In siccitate messis illius conterentur* ex qua fames, & penuria, *mulieres* impudentes, *venientes, & docentes eam*, Ierusalem tùnc erunt *non est enim populus sapiens*, qui velit intelligere; ideò mulieres ductrices *propterea non mise-*

miserebitur eius qui fecit eum Dominus *&* *qui formauit eum, nō parcet ei*, sic Michæas, quia repulisti scientiam, ego quoquè repellam te. *In die illa*, parum antè iudicium vniuersale, transit ad alia, quia pòst desolationem Romanam aliud non sequitur, & sìc recurrit ad tempora nouissima; *percutiet Dominus ab alueo fluminis vsq. ad torrentē Aegypti* prodigia faciet in tota Terra promissionis, *& vos congregabimini vnus, & vnus* omnes *filij Israel* reliquię territi prodigijs illis. *Et erit: in die illa clāgetur in tuba magna* per Enoch, & Eliam, & alios, *& venient qui perditi* dispersi *fuerunt de terra Assyriorum*, multi enìm ibì remanserunt, nō reuersi cùm Esdra, Zorobabel, Nehemia, *& qui eiecti erant in terra Aegypti*, & ex alijs locis, reliquiæ enìm omnes congregabuntur, *& adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem*, in Ecclesia Catholica, nàm alia congregatio non est facta: hinc de perpetuis captiuis, qui nunquàm redierunt, agit; nec fiet nisi in fine pòst gentium introitum, & tùnc reliquiæ Hebræorum saluæ fient.

CAPVT XXVIII.

V*AE coronæ superbiæ* regno superbo, *ebrijs Ephraim* decem tribubus, vino deditis, *& flori decidenti*, euanescenti citò perituro, *gloriæ exultationis eius* fastus exultantis *qui erant*, loquitur de præterito ad denotandam certitudinem prophetiæ *in vertice vallis pinguissimæ*, in situ florido, abundanti *errantes à vino*, crapulæ, ebrietati dediti. *Eccè validus, & fortis Dominus*, supèr vos ad conterendum, & disperdendum per Assyrios *sicùt impetus grandinis turbo confringens, sicùt impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum supèr terram spatiosam*, latam, quibus omnibus resisti non potest. *Pedibus conculcabitur* ad maiorem depressionem *corona superbiæ ebriorum Ephraim* tribuum decem, *et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui est supèr verticem vallis pinguium* Samariæ, *quasi temporaneum* præcox *antè maturitatem autumni: quod cùm aspexerit videns, statìm vt manu tenuerit, deuorabit illud*, sìc & vos antè maturitatem celeritèr deuorabimini, consummabimini. *In die illa* conculcationis decem tribuum *erit Dominus exercituum* potens *corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui*, qui est Iuda, & Beniamin; nàm Sennacherib non tanget illum: *& spiritus iudicij* ad benè administrandum, & iudicandum, sedenti supèr iudicium, regi Iuda Ezechiæ, *& fortitudo reuertentibus de bello* victoribus *ad portam* vndè discesserant securi. *Verùm hi quoquè*; duarum tribuum instabiles, *præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt*, etiàm *Sacerdos, & propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem* Dominum omnia contemplantem *ignorauerunt iudicium* iustitiam Dei, quæ supèr eos imminet, vel legem eius, ebrij enim nihil considerant; Ebrietas verò eò creuit. *Omnes enìm mensæ repleti sunt vomitu. sordiumquè, ità vt non esset vltrà locus*, omnia essent his plena. Hæc omnia faciebant in idololatria persistentes, hoc enim peccatum maximum Deo displicens, vigens antè captiuitatem Babylonicam. *Quem docebit scientiam?* Dominus, *& quem intelligere faciet auditum?* quis eorum audiet? *ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus* infantes, incapaces ineptos, indocibiles; Hùc Paulus Heb. 5. 1. Cor. 14. 21. *Quia* & si clarè loquatur Dominus per prophetas, tamèn ipsi non credentes reassumunt verba Dei irrisoriè, & dicunt ad instar, *manda, remanda. expecta, reexpecta, modicum ibì, modicum ibì*, quasi verba mea vana sint, & non adimplenda, at malè eis succedet; *In loquela enìm labij*, vt solent infantes, vel muti, vel irati potiùs non efferentes verba intelligibilia, *& lingua altera*, quæ non intelligetur *loquetur*, non puto hìc de populo altera lingua loquente, minus de varijs linguis Apostolorum agi, quia hìc de flagellis, & à Deo

ad

ad populum istum proùt cap. 33. 19. *cui dixit* clarè, & breuibus verbis primò, *hæc est requies mea*, hoc tantùm à vobis expeto *reficite lassum* pauperũ misertore; *& hoc est meum refrigerium*; quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; in hoc placabor, *& noluerunt audire* contumaces, & peruersi, sic nequè Sodomitæ, qui egeno, & pauperi manum non porrigebant, Ezech. 16. 49. *Et erit eis verbum Domini* secundum, quo prophetæ nomine Domini vtũtur, postquàm primum non audierunt, sed irrident dicentes *manda*, &c. vt eis non credentes, sed illudentes *vadant* vtentes eorum insanis consilijs, *& cadant retrorsùm*, non surrecturi, *& conterantur, & illa queentur*, & *& capiantur*, proùt factum in captiuitate Babylonica, dùm non crederent Ieremiæ. *Proptèr hoc audite verbum Domini viri illusores* irridentes verba prophetarum, *qui dominamini supèr populum meum; qui est in Ierusalem* Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, *dixistis enim, percussimus fœdus cùm morte, & cùm inferno fecimus pactum*, sic facientes nos tutos à morte, & inferno. *Flagellum inundans*, quod prædicitur futurum per Chaldæos *cùm transierit*, *non veniet supèr nos* exemptos, & liberos ab illo, *quia posuimus mendacium spem nostram & mendacio protecti sumus*, quasi hæc omnia mendacitèr, & vana spe freti vobis promittitis; vel à pseudoprophetis vobis ingeruntur. *Idcircò* ad hæc vestra mendacia tollenda *hæc dicit Dominus Deus* benignus, & misericors, qui vestra incredulitate non mouetur ad beneficia promissa deneganda Rom. 3. *Eccè ego mittam in fundamentis Sion* Ecclesiæ *lapidem*, *lapidem probatum* firmum, stabilem, *angularem* duos parietes vnientem, populum gentilem, & Hebræum *pretiosum*, quia Deus, & homo *in fundamento fundatum*, vt concuti non possit, is Messias vos saluaturus. Sed cur Dauid Psal. 117. dicit lapidem reprobatum ab ædificantibus, & Christusmet Matth. 21. Petrus 1. cap. 2. Paulus Rom. 9. & c. 8. & 28. Isaiæ, hic probatum? dic illìc ab illo eum non agnoscentibus, & malè, quibus lapis fuit offensionis, & petrà scandali, hìc in veritate; Vel quia debuit præcedere reprobatio, passio, vt sequeretur probatio, gloria, ideò ipse: nonnè oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? *qui crediderit*, *non festinet*, illum statum visurus, sed expectet iuxtà Habacuc 2. 3. hìnc dici posset, quia prophetia Iacob Genesis 49. à cessatione sceptri vsquè ad aduentum Messiæ erat diuturna, Deus præmonuit expectandum fore, non festinandum, vide scripta Genes. 49. hoc loco vtitur Paulus Roman. 9. Petrus Act. 4. & 1. capit. 2. *Et* nihilominus contrà contumaces, vel rebelles *ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura*, vos quoquè iuxtà vestra opera iudicabo, & flagellabo; nondùm enim iniquitates vestræ completæ sunt, *& subuertet grando* impetuosa, *spem mendacij* mendacem, fallacem, in qua confiditis, *& protectionem*, quam sperabatis *aquæ* tribulationum, quas tùnc immittam, *inundabunt*, superabunt. *Et* tùnc *delebitur fœdus vestrum* aereum, *cùm morte, & pactum vestrum cùm inferno non stabit*, quinimò vtrique subijciemini: *flagellum inundans* captiuitatis *cùm transierit* per vos *eritis ei in conculcationem*, nedùm vos tanget iuxtà vestram spem vanam. *Quandòcunque pertransierit* (transibit enim) *tollet nos: quoniàm manè diluculò pertransibit in die, & in nocte*, vt illud vitare non possitis, adeò erit perpetuum, & fixum, *& tantummodò sola vexatio*, quam tùnc probabitis: *dabit intellectum auditui*, tùnc intelligetis quæ nunc à me auditis mala supèr vos ventura, quæ nùnc vos prætereunt. *Coangustatum est enim stratum, ità vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest*, quasi non dabitur effugium, aut latibulum, aut defensio, quia omnia ad angustiam, ad mensuram, vt suprà dixit, redacta. *Sicùt enim in monte diuisionum*, tempore Dauid contrà Philisthæos. 2. Reg. 5. *stabit Dominus* contrà vos ad puniendum; *sicùt in valle, quæ est in Gabaon*, tempore Iosue, Ios. 10. *irascetur* hinc benè *die, ac nocte* suprà, *vt faciat opus suum*, flagellandi peccatores, & rebelles, sicùt prædixit per prophetas, at *alienum* hoc ab eo, etsi *opus eius*, *vt operetur opus suum*, *peregrinum est opus eius ab eo*, quia potiùs misereri vellet, non vult mortem pecca-

peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. *Et nùnc nolite illudere* verbis illis, manda, &c. *nè fortè constringantur vincula vestra* ducamini captiui, & tempus præcipiatur proptèr hanc illusionem. *Consummationem enim, & abbreuiationem* citò futuram ob has vestras illusiones, sic intelligit suprà de verbo breuiato, & vers. coangustatum, &c. *audiui à Domino Deo exercituum supèr vniuersam terram* Iuda, de qua agit. *Auribus percipite, & audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum*, iuxtà illud operantes, sic Psal. 2. & nùnc reges intelligite, &c. *Numquid tota die*, &c. vsquè ad finem cap. poterant dicere, non videmus flagella, quæ dicis, res nostræ prosperantur; respondet per parabolam exemplo rustici. qui non facit sempèr vnum opus, nequè omnia opera vno modo, sed modò vnum, modò aliud, modò leuiora, modò asperiora, diuersimodè, aptans cuique operi propria; sic Deus non sempèr punit, non sempèr exaltat, modò vnum, modò aliud facit iuxtà exigentiam operum, & peccatorum, propterea vos nè confidamini, flagella euasuros, quia nondùm venerunt, sed tempore ei beneplacito illa expectate, omnia tempus habent, tempus ferendi, &c. verum ex verbis panis, &c. temperat cominata, nempè non esse eos penitùs deleturos, nequè sempèr flagello visurum. *Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit* non à me inuentum, *vt mirabile faceret consilium*, quod in æternum stabit, *& magnificaret iustitiam* vnico negocio, vnico ictu, expectans culmina iniquitatum, & earum complementum; vndè, nondùm completæ sunt iniquitates Amorrhęorum, & Christus: implete mensuram patrum vestrorum, vt maior appareat iustitia, & pœna.

CAPVT XXIX.

VÆ *Ariel, Ariel Ciuitas, quam expugnauit Dauid*, hæc Ierusalem, de cuius ruina agit: *additus est annus ad annum*; tempus ad tempus, diù expectata es ad conuersionem, *solemnitates tuæ*, quas læta in templo faciebas *euolutæ sunt*, transierunt, instat flagellum, & is videtur melior intellectus, quàm quod his denotetur longa captiuitas, cùm nondùm dixerit de illa, præsertim quia proprium est Dei differre, at pro flagello instanti subdit: *Et circumuallabo Ariel*, hìc de desolatione per Romanos, dixit enim Christus Luc. 19. de illa, & circumdabunt te inimici tui vallo, *& erit tristis, & mœrens, & erit mihi quasi Ariel* altare sanguinum ob magnas cœdes in ea fiendas, quod fuit in illa Romana, & cũ agat de pœna inferenda, intellectus supèr verbo *Ariel* diuersè, puta Ierusalẽ *erit mihi quasi Ariel* occidendo Messiam, non congruunt. *Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, & iaciam contrà te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam*, quæ omnia facta sub Romanis, non sub Nabuchodonosor, & prædicta à Christo, sequitur enim apud Lucam 19.43. & circumdabunt te, & coangustabunt te vndiquè, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem supèr lapidem, & cùm de Babylonica præmiserit cap. anteced. verisimilitèr de Romana sequitur, *humiliaberis; de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum, & erit quasi pythonis* exilitèr loquentis *de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit*, sic serui Dauid 2. Reg. 12. 19. hæc omnia ad vnum tendunt, & se inuicem declarant, quasi non audebis, vel poteris hiscere, vocem emittere, adeò opprimeris, vt in obsidione Romana. *Et erit sicùt puluis tenuis*, citò dispergenda, & de facili; nùnc contrà oppugnantes Iudæos *multitudo ventilantiũ* destruentium *te, & sicùt fauilla pertransiens*, volitans *multitudo eorum, qui contrà te præualuerunt*, præteritum pro futuro, *eritquè repentè confestim* ex improuiso, subitò. *A Domino exercituum* potente *visitabitur* ad pœnam *in tonitruo*, &c. quæ omnia denotant celeritatem, de qua præmiserat, & nihil refert dilatio vsquè ad extrema tempora

contrà

contrà Romanos, Num. 24. Apoc. 17. vt aduerti, Genes. 49. *Et erit*, &c. hoc contrà destruentes, qui ad nihilum redigentur, proùt somniantes, qui expergefacti nihil possident, *sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contrà montem Sion*, sic suprà cap. 17. 14. hæc est pars eorum, qui vastauerunt nos, & sors diripientium nos: hìnc contrà Romanos, qui destruxerunt Hebræos Apoc. 17. Daniel 7. Num. 24. 24. præsertim si hìc de Romana captiuitate, proùt teneo. vide Gab. Aluarez. Isa. 34. in prin. *Obstupescite*, &c. insinuat Iudæis, quales futuri sint in ea clade, nempè nullum habentes consilium, aùt remedium *quoniàm miscuit vobis Dominus spiritum soporis*, ad dormitandum, proùt Adæ, Ionæ, & Abraham. De huiusmodi sopore, proùt de induratione Pharaonis à Deo permissa, hic Pintus, & alij *claudet oculos vestros*, hæc cœcitas, de qua sup. cap. 6. ità vt nihil videatis, aùt intelligatis. vndè Christus; quia si cognouisses, & tu, &c. *prophetas, & principes vestros, qui vident visiones, operiet*, hæc in obsidione Romana, in qua nullus propheta verus: in Babylonica Ieremias, Baruch. Dixit *operiet*, proùt tempore Eliæ operti illi septem millia, qui non curuauerunt genua antè Baal, non quod non adessent & tùnc aliqui. *Et erit vobis visio omnium sicùt verba libri signati*, qui legi non potest Apoc. 5. *quem*, &c. exprimit cœcitatem generalem totius populi, siuè scientis, siuè ignorantis, hoc magis verificatur in captiuitate Romana. *Et dixit Dominus: eò quod appropinquat*, &c. Populus hic labijs me honorat, cor autèm eorum longè est à me, Matth. 15. Mar. 7. *& timuerunt me* timere, colere me simulàt, dùm *mandata hominum, & doctrinis* seruiunt, quæ docent: sic enim in Matth. & Marco: sinè causa autèm colunt me, docentes mandata, & doctrinas hominum. Vel *timuerunt me mandato hominum, & doctrinis* seruili timore, fictè, nō filiali amore, non verè ducti, & moti. Vel *timuerunt* coluerunt *me* in *mandato hominum, & doctrinis*, traditionibus legi meæ superadditis, illam destituentibus. Quia hæc ad Pharisæos, & scribas tempore Christi, ideò hìc de captiuitate Romana, præsertim quia nunquàm de idòlis, quæ antè captiuitatem Babylonicam, non Romanam. *Ideò, eccè ego addam* alijs eorum calamitatibus, *vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapientia*, in qua gloriantur, & apud alios famosi sunt *à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur* in Scripturis, hoc vsus est Paulus 1. Cor. 1. *Væ qui profundi estis corde*, quod longè est à Deo, vt à Domino abscondatis cōsilium vestrum prauum ad malum, quorum *sunt in tenebris* peccatorum *opera, & dicunt*, malè agentes, quasi non sit prouidentia Dei, *quis videt nos? & quis nouit nos? Peruersa est*, & abominabilis *hæc vestra cogitatio*, quia oculi Domini omnia contemplantur: *quasi si lutum*, &c. sic & Paulus in simili Rom. 9. 21. quasi si ego vos feci, quomodò contrà me insurgitis, quasi factor vester nō essem. *Nonnè adhùc in modico, & in breui conuertetur libanus*, gentilitas fidelis, *in Charmel*, in Iudæam; *& Charmel* Iudæa *in saltum* infructuosum *reputabitur?* vtì reiecta, & infidelis, quasi, velit dicere, ex assumptione gētilitatis vobis exosæ ad regnū, in quo vos nùnc estis, & abiectione vestra, & cœcitate apparebit Deum scire, & agnoscere iniquitates vestras occultas; dicit *in breui, & modico*, quamuis ad septingentos annos res perducerentur, ex vsu Scripturæ, vt pluriès dixi, & Genes. 49. hìc Hiero. & Sanctius, hincquè agi de captiuitate Romana. *Et audient in die illa surdi verba libri* signati, de quo suprà, & *de tenebris, & caligine* ignorantiæ, & peccatorum abstracti, & liberi, oculi cœcorum gentilium videbunt, Ioan. 9. vndè si spiritualitèr intelligas verba Christi: cœci vidēt, surdi audiunt, &c. dùm hæc Ioanni mandat referri, hæc prophetia impleta erit. *Et addent mites* gentiles, captiuantes intellectum, placidi *in Domino lætitiam*, quæ in eo vera est, cognoscentes se ad viam veritatis ex Dei misericordia peruenisse, *& pauperes* humiles *homines in sancto Israel* Messia, vel Deo *exultabunt*, pauperes euangelizantur, dixit Christus eodem loco: *quoniàm defecit* Israel cœcatus, & insipiens factus, *qui prærualebat* in Dei cognitione, & iustum fuit alium populum eius loco in Deo

cre-

credentem subrogari Apoc. 3. *consummatus est illusor*, vel Deo illudens Israel; vel alijs populis, quos spernebat, videns sapientiam apud se extare, & alteri non communicari, & *succisi sunt omnes, qui vigilabant supèr iniquitatem*, vel malè operando, vel leges iniquas constituendo, vel addendo legi Dei ex eorum capite, *qui peccare faciebant* nouis illis legibus, vel additamentis *homines in verbo*, seducentes eos vaniloquijs, non intrantes ipsi, nèc alios intrare permittentes, vt dixit Christus, & de Philosophis Paulus Rom. 1. *& arguentem eos in porta* in iudicio *supplantabant* nō acquiescentes, *& declinauerunt frustrà à iusto*, ab æquitate iudicij, vel Messia eos arguente, quem in Euangelijs legimus arguentem, & illusum; & pluriès Isaias ponit iustum pro Messia, & Stepha. Acto. 7. *Proptèr hoc hæc dicit Dominus ad domum Iacob* ille Dominus, *qui redemit Abraham*, vocans illum de Vr Chaldæorum: non modò *confundetur Iacob* populus Israel, nèc *modò vultus eius erubescet* videns, quæ dixi, gentilitatem fidelem, *sed cùm viderit filios suos* Apostolos: pro patribus tuis nati sunt tibi filij, *opera manuum mearum* à me electos, & missos, *in medio sui sanctificantes* extollentes *nomen meum*, & ipsi Hebræi *sanctificabunt sanctum Iacob* Messiam promissum Iacob, & ad eos missum, *& Deum Israel prædicabunt*, *& scient errantes* nùnc *spiritu intellectum* verum rerum diuinarum, *& mussitatores* non proferentes liberè linguam rerum diuinarum, Scripturæ *discent legem* veram iustitiæ, euangelicam, diuinam, tùnc enim aliquos Iudæorum conuertendos dicit Paulus Rom. 10. ad hanc emulationem, vndè puto hæc postrema meliùs ad Iudæos, quàm ad gentiles referri, tùm quia de gentilibus egerat, tùm quia cōuertit sermonē ad Iudæos, & quia hìc agitur de vocatione gentium, & Iudæorū particulari conuersione, eò magis firmatur intellectus de captiu. Rom.

CAPVT XXX.

VAE *filij desertores* hæc ad eos, qui remanserunt in Ierusalem ex duabus tribubus, ductis in Babylonem, qui spreta suasione Ieremiæ ex Deo loquētis, noluerunt Aegyptum petere Ierem. 42. & 43. nèc potest intelligi de captiuitate Romana, quia tùnc non miserunt, vel transfugerunt in Aegyptum, qui recessistis à Deo vestro, *dicit Dominus, vt faceretis cōsilium*, &c. sunt clara verba, *& os meum non interrogastis*, &c. vt faceretis quod volebam; interrogarunt quidèm per Ieremiam, sed fictè, nolentes facere, quod ille prophetabat à Domino *in vmbra* protectione *Aegypti*, *& erit*, *&c. in confusionem*, quia ibi capti à Nabuchodonosor iuxtà prophetiam Ieremiæ, *erāt enim in Tani principes tui*, in quibus confidebas; hoc per irrisionem, quasi rectè tibi consuluisti per illos, *& nuncij tui vsquè ad Naues peruenerunt*, verisimile enim nuncios præmisisse, antequàm irent; hìnc infrà de calumnia, & tumultu Aegyptiorum. *Onus* miseria *iumentorum Austri* tribuum duarum harum, iumentis comparatarum ob earum insipientiā, hoc est capere iter, fugere in Aegyptum *in terra* per terram *tribulationis, & angustiæ* desertam, in qua viator passurus famem, & sitim, *leæna, & leo ex eis*, *vipera*, *& regulus volans*, & in qua non est tutum iter à feris, *portantes supèr humeros*, &c. & in vanum *ad populum, qui eis prodesse non poterit*, hæc proponit vates ad eos ab itinere deterrendos. *Aegyptus enim* danda in prędam Nabuchodonosor Ezech. 29. *frustrà, & vanè auxiliabitur* vobis, quæ sibi prouidere non poterit: *ideò clamaui supèr hoc: superbia tantùm est*, consilium hoc ex superbia procedit, non vultis captiuare intellectum vestrum, & credere vos hìc saluandos; vel *superbia*, nolle seruire Chaldæis, *quiesce*, depone animum, crede, non recedas, siste hìc. *Vel superbia tantùm est* Aegyptus; ibi non saluaberis, *quiesce* non recedas; at videntur meliora superiora. *Nùnc ergò ingressus* in secretiora,

scribe

scribe ei supèr buxum, & in libro diligentèr exara illud, & erit in die nouissimo, quandò hæc eis prædicta euenient sub Nabuchodonosor *in testimonium vsquè in æternum*, vsquè ad illud tempus: sic in Euang. in testimonium illis, &c. vndè etsi Ieremias tùnc præsens, tamèn non fit, quin prophetia fiſtat in persona Isaiæ de illo tempore consummanda; *populus enim* malitia plenus *ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces* fingentes velle obedire, dùm nolunt lege. 41. *filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus* prophetis, &c. *loquimini nobis placentia, videte nobis errores* dummodò sint ad mentē nostram, prout Achab. 3. Reg. vlt. *auferte à me viam, &c. cesset à facie nostra sanctus Israel* Deus, nolumus, vias eius, præcepta audire, immò neque nomen, quod horremus: *proptereà hæc dicit sanctus Israel* Deus. *Pro eò, quod reprobastis verbum hoc* manendi in Iudæa, *& sperastis in calumnia, & in tumultu* Aegypti, *& innixi estis supèr eo* me derelicto: *proptereà erit vobis iniquitas hæc*, fugiendi in Aegyptum, *sicùt interruptio cadens, & requisita* diligentèr ad illam obducendam frustrà, *in muro excelso, quoniàm subitò, dùm non speratur*, quasi requisita, & obducta *veniet contritio eius*, sic & vos in momento funditùs peribitis, *quia, &c. si reuertimini*, vel non discedatis, vel à cogitatione discedendi desistatis, *& quiescatis* in solo vestro *salui eritis in silentio* quiete, *& in spe* in Deum erit *fortitudo vestra*, protectio vestra; *& noluistis sic operari, & dixistis: nequaquàm* remanebimus; *sed ad equos* Aegypti, in quibus confidimus, *fugiemus, ideò fugietis* à facie Chaldæorum: *& supèr veloces ascendemus* nè capiamur; at non tutò, nam, & *ideò velociores erunt, qui persequentur vos* Chaldæi *mille homines à facie terroris vnius*, pauebunt, *& à facie terroris quinque fugietis* vos omnes, à paucis numero superabimini; *donèc*, &c. ad paucos deueniatis, & stetis in signum ruinæ, & cladis: sic quomodò persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia. Non possunt hæc ad Sedeciam trahi, quia ipse non fugiebat ad Aegyptios, neque ibi captus cùm alijs, neque alia aptantur, *propterea*, quia hæc vobis secùs facientibus euenient mala comminata, *expectat Dominus* misericors tempus ei beneplacitum, quod erit pòst captiuitatem Babylonicam, *vt misereatur vestri; & ideò exaltabitur parcens vobis*, & sic in misericordia sua; Non placent alij intellectus recentiorum, sunt quidē alieni, nèc indigent confutatione, & confidere *potestis, quia Deus iudicij* verax, obseruans *Dominus* non fraudabimini, *beati omnes, qui expectant eum* sperantes, & confidentes in eum, qui nunquàm deficit etiam peccatoribus, Rom. 3. *Populus enim Sion habitabit in Ierusalem* pòst captiuitatem Babylonicam, *plorans*, nùnc, & timens à Chaldæis *nequaquàm plorabis* reductus ad terram tuam, *miserans miserebitur tui*, Dominus nolens perditionem tuam: *ad vocem clamoris tui* timentis, & in angustia positi, tùnc enim cognoscimus vndè auxilium procedat: *statim vt audierit, respondebit tibi*, non tardabit auxilium suum, sic & cap. 64. 24. *& dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem* in Aegypto, & in Babylonia, famem sustinentibus, sicùt suprà dixit *plorans*, & sic miscet tristia lætis, & sistit non euasuros calamitatem prædictam. Vel potiùs in Terra promissionis, pòst reditum à captiuitate Babylonica, nè, si in delicijs mul tis versarentur, iterùm ad idola conuerterentur, nàm dicitur in Psalmo: impinguatus, incrassatus, dilatatus: Si verba hæc referas ad tempora Antichristi duratura per tres annos cùm dimidio, & tempus pòst illius mortem breue; dies enim illi breuiabuntur proptèr electos, sic & suprà cap. 10. abbreuiationem, &c. & cap. 28. coangustatum; & tùnc saluandæ reliquiæ; Posset dici sub pane arcto, & aqua breui intelligi breuitatem temporis dati ad conuersionem; at sequentia non videntur concordare; *& non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum* prophetas, nè decipiaris, & in tenebras ignorantiæ cadas. *& erunt oculi tui videntes præceptorem tuum* te coràm docentem, erunt hæc certa, *& aures tuæ audient verbum pòst tergum monentis* etiàm dùm te obstinatum reddes eius verbis: vide Albam in cent. cap. 34. *Hæc est via* vera, & bona *ambulate in ea*, nèc dicetis diffidentes, nolumus

viam

niorum, & hærere consilio iuuenum: ideò fatuus dicitur Eccl.47. de malis consiliarijs vide in Euang. de Concilio c.139. Vers. 14. *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei*, at 2. Paralip. 10. minimus digitus meus grossior est lumbis, in quibus robur stat, patris mei, proùt & dorso, vide Riber. Nahum. 2. num. 41. Vers. 15. *Quoniàm auersatus fuerat eum Dominus, &c.* eccè quomodò cor Regis in manu Dei. Sed vide scripta hic q. 6. per Abulen. rectè loquentem; sic Deus permisit Absalonem hærere consilio Chusai,& spernere consilium Achitophel pro salute Dauid. Vers. 16. *Videns itaquè populus*, &c. dura responsio populum abegit, mollis confirmasset, sicùt torrens alueo pleno non potest à cursu rapido diuelli; sic nèc populus, illi obsequendum in tempore, vt dixerunt senes. recedens dixit quod aliàs dictum erat in Saul: Nùm saluare poterit nos iste? 1. Reg. 10. 27. & in Dauid sub Bochri, 2. Reg. 20. 1. Non est nobis pars in Dauid, nequè hæreditas in filio Isai. reuertere in tabernacula tuà Israel. Vers. 18. *Misit ergò Rex Roboam Aduram, qui erat supèr tributa*, non ad illa exigenda, sed ad populum leniendum. At quia ratione officij odiosus erat, hincquè imprudentèr ad populum missus, *lapidauit eum omnis Israel*, quasi liber. Versic. 20. Electio Ieroboam in Regem Israel, populus volubilis existimauit meliorem facere conditionē, & in peiorem incidit, quia idolòlatria infectus, *nèc secutus est quisquam domum Dauid pretèr tribum Iuda solam*, At iunge sequentia,& intelliges etiam Beniamin: vndè cùm illa hæc, & posteà Leuitica ob templum. Vers.24. *A me enim factum est verbum hoc*, hæc scissio: Dominus locutus est, quis resistet ei? Vers. 26. *Dixitquè Ieroboam in corde suo*, &c. vt tutum sibi signum reddat,vt vitet periculum vitæ ex sua suspicione, præbet populo idòla adoranda, & plura: hæc ratio status improba, & diabolica; sìc ratione status, non proptèr Deum mutauit religionem de mala in bonam Rex Sichem, & populus. Gen. 34. alios alibì enumeraui. At dùm putat scelestus via improba consulere perpetuitati regni, deijcitur citò cùm posteritate, & sic contingit omnibus hac via vtentibus, & conculcantibus Iurisdictionem Ecclesiasticam,eamquè præripiētibus quasi dominia illorum conseruaturi, & tutaturi; nàm, qui habitat in cælis, irridet eos, &c. Psal. 2. Eccè autèm malum exemplum Salomonis adorantis idòla: Aaronis, & populi erigentis vitulum; & dicentis proùt hìc: Isti sunt dij tui, &c.

2.Paralip. 11. 13. Sacerdotes, & Leuitæ eiecti à Ieroboam perrexerunt ad Roboam, & perseuerauerunt in vijs Dauid, & Salomonis annis tribus, idest immolando in templo, & iuxtà ritus templi constructi à Salomone, non quòd Salomon nùnc bònus in fine dicatur, vt suprà aduerti.

CAPVT XIII.

ET eccè vir Dei, propheta, *venit de Iuda, non de* Israele infecto idolòlatria, *in sermone Domini* ei facto (sicùt factùm est verbum Domini supèr Ioannem, &c) *in Bethel, Ieroboam stante supèr altare, & thus iaciente*, puniti sunt Core, Abiron, & Ozias rex volentes incensum offerre vero Deo, cùm non esset eorum officium. Versic. 2. *Altare, altare*; locutio hæc ad inanimata videtur magis terrere: plura habes exempla apud Abulensem sed vnum vide apud Ieremiam capit. 22. 29. Terra, terrà, terrà audi sermonem Domini, &c. quasi digniora sint inanimata, quibus cùm verba habeantur, quàm homines, vel illa magìs obeditura, quàm homines. *Eccè filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine*. Iesus, hìc, Ioannes, & Cyrus Isai.45. antequàm nati nominati, obseruaui in Ioanne. Hoc autèm factum ad maiorem certitudinem rerum prædictarum à prophepheta, sic & in illis. Versic. 4. *Et exaruit*

manus eius, 5. *Altare quoquè scissum est, & effusus est cinis de altari*, 6. *Reuersa est manus regis ad eum*, hæc tria miracula, vt crederetur: sunt enim hæc bullæ, seù litteræ patentes, quibus insigniuntur viri à Deo missi. Deut. 18. vndè Apostolis: signa autèm eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo, &c. & vltimò ad maiorem fidem interuenit deprecatio ad Deum, & pòst illam sanitas, vt appareret magìs à quo hæc procederent. At non conuersus Ieroboam, proùt videtur Heliodorus, 2. Machab. 3. Christus sanans in corpore, sanabat & in anima, sìc Apostoli, vt notaui in Actis Apostol. Versic. 8. *Si dederis mihi*, &c. sìc & Balaam Numer. 24. vide quàm abhorreat Deus idolòlatras, sic Ioannes de hæretico, Nec Aue ei dixeris. Versic. 11. Narratur deceptio facta prophetæ Dei ab alio propheta, qui omnia nouerat à filijs, & occisio eiusdem, sed ad insinuandam eius sanctitatem, leo, qui eum occidit, seruauit cadauer, & asinum, & voluit Deus sepeliri, & à propheta referri causam mortis, & eius sanctitatem: vndè non est credendum Ieroboàm putasse se deceptum ex sequutis contrà eum, quia ex primis satis confirmatus erat, & sequentia benè considerata non tollebant prima, sed magis stabiliebant.

Hinc sumendum exemplum, vt probemus spiritus. Dauid ferè deceptus fuit bis à suis, dùm poterat occidere Saul, dicentibus: Hæc est dies, de qua dixit Dominus, dabo in manibus tuis inimicum tuum.

Secundò cauendum, ne malè præsumamus contrà occisos, vel alio modo crudeli morientes: nàm is bonus erat, sìc Iosias bonus, de quo hìc, occisus; de Paulo Barbari Acto. 28. 4. 7. Semei pœnitens ergà Dauid; Amici Iob, Christus Luc. 13. de occisis à Pilato, & à turre Siloe.

Tertiò, quomodò Deus peccata piorum puniat, vt nullam maculam in eis patiatur.

Quartò quanta cura Deo sit corporum Beatorum contrà impios hæreticos ausos ea incendere, & in ea sæuire.

Quintò, obserua, is deceptus, & tamèn occisus, at sic Deus magis confirmauit priora gesta. Ionathas etiàm ignorabat iuramentum paternum, & tamèn ac si incurrisset, vix euasit mortem agente populo. Is propheta fuit imprudens, quia debuerat credere Deum sibi contrarium reuelaturum, si ità voluisset; non enim solet Deus in eodem negocio pluribus vti: vndè Gabriele Angelo solo vsus est in mysterio incarnationis reuelando cùm Daniele, Zacharia, Maria Virgine. Multas rationes vide apud Abulens. quæst. 15. Tu dic aùt prophetam non debuisse propalare præceptum Dei de non comedendo, quia dedit ansam prophetæ eum decipiendi: aùt fuisse nimis credulum. Aùt Deum, qui sic iusserat, voluisse glorificari, & quod ipse dixerat, fieri, & si in credendo non peccasset, quia innotescebat factum maximè Regi, sed non omnibus deceptio: aùt voluisse prophetam hac corona ornare.

Aduerte (dicit Abul. quæst. 19. & 20.) prophetam senem, cui reuelatum prophetam Dei non inferendum in sepulchrum patrum suorum, non intellexisse illum in via occidendum, & tamèn defendit eum fuisse prophetam, quod de Pharaone, & Nabuchodonosor negatur, dicitquè non esse necessarium omnia intelligere in sensu à Deo intento. Vers. 33. Ex tot miraculis *non est reuersus Ieroboam*, difficultèr hæresiarchæ, & noui inuentores mutantur; sic nos recepta gratia, voti obliuiscimur. Vers. 34. *Domus Ieroboam euersa est*, &c. eccè quomodò Deus in idolòlatras agat potentèr, & subitò.

CAPVT XIV.

IN tempore illo ægrotauit *Abia filius Ieroboam*, incipit vexatio, vt resipiscat à peccatis; moritur puer iuxtà prædictionẽ Ahiæ, qui exprobrauit vxori Ieroboã beneficia Dei, & mala eius, prædixit pœnas illi, posteris, populo euenturas, & sic pro peccato Regis punitur & populus peccans eodem peccato, exemplo regis tractus: hisquè poterat à peccato resipiscere, nèc profuit. Vers. 2. *Commuta habitum*, &c. quia nolebat populum cognoscere se affectum ad verum Deum, illumquè recognoscere, & sic ipse non intrabat, nèc sinebat alios intrare, vt de Iudæis Christus, & de Philosophis Paulus, Rom. 1. & 2. Versic. 3. De muneribus allatis Ahiæ; sic Saul cùm Samuele, 1. Reg. 9. 7. & de Naaman infrà: vide hìc Abul. q. 9. & in Naaman. Vers. 10. *Mingentem ad parietem*, intellige de hominibus, de quibus agitur, in quibus potest verificari, non de belluis, de quibus non agitur, præsertim quia subdit, *clausum & nouissimum*, &c. Versic. 21. De Roboam, & populo præuaricantibus, datis Sesac Regi Aegypti, & dum dicitur *aras, statuas, lucos* fecisse, innuit tribus illis annis nihil horum, sed itum per vias Dauid, & Salomonis, hoc est immolando in templo.

Sed 2. Paral. 12. latiùs de Sesac, & inuenta in Iuda opera bona, vers. 13. ne penitùs deleretur; sic Gen. 15. & 1. Reg. 15. & 2. Paral. 19. 3. & 2. Paral. 12. 6. dicunt, *Iustus est Dominus*, sic Heli, Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat, 1. Reg. 3. 18. *Cumquè vidisset Dominus, quod humiliati essent* dixit, *Daboquè eis pauxillum auxilij*, Deus misericors; sic de Achab, vidisti humiliatum Achab? & illius misertus. Vers. 19. Mors Ieroboam, cui successit Nadab filius eius.

CAPVT XV.

IGITVR *in octauo decimo anno regni Ieroboam filij Nabat, regnauit Abiam*, filius Roboam, *supèr Iudam. Ambulauitquè in omnibus peccatis patris sui*. Versic. 5. *Excepto sermone Vriæ Hethæi*, hoc enim peccatum Dauid maximum. Vndè mirabar audiens concionatorem dicentem, numerationem populi fuisse maius peccatum Dauid, ex quo in eo dixit, peccaui valdè: in hoc Vriæ, peccaui: ex hoc enim verbo solo non erat facienda hæc illatio, præsertìm quia non dicit solùm peccaui, sed addit Domino, & in numeratione Satan eum tentauit; & si tot de populo pestilentia mortui, fuit ob peccatum populi, qui sic merebatur: at quot passus Dauid ob sermonem Vriæ? vide suprà 2. Reg. Caietan. & Abulen. hìc. *Attamèn fuit bellum intèr Roboam*, &c. non credo apertum, quia prohibitum suprà cap. 14. Sed per insidias. Vers. 7. *Fuitquè prælium intèr Abiam, & intèr Ieroboam*, quod recitatur 2. Paralip. 13. *Stetit Abiam supèr montem Semeron, vociferans*, proùt Ioathan, Iudic. 9. 7. & dicens. *Nùm ignoratis, quòd Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid supèr Israel, in sempiternum, ipsi, & filijs eius in pactum salis?* quasi sempèr conseruandum, proùt sal conseruat salita, & dùm prosequeretur sermonem, *Ieroboam retrò moliebatur insidias*: at victoria fuit pro Abia, *& corruerunt vulnerati ex Israel quingenti millia virorum fortium*, & sic adiuuit Deus Abiam causam religionis agentem, pondera in eo loco; *& lucernæ eius, vt accendantur sempèr ad vesperam*, ad ea quæ in Num. & alibi supèr his dixi, & ibi Abul. in omnibus, præsertim 2. Paralip. 13. Exod. 27. 21. Versic. 8. *Regnauit Asa filius eius pro eo*, is bonus, vt sequitur hic, & 2. Paralip 14. & ibi apparet profligasse, *Domino*

Pp 2 caden-

cadente Zaram Aethiopem cùm exercitu: vide ibì,& 2. Paralip. 15. & nota, sit Dominus Deus vobiscum; quomodò autèm sit cùm aliquo, Abul.2. Paral. 17. q. 6. in pluribus, vel paucis saluare potes; sic & Iudas Machabeus,& 1.Reg.14. At quomodò Deus terreat Abul.1.Paral.5.q. 30. & cap. 18. q. 21. 2. Paralip. 13. q. 51. & cap.14.q.11. & cap.17. q. 19. & seqq. recepisse prophetiam ab Azaria, in qua dicitur, *erit merces operi vestro;* ex quibus verbis collige quomodò Deus remuneretur, & ibì quæ fecerit, hìc etiàm relata, & dùm dicitur excelsa non abstulisse, non credo vt illi imputetur, quia dicitur perfectum cor habuisse cùm Domino, & intulisse quæ sanctificauerat, & vouerat pater suus, quod seruit ad exemplum hæredis grauati ad spiritualia, vt illa adimpleat, & circà excelsa illa vide ibi Abul. distinguentem intèr excelsa Dei, & dæmonum; & eundem 2. Paral.15. q.28. & seqq. Bellum etiàm ei fuit cùm Baasa, qui successit Nadab filio Ieroboam, quem occidit, & simùl omnem domum Ieroboam, & is malus fuit. Asa verò vsus est auxilio Benadad, cui misit munera, quæ erant in domo Domini, & sua, & euasit à Baasa. Ità & 2. Paral. 16. vbi apparet Domino displicuisse quod confugerit ad auxilium Benadad, quod est contrà Catholicos requirentes auxilium ab infidelibus, vel hæreticis; sic & dictum Azariæ 2. Paral. 25. & iussit mitti in neruum Videntem hoc sibi à Domino referentem, doluisse pedes, de quo, & hìc:& iustè, sicùt pedes prophetæ in neruo strinxerat. Abul. 2.Paralip. 16.q.33.34. nèc quæsiuisse Dominum: vndè videntur posteriora eius mala. Vers. 24. *Regnauitquè Iosaphat filius eius pro eo*, de hoc bono 2. Paral. 17. vbi habetur eius gloria, & quomodò misit viros principes prædicare legem Domini, & 2. Paral. 18. quomodò coniunctus affinitate cùm Achab, de quo infrà.

CAPVT XVI.

FACTVS *est autèm sermo Dauid ad Iehu contrà Baasa*, impium, qui occidit prophetam. Baasa mortuo *regnauit Ela filius eius*: pòst eum occisum *regnauit Zambri, qui deleuit domũ Baasa, & succendit se cùm domo regia*, similis Saul, Achitophel, & Iudæ. Pòst eum *Amri, qui emit montem Samariæ*. Pòst eum *Achab* peior omnibus, qui idòlis seruiuit, & tempore suo *Hiel in Abiram primitiuo suo ædificauit Iericho*, iuxtà Iosue execrationem.

CAPVT XVII.

ET *dixit Elias Thesbites ad Achab: si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxtà oris mei verba*, sic Ezech. 47. Iacob,15.17. Deus iratus contrà Achab hæc iniecit mala ob eius peccata. Vers. 2. Iubetur Eliæ vt eat ad torrentem pascendus à coruis, vers. 7. torrente siccato mittitur ad viduam Sarepthanam pascendus, de quo & Luc.4. 26. Vers. 17. vsquè ad finem de suscitatione filij mulieris; & considera quot fecit, vt appareret virtute Dei, non alia fieri. Vers. 18. *Vt rememorarentur iniquitates meæ*, timent aliqui ex præsentia bonorum puniri; sic Petrus; Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Vers. 24. Miracula ostendere virtutem diuinam, & à Deo omnia fieri: *Nùnc in isto cognoui*, dic magis: quoniàm & antè cognouerat, confirmata magis est ex hoc.

CAPVT XVIII.

POST *dies multos factum est verbum Domini* miserentis *ad Eliam in anno tertio*, vt daret pluuiam, durauerat siccitas tribus annis, & sex mensibus. Iacob. 5. Vers. 7. *Cecidit supèr faciem suam*. vide honorem præstitum prophetæ: quomodò ritum cùm Deo seruauit populus, infrà vers. 39. Vers. 12. *Spiritus* Angelus *Domini*, non ventus: nàm ventus non asportat; sìc & infrà cap. 22. de malo spiritu, scilicèt Angelo. *timet Deum ab infantia sua*. sìc Tobias docuit filium suum. Tob. 1. fœlices patres id facientes. Vers. 13. *Numquid non indicatum*, &c. puto Abdiam hoc dicere (quòd & suprà refertur vers. 4.) quasi coactus ad expurgandum se cùm Elia, nè existimaret eum sequi vias Achab domini sui, proùt Dauid, Paulus, & alij, vt dixi in Euāgel. in cap. de Annunc. Verb. Vers. 15. *Viuit Dominus, antè cuius vultum sto*. Paulus, cui seruio. Vers. 16. *Venit Achab in occursum Eliæ*. non regem honorantem prophetam. Vers. 18. *Non ego turbaui*, &c & sìc collige proptèr peccata flagella immitti à Deo. Versic. 21. *Vsquequò claudicatis*, &c. quasi, non potestis duobus Dominis seruire, Deo, & mammonæ, verus Deus sequendus. Et hìc fit experientia miraculosa, quā proponit Elias, quis verus Deus per ignem. Vers. 26. *Baal exaudi nos*, quæ verba ad verum Deum mutuata est Ecclesia; at meliùs ex dictis Eliæ ad verum Deum versic. 37. Vers. 37. *Et tu conuertisti cor eorum iterùm*. cor populi in manu Dei: vide notata ad illa verba, nisi Pater meus traxerit eum. Vers. 38. *Cecidit autèm ignis Domini*; sìc in sacrificio Moysis, & Salomonis in dedicatione Templi. Versic. 42. *Et pronus in terram*, Iacob. 5. & iterùm orauit, & data est pluuia. Versic. 44. *Quasi vestigium* pes *hominis* paruula, vt dicit.

CAPVT XIX.

NVNCIAVIT *autèm Achab Iezabel*, &c. hìc persecutio Eliæ à Iezabel. Versic. 3. fugit Elias, & petijt mori, sic Moyses occidi à Domino; Tobias, Paulus, ità vt nos tæderet etiàm viuere. Vers. 5. *Et ecce Angelus Domini*, eccè quomodò Angeli seruiunt hominibus: sunt enim administratorij spiritus, & custodes hominum, & Angelus ministrabat in omnibus Tobiæ, vndè non recipio quod dicit Abul. capit. 17. quæst. 15. Angelos nō ministrare hominibus in cibis. Et si per Abacuch, Angelo eum portante, prouiderit Deus Danieli, non per Angelum solum, credo fuisse, vt Daniel magìs cognosceret Dei beneficium, quò plures adhibiti, & magìs consolaretur ex allocutione hominis è Iudæa asportati, & vt Abacuch fieret prædicator miraculi apud Hebræos: non autèm quia Angeli non inseruiant in his hominibus: nàm id maius fuit ministrare ministro Danielis in cibo, pròut Abigail se humilians dicebat, Vt lauem pedes seruorum domini mei: & dùm hæc faciunt, Deo seruiunt iubenti. Et si Filius hominis venit ministrare, non ministrari, cur de Angelis ambigimus? & tùnc per coruos pauit Eliam, & per Angelum subministratur cibus eidem sub Imperio stanti: & Christo, qua homini pòst tentationem ministrarunt cibos apportantes. Versic. 9. De apparitione Domini, per Angelum intellige, vt in Moyse dictum in Exodo. *in sibilo auræ tenuis*, non enim ex corde suo Dominus in turbinibus, & pœnis, sed tractus peccatis, & merito hominum iniquorum, at in pacificis, & lenibus. vide Theod. Ezech. 1. & factum Moysis, & Eliæ conueniunt in multis. Vers. 11. *Dominus*, idest, Angelus *tran-*

sit antè Eliam, proùt antè Moysem: vndè nunquàm dicas vidisse Dei essentiam, quin etiàm se cooperiebant. Versic. 15. *Vnges vì Hazael, Iehu, & Elisæum*; credendum Eliam id præstitisse in omnibus, etsi Scriptura non dicat: quia, vt aliàs obseruaui, Scriptura semèl dicit quid agendum, nec repetit præsupponens factum. Vel *vnges*, idest, eliges: quia neque vnxit Elisæum, sed misit pallium suum supèr eum: ideò aliàs dixi vnctionem poni pro electione: at in Iehu maius dubium, quia is vnctus ab vno ex filijs prophetarum, iubente Elisæo, infrà 4. Reg 9. 1. At & Azaeli dixit Elisæus eum futurum regem, & tamèn ex hoc non potest excludi, quin & Elias hæc præstiterit, proùt præstitit in Elisæo. Vel Deus dixit, *Vnges Elisæum*, pro te impleturum in Azaele, & Iehu, quod dixi. Versic. 18 *Et derelinquam*, &c. Rom. 11. 4. *Adorauit eum osculans manus*. Iob. 30. hæc enim osculatio erat signum adorationis; ità vt nunquàm desint viri probi Domino, etsi illos ignoremus. Versl. 19. Elisæus recipitur ab Elia. vide scripta capit. 32. in Euang. iniectio pallij fuit signum recipi Elisæum ad prophetiam, proùt Elias, quod benè apprehendit Elisæus ex dictis.

CAPVT XX.

PORRO *Benadad*, &c. narrātur duæ insignes victoriæ, quas habuit Achab contrà Benadad, Deo sic volente. Versl. 5. *Vxores tuas*, &c. aliquandò nocet nimium velle: vndè ille, ne quid nimis. Versl. 11. *Ne glorietur accinctus*, ad bellum, quod est incertum, *æquè vt* solet *discinctus*, qui parta victoria arma deposuit: quasi, nimium tibi assumis, potes & vinci, qui putas victurum, & superaturum alios. Non hic de fiducia in paucis, vel multis, vti Recentiores Ierem. 1. non enim hæc intentio Benadad, qui confidebat in suis viribus, & pro victore antè bellum se gerebat. Versl. 14. *Per pedissequos*, &c. idem enim est Deo in paucis, vel in multis, vt suprà, id vt appareret victoriam haberi à Deo, & rex iniquus reuerteretur ad Dominum versl. 28. *Quis incipiet præliari?* nempè nos, vel aduersarij? hinc apparet non Achab, sed pueros egressos, *in prima fronte*, versl. 17. Versl. 23. *Dij montium*, &c. ob hanc blasphemiam alia victoria data Achab, versl. 28. Versl. 30. *Cecidit murus*, &c. sic muri Iericho corruerunt, & turris Siloe in Euang. Versl. 31. *Audiuimus*, &c. eadem phrasi, quandò Machabæi miserunt ad Romanos, boni serui benè consulentes, vide in Euang. cap. 45. Versic. 32. *Frater meus est*, parco ei, pacem tribuo. Versic. 36. Cur nolens percutere occisus? nàm potest dici ignorasse esse sermonem Domini, & hoc illicitū, quia nemo dominus membrorum suorum: dic fortè intellexisse à Domino procedere sermonem, quia erat socius: his apparentibus signis Deus volebat homines intelligere quæ annunciabat. Versl. 39. Parabola vult regem capere, & ex ore eius iudicare eum, proùt Nathan Dauid. Neque dixit falsum proponens factum, seù parabolam, consulens supèr ea. vide Abul. Versl. 42. *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua*, &c. eccè pœna non punientis reos; & perijt infrà cap. 22. 38. videant Iudices, Principes, Versic. 43. *Reuersus est*, &c. quasi alter Esau venditis primogenitis.

CAPVT

CAPVT XXI.

POST *verba*, facta, *autèm hæc*, &c. de vinea Naboth: similis huic parabola Nathan de vnica oue pauperis. Versic. 3. *Propitius sit mihi Dominus*,&c. si is nō vult alienare hæreditatem paternam, quam curam nos habere debemus animæ nostræ? Vers.4.*Venit Achab indignās*,&c.sic Aman, quia Mardochæus nō genuflectebat,Esth.3. quò reducuntur superbi! verbū. *panē*,hìc,& pluriès pro omnibus cibis.Vers.8 *Scripsit litteras*, similes Dauid cōtrà Vriam: & Aman contrà Hebræos; Esther.3.& similes insidiæ factæ Susannæ,& mors Naboth secuta proùt Vriæ. Vers. 19. *Occidisti, & possedisti*, quasi ex homicidio hæc rapis, ergò conscius mortis Naboth, ut hìc Abul.magna Dei misericordia mittētis Eliam ad illum conuertendum; sìc Nathan ad Dauidem. Vers. 20. & 25.*Venūdatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini*: datus in prædam Iezabel permittente Deo. Reassumit sermonem ab Achab interruptum,proùt Dominus, Acto. 1.8. *mingentem*, intellige de hominibus, ut hìc clarè habetur, & alibì dixi. Vers. 29. *Quia humiliatus est mei causa*,ergò ex charitate.eccè cur facienda bona proptèr Deū; & vide Dei benignitatem, illicò ad pœnitētiam rei pœnam reuocantis, & alleuiantis; sic ad verbum Dauid, Peccaui Domino; & 2. Paralip.12.7. videns, quòd humiliati essent. & hæc pœnitentia fuit vera,à Deo cognita, qui falli non potest.

CAPVT XXII.

TRANSIERVNT *igitùr tres anni absquè bello*, &c. pòst demissum Benadad, suprà capit. 20. 34. Achab pro Ramoth Galaad instituit bellum agere contrà Regem Syriæ, iuncto sibi Iosaphat suo affine, 2. Paral. 18. qui suasit quæri sermonem Domini, dùm falsi prophetæ quadringenti prospera nunciabant; Michæas assumptus mala prædicit; & tamèn itum in aciem,& iuxtà Michæam res accidit. Obserua bonitatem Iosaphat quærentis sermonem Domini, & corripientis. *Ne loquaris ità Rex* iuxtà præceptum Euangelicum.Versic. 8. *Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum*. & versic. 18. ideò omnia plena assentatoribus, dicite nobis placentia, molliti sint sermones, prurientes auribus: & Achab suprà cap. 21. Numquid inuenisti me inimicum tuum? ad Eliam minantem ex parte Dei; Balac cùm Balaam. Holofernes cùm Achior. Vers. 11. *Hæc dicit Dominus*: *His* (cornicibus) *ventilabis Syriam*. ex suo capite hoc dicebat, non in nomine Domini,& de hoc conqueritur Dominus, dicens eos non misisse; cornua verò denotabant potentiam; de modo tento à prophetis veris, vel falsis, ore, vel signo apparente, habes exempla apud Abul. 2. Paral. 18. q. 28. supèr eisdem verbis, & facto Vers. 14. *Viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar*; sìc & Balaam cùm Balac. Sed cur prima vice dicit, *Ascende, & vade prosperè, & tradet eum Dominus in manum Regis?* posset dici locutionem esse amphibologicam, non mendacem, ità vt possit intelligi eum capiendum. sed clarā fuisse apparet 2. Paral. 18. 14. ironicèque locutum. quicquid dicat Abulens. 2.Par.18.Vers.16. *Achab dicit: Iterū, atquè iterùm adiuro te*, &c. proùt Raguel Tobiā. Tob. 4. 8. 23. & 9. 5. & Caiphas: Adiuro te per Deum viuum, &c. & tùnc propheta: *vidi Dominum* (proùt Isaias capit. 6. *à dextris, & à sinistris*. dic agi de Angelis bonis tantùm, non de dæmonibus, vt hic per Abulens. dixi. Rom. 9. vide eundem Abul.

Abul. 2. Paral. 18. supèr eodem facto. Vers. 20. *Quis decipiet Achab?* apparet dæmonem nihil posse, nisi permissum à Domino: sic & cùm Iob, & porcis Gerasenis, & Angelos ignorare futura, ut dixi, 2. Corint. 2. Vers. 24. *Percussit Michæam in maxillam*, sic Christus percussus, qui si malè locutus sū.&c. sic Paulus; sic Sosthenes Act. 18. 17. Vers. 25. *Cubiculum, intra cubiculum*, sic Benadad suprà cap 20. 30. Et Elisæus non credenti abundantiam ab eo prædictam. Vers. 27. *Tollite Michæam*, &c. Holofernes simile fecit Achior benè dicenti de populo Israel, Iudith. 4. Vers. 28. *Audite populi omnes*, testes eorum, quæ dixi regi euentura. ab hoc uers. usquè 41. periculum Iosaphat, cui auxiliatus Dominus, ad quem recurrit, 2. Paral. 18. 31. & mors Achab, de qua & 2. Paral. 18. in fin. hinc serui nolebant Dauid ire in aciem ob insidias, quæ fiunt regibus 2. Paralip. 18. 3. 21. 7. sed cap. seq. 19. obiurgatus fuit Iosaphat ob auxilium præstitum Achab, & amicitiam secum initam: hinc Num. 16. 26. Recedite, &c. & nisi opera bona inuenta in eo, iram Domini merebatur, & dicitur prædicasse, & reuocasse populum ad Dominum, constituisse Iudices, Sacèrdotes, Leuitas, & monita saluberrima dedisse cunctis Iudicibus obseruanda, nō esse iniquitatem apud Dominum, non acceptionem personarum, non cupidinem munerum, uenire iram Dei supèr malè iudicantes, & distinxit iurisdictionem, seù officia Azariæ Sacerdotis, qui præsideret in his, quæ ad Dominum: Zabadias in his, quæ ad Regem. Eccè distinctio officiorum, seù iurisdictionum ecclesiasticæ, & regiæ, seù sæcularis. Recitantur & hic à uers. 41. usquè 49. aliqua eius bona opera: sed 2. Paral. 20. narratur, quod cùm Ammon, Moab, Seir uenirent contrà eum, ipse recurrit ad Dominum cùm populo, & intèr orandum prophetam prædixisse à Domino uictoriam, qua die sequenti est potitus, pro qua & gratias Deo reddidit, ad exemplum nostrum, ut ingruentibus bellis ad Dominum confugiamus, & grati simus. At quia inijt amicitiam cùm Ochozia filio Achab impio, hìc uers. 52. usquè in fin. naues paratæ in Ophir perierunt, hìc 49. & 2. Paralip. 20. 36. hinc quàm horreat Deus amicitiam nostram cùm scelestis, quàm Principes ab his abhorrere debeant, nequè auxilia ab his petere, aùt sumere.

FINIS TERTII LIBRI REGVM.

IN
IV. LIB. REGVM.
CAPVT PRIMVM.

PRAEVARICATVS *est autèm*, rebellando, & subtrahendo se *Moab in* contrà *Israel, postquã mortuus est Achab*, qui illum retinebat sub iugo tributi, quod filio eius soluere nolebat, infrà cap. 3. 4. *Ceciditquè Ochozias* filius Achab, qui ei in regno successerat, *per cancellos cœnaculi sui, & ægrotauit, misitquè nuncios ad consulendũ Beelzebub Deum Accaron*: sed præuenti nuncij à Deo per Eliam dicentem non surrecturum de lecto, & quàm ægrè ferat Deus loco sui consuli dæmones, *Numquid, quia non erat Deus in Israel*, &c. vndè Elisæus infrà cap. 5. vers. 8. Veniat ad me, & sciat esse prophetam in Israel. *Idcircò*, quia hoc egisti, fortè ad me recurrens sanandus *de lectulo*, &c. sìc & imputatum Sauli per Phythonissam interroganti, 1. Paral. 10. 13. Ieroboam etsi scelestus misit interrogatum pro salute filij Ahiam Silonitem prophetam Domini, 3. Reg. 14. 2. Sed obserua non mitti pro sanitate obtinenda, quam petijt Ezechias, sed an uiuere posset, qui Deum rogare poterat pro sanitate: sìc & Benadad cap. 8. Vers. 8. *Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus*, his signis Ioannes Baptista habitus pro Elia. Vers. 9. cùm seqq. Ignis deuorauit quinquagenarios duos cùm suis missos ad ducendum Eliam ad regem, sìc ut ignis dicitur Elias Eccles. 48. & Apoc. 11. Sic ad uerba Petri Ananias, & Saphira fraudãtes de pretio agri mortui: Act. 5. Infrà c. 2. percussi pueri quadragintaduo ab Vrsis maledicère Elisæo, & percussus à leone nolens percutere prophetam iubentem, 3. Reg. 20. 36. 37. simile in Moyse contrà Core, & Abiron Num. 16. 29. si consueta hominum morte interierint, non misit me Dominus: sin autèm nouam rem fecerit Dominus, &c. At Iesus increpauit Iacobum, & Ioannem non iustè motos, uolentes ignem descendere supèr Samaritanos, Luc. 9. Aduerte, nàm & Saul misit plures, deindè ipse iuit captum Dauid, 1. Reg. 19. sed uers. 13. quinquagenarius tertius se humilians (Angelo præmonente) saluus, & duxit Eliam ad regem, cui eundem sermonem dixit. Qui mortuus est sinè filijs, & successit Ioram frater suus. Obseruat hic Theodoretus in regno Iuda semper filios patribus successisse usquè ad captiuitatem Babylonicam, secùs in Israel.

CAPVT II.

FACTVM *est autèm*, &c. Translatio Eliæ in curru igneo. Sed obserua Eliam noluisse etiàm Elisæum, astare suæ trãslationi, quod non credo fuisse nisi ex humilitate: vndè videmus Sanctos sempèr occultare eorum mirabilia, secretum meum mihi dicentes, sìc Paulus, & alij, de quibus aliàs dixi. *diuisæ sunt aquæ Iordanis* pro Elia, & Elisæo, & deindè pro Elisæo solo; quod factum fuerat pro toto populo, proùt & mare. Cum Elias non posset Elisæum dimittere, iussit ei postulare quod vellet: & petenti sibi fieri spiritum duplicem, idest, magnum, alij cùm spiritu prophetiæ gratiam miraculorum, &c. respondit Elias. *Si videris me, erit tibi quod petisti: si autẽ non videris, nõ erit*, hoc datum pro signo, quia Elias incertus de hoc, Abul. 4. Reg. 13. q. 16. nàm nõ sempèr Deus reuelat futura prophetis, vt aliàs obseruaui, non quòd aliud mysterium contineat.

Curru igneo, & equis igneis, & per turbinem fertur Elias, quia indigebat virtute portante, proùt Abacuch, & Philippus: non sic Christus & agilitate corporis resuscitati, & diuinitate alio non indigens.

Currus Israel, & auriga eius, qui regebas populum Israel prudentia, & sanctitate tua. Pallio tamèn Eliæ non fuisse virtutem miracula faciendi, dicit Abul. q. 14.

Adorauerunt eùm, inclinauerunt se illi. Volentibus mittere ad quærendum Eliam, nescientibus translatum non rediturum, quod eis non erat reuelatum, proùt Elisæo ex Caiet. & Abul. finalitèr assensit, quamuis sciret quò iuisset, quem viderat oculis proprijs, Deo sic disponente, nè supèr hoc dubitare posset; proùt Christus eadem de causa voluit tot suæ Ascensioni patenti, & in conspectu interesse. At nihilominus voluit Eliam filios prophetarũ visitare, antequàm raperetur, proùt ipse Christus resuscitatus fecit hinc discessurus. At sicùt Elisæus non it cùm his, sic nèc Domina cùm mulieribus vncturis Iesum, quem sciebat excitandum.

Sanat Elisæus aquas Iericho sale, & terram sterilem, quæ solet sale peior fieri; vndè Abimelech seminauit sal, & in Psal. Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.

Pueri per eum maledicti quadraginta duo ab vrsis lacerantur, & in eis puniti patres, inquit Caiet. & Abul.

Quò translatus Elias, dic in Paradisum terrestrem, vt dixi pluriès, vide impressa. De raptu, Ecclesi. 48. 13. 1. Machab. 2. 58. è Paradiso venturus cùm Enoch contrà Antichristum, Apoc. 11. vbi dixi.

CAPVT III.

IORAM *autèm filius Achab regnauit supèr Israel:* qui *adhæsit in peccatis Ieroboam:* & bellum contrà Mesa ob tributum denegatum, quod non fecerat Ochozias frater eius; & secum habuit Iosaphat regem Iuda, & Regem Edom, qui vicerunt, & aquam præbuit eis miraculosè Elisæus. Vers. 11. *Qui fundebat aquam supèr manus Eliæ*, seruiebat Eliæ. Vers. 14. *Quod si non vultum Iosaphat*, &c. at quomodò Iosaphat reprehensus ob commercium cùm Achab, cuius naues communes cùm Ochozia euersæ, iterùm cùm filio Achab malo se immiscet, & non reprehenditur, vide Abul. qui dicit ob suum interesse cùm eo conuenisse. At Elisæus non dignatur responso regem Israel idolòlatram, pro exemplo nostro, vt nèc aue hæretico dicamus ex S. Ioanne. Elisæus non timet vultum regis, ne illum arguat, proùt, & Elias cùm Achab, Ioannes Baptista cùm

cùm Herode; & sìc missi Apostoli corã regibus, &c. Rex verò Edom ibì, quia Idumæa erat subiecta Iudæis: nùnc autèm dic Regẽ, quia aliàs non nuncuparetur Rex præsente Iosaphat, quem recognoscebat. Vers. 15. *Cumquè caneret psaltes*, ex hoc apparebat rem esse à Domino: ideò illum adhibuit, vt excitaretur, & aliàs id factum à prophetis. Vers. 18. *Insupèr tradet etiã Moab in manus vestras*, hoc est regulare Dei, vt ad eũ recurrentes nedùm obtineamus quod petimus, sed alia maiora; aliàs obseruaui, sic cùm Abraham, Ezechia, Salomone, & alijs.

Vers. 27. *Arripiensquè*, &c. cur id fecerit. puto vel ex desperatione, vt tenet Ribera Amos 2. num. 1. vel placaturus idòla sua, quæ holocausta humana indicabant desiderare, quod fortè melius ex Abul. Non quasi placaturus hostes, & licèt id successerit, non tamèn fuit eius mens, vel scopus, nequè prætulisset hanc cogitationem morti proprij filij. Cur autèm Israelitæ hoc viso recesserint, puto ex compassione, & indignatione, vt in textu: alia exempla adducit Sanctius Isai. 21. 16. Sed tamèn reintegrato fœdere, seù tributo, ex Caiet.

CAPVT IV.

MVLIER *autèm quædam, &c.* augumentum olei miraculosi ab Elisæo factum, quod iussit secretò fieri iuxtà consuetudinem Sãctorum, quod tamèn mulier *indicauit homini Dei, ad seruiendum sibi*, quia fortè data seruierant pro sustentatione familiæ: vel quia ea erat lex. Vers. 8. Mulieris charitas ergà Elisæum, vt etiàm illũ cogeret, proùt Discipuli Emmaus Dominum, quàm rependit filio masculo prænuncians de illo, proùt Angeli cùm Sara, & suscitatione eiusdem, & fuit mirabile in animum mulieris hoc intrare, cùm non præcedat vllum exemplum: & si id in petente, tantò magis in Elia faciente. Sed vtriusque suggessit Deus, volens in suis fieri mirabilis. Ista mulier filium desiderabat, vndè Giezi: *Ne quæras* quid velit, *filium enim non habet, & vir eius senex est*, quasi desiderio flagrat prolis habendæ: vndè de Zacharia, & Elisabeth, Luc. 1. & non erat eis filius. In Scriptura veteri, & antè aduentum Messiæ optata proles; pro ea multa miracula leguntur. Pòst Messiam in Scriptura noua nullum legimus pro prole habenda miraculum, immò commendata virginitas, & ij, qui se castrauerunt proptèr regnum Dei, ex Christo, & Paulo: sed obserua gratitudinem viri Dei ergà mulierem. Vers. 14. *In medio populi mei*, meorum consanguineorum, vt si qua re indigerem, possem mihi cõsulere, non in medio populi, idest tutò, Riber. Michêæ 3. num. 17. Versic. 15. Obserua mulierem pudicam in domo propria non introeuntem, sed stantem antè ostium prophetæ. Vers. 21. *Ascendit autèm*, &c. obserua mulieris prudentiam, quæ occultauit viro mortem filij, ne illi dolorem incuteret; sìc Abraham celauit Saræ Isaac in holocaustũ immolandũ, Gen. 22. vbì dixi. Vers. 23. *Non sunt calendæ*, &c. nota viros probos, & Hebræos solitos inuisere sanctos prophetas ab eis benedicendos, vel instruendos, vel vt pro eis orarent. Vers. 27. *Dominus celauit à me*, non sempèr prophetæ sciunt, vt aliàs obseruaui in Nathan ignorante Dauid templum non ædificaturum. *Apprehendit pedes eius*, & 37. *corruit ad pedes eius*, sic mulieres cùm Christo resuscitato. Vers. 29. *Si occurrerit*, est phrasis ad denotandam celeritatem; sic Christus cùm discipulis, Luc. 10. 5. & cùm Magdalena, Io. 20. 17. noli me tangere, non enim deerit opportunitas, non dùm enim ascendi ad Patrem meum, quo tempore id non poteris, sed per quadraginta dies vobiscum visibilis ero, ne igitùr nùnc moram trahas, vade autèm ad fratres meos, & dic eis, ascendo ad Patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, vt & ipsi citò ad me accurrant; & hic intellectus magis placet, quicquid dixerim in Euang. in eodem loco.

Idem puto actum cum cæteris mulieribus quæ tenuerũt pedes eius, Matth. 28. 8. proùt veri-

verisimilitèr fecerat cùm Magdalena sola, quia verba (noli me tangere) non excludunt quin tetigisset, sed ne moram traheret in tactu: non enim credendum Magdalenæ soli vetitum, quod alijs omnibus concessum, præsertìm quia solita erat pedes tangere, illisquè hærere; ideò subditur, tùnc ait illis Iesus: nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibì me videbunt. Sed non potuit baculus suscitare, proùt sudaria, & semicinctia Pauli sanabant, Act. 19. 12. tamèn Christus in suscitatione mortuorum voluit esse præsens, qui poterat quocunque modo; sìc Elias, 3. Reg. 17. Petrus, & Paulus Act. 9. & 20. Quæ dicit hìc Abul. q. 57. de Traiano, de quo & Lorin. in prologom. ad Eccl. 2. non tenentur à Baronio bis in Annalibus, semèl in Martyrologio, vide apud eum: rationes verò Abul. sunt concludentes pro opinione Baronij, quam vidi apud Hispanum de vitis Imperatorum, & apud Victoriam in Summa. Vers. 34. *Incubuit*, &c. vt appareret precibus eius suscitari: de differenti modo suscitandi mortuos intèr Christum, & Apostolos, vide Abul. 4. Reg. 13. q. 22. Vers. 38. De amaritudine, seù morte in olla sublata ex miraculò ab Elisæo, arguit ex hoc, & sequenti facto Theodoretus nullum agrum fuisse prophetæ. Versic. 42. Pauit centum homines viginti panibus hordeaceis, & superfuit ex eis: Christus quatuor, & quinque millia, septem, & quinque panibus, & piscibus, &c.

CAPVT V.

NAAMAN, &c. liberatio huius à lepra per Elisæum in aquis Iordanis; sìc & Constantinus in aquis Baptismi. Vers. 8. *Et sciat esse prophetã in Israel*, & suprà cap. 1. Numquid non est Deus in Israel? Vers. 9. *Stetit ad ostium, misitquè ad eum Elisæus nuncium*, vide quomodò vir Dei cũ viro insigni agat; vt doceat illum quæ reuerentia debeatur seruis Dei, à quibus petuntur miracula. Vers. 11. *Putabam*, &c. quàm dissimilis Centurio noster euangelicus, dicens Iesu volẽti ire: Domine nõ sum dignus. His verbis probaui Christũ facientẽ miracula tetigisse, & alia externa fecisse, vt appareret eum patratorem miraculorum. Vers. 13. *Accesserunt ad eum serui sui:* vide bonitatem seruorum, quam obseruaui in Centurione euangelico, ibì vide de multis. Vers. 15. *Verè scio*, &c. eccè ex miraculo cognoscitur Deus: ideò miracula in Mesia ad illum cognoscendum prædicta, & facta; sìc & mulier, cuius filius resuscitatus ab Elia. Vers. 16. *Non accipiam*, etiàmsi Naaman vim faceret, proùt mulier Sunamitis, & Discipuli Emmaus: eccè homo Euangelicus, gratìs accepistis, gratìs date. Abul. tamèn hìc ponit casus multos, quibus prohetæ accipiebãt munera; & quod potuisset licitè, sed cur noluit? Vers. 17. *Obsecro*, &c. hæc fuit quædam protestatio se nolle errare; & intellige verbum, *adorauero*, ideſt me inclinauero absquè adoratione idòli proptèr dominum adorantem, cui seruio, ideò dicit se ampliùs non immolaturum idòlis, & Elisæus dictis *vade in pace:* videtur approbasse, aliòquin reprehensurus, si malè diceret: vide Lyran. Abul. Caiet. Serrar. sic Iehu ingrediens templum Baal non adoraturus, sed occisurus cultores, non peccauit, infrà cap. 10. ex necessitate etiàm videtur excusari Naaman, quia cùm Domino suo seruiebat, cogebatur templum ingredi: vide Sanctium, Dan. 3. 31. Obserua pro reliquijs, quod dicitur de terra asportanda. Vers. 20. De Giezi malo seruo recipiente sub falso nomine domini quod dominus recusauerat, cui adhæsit lepra Naaman, Elisæo id ei comminante, quem non latuit factum, is ponitur pro Simoniaco primo: pòst eum Simon Magus in Act. Apost. is proùt Iudas: poterat vnguentum istud venundari multo, &c. Giezi *pepercit dominus meus*, &c. *ego accipiam*.

Putabat Giezi Elisæum latere factum, sed dicit se præsentem fuisse: hinc caueat peccator dicens, Quis me videt? Moyses æstimabat se à nemine visum, quandò occidit

Aegy-

Aegyptium, & tamèn deceptum se cognouit, Exod, 2. & ille dixit Petro: Nonnè te vidi in horto cùm illo? astat Deus, Angeli, dæmones.

Obserua Deum prouidisse in Israel, in quo vigebat idololatria ad illum subleuandum de duobus Prophetis insignibus, Elia, & Elisæo, quales non erant in Iuda, & per eos miracula magna effecisse: hinc argue Deum nunquàm defuisse, vel deesse in necessarijs nedùm Israelitis, sed etiàm gentilibus Vide Rom. 2. & 3. Vers. 26. *Nonnè cor meum in præsenti erat*. Fuit ergò hæc intellectualis, non corporalis visio, differens ab illa Moysis, Stephani Act. 7. tentationis diaboli cùm Christo: de illis vide in suis locis: in simili visio Epulonis de Abraham Luc. 16. vide Augustinum de Ciuitate Dei, lib. 22. cap. 29.

Versic. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi*; sic Ozias lepra percussus volens incensum adolere.

CAPVT VI.

DIXERVNT autèm, &c. miraculum ferri supernatantis ligno imposito, ex aqua educti. Versic. 8. vsquè ad 24. De Elisæo referente Regi Israel insidias Regis Syriæ. Is misit exercitum ad capiendum Elisæum; & seruo suo timenti videre fecit exercitum cælestem pro eo stantem, proùt Iacob castra Dei, Genes. 32. 1. & Christus Petro: An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum? Matth. 26. 53. Percussumquè exercitum Syrorum cœcitate eius oratione duxit in mediam Samariam; sic Christus euanuit ab oculis Iudæorum, & Nazaræorum, qui illum non viderunt. Qui apertis oculis, cibo refectus, dimissus illæsus ex charitate Elisæi inimicis benefacientis; nec intulit ampliùs molestiam Israeli.

Considera quomodò Deus paratus ad suorum protectionem. Elisæum solum vidisse exercitum cælestem, non puerum, de qua re in Zacharia. Exercitum percussum cœcitate, proùt Sodomitæ ad ostium Lot. Sub pane, & aqua omnia obsonia comprehendi. Vers. 24. De obsessione Samariæ, & fame adeò magna, vt vna mulier filium coxerit, & comederit cùm alia, conuentione facta de alio alterius coquendo, & edendo, quod delatum Regi, cuius *cilicium* visum à populo *ad carnē intrinsecùs* ad exēplum nostrum. sic Achab eius pater humiliatus. Versic. 31. Ioram rex mittit ad occidendum Elisæum, posteà reuocauit, veniens post eum pœnitentia ductus de propheta occidendo. Vers. 33. *Eccè tantum malum*, famis *à Domino* est: non est enim malum in Ciuitate, quod non faciat Dominus: *quid ampliùs expectabo à Domino*? quasi iàm iàm dispersar penitùs. hoc modo volebat inducere Elisæum ad exorandum Dominum.

CAPVT VII.

DIXIT autèm Elisæus, prædictio abundantiæ, quā non credēs dux, iuxtà dictū Elisæi, oppressus fuit in porta, proùt Sedecias, cui prædixit Micheas 3. Reg. 22. Vers. 2 *Supèr cuius manum rex incumbebat*. sic de suo rege Naaman, suprà cap. 5. 18. & de Esther, Esther. 15. *Cataractas in cælo*. phrasis ad ostendendam abundantiam, proùt & Genes. 7. Vers. 3. Quattuor leprosi sunt primi ad detegendam abūdantiam, & referunt hæc miraculosa, Deo timorem incutiente Syris. Vers. 3. *Animas vitas*. Versic. 9. *Hæc dies boni nuncij est*. *si tacuerimus*, &c. hinc discamus communi-

care bona etiàm spiritualia, non proùt philosophi, de quibus Roman. 2. & Pharisæi non intrantes, nec alios intrare permittentes. Versic. 16. *Factus est modius similæ statere vno, & duo modij hordei statere vno.* sic Apoc. 6. Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario.

CAPVT VIII.

ELISAEVS præuidens famem septem annorum, significauit mulieri, vt abiret: quæ reuersa, dùm Giezi referret Regi miraculum Elisæi in suscitatione filij eius, astitit petens in possessionem bonorum suorum immitti, quod & obtinuit. Vers. 1. *Vocauit famem.* vocat ea, quæ non sunt, tamquàm ea, quæ sunt, Roman. 4. Vers. 7. Elisæus iuit Damascum, & Rex Benadad ægrotans iussit Azaeli, vt occurreret ei cùm muneribus, quæ infrà versic. 9. dicuntur, *omnia bona Damasci supèr quadraginta camelis*. sìc Naaman cùm Elisæo suprà cap. 5. Ieroboam cùm Ahia: Saul cùm Samuele; quæ tamèn non creditur recepisse Elisæum, sicùt nequè à Naaman (eccè mos illorum temporum cùm prophetis) & quæreret, an euadere posset de infirmitate; non quærit, vt sanus fiat, proùt nequè Ochozias, 4. Regum 1. Respondet ei Elisæus: *Sanaberis*, quasi infirmitas non est ad mortem: *porrò ostendit mihi Dominus, quia morte morietur* alio modo, vt infrà, quod non explicauit, nè videretur causa eius mortis, vel daret ansam Azaeli eum interficiendi. Hinc scientia Dei etiàm non futurorum: & nullum mendacium prophetæ. Vers. 11. vsquè ad 14. Prædicit Azaeli regnum Syriæ, proùt reuelauerat Elias, & flet ob mala ab eo Israeli instantia, proùt Christus supèr Ierusalem, Luc. 19. Vers. 14. *Quid dixit tibi Elisæus?* nihil de regno, proùt nec Saul cùm patruo; nequè quòd moriturus, sed *recipies sanitatem*. Versic. 15. *Tulit stragulum, & infudit aquam*, vt spissius, ponderosius, & frigidius esset, *& expandit supèr faciem eius*, ne respirare posset: & sic mortuus est: quid enim iuuabat Benadad stragulum illud? eccè quomodò moriturus iuxtà Elisæum. *quo mortuo regnauit Azael pro eo.* Versic. 16. Mortuus est autèm Iosaphat, suprà 3. Regum 22. 51. pro quo in Iuda regnauit *Ioram* filius eius, datis à patre muneribus alijs filijs, proùt ab Abraham, quos tamèn Ioram occidit, & quosdam de principibus. Is fuit malus, quia filia Achab erat eius vxor, & tamèn Deus noluit extinguere lucernam Dauid, & filiorum eius. *In diebus eius recessit Edom*, & quamuis eum afflixerit, non tamèn subegit, & sic factus locus prophetiæ Isaac. Tempus veniet, cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis, Genes. 27. 40. *Recessit, & Lobna recepit litteras ab Elia*, antequàm transferretur, non à Paradiso terrestri, qui tempore Eliæ regnabat: nàm Iosaphat moritur 3. Regum 22. Elias transfertur 4. Regum 2. in quibus litteris dicit mala, quæ fecit, & flagella, quæ instabant, quæ omnia narrantur 2. Paralipom. 21. *& regnauit Ochozias pro eo*, natus ex matre Athalia, gener domus Achab, & abijt cùm Ioram filio Achab contrà Azael, & vulneratum inuisit in Iezrael ægrotantem, quod seruit ad sequentia.

CAPVT IX.

ELISAEVS mittit ad vngĕdum Iehu supèr Israel, iuxtà prædictionem Eliæ vnum ex Prophetis, qui eo vncto fugit iuxtà præceptum Elisæi, proùt iniunctum Prophetæ misso ad Ieroboam; & socij illicò recognouerunt eum in regem, suppositis sub pedibus eius vestibus, proùt Christo Hebræi. Hunc Prophetam dixerunt insanum. vndè Paulus ad Hebræos: ludibria, & verbera experti. Vers. 8. *Mingentem ad parietem*. intellige de hominibus. Versic. 14. Iehu coniurat illicò contrà Ioram, quem occidit, nec non & Ocheziam: de cuius Ochoziæ malitia, & alijs latiùs 2. Paral. 22. Vers. 32. *Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum?* quasi, erit tibi Iehu pax, proùt fuit Zambri septem diebus. 3. Regum 16. citò deficies & tu. Versic. 32. Mors Iezabel, quæ ornauerat se stibio ad regiam dignitatem conseruandam, non ad placendum Iehu, vel euadendum ab eo, in quem iniurias congessit.

CAPVT X.

ERANT *autèm Achab septuaginta filij*, quos occidere fecit Iehu: deindè vers. 9. ostendit populo, nè sibi imputaretur tanta strages, id omne à Deo procedere ex prædictione Eliæ; occidit etiã (vers. 13.) Fratres Ochoziæ regis Iuda. Versic. 15. Iehu cùm Ionadab filio Rechab agit gratiosè. is Ionadab abstinens se à vino, qui & filijs suis id præcepit: & inducit illos Deus in exemplum obedientiæ; Ierem. 35. vide Abulens. quæst. 23. Vers. 18. vsquè ad 29. Occidit Prophetas, & cultores Baal insidiosè: sed à peccatis Ieroboam non recessit. At dùm dicit, *colam eum ampliùs; sacrificium grande est mihi Baal*, loquitur ironicè, non mendacitèr. Versic. 30. Deus remunerat Iehu, dans regnum Israel filijs suis vsquè ad quartam generationem: vndè sicùt Deus puniens iniquitates, ità remunerans bona opera patrum in mille generationes; sic mercedem reddidit Nabuchodonosor pro seruitute contrà Tyrum, Ezech. 29. 17. Vers. 32. Hazael debaccatur in Israel; & hìc planctus Elisæi suprà cap. 8. 12. Vers. 35. Moritur Iehu relicto Ioachaz filio suo rege.

CAPVT XI.

ATHALIA, mortuo Ochozia filio suo, *interfecit omne semen regiũ*, excepto Ioas, quem Iosaba filia regis Ioram soror Ochozię seruauit, & nutrire fecit in domo Domini sex annis, quibus regnauit Athalia; sic & 2. Paral. 22. 10. Vers. 4. Anno septimo educitur Ioas septennis, & acclamatur rex in templo, Ioiada Sacerdote ministro, cui datur testimonium, idest, lex Deut. & Athalia è templo educta interficitur; sic & 2. Paralip. 23. dictum erat, ab altari euelles eum. Disponitur circà illata in templum à transeuntibus ad numerum: constituitur gazophilacium pro sartis tectis, in quo se ingerit Rex, & Scriba Regis, dùm pecunia ex gazophilacio efferebatur. vide Abul. hic quæst. 7. 8. & alios, & argue ad oblationes, & ad imagines miraculosas. Versic. 17. *Ioiada pepigit fœdus intèr Dominum, & intèr Re-*

gem, & intèr populum. Destruitur ara Baal, occiditur eius Sacerdos, constituuntur ministri in templo, sic & 2. Paralipom. 23. 16.

CAPVT XII.

ANno septimo Iehu,&c. Vers. 2. *Fecitquè*,&c. hinc discant Principes à Sacerdotibus edoceri, si volunt rectè regere. sic 2.Par. 24. 17. Vers. 4. vsquè ad 17. De pecunia in sartatecta expendenda, quæ Sacerdotibus promissa, & interdicta. hæc latiùs 2.Paral.24.23. quod fuit pòst mortem Zachariæ prophetæ, vt ibi,& infrà cap.13. 22. Versic. 17. De datis Hazaeli, vt recederet ab Ierusalem. Vers. 20. Occiditur Ioas à seruis, & Amasias filius eius pro eo rex, vt 2. Paral. 24. 25, 2. Paral. 24. 15. mors Ioiadæ, cùm esset centum triginta annorum, & ibì quomodò dereliquerunt Dominum rex,& principes, & consequentèr populus, & eorum contumacia; & occiderunt Zachariam filium Ioiadæ, nomine Dei eis mala prædicẽtem: vndè Christus: à sanguine Abel iusti, vsquè ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis intèr templum, & altare: & Zacharias dixit: videat Dominus, & requirat: vndè fecit quod dicitur: Mihi vindicta, & ego retribuam. & Christus: est qui quærat, & iudicet. At aduerte 2. Paral. 24. non successit mors Zachariæ, quia Ioas vti Deus adoraretur, sed quia ad idòla conuersus cùm populo. At videndum an is Zacharias, de quo Matth.23. Ribera Zach. 1. tenet Zachariam prophetam dictum filium Barachiæ non esse hunc, de quo Christus Matth.23. qui clarè de filio Barachiæ agit, à cuius verbis claris non est recedendum; & quia is erat propheta,qualis non erat Zacharias filius Ioiadæ, supèr quo tantùm dicitur factus spiritus Domini ad corripiẽdos transgressores præcepti Domini, 2. Paral. 24. 20. & tamèn Dominus de Prophetis agit Luc. 11. 50. vt veniat sanguis omnium Prophetarum, &c. & ex vnico actu non potest hic dici propheta. Et si statuas hanc certitudinem de filio Barachiæ, quæ non est applicabilis vllo modo cuiuis alij, quoscumque excludes; siquidèm alia quæuis qualitas applicari potest etiàm huic, puta cædis, quia hæc cuique contingere potest, & in eodem loco, at non illa.

Accedit, quia pòst Zachariam Ioiadæ, Isaias, & Ieremias fuissent omissi, & non est verisimile id actum in tàm insignibus. Prætereà, Christus agit, & incipit à primo Abele occiso vsquè ad vltimum; & is Zacharias Barachiæ; de alio enim vltimo non constat in Scriptura, & sub his voluit comprehendere quoscumque intermedios. Prætereà dicit, (occidistis) ergò intelligit de populo nouitèr congregato à captiuitate Babylonica. Si autèm de hoc, non potest intelligi nisi de Propheta Zacharia filio Barachiæ, qui tùnc extabat, non de filio Ioiadæ sub alio populo occiso. Dixi de populo nouo, quia in transmigratione desijt esse populus, qui fuit mistus cùm Babylonijs, & eorum captiuus; sic de populo Israel Isai. 7. & desinet Ephraim esse populus, & fuit reintegratus in populum pòst reuersionem à captiuitate, hinc etiàm dixit: Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, &c. sic Ierem. 2. loquitur Deus ad extantes, dicens, quasi leo vastans generatio vestra.

Non obstat non apparere de cæde huius Zachariæ prophetæ, proùt illius 2. Paralip. 24. quia in Scripturis anterioribus omissa fuerunt, quæ ex recentioribus, seù subsequentibus intelleximus, & multotiès duæ scripturæ eadem referentes sunt diuersæ, quia vna omittit, quod alia dicit, seù supplet, quod alia omittit, & vtraque vera; etsi ergò in Scriptura veteri non habeamus de cæde Zachariæ prophetæ, sufficit nobis illam habere ex verbis Christi, qui vtì nouum referens, cùm de ea nullibì, adiecit ex industria locum, cuius relatio non erat necessaria, proùt non retulit in Abele,

Non

Non obstat, inuerisimile esse tùnc à populo redeunte à captiuitate Babylonica hoc scelus patratum, quia inuerisimilitudini præponderant alia verba Christi, & quia non tùnc omnes redibant, sed multi antè redierant, quorum aliqui ad antiqua vitia potuerunt reuerti, ad quæ & proximè reuersi. At non nè idem populus, qui dùm educeretur de deserto, vitulum adorauit, & Beelphegor, qui tentauit & Moysen ducē, & Aaron occidere non semèl? & non dicit Stephanus Act. 7. quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Intereà omnes nè tùnc sancti? nullus impius? & is potuit hoc facinus patrare; nàm non omnes prophetæ à populo, sed à singulis malè habiti: Nonnè intèr tres filios Noe è diluuio eductos vnus Cham malus? patris irrisor? Nonnè secuta captiuitate Babylonica occisus Godolias homo simplex relictus à Nabuchodonosor? necesse occisus secundùm aliquos Ieremias eadem captiuitate durante? Nonnè Esdras necesse habuit reuersos à captiuitate expurgare à mulieribus alienigenis ductis? Præthereà 2. Paralip. 24. dicitur lapidatum Zachariam filium Ioiadæ in atrio domus Domini, hic intèr templum, & altare; vndè ille non potest includi in verbis Christi diuersis ab illo Ioiadæ.

Non obstat, tùnc tempore Zachariæ prophetæ ædificatum non fuisse templum; nàm verum est tempore, quo prophetabat, at quia pòst eius prophetiam illicò, vel non pòst multum tempus perfectum est, dicendum, vt verba Christi subsistant, superstitem illum fuisse, donèc perfectum fuit.

Non obstat, dixit Zacharias Ioiadæ: videat Dominus, & requirat 2. Paralip. 24. & sermo Christi est de sanguine clamante, proùt & sanguis Abelis, & sic contigit, nàm Ioas occisus fuit in vltionem sanguinis Zachariæ Ioiadæ, 2. Paralip. 24. 25. sed vindicta capienda in interfectores prophetarum. Præthereà præualet assertio Christi obseruanda huic oppositioni.

Non potest is esse Zacharias pater Ioannis Baptistæ, vt tenet Martinus Delrius Thren. 2. 20. quia ille nequè propheta, nequè occisus, cùm de illius cæde nullibì in Scriptura, & contrarium dicentes diuinant, & si pro Christo euangelizando occisus esset, verisimilitèr id diceretur, at nullus antè Christum pro Christo euangelizando mortuus, & ipse non fuerat assumptus ad hoc, sed eius filius Ioannes, nequè est filius Barachiæ, sed sacerdos de vice Abia, & hæc opinio non placet Serrar. nequè Abul. locis infrà citandis. Et ex his corrige quæ tenui in Euang. cap. 130. & Barad. Matth. 23. Serrar. 4. Reg. 13. 2. Paral. 21. reprobantem Riberam, & Abulensem Matth. 23. q. 256. vide Sanctium Zachar. 1. defendentem hanc opinionem pro Zacharia filio vero Barachiæ.

CAPVT XIII.

ANNO vigesimo tertio, &c. regnauit Ioachaz filius Iehu malus; & traditus fuit populus in manus Hazael. *Sed deprecatus est Ioachaz faciē Domini, & Dominus dedit Saluatorē Israeli, & liberatus est de manu regis Syriæ:* vndè cùm saluator fuerit tēpore ipsius, & illicò, saluator nō fuit Ioas, sed fortè Angelus, vel alius virtute diuina agēs: sed cū redijsset ad pristinas iniquitates, traditus fuit in manus Syrorū, qui interfecerūt ferè omnes; & redegerūt omnia in puluerē iuxtà prophetiā, & fletū Elisæi. Ioachaz successit Ioas filius suus, & ipse malus. Is visitans Elisæū ægrotantem, cùm ter percussisset iaculo terram, dixit ei Elisæus: *si percussisses quinquiès, aùt sexiès, aùt septiès, percussisses Syriam vsquè ad consumptionem: nùnc autèm tribus vicibus percuties eam*, vt infrà vers. 25. de tribus vicibus certè, de alijs ex suo iudicio incertè, quia non reuelat sempèr omnia Deus prophetis, vt in Nathan circà ædificationem templi; in Elisæo de morte filij Sunamitis; Samuele Saul lugente, quem Deus eiecerat; Moyse rogante pro se non exaudiendo. ideò primo dixit *percuties*, secundò, *Non percuties*, &c.

&c. Vel, *si percussisses septiès*; si à Deo factum esset, vt septies percussisses, declarasset ipse ex hoc Syriam pessumdandam: at Deus noluit, quia nùnc percussisti ter tantùm. Abulen hic q.15.16.& 17. vide scripta 1. Reg. 23. hinc scire Deum etiàm nunquàm futura ex S. Thoma, & hoc cadit sub illo membro scientiæ absquè nouis vocabulis mediæ, vel conditionatæ, quæ nobis, non Deo videntur aptari. Est enim in Deo duplex tantummodò scientia. Prima dicitur simplicis intelligentiæ, qua cognoscit possibilia nunquàm futura. Secunda dicitur visionis, qua cognoscit existentia siuè præterita, siuè præsentia, siuè aliquandò futura: conditionata verò sub conditione non cadunt sub aliqua ex his duabus scientijs, quia per vtram ex eis cognoscit omnia, sinè conditione; Intellectus verò creatus proptèr eius imperfectionem sub conditione cognoscit. Vers. 10. Mors Elisæi; & excitatio mortui tactis ossibus Elisæi. vndè Eccl. 48. prophetauit mortuum corpus eius, nempè ex resurrectione mortui, & indè resurrectionem vniuersalem futuram, nèc est verisimile hùc illicò denuò mortuum, vt hìc per Abul. & faciunt argumenta, quæ posui in Passione Domini, quandò multa corpora surrexerunt. Versic. 25. Mors Hazahelis, pro quo Benadad iunior filius eius.

CAPVT XIV.

IN *anno secundo, &c. regnauit Amasias filius Ioas regis Iuda*, non fuit corde perfecto cùm Deo, 2. Paral. 25. *percussit seruos, qui interfecerant regem patrem suum Ioas: filios autèm eorum non occidit* iuxtà legem, Deut. 5. Vers. 7. & 2. Paralip. 25. congregauit exercitum contrà Idumæos ex Iuda, cui iunxit centum millia Israel, quos dimisit monitus à propheta, quia non erat Deus cùm Israel: hinc quàm longè distare debeat exercitus hæreticus à catholico; & habuit victoriam: exercitus verò dimissus intulit damna: hinc sollertia Ducum, ne congregati dimittantur milites. Vers. 14. & 2. Paral. 25. Pòst victoriam fit idololatra, & insultauit prophetæ eum in nomine Domini reprehendenti: vndè ei malum prænunciatum. Vers. 9. Amasias init bellum contrà Ioas regem Israel, & capitur; sìc & 2. Paral. 25. 17. similes phrases Ioatham Iudic. 9. *Carduus*, &c. & verba, *veni, videamus*, &c. excitantia ad bellū. Vers. 16. Mortuus est Ioas, & ei successit Ieroboam malus, cuius gesta vers. 23. & huic successit Zacharias vers. 29. Vers. 20. Occisus Amasias, cui successit Azarias, seù Ozias 2. Paral. 26. 1. is fuit binomius.

CAPVT XV.

ANNO *vigesimo septimo*, &c. *Azarias* seu Ozias *fecit quod erat placitum coràm Domino*, longo tempore; habuitquè plures victorias: sed eleuatum fuit cor eius, & voluit adolere incensum supèr altare, quem repulerunt sacerdotes, dicentes: Non est tui officij Ozia, &c. & Ozias tenens in manu thuribulum, nèc acquiescēs percussus est lepra, & expulsus de templo: sic Chore, & congregatio à terra absorpti volentes incensum adolere: sic Adam à paradiso eiectus, dùm vult sicùt Deus fieri. Gen. 3. & Ioatham filius eius rexit domum, & populum, qui & ei successit in regno. hæc 2. Paralip. 26. & hic vsquè ad vers. 8. Is Azarias sacerdos reijciens regem, & alij imitati sunt Eliam, Elisæum, Ioannem Baptistam, & alios regibus renitentes; Moysen Chore, eiusquè congregationi resistentem: hinc quales sacerdotes in reges malè agentes, & conuersos in iurisdictionem Ecclesiastica m subripiendam; proùt Ambrosius lib. 5. Epist. 32. At ab his recessit Vrias Sacerdos infrà

cap.

cap. 16. obsequens Achaz in altare construendo. Vide Chrisost. hom.4.& 5. quanto sit sacerdotalis dignitas maior regia, & de Ozia eumdem Chrisost. in homil. pòst Isaiam.

A vers. 8. vsquè 29. Enumerantur multi reges Israel mali. Vers. 29. Translatio Israelitarum per Theglathphalasar regem Assur in Assyrios. Vers. 32. De gubernio Ioatham regis, filij Oziæ regis Iuda, latiùs 2. Paral. 27. cui successit Achaz. In fine de sepultura Oziæ in agro, &c. non quia malus, nàm vexatio lepræ tribuit ei intellectum, sed quia leprosus: vide Isai. 6.

Dùm dicitur 1. Paral. 6. 10. de Azaria, ipse est qui sacerdotio functus est in domo, quam ædificauit Salomon in Ierusalem; aduerte hoc dictum ad distinguendum ab alio Azaria, qui fortè fuit sacerdos tempore Esdræ in templo à Zorobabel constructo, & de vno Azaria legitur, 1. Paral. 9. 11. cùm enim Esdras sit scriptor Paralipomenon, noluit quemquam decipi, ideò specificauit templum Salomonis. Vndè non placet hoc dictum, quasi nullus alius fecerit actum celebrem, proùt ille cùm Ozia, nàm & consacerdotes fecerunt, & alij sacerdotes boni alia occasione, & non apponeretur distinctio templorum, & specificasset actionem insignem, si de illa intendisset, & 1. Paral. 24. dicitur de Eleazaro, & Ithamar: sacerdotioquè functus est.

CAPVT XVI.

ANNO decimoseptimo Phacee regnauit Achaz filius Ioatham regis Iuda, impius adoleuit incensum in valle Benennon, & lustrauit filios suos in igne, &c. hunc morem expurgandum in vigilia, vel festo S. Ioannis Baptistæ. At bella, & mala multa passus est. ædificauit in Ierusalem altare, proùt in Damasco. captiuos tamē plures de Iuda refectos, & vestitos liberare fecit Deus per prophetam ab eo missum: simile de Syrijs ab Elisæo. hæc omnia hic, & 2. Paralipomenon 28. Huic successit Ezechias filius eius. Moti sunt contrà eum secundò Rasin rex Syriæ, & filius Romeliæ, sed non præualuerunt; quia Dominus per Isaiam significauit ei ne timeret, & iussit vt peteret signum: & nolenti datum fuit illud: Eccè virgo concipiet, &c. Isai. 7. vbì dicitur.

CAPVT XVII.

ANNO duodecimo Achaz, &c. Oseæ rege Israel capto, Israelitæ ducuntur captiui perpetui in Assyrios, & in terram Medorum & infrà cap. 19. 9. (vbi Tobias) ob delicta, quæ enumerantur, & aliæ gentes adducūtur ad habitandum in Samaria, quæ cùm paterentur à bestijs, datur eis sacerdos docens legem Dei, quam seruabant, colentes simùl & idòla, & is vltimus rex Israel de Hebræis, quorum nullus bonus à Ieroboam citrà. ideò tandèm traditæ decem tribus in seruitutem perpetuam, de hac 1. Paralip. 5. sic & Græcia tradita; videtur consuetudine introductum, vt derelinquentes Dominum in manus inimicorum dentur cruciandi, vt discant quàm distet iugum Domini suaue à graue barbarorum.

CAPVT XVIII. & XIX.

ANNO tertio Oseæ regis Israel regnauit Ezechias filius Achaz regis Iuda. Is bonus, confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses, Num. 21. quia filij Israel adolebant ei incensum, vide dicta in Ephod Gedeonis, aperuit & templum, 2. Paral.

Paralip. 29. fecit & Phase, ad quod inuitauit & Israel, & Iudam, 2. Paral. 30. & multa ordinauit, & perfecit ad cultum Domini, & subuentionem sacerdotum, & Leuitarum vnà cùm Pontifice, prout & Ioas 2. Paralip. 31. Verſ. 3. *Iuxtà omnia, quæ fecerat Dauid pater eius* nempè *dissipauit excelsa*, &c. in quibus sicùt Dauid, ità nèc ipse sacrificauit; & idem habetur infrà cap. 22. 2. & cap. 23. 8. in Iosia. Verſ. 7. *Rebellauit contrà regem Assyriorum*. Verſ. 9. De captiuitate per Salmanasar, de qua & suprà cap. 17. Verſ. 13. De Sennacherib, à quo rebellauit Ezechias, cui timens Ezechias misit tercenta talenta argenti, & triginta auri, *& quia dedit omne argentum quod repositum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis*, hinc arguunt Lyran. & Caietan. licere regibus, exhaustis thesauris regijs, tradere ecclesiastica pro liberatione regni, quod tamèn intelligendum consulto, & annuente superiore Ecclesiastico, qui omnia consideret, & ponderet, & iuxtà veritatem, & necessitatem annuat, & prouideat, arg. cap. Non minus, & similium de immun. Eccleſ. in. 6. nàm hoc tempore distinctæ iurisdictiones, quæ indistinctæ erant illis diebus, & maior auctoritas penès reges residere videbatur. Sed Sennacherib non stetit conuentis: vndè Ezechias præparauit se ad defendendum, & mouit populum dicens: Nolite timere, &c. multo enim plures nobiscum sunt, quàm cùm illo, quia Dominus pugnat pro nobis, 2. Paralip. 32. prout Eliſæus puero suo. Et Sennacherib misit exercitum, & Principes, qui locuti sunt cùm viris Ezechiæ, & nota, quòd dicunt se à Domino mitti ex eorum capite, prout socij Dauidis; tempus esse à Domino dictum occidendi Saul; & quod non confiderent in Domino, & verſ. 31 *comedet vnusquisque de vinea sua*, eritis securi, in pace, & orauit Ezechias, & Isaias, & exauditi sunt, & vna nocte. *Angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia*, de Sennacherib, qui petijt Niniuen, & ibi in templo idòlorum occisus à filijs, hæc omnia 2. Paralip. 32. Iſa. 36. 37. Verſ. 23. *Dabo vobis duo millia equorum*, &c. id autèm, quia Hebræi his non vtebantur: etsi Salomon abundauerit, & Samaritani videntur illis vsi, 4. Reg. 7. 13. tollamus quinque equos, qui remanserunt in Vrbe.

CAPVT XX.

IN *diebus illis ægrotauit Ezechias vsquè ad mortem*, &c. at oranti Deus auxit quindecim annos vitæ, & addidit liberationem à rege Assyriorum: sempèr enim Deus excedit vota nostra; sic cùm Salomone, & alijs, quod sæpiùs obseruaui, & hìc Abul. & dedit ei signũ ad certitudinem promissorum retrocessionis vmbræ per decem lineas, seù gradus in horologio facto ab Achaz, de quo hìc latissimè Abulenſ. & Serrar. & Recentiores, & scripsi Iosue 10. hæc 2. Paralip. 32. 24. & Iſa. 38. vbi canticum Ezechiæ. Verſ. 3. *Obsecro Domine*, non refert hoc Ezechias superbiens, sed Dominum ad misericordiam mouere intendens: non sic Publicanus de quo hìc Abulenſis. Verſ. 6. *Proptèr Dauid*, &c. hìnc colligi potest existentes in Limbo patrũ orasse pro viuis. Sed an animæ in purgatorio pro nobis orent? negatiuam tenent S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 15. ad 3. Azor. lib. 9. c. 10. q. 12. Abul. Matth. 6. q. 83. 87. Lorin. Eccl. 9. verſ. 5. Contrà facit èxemplum Paschasij in dialog. Greg. lib. 4. cap. 40. S. Seuerini in flumine. Petr. Dam, epist. 13. cap. 7. Sed an cõstet, quod hi, dùm purgabantur, preces audirent aliorum. Verſ. 7. *Afferte massam ficorum*, contrario remedio curat, vt magis appareat de miraculo, sìc Christus luto visum præbet cœco, Io. 9. vide Abul. q. 17. & 18. alia exempla afferentem. Alij dicunt remedium conforme, Isai. 39. quos vide ibì, & hoc melius, tùm quia ficus habet nescio quid causticum, tùm quia calidus, & calidi

est

est aperire, tùm quia Deus non vtitur miraculo, vbi non concurrit necessitas, & curatio ordinaria hìc sufficiebat; fecit illud Christus, vt appareret maius miraculum, non quòd ex luto dederit lumen; & hìc vsus ficorum ad sanitatem. Versic, 8. *Quod erit signum*, &c. non petit signum quasi incredulus, sed ad Dei gloriam ex sua sanitate manifestandam, alioquin reprehensus supèr hoc esset, proùt Achaz pater suus nolens petere. Isai. 7. vel ignorans an Isaias diceret ex parte Dei, ideò, vt certificaretur, petit signum veri prophetæ Deut. 13. & 18. vide Abul q. 19. seqq. Sed cur Deus dixit *morieris, & non viues*, posteà prorogat vitam ad quindecim annos? vide Abul. q. 8. 10. & 12. & seqq. 4. Reg. 20. ex cuius dictis excludes scientiam mediam. 2. Paralip. 32. 24. dicitur: Eleuatum cor Ezechiæ, ità, vt facta sit ira contrà eum, & populum, sed tamèn humiliatum fuisse, & iram non venisse, & ibi de eius opibus. Vers. 12. De missione Legatorum ad eum, in qua eleuatum cor eius, & ab Isaia prædicta ventura supèr eius posteros. Sed aduerte, quia, etsi 2. Palip. 32. 25. dicatur, sed non iuxtà beneficia, quæ acceperat, retribuit, tamèn hoc nihil aliud fuit, nisi proùt subiungit, quia eleuatum est cor eius, vndè non video alia adfuisse peccata, de quibus hìc Abul. Ideò non ob id venerunt mala supèr eius posteros hìc ab Isaia prædicta, sed ob peccata enormia successorum, vt hìc per Abul. Vndè ei tantùm prædicta; & eo mortuo *regnauit Manasses filius eius pro eo*, de hoc & 2. Paralip. 32. 31. Isai. 39. vbi proùt hìc, *bonum verbum Domini, quod locutus est*; sic & Heli 1. Reg. 3. 19. & Ioab 1. Paral. 19. 13.

CAPVT XXI.

DVODECIM *annorum erat Manasses*, qui fuit à principio impius. Eius mala hìc recitantur, ob quæ Deus illum dedit in captiuitatem Regi Assyriorum: sed cùm clamasset ad Dominum, liberatus fuit, & reductus ad regnum, & tùnc sustulit omnia idola, & respuit, proùt Nabuchodonosor in bestiam mutatus pœnitens ad regnum suum reductus. Et fecit alia, de quibus 2. Paral. 33. & habetur eius oratio apochrypha. Huic successit Amon filius eius, qui fuit malus, & à seruis occisus, qui à populo trucidati sunt, & acclamatus rex Iosias filius eius, cuius nomen prædictum à propheta regi Ieroboam. Vers. 13. *Et extendã supèr Ierusalem funiculũ Samariæ*; népè dabo Iudam in captiuitatem, proùt Samariam, *& pondus domus Achab*, quem deleui, ideò declarando subdit, *& delebo Ierusalem*, &c. simili phrasi vsus Chusai, 2. Reg. 8. & 17. 13. circumdabimus ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidèm ex ea. Vers. 14. *Dimittã verò reliquias hæreditatis meæ*, hæ erant duæ tribus, quæ remanserant; nàm aliæ decem erant captiuæ, *& tradam eas in manus inimicorum eius*. Chaldæorum, proùt traditæ fuerunt.

CAPVT XXII. & XXIII.

OCTO *annorum erat Iosias*, &c. qui fuit bonus, & mũdauit Iudam, & Israel ab idolis, iussit templum sarciri; inuento Deuteronomio doluit, & Dominus tempore suo significauit non euentura mala, quæ prædixit.

Cap. 22. Vers. 17. *Humiliatus es coràm Domino*, sic recepit Dominus Achab humiliatum Domini causa.

Cap. 23. Vers. 4. *Cõbussit*, &c. sìc iusserat Dominus. Vers. 10 *Contaminauit, &c. vt nemo consecraret filium suum, aùt filiam per ignem, Moloch* ità vt lex Dei supèr hoc agens de semine, intelligatur de filijs. Vide Abul.

Abul. & Serrar. circà iſta nomina. Verſ. 13. *Montis offenſionis*, in quo offendebant, ſcandalizabant ibì adorantes; ſicùt dicitur petra ſcandali, lapis offenſionis. Verſ. 16. De ſepulchro prophetæ, qui prædixerat Ioſiam ſic facturum. At quòad oſſa idolòlatrarum exhumata, ſume argumentum ad hos dies, quibus oſſa hæreticorum extumulantur. Verſ. 22. Fecit Phaſe 2. Paralip. 35. Verſ. 23. De Maggedo, an is de quo Apoc. 16. armagedon, non puto. Verſ. 26. *Non eſt auerſus furor Domini*, qui dixerat etiàm Iudam in captiuitatem dandum. Verſ. 29. Occiſus eſt in bello, & latiùs 2. Paral. 35. 20. vndè non poteſt inferri: Quis occiſus eſt, ergò malus, cùm is bonus eſſet, & alibi dixi: & 2. Paralip. 34. 27. dicitur: infereris in ſepulchrum tuum in pace, non autèm morieris in pace, cùm occiſus fuerit; hincque malè infertur mortem violentam eſſe pacem ſeruis Dei ex hoc loco. Illatus autèm in ſepulchrum in pace, quia non vidit mala inducta ſupèr Ieruſalem, vt hìc dicitur, vndè nihil facit ſi occiſus, quia pax erat non videre hæc mala, non alia; vide Abulenſem quæſtione 20. Non credidit Ioſias Nechao dicenti ſe ex Dei ordine ire contrà Regem Aſſyriorum, quia putauit ipſum mendacem, proùt Rabſaçes, & alij idem dicentes falsò Ezechiæ Regi, & ſerui Dauid contrà Saul. At temeritas illi occurrere aliò eunti, neque ſibi damnum, aùt iniuriam inferenti, & Domino non interrogato. Vndè non puto occiſum, quia non credidit, ſed quia temerè laceſſiuit Nechao. 2. Paralip. 35. 3. Et ſi contrà Dei cognitam voluntatem iuiſſet, eius memoria neque à Ieremia, neque à populo fuiſſet adeò ſolemnitèr retenta, *Ponite arcam*, ex hoc videtur, quod eſſet arca extrà templum educta ad bellum. Verſ. 31. Succeſsit ei Ioachaz filius eius, qui regnauit tribus menſibus, malus fuit, vinctus à Nechao moritur in Aegypto. Pro eo Nechao conſtituit Ioachim filium Ioſiæ, qui fuit malus. Contrà hunc aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis.

CAPVT XXIV.

VERS. 1. *Et factus eſt ei Ioachim ſeruus tribus annis: & rurſùm rebellauit contrà eum* hìnc mouit in illũ multos Deus, & tandèm mortuus. Non videtur autèm veriſimile Ioachim occisũ à Nabuchodonoſor, ſed potiùs mortuũ ex infirmitate, quia alìoquin Iechonias, ſeù Ioachim filius eius nõ cõfidiſſet tradere ſe Nabuchodonoſor, & Sedecias Iſaiæ idẽ perſuadẽti hoc opposuiſſet, & *regnauit Ioachim filius eius pro eo*, qui ductus fuit captiuus cùm populo, matre, vxore, vaſis templi in Babylonem à Nabuchodonoſor, qui pro eo conſtituit regem Sedeciam eius patruum malum, qui neque erubuit faciem Ieremiæ prophetæ ex parte Dei loquentis, & rebellauit à Nabuchodonoſor, qui adiurauerat eum per Deum: vide Abul. cap. 24. q. 17. hìnc profanus dictus, proùt Eſau. Vndè Nabuchodonoſor obſedit, & cepit Vrbem, & occidit filios Sedeciæ coràm eo, & effodit ei oculos, & duxit in Babylonem, & poſteà Nabuzardan ex permiſsione Dei euertit Ieruſalem, ſuccendit templum, quod Manaſſes idolòlatria cõtaminauerat, ſicùt & aliud reædificatum, & contaminatum ſimilitèr arſit ſub Tito, hæc enìm contaminata Deus noluit in ſui cultum ſeruire; & duxit omnes, qui ſuperſtites erant, in Babylonem; & antè Ieremias aſportauit arcã: 1. Mach. 2. quæ in nouiſsimis diebus manifeſtabitur, vt alibi dixi: populo, qui remanſit, præfecit Godoliã, qui occiſus fuit à Iudæis vnà cùm Chaldæis ibì relictis, & omnes confugerunt ad Aegyptum.

CAPVT

CAPVT XXV.

VERS. 27. *Euilmerodach rex Babylonis subleuauit caput Ioachim regis Iuda de carcere, & locutus est ei benignè,* & more regio eum tractauit: pater eius Nabuchodonosor contrà fidem captiuum fecerat, is subleuauit, ab hoc Iechonia Salathiel, vt in genealogia Matth. qui Salathiel non successit in regno, vt dixi Genes. 49. quod finierat in captiuitate Babylonica: & ideò Iechonias fuit sterilis quòad hoc, quòd scilicèt filij eius non regnarunt, & sic iuxtà prophetiam in eo defecit sceptrum Iuda. hinc præfectus fuit Godolias, qui non erat de semine regio, seù Dauidico, sed plura de his in Ieremia. Vide Serrar. hic, Hieronymum Ierem. 22. Cùm hoc ductus fuit captiuus Ezechiel. Ezechiel. 1. & voluit Deus hunc esse vltimum regem superstitem, qui moreretur, quia erat & in ætate postremus nepos Iosiæ, cui alij prædicti filij Iosiæ successerant, vndè nedùm per captiuitatem, sed etiàm per successionem aliorum regum priuatus erat regno, & hinc genealogia non à regibus illis vltimis, seù à Sedecia vltimo continuatur, cùm filij eius coràm eo occisi fuerint, sed à Iechonia rege priuato, vt magis appareret cessasse sceptrum in Iuda, præsertìm, quia Salathiel eius filius priuatam vitam duxit. Euilmerodach anno 37. captiuitatis subleuauit caput Ioachim. dicitur autèm Nabuchodonosor vsquè ad 26. annos captiuitatis vixisse, ergò pòst illum Euilmerodach immediatè, nequè alius interpositus Rex. Vndè (si qui interpositi) fuerũt intèr Euilmerodach, & Baltassarem, etsi hoc dubium, quia dicit Deus filium Nabuchodonosor, & filium filij successuros, & videtur intelligere continuatè, & non interpellatè. vide Fernand. visio. 23. & 29. sectio. 1. 2. Paralip. 36. 22. Anno primo Cyri regis Persarum ædificatio templi de qua in sequentibus libris Esdræ.

FINIS QVARTI LIBRI REGVM.

IN LIB. PRIMVM ESDRAE.

CAPVT PRIMVM.

PROPHETAVERAT Ieremias, dùm suaderet regibus Iuda, & populo deditionem regi Babyloniorum, reditũ populi à captiuitate, & reædificationem templi pòst septuaginta annos Iere. 25. 11. & seqq. sed & Isai. cap. 45. de Cyro dixerat, & vers. 13. ipse ædificabit Ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus, quasi gratis, & liberalitèr, vt hìc; vt autèm compleretur verbum illius, *suscitauit Dominus spiritũ regis Persarum*, Cyri ad liberationem populi captiui, & templi ædificationem, edicto exhortans Iudæos ad opus, & exitum è captiuitate; qui & aggressi sunt opus, & Cyrus protulit vasa omnia hìc enumerata, quæ tulerat Nabuchodonosor transferenda in Ierusalem; & hoc agitur in primo capite, quod est quasi proœmium librorum Esdræ.

Obserua verba *suscitauit*, versic. 1. & 5. Dominum inclinare corda nostra iuxtà illud Prou. 21. Cor Regis in manu Dei, quòcunque voluerit vertet illud.

CAPVT II.

HI *sunt autèm*, &c. enumerat qui venerũt in Iudæam ex trãsmigratione Babylonica cũ Zorobabel, & alijs Principibus. Zorobabel Princeps, seù Dux à Rege deputatus, at de suo imperio nihil, proùt in Esdra, vndè quomodò dicitur hunc ex posteris Dauid sceptrum obtinuisse?

Et aduerte, soluuntur quidèm à captiuitate Babylonica, at non transfertur in eos dominium temporale, aùt iurisdictio, quæ non cõprehenduntur in Edicto Regis, immò ad Regem deferuntur omnia, vt in seqq. cap. Vers. 62. *Et eiecti sunt de sacerdotio*, exemplum Chore, & sociorum seruiuit, ne quis ad sacerdotium ex alia stirpe, quàm Aaronica admitteretur iuxtà decretum Dei. Vers. 63. *Donèc surgeret Sacerdos doctus, atquè perfectus*, quis scilicèt iudicaret quid agendum, sic & in Machabæis pluriès. Vers. 68. Oblationes Principum, quæ factæ, & tempore Dauid, 1. Paral. 29.

CAPVT III.

ALTARIS constitutio ad sacrificium, & principium ædificij templi. Vers. 8. Constituerunt Leuitas à viginti annis suprà, qui priùs à 25. & 30. desumebantur, Exod. 18. Vers. 9. *Quasi vir vnus*, ad denotandam charitatem intèr eos, sic suprà cap. 2. vers. 64. & cap. 6. 20. sìc Act. 4. erat credentium cor vnum. Vers. 10. Fundato templo, alij lætantes, alij, qui primum templum viderant fundato anteponendum, flentes, vsquè ad finem capitis.

CAPVT IV.

IMPEDIMENTA, & intermisio ædificij. Vers. 3. *Non est vobis, &c.* sicùt gentiles ad sacrificium non admittebantur, sic nequè ad ædificium templi eos admittere voluerunt. Vers. 12. Mentiuntur, dùm dicunt ædificari Ciuitatem, quia templum tantùm ædificabatur, & erat mera calumnia, quia nouerant, & erant certi de contrario. Vers. 13. & seqq. *tributum, & vectigal, & annuos reditus non dabunt*, & vsquè ad Reges hæc noxa peruenient, ex his collige Reges non dimisisse imperium Iudæis, immò illos sub tributo, & subditos fuisse.

CAPVT V.

PRophetauerunt, &c. numquid faciet aliquid Deus, quod prophetis suis nō reuelet? *in nomine Dei Israel*, sic enim prophetę boni, Deut. 18. Vers. 2. *Prophetæ Dei adiuuātes eos*; quia sic magis intrepidi stabant. Sic Barac ad Debborā, Iudi. 4. 8. Si venis mecū, vadā, si volueris venire, non pergam. Vers. 5. *Oculus autèm Dei*, &c. ecce quomodò Deus cor hominum in manu habeat, Prouerb. 21. & fiat quod ipse vult: oculi Domini contemplantur, &c. Vers. 11. *Serui Dei Cæli, & terræ*, sìc Ionas cap. 1. Paulus Act. 17. & alibì sæpissimè. Vers. 14. *Et data sunt Sassabasar* vocabulo, quem & principem constituit, eccè quomodò Zorobabel; & quì hic Sassabasar dependebat à Rege, & delegatus erat regis, & nihilominùs nulla apparet ei data iurisdictio, proùt Esdræ.

CAPVT VI.

EX decreto Cyri apparet quomodò Dux Zorobabel, & ad quid. Vers. 9. *Quod si necesse fuerit, & vitulos*, &c. eccè quomodò etiàm victimæ à gentilibus sumebantur, & orabant pro gentilibus, vers. 10. *orentquè pro vita Regis, & filiorum eius*, vndè aliàs interpretatus sum gentiles tantùm prohibitos facere in sacrificijs, quod Hebræi, non autèm præbere victimas, si tamèn eas obtulissent Vni Deo omnium creaturarum Auctori, & Generis humani proptèr eius naturam corruptam: hoc enim est credere Deum redemptorem humani generis saltèm implicitè, quod fuit etiàm Gentilibus simplicitèr necessarium ad salutem. At verò offerre victimas falsis Dijs, ex errore Gentilitatis, erat eis prohibitum,

quia huiusmodi sacrificia procedebant ex infidelitate, quæ est maximum omnium peccatorum ex S.Tho.2.2.q.10.art.4. Vers. 11. Obserua pœnas appositas contrà transgressores decreti etiã de illo tempore. Vers. 15. Perfectio tẽpli; & sequitur lætitia, & festiuitatis celebratio, de qua 2. Machab. 2. Vers. 22. *Et conuerterat Dominus cor Regis Assar ad eos, vt adiuuaret*, eccè cor Regis in manu Dei, &c.

CAPVT VII.

ESDRAS Sacerdos cùm epistolis mittitur ab Artaxerxe in Iudæam cùm alijs ad illam visitandum, & docendum legem Dei; cùm facultate deputandi *Iudices, & Præsides, vt iudicent omni populo*, vers. 25. hinc fortè cæptum à Sacerdotibus iudicium tanquàm à rege delegatis, non tanquàm dominis absolutis; & de Zorobabelis iudicio nullibi, nisi quòd Princeps, & Dux fuit; & non constat an tempore Esdræ viueret, potiùs non cùm de eo non agatur his diebus. Vers. 23. *Omne*, &c. eccè quòd à Rege Ethnico sumebantur quæ ad ritum Dei cœli pertinebant, vt aliàs obseruaui. Vers. 24. Exemptio Sacerdotum, & omnium ministrorum tẽpli etiàm laicorum à tributis, hæc & tempore Ioseph in Aegypto, vt ibi dictum, quod nota contrà Principes grauantes clericos: & ex hoc eò magis dic Hebræos à captiuitate dimissos penitùs liberos non fuisse. Vers. 26. Obserua habuisse & necis potestatem, quod tempore Romanorum non habuerunt, vndè dixerunt Pilato, nobis non licet interficere quemquam. Vers. 27. & seqq. quomodò Deus vertat cor Regis, & consiliatorum.

CAPVT VIII.

ENVMERANTVR qui cùm Esdra iuerunt, & oblata. Versic. 7. *In Casphia loco*, vbi decem tribus captiuæ. Sed inuerisimile hoc, potiùs locus in illo regno, vt hic per Lyr. Vers. 22. Confidentia in Deum, & ab auxilio Regis abstractio.

CAPVT

CAPVT IX.

OB idololatriam principalitèr in captiuitatem datæ fuerunt tàm decem tribus Israel, quàm hæ tres, Iuda, Beniamin, Leuitica, & ad eam inducti, & nutriti per Reges eorum malos; Esdras primus sacerdos zelans legem Dei, & timens ne iterùm inficerentur ea peste, ad quam à mulieribus exteris poterant allici, consulit earum eiectionem. Vers. 2. *Et commiscuerunt*, ij erant, qui cùm Zorobabel descenderant de Babylone, & principes cùm illis fuerunt, proùt antè. Vers. 3. *Scidi*, &c. sic & Daniel. Vers. 6. *Leuare faciem*, sic neque Publicanus euangelicus; & Paulus: leuantes puras manus. Vers. 7. *In manum Regum terrarum* eccè quod non erant liberi. Vers. 9. *Sed inclinauit*, &c. eccè cor Regis in manu Dei. Vers. 12. & seqq. Matrimonia illicita cùm Chananæis, &c.

CAPVT X.

VERS. 5. *Et iurauerunt*, sed an rectè, maximè supèr filijs eijciendis, & videtur, quia dictum *iuxtà voluntatē Dei*, & *eorum qui timent*, &c. *& secundùm legem, &c.* Vers. 8. Quasi possessio iurisdictionis Esdræ ex pœna, *auferetur substantia eius, & ipse abijcietur*, &c. quæ erat excommunicatio. Vers. 11. *Date confessionem Domino Deo nostro*, proùt dictum Achan, da gloriam Deo, confitere, sic Cœco, da gloriam Deo, recognosce à Deo. Vers. 18. De filijs Iosue, *& dederunt manus suas, &c. & dederunt*, &c. quod in his factum, credo, & in sequentibus illis iunctis, quod tamèn non est repetitum.

FINIS PRIMI LIBRI ESDRAE.

IN LIRVM II.

ESDRAE.

CAPVT PRIMVM.

VERBA *Nehemiæ filij Helciæ*, is tertius missus in Ierusalem. primus Zorobabel: secūdus Esdras. Vers. 3. *In afflictione magna sunt*, quia opprimebātur à Præfectis Regijs, & gentilibus vicinis. Vers. 5. *Qui custodis pactum*, Deus enim verax, & fidelis, Rom. 3. Versic. 7. *Vanitate seducti sumus*, scilicèt idololatria, nàm idolum vanum, & nihil est. Paulus ad Corinth. Baruch. 6. Versic. 8. *Cùm transgressi fueritis*, &c. vult inferre, tu fidelis, sic dixisti, obserua nùnc.

CAPVT II.

VERS. 2. *Quarè vultus tuus tristis est:* &c. non credo ex aliqua suspicione hoc dictum à Rege, sed quia diligebat Nehemiam, vt constat, & licèt ipse timuerit, id non fecit, quia crederet suspicatum Regem aliquid mali, sed quia deprehensus erat, & fortè non audebat Regi rem indicare: Similitèr nihil faciunt verba, *Rex in æternum viue*, nàm sunt loquentium cùm Regibus, solita etiàm in Scriptura sacra, & in Nabuchodonosor apud Daniele. Vers. 7. *Duces regionis trans flumen*, & vers. 19. *nūquid cōtrà Regē vos rebellatis?* ecce quomodo detinebantur, & ibi duces gentiles regij.

CAPVT III. & IV.

ET *surrexit Eliasib Sacerdos magnus*, quamuis viueret Esdras, & infra cap. 8. & cap. 12. 26. Eliasib enim magnus, vt in capit. 13. 4. 28. Esdras secùs. Hic agit de ædificatione murorum.

Cap. 4. Sequitur ædificatio muri, non obstantibus impedimentis, quæ timebant, quibus prouisum.

CAPVT V.

RVMOR populi ære alieno oppressi, & fame, cui omnia remissa, & prouisum per Nehemiam. Vers. 7. *vsuras ne*, &c. hoc enim prohibitum erat. *Et congregaui aduersùm eos concionem magnam*, vt magis confunderentur, sic in correctione: adhibe tecum duos, aùt tres testes. Versic. 13. *Et excussi*, &c. hoc ad terrorem, sic excussio pulueris in non recipientes Discipulos Domini. Vers. 14. Apparet Nehemiam Ducem constitutum à Rege supèr populo Iuda,

CAV

CAPVT VI.

VERS. 6. *Cogitetis rebellare*, eccè quomodò Reges recognoſcebantur, nèc erant penitùs liberi. Verſ. 12. *Et intellexi*,&c. multi enim loquebantur ex ſuo capite, iuxtà Deut. 18. Verſ. 13. *Acceperat enim pretium*; sìc portabant pretium nuncij Balac ad Balaam. Verſ. 14. *Memento*, &c. non ad imprecationem in eos, ſed pro ſe preces. Verſ. 15. *quinquaginta duobus diebus*, ad miraculum ferè, vt ſubdit.

CAPVT VII. & VIII.

VERS. 3. *vſquè ad calorem Solis*, hoc in multis locis Italiæ receptum. Verſ. 7. *Qui venerunt cùm Zorobabel*, is tùnc mortuus. Verſ. 70. De offerentibus, proùt & tempore Dauid.

Cap. 8. Eſdras docet populum legem, quia tempore captiuitatis fuerat intermiſſa, & abſoluta.

Verſic. 17. Magnum eſt à tempore Ioſue ſolemnitatem non factam taliter, fortè, quia totus populus congregatus in vnum.

CAPVT IX.

CONGREGATI pro ſeparatione vxorum, & filiorum. Verſic. 7. *Elegiſti Abraham, & eduxiſti eum de igne Chaldæorum*. 1. de malis operibus, idolòlatria Chaldæorum, quibus anima iuſti cruciabatur quaſi ab igne, non de igne vero, quaſi quòd Chaldæi voluerint vrere Abraham, qui à Deo iuſſus fuit exire de terra, & cognatione ſua. Geneſ. 12. tamèn Sanctius, Dan. 3. 32. reputat hanc Hebræorum traditionem veram ex Hieronymo. Verſic. 19. *Tu autèm*, &c. obſerua, quomodò Deus ob peccata non recedat à promiſſis. Rom. 3. Verſ. 29. *Et viuet in eis*, obſeruans non occidetur. Verſ. 37. Apparet eos non fuiſſe liberos, ſed ſubditos Regibus exteris.

CAP. X. XI. XII. & XIII.

EXECVTIO ſeparationis, & reaſſumptio contentorum in lege Moyſis, pro quibus nouæ prouiſiones fiunt.

Cap. 11. Enumeratio habitantium in Ieruſalem, & alibi.

Cap. 12. Sequitur eadem numeratio.

Cap. 13. Separatio alienigenarum ab Iſrael. purgatio gazophylacij, reductio rerum ad priſtinum. Sabbati ſanctificatio; Alienigenarum mulierum prohibitio in connubium.

FINIS SECVNDI LIBRI ESDRAE.

IN LIB. TOBIAE

CAPVT PRIMVM.

TOBIAS, &c. *cùm captus esset in diebus Salmanasar Regis Assyriorum,* qui permittente Deo, decem tribus regni Israel ad idolòlatriam, agente Ieroboam conuersas, captiuas duxerat, vt in libris Regum, & Paralip. *in captiuitate tamèn positus viam veritatis non deseruit,* quod ad magnam eius laudem cedit, nempè quòd Regem Ieroboam (Reges enim sequuntur subditi exemplo moti, vt in Sichimitis) non esset secutus, & quòd in tribulatione positus ad probationẽ, etsi ipse nõ esset idolòlatra, hìnc iusti pereunt proptèr iniquos aliquãdò; vide Iosue in Achan, & Iudi. 20. & intèr gentiles viam Dei retinuerit, quod & Iob pro magna laude datur, *ità vt, omnia, quæ habere poterat, quotidiè concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret,* à charitate laudatur, quæ omnia distribuebat absquè intermissione; at ordine seruato suis, & vltrò, non rogatus, quod in Booz cùm Ruth obseruatum. *Cumquè esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamèn puerile gessit,* in iuuene senectus, & prudentia venerabilis. Vers. 5. *Deniquè,* &c. horror Tobiæ ab idolòlatria, & cultus in Deum. Vers. 9. *Nomen suum imponens ei,* cur id? cùm non videatur receptum hoc in Scriptura, & vix aliud exemplum, præterquàm in Zacharia, dùm volebant Ioanni nomen patris imponere: sed fortè hìc, cùm essent captiui in magna calamitate, proùt Zacharias in taciturnitate. Vers. 14. *Et dedit illi potestatem quòcunque vellet ire, habens libertatem quæcunque facere voluisset,* ex his tamèn non credo libertatem habuisse totalem, nempè discedendi, & relinquendi Regem Salmanasar; sed intrà regnum: tùm quia libertatem charissimam cuique amplexus esset: tùm quia subditur quousquè hæc protenderentur. Nequè puto præpositum rebus regijs vti Ioseph; de his enim nullibi in Scriptura Vulgata, nèc vnquàm à me auditum, *pergebat ergò ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita salutis dabit eis,* & sìc visitatoris, & prædicatoris officio fungebatur. Versic. 17. Contribuli egenti vltrò mutuat absquè vsura, seù commodat vsuro. Vers. 18. Contigit Tobiæ, proùt populo Israel mortuo Ioseph, sub Rege, qui illum non nouerat, Exod. 1. sed tandèm præualuit cura Dei supèr iusto, cui omnia restituta. De nece verò Sennacherib habetur in libris Regum, & Paralip. & Isaia Versic. 21. *Sennacherib fugiens* occisis 185. millibus ab Angelo, *& iratus multos occiderat per quadragintaquinque dies,* quibus fuit superstes pòst reditum à Iudæa.

CAPVT

CAPVT II.

VERS. 2. *Prandium bonum*, non excedens in die festo, vt epularetur cùm tribulibus: eccè qualia prandia, & quādò. Versic. 3. *Panem* intellige cùm obsonijs, conuiuio, Vers. 8. & 9. Præfert Deum Regi, hinc Apostoli Act. 4. 19. si iustum est in conspectu Dei vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate, &c. & Act. 5. 29. obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Vers. 10. *Veniens in domum suam*, non ergò extrà, vt aliqui dicunt, quasi pollutus, cùm extrà terram promissionis hæc non seruarentur. Vers. 11. *Ex nido hirundinū*, &c. Deo sic volente, cùm naturali causa, dormientis oculis clausis vix accidere potuerit. Vers. 12. *Hanc autèm tentationem*, &c. eccè cur Deus sic permittat, non vt multi autumant ob peccatum, proùt in Iob, & Cœco nato, vndè Dominus: nequè hic peccauit, nequè parentes eius, sed vt manifestetur gloria Dei, & subdit causas multæ eius patientiæ vsquè ad finem capitis. Vers. 18. *Filij sanctorum sumus*, descendentes à Sanctis: vel sancti, electi, prædestinati, *& vitam illam*, quasi inexplicabilem, proùt Paulo de pane illo edat, *quam Deus daturus est his, qui fidem suam ab eo nunquàm mutant*, perseuerantibus, sic Paulus: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Vers. 21. *Aùt contingere*, vt magis exprimat peccati horrorem. Sic Eua: & ne tangeremus illud. Gen. 3. 3. Non peccauit Tobias sic dicens, non enim certum facit iudicium, sed suspicatur, immò meruit fungens officio vigilantis Patris familias, ne sui in aliquod peccatum incurrerent, eosquè docet quid agendum de re furtiua, si talis esset. Sic & Iob. 1.

CAPVT III.

TVNC *Tobias*, in tribulatione positus exerit præclara de sinu suo. Vers. 7. *Præcipe in pace recipi spiritū meum*, &c. sic Moyses in angustia positus, dicebat; interfice me; & Paulus: vt tæderet nos viuere. Vers. 7. Oratio Saræ similis petens desupèr terram eripi, Vers. 15. *De vinculo improperij huius*, sterilitatis *absoluas me*, sic Elisabeth, Luc. 1. Vers. 13. *Cùm iratus fueris*, &c. sic Propheta: cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

Vers. 17. *Nunquàm cū ludētibus*, &c. puto agere de idololatria, & magis se explicās subdit, *nequè cùm his, qui in leuitate* seù vanitate *ambulant*, præsertìm quia illa frequens tùnc temporis, suprà cap. 1. Vers. 18. Quomodò vir assumendus. Versic. 20. *Non est enim in hominis potestate consilium tuum*, sic Paulus: aut quis consiliarius eius fuit? Versic. 21. *Si in probatione fuerit*, proùt Abraham Gen. 22. coronabitur, non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Vers. 24. Quomodò preces nostræ ad Deum deferantur, & exaudiantur: sic & Apoc. 8. Acto. 10.

CAPVT IV.

EST totum morale, & versatur circà eleemosynam: alibì cōgessi quæ ad eam; & meminit de decem talentis datis Gabelo. Vers. 6. *Et caue ne aliquandò peccato consentias*, contrafaciendo, si enim abfuerit consensus, non peccabis, *& non prætermittas*, &c. in omittendo. Vers. 14. *Superbiam*, &c. *in ipsa enim initium*

sumpsit

sumpsit omnis perditio, hinc peccatũ dæmonis superbia, vt dixi 2. Cor. 2. Vers. 18. *Panem tuum, & vinum tuum supèr sepulturam iusti constitue*, vt eorum pœnis satisfiat in purgatorio, prout Iudas Machabæus mittens pecuniam, vt rogaretur pro illis. In simili ego interpretatus sum locum Apostoli 1. Cor. 15. de baptizantibus se pro mortuis, scilicèt ieiunantibus, vel aliam afflictionem assumentibus, & patientibus.

CAPVT V.

TOBIAS pergit quò Pater iusserat. Vers. 2. *Sed neq; viam, qua pergitur illùc, aliquandò cognoui*. eccè difficultas in negocijs, quæ tamen Deo disponẽte de facili tollitur, vt ex processu. Sic illæ mulieres ad sepulchrũ euntes: quis reuoluet nobis lapidem? &c. Et inuenerunt reuolutum lapidem. Similia non desunt. Vers. 12. *Quale gaudium*, &c. non ex his aliqua turbatio in Tobia, sed assertio veritatis. Nàm suprà cap. 2. 13. Non est contristatus. &c. Vers. 18. *Ego sum Azarias*, &c. nõ mẽtitur Angelus, absit, peccare non datur; sed iuxtà interpretationem, & repræsentationem talis erat, prout non mentiebantur Angeli dicẽtes se Deum, dũ Deum repræsentabant; sic neq. Iacob Esau repræsentãs. At ridiculũ videtur, quod corpus Azariæ sũpserit, quia nunquàm auditum de Angelis aerem induentibus, neque is fuisset, nisi repræsentatus in corpore non integro, sed dimidiatus. Vers. 23. *Baculum senectutis nostræ*, prò his vide in Genes. Iacob eiulantem pro Ioseph, pro Simeone, pro Beniamin. Vers. 25. *Vt diuitias computaremus*, nota multa à nobis sperni, quæ habemus, quòd si priuemur, tùnc chara apparent, & ingemiscimus ablata, hinc nitimur in vetitum sempèr, cupimusquè negata. Vers. 26. *Noli flere*, fortè prophetizat Tobias cœcus.

CAPVT VI.

VERS. 1. Fit mentio canis, quia ei præcucurrit in reditu. Vers. 3. *Expauescens Tobias*, &c. sic Moyses cõuersa virga in serpentẽ, & prout Deus iussit illi, vt apprehenderet caudam, & statim mutatus in pristinam virgam, & cessauit timor, sic hic Angelus, *apprehende branchiam eius*, & cessauit timor in Tobia: eccè cura Angelorum circà nos, arguẽda ab hac visibili. Vers. 5. *Exentera*, &c. quæ bona ex pisce denotantur: sic Deus ex malo quot bona elicit? De diuersorijs, seù cauponis, & quomodò antè illorum inuentionem fieret, vide per Serrar. Versic. 8. *Cordis*, &c. & vers. 19. Firmitèr credendum ex verbis Angeli, hæc virtus piscis: & in dæmone, & oculis facta est experientia; immò dicitur ità, vt vltrà non accedat ad eos. Dices accessisse orationes, fateor Saræ cap. 3. quæ auditæ, & prouisum de pisce, aliæ subsequentes orationes, vt prodesset virtus piscis, quia sinè Deo nullum agens agit; ipse enim manu tenet, conseruat, omnia sinè eo dilabuntur: vide Abul. & Serrar. 1. Reg. 16. Serrar. Tob. 6. & 8. Lorin. Act. 5. vbi dixi: Alcasar Apoc. 8. annot. 2. Perr. Dan. 3. lib. 4. fol. 159. cuius dicta non placent; nàm esto figuratè dixit de se mercenario & Azaria: at non puto de virtute piscis, quia dictum in mendacium cõuerteretur. Nostri Phisici pro oculis vtũtur fele lucij, & quod naturalis sit hæc virtus, Eccl. 38. expressum, præsertim dùm de vnguentario agitur, vt ibi obseruaui; & quod dicit ibi Iansenius de ligno dulcorãte aquas, est rabbinicum, & non est attendendum, quia est cõtrà textum: vide scribentes Exod. 15. de ligno. Sed & cap. 8. habemus experientiam. Vers. 11. & seq. Prouidentia Dei circà nos, & matrimonium, & bona: Dominus pauperem facit, & ditat 1. Reg. 2.

Vers.

Verſ. 14. Prudentia Tobiæ : de incubis, & ſuccubis hic per Serrar. Verſic. 17. quibus nolentibus dominetur dæmonium , sic & Sara cap. 3. 18. 19. Verſ 22. *Vt in ſemine Abrahæ*, &c. eccè quomodò in Meſsia benedicendi omnes ex Angelo.

CAPVT VII.

DIVERTVNT ad domum Raguelis, Et verſ. 10. Tobias vtitur eo modo, quo ſeruus Abrahã. *hic ego hodiè non manducabo.* Verſ. 20, *Dominus cœli det tibi gaudium*, &c. sic Dauid contigit, humilitèr patienti exprobrationes Semei.

CAPVT VIII.

VERS. 2. *Protulit*, &c. facit quod iuſsit Angelus, & non eſt credendum Angelum aſſeruiſſe sic effugari dæmonem, ſi non effugaretur; immò effugatum dæmonium Angelus, *apprehendit, & religauit in deſerto*, &c. & deſerta loca dicuntur habitationes dæmoniorum, vt in Babylone Apoc. 18. 2. Verſ. 5. *Filij quippè ſanctorum ſumus*, & cap. 2. 18. Verſ. 9. Cur accipiat coniugem, proùt Sara dixerat, & docuerat Angelus verſ. 11. vt *foderẽt ſepulchrum*, idem credendum in alijs ſeruatum, quia id videtur quaſi ſolitum præſupponi. Verſ. 21. *Et præpararet*. vide dicta per Serrar. cap. 6. qui & hic etiàm latè tractat.

CAPVT IX. & X.

ANGELVS it in Rages, pecuniam exigit, Gabelum ducit ad nuptias: obſerua verſ. 9. Gabelum dicere de Tobia ſene, quod dixerat Raguel cap. 7. 8. vndè bona fama ipſius apud omnes.

Cap. 10. Tribulatio parentum ob moram Tobiæ, vide in ſimili lamentationes Iacob pro Ioſeph; dimiſsio Tobiæ, & Saræ, cui dicta quæ ſeruanda, proùt Geneſ. 24. 60. imprecatio facta Rebeccæ.

CAPVT XI.

VERS. 4. Monet vt ſumat de felle piſcis. 8. vt liniat oculos patris, quoniàm mox aperientur oculi eius, 14. linit. 16. ſtatimquè viſum recepit. Eccè ex felle medicina; & ſicuti ex eo, sic & eiectio dæmonis ex iecore, vt dixi, vide ad hoc c. Alcaſar Apoc. 8. annot. 2. Verſ. 20. *Gaudentes, & congratulantes*, sic cùm Iob. Noemi, Eliſabeth cognati, & vicini.

CAPVT XII.

VERS. 7. *Etenim ſacramentum Regis terreni abſcondere bonum eſt*, tenemur enim ad ſecretum, *opera autèm Dei reuelare & confiteri honorificum eſt*, hinc malè Achaz nolens petere, nè Deus glorificaretur, & verſ. 21. iubet vt narrent mirabilia Dei, & sic executi ſunt verſ. 22. Verſ. 12. *Quandò orabas*, &c. eccè quomodò bona noſtra opera coràm Deo repræſentantur, sic Acto. 10. Apoc. 6. Verſic. 13. *Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te*, sic cum

cùm Abraham, & Iob, & amicis suis Deus; quid enim scit non tentatus? Vers. 16. *Cùq. hæc audissent*, &c. Angeli boni à principio terrent, sed illicò remouent timorem, vt hìc, & dixi in Zacharia in Euág. Vers. 19. *Videbar*, &c. sic Christus resuscitatus, alius enim cibus Angelorum, & resuscitatorum, hic per Serrar. in fine totius operis, & dixi in Euangelijs in cap. resurrectionis. Vers. 20. *Tempus*, &c. Angeli expleto ministerio non morantur. Aduerti in Gabriele ad Virginem, & alibi.

CAPVT XIII.

VERS. 3. *In conspectu gentium*, &c. hinc & Abraham, Lot, & multos dispersit ad alios edocẽdos, vt pluriès obseruaui. Vers. 7. *Regemquè sæculorum*, & Paulus: Regi sæculorum immortali, & inuisibili, & infrà vers. 12. Deum sæculorum. Vers. 11. vsquè in fin. De Ierusalem terrena, & vna tantùm iudicio meo, præsertim quia loquitur prophetando, & non præsumitur digreßio de vna ad aliam, & in qua Meßias videndus, ideò multa subdit illum respicientia, præsertim *beatus ero*. Vndè Christus; Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, & explicatur in cap. seq. vers. 7. 8. 9. Et ad denotandum splendorem vtitur metaphora vers. 21. *portæ Ierusalem*, &c.

CAPVT XIV.

VERS. 6. *Propè erit interitus Niniue*. Puro hìc Tobiam prophetare, vt solent iusti in fine vitæ, sic Isaac, Iacob, iuxtà prophetiam Ionæ ex versione græca: Vndè pepercit Deus ad tempus Niniuitis; & hæc noua interpretatio Prophetiæ Ionæ, quam etiàm comprehendit ex eius iniquitate infrà vers. 14. sicùt in simili Gen. 15. Non dùm completæ sunt iniquitates, &c. Et sic prophetat etiàm de captiuitate reuersura: *Et fratres nostri*, &c. & intelligit de captiuis in Babylonia, nàm quãdò hæc protulit, captiuitas Babylonica secuta erat: quasi dicat. *Et domus Dei, quæ in ea incensa est, reædificabitur*. Et in sequentibus redit ad tempora Meßiæ, & quomodò gentes conuertentur. Vers. 12. *Nolite manere hic*. Ioseph verò Genes. 50. prædixit Deum suos educturũ. Vers. 17. *Vt accepti essent Deo, & hominibus*, prout Paulus requirit. Rom. 12. 17. Hoc exemplum Angeli Deus voluit apponere, vt ex vno disceremus Angelorum curam, & custodiam circà nos: Sic per Angelum duxit populum, per Angelos victorias operatus est, Heliodorum repreßit, Populum flentem consolatus est, alia patrauit mirabilia; sunt enim administratorij spiritus in ministerium mißi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, Hebr. 1. 14. Ideò tùm vera, & certa: tùm conformis alijs Angelicis actionibus hæc historia Tobiç cõtrà hæreticos insanos.

FINIS LIBRI TOBIAE.

IN

IN LIBRVM IVDITH.

CAPVT PRIMVM.

ARPHAXAD, &c. potentiam huius, & ædificationem Ciuitatis præmittit, vt cùm victus fuerit à Nabuchodonosor, alterius maiorem potentiam intelligamus. At vndè casus Arphaxad? *quia gloriabatur*, &c. Verſ. 4. vt meruerit deprimi à Deo, in quo ſolo gloriandum, vt per Paulũ. 2. Cor. 10. 17. Sed & verſ. 7. *Eleuatũ eſt & cor Nabuchodonoſor* victoris, *& miſit* ad populos multos, vt ei parerent; quibus renuentibus, iurauit ſe defenſurum, vindicaturum contrà eos. De eius ſuperbia præmittit, vt appareat cur & ipſe depreſſus.

Credo hanc Hiſtoriam contigiſſe pòſt dimiſſam captiuitatem Babylonicam: tùm quòd iàm Templum, & Ciuitas Ieruſalem reædificata, & nulla mentio Regum, qui antè ſempèr regnauerunt, ſed mentio Sacerdotis gubernantis: tùm ex ordine librorum, cùm is poſtponatur libris Eſdræ, tùm certò ex verbis Achior cap. 5. 22. *Nàm & antè hos annos*, &c. & 23. *Nupèr autèm reuerſi ad Dominum Deum ſuum ex diſperſione, qua diſperſi fuerant, adunati ſunt, & aſcenderunt Montana hæc omnia, & iterùm poſſident Ieruſalem, vbi ſunt ſancta eorum:* Hoc enim factum pòſt captiuitatem Babylonicam. Et pondera verbum *Nupèr*, quia à paucis annis pòſt captiuitatem dimiſſam hæc contigerunt. Et ſi tempore Regum hæc contigiſſent, aliqua mentio fieret in ſubſequentibus ſcripturis de Achior, ſicùt de Cyneo. Præthereà, fuiſſentnè omiſſæ hæ victoriæ in libris Regum, in quibus aliæ enumerantur? Nèc dicere potes hæc contigiſſe pòſt alias Captiuitates Iſraelis; tùm quia nulla mentio reuerſionis decem Tribuum, quæ datæ fuerunt in perpetuam captiuitatem: tùm quia hìc mentio Ieruſalem, quæ nihil ad illas, ſed ad Iudam, Beniamin, Leuiticam.

Vndè miror hanc Hiſtoriam trahi ad tempora Manaſsis: Nàm quæ reuerſio Tribuũ? quæ reædificatio? quæ noua poſſeſſio tunc Ieruſalẽ, & Sanctorum locorum, de quibus Achior cap. 5? Nihil conuenit, ſed omnia conueniunt tranſmigrationi pòſt captiuitatem Babylonicam. Præthereà, ſi aderat Manaſſes, quomodò Eliachim Sacerdos vſurpat ſibi Regalia, adminiſtrationem belli, & omnia, quæ ad reges ſpectant? nùm vnquàm aliàs factum? Infirmæ rationes Serrarij contrà id, quæ non indigent reſponſione; immò Manaſſes pòſt reditum è Babylone ædificauit murum, & Ciuitatem Dauid, conſtituitquè Principes exercitus in cunctis Ciuitatibus Iuda munitis, & quòad ſpiritualia, ità vt & ipſe fungi poſſet officio Regis in his; abſtulit Deos alienos, & Simulachrum de Domo Domini, Aras quoquè, quas fecerat, &c. & tandèm: Præcepitquè Iudæ, vt ſeruiret Domino Deo Iſrael 2. Paral. 33. 14. 15. Præthereà, quomodò nũquàm mentio Manaſſis, vel Ioſiæ Regum inſi-

insignium, vel bellorum, vel facinorum eorum? Insupèr si fuissent hæc recentia populo Iudæ, & Israel, quomodò ignorasset Holofernes, qualis esset hic populus? cur interrogasset tàm adamussim cap. 5? Cur Achiorem audisset orantem? Dixisset ei, noui quis sit, nō indigeo tua oratione, & explicatione, & miror defendi à Serrar. quod interrogauerit, etsi nosset qualis populus; est enim hoc contrà textum, & contrà omnem rationem: Vndè non puto ad hunc Regem Nabuchodonosor quicquam pertinuisse res Babylonicas, nec adducta indigent responsione ab his diuersa.

Dices, cap. 4. timuerunt viri Iuda, ne Holofernes faceret Ierusalem, & templo Domini, quod in alijs vrbibus fecerat, ergò antè captiuitatem Babylonicam Historia: Pulchrum argumentum, immò hoc magis confirmat dictum Achioris, nempè quòd fuerit pòst captiuitatem Babylonicam eo tempore, quo erat extructum templum, & Ciuitas reædificata, & habitationibus repleta: præsertim, quia miserunt in omnem Samariam, vers. 3. cap. 4. defensuri totam Terram Chanaan, quod tempore Regum, quibus diuisa regna, non licuisset, quisque enim suo regno incubuisset: Et hoc etiàm magis firmat hanc opinionem, quia nedùm in Iuda, sed nequè in Israel Rex vllus, qui nominetur.

Non dicas, nondùm extructum Templum; quia de illius constructione constat cap. 4. vers. 2. 9. 10. Sancta eorum in pollutionem; & in libris Esdræ non leguntur oblata sacrificia vniuersalia, nisi templo cōstructo, prout hìc oblata feruntur cap. 4.

Non obstat Isai. cap. 22. quia ibì alius Eliacim à nostro Eliachim diuersimodè scripto; Et intèr eos in Hebræo magna differentia.

Secundò, ibì de Eliacim, à quo magna emanatura: At hic quid magnum? in manu fœminæ posita victoria, prout dixit Debbora Barach.

Tertiò, quomodò concordabis dicta ab Achiore, & alia considerata tempore Eliacim, Isaiæ & Manassé? Nihil congruit, omnia diuersa: hæc omnia iuxtà Vulgatam; & secūdùm versionē græcā omnia clariora, quia dicitur c. 4. Et timuerunt, & pro Ierusalē, & tēplo Domini Dei sui turbati sūnt, quoniā recentèr ascenderant è captiuitate, & nupèr omnis populus collectus fuerat Iudæ, & vasa, & altare, & domus ex pollutione fuerant sanctificata; quæ omnia conformia dictis Achior c. 5. vt nō possint euelli; quarè standū Historiā hanc contigisse pòst transmigrationem Babylonicā, & postquàm Templum extructum, Ierusalem ædificata, habitationibus plena.

Quartò, cap. 2. c. 5. 23. Et captiui ducti sunt in terram non propriam, & Templum Dei ipsorum factum est in pauimentum, & Ciuitates eorum captæ sunt ab aduersarijs, hæc enim in captiuitate Babylonica; & tùnc reuertentes ad Deum suum ascenderunt è dispersione, vbi dispersi fuerant illìc, & tenuerunt Ierusalem, vbi sanctuarium eorum, & habitauerunt in montana, quoniàm erat deserta. Sed iuxtà versionem Vatabli clariùs. Et captiui in terram alienam adducti, tùnc Templum Dei ipsorum solo æquatum est, Vrbesquè eorum ab Hostibus occupatæ; nùnc autèm ad Deum suum conuersi à dispersione, qua disiecti fuerunt, se recepere, & Hierosolima sede Religionis suæ recuperata, in mutata regione, quæ deserta fuerat, denuò consedere. Non dicas, Manasses fuit in pace pòst reditum à captiuitate sua per 40. annos, cui conforme quod dicitur Iudith vltimo. Nàm primò negatur Manassem fuisse in pace, & contrarium videtur apparere ex tot munitionibus, & præsidijs per eum paratis; Secundò nō apparet per quantum tempus vixerit pòst reditum à captiuitate sua; Tertiò obstant alia omnia suprà deducta.

Nèc quicquam facit contrà hunc librum mentio Samariæ, quia pòst reuersam captiuitatem, sub Sacerdotibus nedùm Regnum Iuda, sed & Israel gubernabatur ab eodem Sacerdote magno, ni mirum si tùnc Samaritanis detrectantibus missi, qui nunciarent quæ alijs ex Iuda nunciabantur: Quo verò ad Regnum Iuda, illud non fuerat sub Rege Assyriorum dominante in Niniue, prout is Nabuchodonosor, sed sub Rege dominante in Babylone.

Sed est difficultas, quomodò resurrexerit regnum

regnum Assyriorum, seù Chaldæorum (si idem iuxtà Theodoretum Danielis 2. 9.) postquàm destructum fuit à Cyro, & Dario, & quod fuerit potens, proùt describitur in Iudith. Ad hæc dicendum, vel non esse idem regnum Assyriorum, de quo in Iudith, & Chaldæorũ à Cyro destructum; nàm rex Assyriorum Nabuchodonosor regnabat in Niniue, alius Chaldæorũ, in Babylone. Vel quia hæc habentur in Scriptura, sic affirmãdum fuisse; nec vlteriùs quærendum. Vel regnum Persicum permansisse, quod in vnã partem ex tribus relatum fuit, in qua Assyrijs dominabantur, de quo Daniel. 7. & ibì Theodor. ergò rex Nabuchodonosor, de quo hic, erit rex Assyriorum ex descendentibus, seù successoribus Cyri, & de regno Syriæ, Dan. 11.

Præterea, antè Nabuchodonosor, qui ter Iudæos fecit captiuos, vt in libris Regum, & Paralipom. nullus legitur alius similis nominis Rex Babylonis; is autèm cùm suis, nẽpè Baltassare peruenit vsquè ad Cyrum, Dan. 5. sub quo soluta captiuitas Iudæorum. Ità vt nullus alius fuerit intermedius, ergò necessariò is in Iudith, non alius diuerso tẽpore, nempè pòst solutam captiuitatem.

Præterea, nec Arphaxad Rex Medorum victus, nèc Nabuchodonosor victor fuit antè illa tempora captiuitatis; ergò pòst captiuitatem omnia.

Hanc opinionem tenet Ribera, Ioelis 2. num. 39. vsquè ad 45. Sed latiùs, & diligentiùs Nahum 2. in princ. cap. quem pòst legi, & ibì de omnibus agit. vide eum. tenuit eandem opinionem S. August. de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 26. Vndè non placet hanc historiam cõtigisse tempore Ezechiæ, vt per Sanct. Ierem. 25. num. 49. Fernand. Vision. 27. lectio. 1.

CAPVT II.

VERS. 1. *Vt defenderet se*, vindicaret. Versic. 3 *Mysterium*, Secretum, Vers. 11. *Locusta*, hæc similitudo Apoc. 9. 7.

In hoc cap. præparatio belli, & multorum debellatio, & inuasio.

CAPVT III.

SEQVVNTVR in hoc cap. deductiones pupulorum, & destructiones Ciuitatum. Vers. 2. *Melius est enim*, hinc Iob. 2. 4. Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet, dabit homo pro anima sua. Et Israelitæ timentes mori exoptabant pristinam seruitutem Aegyptiacam: & viri Iabes Galaad seruitutem, & effossionem oculorum dextrorum pati malebant, quàm vitam perdere, 1. Reg. 11. Versic. 10. Quomodò excipiantur victores. Vers. 13. *Vt ipse solus diceretur Deus*, quæ insania!

CAPVT IV.

PRAEPARATIO Israelitarum ad bellum, & preces, & alia ad Deum pro liberatione, missiones, & circuitus Eliachim Sacerdotis, ità vt clarè appareat Regem non fuisse in Israel; Et propterea vera opinio hæc contigisse pòst reuersam Captiuitatem Babylonicam. Versic. 12. Loquitur non propheticè, sed fiducialitèr in Deo sperans; propterea adducit exemplum Moysis, & dicitur vers. 15. *ad hanc igitùr exhortationem*, non Prophetiam.

CAPVT V.

VIDENS Holofernes resistentem populum, quærit de eo, narrat Achior, cui cõtradicitur. Verſ. 7. *Quoniàm noluerũt ſequi Deos Patrum ſuorum. Deſerentes*, &c. hìnc excluſi Abraham ab Idololàtria, dixi in Gen. & Act. 7. Ioſ. 24. Verſ. 9. *Qui & præcepit eis*, ſemèl tantùm, vt alibì dixi; *vt exirent*. Verſ. 12. *Mare aperuit*, in vno tantùm loco, vndè ſubditur, *ità vt hìnc indè aquæ quaſi murus ſolidarentur*, dixi in Exodo. Verſ. 18. *Quotieſcunquè*, &c. cùm ſequentibus, quandò à Deo defecerũt, percuſſi, ideò Balaam dicebat Balac, hùc alludens Num. 23. 21. non eſt idòlum in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſrael, &c. hìnc Sancti viri in anguſtijs purgabant populum à peccatis, & præſertìm ab idolòlatria: ſìc Iacob cùm ſuis, & ſceleſtus Balaam docuit Balac mittere ſcandalum antè filios Iſrael, Num. 24. 14. Apoc. 3. Verſ. 22. 23. *Nàm & antè hos annos*, &c. nùnc ex his verſ. Cõſtat Hiſtoriam hanc contigiſſe pòſt reuerſam captiuitatem Babylonicam, vt dixi cap. 1.

CAPVT VI.

HOLOFERNIS ad Achior reprehenſio, & conſilium tradendi Achior, proùt Michæam Achab. 3. Reg. 22. Eius narratio, & confugium populi ad Dominum. Nolunt Principes audire veritatem 3. Reg. 22. in Michea cùm Achab, in Elia cùm eodem: in Balac cùm Balaam. Verſic. 5. *Non concidat vultus tuus, & pallor*, &c. Sìc contigit Baltaſſari Daniel 5. ſìc Agag, hoc timore mortis, infrà verſ. 12. Verſic. 15. *Humilitatem*, ideſt abiectionem: vt dixi in in cantico Virginis.

CAPVT VII.

OBSIDETVR Bethulia, aqua impeditur: tumultus populi, Oratio Oziæ: dilatio ad quinque dies, proùt; & Galaaditæ ſeptem dies à Naas 1. Reg. 11. Verſic. 16. *Melius eſt enim*, &c. ſic & ſuprà cap. 3. 2. vbì notaui.

CAPVT VIII.

IVDITH viduæ deliberatio. Verſic. 18. *Quoniàm non ſumus ſecuti peccata Patrũ noſtrorum, qui dereliquerunt Deum ſuum, & adorauerunt Deos alienos*, &c. Hìnc collige iterum hanc hiſtoriam fuiſſe pòſt tranſmigrationem, pòſt illam ſiquidèm non fuit Idolòlatria in Iſrael, ſaltèm in pluribus, vel vniuerſalis, tùm quia gubernabant Sacerdotes, non Reges, qui ſolebant populum ad idolòlatriam ſuo malo exemplo trahere: tùm quia in captiuitate afflicti didicerunt non recedere à Deo ſuo, quod tempore Regum non contigit, quo ſempèr idolòlatria viguit à Salomone citrà. Et pondera verba *Patrum noſtrorum*, quia de longè præteritis loquitur, non recentibus, ideò antè captiuitatem. Prætereà tempore Regum nullus Princeps locorum, & hìc

Ozias

Ozias Princeps cap. 7. & 8. Versic. 23. *Amicus Dei*, &c. Iac. 2. 22. Isai. 1. 8. 2. Paralip. 20. 7. Dan. 3. 35. Vers. 25. *Exterminati sunt ab exterminatore*, proùt dixi, 1. Corinth. 10. 10.

CAPVT IX.

IVDITH oratio. Vers. 2. De Simeone: cuius factum bonum hìc dicit. Et verum est, quatenùs vindicauit, quod Sichimitæ malè egerant, ideò dicit: *Zelauerunt zelum tuum.* Et non quatenùs contrà fidem datam iuit, vt alibi notaui latiùs: Dùm dicit in *defensionem*, dic in vltionem, vt dixi cap. 1. & 2. Vers. 13. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me*, &c. Et sic contigit, & non potest hoc intelligi ad peccatum, sed ad duritiã cordis illius, atquè ad exprobandam culpam eius; in quo etiàm sensu locutus est S. Ioan. in Apocalyp. Qui in sordibus est, sordescat adhùc; & Christus Dominus dixit Iudæ. Quod facis, fac citiùs; quarè hoc non dicit optans, sed præsumens sìc futurum ex Dei permissione. Vers. 16. *Non enìm in multitudine*, &c. sic salus in paucis, proùt in multis, vt in Ionatha, Machabæis, & alibì pluriès.

Nèc superbi ab initio placuerunt tibi, vel de Angelis rebellibus, vel primis hominibus, sed de Angelis potiùs; hìnc peccatum eorum superbia, vt & in Tobia dixi. Tob. cap. 4. 14. & 1. Cor. 2.

CAPVT X.

IVDITH exit ad Holofernem. Vers. 4. *Cui etiàm Dominus contulit splendorem*, &c. In approbatione huius actionis, & excluditur peccatum in ornamentis. Vers. 12. & 13. Mendacia officiosa dixisse Iudith puto certum: & vsa est insidijs, quæ licent cùm hoste. Versic. 19. *Duxeruntquè illam*, &c. sìc Sara ad Pharaonem, & Abimelec Reges. Vers. 17. *Statimquè captus est in suis oculis*, &c. proùt dixerat Iudith. Vers. 20. *Adorauit eum*, quomodò? *prosternens*, &c. more humano honorem, & reuerentiam exhibendo.

CAPVT XI.

VERS. 4. Iudith mendacitèr, & adulatoriè loquitur, sed cùm fructu, & licent insidiæ cùm hoste publico, quãquàm nullo modo sint licita mendacia, vt dicit S. Ambrosius lib. 1. de officijs cap. 29. & lib 3. cap. 10. Vers. 8. *Constat enìm*, &c. confirmat quod dixerat Achior, & certum reddit quod ipse dubium dixerat. Vers. 12. *Quæ nec manibus deberent contingere*, sìc Eua Gen. 3. Tobias cap. 3. Vers. 14. *Deum colo etiàm nùnc apud te:* virilis, & fidelis propositio Vers. 21. *Si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus*, eccè quomodò commotus Holofernes, qui solum Nabuchodònosor volebat priùs Deum cognitum: cogitabat fortè Holofernes de nuptijs, non illa.

CAPVT XII.

VERS. 2. non vult manducare de cibis Gentilium prouт nequè Daniel, Dan. 1. Verſ. 4. Apparet quomodò fiduciam haberet in Domino, non quòd prophetaret. Verſic. 11. *Fœdum eſt enim*, &c. eccè leges ſæculi contra Deum, sìc de Monomachia & alijs. Verſic. 13. *Quæ ego ſum*, &c. ſe humiliat, prouт Abigail petita à Dauid in connubium.

CAPVT XIII.

VERS. 7. & 10. *Confirma*, &c. & *labiorum motu in ſilentio*, sic Anna 1. Reg. 1. sìc Moyſes, sìc Propheta. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. *Ieruſalem Ciuitatem tuam erigas*, hæc verba non aptantur antè tranſmigrationem, ſed pòſt, quia tùnc adhùc non erat in flore, prouт anteà: *& hoc, quod credens per te poſſe fieri cogitaui, perficiam*, Eccè fiducia, non prophetia. Verſ. 10. Sicùt petijt, pugione ſuo abſcidit caput eius. Verſ. 20. *Cuſtodiuit me Angelus*; sic in Tobia, & Iacob: ſed ſinè pollutione peccati, ideò cauendum, quandò de illius peccato in his agitur. Vide Serrar. qui nititur Iudith in totum defendere, quod vereor an præſtet, à mendacijs enìm vix credo poſſe ſaluari. Verſ. 29. *Videns autèm Achior*, &c. sìc Tobias, & ſui dicta Angeli audientes.

CAPVT XIV.

VERS. 6. *Tùnc Achior*, &c. eccè ex egregio facto conuerſio illius. Si hoc tempore Regum, vt dixi, contigiſſet, fieret aliqua mentio in libris Regum, vel Paral. de Achior. Apparet Holofernes capite truncus, omneſquè apprehendit timor.

CAPVT XV.

VERSIC. 5. *Miſit itaquè Ozias*. Si rex fuiſſet in Iſrael, & multitudo populi, prouт antè captiuitatem Babylonicam, Rex miſiſſet ſubſidium, nèc in Ozia ſolo tanta moles belli conſtitiſſet. Sed nequè Rex, nequè multus populus adhùc erat in Iſrael, qui recentèr tranſmigrauerat. Verſic. 9. *Ioachim autèm ſummus Sacerdos*. Si fuiſſet Rex in Ieruſalem, & sic antè captiuitatem, & ipſe acceſſiſſet non Sacerdos.

CAPVT

CAPVT XVI.

TVNC *cantauit*, sic Debbora, Moyses, & alij victores. Vers. 11. *Sandalia eius rapuerunt oculos eius.* hinc caūedum à Saltatrice, ob quam Ioannes Baptista decapitatur. Vers. 20. *Væ genti*, &c. hoc verum; quià Deus vindicauit sempèr opprimentes populum suum. Et ità in Romanos suo tempore exequetur. Numer. 24. Apocal. 17. Vers. 21. *Dabit enim ignem, & vermes*; hos non veros, sed effectum illis similem, & alibì tenui, præsertim Isai. 66. vbì Sanct. Versic. 23. prout vbì de Anathema oblato à Iudith in Templo in Scripturis præcedentibus? ergò pòst transmigrationem id factum. Versic. 25. Si erat præclarior, vbi vnquàm illius mentio? ergò pòst transmigrationem. Vers. 30. *In omni autèm spatio vitæ eius nō fuit, qui perturbaret Israel, & pòst mortē eius annis multis.* Tēpore Regū id non fuit, si enim fuisset tanta pax tempore Iosiæ, vel Manasses, vel alterius, diceretur, pròut de alijs temporibus pacificis dicitur, & pax hæc comprehenderet tempora plurium Regum: fortè hæc pax intercessit intèr tempora librorum Esdræ, & Machabæorum, ergò pòst trāsmigrationem, & intellige cùm solutione tributi, quia non fuit libertas totalis pòst transmigrationem è Babylone. Versic. 31. *Dies autèm victoriæ huius festiuitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore vsquè in præsentem diem*; de huiusmodi festo fieret aliqua mentio alibì in Scripturis antiquis, si hoc contigisset tempore Regum. Ergò pòst transmigrationem omnia.

FINIS LIBRI IVDITH.

IN LIBRVM
ESTHER.

QVIA nõ Artaxerxis, vel gentilium causa ab Hebræo, sed Hebræorum causa compositus liber, quo ostenditur Dei prouidentia in populum suum, & huius principales personæ Mardochæus, & Esther: à somnio Mardochæi, à quo cætera dependent, & quod præcedit tempore, initium sumam, sequutus Recentiores.

Ex CAPITE XI.
à vers. 2. vsquè ad 13.

ANNO *secundo*, &c. Videt somnium Mardochæus. Sæpè Deus per somnia reuelat statum hominum, sìc contigit & Ioseph, & carceratis cùm ipso: Nabuchodonosori, & alijs: vide Iob 33.15. *de tribu Beniamin*, & tamèn erat de captiuis ductis cùm Iechonia Rege Iudæ, vers. 4. vndè hæc historia contigit antè trasmigrationem è Babylone, & is Assuerus, qui & Artaxerxes antè Cyrum, qui dedit facultatem transmigrandi. Et si facta esset transmigratio, importunum erat subuenire populo modo hoc extraordinario, quod non solet Deus: immò de hoc tempore nondùm eiectum templum, & altare, quia de illis meminit Esther. cap. 14. 9. Cùm enim hi essent captiui tempore Iechoniæ, pòst cuius captiuitatem durauit tẽplum, & Ciuitas, vt 4. Reg. 24. 15. vsquè in finem, & cap. seq. & Paralip. 36. si sìc habemus præcisum tempus historiæ huius: quod & deprehenditur ex ætate Esther, & dictis per eam cap. 14. vers. 18. Si regis imperium non concurrit, quia idem Nabuchodonosor, qui primos transtulit, alios quoquè, & templum, & Ciuitatem destruxit, mentio templi, & altaris, quæ extabant olìm, facta erit: saltèm stabit hæc in captiuitate contigisse. Vers. 6. *Duo Dracones*, Mardochæus, & Aman. Vers. 7. De eo, quod fecit Aman contrà populum Dei. Vers. 10. *Fons paruus*, &c. Esther, quæ Regina facta est ex paupere, cap. 11. 6. Vers. 11. *Lux, & Sol*, constabit ex facto Iudæorum. Versic. 12. Ignorantia Mardochæi circà somnium. Sìc nequè Ioseph sciebat quid de eo futurum: sed posteà ex subsecutis cognouit.

Expositio somnij cap. 11.

CAPVT

CAPVT I.

VERS. 1. *Assueri*, qui idem, quod Artaxerxes maximus, vt cap. 11. 2. Vers. 3. *Tertio anno*, & sic pòst somnium anno vno, Dei prouiuidentia conuiuium factũ, in quo Regina Vasthi repudiata, vt subiugaretur Esther. Vers. 4. *Vt ostenderet*, &c. cogitationes arduæ dignæ Rege maximo; & factum egregium conuiuandi per tot dies; imputatum Ezechiæ ostendenti thesauros suos. Vers. 8. *Nèc erat qui nolentes cogeret ad bibendum*, nota contrà incumbentes Calicibus epotandis, & alios cogentes his diebus. Versic. 9. *Vasthi quoquè Regina fecit conuiuium*, &c. è conuiuio mala multa, hæc repudiata Rege iniquè agente: Ioannes Baptista occisus: filij Iob trucidati: Amnon interfectus: Princeps pistorũ appensus. Vers. 11. *Vt ostẽderet*, &c. *pulchritudinẽ illius*, benè præmisit, *& pòst nimiã potationem inualuisset mero*, hic enim erat actus ebrij. Vers. 12. *Quæ renuit*, & iustè, & eius prudentia in hoc cõmendãda. *Vndè iratus Rex, & nimio feruore succẽsus*, primo errori succedit alius, vt dùm ira ei dominatur, cogitet de pœna innocentis, & consulat adulatores, qui iram eius in illam considerabant, & verebantur quicquam diuersum ab illa proponere, hinc & illam extendere nisi sunt. Vers. 17. nasciturum contemptum mulierum ergà viros, qui vxores quasi seruas retinebant. Vers. 19. *Vt nequaquàm Vasthi Regina vltrà ingrediatur*, &c. pœna innocente indigna, & inepta, ex sola barberie emanans.

CAP. II. & è CAP. XII. à versic. 1. vsquè ad 7.

HIS *ità gestis, postquàm Regis indignatio deferbuerat*, hinc in ira nihil agendum à Principe, & secundam iussionem expectari indixit Imperator, *recordatus est Vasthi*, sibi gratæ, & quæ fecisset, vel vana, si secundùm eius reputationẽ, vel bona, si secundùm veritatem, vel quæ passa esset indebitè, & prætèr rationem: iniustitia fit in ira, seù prædominante passione, qua sublata, cognoscitur peccatum. Vers. 2. Quærunt serui Regis ei obsequentes clauum clauo trudere, cognoscentes illum esse amaro animo ob eiectam Vasthi; at omnia permittente Deo gesta ad exaltationem Esther, & liberationem populi sui: fortè enim instabat tempus illius, & nùnc iacta fundamenta, quia Hebræi Regibus grati esse cœperunt. Vers. 5. vsquè 11. Traditur Esther, & placuit Regi, & noluit indicare populum, & Patriam, quia fortè Hebræi captiui exosi erant, vt apparebit, dùm contrà eos machinatus est Aman. Vers. 15. *Non quæsiuit cultũ muliebrem*. eccè bona educatio, & puritas Estheris. Ver. 17. Esther fit Regina, conuiuiũ paratur, & dedit requiẽ vniuersis populis, ferias indixit, ne ius durantibus nuptijs redderetur, & dona largitus est, non autèm tributa remisit. Vers. 19. *Cumquè secundò quærerentur*. Non ergò requies populi erat in non quærendo virgines, si adhùc quærebantur. Vers. 21. De duobus Eunuchis iratis in Regem, & in eum consurgentibus, volentibus illum occidere ferro; dicitur enim *insurgere in Regem, & occidere eum*, non ergò veneno. Et cap. 12. 2. *in Regem manus mittere*, delatis ad Regem opera Mardochæo, quod scriptum in commentarijs Regis, & data munera Mardochæo, cui, & eius populo Aman hac de causa nocere voluit. c. 12. à vers. 1. vsquè ad 7.

CAP.

CAP. III. & è CAP. XIII. à 1. versic. vsquè ad 8.

CONIVRATIO Aman in Hebræos, iussio, & edictum Regis, vt omnes occiderentur, & delerentur cùm eorum substantijs, & hæc, quia Mardochæus, qui dixerat se Iudæum, non genuflectebat ei. At cur non genuflectebat? quia sicùt Rex adorabatur à suis populis, proùt Deus, sic & primarius Aman, quòd si fecisset ipse, itidem quasi Deum adorare tentus esset, & hoc cessisset ipsi in scandalum, cùm gloriam tantùm Dei veri optaret; hinc ipse in cap. 13. 14. timui, ne honorem Dei mei transferrem in hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo; & Esther cap. 14. 9. 10. claudere ora laudantium te, atquè extinguere gloriam Templi, & Altaris tui, vt aperiant ora gentium, & laudent idòlorum fortitudinem, & prædicent carnalem Regem in sempiternum.

Sed nonnè & Esther, & Mardochæus adorabant regem? cur in illo cessabat scrupulus? credo, quia hæc erat adoratio necessaria & solita, propterea non nascebatur ex ea scandalum adorationis diuinæ, proùt in voluntaria, & insolita ergà Aman, dixi voluntaria, quia non erat ipse ex seruis regis (etsi in aula palatij moraretur, cap. 12. 5.) quibus iussa adoratio cap. 3. 2. & licèt cap. 16. 11. dicatur: *adoraretur ab omnibus pòst regem secundus*, puto non impositam adorationis necessitatem, nisi curialibus illis, quamuis ab alijs adoraretur de facto. Vers. 8. Suggerit Aman falsa regi, regis scita contemnens, ab vno Mardochæo arguens omnes, suggerit & non attendenda, *nouis vtens legibus & cæremonijs*, quid enim hoc intererat regis, & regni? Vers. 9. Vt res ad votum succedat, affert pecuniam, sciens corda regum hac allici, & ne deterreretur tributorum diminutione; hinc & edictum, & litteræ regis registratæ cap. 13. à vers. 1. vsquè ad 8. ex suggestione Aman descriptæ apparent. Non puto Aman Amalecites, etsi dicatur de stirpe, & progenie Agag, quia clarè dicitur *Macedo & animo, & gente*, cap. 16. vers. 10. & 14. Nèc obstat si de stirpe, & progenie Agag, quia vel alius Agag ab Amalecita, vel si ille, oriundus fuit ex his habitantibus Macedone, vt veritas scripturæ constet; & hoc magis placet: hinc malè infertur Aman hostis Iudæorum, quia ex stirpe Agag à Saule capti, à Samuele occisi, nàm constat clarè ob vnum Mardochæum totius gentis hostem fuisse, cap. 3. 6.

CAP. IV. & à CAP. XV. versic. 1. vsquè ad 4.

VERS. 1. *Scidit vestimēta sua*, & alia sequentia signa sunt mœroris. Non ingreditur palatiū, quia qui in domibus Regum sunt, mollibus vestiuntur. Vers. 11. *Quæ triginta iàm diebus non sum vocata ad eum?* permisit Dominus, ad extremum differens auxilium, vt ab eo recognosceretur. Versic. 13. A communi populi salute vult Esther moueri, & à comminato sibi, & suis exterminio, & fortè quia à Deo præparata ad hanc tribulationem auertendam, proùt Ioseph: de quo, misit antè eum virum, &c. & ipse dixit cùm fratribus suis, & cap. 15. 2. nè quia regina extolleretur, dixit: *memorare dierum humilitatis*, abiectionis *tuæ*, quandò, &c. humilitas hic, abiectio, proùt in cantico

tico Dominæ dixi. Verſ. 16. *Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non comedatis, nequè bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cùm ancillis meis ſimilitèr ieiunabo.* Ad orationem, & ieiunium recurrit Eſther, alios inuitat: deindè pro populo comittit ſe periculo vitæ, qua nulla maior charitas; sic & Iudith, quæ ab Eſther, quæ præceſſit, didicit.

E CAPITE XIII. à verſ. 8. vſquè 19.

ORATIO Mardochæi ad Deum, qua creatio, dominium omnium ei tribuitur, potentia inuicta, gubernatio; humiliatio ſui ipſius verſ. 12. reuerentia in eum, verſ. 14. mentio Abraham, verſ. 15. beneficiorum, quia populus ſuus ab Aegypto eductus: laudum repromiſsio verſic. 17.

Ex hac oratione clarum fit nondùm captiuos è Babylone tranſmigraſſe, quia & huius beneficij commemoratio fieret à Mardochæo.

CAPVT XIV.

ORATIO Eſther antè quàm affligit corpus ſuũ, proùt Iudith, proponit periculum, à nullo alio expectat auxilium, beneficia commemorat, peccata fatetur, idolòlatriam maximè, pœnas ſeruitutis iuſtas, cõminatas verò per Aman excedere, quas patiuntur ex Dei permiſſione, quod Deo ſolet diſplicere; vult enim ſeruari quæ iubet ad vnguem, vndè Dauid. Quoniàm quẽ tu percuſsiſti, perſecuti ſunt, & ſupèr dolorem vulnerum meorum addiderunt Pſal. 68. ireque contrà promiſſa ſua delendo hæreditatem, è qua proditurus Meſsias, vel promiſſa ſua de reducendo populum à captiuitate, contrà gloriam ſuam ab ipſis elatam, & conuertere ad gloriam idòlorum, à quibus omnia reputant, & regis carnalis (hùc fortè adoratio Aman) aperit opprobrium, quod paterentur ex irriſione idolòlatrarum, quos potiùs petit diſperdi, petit ſermonem compoſitum in conſpectu leonis, ideſt regis, sìc & Paulus de Nerone ſecundùm aliquos: ſicùt enim leo præſtat alijs animalibus, quorum rex dicitur, ità rex ſubditis, & immutari cor illius, hìnc cor regis in manu Dei, Prou. 21. Humilitatem verò ſuam, & quomodò cor eius nõ ſit eleuatum ob regiam dignitatem, ſuggerit. Verſ. 5. Si hiſtoria eſſet pòſt tranſmigrationem, ſicùt meminit huius beneficij, ità illius meminiſſet: fuit ergò in captiuitate, & meminit idolòlatriæ, quæ pòſt captiuitatem Babylonicam non viguit. Verſ. 9. Dùm meminit templi, & altaris, dic nondùm euerſa per Nabuzardan, quia hi primi captiui ſub Iechonia, vel mentio illorum quæ fuerunt. Verſ. 15. *Cubile incircumciſorum,* sìc Hebræi in gentiles, vt in Ionatha, Saule, & alijs obſeruatum. Verſ. 17. *Et quod non comederim in menſa Aman*, fortè inuitata *nèc mihi placuerit,* non quòd non accubuerit, *conuiuium regis, & non biberim vinum libaminum*, idòlis oblatum; de quo Moyſes: & bibebant vinum libaminum.

CAP. V. & è CAP. XV. à versic. 4. vsquè 20.

DIE *autèm tertio*, pòst orationem, ieiunium, afflictiones, humiliationem, vitam pro populo offerens Esther, non vocata, adit regem, qui virgam extendit, quam ipsa deosculatur, & fit salua, & cap. 15. Cur hæc lex barbara? vt quò minùs rex conspiceretur fieret omnibus venerabilior. Vers. 3. & 6. *Etiàm si dimidiam partem regni*, &c. & c. 7. 2. verba effusa proùt Herodis cùm saltatrice. Vers. 8. Cur in primo conuiuio non vult regi aperire quod volebat? puto vt ex secundo conuiuio maiorem familiaritatem acquireret, quæ per mensem non fuerat vocata, & gratiorem illum sibi redderet. Vers. 10. Exultatio vana Aman cùm vxore, & amicis, ignorans ex his, in quibus exultabat parari sibi crucem, sìc consulebat vxores Lamech. Genes. 4. 23. Vers. 13. *Nihil me habere puto*, &c. quò deuenit superbia, vt in minimo deficiat? sìc proptèr vineam Naboth ruit & Achab rex tot habens. Vers. 14. Malum consilium vxoris, & amicorum, quod conuersum in caput Aman, sìc illud Iezabel vxoris Achab contrà Naboth.

Cap. 15. vers. 16. *Quasi Angelum Dei* sìc Thecuitis, & alij de quibus aliàs.

CAPVT VI.

NOCTEM *illam*, (Deo sic disponente, & præparante remedia insidijs Aman) *duxit rex insomnem*, &c. Vers. 2. *Iugulare cupientium* ferro, non veneno, vt suprà dixi. Vers. 3. *Nihil omninò mercedis accepit*, nisi quod data ei fuerant munera, & morari in palatio c. 12. 5. vel igitùr prætèr illa, vel hæc illi ignorabāt, vel rex intelligebat maiora, iuxtà principalē munificentiā, & sic respōdentes, ideò dixit *honoris, ac præmij*. Vers. 6. *Reputant*, &c. sìc superbus quisque; vndè ille, mitte me, mitte me: Vers. 10. Vice crucis, quam parabat vers. 4. regios honores dare compellitur. Vers. 12. *Lugens, & operto capite*, alter Achab postquam Naboth recusauit dare vineam, sed quòad caput opertū, quasi in desperatione, proùt Dauid fugiens Absalonem. Vers. 13. *Si de semine*, &c. cur hoc dicunt? fortè quia viderant, vel audierant alia Dei mirabilia pro populo illo.

CAPVT VII. & VIII.

INTRAVIT, &c. cruci Mardochęo paratę Aman appenditur: vicissitudo rerum mortalium, atquè appositè orauit Esther; quæ energia ad regem commouendum.

Cap. 8. *Die illo*, &c. exaltatio Mardochæi, salus populi contrarijs datis litteris, & mors aduersariorum. Vers. 6. *Quomodò enim*, &c. hinc adhùc durare captiuitatem. Vers. 17. *Vt plures alterius gentis, & sectæ eorum religioni, & cæremonijs iungerentur*, &c. ecce fructus ex saluatione populi Hebræi.

CAPVT XVI.

REX *magnus*, &c. litteræ regis nouæ pro Iudæis à principio vsquè ad verſ. 9. quomodò Principes circumueniantur ab eorum miniſtris, præſertim gratis, & elatis ab eis. Verſ. 9. Licere mutare ſententiam, quãdò. Verſ. 11. *Priuare regno*, ſuſpicio etiàm nata fortè ex duobus Eunuchis, de quorum morte dolebat cap. 12. 6. Verſic. 16. Recognitio regni à Deo inſita, vel à Mardochæo, vel ab Eſther, & hinc fundamentum pro tranſmigratione. Appellatur Deus viuens, de quo ſæpè in Pauli Epiſtolis. Verſ. 18. *Et omnis cognatio eius*, & hi filij cap. 9. 6. 12. 13. 14. 25. fortè tanti conſcij delicti, vt dicamus omnia rectè facta: dixi in Achan.

CAPVT IX.

IGITVR, &c. Iudæi, quibus mors imminebat, vindicarunt ſe, occidẽtes ſeptuagintaquinque millia, & nihil de ſubſtantia occiſorũ contigerũt, ne viderentur ex hoc moueri ad cædes, & sìc qui ſe parauerant ad illorum cædem, pœnas dederunt.

E Cap. 9. à verſic. 17. vſquè ad fin. & Cap. 10. à verſ. 1. vſquè ad 4. *Dies autèm*, &c. ſtatuitur is dies ſolemnis. Verſic. 20. & 30. Auctor libri Mardochæus, & hoc argumentum magnum in captiuitate hæc contigiſſe, quia Mardochæus ſcripſit ad Iudæos morantes in Prouincijs Regis, ſi enìm non fuiſset tempus captiuitatis, ſcriptum eſſet in Ieruſalem.

CAP. X. à verſ. iv. vſquè ad xiv. & Cap. xi. verſ. 1. vſquè ad 2.

VERSIC. 4. *A Deo facta ſunt iſta*, & verſ. 5. apparet quomodò Deus verax, fidelis, obſeruans, Cap. 11. verſic. 1. Eccè quomodò hiſtoria allata in Ieruſalem, & sìc eò magìs dicendum contigiſſe tempore captiuitatis, nondùm vſtis Ieruſalem, & templo.

FINIS LIBRI ESTHER.

IN

IN ISAIAM.

CAPVT PRIMVM.

VISIO, prophetia, Prophetæ enim vidẽtes, *Isaiæ filij Amos*, non alterius Prophetæ, *quam vidit*, ei fuit reuelata, *supèr Iudã, & Ierusalem* principalitèr, cùm & de alijs; regnum tùnc distinctum ab Israel, duas tribus comprehendens, *in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda*, addit tempus, & regnantes, vt maior fides dictis adhibeatur, cùm ex his veritas faciliùs haberi possit. *Audite cæli, & auribus percipe terra* Verba obstupescentis, & admirantis, & testes inuocantis, nedùm ex sermone, sed ex conuersione ad inanimata per prosopopeiã, prout Moyses. Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei; Caietanus putat hæc ad contenta in eis referri, nempè homines, & Angelos, sed magis placent prima: infrà etiàm conuertit se ad Principes, *quoniàm Dominus locutus est*, quia non sunt verba mea, sed Dei cælos mouentis, & terram. *filios*, populum Israel *enutriui, & exaltaui* supèr alios, separando ab alijs populis; peculiarẽ mihi faciendo, à seruitute Aegyptiaca liberando, in eremo pascendo, in aliorum regna introducendo. Non intelligas de beneficijs communibus toto generi humano factis, sed particularibus populo Hebræo: *ipsi autèm* ingrati, horum obliti *spreuerunt me* patrem, & nutritium non cognoscẽtes, idolòlatriæ dediti; in diebus enìm Regum nominatorum viguit idolòlatria, vt in Libris Regum, & Paralipomenon, & illa dedit causam prophetiæ; sic & cùm Samuele, dùm peterent Regem: non spreuerunt te, sed me. *Cognouit bos*, (exaggerat auersionem, & spretum ab irrationabilibus) *possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*, à quibus aluntur. *Israel autèm* ratione præditus, *me non cognouit, & populus meus*, quem alui, cui tot pręstiti *nõ intellexit* Homo, cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: sicùt equus, & mulus, quibus non est intellectus. Si enim me cognouissent, vtiquè nèc spreuissent, 2. Cor. 2. Eodem modo Ierem. 8. 7. Miluus in cælo cognouit tẽpus suum: turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autèm meus non cognouit iudiciùm Domini. at quid fiet? prædicit mala, vt metus vexationis intellectũ tribuat. *Væ*: per *Væ* mala futura in Apocal. *genti peccatrici*, Primus status malus; radix peccatrix in Machab. *populo graui iniquitate*, Secundus status in profundum malorum, ità Moyses *semini nequam, filijs sceleratis* sequentibus peccata patrum; Tertius status ab origine, malitia antiqua; hinc à Moyse, & in Euangelijs: generatio mala, genimina viperarum, serpentes, &c. explicat peccatum maximum, *dereliquerunt Dominum* eorum nutritorem, fontem aquæ viuæ, hærentes idòlis *blasphemaue-*

mauerunt Sanctum Israel, Deum, cùm quem sanctificare debuerant, & sanctificatum in Israel; irritam quis faciens legem Moysis sinè vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, quantò magis putatis deteriora mœreri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Hebr. 10. 28. Facit quod dixit Heli, si peccauerit vir, &c. *alienati sunt retrorsùm*, facti sunt alieni, ac si nunquàm Domini fuissent; vel elongati sunt, quasi nunquàm rediturі ad Dominum. sic in Psalm. Filij alieni mentiti sunt mihi. at ego adhibui medicinam, vt reuerteremini, flagellaui vos, vt conuerteremini ad cor, nùnc fessus sum, etenim *supèr quo percutiam vos vltrà*, quibus alijs flagellis vtar in vos, *addentes prauaricationem?* peccata peccatis, quo ego plus punio, & hoc maximum malum, seù desperatio puniti, cùm medicina vertitur in malum, vt in Pharaone; fortè parua flagella, quæ adhibui? *at omne caput languidum* ex multitudine malorum incurabilium, & dolorum, *& omne cor*, spiritus, anima *mœrens*, & corporalitèr, & spiritualitèr percussi, ita vt *à planta pedis vsquè ad verticem non est in eo sanitas*, sic cum Iob dæmon, Iob. 2. hoc subdit ad denotandam plagam maiorem; at fortè his plagis adhibita remedia? nequaquàm, *vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nèc curata medicamine, nequè fota oleo*, quod infudit Samaritanus vulnerato. Hæc omnia reddunt plagam magis turgentem, & doloribus refertam continuis incessantibus. *Terra vestra deserta* est (hìc de captiuitate Babylonica futura) quod quàm malum, habetur ex Thren. Ierem. Quomodò sedet sola Ciuitas plena populo, &c. *Ciuitates vestræ succensæ igni*, inhabitabiles redditæ, igne enim omnia euertit Nabuzardan, hoc pessimum, vt in Babylone, Apocal. 18. *regionem vestram coràm vobis alieni deuorant*, quod solet esse intolerabile, siuè de fructibus, siuè de perpetuis agatur: hinc filij Sedeciæ, quibus successio deferebatur, à Nabuchodonosor in præsentia patris trucidati: hinc Paulus ad æmulationem suos trahere volebat ex visione gentium conuersarum, hoc enìm solet animos acuere, sed hoc verificatum in eis, qui remanserunt in Iudæa dimissi à Nabuzardan, coràm quibus ministri erant Regis Nabuchodonosor; vt in Esdra, quicquid dicant moderni, qui ad hæc non aduerterunt, *& desolabitur sicùt in vastitate hostili*, ab eisdem funditùs perdetur, ad quod hostes anhelant, nè aduersarios nutriant, & sìc factum per Nabuzardam. *Et derelinquetur filia Syon, vt vmbraculum in vinea*, cuius finita vindemia non remanet vestigium, *& sicùt tugurium in cucumerario*, quod diruitur fructibus collectis, *& sicùt Ciuitas, quæ vastatur*, vt aliquandò etiàm sal dispergatur, vt sic in perpetuum maneat, vt in libro Iudic. & Iericho; eò peruenit ruina nostra, vt si in ira sua Dominus non esset misertus, misericordiæ recordatus. *Nisi* (mutat personam) *Dominus exercituum*, potens bellator, qui non secundùm peccata nostra fecit nobis, nequè secundùm iniquitates nostras retribuit nobis. Psal. 102. citrà condignum punit, *reliquisset nobis semen* ad nostram propagationem, & manutentionem, *quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus*, absorpti, vt nullum vestigium nostri remansisset: sic Psal. 105. & vt deijceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus; is locus in Paulo per accommodationem Roman. 9. 29. ad litteram intellige de captiuitate propinquiori secuta pòst verba Isaiæ; sic enìm in dubio fit interpretatio: vndè intelligit de captiuitate Babylonica, postquàm sermonem dirigit ad Iudam, & Ierusalem, quæ remanserant decem alijs in Assyrios in captiuitatem adductis. ideò & suprà de filia Syon, nempè Ierusalem: in clade enim Romana, omnes de tribu duodecim dispersi, qui conuenerant, & excreuerant in numerum. & ipse Isaias dixit infrà pluriès de desolatione per Romanos, & non est verisimile hìc agere de morte Christi, de cuius aduentu futuro in sequenti capite. Non potest intelligi de captiui-

Tt tate

tate decem tribuum, quia loquitur de Iuda, & Ierusalem, non de Israelitis, & quia iam erant in captiuitatem dati. Non hic de paucis credituris iuxtà Caietan. quia agitur de pœna, ideò assumuntur in exemplum Ciuitates illæ deletæ. Non hic semen relictum, quia aliqui boni; proùt si in Sodomis tales fuissent, salua facta esset, sed simplicitèr ex misericordia Dei factum, cùm ex eo semine nasciturus esset Messias promissus; comparatio ergò est, quia in Sodomis nullus, hìc relictum semen, non alia, aliàs diuinamus: immò & reliquias dicit malas, dùm subdit, *Principes Sodomorum, & Gomorrha*, & ex alijs. Prætereà in Sodomis non reliquiæ tantùm, sed omnes fuissent salui. Genes. 18. Si inuenti decem boni, proùt Segor tota orante Loth, vndè hæc aliena à textu. *Audite verbum Domini* horribile *principes Sodomorum*, *percipite auribus* corporis, & mentis, *legem Dei nostri populus Gomorrha*, non quod tales essent origine, sed imitatione, & merito. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus?* quasi hæc non odoro, dùm estis peccatis, & abominationibus irretiti, sunt hæ pollutæ, non possunt reddere me placatum. *plenus sum*, hæc omnia ad nauseam vice odoris suauis, quo soleo sacrificia mihi grata odorare, hinc infrà secundùm aliorum versionem, Aquilæ, &c. facti estis mihi ad satietatem, ità Hier. pro quibus verbis, vide capit. 66. in fin. *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui*, nolo ad purgandas abominationes vestras; hæc enim omnia non possunt mundare prauitatem animarum; holocaustis non delector Psalm. 50. *Cùm veniretis antè conspectum meum*, polluti, sacrificaturi. *quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis?* in quibus sacrificia offeruntur. *nè offeratis vltrà* in posterum *sacrificium frustrà* in vanum *incensum*, nedùm mihi non placet, *sed abominatio est mihi*. *Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates alias non feram*, non sustinebo, *iniqui sunt cœtus vestri*; hæc ratio cur non sit laturus; *Calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea*, dixerat non ferre, nùnc odire, *facta sunt mihi molesta*, at tulisti præterita, respondet, *laboraui sustinens*, non fuit ad requiem, seù gustum, odorem suauem, sed laborem, molestiam ob peccata vestra, quibus omnia polluistis, præsertìm idolòlatria, de qua infrà. *Et cùm extenderitis manus vestras* orantes, & precantes in angustia positi: suprà de hostijs, nùnc de laudibus labiorum, quæ credebantur auscultandæ. *auertam oculos meos à vobis*, proùt facit reijciens, & dans repulsam, *& cùm multiplicaueritis orationem*, declarat quid sit extensio manuum, *non exaudiam*, repetit idem; *manus enìm vestræ* opera vestra *sanguine* peccatis in genere, non in specie; puta homicidijs, etsi in specie peccato idolòlatriæ, quod est maximum: non hìc de morte Messiæ, cùm agat de præteritis, non de futuris, *plenæ sunt*, eccè cur omnia reijciat; vndè Cœcus: peccatores Deus non exaudit. Ioan. 9. 31. non ratione sacrificiorum, quæ ex Dei instituto faciebant, & bona erant, & retinentia populum in cultu DEI; & nonnè hæc cœpta in Abel? Prætereà lex erat pedagogus, qui manuducebat nos ad tempora Messiæ, quo vnicum Sacramentum mundum instituendum vice illorum; ideò illa præmittenda figurantia mortem Christi, è qua illud vnicum emanaturum, aliòqui cùm cultus Deo sempèr fuerit debitus, in quibus potuit illud exhiberi aptiùs? & Cùm ex instinctu, posteà iussione, & lege Dei exhibita fuerint, credendum non potuisse in alijs melius exhiberi, Dei enìm perfecta sunt opera: non ergò alia causa expiscanda, vel ex his verbis trahenda hæc ad aliam captiuitatem. & collige sacrificia antiqua non dimisisse peccata, sed contritionem sempèr iungendam fuisse, vt alibì dixi; & aduerte hic non agi de tempore Messiæ, quo cessatura erant hæc sacrificia, proùt infrà capite 66. 1. explicat enìm se propheta, cur reijciantur à DEO sacrificia, quia offerentes pleni peccatis, vndè ab hac ratione

ne non recedas; hinc templum destructum, posteà, cessantibus peccatis adducta captiuitate Babylonica, reædificatum, in quo eadem sacrificia Deo grata oblata: quid plura? si illa Deus iussit offerri? ex peccatis ergò factum, vt respuerentur, proùt hic dicitur, non aliundè; Addo, nonnè Christus his vsus? nonnè impleuit legem? propterea misertus populo docet quid agendum *lauamini*, *mundi estote*, sic & Iacob cùm suis, at hic spiritualitèr, tùm ex præmissis, tùm ex verbis, tùm ex his, quæ sequuntur clarè: sic Dauid, Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: lauabis me, & supèr niuem dealbabor, lauabo intèr innocentes manus meas, *auferte malum* etiàm *cogitationum vestrarum ab oculis meis*, quibus & si occultè innotescunt, oculi enim mei omnia contemplantur, & scrutor renes, & corda, *quiescite agere peruersè*, declinate à malo, *discite benefacere* facite bonum, *quærite iudicium*, veritatem, *subuenite oppresso*, *iudicate pupillo*, *defendite viduam*, proponit status miserabiles, ad quos naturalitèr inclinamur, & faciliores, & charitatis maximæ, vt magis moueat; hinc opera necessaria. Non hic de Baptismo, seù tempore Messiæ, quia sunt conuenientia legi veteri, & sæpiùs in illa decantata; & Baptismo omnia non aptantur, & hic nihil de tempore Messiæ, quo & Baptismus: non hic, vt recedant à legalibus, seù sacrificijs, quibus tenebantur, & quæ non cessarunt, nisi in morte Christi, *&* his patratis *venite*, *& arguite me*, *dicit Dominus* si non vestri misereбor, si non conuertar, *si fuerint peccata vestra vt coccinum*, rubra, enormia, *quasi nix dealbabuntur*; pura reddentur, reddemini vos puri, mundi, albi, *& si fuerint rubra quasi vermiculus*, *velùt lana alba erunt*, repetit idem per diuersa, accipit rubrum colorem, quia pro sanguine rubro peccata, ideò sub illo colore de peccatis; *si volueritis*, Deus enim neminem cogit; reliquit hominem in arbitrio desiderij sui, Ecclesiast. 15. Deuteronom. 30. 5. Chrisostom. hic, *& audieritis me*, obedieritis mihi, *bona terræ comedetis*, saturabimini, non tradam vos in captiuitatem, hæc promissio terrenorum in testamento veteri, nisi & sub his cælestia, etsi hæc non videntur aptari, quia subdit in contrapositionem de gladio, & sic de hinc patiendis, & mundanis, non cælestibus: vndè neque agit de temporibus Messiæ, vt tenui. *Quod si nolueritis, & ad iracundiam me prouocaueritis*, sectando vias vestras malas, *gladius* sub hoc omnia mala: sic infrà capite 66. *deuorabit vos* cædemini ad mortem certè, *quia os Domini locutum est*, non errans, certa pronuncians: & ne se defendant quasi iusti, subdit. *Quomodò facta est meretrix* admittens multos amatores, idòla *Ciuitas* quæ *fidelis* erat cùm DEO suo vero, & viuo, quomodò declinauit ad vana idòla; hinc collige non agi de tempore Messiæ, quo absuit idololatria contrà Caietan. *plena iudicij* recta, sensata, à qua hæc numquam expectanda erant, *iustitia* omnis virtus, vel hæc sola, *habitauit in ea quasi incola*, *& in sede sua*, nùnc *autèm homicidæ* grassatores, nullius miserentes, feri, barbari, *argentum tuum*, primum, quod in te erat *versum est in scoriam*, *vinum tuum mistum est aqua*, quasi recessisti à primis operibus tuis bonis, eaquè in mala permutasti, dereliquisti Dominum tuum, & adhæsisti idòlis. Non puto hic agere de Scriptura sacra, sed virtutibus, & vitijs, auersionem hanc à primis vijs memorat, quia vt 2. Pet. 2. 21. melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm pòst agnitionem retrorsùm conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Et Paulus Hebræ. 10. Voluntariè enim peccantibus nobis pòst acceptam notitiam veritatis non relinquitur pro peccatis hostia, &c. & sic ostendit magnam peruersitatem, & quia rubor quidam innascitur in his, qui laudantur ex primo bono, à quo ostenduntur declinasse, & consequentèr inducitur calcar redeundi ad primum statum; & est color Rethoricus vrgens. *Principes*

cipes tui infideles, & ipsi idòlis dediti (me derelicto) cui fidelitatem debuerant, *socij furum*, alienis inhiantes *omnes diligunt munera*, & his aberrant in iudicio *sequuntur retributiones*, non iudicant, vel ad fauorem eorum, à quibus expectant retribui eis; vel vindicant se de iniurijs sub specie iustitiæ; Dauid, retribuebant mihi mala pro bonis: immisericordes ergà miserabiles *pupillo enìm non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos*, quia ab his nil sperant, agit de Principibus, quia eorum exemplo populus ad malum sæpè trahitur, vt in Sichimitis, Ieroboam, & alijs; *Proptèr hoc* ob supradicta omnia, vel strictè ad Principes, punit enìm sæpè Deus populum ob delictum Principum, vt alibì notaui, *ait Dominus exercituum fortis Israel*, potens scilicèt, quæ vult operari; *heù consolabor*, more consolationem capientium me geram, proùt illud, Ego quoquè in interitu vestro ridebo *supèr hostibus meis* rebellibus, qui à me desciuerunt, *& vindicabor de inimicis meis* mala pœnæ eis ingerens, in captiuitatem tradens, hoc ex more Dei, vt in tota Scriptura, & auferens ab eis sceptrum, sìc & Apocal. 2. 3. *Et conuertam manum meam* potentem *ad te*, tui misertus, *& excoquam ad purum scoriam tuam*, purgabo fœditates tuas, *& auferam omne stannum tuum*, cùm argento mistum, puram te reddam persecutionibus, angustijs, captiuitate. Obserua, modò increpat, peccata propalat, quasi ad desperationem adducit, modò subleuat, sperare docet; loquuntur enìm Prophetæ, proùt spiritus suggerit, *& tùnc restituam iudices tuos*, senes populi mihi notos, *vt fuerunt priùs, & consiliarios tuos, sicùt antiquitùs*, bonos scilicèt & prudentes: hinc proptèr peccata populi regnare facit hypocritam; non hic agitur de mutanda gubernatione Regum in iudices, vt illi dati pòst Iosue; non hìc de Apostolis: tùm quia de captiuitate Babylonica agitur, non de tempore Messiæ: tùm quia non ipsi iudices subrogati loco Regum, nèc attenditur tempus iudicij, in quo iudicaturi; vndè generalitèr, & indistinctè hæc intelligenda de bonis, proùt verè vt plurimum meliores fuerunt Sacerdotes, ad quos iudicium translatum pòst captiuitatem Babylonicam, quia saltèm non induxerunt populum ad idololatriam, proùt Reges frequentèr, & de tempore, quo Isaias scripsit suam prophetiam; hinc sceptrum Iuda collige defecisse in captiuitate Babylonica, vt tenui Genes. 49. quia posteà iudices, non Reges dati, non de tribu Iuda, sed Leuitica. Hinc quia restituendi iudices, excluditur (vltrà alia) agi hic de captiuitate præsenti pòst mortem Domini, quia nunquàm restituri iudices, proùt pòst captiuitatem Babylonicam, & in hac captiuitate non expectatur nisi finis, & tempus iudicij, quo reliquiæ Israel conuertendæ, Roman. 9. vbì dixi. Et huic capiti concordat 1. Esdr. 9. vt negari non possit hoc ad captiuitatem Babylonicam referendum non esse; *pòst hæc* à me, & te facta *vocaberis*, eris *Ciuitas iusti Dei*, vel iustitia plena, in qua iustitia exercebitur, *Vrbs fidelis* Deo, non ad idòla descendens *Sion* Ciuitas, non hic de redemptione generis humani, *in iudicio* recto, quod faciet *redimetur*, saluabitur, *& reducet eam in iustitia*, rectè administrata, *& conteret scelestos, & peccantes simùl* in eos lege agendo, *& qui dereliquerunt Dominum* ad idòla conuersi *consumentur*. hæc in liberatione à captiuitate Babylonica; iusti enìm tantùm reducti, vt in Prophetis: quomodò enìm hoc aptabitur in fine mundi, vt dicamus intelligi de præsenti dispersione? vndè tenendum omninò agi de captiuitate Babylonica, quæ successit pòst mortem Isaiæ. *Confundentur enìm ab idòlis, quibus sacrificauerunt*, quibus confidebant, à quibus sperabant delusi, & in errores ducti, *& erubescetis supèr hortis* excelsis, in quibus idòlis sacrificabatur, hæc antè captiuitatem Babylonicam, non pòst, ideò intellectus currit contrà Caietanum, *quos elegeratis*, ad idolòrum sacrificia, *cùm fueritis* (eccè confusio) *velùt quercus defluentibus folijs* in Autumno spoliati, & nudi. Hoc ad Adam, & pòst vituli adorationem, *& velùt hortus absquè aqua*, aridi, sicci ab omnibus delectabilibus. sìc Paulus, quem fructum tùnc habuistis, in qui-

quibus nùnc erubescitis? *& erit fortitudo vestra* vires, potentiæ, non hic idòlum *vt fauilla stuppæ*, à leui vento exufflatæ, *& opus vestrum quasi scintilla* euolans, *& succēdetur vtrumque simùl*, *& non erit qui extinguat* citiùs enim hæc vruntur, & euanescunt, quàm possit eis succurri; quasi critis imbeccilles, inepti, inermes, indefensi, abiecti.

CAPVT II.

VERBVM ventura. *quod vidit Isaias filius Amos supèr Iudam, & Ierusalem* quibus promissus Messias, *Et* continuat, sequitur prophetiam *erit* veniet, apparebit, *in nouissimis diebus* expurgata scoria per captiuitatem Babylonicam, & reuersis captiuis, vt suprà cap. 1. nouissimi dies dicuntur, in quibus Messias compariturus Gen. 49. 1. Cor. 10. 1. Ioan. 2. & Paulus: in quos fines sæculorum deuenerunt; hæc vltima prouisio, vltima lex aliam pòst se non expectans, vide Riber. Amos 4. *præparatus* à diebus æternitatis *mons domus Domini*, Ecclesia, congregatio, synagoga extincta *in vertice montium*, *& eleuabitur supèr colles*. Dan. 2. quia superat synagogam, & omnem aliam idolòrum congregationem, seù Satanæ, vide Albam in cent. cap. 26. *& fluent* quasi torrentes *ad eum* montem, Ecclesiam Catholicam *omnes gentes*, hìc de vocatione gentium, & de tempore illo, & prædicatione Euangelij: & cùm hìc de Messia, aduerte tanto magis procedere intellectum supèr 1. cap. de captiuitate Babylonica, non præsenti pòst mortem Christi, *& ibunt* notat actionem *populi multi*, *& dicent* ad alios, simùl se ipsos inuitantes, proùt Pastores Luc. 2. 15. Pastores loquebantur ad inuicem: transeamus vsquè Bethlehem, & videamus hoc verbum, &c. *Venite, & ascendamus ad montem Domini*, *& ad domum Dei Iacob*, Messiam, Ecclesiam Catholicam; Cur mons Messias, vel Ecclesia? quia in montibus voluit Deus adorari, & ei sacrificari, sìc ab Abraham in monte Moria, in quo posteà ædificatum templum; sìc in monte Sinai apparuit legem daturus; hinc & idolòlatræ in excelsis, seù montibus idòlis sacrificabant, & quia ex montibus ostenditur æternitas, & Messias, & Ecclesia à montium stabilitate, & firmitate, & præcellentia, proùt ipsi supereminent in terra, hinc & in Daniele: mons, qui excreuit, *& docebit nos vias suas* bonas, Euangelium quia magistra, *& ambulabimus in semitis eius* rectis, & dirigētibus in viam pacis, vt in Cātico Zachariæ, *quia de Sion exibit lex*, Euangelium, *& verbum Domini de Ierusalem*, ibì enim Christus prædicauit, & cæpta prædicatio per Apostolos iuxtà verbum Domini Iesu Act. 1. & Psal. 2. Ego autèm constitutus sum Rex ab eo supèr Sion montē sanctū̃ eius; *&* (redit ad Messiam) *iudicabit gentes*, docens eas, & conuincens de malis earum vijs, & peccatis enormibus, quod magìs explicat, subdens, *& arguet* proùt de Spiritu sancto dicitur, Et arguet eos de peccato, & de iustitia, & de iudicio, *populos multos* leges suis contrarias seruantes, quas ab errauerint; Non hìc de iudicio, cùm agat de primo aduentu: nequè hìc transit de vno ad aliud, quod solent prophetæ, ut obseruaui Act. 2. *& conflabunt*, pax enim tùnc per totum mundum, de qua Gen. 49. in Iuda, & Christus dictus rex pacificus, *gladios suos in vomeres*, *& lanceas suas in falces*, illis ab bellum non usuri *non leuabit gens contrà gentem gladium*, *nec exercebuntur vltrà ad præliū*, sic & Gen. 49. 11. Iacob in Iuda, ligās ad uineam pullum suum, & ad uitem (ò fili mi) asinam suam, hac enim phrasi in Scriptura pax, & securitas demonstratur, & de hac pace ferè in omnibus prophetis; intellige uerò de pace uniuersali, & temporali ferè per totum mundum, ideò in Natiuitate Christi descriptus uniuersus orbis Imperatori subiectus, Luc. 2. quæ descriptio bellorum tempore fieri non potuisset, sic & Dauid tempore pacis numerauit populum, 2. Reg. 24. 1. Paralip. 21. & hæc pax durauit

quòusque Euangelium fuit promulgatum, aliòqui, bellis stantibus, vix promulgari potuisset, cessarunt autèm bella vniuersalia dominio ferè totius orbis in caput vnum redacto.

Sìc & ad litteram antè secundum aduentum erunt bella; nàm exurget gens contrà gentem, & regnum aduersùs regnum, &c. Præmissa eo magìs procedunt, quia hæc pax datur pro signo venturi Messiæ, quod omnibus innotescere debuit,

Non autèm intelligas de pace spirituali, nàm huic sectæ vbiquè contradictum. Act. vlt. persequentur vos de Ciuitate in Ciuitatem; venit Christus mittere ignem supèr terram, illumquè ardere voluit, separare filium à Patre, &c. & hæc testantur martyria, & neces, & persecutiones subsecutæ, & prædixit Simeon: in signum, cui contradicetur.

Et verba Angelorum: pax hominibus bonæ voluntatis, & Christi: pacem relinquo vobis, pacem meam da vobis, intelliguntur de interna, & æterna. Minùs intelligas quòad fideles tantùm, quia locutio est generalis, restricta ad neminem, & de pace temporali, quæ in eis non fuit, sed interna tantùm, vt dixi.

Non dicas proùt Caiet. & Procop. pacem futuram, quia non cogentur vi belli, sed volentes, & vltronei credere in Christum; nàm agitur de pace apportanda, & futura, non de credituris in pace, *domus Iacob* qui & Israel, popule Israel *venite & ambulemus in lumine Domini*, sub Messia; inuitat Hebræos pro tempore, quo apparebit, vt imitantes gentiles, & ipsi accedant; hanc æmulationem volebat & Paulus in suis Hebræis. Messias autèm lux, ego sum lux mundi; erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, veni ut lumen habeant, & abundantiùs habeant. Illuminare Illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuũ, & gloria Domini supèr te orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. *Proiecisti enim* autèm *populum tuum domum Iacob*, nùnc conuertitur ad Dominum, & cõmemorat inquitates populi, quibus obcœcabitur, vt no accedat. At cur proiecit? *quia repleti sunt vt olim* (antequàm segregarentur a populis, alijs, vel etiam pòst segregationem) iniquitatibus, *& augures habuerunt vt Philistijm* quos interrogabant contrà Deut 18.10 *& pueris alienis adhaserunt* abutentes eis, *repleta est terra argento, & auro, & non est finis thesaurorum eius*, cumulandorum, hæc auaritia. Vndè Dauid: diuitiæ si affluant, nolite cor apponere, & quia hæc ad peccatum insinuandum, non potest dici, etsi abundarent, tamèn idòla coluerunt. Vel absquè necessitate dijs hæserunt, Deum verum cognoscentes, quem gentiles ignorabant, hæc enìm diuinatiua, cùm tantùm referat peccata Hebræorum, quorum vnum auaritia, & de idolòlatria infrà. *Et repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius*, quæ in reditu à seruitute Aegypti non erant in Israel, aùt illorum vsus, & hoc prohibitum à Deo Deut. 17. volebat enìm vt in ipso confiderent. Salomon excessit in his: hìc elatio, & superbia, vel fiducia in equis, vndè non in fortitudine equi voluntatem habebit, fallax equus ad salutem, in abundantia autèm virtutis suæ non saluabitur, *& repleta est terra eius idòlis, opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum*, hæc ad exprobrationem impietatis, & dementiæ, *& incuruauit se homo* rationalis facturæ suæ, *& humiliatus est*, proiecit se antè idòla, *vir* sensatus, & hoc modo loquendo comprehendit tàm Principes, quàm plebeios. Hìnc stante idolòlatria agit propheta de captiuitate Babylonica, quia pòst eam idolòlatria non viguit intèr Iudæos. *Nèc ergò dimittas* pro dimittes *eis*, hæc non sunt verba petentis, sed monentis, quæ fient, seù imminent grauia mala, vt subdit *ingredere in petram, & abscondere in fossa* effossa *humo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius*, cuius supplicium tibi instat, præsertim captiuitatis Babylonicæ, hinc Luc. 23. 30. & Apoc. 6. 16 dicunt montibus cadite supèr nos, & collibus operite nos, & Iob petebat abscondi in inferno, donèc pertransiret furor eius: horrendum est incidere in manus Dei viuentis. *Oculi sublimes*, elati, superbi principum, *homi-*

hominis humiliati sunt humiliabuntur, *&* *incuruabitur* deprimetur *altitudo* superbia *virorum. Exaltabitur autèm Dominus solus in die illa* exterminij Ierusalem per Chaldæos. *Quia dies Domini exercituum* potentis *super omnem superbum, & excelsum, & supèr omnem arrogantem, & quia humiliabitur*, & sic alios modos prosequitur ad idem tendentes, meminit nauium Tharsis, quibus supèr illas apportabātur ad Ierusalē preciosa, *Et idòla penitùs conterentur*, ruina etiā idòla confringet, in quibus sperauerunt, sicutì alibì de idòlis Aegypti ruituris, id à Deo, infrà à cultoribus vers. 20. *Et eleuabitur Dominus solus in die illa*, in qua hæc horribilia patrabit, *& introibunt*, homines, non idòla contrita, vt & infrà vers. 21. (quod præmonuerat fieri, nùnc recitat vt factum) *in speluncas petrarum, in voragines terræ*, quasi euasuri, *à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere Terram* promissionis, igne omnia comburere per Chaldæos, *in die illa* tempore illo, *proijciet homo idòla argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi, vt adoraret talpas, & vespertiliones*, sic & Rom. 1. 23. quæ etiàm vera horremus, quasi non ignorans quæ illa essent, cùm ex materia sua illa compegisset, & essent irrisoria, sic Baruch. 6. videns nullum ab eis auxilium recepisse, hoc autèm de idòlis non potest ad alia tempora præterita referri, quia non legimus hæc cōtigisse, vndè ad captiuitatem Babylonicam omnia referenda, *& ingredientur*, &c. repetit quod iàm dixerat ad maiorem exaggerationem. *Quiescite ergò ab homine*, Deo, vel Messia vos punituro, nolite eum exacerbare, irritare, cauete ne in eum impingatis (Deus autèm aliquandò pro homine) *cuius spiritus* furor, ira, *in naribus eius est*, apparet euidentèr citò exercendas, ideò narium meminit, à quibus cognoscimus passionem iræ: *quia excelsus reputatus est ipse*, vobis præualebit, illi inuiti subdemini, sic Psal. 2. Et nùnc Reges intelligite, &c. cùm exarserit in breui ira eius, sic Apoc. 1. & ferè vbiquè in ea; De homine in genere non potest intelligi, quia de particulari, & indiuiduo loqui clarum ex verbis *quia excelsus reputatus est*, non de Nabuchodonosor, quia non ille excelsus: Aliàs tenebam verba esse de iudicio vniuersali, vndè scripseram, non dicas non posse intelligi de iudicio, quia propheta dirigit verba ad Iudam, & Ierusalem, iudicium verò est vniuersale; nàm non inconuenit particularibus vniuersalia denunciari, in quibus & ipsa comprehenduntur. Nonnè Apostolis solis, & Caiphæ, & concilio de iudicio eodem? At melius intellige de supplicio per Chaldæos inferendo, vt cap. seq. & in antecedentibus, & *eleuabitur, &c.*

CAPVT III.

ECCE *enim* (continuatur cùm cap. præcedenti) magna, quæ dicturus sum, si impegeritis in hominem illum, morti tradideritis (nùnc de calamitatibus secuturis pòst mortem Christi, & sic transit ad alias calamitates populi, *Dominator Dominus exercituum*, Omnipotens *auferet à Ierusalem, & à Iuda validum, & fortem omne robur panis, & aquæ* adducet famem omnium comestibilium, sic enim factum per Romanos, in omnibus, quæ prosequitur temporalitèr, & etiàm spiritualitèr, quia prophetæ & prudentis eloquij mystici meminit, & cùm dicat ablaturum prophetas, non potest intelligi de captiuitate Babylonica, quia in ea fuerunt multi, Ieremias, Baruch, &c. nèc dicas intelligi de falsò, quia cùm id ponat pro pœna, intelligendum de vero, aliòqui non esset pœna, sed fauor. Prætereà in dubio de uero; at hic clarum, quia aliæ personæ cùm propheta numeratæ ueræ, & desiderabiles, ergò & propheta cùm eis annexus, immò & ariolus hìc in bonam partem sumitur pro coniectore; in obsidione uerò, & desolatione per Romanos nullus propheta adfuit. Prætereà dùm dicit *validum, & fortem, & omne robur panis, omne robur aquæ, fortem, & virum bellatorem*

rem iudicem, &c. utiquè loquitur de strage Romanorum, in qua omnia hæc defuerunt, non in Babylonica, in qua hæc omnia prompta, præsertim Reges, quorum ultimus Sedecias, sic Deus nudauit Achaz 2. Paralip. 28 Et aduerte, dùm Hector Pinctus dixit ex eo, quod nùnc minàtur ablaturum principes, factum esse locum prophetiæ Iacob Genes. 49. id non posse stare, quia hìc dicta percutiunt tempus pòst mortem Christi, & cladis Romanæ, prophetia uerò Iacob antè aduentum Christi. Vltrà quod cessauit sceptrum in captiuitate Babylonica, ut dixi Genes. 49. *Et dabo* dabit uice eorum bonorum sublatorum *pueros* absquè consilio, & prudentia *principes eorum;* Væ enim populo, cuius Princeps puer est, *& effœminati dominabuntur eis* quorum imperium fœmineum, pauidum, molle: talis Herodes, qui ad petitionem saltatricis decollauit Ioannem. Nō puto hìc agi de Tito, uel alijs Romanis, sed de Regibus, seu ducibus Hebræis sub tempore captiuitatis Romanæ, quia hæc præmittuntur antè illam. *Et irruet populus vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum*, quem rue[...]d[...]uerat. *Tumultuabitur puer contrà Senem* cui assurgendum erat *& ignobilis contrà nobilem*, quē uereri tenebantur. vult dicere omnia, sursumq; vertenda, nullus ordo seruādus, & hoc contigit in obsidione, vel in plaga illa Hierosolymitana per Romanos. *Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui* eiusdem familiæ: hinc nulla erit consideratio in eligendo, quisque conabitur sibi prouidere, hincque seditiones; *vestimentum tibi est* opibus abundas, nos pauperes. *princeps esto noster* dominare nobis, sic ad Gedeonem, *ruina autèm hæc*, cui nos non possumus resistere *sub manu* protectione *tua est*, nos protege, defende, *Respondebit in die illa* (quam Iudæos non cognituros dixit flens supèr Ierusalem) sic requisitus, *dicens non sum medicus*, hæc ad demonstrādum rem esse absquè remedio, non valeo mederi ruinæ huic, *& in domo mea non est panis, nequè vestimentum*, non suppetunt quæ dixistis, *nolite constituere me principem populi*, inutilitèr; *ruit enim* (inquit propheta denotans rem absquè remedio) non electus ad principatum, qui hæc ignorabat, nec propheta erat, qui futura prædiceret: *Ierusalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum*, qui Deum blasphemauerunt, acuentes illam sicùt serpentes, petentes crucifigi. sanguinem eorum supèr eos: *& adinuentiones eorum* fuerunt *contrà Dominum*, aduersùs quem fremuerunt, meditati sunt inania, cōuenerunt in vnum. Psal. 2. *vt prouocarent oculos maiestatis eius*, horribiles, omnia eorum occulta perscrutantes, à quibus abscondi non potuerunt. Hic Caietanus finiuit vitam, & Commentarium; *agnitio vultus eorum respondit*, respondebit *eis*, proùt eorum malitiam cognoscit Deus in vultu, sic iuxtà illam eis retribuet. sicuti nos ex vultu cognoscimus reos, heù quàm difficile est crimen non prodere vultu, vt in Cain: quarè concidit facies tua? Genes. 4. sic ad intelligentiam nostram idem asseruit in Deo. *Et peccatum suum sicùt Sodoma prædicauerunt* in eo gloriantes: lætantur cùm malè fecerint. *nèc absconderunt* affirmatiuè, & negatiuè dicit ex phrasi Hebræa; & nedùm occultè egerunt, sed & publicè insidias Messiæ tetenderunt in passione, vt Sodomitæ, qui inuerecundè petierunt à Lot educi viros, quibus abuterentur. *Væ animæ eorum, quoniàm reddita sunt*, reddentur *eis mala* inscrutabilia; & quia dici poterat, prout Abraham: numquid perdes iustum cùm impio? respondet non, *dicite iusto, quoniàm benè* erit ei, *quoniàm fructum adinuentionum suarum comedet*, iuxtà bona eius opera retribuetur ei, dabitur ei significatio, vt euadat ab obsidione Romanorum, proùt tùnc factum, credentes enim in Pellam se receperunt, salui è contrario. *Væ impio in malum*, quod ei superueniet *retributio enim manuum* operum *eius fiet ei* à Domino, & quia de bono, & malo assignatur particularitèr præmium, & pœna, vnum non est trahendum ad aliud. *Populum meum exactores sui spoliauerunt*, & fortè ob pauperiem in tot mala prolapsi sunt, intellige de Principibus exactoribus propriè, quia nullum verbum, quo trahi possit ad Scribas, & Pharisæos, & quia exactio vim præsupponit, & quia subdit iuxtà præmissa, *& mulieres dominatæ sunt eis*, libidine ductis, hæ solent per-

peruertere, & homines dementare, vt in Salomone, Samsone, Achab: innuit ex his duobus in tot calamitates, & peccata populum incurrisse; vel quia suprà dixerat de tanta populi miseria, vt alentes, & defendentes quærerent, & inuitati detrectarent, quasi nihil habentes, hinc poterat quæri vndè tanta miseria, docet, non ab obsidione Romanorum solùm, sed prouenisse ab exactionibus iniquis, & à mulierum dominantium ornatu, & luxu nimio, & lasciuo, de quo infrà ad homines rapiendos, proùt in Holoferne per Iudith, & sìc quòad mulieres, dic dominatas omnibus de populo, non in specie Pharisæis, & Scribis, quia de populo agit, non de illis, dùm de mulieribus loquitur. Vel accumulat causas euersionis Ierusalem per Romanos factæ ob iniquas exactiones Principum, punit enìm sæpè Deus populos integros proptèr peccata principum, & ob mulierum ornatus excessiuos, non hìc de dominatu mulierum Romanarum, vel similium, sed Hebræorum, hæc enìm præcedunt excidium Romanorum. *Popule meus* mihi dilectus, docet populum, ex persona Dei, à quibus sibi caueat, *qui te beatum* fœlicem *dicunt* principes dùm te emungunt, *ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant* peruertũt enim vias, & per inuia te ducunt, solis ipsis prouidentes, sic beatum dicunt populum, cui hæc sunt, beatus populus cuius Dominus Deus eius *stat* expectans, paratus *ad iudicandum* Dominus, & stat ad iudicandos populos, sub his omnes, sìc Dominus iudicabit fines terræ, iustitias iudicabit, in his verbis conuertit se ad exactores illos, & mulieres dominantes. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus suis*, his, qui deglubant populum: hoc propheta ad inducendum terrorem, vel veniet cùm his associatus, quod est conforme Matth. 25. 31. & omnes Angeli eius cũ eo, & Iudas in Epist. 15. in sanctis millibus suis, & id fortè melius. *Vos enim depasti estis vineam*, populum fraudibus vestris, nèc negare potestis, *& rapina pauperis*, bona, quæ à pauperibus rapuistis, *in domo vestra* est, patet furtum, *quarè atteritis populum meum* rapinis, *& facies pauperum commolitis*, attenuatis, quia non remanet eis vndè viuant, *dicit Dominus Deus exercituum?* potens, qui vobis imperium dedit, hìnc cura Dei supèr pauperes. *Et dicit Dominus Deus*; duo dixerat mala, emunctionem populi: lasciuiam mulierum, satisfecit primo, nùnc de secundo, *Pro eo, &c. & composito gradu incedebant* id rapuit Holofernem, *decaluabit* hoc magnum dedecus, quia ex Paulo ad Corint. coma propria mulieris: decaluari solebant mœrẽtes vt Iob, proùt hìc aduertit S. Chrysost. *In die illa* captiuitatis Romanæ, *auferet Dominus ornamentum calceamentorum* his captus Holofernes Iudith 16. 11. *Et erit pro suaui odore fætor*, nùnc verificatur in omnibus Hebræis; qui fœtent, & aduerte hìc, in quo peccamus, punimur: recitat hìc omnia ornamenta ad ea singularitèr damnanda, sìc & Petrus in Epist. *Pulcherrimi quoquè viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio*, sìc cùm Romanis. *Et mærebunt & lugebunt portæ eius* Ciuitates scilicèt præ squalore, *& desolata in terra sedebit*, hæc desolatio Danielis per Romanos, non Chaldæos, præsertim quia nullibi de idolòlatria, quæ antè captiuitatem Babylonicam viguit, non pòst reditum ab ea.

CAPVT IV.

ET *Apprehendent septem*, multæ, hinc fortè Sadducæi de muliere, quæ septem viros habuerat, cùm Christo. *mulieres virum vnum* solum *in die illa* calamitatis Romanæ transactæ (de hac enim continuat sermonem) hinc innuit tantam futuram, proùt fuit, stragem virorum, vt pro septem mulieribus vir vnus nubilis non inueniretur, etiàm conditionibus iniquis, nempè, *dicentes: panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur* quæ omnia solent viri præstare, vxoribus *tãtummodò inuocetur nomen tuũ supèr nos* iungere no-

re nobiscum *aufer opprobrium nostrum*, quod patimur non pariendo, tùnc enim sic reputabatur Gen. 30. 24. Luc. 1. in Elisabeth. *In die illa*, qua hæc continget, *erit germen Domini* Ecclesia fidelium à Christo plantata, quæ tùnc germinabit, & dilatabitur per Apostolos, seù Apostolicos viros, *in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui saluati fuerint* crediderint, Io. 1. *de Israel* spirituali, non carnali solùm Paul. Rom. 9. hìc dicit progressum Ecclesiæ Christi, & gaudium credentium, de quo Actorum. 4. & tùnc elapsi erunt anni quadraginta in circà à nece Domini. *Et erit* vltrà, *omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem* ex calamitate illa Romana, & crediderit in Iesum *Sanctus* sic nominabantur Christiani in principio *vocabitur* erit, quis is? *Omnis, qui scriptus est in vita*; in libro vitæ *in Ierusalem* cœlesti prædestinatus: crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam, Acto. 13. 48. Hæc possent intelligi de fine mundi, in quo reliquiæ Israel saluabuntur; & fortè aptiùs, quia pòst cladem Romanam quis Hebræus ad Ecclesiam, cùm omnes ferè dispersi, & dissipati fuerint? nequè hæc ad Apostolos, qui antè excidium erant. Non possunt etiàm intelligi de reditu à captiuitate Babylonica, quia præmisit de strage ex paucitate virorum; & pòst reditum non legitur virorum defectus, vndè necessariò de Ecclesia omnia intelligenda pòst secutam Romanorum captiuitatem; nàm si non carnales, certè spirituales Israelitæ floruerunt, & nullo modo potest stare defectus virorum, & tanta gloria simùl, *si* tamèn *abluerit* baptismali aqua *Dominus sordes filiarum Sion*; stat in his, de quarum lasciuo cultu dixerat, *& sanguinem* virorum *Ierusalem* effusum *lauerit* eodem Baptismo *de medio eius* illum auferens *in spiritu iudicij, & spiritu ardoris*, quem vehementem ipse dabit baptizandis, qui eo compuncti, examinata conscientia, & charitate ornati in Deum ad Baptismum accurrent: vult dicere, is Sanctus, cui Deus concessit tantum beneficium. Non potest intelligi hìc de illo die, quo Spiritus sanctus descendit supèr Apostolos, quia ille illicò pòst mortem Christi, hæc autèm quadraginta annos pòst. *Et creabit Dominus supèr omnem locum montis Sion* Ecclesiæ suæ, *& vbi inuocatus est* non ampliùs strictè ad vnum templum; *nubem per diem, & fumum, & splendorem ignis flammantis in nocte*, alludit ad columnam, & Angelum Exod. 14. *Supèr omnem enim gloriam* Ecclesiæ suæ, de qua vers. 2. *protectio* proteget Deus Ecclesiam suam, sicut tempore Moysis per columnam illam Psal. 164. 39. Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, vt luceret eis per noctem, *& illa nubes tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine, & à pluuia* prout in conducendo populum per desertum. Ex his vult nos intelligere protectionem, & tutelam Ecclesiæ suæ, contrà quam nèc portas inferi præualituras dicit Christus. Eadem dicuntur de translatis ad gloriam Apoc. 21. 3. Ecce tabernaculum, &c. at hìc dicta spectant clarè ad Ecclesiam militantem, cùm de absconsione, turbine, pluuia agat, quæ triumphanti non aptantur,

CAPVT V.

CANTABO præcinam *dilecto meo* populo Israel, quem propheta suum dicit suprà cap. 3. 12. non Messiæ, quomodò enim hoc, quo populus præmonetur, conuenit Messiæ venturo, aùt Deo eadem ratione? *canticum* parabolam solitam *patruelis mei*, quod ipse composuerat: de vno patruele suo infrà cap. 32. *vineæ suæ* quam ipse plantauerat. Non dicas *patruelis* idest Messiæ ex gente mea oriundi, quia hoc inusitatum in Scriptura, nèc applicatur, quia Deo attribuitur dictum Deut. 32. dùm de ingratitudine vineæ suæ conqueritur. Non placet *cantabo* præcinam *dilecto meo* populo Israel *canticum patruelis mei*, Messiæ *vinea sua* cantandum vti,

Matth,

Matth. 21. nàm de cantico iàm facto loquitur. Non placet cantabo *dilecto* Messiæ *canticum patruelis mei*, ideſt ipsius Messiæ, quia distinctæ ſunt personæ dilecti, & patruelis, & cantare vult dilecto quod patruelis eſt. Vndè ſtandum de vero ſuo patruele agere, ideò dicit *vineæ ſuæ*. *Vinea* (deſcribit primò vineam florentem, & ornatam, vt cùm dixerit de vaſtitate futura, magìs moueat ad mœrorem, & ad reſipiſcendum, & arguat ingratitudinem) *facta eſt*, plantata à Deo ex *dilecto meo* populo Iſrael, vt infrà verſ. 7. in Terra promiſsionis, non dicas *dilecto* ideſt Meſsiæ, quia hìc præmittit beneficia facta populo, & quia appellatur *vinea Domini exercituum*, & quia voluit denotare ex quo populo vinea hæc facta *in cornu* in fortitudine magna, in brachio extento, educendo eum de Aegypto per deſertum, introducendo in illam eiectis tot populis, & Regibus, vndè Dauid, Vineam de Aegypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam; dux itineris fuiſti in conſpectu eius, plantaſti radices eius, & impleuit terram, &c. Pſal. 79. & Domina, Fecit potentiam in brachiò ſuo, & quæ ſequuntur vſquè ad verſ. ſuſcepit, & hanc vineã deſcripſit Chriſtus Matth. 21. Non placet *in cornu*, ideſt, loco excelſo, montuoſo, quem amant vites, quia in Scriptura nunquàm legi *cornu* sic interpretari. potiùs poſſet dici (omiſsis alijs) *in cornu*, loco forti, ad quem non poſſent demolientes vineas accedere, proùt de vulpibus paruulis Sponſa in Cant. cornu enim denotat potentiam, & fortitudinem, & deindè *filio olei* in craſsitudine, pinguedine magna, melle, & lacte abundans. Non dicas iuxtà aliquos *filio olei* ideſt Meſsiæ filio miti, manſueto: Eccè rex tuus venit tibi manſuetus, mitis ſum, & humilis corde; oleum enim linit, mitigat, & quia omnia proptèr ſe operatus eſt Dominus, nempè sìc fecit vineam, ex qua ipſe carnem ſumpturus, & liberaturus populum à ſeruitute dæmonum; & hinc velit inferre, tradidit enim Deus eum mitiſſimum ſupèr omnes filios hominum Matth. 21. miſit filium ſuum, &c. & quia duo filij olei pro duobus hominibus. Zach. 4. in fin. iuxtà aliquos, quod tamèn mihi non placuit & ſubdit *vinea Domini exercituum Iſrael eſt*, quaſi, ſuprà dixit vineam, non alio, quàm in *filio olei*, Meſsia vncto, vnxit eum Dominus Spiritu ſancto, vnxit eum Deus oleo lætitiæ, & quia infrà cap. 16. 27. à facie olei, ideſt Chriſti, ſecundùm aliquos, melius enim ſtat *filio olei*, importare fertilitatem, & abundantiam; & dicta non aptantur Meſsiæ, præſertìm quia dicit *vinea Domini exercituum eſt*. *Et* (ne abriperetur, vel deſtrueretur, ſeù ad ſuam protectionem) *ſepiuit eam*, *& lapides elegit ex illa* mundauit eam, purgans lapidibus, qui ſolent officere, *& plantauit eam electam ex* multis populis, *& ædificauit turrim in medio eius*, ad protectionem, *& torcular extruxit in ea* ad vinum exprimendũ, *& expectauit* Deus *vt faceret vuas*, fructum redderet, *& fecit labruſcas*, ob cultorum malitiam, & negligentiam. Quid per vineam, & alia in ea deſcripta ſignificet, vide ſcripta Matth. 21. & hìc per alios, ne deſcribam per alios dicta. *Nùnc ergò* his ſtantibus *habitatores Ieruſalem* principales vineæ, *& viri Iuda* iudicate, ſententiam proferte *intèr me* tot beneficia exhibentem, *& vineam meam* nullum fructum afferentem, dùm iudicium aduerſario remittitur, eſt patens eius malum ius, & conuincitur ex ore eius, vt Nathan cùm Dauid, & Dominus cùm Phariſæis Matth. 21. *Quod eſt* iuſtificat, & clarum reddit ius Dei, *quod debui*, debui, quia sìc promiſeram Patribus *vltrà* ea, quæ feci, facere *vineæ meæ* à me plantatæ *& non feci ei?* quaſi nonnè omnia præſtiti? aliquid ne deeſt? *an* fortè *quod expectaui, vt faceret vuas*, tempus fructuum, videns antè quod paritura eſſet, differens deſtructionem, pœnitentiam volens, & conuerſionem, ac vitam illius, pro beneficio ſcilicèt, & ipſa malis aſſueta *fecit labruſcas? & nùnc* poſtquàm omnis ſpes fructuum euanuit *oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ*, etiàm hoc prædico, optans cõuerſionem eius, *auferam ſepem eius*, protectionem meam, de qua ſuprà cap. 4. in fin. *& erit in direptionem*, quia omnibus feris, & furibus patebit; *diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam: non putabitur, nequè fodietur &* conſequentèr *aſcendent ſupèr eã vepres, & ſpinæ, & nubibus*

bus mandabo, vt arefiat, sicùt sub Achab *ne pluant supèr eam imbrem* hæc per Metaphoram. At Matth. 21. Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Et Psal. 79. Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? exterminauit eam aper de Sylua, & singularis ferus depastus est eam, *vinea enim Domini exercituum* ab eo plantata *domus Israel est* sub hoc vniuersus Israel duodecim tribuum, intèr quas, *& vir Iuda germen eius* Dei *delectabile*, in quo sibi complacuit, ex qua Messias descensurus iuxtà prophetiam Iacob Genes. 49. *& expectaui vt faceret iudicium*, ea, quæ decent, ad quæ tenentur cùm Deo, & proximo, *& eccè iniquitas* omne malum: *& iustitiã* pauperi maximè, *& eccè clamor* oppressio, ex qua vox iniustè damnatorum & oppressorum, ex quibus cogor ad vindictam, sicuti Genes. 18. Ion. 1. vbi Riber. num. 5. ex his declarauit parabolam præcedentem, & qui fructus boni, & labruscæ. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsquè ad terminum* finem *loci*, vt Achab cum Naboth *numquid habitabitis vos soli in medio terræ*, damnat ex his nimiam anxietatẽ acquirendi, & aggregandi, qui erat vnus ex malis fructibus vineæ. Dicit aliàs propheta, non est finis acquisitionis eorum. *In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum*, clamor peccati huius ad me peruenit; vt de Sodomitis Gen. 18. *Nisi domus multæ desertæ fuerint grandes, & pulchræ absq. habitatore*, subintelligitur sint apud vos in posterum nullius fidei, sic pœnam apponit, *decem enim iugera vinearum facient*, fructificabunt *lagunculam vnam* tantùm vini, *& triginta modij sementis facient* reddent *modios tres*, erit maxima sterilitas, & sic frustra erit tanta possessio vestra. *Væ qui consurgitis mane* quasi ad primum opus *ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis*, quorum Deus venter est, inquit Paulus *Cithara, & Lyra, & tympanum, & tibia, & vinũ in conuiuijs vestris*, quasi in his toti, & lætantes, & his excitati ad maiorem potionem, *& opus Domini nõ respicitis, nèc opera manuũ eius consideratis*, quasi penitus obliti Creatoris, & datoris bonorum omnium; ideò Moyses monebat populum Deut. 6. 12. Cùm comederis, & saturatus fueris, caue diligentèr nè obliuiscaris Domini, qui eduxit te de terra Aegypti, &c. *propterea captiuus ductus est* ducetur *populus meus, quia non habuit scientiam* non respexit ad Dei opera, quibus ad eum glorificandum excitaretur, *& nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius exaruit siti*, quod verificatum in obsidione Chaldæorum, & Romanorum: propterea *dilatauit infernus* sepulchrum *animam suam*, quæ desiderat omnes deglutire; vide Albam in Cent. cap. 27. *& aperuit os suum absquè vllo termino*, loquitur per prosopopeiam ad ostendendam multitudinem occidendorum. *Et descendent* in puncto. *fortes eius, & populus eius, & sublimes, gloriosiquè eius ad eum*, perpetuo mansuri, *& incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur*, hic finis superborum, qui se exaltat humiliabitur, *& exaltabitur Dominus exercituum in iudicio*, castigatione, pœna impiorum, *& Deus Sanctus sanctificabitur* ex ore omnium, vt in Apoc. *in iustitia*, quia omnes cognoscent vera iudicia eius, *& pascentur agni iuxtà ordinem suum*, pacificè, vbi ordo, ibi pax, *& deserta* Hebræorum ob strages præcessuras à Romanis, *in vbertatem* deindè *versa aduenæ* gentiles credentes *comedent* hi subrogabuntur in locum eorum, quod dixit Christus: & dabitur genti facienti fructus eius, & hoc intolerabile videre alios in labores nostros. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis* vanis, forte idoloiatria, quibus irretimini, *& trahitis peccatum* supplicium peccati *quasi vinculum plaustri*, quo liberari non potestis, prout nèc boues à loro, *qui dicitis* subintellige *Væ* non credentes prophetis futura mala vobis prædicentibus. *Festinet, & citò veniat opus eius*, supplicia cominata *vt videamus* petentes enim videre non credunt, vt in Thoma, nisi videro in manibus eius, &c. *& appropiat, & veniat consilium Sancti Israel* Dei, quod contrà nos sumpsit, *& sciemus illud*, tùnc experiemur quasi, quid tùm erit? hæc

sper-

ſpernentes dicebant, nõ curantes ſignificationes prophetarum, proùt illi, peccauimus, & quid triſte nobis accidit? sìc infrà capite 66. glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarũ* hi deceptores, illuſores, adulatores, qui ſubuertunt corda ſimplicium, & veritatem abſcondunt, & peruersè iudicant. *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coràm vobiſmetipſis*, prudentes in agendis, vel ſcientijs, nàm sìc vobis videmini, & erratis. sic de ſapientibus, qui ſtulti facti ſunt. Paulus, sìc & Apocal. 3. 17. quia dicis, quod diues ſum, &c. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*, miſtura variorum, effectus ebrietatis, ſeù repletionis. *Qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo*, ſententiando iniuſtè, intellige de Iudicibus, non de Phariſæis, & Scribis, ſeù Sacerdotibus ſuadentibus filijs contrà patres: munus quodcũq. eſt ex me, &c. quia ignoramus, an de illo tẽpore hoc peccatum, proùt ſcimus tempore Chriſti reprehendentis extitiſſe, *proptèr hoc* ob prædicta, *ſicùt deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, sìc radix eorum*, quos deſcripſit *quaſi fauilla erit*, in fauillam ignis redigetur, *& germen eorum vt puluis aſcendet*, in puluerem immutabitur, qui à vento tollitur, hinc excidium maximum. *Abiecerunt enìm legem Domini exercituum, & eloquiũ Sancti Iſrael blaſphemauerunt* impudentèr. *Ideò iratus eſt furor Domini*, habuit ſe Dominus ad modum irati in populum ſuum, *& extendit manum ſuam* ad puniendum *ſupèr eum, & percuſſit eum, & conturbati ſunt montes*, per hyperbolem ad denotãdam plagam magnã, vel Principes, *& facta ſunt morticina eorum*, cadauera, *quaſi ſtercus in medio platearum* tempore obſidionis Romanæ. *Et eleuabit ſignum* militare *in nationibus procùl* (docet nùnc quomodò fiet tanta ſtrages, *& ſibilabit ad eum de finibus terræ*, prouocans ad bellum. *& eccè feſtinus velocitèr veniet*, quem vos non creditis venturum, & petitis feſtinare, quaſi in hoc vobis ſatisfiet. *non eſt deficiens, nequè laborans in eo*, vt deſiſtat a bello, *non dormitabit, nequè dormiet*, diligentia magna vtetur, *nequè ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius*, nullo impedimento retardabitur. *Sagittæ eius acutæ*, ad feriendum aptæ, *& omnes arcus eius extenti*, parati. *vngulæ equorum eius vt ſilex* ità vt non atterantur, & deficiant in via, & bello, *& rotæ eius* curruum, *quaſi impetus tempeſtatis* ad proterendum *Rugitus eius vt leonis* ad terrorem, *rugiet, vt catuli leonum* famelici, *& frendet* ira, *& tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat*, sìc in Iuda Geneſ. 49. *& ſonabit ſupèr eum in die illa* bellorum *ſicut ſonitus maris*, à quo ſolent homines areſcere præ timore, *aſpiciemus* tùnc *in terram*, quaſi non audebimus attollere oculos ad Cœlum, eò quod peccauimus, vel præ confuſione, & contritione, *& eccè tenebræ tribulationis*, quas non poterimus ſuperare, *& lux obtenebrata eſt in caligine eius* hyperbole, quaſi præ magnitudine tribulationis, & lux ipſa obſcurabitur, vt in diebus vltimis, in quibus erit tribulatio maxima, non dabitur locus conſolationi. Hæc omnia de exercitu Romanorum, de quo & Balaam: venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntquè Hebræos. Numer. 24. 24.

CAPVT VI.

IN *anno, quo mortuus est Rex Ozias*, sed an id sub Ozia, vel Ioathan filio eius contigerit, incertum: ex hoc tamèn videtur dici posse hucusquè descripta contigisse sub Ozia, etsi in contrarium sit, quia prophetæ non seruant ordinem; & cùm cap seq. de gestis sub Achaz, potiùs videtur in his comprehendi gesta etiàm sub Ioathan, & hìnc posset capi coniectura, hæc, quæ in hoc cap. dicuntur, sub Ioathan gesta esse, & propterea dictum *in anno, quo mortuus est Ozias*, cui successit rex Ioathan. Vel vt distinctionem temporum cognoscamus, & non confundamus dies Oziæ viuentis sub Ioathan filio, qui eo viuente regebat domum, & iudicabat populum, 2. Paralip. 26. 21. dicit *anno, quo mortuus est Rex Ozias*, non alia ex causa iudicio meo; præsertìm quod ob malitiam Oziæ, Isaias cessauerat prophetare: siquidèm Ozias pro temeritate punitus fuerat lepra, & non reprehenditur post lepram. 4. Reg. 15. 5. 2. Paralip. 26. vbi in fine sepultus in agro sepulchrorum Regalium, quia leprosus, non ob malitiam, & ex lepra præsumitur mutatus, quia vexatio dat intellectum; Prætereà, & cap. 14. 28. dicitur: in anno, quo mortuus est Rex Achaz factum est, &c. & cap. 20. 1. in anno, quo ingressus est Tharthan. At hæc visio non de Christo solo, sed de tota Sanctissima Trinitate, proùt illud Micheæ contrà Achab. 3. Reg. vlt. Nèc obstat Ioan. 12. 40. quia, & ibi de eadem excœcante, &c. opera enim Trinitatis ad extrà sunt communia, vndè non excluduntur Pater, & Spiritus sanctus; etsi de filio ibì dicatur, quia de illo solo agebat quà homine; immò verba *vidi Dominum sedentem* videntur potiùs Patrem repræsentare, vt dicam, & infrà patet Deum hæc verba proferre. Non obstat velum Seraphim ad pedes, quia de facie ad pedes erat, quo toti tegebantur, tegebantur non audentes intendere in maiestatē Dei, quem Paulus dicit habitare lucem inaccessibilem; quod enim per pedes humanitas Christi, mysticum est. *Vidi* (volens pœnam instantem, & determinatam in populum pronunciare, sìc altè exorditur) repræsentatiuè, non oculis corporeis, nec in essentia, quia sìc Deus videri non potest, vt per Aug. Hiero. & alibì dixi, *Dominum sedentem supèr solium excelsum, & eleuatum*, more iudicis sententias ferentis: sìc condemnaturus, & puniturus Achab describitur visus à Michæa, 3. Reg. vlt. vidi Dominum sedentem supèr solium suum, & omnem exercitum Cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris; sìc & occisurus bestiā Dan. 7. 9. aspiciebam donèc throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c. sìc & pluriès repræsentatur in Apocal. 4. 5. 20. 21. *& ea, quæ sub ipso erant* laciniæ vestium defluentes, vt in Esther. 15. 7. *replebant templum: Seraphim stabant supèr* circà *illud* solium *sex alæ vni, & sex alæ alteri*, proùt Apoc. 4. animalia, vndè duo erāt, visi ab Isaia, hinc infrà: alter ad alterum, proùt Apoc. 4. animalia quatuor, idest Angeli quatuor dicit *supèr* iuxtà *illud*, & de duobus tantùm, quia repræsentat in templo imaginario duos, qui stabant supèr arcam, & duos in templo Salomonis, nàm septem in Cęlo dicuntur assistentes. Apocal. 1. Tob. 12. & omnem militiam Cœli assistentem. 3. Reg. vlt. *duabus velabant faciem eius* eiusdem Cherubim, *& duabus velabant pedes eius* eiusdem Cherubim, hìnc non potuisse aciem in gloriam Dei intendere, proùt & Ezechiel. 1. duæ pennæ tegebant corpora eorum, versic. 11. & 23. & sìc à facie ad pedes velati erant; proùt in Ezechiele de corpore; vndè non est necesse recurrere per pedes significari fœmora, & demonstrari pudicitiam in habitu, quia non hæc in Cœlo obseruanda, vbì sicùt Angeli omnes ex Christo respōdenti Sadducęis: vel existimari repræsentationē factā ad retundēdā Hebræorum impudentiā, cùm hæc omnia ad Deū. At maior maiestas Dei, coràm quo assistentes Angeli toti velantur; ideò melius velamē assignatur Cherubim, quàm Deo: vt quid enìm Deo velare faciē, vel pedes? vltrà quod sermo est de Cherubim, non Deo; ideò Deo applicari nō potest, *et duabus volabāt*, ad eorū obedientiā, promptitudinē, velocitatem-

tatem-

tatēq. denotandā, non enim impediebatur volatus ex pedū velatione, quia alijs alis vo labant; & sic ad imperiū Dei demōstrandū, in hoc enim scopus prophetæ, hinc sic repræ sentantur cū sex alis, sic & Apoc.4. Ezech. 1. vltrà naturā quorumcumq. animaliū, *et clamabant* sinè requie. Apoc.4. *alter ad alterū*, se inuicē inuitantes, & correspōdentes, vt & Apoc.4.6. *Sanctus, Sanctus, Sāctus* essentialitèr, ideò Luc.1.35. quod nascetur ex te Sāctū, & ad denotandā sanctissimam Trinitatē, hinc eò magis tollitur, quod per *pedes* nō intelligatur humanitas Christi vltrà iā dicta, presertim si de pedibus Seraphim intelligamus. *Dñs Deus exercituum: plena est omnis terra gloria eius*, quia quicquid in ea tu creasti. Apoc.4. in fin. sic dicebant ijdē cantātes gloria tua etiā terrā participasti, & ego Cœlū, & terrā impleo, *et cōmota sunt superliminaria cardinū* cœli, si in eo templū repræsētatū, vel tēpli imaginarij *à voce clamantis*, vniuscuiusq. clamantiū. *et domus* templum *repleta est fumo*, ad maiestatē Dei indicandā, prout in mōte Sinai, & in tēplo Salomonis, & Ezech. 10. hæc enim repræsentantur, nō quod ità sint, quæ maiora sunt, sed ad nostrā capacitatē, & intelligentiā; Ex his nō puto posse inferri ad vastationē tēpli subsecutură, tùm quia potiùs ad ea, quæ dixi: tū quia non agitur de vastatione, sed motu tantū, tēplo saluo remanēre, cū dicatur fumo impletū pòst commotionē; vndè non potest significare in alio, quod nō exprimit in seipso. *Et dixi* hæc excelsa videns mihi repræsentata, *Væ mihi, quia tacui*, sic coactus, non audēs quicquā proferre, quia laudare debuissem, & voluissem vnà cū illis, sed silui. Non dicas, non annuntiaui quæ debuerā, quia nihil de hoc, & ex præcedentibus contrariū apparet, aut quia non ausus sum Oziam Regē, more leprosorum extrà vrbē, sed intrà manentem arguere; nàm hoc est merè diuinatiuum; at clarè explicat, cur tacuerit, nempè *quia vir pollutus labijs ego sū*, plenus peccatis, loquitur proùt alij homines, qui si dicūt sinè peccato esse, se ipsos seducūt; ideò (vult dicere) nō possum proferre canticū, proùt Apoc.14. 3. coinquinati cū mulieribus non poterāt illud virginū, *et in medio* intèr *populi polluta labia habentis* pleni iniquitatibus, de labijs dicitur, quia his laudatur Deus, *ego habito*, quasi non est laus labijs his digna, hominibus apta, sed spiritibus cœlestibus, laus est habitatorū cœli, sed nedū hoc, & etiā, quia, *Et regē Dominum exercituum* potentē, *vidi oculis meis*, vndè expaui ad eius conspectū, & in hoc recognoscit beneficiū Dei; Nō dicas timuisse vitæ suæ, quia stat in verbo *tacui* tātùm, & nihil de timore mortis. *Et volauit ad me vnus de Seraphim*, à Deo missus, voluntatē meam laudandi eum prænoscente, & in me formāte, *et in manu eius calculus*, carbo, *quem forcipe tulerat de altari*; non quod ibi hæc, sed repræsentat nota nobis, nempè extantia in tēplo in Ierusalem, vt intelligamus, *et tetigit*, calculo *os meum*, *et dixit*, *eccè tetigit hoc* calculū, *labia tua* polluta, *et auferetur iniquitas tua*, *& peccatum tuum mūdabitur* ex eo denotante gratiā Dei, qua purgamur, & mundamur, non à me: vide & Apoc.2. de calculo cādido: sed de Ezechiele ab igne tacto. Ezech.10. de Ieremia manu, Iere.1. vbi dicemus, si dabitur; non enim placet Ezechielē non fuisse pollutum labijs, proùt Isaias se dicit; Nō videtur autèm mutanda persona Seraphim, de quo expresè agitur, in aliū Angelum, quasi Seraphim nō mittātur; nā hìc habemus clara omnia. & Gabriel apud Lucam, & Danielem, & Raphael apud Tobiā, & Michael apud Danielē missi; vide scripta per me in Annūt. verbi in Euāg. c.2. Luc.1. Licèt posset dici hìc cessare argumentū, quia omnia hæc pretèr ordinē, & Seraphim repræsentatum cū alijs, nō iuxtà eorū qualitatem ordinariam; at hoc parum refert, sufficit enim Seraphim fuisse. Nō placet hìc intelligi calculū pro gēma, proùt defendit Alcasar. Apoc.2. annot.5. quia cōtradicunt verba, & factū; nàm calculum tulit de altari, in quo carbones igniti, *et forcipe*, proùt solemus ignita sumere; quæ omnia gēmæ non aptantur. Vltrà quod, & ad emundanda labia Isaiæ in naturalibus nō cōuenit gēma, sed ignis, quia ignis emundat, nō gemma, & ignis sūptus à Cherub. Ezech. 10. & de igne altaris clarè Apoc. 8. Nequè timendum de læsione labiorum, quia neq. dicitur, nequè præsumenda in eo, cui beneficiū cōferebatur, & in pueris ignis nihil valuit ad læsionē, vltrà quod hæc sunt repręsentatiua, nō vera.

Non obstat Apocal. 2. calculum intelligi pro gemma, nàm primò dubia est, & varia interpretatio, & dicitur carbo, Apoc. 8. sed esto, ibi conuenit, quia dicitur calculum candidum, non ignitum, & in eo scriptum nomen Christi, quæ inscriptio, sicùt in gemma de facili, vt in lapidibus pretiosis, in quibus scripta nomina filiorum Israel, & Vrim, & Thumim, ità in carbone nullo modo.

Prætereà, ibi sub eo de gloria, seù eius augumento, puta laureola; hìc de emundatione tantùm. vndè non rectè de illo ad hunc locum infertur.

Non placet calculum, seù carbonem mutatum in gemmam, quia ad difficiliora tendimus, minus est enim sublatam vim ignis, nè vreret, quod aliàs factum, quàm mutationem hanc.

Et, facta potestate loquendi, *audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam?* nempè ad populum Israel? sic: quis decipiet Achab? 3. Reg. vlt. *& quis ibit nobis?* à nobis missus: eccè sanctissima Trinitas, vt in Genes. *& dixi*, tùnc valens loqui, & confirmatus. *eccè ego* præsto sum ad imperium tuum Domine, *mitte me* ex zelo loquitur, & ardore seruiendi Deo, non ex temeritate, quia aliàs fuisset reiectus. Prætereà hæc visio imaginaria illi facta, & non alteri, quia Deus volebat vti eo ministro, non alio, vndè quamuis in visione referatur eius oblatio, tamèn Deus fuit, qui eum elegit, sic 3. Reg. 22. repræsentatur dæmon offerens se deceptorem, & Iob. 1. & 2. omnia, vt nos incapaces intelligamus, quomodò Deus vtatur & bonis, & malis Angelis, & hominibus ad sui ministerium, de quo & in Apoc. habes plura exempla; sunt enim imaginariæ visiones, seù repræsentationes, ideò non potest inferri, propheta vltrò se ingessit ex prædictis; immò hæc omnia sic facta à Domino, vt haberet Isaias missionem ab eo, & fieret magis fide dignus, dùm hæc annunciabat, & vt appareat Deum voluntatem nostram mouere, & iuxtà eam facere, non violentèr. Ambros. in Psal. 118. Sed cur tanta in Isaia mittendo? quia tùm magna, tùm populo odiosa, nempè ipsum perdendum, gentes admittendas, quod nunquàm capere voluerunt, vt in Euangel. annunciaturus erat. *Et dixit, vade, & dices populo huic*; eccè sententia irreuocabilis, & quæ ventura sunt supèr populū: *Audite audientes*, auribus audietis, *& nolite intelligere*, nequè intelligetis, percipietis dicta, *& videte* videbitis *visionem, & nolite cognoscere*, & non cognoscetis, prædicit obstinatum animum populi Hebræi, *excæca*, excœcabitur, & sic de alijs *cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, nè fortè* (liberū arbitrium sempèr saluum manet, *videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum*, hæc verba Dei, non prophetæ, quia infrà propheta interrogat supèr his. eadem verba referuntur à Paulo Acto. vlt. 26. & à Ioanne cap. 12. 40. & alijs. hæc omnia ad prædictionem, non ad imprecationem: vel ad permissionem ob eorum peccata, proùt cùm Pharaone indurato; vndè Sap. 2. 21. Excœcauit enim illos malitia eorum. *Et dixi*, consternatus ex futura cœcitate populi, & optans scire, *Vsquequò Domine?* hæc durabunt, *& dixit, donèc desolentur Ciuitates absquè habitatore & domus sinè homine, & terra relinquetur deserta*, hæc omnia vsquè ad finem temporum propè iudicium, ergò excœcatio vsquè ad illud tempus permanebit, posteà conuertentur, ità Isai. 10. 21. 22. Roma. 11. 25. vbi dixi, & sic comprehendit omne tempus. *Et* interim per Titum, & Vespasianum, & Romanos, *longè faciet homines* populum Israel, qui dispergetur per totum mundum. *Et*, adde si *multiplicabitur, quæ derelicta fuerat* gens Iudaica *in medio terræ* Iudææ, vel toto orbe; ad excidium nouum parabitur, quia, *& adhùc in ea decimatio* ad illam purgandam; dicit de decimatione, quia & greges sic decimantur, & hominum multitudo in pœnis, quod seruatum contrà Martyres, & pro multitudine punienda non habetur alius vsus, nisi per decimationem. vide ad hunc locum Alcasar. Apocal. 11. notat. 12. *Et conuertetur* iterùm ad vastationem, *& erit in ostensionem* ludibrium, *sicùt therebinthus, & sicùt quercus, quæ expandit ramos suos*, spoliata frondibus, & omni ornatu, sic & cap. 1. 30. & nihilominùs non faciam ad totalem interne-

ternecionem, & consummationem, sed *semen sanctum erit id, quod steterit in ea*, progenie Iudaica, reliquiæ enim saluæ fient in fine.

CAPVT VII.

ET *factum est* contigit *in diebus Achaz filij Ioathan, filij Oziæ Regis Iuda* (non seruat ordinem tẽporum) *ascendit* secundò (nàm antè cladem magnam dederat) *Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel in Ierusalem ad prœliandũ contrà eam, & non potuerunt debellare eam.* 4.Reg.16.2. Paral.28. quia Dominus auxiliatus est ei. *Et* dùm se pararẽt Reges ad prœlium,*nunciauerunt* nunciatũ est *domui Dauid* Iuda regi eius, *dicentes: requieuit Syria super Ephraim*,conspirarũt hi duo simul cõtrà te ad tui destructionẽ,*& cõmotum est cor eius* Iuda,seù Regis,*& cor populi eius* ex magno timore,qui illos inuaserat *sicùt mouẽtur ligna syluarũ à facie venti*, quæ hàc, & illàc quatiũtur,quod apparuit in Baltassare,Dan. 5. *Et dixit Dominus ad Isaiã*,volens saluare Iudam proptèr Messiam ex eo oriundum, quandò nullum ab alio expectandum erat auxilium. sic enim solet Deus, vt in Dauid à Saule, populo ab Aegyptijs, Susanna à Senibus, & similibus, *egredere in occursum Achaz* extrà Ierusalem, *tu, & qui derelictus est* hinc alij filij Isaiæ fortè præmortui *Iasub filius tuus*, fortè ad maiorem familiaritatẽ, & securitatem regi ostendẽdam, vel ad prophetæ maiorem securitatem;vel nè hæc promulgarentur in vulgus. Alij, quia ex nomine filij victoria denotabatur futura, quod non placet, quia nil de hoc per Isaiam cùm Achaz, quod tamèn explicandum erat. *ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri fullonis*, quà ipse Achaz transiturus, id à Deo, quia fortè ignorasset propheta, quà illum inueniret, secuti Eliæ, & Philippo similia dicta, quibus tamèn non datur causa, vel ratio, *& dices ad eum*, nomine meo; *Vide* attentè. *vt sileas*, quiescas, *noli timere, & cor tuum nè formidet à duabus caudis titionum fumigantium istorum*, citò extinguendorum,proùt fuit *in ira furoris*, & superbiæ, contrà te venientium, *Rasin regis Syriæ, & filij Romeliæ, dicentes: Ascendamus ad Iudam, vt suscitemus eum*, ad bellum, quasi dormientem. proùt illi de tribu Dan dixerunt de Lais, *& auellamus eum* victum *ad nos*, subijciamus eum nobis, vniamus eum nobiscum, non sit regnum Iuda, *& ponamus regem in medio eius filiũ Iabeel*. vnum ex nostris amicis. *Hæc dicit Dominus Deus*, contrà hæc regum superba commenta, *non stabit, & non erit istud*, quod ipsi dixerunt, *sed* neque iuxtà S. Cyrillum *caput Syriæ Damascus erit*, proùt nùnc, *& non erit caput* rex *Damasci Rasin, & adhùc sexaginta, & quinque anni* restãt, quomodo, hic Recentiores: *&* qui vult Iudæ dominari *desinit Ephraim esse populus*, qui captiuus ducetur nunquàm reducturus, vt ex Amos propheta auditum, *& interìm caput* regnum *Ephraim Samaria*, vt nùnc, *& caput* rex *Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis*, quasi fidem adhibete dictis meis, & sperate in Domino, vt stetis, aliòqui si increduli,non permansuri, non liberandi à timore præsenti, qui vos premit. Non credo hìc agi de eorum captiuitate futura, quia agebatur de tollendo timore, non inducendo; loquitur autèm ad populum, *si non credideritis*, vt rege non credente, saltèm in fide alicuius ex populo subsisteret beneficium à Deo elargiendum, vndè ad eundem effectum, *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz* vltrà iàm dicta, vt magis eum credulum redderet, & sisteret, neque rei grauitate, & quasi impossibilitate deterreretur: si adhùc dubitas, neque credis verbis meis, ad tui maiorem tutelam, & certitudinem, *Pete tibi signum*, benè visum *à Domino Deo tuo* te protegente, & potente omnia facere, etiàm maiora, *in profundum inferni, siuè in excelsum suprà*, etiàm in regionibus nobis ignotis, in quibus solemus magis admirari, & cognoscere potentiam facientis; ideò Iudæi petebant signum è cœlo

lo, proùt fecit Samuel, sìc Niniuitis visum magnum signum salutis Ionæ ex profundo maris, proùt & illud diuisionis maris, & trãsitus populi per siccum, & Aegyptiorum submersionis, *& dixit Achaz*, impius, & subdolus, hypocriticè, vel timẽs sibi aliquod malum ominari, *non petam, & non tentabo Dominum*, nolo aliud experiri, quasi credo, etsi non crederet, ità ut nequè signo persuaderi voluerit, *& dixit*, propheta (omisso rege) populũ affatur, vt minùs regẽ offendat, quem Dominus voluit per suum prophetã honorari cùm filio. sìc Christus cùm Regulo: nisi signa videritis, non creditis, & ibi dixi. Non mouetur Achaz ad sìc dicendum, quasi tentarem Dominum, si in eo totalitèr confisus dimitterem inuocare ex terra auxilia humana, quæ cogitabat, quia id excludebatur à propheta, offerente illud ex parte Dei, sìc in Ezechia, & Gedeone non fuerunt mala, restat motum fuisse ex nimia malitia, & nimia diffidentia in Deum, orta ex idolòlatria, hìnc vt populus saltèm mutaretur à via mala, & confirmaretur, ad eum conuersus propheta. *Audite ergò domus Dauid* postquàm nequè signo à vobis expetendo vultis muniri ad credendum. *Numquid parum vobis est*, videtur *molestos esse hominibus*, quibus fidem non præstastis *quia* quod peius est *molesti estis & Deo meo?* qui me ad vos misit, & adhùc non creditis? molestiã dicitur pati Deus more hominum ad nostram capacitatẽ, sìc: laboraui sustinens, suprà c. 1. & Paulus Spiritum sanctum contristare. Vel *molesti estis & Deo meo* iuxtà Abul. Matth. 13. q. 90. volenti ad gloriam suam mirabilia ostendere, nobis etiàm non credentibus, *proptèr hoc* (vestra malitia, & incredulitate non obstante, etenìm proptèr peccata hominum Deus non remouetur à decretis, & promissis. Rom. 3.) quia vos non petitis, vltrò *dabit Dominus ipse vobis signum* maius, longè excedens ea, quæ nùnc audistis, quòad hæc, quæ dixi credenda, persuadeamini; Dominus enim adeò vult salutem huius populi, vt ex eo nasciturus sit Messias promissus huic populo in Abraham, & alijs, totum genus humanum spiritualitèr saluaturus, de quo Iacob Gen. 49. & cùm is non sit nasciturus nisi ab hìnc septingentis triginta, vel sexaginta septem annis, vel circà, tamdiù durabit hic populi status, qui posteà destruetur, vt iàm videmus, & hac de causa Virginis pariturae meminit, vt ex alijs signis, & euentibus cognoscant hoc signum verum, ad quod transit, nempè à salute tẽporali ad spiritualem, non vt dicta de victoria confirmet, sed effundat hoc beneficium, illudquè ab euentibus certum reddat, ideò *Eccè* (miraculum inauditum) *virgo* ex hoc populo oriunda *concipiet* virtute Spiritus sancti Luc. 1. *& pariet filium* masculum Apoc. 12. dicendo *filium* non filiam, prædicit ignota, & Angelis, & dæmonibus ignorantibus futura, scire enìm possunt, quandò conceptus est fœtus, qualis sit, non antè, at hìc prædicitur tot sæculis antè, *et vocabitur* erit *nomẽ eius Emmanuel* nobiscum Deus, & homo, redempturus genus humanum, iuxtà promissa Patribus facta: pòst hæc in terris visus est, & cùm hominibus conuersatus est: ero vobiscum omnibus diebus vsquè ad consummationem sæculi; non appellandus Emmanuel, sed Iesus. *butyrum, & mel comedet*, quia erit verus homo, apprehendet verè naturam humanam, vt pati possit. Dicit de butyro, & melle, quia illis alebantur tùnc infantes in regione illa; vitam communem acturus erat, non particularem, proùt Ioannes: vndè dicebat, venit Ioannes non manducans, & non bibens, & dicitis, quia dæmoniũ habet, venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis quia potator est vini: *vt* vsquequò *sciat reprobare malum, & eligere bonum* tùnc enìm solido cibo vtetur, proùt alij, vel sciens. Figue. Habac. 2. vers. 18. vt faceret, sed dubito de hoc intellectu. At quæ vobis anũncio, certè verificabuntur, & pro signo est, *quia antequàm sciat puer* de quo infrà cap. 8. non Emmanuele, cui tempus, & actio non aptatur, & quia duplicat verba iàm dicta, *reprobare malum, & eligere bonum*, infrà biennium, vel triẽnium, properè, in ætate infantili illius, & sìc trãsit ab Emmanuele ad primò dicta de regibus *derelinquetur terra*, *quam tu detestaris* formidas nùnc, *à facie duorum Regum* Dominorum illius, improborum proptèr eorum peccata, tibi infestorum, & aduersantium, vndè nedùm nùnc

tu Iuda victoria potieris, sed futurum est, vt terra tibi nùnc infesta destruatur infrà tempus dictũ, vndè quod dicitur de Emmanuele,non potest huic phrasi aptari, præsertìm quia non intendit propheta dicere ab illo hæc præstanda. At quia & tu in malitia tua perseuerabis, nèc recognosces beneficia, & tu, & populus in incredulitate stabitis. *Adducet Dominus supèr te, & supèr populum tuum, & supèr domum patris tui* (nùnc etiàm in Regem verba profert) *dies, qui non venerunt*, de præteritis loquitur, non futuris, *à die separationis Ephraim à Iuda*, per Ieroboam, *cùm Rege Assyriorum* vobis infesto, qui de recenti eosdem clade affecerat. 2. Paralip. 28. quæ etsi grauis, illi tamèn nullo modo comparanda, *& erit in die illa* hoc malum populo *sibilabit*, ciet, vocabit *Dominus muscæ, quæ in extremo fluminum Aegypti* quasi multitudini promptæ,& infinitæ, proùt musca, *& api* aculeatæ, *quæ est in terra Assur* militibus feris, *& venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuersis foraminibus*, stat in Metaphora muscarum, & apũ, sed intendit hos conductos à Deo occupaturos omnem Terram promissionis, *in die illa* diebus illis, *radet Dominus in nouacula conducta* exercitu conducto, in ore gladij ferientis,proùt de Nabuchodonosor Ezech, 29. *in his, qui trans flumen sunt* magìs declarat in Rege Assyriorum, *caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam*, idest regem, populum,optimates,hìc agitur de captiuitate Babylonica,non Romana; tùnc, vult dicere, erit vobis formidandum,nõ nùnc Domino vobis assistente:non agitur hìc de nouissimo tempore iudicij, quia cùm reliquiæ Hebræorum saluandæ sint, proferuntur pro eis, vti beneficia. *Et erit in die illa: nutriet homo vaccam boum, & duas oues* tantùm, non habebit armenta multa, *& præ vbertate lactis comedet butyrum, butyrum enìm & mel manducabit omnis, qui relictus fuerit in medio terræ*, vult dicere,erit armentorum tanta inopia, vt quæ remanserint pauca, pinguia productura sint, & butyro, & melle alendi sint habitatores, qui fuerint derelicti. Vel terra erit adeò deserta quòad culturam, vt butyro, & melle tantùm homines sint alendi,quia subiungit. *Et erit in die illa omnis locus, vbì fuerint mille vites, mille argenteis* valentes, *in spinas, & in vepres erunt* de vineis agit, quæ curantur curiosè, & diligentèr, & sunt cariores, *cùm sagittis, & arcu ingredientur illùc* vbì vites, *vepres enìm,& spinæ erunt in vniuersa terra* quasi non ingredientur culturi cùm instrumentis cultorijs, sed armati, vt à belluis syluestribus, & spinis se defendant, *& omnes mõtes*, ad quos confugient saluandi, *qui in sarculo sarrientur*, non in aratro, ad paucitatem respicit, *non veniet illùc terror spinarum & veprium*, proùt in planitie, *&* sed *erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris*, vice planitiei montes pascentur. At ad quid hæc de Messia nasciturо annunciare,quæ ab his calamitatibus adeò distabat? dic hoc esse proprium prophetarum: sìc Iacob. Genes. 49. dicit cessaturum sceptrum Iuda, quo cessante venturus Messias, & tamèn sceptrum cessauit in captiuitate Babylonica, à qua vsquè ad Christum intercesserunt anni 800. in circà, vt tenui Gen. 49. vide Abul. in tractatu supèr verbis, Eccè Virgo. Vndè ex prædictis non intendit dare signum, ex quo cõprobaretur victoria contrà reges, ità vt tùnc crederẽt,quod nolebãt credere, sed futurarũ eorũ consolationũ ex ortu Messiæ, & flagelli in eos instantis ob eorum impietates, à quo liberarentur, si saperent,& Regnorum Syriæ, & Samariæ: hìnc dic non fuisse hoc signum, proùt datum Gedeoni ab Angelo, Sauli à Samuele, quæ reddiderunt certa eis prædicta de victoria, & alijs: at ambo hæc certum faciebãt Regum exterminium secuturum. Vide Abulen. vbì suprà ad primum, & hìc S. Thom. Chrisosto. & Sanctium.

CAPVT

CAPVT VIII.

ET dixit Dominus ad me in visione, prosequens dicta suprà cap. 7. *Sume tibi librum grandem*, grandia, & excelsa in eo scripturus, *& scribe in eo stylo hominis* intelligibili, vt homines ad illius lecturam ex facilitate alliciantur. *Velocitèr spolia detrahe, citò prædare*, quibus verbis propera calamitas duorum regũ describitur, quam verbis, & facto, seù fœtu repræsentat, vt solent prophetæ ad maiorem fidem imprimẽdam; hæc ergò ad hunc finem, non alium, ad hæç tempora, non alia designanda, & iàm de Messia clarè egerat. *Et* in re tàm ardua describenda *adhibui mihi testes fideles, Vriam Sacerdotem*, de quo 4. Reg. 16. *& Zachariam filium Barachiæ*, non is propheta vndecimus occisus, de quo Christus Matth. 23. qui populo annunciaret, & ex hoc ostendit rem esse certam, firmam, testibus comprobatam, & ab omnibus amplexandam; adhibet hos, quia hi tùnc extabant, & quia Sacerdotes erant fide digni suprà alios; etsi Vrias fuit aliquandò idololatra, at ex imperio Achaz, & potuit conuerti, vel sufficit tùnc fuisse talem, cui crederetur; sìc etiàm Moyses inuocat testes Cœlum, & terram ob rerum contentarum magnitudinem. *Et accessi ad prophetissam* vxorem meam, *& concepit, & peperit filium, & dixit Dominus ad me: voca nomen eius:* pueri nati. *Accelera, spolia detrahe: festina prædari*, ad denotandam perniciem regum properam, vndè subdit. *Quia antequàm sciat puer* natus *vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ* de quibus cap. 7. *coràm Rege Assyriorum* destructore; hinc clarè apparet prophetam prosequi materiam cap. 7. & propterea stare intellectum superiorem, velle ostendere velocitatem destructionis regum illorum. *Et adiecit Dominus adhùc loqui ad me dicens: pro eo quod abiecit populus* iste Israel *aquas Siloe* Iudæ, *quæ vadunt cùm silentio* quasi paruas, & attenuatas, in quibus tamèn requiescere debuerant, confidendo in me *& assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ* (eccè quomodò prosequitur materiam cap. 7.) ad destructionem Iuda, *proptèr hoc eccè Dominus adducet supèr eos* Israel, *aquas fluminis fortes, & multas*, stat in metaphora primò sumpta, vt patiantur in quo deliquerunt: at quæ illa? *regem Assyriorum* Sennacherib, *& omnem gloriam eius* potentiam, *& ascendet* victor *supèr omnes riuos eius* sic dicit, quia de flumine est sermo; *& fluet supèr vniuersas ripas eius* omnia obtinebit, *& ibit per Iudam* (hic destructio & alterius regionis Iudæ) *inundans* vastans, *& transiens vsquè ad collum veniet*, quasi vix saluabitur caput, nempè Ierusalem, vt tempore Ezechiæ: simile in Ezechiele de profunditate aquæ, *& erit extentio alarum eius* exercitus capientium, & diripientium, *implens latitudinem terræ suæ*, è qua oriundus es: *ò Emmanuel* quasi neque huic dilectæ à te parcetur, is diuersus à denominato suprà *Accelera*, &c. nàm si idem esset, potiùs denominasset, vt suprà: Galatinus tamèn lib. 7. cap. 16. hæc omnia trahit ad Messiam, & de illo intelligit. *Congregamini populi*, conuertit nùnc sermonem ad exercitus stantes contrà Ierusalem, & Achaz, *& vincimini, & audite vniuersæ procùl terræ* magnalia Dei, confortamini simùl vincti, ironicè loquitur, *& vincimini, accingite vos* ad prælium, *& vincimini, inite consilium* de Iuda perdendo, *& dissipabitur* non stabit cap. 7. *loquimini verbum*, quasi victores, *& non fiet* quia nobiscum Deus Omnipotens, dissipans consilia principum, & cogitationes populorum. *Hæç enim ait Dominus ad me*, non dico hæc à me ipso *sicùt in manu forti* gratia, & auxilio suo *erudiuit me, ne irem in viam populi huius*, nè sequerer vias malas huius populi, nempè in via timoris Regum, & aduocandi auxilia ex terra, quam à me expuli *dicens*; *Non dicatis* timentes *coniuratio* horum duorum Regum est, quibus non poterimus resistere, *omnia enim, quæ loquitur*

popu-

populus iste tremens *coniuratio est*, consistit in hac coniuratione: sic solent timentes, *& timorem eius* populi, *nè timeatis, nequè paueatis*, quia vanus *Dominum exercituum ipsum sanctificate*, colite, in eo sperantes, illum laudantes. *ipse pauor vester, ipse terror vester* esse debet, non alius; sic Christus: timete eum, qui potest, & corpus, & animam mittere in gehennam. *Et* si timueritis, colueritis eum, vndè prædicta ad documentum, *erit vobis* credituris, *in sanctificationem*, illo sanctificabimini, honorabimini: *in lapidem autèm offensionis*, in quem offendent, *& in petram scandali* erit *duabus domibus Israel*, scilicèt vtrique regno, Israel, & Iuda non credentibus, *in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem*, cui non parcetur, etsi dilectæ; de his in specie, quia fortè nimium confidebant, dicentes. templum Domini, &c. *& offendent ex eis plurimi in eum, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur*, sìc Simeon Luc. 2. & Christus, Matth. 21.44. & qui ceciderit supèr lapidem istum, confringetur, supèr quem verò ceciderit, conteret eum, idem 1. Petr. 2. *Liga testimonium* hoc graue, *signa legem* hãc, sic & dictum Ioanni in Apocal. & Danieli, hinc cœcitas Israelitarum, de qua suprà cap. 6. *in discipulis meis* credituris, vt si alij eam spernant, ipsi sequantur, & credant. *& expectabo Dominum*, in quem credo, *qui abscondit faciem suam* claudens mysterium *à domo Iacob* auersatrice, *& præstolabor eum* sciens eum veracem, & adimpleturum omnia, etiàm si tardet, quia omninò expectabo eum, nèc deficiam; sic Dauid: expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum; & Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi; *Eccè ego, & pueri mei*, filij mei, de his Paul. Hebr. 2. 12. *quos dedit mihi Dominus in signum, & portentum Israel*, ex eorum nominibus, & eius iussu impositis, *à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion*, vbì templum; sic in Gen. pluit Dominus, à Domino expectabimus auxilium, seù promissa Domini, credentes, & quiescentes in Domino. *Et cũ dixerint ad vos*, ò pueri, *quærite à Pythonibus*, vt Saul à Pythonissa; & in Act. interrogantes puellam Pythonẽ habentẽ, *et à diuinis, qui strident in incãtationibus suis*, quasi effutiant diuina, *numquid non populus* Israel à *Deo suo* vero auersus *requiret pro viuis à mortuis?* vti Saul à Samuele mortuo, & alij de quibus infrà cap. 66. quasi non erit hoc à veritate alienum? Vndè Elias ad Ochoziam: misisti ad Beelzebub, quasi non esset Deus in Israel. 4. Reg. 1. *ad legem magis* à Deo datam, *& ad testimonium* arcam Dei respicere debemus: ideò dixi, *liga*, &c. sic Petrus, habemus firmiorem propheticum sermonem, &c. & Christus: scrutamini Scripturas, quæ loquuntur de me. *Quod si non dixerint* pythones, & diuini illi *iuxtà verbum hoc* meũ, testimonium, legem, *& non erit eis matutina lux* veritas, sed cœcitas, sic Deut. 18. *Et* qui *transibit per eam*, lucem tenebrosam *corruet* proùt cœcus in tenebris illis, *& esuriet, & cùm esurierit, irascetur, & maledicet Regi suo, & Deo suo*, his afflictionibus fractus, *& suspiciet sursùm*, desperans, & sinè auxilio, *& ad terram intuebitur* confusus, *& eccè tribulatio, & tenebræ, dissolutio, & angustia, & caligo persequens, & non poterit auolare de angustia sua*, erit sinè remedio vllo, siuè à Cœlo, siuè terra.

CAPVT IX.

PRIMO *tempore*, in hoc capite sequitur propheta materiam præcedentium circà Messiã, Achaz, Israelem, Iudam, Reges Rasin, & Romeliæ, sed sub inuolucris more prophetarum, *primo tempore* ab ingressu in Terram promissionis, vel a Saul Rege vsquè ad obitum Salomonis, quo constitit integrum regnum in duodecim tribubus (nullum enim aliud habuerunt primum tempus, seù statum) quo quidèm tempore decem illæ tribus minùs peccarunt, & in idololatriam non ità communitèr

tèr incurrerant, sed sequebantur aquas Siloe, Iudam, de quibus cap. præced. *alleuiata est* à Deo leuitèr castigata, vel sustentata est *terra Zabulon, & terra Nephtali* sub his decem tribus, *& nouissimo* tempore, diuiso regno intèr Roboã, & Ieroboã, nouissimũ hoc tẽpus illis, quia datæ in perpetuam captiuitatẽ penitùs destructæ *aggrauata est* aggrauabitur *via maris* Tyberiadis, in qua sita oppida *trãs Iordanẽ Galileæ gentiũ*, nã data Hiram gentili à Salomone, vel quia à gentibus simùl habitabatur; etenim sicùt sub Ieroboam cumulauerunt peccata vsquè ad maximum, quod est idolòlatria, & fuit hic vltimus harum decem tribuum status, ità augebantur calamitates, & clades, dabunturquè in perpetuam captiuitatem, à qua nunquàm reuertentur, vt dixerat cap. 7. 6. & cap. 8. proùt verificatum est sub Theglathpalasar; & Salmanasar. 4. Reg. 15. 16. 17. 18. & sic materiam præcedentem continuat. Nèc videntur diuidendæ hæ captiuitates, quasi prima sub Theglathphalasar, in qua primum tempus, leuis fuerit: secunda sub Salmanasar, in qua secundum, grauis, quia non diceretur *alleuiata* sub *primo tempore* cùm passa sit captiuitatem, & quia propheta agit de secuturis, & hæ captiuitates nondùm aduenerant; sed eas prædicebat futuras. Prætereà in his non datur tempus verum, vel aliud, sed peccata, vel iustitia tribuum; simùl, & de illarum statu vnito; Insupèr, sub Theglathphalasar Nephtalitæ, & alij Galilæi captiui ducti fuerunt, vndè quomodò quòad Nephtali leuitèr actum in primo tempore, si sic capiatur? Non placet quod apud Pined. de rebus Salomo. lib. 7. cap. 17. num. 6. vidi *alleuiata* vilis erat *aggrauata* magna reddita tempore Apostolorum, quod hìc Sanctius, & alij recentiores sequuntur, nàm magni Apostoli, non magna illa; Vltrà quod nescio quomodò congruat litteræ. Quòd si spiritualitèr capiantur, dic *primo tempore* antè aduentum Messiæ, *alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtali*, quasi fuerunt in minori errore *et nouissimo* postquàm venit, & se manifestauit *aggrauata est* facta rea maiorum peccatorum *via maris trans Iordanem Galilea gentium* eædem illæ tribus. Non placet *via maris* idest institutum illarum tribuum piscatorium; nescio enim quò id tendat, & quod supèr eo aggrauatio: nàm recedere ab arte piscatoria, à solitis potiùs inconuenit, & in populo artes omnes laudantur, & sunt necessariæ. Vel dic *primo tempore*, quo scilicèt Deus (eiectis populis gentilibus idolòlatris) introduxit populum suum Hebræum in Terram promissionis. *alleuiata est* à magno onere illorũ idolòlatrarum *terra Zabulon, et terra Nephtali* per prosopopeiam de his, sìc dicitur terra infecta malitia hominum, *et nouissimo*, tempore Messiæ, quod dicitur nouissimum, & vltimum, *aggrauata est*, aggrauabitur maiori beneficio, vel aggrauabitur ex ingratitudine, non recognoscẽdo Messiã, & maiori quàm priùs: onere *via maris*, &c. galilæa, in qua educabitur, & conuersabitur Messias: ideò rationem subdit aggrauationis, quia *populus qui ambulabat in tenebris, vidit* oculis corporalibus, sed non agnouit, nèc recepit *lucem magnam* Messiam *habitantibus in regione vmbræ mortis*, more captiuorum *lux orta est eis*, sed in vanum, qui illi contradixerunt, noluerunt aperire oculos ad eam recipiendam, sìc: exortum est in tenebris lumen rectis corde. At id fuit communẽ toti Iudeæ. Non placet *alleuiata*, à iugo legis in primo anno prædicationis Christi, quia lex non cessauit, nisi pòst eius mortem, & in primo anno fuit etiàm in Ierusalem miracula patrans Ioan. 24. Prætereà, quomodò posteà nouissimo tempore aggrauata? insupèr quomodò alleuiata à lege, quæ non credidit prædicanti? Hìnc est quod Sanctus Matthæus cap. 4. ommittit verba *primo, et nouissimo tempore, et alleuiata, et aggrauata*, & ad suum propositum assumit principalitèr hoc *populus, qui ambulabat, etc.* & ex his excluditur, quòd agatur de gentibus conuertendis de Iuda, quarum nulla mentio, quomodò enim Iuda magis populus stans in tenebris, quàm illæ, vel decem tribus? immò magis gentes, & decem tribus, & quià repugnat S. Matthæo, de his in specie agenti, non de Iuda: beneficium ergò erit hoc maximum spirituale sìc destitutis, quia suo tempore videbunt hanc lucem, quam tamèn reijcient ex eorum malitia; vndè subdit

dit *multiplicaſti gentem* tùnc temporis, prædicit aliam formam tribuum, quæ erunt in magna multitudine ſimùl regiones habitationibus plenæ, & hoc beneficium à Deo (ad quam conuertit ſermonem) recognoſcendum, ſed *non magnificaſti lætitiam*, quia non credent tribus, gens Iudæorum, Meſſiam non recipient Ioan. 1. in propria venit, & ſui eum non receperunt, at fideles credituri in Meſſiam *lætabuntur coràm te* quia tu ſolus eorum eris gaudium, *ſicùt qui lætantur in meſſe* ampla, canentes celeuma, *ſicùt exultant victores capta præda, quandò diuidunt ſpolia*, pòſt labores enim belli hæc lætiſſima. Alij ſic dicunt; at *populus* Iuda *qui* tempore Ezechiæ, *ambulabat in tenebris* timore arreptus quaſi in ore gladij trucidandus, dùm à Sennacherib obſidebatur Ieruſalem, *vidit lucem magnam* ſibi effulgentem, auxilium magnum a Domino, *habitantibus in regione vmbræ mortis*, quam expectabant inſtantem, *lux orta eſt eis* eos liberans vna nocte per Angelum 185. millia occidentem, ſic in Pſal. Eripuit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum diſrupit, & tùnc Domine *multiplicaſti gentem* aduerſariorum, gentem Sennacherib, *& non magnificaſti lætitiam* eorum, volentium Ieruſalem deſtruere, tua erit potentia, quæ nos liberauit, ipſi quidèm de te præſumentes, & quaſi victoria potiti vanè *lætabuntur coràm te*, qui non potes decipi, & omnia futura noſti, *ſicùt qui lætantur in meſſe*, *ſicùt exultant victores capta præda, quandò diuidunt ſpolia*; quaſi victores, & diſcincti, quod apparet ex dictis per Rabſacen, & alios. *Igum enim oneris eius*, quod tentabat populo tuo imponere, *& virgam humeri eius* regalem, *& ſceptrum exactoris eius* pro tributis recipiendis *ſuperaſti*, tu Domine potentia tua, *ſicùt in die Madian*, Iudic. 7. 22. etſi alio modo ibi per ſe ipſos, hìc per Angelum ſuum: *quia omnis violenta prædatio cùm tumultu* quam fecerat in alijs ciuitatibus, *& veſtimentum miſtum ſanguine*, dùm occidit habitatores, *erit in combuſtionem*, *& cibus ignis*, diſſipatus fuit, euanuit, nihil ei remanſit integrum, & is intellectus conformis infrà cap. 10. 26. 27. cùm ſeq. etſi nihil hic explicitè habeatur de Sennacherib, vel Iuda, immò de alijs tribus diuerſis agat, & de ſalute Iudæ, ſeù Ieruſalem ſuprà egerit cap. 8. 8. vbi dictum. At redeundo ad primum intellectum, cur lætabuntur credentes? *iugum enim oneris eius* peccatorum, & diaboli mundum prementis, *& virgam humeri eius* qua homines flagellabat, & captiuos reddebat, *& ſceptrum exactoris eius*, quo ab hominibus tributum, adorationem extorquebat *ſuperaſti* viciſti *ſicùt in die Madian*, à Gedeone laguncula corporis tui vnita diuinitati, quæ pro luce intùs abſcondita eſt, quod quidèm ad patiendum ſuſcepiſti, confracta morte tua, *quia omnis violenita prædatio cùm tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine*, ſic enim in deprædationibus, *erit in combuſtionem*, *& cibus ignis*, omnia conſummabuntur, inania, irrita fient, victo hoc aduerſario dæmone: vndè, nùnc iudicium eſt mudi, nùnc princeps huius mundi eijcietur foràs. hæc quoàd fideles, vndè Ioannes; quotquot autèm receperunt eum, &c. Sed quod vſquè hùc ſub myſterio dixit, nùnc explicat, & ponit pro ratione præmiſſorum, cur hæc tanta bona fidelibus, & propterea omnia aptiùs ſpiritualitèr intelligũtur, quia Chriſtus omnia ſpiritualitèr: non temporalitèr egit. *PARVVLVS ENIM* conceptus ex Virgine *NATVS EST NOBIS* hominibus, *& FILIVS* idem *DATVS EST NOBIS* ad nos eripiendos è faucibus dæmonis, Deus enìm proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, & cùm eo omnia, *& factus eſt principatus* dominium *ſupèr humerum eius* eleuatum, ità vt omnibus præſideat, omnes deprimat, nèc quiſquam poſſit ab eo auelli: vincat omnes poteſtates, regna omnia debellet; & ſibi ſubdat etiàm portas inferi, de quibus egit in ſenſu ſprituali, vt dixi, & habetur Dan. 24. 4. clarè. *& vocabitur nomen eius admirabilis*, quis ſicùt Dominus Deus noſter? *Conſiliarius* ſibi ipſi, alijs non indigens, alijs conſulens recta, certa, bona, *Deus*, cui reſiſti non poteſt, *fortis* fortiſſime Deus ſpirituum, dixit Moyſes, & Iacob, & alij, *pater futuri ſæculi* æterni, parturiens futurum ſæculum, quia ab ipſo ſolo ſalus hominum: non enìm eſt datum aliud nomen

men sub Cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri, & ipso apparente regnum cæleste à Ioanne, & deindè ab ipso, & Apostolis prædicatum *princeps pacis*, ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum; hanc intonarunt Angeli in eius Natiuitate, pacificare quæ in cœlis, & quæ in terra, mediator Dei, & hominum, *multiplicabitur eius imperium*, ità vt detur sibi potestas in Cœlo, & in terra, conculcet omnes inimicos 1. Cor. 15. Ps. 109. *Et tùnc pacis nō erit finis* in Cœlo enim perpetua pax *supèr solium Dauid*, *& supèr regnum eius sedebit*, spiritualitèr in Ecclesia, cuius ipse caput, Eph. 1. Col. 1. & 2. iuxtà Angelum Luc. 1. regnum enim eius non est de hoc mundo, *vt confirmet illud*, *& corroboret in iudicio*, *& iustitia*, ex præceptis, & obseruatione eorum, *amodò* quia agnus occisus est ab origine mundi, *& vsque in sempiternum*, & ne supèr his dubitetur. *Zelus* amor, charitas sola *Domini exercituum faciet hoc*, sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, &c. Io. 3. Rom. 8. *Verbum* timore plenum supèr regnis illis Syriæ, & Samariæ, destruendis, ad quæ redit, *misit Dominus in Iacob*, in totam Iudæam, *& cecidit in Israel* primò, *& sciet* experietur, quia quod Dominus loquitur, non fallit, *omnis populus Ephraim & habitantes Samariam in superbia*, *& magnitudine cordis* qua æstimant hęc non euentura eis *dicentes* quasi irridentes, & non curantes plagas immittendas, & euersiones secuturas ciuitatum, lapides *lateres* muri lateribus compacti *ceciderunt* cadent, *sed quadris lapidibus* quasi melioribus *ædificabimus* meliùs nobis prospiciemus, quàm anteà *sycomoros* arbores viles, maximè ob copiam *succiderunt*; *sed cedros immutabimus*, arbores proceres, & venustas, *& eleuabit Dominus hostes Rasin supèr eum* regem Assyriorum, *& inimicos eius* Israelis *in tumultum vertet* contrà eum, & intèr eos *Syriam ab oriente*, *& Phylistijm ab occidente*, *& deuorabunt Israel toto ore* nemini parcentes *In omnibus his* plagis horrendis *non est auersus furor eius* Domini, *sed adhùc manet manus eius extensa* ad pœnas, & plagas, *& populus*, sic afflictus *non est reuersus* non reuertetur *ad percutientem se* quod solet vexatio præstare: *& Dominum exercituum* potentem *non inquisierunt*, etiàm admoniti à prophetis, & vexatoribus, 4. Reg. 17. 2. Paralip. 30. *Et disperdet Dominus ab Israel caput*, *& caudam* primos, & infimos *incuruantem* mendacem, *& refrænantem* bona promittentē *die vna*. *Longæuus*, *& honorabilis*, *ipse est caput* hi enim plebi persuadent quod volunt, *& propheta docens mendacium*, *ipse est cauda* qui sequitur eos adulando. *Et erunt qui beatificant populum istum seducentes*, & cap. 1. popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt: *& qui beatificantur*, *præcipitati*, *proptèr hoc supèr adolescentulis eius non lætabitur Dominus*, *& pupillorum*, *& viduarum non miserebitur* quorum solet esse protector; hoc dicit ad demonstrandam magnam iram Dei, & instantes pœnas, & quomodò eos abiecerit: *quia omnis hypocrita est*, *& nequam*, *& vniuersum os locutum est stultitiam* idòlis hærentes, omnes corruperunt viam suam. *In omnibus his* malis comminatis *non est auersus furor eius* Dei, *sed adhùc manus eius extenta* est ad puniendum, *succensa est enim quasi ignis impietas* in peius sempèr progressura, *veprem*, *& spinam vorabit*, *& succendetur in densitate saltus* luci, syluæ, *& cōuoluetur superbia* altitudo *fumi* capiet magnos, & paruos, ideò antè eradicanda, ne officiat. *In ira Domini exercituum*, potentis *conturbata est terra*, susdequè versa, *& erit populus quasi esca ignis* deuorabitur ab igne exterminante: *vir fratri suo non parcet* tanta erit iniquitas, adeò refrigescet charitas, *& declinabit ad dexteram*, *& esuriet*, *& comedet ad sinistram*, *& non saturabitur*, quia erit exigua charitas, & omnium rerum indigentia, non inueniet qui ei tribuat, & si hùc, & illùc ierit, & redierit, *vnusquisque carnem brachij sui*, proximi sui, seù fratris *vorabit* fame tractus. *Manasses Ephraim* fratrem, *& Ephraim Manassen*, *simùl ipsi* impij *contrà Iudam* erit magna hæc conturbatio. *In omnibus his non est auersus furor eius* Domini, *sed adhùc manus eius extenta*, sed adhùc restant plagæ, & euersiones.

CAPVT X.

VAE. potest hoc cap. vniri cap. præcedenti, quia cùm dixisset de tot malis, & iniquitatibus capitum, & caudarum. nùnc aliqua subnectit ex illis, *Væ qui condunt leges iniquas* agentes contrà substantiam legum, quarum æquitas, & iustitia, *& scribentes* consentientes conditoribus *iniustiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei*, prout & Iezabel scribens cōtrà Nabot ad vineam auferendā, *vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent*, quorum ego protector, & quos iussi ab omnibus defendi. *Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis?* exercitus Assyriorum, quasi à vobis non præuisæ, ad cuius confugietis auxilium? *& vbì derelinquetis gloriam vestram*, potestatem, auctoritatem, quasi non apportabitis eam vobiscum illa defendendi, *nè incuruemini sub vinculo*, prout captiui, *& cùm interfectis* alijs *non cadatis? supèr omnibus his non est auersus furor eius, sed adhùc manus eius extenta*, eccè quomodò connectitur cùm antecedenti, in quo pluriès hæc eadem repetita. *Væ*, cur huic væ, infrà vers. 7. *Assur* rex, & populus Assyriorum, *virga furoris mei, & baculus ipse est*, quibus exeram vindictam in populum *in manu eorum* regis, & populi prædicti Assyriorum *indignatio mea*, quia per eos quasi ministros vindictam exercebo *ad gentem fallacem*, decipientem, duplicem, *mittam eum*, eccè quomodò Deus punit peccatores; hinc Dauid dicebat Semei, ex mandato Dei maledicere; & Iob recognouit omnia a Deo, *& contrà populum* non meum, non peculiarem, vt anteà, sed *furoris mei*, in quem ira exarsi ad perdendum, *mandabo illi*, id est, operabor, vt sic faciat, *vt auferat spolia, & diripiat in prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum*, *cuius nulla ratio* habetur. *ipse autèm* superbia elatus *non sic arbitrabitur, & cor eius non ità existimabit* me volente, & iubente hæc fieri, neque vltrà quàm volo hæc extendi non posse, *sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum*, contrà quas non iussi, nec est voluntas mea contrà illas; sic Dauid: quem tu percussisti, persecuti sunt, & supèr dolorem vulnerum meorum addiderunt; dicet enim, *numquid non principes mei*, mihi adhærentes *simul reges sunt?* quasi ego rex regum, potentissimus, habens sub me alios; *numquid non vt Charcamis, sic Calano: & vt Arphad, sic Emath? numquid non vt Damascus, sic Samaria?* quasi hæc omnia subiugaui. *quomodò inuenit*, cœpit *manus mea* potentia *regna, idòli* idòlis dedita, *sic* inueniam, capiam, *& simulachra eorum*, hoc dicit iuxtà suam reputationem, nō veritatem, si sub Sennacherib, quia idòla posita à Ieroboam, *de Ierusalem, & de Samaria*, hæc dicebat Rabsaces, & comites contrà Ezechiam. *numquid non sicut feci Samariæ, & idòlis eius, sic faciam Ierusalem, & simulachris eius?* sic reputabat ipse quòad simulachra Ierusalem, quæ ibì non aderant iam sublata ab Ezechia. 4. Reg. 18. 4. At si sub Sennacherib, aderant vituli sub Ieroboam, quod est verisimilius, quia infrà de flagello Sennacherib. *& erit* succedet *cùm impleuerit Dominus cuncta opera sua*, pœnalia *in monte Syon, & in Ierusalem* afflixerit habitatores illius, *visitabò supèr fructum magnifici*, superbi *cordis regis* Assur, *& supèr gloriam altitudinis* superbiæ *oculorum eius* victorias à se recognoscentis, non à me, & excedentis; eccè fructus ex victorijs ortus malus, qui debuerat bonus esse: dixit enim. *In fortitudine manus meæ*; potentiæ meæ *feci* victorias, *& in sapientia mea intellexi*, quæ egi, *& abstuli terminos populorum*, quos mihi adiunxi, & vsurpaui, quibus dominor, *& principes eorum deprædatus sum*, ex quo-

rum pręda diues factus sum, *& detraxi quasi potens* præ alijs *in sublimi residentes* reges, sic dicitur dæmonem à Cœlo detractum, à S. Petro 2.3. sic gloriabatur Nabuchodonosor Dan. 4. *& inuenit quasi nidum manus* potentia *mea fortitudinem populorum*; fortitudo populorum coràm me fuit, quasi nidus captu facilis, *& sicùt* eadem facilitate, qua *colliguntur oua, quæ derelicta sunt* ab auibus, *sic vniuersam terram congregaui*, multis victorijs, *& non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret*, in pace omnia recepi victor, terrori omnibus factus; *numquid gloriabitur securis* tu minister meus a me electus, & tractus; cor enim regis in manu Dei, quocunquè voluerit vertet illud Prouerb. 21. saluo sempèr libero arbitrio, vt hic per Ada. allegantem Tornout. *contrà eum, qui secat in ea? aut exaltabitur Serra contrà eum, à quo trahitur?* ad idem tendit, hac phrasi vsus est S. Paulus Roman. 9. facietis, *quomodò si eleuetur virg. contrà eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtiquè lignum est* impotens, quasi quæ eius vecordia, cùm à me omnia recognoscere deberet, à se impotente iactare omnia processura? *proptèr hoc* superbiam, & vide Albam in centur. c. 28. & exaltationem cordis *mittet Dominus exercituum in pinguibus eius* exercitus *tenuitatem*, maciem, *& subtùs gloriam eius succensa ardebit quasi combustio* ignis, quod per Angelum factum est. 4. Regum 19. infrà cap. 37. 36. Angelus enim dictus flamma, ignis, hæc operatus est, *& erit lumen Israel in igne, & Sanctus eius* Dominus, cui propriè sanctitas, non Angelus protector *in flamma* per Angelum, per quem solet operari, *& succendetur, & deuorabitur* à flamma *spina eius, & vepres* obsidens exercitus, sicùt hæc vineam circuunt, *in die vna, & gloria saltus eius, & Carmeli eius ab anima vsquè ad carnem consummentur*, ex his ostendere vult, quòd totus eius exercitus, tàm in infimis, quàm in magnis penitùs extinguetur, *Et erit* ipse *terrore* oppressus, *profugus*, nihil ei tutum, *& reliquiæ ligni saltus eius* exercitus eius *præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos* præ facilitate. *& erit in die illa*, qua Assyrius percutietur, *non adijciet residuum Israel, & hi, qui fugerint de domo Iacob*, omnes, qui saluati fuerit ab Assyrijs, *inniti supèr eo, qui percutit eos* regibus externis, quorum auxilia inuocare solebant, *sed innitetur super Dominum Sanctum Israel in veritate*, non fictè, sic factum tempore Ezechiæ regis, *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam, Iacob*, populi Israel, *ad Deum fortem* Messiam, de quo suprà cap. 9. ad quem hic redit, hoc autèm erit propè iudicium tempore Antichristi, proùt intellexit locum hunc Paulus Roman. 9. 27. vbi sic interpretatus sum, pro quo facit infrà cap. 16. 5. & velocitèr reddens quod iustum est, ibì enim de Messia iudicaturo, vbì dixi, & habetur idem infrà cap. 11. 12. hoc enim proprium prophetarum ab vno tempore ad nouissimum transire, vt Ioel. 2. Act. 2. *Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo*, quales quales tùnc fuerint; an autèm omnes nemine excepto, dixi Roman. 9. *consummatio abbreuiata*, celer, quæ fiet tempore Antichristi iudicio proximo *inundabit*, quasi fluuius *iustitiam*, quam sequi debeant, docebuntur tùnc Iudæi per Enoch, & Eliam Apocal. 11. *consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*, idest, in terra, quæ terra ardebit cùm omnibus elemẽtis antè instans tùnc iudicium, & in iudicio illo tremendo, momẽtaneo, de quo & suprà dixerat vers. 3. & seq. sic infrà cap. 30. dabit Dominus panem arctum, & aquam breuem, vbì dixi: ideò non aptatur intellectus recentiorũ ad Christum consummantem omnia vsquè ad crucẽ, quia hìc propriè de iudicio, antè quod reliquiæ saluandæ. Lyra. interpretatur sic, reliquiæ saluæ fient à Sennacherib, citò eius exercitu destructo, qui intellectus tendit ad corporalem salutẽ reliquiarum populi, congruit verbis, & facto subsecuto cõtrà Sẽnacherib. & tùnc dicendum S. Paulum locutum per accommodationem ad salutem spiritualem in fine mundi: vide scripta Rom. 9. At videtur melior intellectus primus, quia agitur de reliquijs saluandis spiritualitèr, quod non erit, nisi in fine mundi.

Non

Non placet *consummatio abbreuiata*, &c. quasi Deus restringet vos ad paruū numerum, & reliquiæ illæ bonæ placebunt ei, & saluæ fient. Nàm hoc tendit ad destructionem, & hìc agitur de beneficio conferendo, & si intelligas ad litterā sub Sennacherib, integræ Tribus decē captiuę ductę fuerunt, vndè quæ reliquiæ tùnc saluæ? immò reliquiæ nullæ Iudæorum carnalitèr. Nō pòst captiuitatem Babylonicam, de qua hìc non agitur, & spiritualitèr aliqui in prima Ecclesia, qui non reliquiæ, sed primitiæ dictæ: neque aptantur hæc pòst tempora Pauli; vndè omnia ad nouissima tempora referenda, quicquid dicant hìc Recentiores. *Proptèr hoc*, ob protectionem Dei sui vsquè ad finem, *dicit Dominus Deus exercituum, noli timere populus meus habitator Sion* Ierusalem *ab Assur*; *in virga percutiet te, & baculum suum leuabit supèr te in via Aegypti*. more Pharaonis in Aegypto, obsidebit te, & ponet in magna angustia, at non præualebit, *adhùc enim paululùm, modicumquè* non pòst multos dies, *& consummabitur indignatio, & furor meus supèr scelus eorum*, habitatorum, per ea, quæ ab Assur fient. eccè quomodò Deus nihil relinquit impunitum, *& deindè suscitabit supèr eum* Assur *Dominus exercituum flagellum iuxtà plagam in Madian in petra Oreb* sub Gedeone facta, absquè ministerio humano inopinato, miraculosè; hìnc fortè de Sennacherib intellectum, capite 9. 34. *Et virgam suam supèr mare*, proùt contrà Aegyptios suscitabit, *& leuabit eam in via Aegypti* ad instàr calamitatis Aegyptiacæ. *Et erit in die illa. auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei*, placidè absquè tumultu, seù sono aliquo, liberaberis penitùs à seruitute Assur; sic & infrà capite 11. sicùt ab oleo iugum putrescit: ex his intellectus de Sennacherib capite 9. 3. 4. non est ineptus. *Veniet in Aiath* (describit celerem Sennacherib cursum inhiantem ad Ierusalem, vt minus paueant, cùm hæc contigerint, nec figet ibì pedem, *transibit in Magron, apud Machmas commendabit vasa sua*, vtensilia, sarcinas, instrumenta bellica, quasi victor citò in Ierusalem rediturus, eoquę recepturus; *transierunt cursim* celeritèr dicentes iactabundi *Gaba sedes nostra: obstupuit Rama* ob famam aduentus nostri *Gabaath Saulis fugit* ad nostrum aduentum. *Hinni voce tua filia Gallim*, quasi equi lætantis, vt & c. 54. 1. hoc enim proprium equorum, sed hìc per ironiam, *attende Laisa*, quis transeat, & siste, si vales contrà, *paupercula* derelicta *Anathoth* impotens. *Migrauit Medemena*, non expectans impetum nostrum: *habitatores Gabim confortamini* ad resistendum, quasi hi imbecilles erunt, sìc suprà capite 8. 9. congregamini, &c. *adhùc dies est, vt in Nobe stetur*, à qua distat Ierusalem itinere diei vnius, *agitabit manum suam* minabundus *supèr montem filiæ Syon, collem Ierusalem*, ad quam inhiat, proùt Ieroboam contrà prophetam. *Eccè* die illa adueniente *dominator Dominus exercituum*. sìc & illum Moyses nuncupat, *confringet laguncuIam in terrore*, proùt Gedeon, terrorem immittet, *& excelsi statura*, fortes, gigantes *succidentur, & sublimes* territi, *humiliabuntur, & subuertentes condensa saltus eius* exercitus *ferro* ab Angelo. stat in metaphora, proùt suprà capit. 16. 17. & sequent. ibì igne, hìc ferro; propterea non potest argui eos igne consumptos, ad ostendendam enim occisionem, seù destructionem vnoquoque instrumento, seù elemento scriptura vtitur promiscuè, *& lybanus*. exercitus Sennacherib, vel ipse in patria sua, *cum excelsis* principibus *cadet* in interitum.

CAPVT XI.

ET egredietur virga truncus, Messias, ad quem redit, in gloriam populi Hebræi *de radice* stirpe *Iesse* Isai patris Dauid de Tribu Iuda, *& flos* virgultum, germen. Messias, idem enim virga, & flos hic importtant, *de radice eius ascendet* iuxtà prophetiam Iacob Gen. 49. sic & Num. 24. & consurget virga de Israel: & in Apoc. dicitur, radix Dauid: dixerat multa de Messia, hic de origine, à qua tribu, & domo oriundus: dicit de radice Iesse, non Dauid, etsi ille tùnc notus insignis Rex, vt ostendat originem Dauid, & ab ea Messiam procedere; vtì habetur Ruth. 4. in fin: at postea de Dauid, Luc. 2. Ioan. 7. 42. & in Apoc. ideò intellectus *virga* de B. Maria est mysticus, cùm de illa ad litteram non agatur, vt hìc per Recentiores; voluit enim propheta de cognitis agere, proùt erat Isai. & de illa: eccè virgo concipiet. *Et requiescet super eum spiritus Domini*, vngens eum Acto. 4. inhabitans in eo corporalitèr Colos. cap. 9. & 2. 9. qui in eo sibi complacuit. *Spiritus sapientiæ, & intellectus spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*, religionis, cultus, pro quo Zelabit. Zelus domus tuæ comedit me, Ioan. 2. hæc dona alijs dantur per partem, in eo verò omnis plenitudo inhabitauit, Colos. 1. & 2. in alijs ad mensuram, ipsi non ad mensuram, Ioan. 3. 34. *non secundùm visionem oculorum*, apparentiam externam sæpè decipentem, & respiciat personam potentis, vel apud eum sit acceptio personarum, *iudicabit: nequè secundùm auditum aurium arguet*, non aliqua sua passione, seù affectu, vel vt possit decipi aliorum dictis *sed iudicabit in iustitia pauperes* iustũ iudicabit etiã pro pauperibus, *et arguet in æquitate pro mansuetis terræ*, humilibus; repetitio eiusdem: suprà cap. 7. dixerat in iudicio, & iustitia, *& percutiet terram virga oris sui*, acritèr obiurgabit: ignem enim venit mittere in terram, lege sua Euangelica, vndè cùm venerit paraclitus, arguet mundum de peccato, iustitia, & iudicio, *et spiritu labiorum suorum interficiet impium*, seù impios, qui arguentur pro suis iniquitatibus Euãgelio per se, & Apostolos, & Apostolicos viros, promulgãdo: aliqui Antichristum Apocal. 11. 2. Thess. 2. *Et erit iustitia cingulum lumborum eius*, illi sempèr hærens, & accincta Apocal. 1. *et fides cinctorium renum eius* fidelitas ei propria, obseruabit omnia, adimplebit omnia, Deus enim verax, & fidelis. *Habitabit lupus cùm agno: et pardus cum hædo accubabit, vitulus, et leo, et ouis simùl morabuntur*, erit pax, concordia intèr magnos, & paruos, acceptatio suæ legis vniuersalis, etiam à feris nationibus, quæ mansuescent, proùt ostensum Petro in Linteo. Actorum 10. De pace suprà cap. 9. 7. & infrà cap. 65. 25. & Genes. 49. vbi dixi; *et puer paruulus minabit eos* tanta erit concordia, subiectio legi Euangelicæ, vt à puero, & idiota etiàm sit ministrada. *Vitulus, et Vrsus pascentur: simùl requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas* idem, quod supra, deposita feritate omnes conuenient, *et delectabitur infans ab vbere* lactens *supèr foramine aspidis, et in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*, adeò tutus erit, & fortis, vt hos non horreat, sed vltrò prouocet, & tangat; hi mites, & paruuli contrà tyrannos. *Non nocebunt, et non occident* hi conuersi, & credentes magni, & potentes *in vniuerso monte sancto meo*, Ecclesia Chatholica *quia repleta est terra scientia Domini*, qua omnes mansueti fient, & humiliabuntur sub iugo Euangelij *sicùt aquæ maris operientes terrã* abundanter, omnes scient à minori vsq. ad maiorẽ Paul. Hebræ. 8. Habac. 2. Alba. cẽt. c. 30 *In die illa* Messię vẽturi *radix Iesse* Messias de radice Iesse descẽdẽs, suprà in prin. c. *qui stat in signum* vexillum *populorum* cruci affixus, in quod populi Gentiles respicient, vt saluentur, sicùt morsi à serpentibus, respicientes in serpentem eleuatum à Moy-

à Moyse, sanabantur. Ioan. 3. Numer. 21. *ipsum gentes*, quarum expectatio. Gen. 49. *deprecabuntur*, requirent, adorabunt, recipient. hunc locum Paulus Rom. 15. 12. sic transtulit: erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt, iuxta Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; reges eos, &c. *& erit sepulchrum eius gloriosum:* ex gentium credentium in eum fide pòst eius mortem, & sic notat tempus, quo gentes conuertendæ, & illum recepturæ, & ex eius resurrectione ad æternam vitam, & sessione ad dexteram Patris in gloria. Phil. 2. *Et erit* succedet *in die illa. Adijciet secundò Dominus manum suam*, potentiam suam *ad possidendum residuum populi sui*, Hebræos. *quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto*, &c. redit nùnc (pòst dicta de Messia) ad populum, quem dixit reducendum à captiuitate Babylonica, & alijs locis sub Cyro. Vel loquitur de reliquijs in fine saluandis, de quibus capite 10. 21. at primum videtur melius. *Et leuabit signum* vexillum *in nationes*, conuocans eas, sic per Esdram, & alios, *& congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quattuor plagis terræ, & auferetur zelus*, ardor vindictæ *Ephraim, & hostes Iuda peribunt* Chaldæi *Ephraim* regnum Israel, *non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contrà Ephraim*, simùl habitabunt concordes in reditu a Babylonia. Ezech 37. 16. *& volabunt*, sicùt nubes infrà cap. 16. *in humeris Philisthijm per mare*; quod fuit tempore Machabæorum, ideò melius hæc ad temporalia *simùl prædabuntur filios* gentes *Orientis, Idumæa, & Moab præceptum manus eorum* Iudæorum, quorũ leges hi seruabunt. *Et filij Ammon obedientes erunt*, subditi illis. *Et desolabit* pro desolauit *Dominus linguam maris Aegypti* mare rubrum, vt transiret populus, ità & *leuabit manum suam*, potentiam *supèr flumen in fortitudine spiritus* venti *sui*, quo siccauit mare, & Iordanem, *& percutiet eum in septem riuis*, in multis locis, vt tempore Darij, & Cyri, *ità vt transeant per eum calceati*, in patriam redituri. *Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyrijs*, & alijs hostibus, auferam enim omnia impedimenta, *sicùt fuit Israel in die illa, qua ascendit* per siccum mare *de terra Aegypti*, eductus. Aliqui hæc intelligunt fienda per Apostolos, & tùnc dicendum vsquè ad finem mundi hæc processura, & quòad Hebræos, gentibus admissis, nàm tùnc reliquiæ eorum saluandæ, cap. 10. 21. 22. iuxta quod hoc cap. intelligendum, aliòqui nec verbum *secundò* aptatur, quia primum tempus comprehenditur, & absorbetur vsquè ad Antichristum, pòst quem secundum; & quia nunquàm facta ex Iudæis tanta reliquiarum cõuersarum copia, & Paulus in Epist. ad Roman. dicit aliquos conuertendos, designans paruum numerum vsquè ad dies Antichristi: & alibì appellat has primitias, non reliquias, quæ crediderunt pòst Christi Ascensionem, & vbì vnquàm congregatos, *dispersos à quattuor plagis?* vbì cõcordia tribuum sub Christo? insupèr in verbis. *Et erit via residuo populo meo*, videtur propheta præmittere plenitudinem gentium intraturam. Et licèt loquatur bis de reliquijs Assyriorũ, parùm refert, de illis enim agit, quia tractatus, & materia erat ad manus de illis, & reliquiæ Assyriorum erũt etiàm illæ eædem, quæ tempore Antichristi inuenientur descendentes ab his, quia eorum, qui tempore Assyriorum remanserant, nullum erat vestigium pòst Christi mortem; & vbì probatur reliquias hasce ab Assyrijs dimissas conuersas esse? vndè etiam ex subsecutis videtur intelligi debere de his, quæ tempore Antichristi aderunt; Negari tamèn non potest in parte non contigisse conuersionem, & vnionem duorum parietùm Hebræi, & gentilis populi, at non reliquias Israel conuersas, præsertìm hæ ab Assyrijs relictæ, quæ nõ viuebant pòst Christi mortem, & conuersæ in parua quantitate fuerunt, ità vt sub reliquijs comprehendi non possunt, sed potiùs fuerunt primitiæ, vt dixi.

CAPVT XII.

ET dices cantabis *in die illa*, qua hæc prædicta tibi euenient: *Confitebor* impoſterum, perpetuò *tibi Domine*, cui ſoli debetur omnis laus, *quoniàm* poſtquàm *iratus es mihi*, & flagellaſti me miniſterio Aſſur. & ſcoriam meam excoquiſti, *conuerſus eſt* tandèm ex tua miſericordia citra condignum puniens, more patris benigni *furor tuus*, qui in me exarſerat, *& conſolatus es me* læta impertiens, & miſcens. sic ſuprà cap. 10. 25. sic cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. *Eccè* apparuit *Deus Saluator meus* ſaluans me; & eripiens a ſeruitute Babylonica; hoc enìm canticum pro liberatione illa, de qua capit. præced. *fiducialitèr agam* credens in eam, & eius promiſſa præſtolans, *& non timebo* ab inimicis meis mihi inſidiantibus, præſertim Aſſur, propterea ſuprà cap. 10. 24. dixit, noli timere. *quia fortitudo mea*, mihi aſſiſtens, in qua aduerſarios ſuperabo, *& laus mea Dominus*, cui ſempèr gratias agã, quem ſemper laudem, *&* quia *factus es mihi in ſalutem*, ſaluauit me. *Haurietis aquas in gaudio*, sìc ſolent aquam quærentes, vt Iacob. & Iſaac fodientes puteos *de fontibus Saluatoris*, largè emanantibus: & alibi dolebat Deus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, quæ continere non valent aquas, ſub aquis verò metaphoricè dictis, gratias, conſolationes, beneficia magna intellige, prout Chriſtus cùm Samaritana, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Ioan. 2. Eph. 4. 7. vſquè in fin. & *dicetis* exultantes *in die illa*: *Confitemini* in laudibus *Domino*, *& inuocate* ſolum *nomen eius* ad eum confugite, *notas facite in populis adinuentiones eius* in noſtra liberatione, quia nos proſtrauit, deindè erexit in meliorem ſtatum, vt alij populi ad eum accurrant, eumquè recognoſcant. *mementote, quoniàm excelſum eſt nomen eius*, in quo ſolo ſalus. Act. 4. ideo magnificandum, laudandum, nunquàm obliuioni tradendum. *Cantate Domino*, *quoniã magnificè fecit*, hilaritèr, abundanter, more Principis liberalis omnia præſtitit, *annũciate hoc in vniuerſa terra*, gratitudinem animi oſtendentes, & vt magnificetur in omnibus populis, at in ſpecie, *Exulta, & lauda* tu *habitatio Syon*, Ieruſalem, *quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael*, Deus inter vos commorans; hæc intelligenda de Deo, non de Angelo protectore. Simile huic Cantico illud, In conuertendo Dominus captiuitatem, &c. hucuſquè de Meſſia, & de populo Iſrael, & Iuda, & Aſſur, contrà quem & Balaam prophetauit. Numer. 24. 24. & gentium conuerſione.

CAPVT XIII.

ONVS *Babylonis*, mala Babyloni imminentia, & sic nota, quod omnes populi iniurij populo Iſrael deſtructi, vel deſtruendi: de Aſſur ſuprà, & de Romanis, & Aſſyrijs Num. 24. 24. hac prophetia reddebantur Iudæi captiui in Babylone ſcientes eius deſtructionem futuram à propheta prædictam, & à Ieremia renouatam c. 50. & 51. *quod vidit Iſaias filius Amos* nominat ſe, vt maior fides detur dictis *ſupèr montem caliginoſum* teneberoſum futurum Babylonem deſtruẽdam; ideò mons caliginoſus dicta: ò gentes contrà eam adductæ *leuate ſignum* vexillum, bellum inite, *exaltate vocem* ad terrorem incutiendũ, vel veſtros animandos, *leuate manum* potentiam bellicam ad capiendum eam, *&* (de victoria eos certos reddens) *ingrediantur portas duces* quibus tradetur à Domino. *Ego* Deus *mandaui ſanctificatis meis*, ſegregatis, præpara-

paratis;ad hoc vide scripta per me in visitat. Elisab. cap. 4. super Euang. *& vocaui fortes meos* à me redditos *in via mea* expedienda *exultantes* prout victores debellato hoste *in gloria mea* potentia mea, qua prævalebant, vel in quibus ego glorificabor prostratis aduersarijs. *Vox multitudinis in montibus* audietur, repræsentat nunc excidium, prout tùnc, vtitur metaphora propria, quia ex casu à montibus fit fragor *quasi populorum frequentium* ex exercituum Medorum, & Persarum, *vox sonitus Regum* Cyri, & Darij, quæ solet expauescere, *gentium congregatarum*, ad denotandam maiorem multitudinem, *Dominus exercituum præcepit militiæ belli*. Persis, & Medis peritis, quasi non est hoc opus hominum, sed Domini, ideò magis timendum, & certum, *venientibus de terra procùl*, incognitis, barbaris, qui à se ipsis non mouerentur, *à summitate cœli*, quasi à parte, regione, plaga vltima terrarum. Dan. 4. 19. & 5.19. *Dominus* replicat hoc ad maiorem Emphasim, & terrorem, quasi Dominus est, qui hoc facit, *& vasa* instrumenta bellica hæc sunt *furoris eius*, quo mouetur in Babylonem, *vt disperdat omnem terram* Babylonis. *Vlulate* gemitu magno, *habitatores Babylonis*, *quia propè est dies Domini* irati contra vos, *quasi vastitas* desolatio *à Domino veniet* ob mala magna vobis imminentia, & à Domino Omnipotente, & quamuis intercesserint anni 150. vel 178. nihil refert, quia, vt obseruaui Genes. 49. hoc est proprium prophetarum, mala, & bona à longinquo enunciare quasi instantia. *Proptèr hoc* quod prædico, *omnes manus dissoluentur*, *& omne cor hominis contabescet*, *& conteretur* vndè non poteritis vos huic malo ..., neque in potentia vestra confidetis, quia omnia erunt pauore plena, & cœpit in Rege, dùm vidit digitos scribentes Dan. 5. *Torsiones*, *& dolores tenebunt* tùnc vos, *quasi parturiens*, *dolebunt* eritis, adeò erunt dolores acerbi, quorum præcipui parturientium, de quibus Christus: mulier cùm parit, &c. *vnusquisque ad proximum suum* conuersus, vel auxilium rogans, vel mala indicans *stupebit*, *facies combustæ vultus eorum* tales enim apparent in doloribus versantium. *Eccè dies Domini* *veniet*, *crudelis*, *& indignationis plenus*, *& iræ*, *furorisquè* qui tendit *ad ponendam terram* Babylonis *in solitudinē* ita vt aliquando redigatur inhabitabilis, proùt contigit sub Alexandro: sufficit enim quandoquè contigisse, quia non se restringit ad tempus limitatum, vltrà quod sufficit ruina illa prima ad denominandam illam inhabitabilem, *& peccatores eius conterendos* euellendos *de ea*, hi enim terram infecerant iniquitatibus suis: sic infecta est terra à malitia eorum. *Quoniàm* (ab effectibus per hyperbolem demonstrat molestiam illius diei, assumensquè fienda sub die iudicij, quæ sunt tribulationes maiores) *Stellæ Cœli*, *& splendor earum non expandent lumen suum* consuetum: *obtenebratus est sol in ortu suo*, ità vt nullo modo sit apparniturus, *& luna non splendebit lumine suo*, quasi erit tanta calamitas, vt finis mundi habitatoribus sit appariturus. *Et visitabo* puniens *supèr orbis* prouinciæ Babylonicæ, de qua est sermo *mala*, *& contrà impios iniquitatem eorum*, *& quiescere faciam superbiam infidelium*, qui pro iudicatis habentur, *et arrogantiam fortium* in se confidentium *humiliabo*. Eccè cur Deus puniat, cur ad iram moueatur. *Pretiosior* charior militibus cœdi intētis *erit vir* viri occisio. *auro*, *et homo mundo obrizo*, sic & infrà versic. 17. & hoc magis placet; nàm comparatio de viro ad aurum in genere ad denotandam raritatem, non videtur aptari, *supèr hoc Cœlum turbabo* (stat in hyperbole, & in futuris tempore iudicij) ad demonstrandam maiorem calamitatem; sic Iuno apud Virgilium, Cœlum, terramquè mouebo: *et mouebitur terra de loco suo proptèr indignationem Domini exercituum*, *et proptèr diem iræ furoris eius*, sic solent irati omnia concutere, & euertere; *et erit populus* Chaldæorum *quasi damula* territa *fugiens*, *et quasi ouis* imbecilis, *et non erit qui congreget* fugientes, etiàm duces destituentur, vnusquisque exterorum *ad populum suum* ad propria *conuertetur* redibit, *et singuli ad terram suam fugient*, mala hæc euasuri; omnis qui inuentus fuerit, fuga sibi non consulens *occidetur*, *et omnis*, *qui superuenerit* auxiliaturus *cadet in gladio* nemini parcetur, omnes peribunt, sic de die calami-

tatis

tatis Ierusalem, & Iudicij Christus *infantes eorum*, aliòqui misericordia digni *allidentur in oculis eorum*, ad maiorem miseriam, & dolorem, proùt fecit Nabuchodonosor filijs Sedeciæ coràm eo, *diripientur domus eorum* ipsis cernentibus; *et uxores eorum violabuntur*, quod est maximæ iniuriæ, & opprobrij. *Ecce ego suscitabo supèr eos Medos*, nùnc declarat milites, *qui argntum non quærant; nèc aurum velint*, pro redemptione, *sed sagittis paruulos interficient, et lactantibus vteris nō miserebuntur, et supèr filios non parcet oculus eorum*, hinc dies crudelis dicta, & ad miserationem commouens. *Et erit Babylon illa gloriosa* in qua Nabuchodonosor gloriabatur *in regnis* congerendis sub se, *inclyta superbia Chaldæorum*, *sicùt subuertit Dominus Sodomam, et Gomorrham*, declarat quod in solitudinem vertetur, *non habitabitur vsquè ad finem* numquàm imposterum, ad tempus diuturnum, *& non fundabitur vsquè in generationem, & generationem*, vt de Iericho Iosue: *nèc ponet ibì tentoria Arabs, nèc pastores requiescent ibì*, pasturi greges, ità vt nèc ad pastū vtilis sit futura, *sed requiescent ibì bestiæ* syluestres, *& replebuntur domus eorum* dirutæ *draconibus*, *& habitabunt ibì struthiones, & pilosi saltabunt ibì*, tuti; *& respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius* eiectis, & *Syrenes* monstra, *in delubris voluptatis*, in quibus oblectabantur, & carnalia exercebant; hæc omnia ad ostendendam vastitatem, vt in Babylone metaphoricè Apoc. 18. vbi vide quæ dixi. Vide similia cap. Ierem. 50. & 51. scripta propè captiuitatem Babylonicam.

CAPVT XIV.

PROPE est, *vt veniat tempus eius* desolationis Babylonis, de qua præmisit; sequitur enim eamdem materiam: sìc Christus supèr Ierusalem: venient dies in te, &c. *& dies eius non elongabuntur*, non erunt multi, diuturni, citò hæc fient ex more Scripturæ, etsi multa tempora intercesserint; è contrario, etsi manus Domini futura sit supèr Iacob, vt in captiuitatem deducantur in Babylonem, ibiquè per septuaginta annos captiui permanebūt. *Miserebitur enim* tandèm *Dominus Iacob* populi sui, *& eliget adhùc de Israel* sibi famulaturos, & è captiuitate à Cyro, & alijs regibus liberatos, vt in libro Esdræ; *& requiescere faciet supèr humum suam* terram promissionis: *adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob*, quasi erunt in adeò bono statu, vt etiā exteri eant cohabitaturi. *Et tenebunt eos populi*, non reijcient, hilaritèr recipiēt, *& adducent eos in locum suum*, quod factum tempore Cyri, & aliorum, *& possidebit eos* aliquos ex Babylonijs, non enim inconuenit id sìc verificatum, quod Lyran. vult tempore Machabæorum, *domus Israel supèr terram Domini* promissionis *in seruos, & ancillas* quasi ex seruis Domini euadent, *& erunt capientes eos, qui se ceperant, & subijcient exactores suos*, mutabitur conditio, erit rerum vicissitudo, intellige in aliquibus, & tempore Holofernis iuxtà D. Hieronym. quia Holofernis historia fuit pòst captiuitatem, vt in ea tenui, & Machabæorum, vt suprà. *Et erit in die illa* tùnc continget *cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concussione tua & à seruitute dura, qua antè seruisti*, seruiturus es, fornacem dixit Moyses seruitutem Aegyptiacam: *sumens parabolam istam*, dicterium hoc canendum, *contrà Regem Babylonis* tibi infensum, adeò potentem, *& dices* præ oculis omnia ponit, vt magis credant. *Quomodò cessauit exactor, quieuit tributum?* Babyloniorum, hincque graue, non aliorum in eorum ius succedentium, quibus soluerunt, vt annotaui sæpè, quasi miraculo hoc factum ex Domino, vndè subdit. *Contriuit Dominus baculum impiorum* ferum, *virgam*, potestatem, *dominantium, cedentem populos in indignatione*, non ex iustitia, *plaga insanabili* crudelitèr, & immanitèr, *subijcientem in furore gentes* in oppressione, *perse-*

persequentem crudelitèr ad mortem absquè vlla misericordia. *Conquieuit* Rex Babylonis *& siluit* quieuit *omnis terra* à te subacta *gauisa est, & exultauit: abietes* principes *quoquè lætatæ sunt supèr te, & cedri libani* in morte tua, *ex quo dormisti* sublatus es de terra *non ascendet* surget *qui succidat nos* viuemus immunes. *Infernus subtèr*; mortui in sepulchro positi, sic & de sepulchro in Tobia simile cap. 3. *conturbatus est in occursum aduentus tui*, dùm gestiunt, vel agunt tibi occurrere quasi regi magno, & te magno honore excipere. *Suscitabit tibi gigantes* omnes potentes, vt maiori honore afficiaris. *Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis, omnes principes nationum*, ad famam mortis tuæ tibi occursuri, qui faciebas te Deum, & vti Deus adorari volebas, & cogebas. *Vniuersi respondebunt, & dicent tibi*, sic extollenti, *& tu vulneratus es* more mortalium, *sicùt & nos*, *nostri similes effectus es*, & apparuisti. *Detracta est ad inferos* ad sepulchrum *superbia tua* sequitur *concidit cadauer tuum*, quod delicatè nutriebas, quod immortale putabas, *subtèr te sternetur* componetur *tinea* rodens, *& operimētum tuum erūt vermes*, metaphoricè, vt dixi in Iudith in inferno, hic verè, & propriè in sepulchro, etsi dubitē an de sepulchro possit intelligi postquàm in sepulchrum fuisse proditur. *Quomodò cecidisti* detractus *de cœlo* tantæ gloriæ tantorum regnorum quasi *lucifer* stella matutina Rex Babylonis, *qui mane oriebaris?* quasi alios illuminaturus, vtitur verbis cœlo, & stella ad demonstrandam magnam eius gloriam, & indè maiorem casum, vt in in diabolo, in Herode, cui acclamatum: Dei voces & non hominum Acto. 12. 21. & seq. *corruisti in terram* tenebrosam, nèc est qui te erigat, *qui vulnerabas gentes?* multas, quasi tu tutus à vulneribus, *qui* superbus, *dicebas in corde tuo* firmo, & stabili, & contumaci. *In cœlum conscendam, supèr astra Dei exaltabo solium meum* hoc per hyperbolem, dilatabo scilicèt vsquè ad cœlos regnum meum per totum orbem, Dan. 4. 19. & 5. 19. vel expetebat diuinos honores; Nō hic de diabolo, qui semèl cecidit, etsi antè casum potuisset ei aptari, qui non fuit in gloria, nequè fortè in cœlo Empyreo nondùm fortè condito, vide scripta in Genes. *Sedebo Dominus*, & possessor *in monte testamenti Sion* Ierusalem, Terræ promissionis, & pacti: *in lateribus Aquilonis*, in quibus sita ciuitas; non hic de diuinitate, & cultu suo, proùt ibi Deus colebatur: non de vrbe possidenda, quam iàm possidebat, & sequentia magis congruunt; nisi dicas continuando imperium supèr ea *ascendam supèr altitudinem nubium*, vt quasi Deus reputer, proùt Simon Magus, *& similis ero Altissimo*, Deo vero, qui in altis habitat, lucem habitat inaccessibilem. *Verumtamèn ad infernum detraheris in profundum laci* ad infima grauiores pœnas recepturus: *qui te viderint, ad te inclinabuntur, tequè prospicient*, cognituri quis sis, quo agnito dicent, *numquid iste est vir* (eccè clarè quomodò ad litteram non intelligantur hæc de diabolo, quod dixit & Abul. Matth. 12. quæst. 62.) *qui conturbauit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit* per hyperbolem, sed strictè ad regna occupata *vinctis eius non aperuit carcerem?* crudelis, & immisericors, quasi eccè quomodò in quo deliquit, hìc in profundo vinctus, in æternum patiatur, sic in diuite Epulone Luc. 16. *Omnes reges gentium vniuersi dormierunt* mortui sunt *in gloria* in maiestate, sepultura honestati, dic vt plurimum, & dùm in regno suo pacificè versantur, *viri in domo sua* quali quali. *Tu autē proiectus es de sepulchro tuo*, tibi debito, non fuisti sepultus, sepultura caruisti *quasi stirpis inutilis, pollutus*, sepulchro indignus, proùt vinitores solent à vinea hos eijcere, *& obuolutus cùm his, qui interfecti sunt gladio* in multitudine, quibus non datur sepulchrum, *& descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadauer putridum* non conseruatum, macie plenum. *Non habebis consortium* cùm illis *nequè cùm eis* eris *in sepultura*, sepultura priuaberis, proùt illi *tu enim* superbia tua, qua id factum, *terram tuam* Babylonem, regnum tuum, *disperdidisti: tu populum tuum occidisti*; eccè quomodò ob peccatum Regis punitur quandoquè populus; quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui, alibi dixi de hoc latè, *non vocabi-*

tur

tèr incurrerant, sed sequebantur aquas Siloe, Iudam, de quibus cap. præced. *alleuiata est* à Deo leuitèr castigata, vel sustentata est *terra Zabulon, & terra Nephtali* sub his decem tribus, *& nouissimo* tempore, diuiso regno intèr Roboã, & Ieroboã, nouissimũ hoc tẽpus illis, quia datæ in perpetuam captiuitatẽ penitùs destructæ *aggrauata est* aggrauabitur *via maris* Tyberiadis, in qua sita oppida *trãs Iordanẽ Galileæ gentiũ*, nã data Hiram gentili à Salomone, vel quia à gentibus simùl habitabatur; etenim sicùt sub Ieroboam cumulauerunt peccata vsquè ad maximum, quod est idolòlatria, & fuit hic vltimus harum decem tribuum status, ità augebantur calamitates, & clades, dabunturquè in perpetuam captiuitatem, à qua nunquàm reuertentur, vt dixerat cap. 7. 6. & cap. 8. proùt verificatum est sub Theglathpalasar; & Salmanasar. 4. Reg. 15. 16. 17. 18. & sic materiam præcedentem continuat. Nèc videntur diuidendæ hæ captiuitates, quasi prima sub Theglathphalasar, in qua primum tempus, leuis fuerit: secunda sub Salmanasar, in qua secundum, grauis, quia non diceretur *alleuiata* sub *primo tempore* cùm passa sit captiuitatem, & quia propheta agit de secuturis, & hæ captiuitates nondùm aduenerant; sed eas prædicebat futuras. Prætereà in his non datur tempus verum, vel aliud, sed peccata, vel iustitia tribuum; simùl, & de illarum statu vnito; Insupèr, sub Theglathphalasar Nephtalitæ, & alij Galilæi captiui ducti fuerunt, vndè quomodò quòad Nephtali leuitèr actum in primo tempore, si sic capiatur? Non placet quod apud Pined. de rebus Salomo. lib. 7. cap. 17. num. 6. vidi *alleuiata* vilis erat *aggrauata* magna reddita tempore Apostolorum, quod hic Sanctius, & alij recentiores sequuntur, nàm magni Apostoli, non magna illa; Vltrà quod nescio quomodò congruat litteræ. Quòd si spiritualitèr capiantur, dic *primo tempore* antè aduentum Messiæ, *alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtali*, quasi fuerunt in minori errore *et nouissimo* postquàm venit, & se manifestauit *aggrauata est* facta rea maiorum peccatorum *via maris trans Iordanem Galilea gentium* eædem illæ tribus. Non placet *via maris* idest institutum illarum tribuum piscatorium; nescio enim quò id tendat, & quod supèr eo aggrauatio: nàm recedere ab arte piscatoria, à solitis potiùs inconuenit, & in populo artes omnes laudantur, & sunt necessariæ. Vel dic *primo tempore*, quo scilicèt Deus (eiectis populis gentilibus idolòlatris) introduxit populum suum Hebræum in Terram promissionis *alleuiata est* à magno onere illorũ idolòlatrarum *terra Zabulon, et terra Nephtali* per prosopopeiam de his, sic dicitur terra infecta malitia hominum, *et nouissimo*, tempore Messiæ, quod dicitur nouissimum, & vltimum, *aggrauata est*, aggrauabitur maiori beneficio, vel aggrauabitur ex ingratitudine, non recognoscẽdo Messiã, & maiori quàm priùs onere *via maris*, &c. galilæa, in qua educabitur, & conuersabitur Messias: ideò rationem subdit aggrauationis, quia *populus qui ambulabat in tenebris, vidit* oculis corporalibus, sed non agnouit, nèc recepit *lucem magnam* Messiam *habitantibus in regione vmbræ mortis*, more captiuorum *lux orta est eis*, sed in vanum, qui illi contradixerunt, noluerunt aperire oculos ad eam recipiendam, sic: exortum est in tenebris lumen rectis corde. At id fuit communẽ toti Iudeæ. Non placet *alleuiata*, à iugo legis in primo anno prædicationis Christi, quia lex non cessauit, nisi pòst eius mortem, & in primo anno fuit etiàm in Ierusalem miracula patrans Ioan. 24. Prætereà, quomodò postea nouissimo tempore aggrauata? insupèr quomodò alleuiata à lege, quæ non credidit prædicanti? Hinc est quod Sanctus Matthæus cap. 4. ommittit verba *primo, et nouissimo tempore, et alleuiata, et aggrauata*, & ad suum propositum assumit principalitèr hoc *populus, qui ambulabat, etc.* & ex his excluditur, quòd agatur de gentibus conuertendis de Iuda, quarum nulla mentio, quomodò enim Iuda magis populus stans in tenebris, quàm illæ, vel decem tribus? immò magis gentes, & decem tribus, & quia repugnat S. Matthæo, de his in specie agenti, non de Iuda: beneficium ergò erit hoc maximum spirituale sic destitutis, quia suo tempore videbunt hanc lucem, quam tamèn reijcient ex eorum malitia; vndè subdit

dit *multiplicasti gentem* tùnc temporis, prædicit aliam formam tribuum, quæ erunt in magna multitudine simùl regiones habitationibus plenæ, & hoc beneficium à Deo (ad quam conuertit sermonem) recognoscendum, sed *non magnificasti lætitiam*, quia non credent tribus, gens Iudæorum, Messiam non recipient Ioan. 1. in propria venit, & sui eum non receperunt, at fideles credituri in Messiam *lætabuntur coràm te*, quia tu solus eorum eris gaudium, *sicùt qui lætantur in messe* ampla, canentes celeuma, *sicùt exultant victores capta præda, quandò diuidunt spolia*, pòst labores enim belli hæc lætissima. Alij sic dicunt; at *populus* Iuda *qui* tempore Ezechiæ, *ambulabat in tenebris* timore arreptus quasi in ore gladij trucidandus, dùm à Sennacherib obsidebatur Ierusalem, *vidit lucem magnam* sibi effulgentem, auxilium magnum à Domino, *habitantibus in regione vmbræ mortis*, quam expectabant instantem, *lux orta est eis* eos liberans vna nocte per Angelum 185. millia occidentem, sic in Psal. Eripuit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit, & tùnc Domine *multiplicasti gentem* aduersariorum, gentem Sennacherib, *& non magnificasti lætitiam* eorum, volentium Ierusalem destruere, tua erit potentia, quæ nos liberauit, ipsi quidèm de te præsumentes, & quasi victoria potiti vanè *lætabuntur coràm te*, qui non potes decipi, & omnia futura nosti, *sicùt qui lætantur in messe, sicùt exultant victores capta præda, quandò diuidunt spolia*; quasi victores, & discincti, quod apparet ex dictis per Rabsacen, & alios. *Igum enim onris eius*, quod tentabat populo tuo imponere. *& virgam humeri eius* regalem, *& sceptrum exactoris eius* pro tributis recipiendis *superasti*, tu Domine potentia tua, *sicùt in die Madian*, Iudic. 7. 22. etsi alio modo ibi per se ipsos, hìc per Angelum suum: *quia omnis violenta prædatio cùm tumultu* quam fecerat in alijs ciuitatibus, *& vestimentum mistum sanguine*, dùm occidit habitatores, *erit in combustionem, & cibus ignis*, dissipatus fuit, euanuit, nihil ei remansit integrum, & is intellectus conformis infrà cap. 10. 26. 27. cùm seq. etsi nihil hìc explicitè habeatur de Sennacherib, vel Iuda, immò de alijs tribus diuersis agat, & de salute Iudæ, seù Ierusalem suprà egerit cap. 8. 8. vbi dictum. At redeundo ad primum intellectum, cur lætabuntur credentes? *iugum enim oneris eius* peccatorum, & diaboli mundum prementis, *& virgam humeri eius* qua homines flagellabat, & captiuos reddebat, *& sceptrum exactoris eius*, quo ab hominibus tributum, adorationem extorquebat *superasti* vicisti *sicùt in die Madian*, à Gedeone laguncula corporis tui vnita diuinitati, quæ pro luce intùs abscondita est, quod quidèm ad patiendum suscepisti, confracta morte tua, *quia omnis violenita prædatio cùm tumultu, & vestimentum mistum sanguine*, sic enim in deprædationibus, *erit in combustionem, & cibus ignis*, omnia consummabuntur, inania, irrita fient, victo hoc aduersario dæmone: vndè, nùnc iudicium est mudi, nùnc princeps huius mundi eijcietur foràs. hæc quòad fideles, vndè Ioannes; quotquot autèm receperunt eum, &c. Sed quod vsquè hùc sub mysterio dixit, nùnc explicat, & ponit pro ratione præmissorum, cur hæc tanta bona fidelibus, & proptereà omnia aptiùs spiritualitèr intelligūtur, quia Christus omnia spiritualitèr: non temporalitèr egit. *PARVVLVS ENIM* conceptus ex Virgine *NATVS EST NOBIS* hominibus, *& FILIVS* idem *DATVS EST NOBIS* ad nos eripiendos è faucibus dæmonis, Deus enim proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, & cùm eo omnia, *& factus est principatus* dominium *supèr humerum eius* eleuatum, ità vt omnibus præsideat, omnes deprimat, nèc quisquam possit ab eo auelli: vincat omnes potestates, regna omnia debellet; & sibi subdat etiàm portas inferi, de quibus egit in sensu spirituali, vt dixi, & habetur Dan. 24. 4. clarè. *& vocabitur nomen eius admirabilis*, quis sicùt Dominus Deus noster? *Consiliarius* sibi ipsi, alijs non indigens, alijs consulens recta, certa, bona, *Deus*, cui resisti non potest, *fortis* fortissime Deus spirituum, dixit Moyses, & Iacob, & alij, *pater futuri sæculi* æterni, parturiens futurum sæculum, quia ab ipso solo salus hominum: non enim est datum aliud nomen

men sub Cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri, & ipso apparente regnum cæleste à Ioanne, & deindè ab ipso, & Apostolis prædicatum *princeps pacis*, ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum; hanc intonarunt Angeli in eius Natiuitate, pacificare quæ in cœlis, & quæ in terra, mediator Dei, & hominum, *multiplicabitur eius imperium*, ità vt detur sibi potestas in Cœlo, & in terra, conculcet omnes inimicos 1. Cor. 15. Ps. 109. *Et tùnc pacis nō erit finis* in Cœlo enim perpetua pax *supèr solium Dauid*, *& supèr regnum eius sedebit*, spiritualitèr in Ecclesia, cuius ipse caput, Eph. 1. Col. 1. & 2. iuxtà Angelum Luc. 1. regnum enim eius non est de hoc mundo, *vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia*, ex præceptis, & obseruatione eorum, *amodò* quia agnus occisus est ab origine mundi, *& vsquè in sempiternum*, & ne supèr his dubitetur. *Zelus* amor, charitas sola *Domini exercituum faciet hoc*, sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, &c. Io. 3. Rom. 8. *Verbum* timore plenum supèr regnis illis Syriæ, & Samariæ, destruendis, ad quæ redit, *misit Dominus in Iacob*, in totam Iudæam, *& cecidit in Israel* primò, *& sciet* experietur, quia quod Dominus loquitur, non fallit, *omnis populus Ephraim & habitantes Samariam in superbia, & magnitudine cordis* qua æstimant hæc non euentura eis *dicentes* quasi irridentes, & non curantes plagas immittendas, & euersiones secuturas ciuitatum, lapides *lateres* muri lateribus compacti *ceciderunt* cadent, *sed quadris lapidibus* quasi melioribus *ædificabimus* meliùs nobis prospiciemus, quàm anteà *sycomoros* arbores viles, maximè ob copiam *succiderunt; sed cedros immutabimus*, arbores proceres, & venustas, *& eleuabit Dominus hostes Rasin supèr eum* regem Assyriorum, *& inimicos eius* Israelis *in tumultum vertet* contrà eum, & intèr eos *Syriam ab oriente, & Phylistijm ab occidente, & deuorabunt Israel toto ore* nemini parcentes *In omnibus his* plagis horrendis *non est auersus furor eius* Domini, *sed adhùc manet manus eius extensa* ad pœnas, & plagas, *& populus*, sic afflictus *non est reuersus* non reuertetur *ad percutientem se* quod solet vexatio præstare: *& Dominum exercituum* potentem *non inquisierunt*, etiàm admoniti à prophetis, & vexatoribus, 4. Reg. 17. 2. Paralip. 30. *Et disperdet Dominus ab Israel caput, & caudam* primos, & infimos *incuruantem* mendacem, *& refrænantem* bona promittentē *die vna*. *Longæuus, & honorabilis, ipse est caput* hi enim plebi persuadent quod volunt, *& propheta docens mendacium, ipse est cauda* qui sequitur eos adulando. *Et erunt qui beatificant populum istum seducentes*, & cap. 1. popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt: *& qui beatificantur, præcipitati, proptèr hoc supèr adolescentulis eius non lætabitur Dominus, & pupillorum, & viduarum non miserebitur* quorum solet esse protector; hoc dicit ad demonstrandam magnam iram Dei, & instantes pœnas, & quomodò eos abiecerit: *quia omnis hypocrita est, & nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam* idòlis hærentes, omnes corruperunt viam suam. *In omnibus his* malis comminatis *non est auersus furor eius* Dei, *sed adhùc manus eius extenta* est ad puniendum, *succensa est enim quasi ignis impietas* in peius sempèr progressura, *veprem, & spinam vorabit, & succendetur in densitate saltus* luci, syluæ, *& cōuoluetur superbia* altitudo *fumi* capiet magnos, & paruos, ideò antè eradicanda, ne officiat. *In ira Domini exercituum*, potentis *conturbata est terra*, susdequè versa, *& erit populus quasi esca ignis* deuorabitur ab igne exterminante: *vir fratri suo non parcet* tanta erit iniquitas, adeò refrigescet charitas, *& declinabit ad dexteram, & esuriet, & comedet ad sinistram, & non saturabitur*, quia erit exigua charitas, & omnium rerum indigentia, non inueniet qui ei tribuat, & si hùc, & illùc ierit, & redierit, *vnusquisque carnem brachij sui*, proximi sui, seù fratris *vorabit* fame tractus. *Manasses Ephraim* fratrem, *& Ephraim Manassen*, *simùl ipsi* impij *contrà Iudam* erit magna hæc conturbatio. *In omnibus his non est auersus furor eius* Domini, *sed adhùc manus eius extenta*, sed adhùc restant plagæ, & euersiones.

CAPVT

CAPVT X.

VAE. poteſt hoc cap. vniri cap. præcedenti, quia cùm dixiſſet de tot malis, & iniquitatibus capitum, & caudarum, nùnc aliqua ſubnectit ex illis, *Væ qui condunt leges iniquas* agentes contrà ſubſtantiam legum, quarum æquitas, & iuſtitia, *& ſcribentes* conſentientes conditoribus *iniuſtiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei*, proùt & Iezabel ſcribens cōtrà Nabot ad vineam auferendā, *vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent;* quorum ego protector, & quos iuſſi ab omnibus defendi. *Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis?* exercitus Aſſyriorum, quaſi à vobis non præuiſæ, ad cuius confugietis auxilium? *& vbì derelinquetis gloriam veſtram*, poteſtatem, auctoritatem, quaſi non apportabitis eam vobiſcum illa defendendi, *nè incurueмini ſub vinculo*, proùt captiui, *& cùm interfectis* alijs *non cadatis? ſupèr omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhùc manus eius extenta*, eccè quomodò connectitur cùm antecedenti, in quo pluriès hæc eadem repetita. *Væ*, cur huic væ, infrà verſ. 7. *Aſſur* rex, & populus Aſſyriorum, *virga furoris mei, & baculus ipſe eſt*, quibus exeram vindictam in populum *in manu eorum* regis, & populi prædicti Aſſyriorum *indignatio mea*, quia per eos quaſi miniſtros vindictam exercebo *ad gentem fallacem*, decipientem, duplicem, *mittam eum*, eccè quomodò Deus punit peccatores; hinc Dauid dicebat Semei, ex mandato Dei maledicere; & Iob recognouit omnia a Deo, *& contrà populum* non meum, non peculiarem, vt anteà, ſed *furoris mei*, in quem ira exarſi ad perdendum, *mandabo illi*, id eſt, operabor, vt ſic faciat, *vt auferat ſpolia, & diripiat in prædam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum platearum*, *cuius nulla ratio* habetur. *ipſe autem* ſuperbia elatus *non ſic arbitrabitur, & cor eius non ità exiſtimabit* me volente, & iubente hæc fieri, nequè vltrà quàm volo hæc extendi non poſſe, *ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum*, contrà quas non iuſſi, nec eſt voluntas mea contrà illas, ſic Dauid: quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſupèr dolorem vulnerum meorum addiderunt; dicet enim, *numquid non principes mei*, mihi adhærentes *ſimul reges ſunt?* quaſi ego rex regum, potentiſſimus, habens ſub me alios; *numquid non vt Charcamis, ſic Calano; & vt Arphad, ſic Emath? numquid non vt Damaſus, ſic Samaria?* quaſi hæc omnia ſubiugaui. *quomodò inuenit*, cœpit *manus mea* potentia *regna, idòli* idòlis dedita, *ſic* inueniam, capiam, *& ſimulachra eorum*, hoc dicit iuxtà ſuam reputationem, nō veritatem, ſi ſub Sennacherib, quia idòla poſita à Ieroboam, *de Ieruſalem, & de Samaria*, hæc dicebat Rabſaces, & comites contrà Ezechiam. *numquid non ſicùt feci Samariæ, & idòlis eius, ſic faciam Ieruſalem, & ſimulachris eius?* ſic reputabat ipſe quòad ſimulachra Ieruſalem, quæ ibì non aderant iàm ſublata ab Ezechia. 4. Reg. 18. 4. At ſi ſub Sennacherib, aderant vituli ſub Ieroboam, quod eſt veriſimilius, quia infrà de flagello Sennacherib. *& erit* ſuccedet *cùm impleuerit Dominus cuncta opera ſua*, pœnalia *in monte Syon, & in Ieruſalem* afflixerit habitatores illius, *viſitabo ſupèr fructum magnifici*, ſuperbi *cordis regis* Aſſur, *& ſupèr gloriam altitudinis* ſuperbiæ *oculorum eius* victorias à ſe recognoſcentis, non à me, & excedentis; eccè fructus ex victorijs ortus malus, qui debuerat bonus eſſe: dixit enim, *In fortitudine manus meæ*, potentiæ meæ *feci* victorias, *& in ſapientia mea intellexi*, quæ egi, *& abſtuli terminos populorum*, quos mihi adiunxi, & vſurpaui, quibus dominor, *& principes eorum deprædatus ſum*, ex quo-

rum prȩda diues factus sum, *& detraxi quasi potens* præ alijs *in sublimi residentes* reges, sic dicitur dæmonem à Cœlo detractum, à S. Petro 2.3. sic gloriabatur Nabuchodonosor Dan. 4. *& inuenit quasi nidum manus* potentia *mea fortitudinem populorum;* fortitudo populorum coràm me fuit, quasi nidus captu facilis, *& sicùt* eadem facilitate, qua *colliguntur oua, quæ derelicta sunt* ab auibus, *sic vniuersam terram congregaui*, multis victorijs, *& non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret*, in pace omnia recepi victor, terrori omnibus factus; *numquid gloriabitur securis* tu minister meus a me electus, & tractus; cor enim regis in manu Dei, quocunquè voluerit vertet illud Prouerb. 21. saluo sempèr libero arbitrio, vt hìc per Ada. allegantem Tornout. *contrà eum, qui secat in ea? aut exaltabitur Serra contrà eum, à quo trahitur?* ad idem tendit, hac phrasi vsus est S. Paulus Roman. 9. facieris, *quomodò si eleuetur virg. contrà eleuantis in se, & exaltetur baculus, qui vtiquè lignum est* impotens, quasì quæ eius vecordia, cùm à me omnia recognoscere deberet, à se impotente iactare omnia processura? *proptèr hoc* superbiam, & vide Albam in centur. c. 28. & exaltationem cordis *mittet Dominus exercituum in pinguibus eius* exercitus *tenuitatem*, maciem, *& subtùs gloriam eius succensa ardebit quasi combustio* ignis, quod per Angelum factum est. 4. Regum 19. infrà cap. 37. 36. Angelus enim dictus flamma, ignis, hæc operatus est, *& erit lumen Israel in igne, & Sanctus eius* Dominus, cui propriè sanctitas, non Angelus protector *in flamma* per Angelum, per quem solet operari, *& succendetur, & deuorabitur* à flamma *spina eius, & vepres* obsidens exercitus, sicùt hæc vineam circuunt, *in die vna, & gloria saltus eius, & Carmeli eius ab anima vsquè ad carnem consummentur*, ex his ostendere vult, quòd totus eius exercitus, tàm in infimis, quàm in magnis penitùs extinguetur, *Et erit* ipse *terrore* oppressus, *profugus*, nihil ei tutum, *& reliquiæ ligni saltus eius* exercitus eius *præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos* præ facilitate. *& erit in die illa*, qua Assyrius percutietur, *non adijciet residuum Israel, & hi, qui fugerint de domo Iacob*, omnes, qui saluati fuerit ab Assyrijs, *inniti supèr eo, qui percutit eos* regibus externis, quorum auxilia inuocare solebant, *sed innitetur supèr Dominum Sanctum Israel in veritate*, non fictè, sic factum tempòre Ezechiæ regis, *Reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam, Iacob*, populi Israel, *ad Deum fortem* Messiam, de quo suprà cap. 9. ad quem hic redit, hoc autèm erit propè iudicium tempore Antichristi, proùt intellexit locum hunc Paulus Roman. 9. 27. vbì sic interpretatus sum, pro quo facit infrà cap. 16. 5. & velocitèr reddens quod iustum est, ibì enim de Messia iudicaturo, vbì dixi, & habetur idem infrà cap. 11. 12. hoc enim proprium prophetarum ab vno tempore ad nouissimum transire, vt Ioel. 2. Act. 2. *Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo*, quales quales tùnc fuerint; an autèm omnes nemine excepto, dixi Roman. 9. *consummatio abbreuiata*, celer, quæ fiet tempore Antichristi iudicio proximo *inundabit*, quasi fluuius *iustitiam*, quam sequi debeant, docebuntur tùnc Iudæi per Enoch, & Eliam Apocal. 11. *consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*, idest, in terra, quæ terra ardebit cùm omnibus elemẽtis antè instans tùnc iudicium, & in iudicio illo tremendo, momẽtaneo, de quo & suprà dixerat. vers. 3. & seq. sìc infrà cap. 30. dabit Dominus panem arctum, & aquam breuem, vbì dixi: ideò non aptatur intellectus recentiorũ ad Christum consummantem omnia vsquè ad crucẽ, quia hìc propriè de iudicio, antè quod reliquiæ saluandæ. Lyra. interpretatur sìc, reliquiæ saluæ fient à Sennacherib, citò eius exercitu destructo, qui intellectus tendit ad corporalem salutẽ reliquiarum populi, congruit verbis, & facto subsecuto cõtrà Sẽnacherib, & tùnc dicendum S. Paulum locutum per accommodationem ad salutem spiritualem in fine mundi: vide scripta Rom. 9. At videtur melior intellectus primus, quia agitur de reliquijs saluandis spiritualitèr, quod non erit, nisi in fine mundi.

Non

Non placet *consummatio abbreuiata*, &c. quasi Deus restringet vos ad paruũ numerum, & reliquiæ illæ bonæ placebunt ei, & saluæ fient. Nàm hoc tendit ad destructionem, & hìc agitur de beneficio conferendo, & si intelligas ad litterã sub Sennacherib, integræ Tribus decẽ captiuę ductę fuerunt, vndè quæ reliquiæ tùnc saluæ? immò reliquiæ nullæ Iudæorum carnalitèr. Nõ pòst captiuitatem Babylonicam, de qua hìc non agitur, & spiritualitèr aliqui in prima Ecclesia, qui non reliquiæ, sed primitiæ dictæ: neque aptantur hæc pòst tempora Pauli; vndè omnia ad nouissima tempora referenda, quicquid dicant hìc Recentiores. *Proptèr hoc*, ob protectionem Dei sui vsquè ad finem, *dicit Dominus Deus exercituum, noli timere populus meus habitator Sion* Ierusalem *ab Assur; in virga percutiet te, & baculum suum leuabit supèr te in via Aegypti.* more Pharaonis in Aegypto, obsidebit te, & ponet in magna angustia, at non præualebit, *adhùc enìm paululùm, modicumquè* non pòst multos dies, *& consummabitur indignatio, & furor meus supèr scelus eorum*, habitatorum, per ea, quæ ab Assur fient. eccè quomodò Deus nihil relinquit impunitum, *&* deindè *suscitabit supèr eum* Assur *Dominus exercituum flagellum iuxtà plagam in Madian in petra Oreb* sub Gedeone facta, absquè ministerio humano inopinato, miraculosè; hìnc fortè de Sennacherib intellectum, capite 9. 34. *Et virgam suam supèr mare*, proùt contrà Aegyptios suscitabit, *& leuabit eam in via Aegypti* ad instàr calamitatis Aegyptiacæ. *Et erit in die illa. auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei*, placidè absquè tumultu, seù sono aliquo, liberaberis penitùs à seruitute Assur; sic & infrà capite 11. sicùt ab oleo iugum putrescit: ex his intellectus de Sennacherib capite 9. 3. 4. non est ineptus. *Veniet in Aiath* (describit celerem Sennacherib cursum inhiantem ad Ierusalem, vt minus paueant, cùm hæc contigerint, nec figet ibì pedem, *transibit in Magron, apud Machmas commendabit vasa sua*, vtensilia, sarcinas, instrumenta bellica, quasi victor citò in Ierusalem rediturus, eoquè recepturus; *transierunt cursìm* celeritèr dicentes iactabundi *Gaba sedes nostra: obstupuit Rama* ob famam aduentus nostri *Gabaath Saulis fugit* ad nostrum aduentum. *Hinni voce tua filia Gallim*, quasi equi lætantis, vt & c. 54. 1. hoc enìm proprium equorum, sed hìc per ironiam, *attende Laisa*, quis transeat, & siste, si vales contrà, *paupercula* derelicta *Anathoth* impotens. *Migrauit Medemena*, non expectans impetum nostrum: *habitatores Gabim confortamini* ad resistendum, quasi hi imbecilles erunt, sìc suprà capite 8. 9. congregamini, &c. *adhùc dies est, vt in Nobe stetur*, à qua distat Ierusalem itinere diei vnius, *agitabit manum suam* minabundus *supèr montem filiæ Syon, collem Ierusalem*, ad quam inhiat, proùt Ieroboam contrà prophetam. *Eccè* die illa adueniente *dominator Dominus exercituum*. sic & illum Moyses nuncupat, *confringet laguncula in terrore*, proùt Gedeon, terrorem immittet, *& excelsi statura*, fortes, gigantes *succidentur, & sublimes* territi, *humiliabuntur, & subuertentes condensa saltus eius* exercitus *ferro* ab Angelo. stat in metaphora, proùt suprà capit. 16. 17. & sequent. ibì igne, hìc ferro; propterea non potest argui eos igne consumptos, ad ostendendam enìm occisionem, seù destructionem vnoquoque instrumento, seù elemento scriptura vtitur promiscuè, *& lybanus*. exercitus Sennacherib, vel ipse in patria sua, *cum excelsis principibus cadet* in interitum.

CAPVT XI.

E*gredietur virga* truncus, Messias, ad quem redit, in gloriam populi Hebræi *de radice* stirpe *Iesse* Isai patris Dauid de Tribu Iuda, *& flos* virgultum, germen, Messias, idem enim virga, & flos hic important, *de radice eius ascendet* iuxtà prophetiam Iacob Gen. 49. sic & Num. 24. & consurget virga de Israel: & in Apoc. dicitur, radix Dauid: dixerat multa de Messia, hic de origine, à qua tribu, & domo oriundus: dicit de radice Iesse, non Dauid, etsi ille tùnc notus insignis Rex, vt ostendat originem Dauid, & ab ea Messiam procedere; vti habetur Ruth. 4. in fin: at postea de Dauid, Luc. 2. Ioan. 7. 42. & in Apoc. ideò intellectus *virga* de B. Maria est mysticus, cùm de illa ad litteram non agatur, vt hic per Recentiores; voluit enim propheta de cognitis agere, proùt erat Isai. & de illa: eccè virgo concipiet. *Et requiescet super eum spiritus Domini*, vngens eum Actor. 4. inhabitans in eo corporalitèr Colos. cap. 9. & 2. 9. qui in eo sibi complacuit. *Spiritus sapientiæ, & intellectus spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*, religionis, cultus, pro quo Zelabit. Zelus domus tuæ comedit me, Ioan. 2. hæc dona alijs dantur per partem, in eo verò omnis plenitudo inhabitauit, Colos. 1. & 2. in alijs ad mensuram, ipsi non ad mensuram, Ioan. 3. 34. *non secundùm visionem oculorum*, apparentiam externam sæpè decipentem, & respiciat personam potentis, vel apud eum sit acceptio personarum, *iudicabit: nequè secundùm auditum aurium arguet*, non aliqua sua passione, seù affectu, vel vt possit decipi alio rum dictis *sed iudicabit in iustitia pauperes* iustũ iudicabit etiã pro pauperibus, *et arguet in æquitate pro mansuetis terræ*, humilibus; repetitio eiusdem: suprà cap. 7. dixerat in iudicio, & iustitia, *& percutiet terram virga oris sui*, acritèr obiurgabit: ignem enim venit mittere in terram, lege sua Euangelica, vndè cùm venerit paraclitus, arguet mundum de peccato, iustitia, & iudicio, *et spiritu labiorum suorum interficiet impium*, seù impios, qui arguentur pro suis iniquitatibus Euãgelio per se, & Apostolos, & Apostolicos viros, promulgãdo: aliqui Antichristum Apocal. 11. 2. Thess. 2. *Et erit iustitia cingulum lumborum eius*, illi sempèr hærens, & accincta Apocal. 1. *et fides cinctorium renum eius* fidelitas ei propria, obseruabit omnia, adimplebit omnia, Deus enim verax, & fidelis. *Habitabit lupus cùm agno: et pardus cum hædo accubabit, vitulus, et leo, et ouis simùl morabuntur*, erit pax, concordia intèr magnos, & paruos, acceptatio suæ legis vniuersalis, etiam à feris nationibus, quæ mansuescent, proùt ostensum Petro in Linteo. Actorum 10. De pace suprà cap. 9. 7. & infrà cap. 65. 25. & Genes. 49. vbi dixi; *et puer paruulus minabit eos* tanta erit concordia, subiectio legi Euangelicæ, vt à puero, & idiota etiàm sit ministrada. *Vitulus, et Vrsus pascentur: simùl requiescent catuli eorum, et leo quasi bos comedet paleas* idem, quod supra, deposita feritate omnes conuenient, *et delectabitur infans ab vbere* lactens *supèr foramine aspidis, et in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*, adeò tutus erit, & fortis, vt hos non horreat, sed vltrò prouocet, & tangat; hi mites, & paruuli contrà tyrannos. *Non nocebunt, et non occident* hi conuersi, & credentes magni, & potentes *in vniuerso monte sancto meo*, Ecclesia Chatholica *quia repleta est terra scientia Domini*, qua omnes mansueti fient, & humiliabuntur sub iugo Euangelij *sicùt aquæ maris operientes terrã* abundantèr, omnes scient à minori vsq. ad maiorẽ Paul. Hebrę. 8. Habac. 2. Alba. cẽt. c. 30 *In die illa* Messię vẽturi *radix Iesse* Messias de radice Iesse descẽdẽs, suprà in prin. c. *qui stat in signum* vexillum *populorum* cruci affixus, in quod populi Gentiles respicient, vt saluentur, sicùt morsi à serpentibus, respicientes in serpentem eleuatum à Moy-

à Moyse, sanabantur. Ioan. 3. Numer. 21. *ipsum gentes*, quarum expectatio. Gen. 49. *deprecabuntur*, requirent, adorabunt, recipient. hunc locum Paulus Rom. 15. 12. sic transtulit: erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt, iuxta Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; reges eos, &c. *& erit sepulchrum eius gloriosum:* ex gentium credentium in eum fide pòst eius mortem, & sic notat tempus, quo gentes conuertendæ, & illum recepturæ, & ex eius resurrectione ad æternam vitam, & sessione ad dexteram Patris in gloria. Phil. 2. *Et erit* succedet *in die illa. Adijciet secundò Dominus manum suam*, potentiam suam *ad possidendum residuum populi sui*, Hebræos. *quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto*, &c. redit nunc (pòst dicta de Messia) ad populum, quem dixit reducendum à captiuitate Babylonica, & alijs locis sub Cyro. Vel loquitur de reliquijs in fine saluandis, de quibus capite 10. 21. at primum videtur melius. *Et leuabit signum* vexillum *in nationes*, conuocans eas, sic per Esdram, & alios, *& congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quattuor plagis terræ, & auferetur zelus*, ardor vindictæ *Ephraim, & hostes Iuda peribunt* Chaldæi *Ephraim* regnum Israel, *non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contrà Ephraim*, simùl habitabunt concordes in reditu a Babylonia. Ezech 37. 16. *& volabunt*, sicùt nubes infrà cap. 16. *in humeris Philistijm per mare*; quod fuit tempore Machabæorum, ideò melius hæc ad temporalia *simùl prædabuntur filios* gentes *Orientis, Idumæa, & Moab præceptum manus eorum* Iudæorum, quorũ leges hi seruabunt. *Et filij Ammon obedientes erunt*, subditi illis. *Et desolabit* pro desolauit *Dominus linguam maris Aegypti* mare rubrum, vt transiret populus, ita & *leuabit manum suam*, potentiam *supèr flumen in fortitudine spiritus* venti *sui*, quo siccauit mare, & Iordanem, *& percutiet eum in septem riuis*, in multis locis, vt tempore Darij, & Cyri, *ità vt transeant per eum calceati*, in patriam redituri. *Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyrijs*, & alijs hostibus, auferam enim omnia impedimenta, *sicùt fuit Israel in die illa, qua ascendit* per siccum mare *de terra Aegypti*, eductus. Aliqui hæc intelligunt fienda per Apostolos, & tùnc dicendum vsquè ad finem mundi hæc processura, & quòad Hebræos, gentibus admissis, nàm tùnc reliquiæ eorum saluandæ, cap. 10. 21. 22. iuxta quod hoc cap. intelligendum, aliòqui nec verbum *secundò* aptatur, quia primum tempus comprehenditur, & absorbetur vsquè ad Antichristum, pòst quem secundum; & quia nunquàm facta ex Iudæis tanta reliquiarum cõuersarum copia, & Paulus in Epist. ad Roman. dicit aliquos conuertendos, designans paruum numerum vsquè ad dies Antichristi: & alibì appellat has primitias, non reliquias, quæ crediderunt pòst Christi Ascensionem, & vbì vnquàm congregatos, *dispersos à quattuor plagis?* vbì cõcordia tribuum sub Christo? insupèr in verbis. *Et erit via residuo populo meo*, videtur propheta præmittere plenitudinem gentium intraturam. Et licèt loquatur bis de reliquijs Assyriorũ, parùm refert, de illis enim agit, quia tractatus, & materia erat ad manus de illis, & reliquiæ Assyriorum erũt etiàm illæ eædem, quæ tempore Antichristi inuenientur descendentes ab his, quia eorum, qui tempore Assyriorum remanserant, nullum erat vestigium pòst Christi mortem; & vbì probatur reliquias hasce ab Assyrijs dimissas conuersas esse? vndè etiàm ex subsecutis videtur intelligi debere de his, quæ tempore Antichristi aderunt; Negari tamèn non potest in parte non contigisse conuersionem, & vnionem duorum parietum Hebræi, & gentilis populi, at non reliquias Israel conuersas, præsertim hæ ab Assyrijs relictæ, quæ nõ viuebant pòst Christi mortem, & conuersæ in parua quantitate fuerunt, ità vt sub reliquijs comprehendi non possunt, sed potiùs fuerunt primitiæ, vt dixi.

CAPVT XII.

ET dices cantabis *in die illa*, qua hæc prædicta tibi euenient: *Confitebor* imposterum, perpetuò *tibi Domine*, cui soli debetur omnis laus, *quoniàm* postquàm *iratus es mihi*, & flagellasti me ministerio Assur. & scoriam meam excoquisti, *conuersus est* tandèm ex tua misericordia citra condignum puniens, more patris benigni *furor tuus*, qui in me exarserat, *& consolatus es me* læta impartiens, & miscens. sic suprà cap. 10. 25. sic cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Eccè* apparuit *Deus Saluator meus* saluans me; & eripiens a seruitute Babylonica; hoc enim canticum pro liberatione illa, de qua capit. præced. *fiducialitèr agam* credens in eam, & eius promissa præstolans, *& non timebo* ab inimicis meis mihi insidiantibus, præsertim Assur. propterea suprà cap. 10. 24. dixit, noli timere, *quia fortitudo mea*, mihi assistens, in qua aduersarios superabo, *& laus mea Dominus*, cui sempèr gratias agã, quem semper laudem, *& quia factus es mihi in salutem*, saluauit me. *Haurietis aquas in gaudio*, sic solent aquam quærentes, vt Iacob. & Isaac fodientes puteos *de fontibus Saluatoris*, largè emanantibus: & alibi dolebat Deus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas, sub aquis verò metaphoricè dictis, gratias, consolationes, beneficia magna intellige, prout Christus cùm Samaritana, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Ioan. 2. Eph. 4. 7. vsquè in fin. *& dicetis* exultantes *in die illa: Confitemini* in laudibus *Domino, & inuocate* solum *nomen eius* ad eum confugite, *notas facite in populis adinuentiones eius* in nostra liberatione, quia nos prostrauit, deindè erexit in meliorem statum, vt alij populi ad eum accurrant, eumquè recognoscant. *mementote, quoniàm excelsum est nomen eius*, in quo solo salus. Act. 4. ideo magnificandum, laudandum, nunquàm obliuioni tradendum. *Cantate Domino, quoniã magnificè fecit*, hilaritèr, abundanter, more Principis liberalis omnia præstitit, *annũciate hoc in vniuersa terra*, gratitudinem animi ostendentes, & vt magnificetur in omnibus populis, at in specie, *Exulta, & lauda* tu *habitatio Syon*. Ierusalem, *quia magnus in medio tui Sanctus Israel*, Deus inter vos commorans; hæc intelligenda de Deo, non de Angelo protectore. Simile huic Cantico illud, In conuertendo Dominus captiuitatem, &c. hucusquè de Messia, & de populo Israel, & Iuda, & Assur, contrà quem & Balaam prophetauit. Numer. 24. 24. & gentium conuersione.

CAPVT XIII.

ONVS *Babylonis*, mala Babyloni imminentia, & sic nota, quod omnes populi iniurij populo Israel destructi, vel destruendi: de Assur suprà, & de Romanis, & Assyrijs Num. 24. 24. hac prophetia reddebantur Iudæi captiui in Babylone scientes eius destructionem futuram à propheta prædictam, & à Ieremia renouatam c. 50. & 51. *quod vidit Isaias filius Amos* nominat se, vt maior fides detur dictis *supèr montem caliginosum* teneberosum futurum Babylonem destruẽdam; ideò mons caliginosus dicta: ò gentes contrà eam adductæ *leuate signum* vexillum, bellum inite, *exaltate vocem* ad terrorem incutiendũ, vel vestros animandos, *leuate manum* potentiam bellicam ad capiendum eam, *&* (de victoria eos certos reddens) *ingrediantur portas duces* quibus tradetur à Domino. *Ego* Deus *mandaui sanctificatis meis*, segregatis, præpara-

paratis;ad hoc vide scripta per me in visitat. Elisab. cap. 4. super Euang. *& vocaui fortes meos* à me redditos *in via mea* expienda *exultantes* prout victores debellato hoste *in gloria mea* potentia mea, qua præualebant, vel in quibus ego glorificabor prostratis aduersarijs. *Vox multitudinis in montibus* audietur, repræsentat nunc excidium, prout tùnc, vtitur metaphora propria, quia ex casu à montibus fit fragor *quasi populorum frequentium* ex exercituum Medorum, & Persarum, *vox sonitus Regum* Cyri, & Darij, quæ solet expauescere, *gentium congregatarum*, ad denotandam maiorem multitudinem, *Dominus exercituum præcepit militiæ belli*. Persis, & Medis peritis, quasi non est hoc opus hominum, sed Domini, ideò magis timendum, & certum, *venientibus de terra procùl*, incognitis, barbaris, qui à se ipsis non mouerentur, *à summitate cœli*, quasi à parte, regione, plaga vltima terrarum. Dan. 4. 19. & 5.19. *Dominus* replicat hoc ad maiorem Emphasim, & terrorem, quasi Dominus est, qui hoc facit, *& vasa* instrumenta bellica hæc sunt *furoris eius*, quo mouetur in Babylonem, *vt disperdat omnem terram* Babylonis. *Vlulate* gemitu magno, *habitatores Babylonis*, *quia propè est dies Domini* irati contra vos, *quasi vastitas* desolatio *à Domino veniet*, ob mala magna vobis imminentia, & à Domino Omnipotente, & quamuis intercesserint anni 150. vel 178. nihil refert, quia, vt obseruaui Genes. 49. hoc est proprium prophetarum, mala, & bona à longinquo enunciare quasi instantia. *Propter hoc* quod prædico, *omnes manus dissoluentur*, *& omne cor hominis contabescet*, *& conteretur* vndè non puteris vos hæc vitaturos, neque in potentia vestra confidatis, quia omnia erunt pauore plena, & cœpit in Rege, dùm vidit digitos scribentes Dan. 5. *Torsiones*, *& dolores tenebunt* tunc vos, *quasi parturiens*, *dolebunt* eritis, adeò erunt dolores acerbi, quorum præcipui parturientium, de quibus Christus: mulier cùm parit, &c. *vnusquisque ad proximum suum* conuersus, vel auxilium rogans, vel mala indicans *stupebit*, *facies combustæ vultus eorum* tales enim apparent in doloribus versantium. *Eccè dies Domini veniet*, *crudelis*, *& indignationis plenus*, *& iræ*, *furorisquè* qui tendit *ad ponendam terram* Babylonis *in solitudinē* ita vt aliquando redigatur inhabitabilis, proùt contigit sub Alexandro: sufficit enim quandoquè contigisse, quia non se restringit ad tempus limitatum, vltrà quod sufficit ruina illa prima ad denominandam illam inhabitabilem, *& peccatores eius conterendos* euellendos *de ea*, hi enim terram infecerant iniquitatibus suis: sic infecta est terra à malitia eorum. *Quoniàm* (ab effectibus per hyperbolem demonstrat molestiam illius diei, assumensquè fienda sub die iudicij, quæ sunt tribulationes maiores) *Stellæ Cœli*, *& splendor earum non expandent lumen suum* consuetum: *obtenebratus est sol in ortu suo*, ità vt nullo modo sit appariturus, *& luna non splendebit lumine suo*, quasi erit tanta calamitas, vt finis mundi habitatoribus sit appariturus. *Et visitabo* puniens *supèr orbis* prouinciæ Babylonicæ, de qua est sermo *mala*, *& contrà impios iniquitatem eorum*, *& quiescere faciam superbiam infidelium*, qui pro iudicatis habentur, *et arrogantiam fortium* in se confidentium *humiliabo*. Eccè cur Deus puniat, cur ad iram moueatur. *Pretiosior* charior militibus cœdi intetis *erit vir* viri occisio *auro*, *et homo mundo obrizo*, sic & infrà versic. 17. & hoc magis placet; nàm comparatio de viro ad aurum in genere ad denotandam raritatem, non videtur aptari, *supèr hoc Cœlum turbabo* (stat in hyperbole, & in futuris tempore iudicij) ad demonstrandam maiorem calamitatem; sic Iuno apud Virgilium, Cœlum, terramquè mouebo: *et mouebitur terra de loco suo proptèr indignationem Domini exercituum*, *et proptèr diem iræ furoris eius*, sic solent irati omnia concutere, & euertere; *et erit populus* Chaldæorum *quasi damula* territa *fugiens*, *et quasi ouis* imbellis, *et non erit qui congreget* fugientes, etiàm duces destituentur, vnusquisque exterorum *ad populum suum* ad propria *conuertetur* redibit, *et singuli ad terram suam fugient*, mala hæc euaturi; omnis qui inuentus fuerit, fuga sibi non consulens *occidetur*, *et omnis*, *qui superuenerit* auxiliaturus *cadet in gladio* nemini parcetur, omnes peribunt, sic de die calamitatis

tatis Ierusalem, & Iudicij Christus *infantes eorum*, aliòqui misericordia digni *allidentur in oculis eorum*, ad maiorem miseriam, & dolorem, proùt fecit Nabuchodonosor filijs Sedeciæ coràm eo, *diripientur domus eorum* ipsis cernentibus; *et vxores eorum violabuntur*, quod est maximæ iniuriæ, & opprobrij. *Eccè ego suscitabo supèr eos Medos*, nùnc declarat milites, *qui argntum non quærant; nèc aurum velint*, pro redemptione, *sed sagittis paruulos interficient, et lactantibus vteris nõ miserebuntur, et supèr filios non parcet oculus eorum*, hinc dies crudelis dicta, & ad miserationem commouens. *Et erit Babylon illa gloriosa* in qua Nabuchodonosor gloriabatur *in regnis* congerendis sub se, *inclyta superbia Chaldæorum*, *sicùt subuertit Dominus Sodomam, et Gomorrham*, declarat quod in solitudinem vertetur, *non habitabitur vsquè ad finem* numquàm imposterum, ad tempus diuturnum, *& non fundabitur vsquè in generationem, & generationem*, vt de Iericho Iosue: *nèc ponet ibì tentoria Arabs, nèc pastores requiescent ibì*, pasturi greges, ità vt nèc ad pastũ vtilis sit futura, *sed requiescent ibì bestiæ* syluestres, *& replebuntur domus eorum* dirutæ *draconibus*, *& habitabunt ibì struthiones*, *& pilosi saltabunt ibì*, tuti; *& respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius* eiectis, & *Syrenes* monstra, *in delubris voluptatis*, in quibus oblectabantur, & carnalia exercebant; hæc omnia ad ostendendam vastitatem, vt in Babylone metaphoricè Apoc. 18. vbi vide quæ dixi. Vide similia cap. Ierem. 50. & 51. scripta propè captiuitatem Babylonicam.

CAPVT XIV.

PROPE est, *vt veniat tempus eius* desolationis Babylonis, de qua præmisit; sequitur enim eamdem materiam: sìc Christus supèr Ierusalem: venient dies in te, &c. *& dies eius non elongabuntur*, non erunt multi, diuturni, citò hæc fient ex more Scripturæ, etsi multa tempora intercesserint; è contrario, etsi manus Domini futura sit supèr Iacob, vt in captiuitatem deducantur in Babylonem, ibiquè per septuaginta annos captiui permanebũt. *Miserebitur enim* tandèm *Dominus Iacob* populi sui, *& eliget adhùc de Israel* sibi famulaturos, *&* è captiuitate à Cyro, & alijs regibus liberatos, vt in libro Esdræ; *& requiescere faciet supèr humum suam* terram promissionis: *adiungetur aduena ad eos*, *& adhærebit domui Iacob*, quasi erunt in adeò bono statu, vt etiã exteri eant cohabitaturi. *Et tenebunt eos populi*, non reijcient, hilaritèr recipiẽt, *& adducent eos in locum suum*, quod factum tempore Cyri, & aliorum, *& possidebit eos* aliquos ex Babylonijs, non enim inconuenit id sìc verificatum, quod Lyran. vult tempore Machabæorum, *domus Israel supèr terram Domini* promissionis *in seruos, & ancillas* quasi ex seruis Domini euadent, *& erunt capientes eos, qui se ceperant*, *& subijcient exactores suos*, mutabitur conditio, erit rerum vicissitudo, intellige in aliquibus, & tempore Holofernis itâ D. Hieronym. quia Holofernis historia fuit pòst captiuitatem, vt in ea tenui, & Machabæorum, vt suprà. *Et erit in die illa* tùnc continget *cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concussione tua & à seruitute dura, qua antè seruisti*, seruiturus es, fornacem dixit Moyses seruitutem Aegyptiacam: *sumens parabolam istam*, dicterium hoc canendum, *contrà Regem Babylonis* tibi infensum, adeò potentem, *& dices* præ oculis omnia ponit, vt magìs credant. *Quomodò cessauit exactor*, *quieuit tributum?* Babyloniorum, hincque graue, non aliorum in eorum ius succedentium, quibus soluerunt, vt annotaui sæpè, quasi miraculo hoc factum ex Domino, vndè subdit. *Contriuit Dominus baculum impiorum* ferum, *virgam*, potestatem, *dominantium, cedentem populos in indignatione*, non ex iustitia, *plaga insanabili* crudelitèr, & immanitèr, *subijcientem in furore gentes* in oppressione, *perse-*

perſequentem crudelitèr ad mortem abſquè vlla miſericordia. *Conquieuit* Rex Babylonis *& ſiluit* quieuit *omnis terra* à te ſubacta *gauiſa eſt, & exultauit: abietes* principes *quoquè lætatæ ſunt ſupèr te, & cedri libani* in morte tua, *ex quo dormiſti* ſublatus es de terra *non aſcendet* ſurget *qui ſuccidat nos* viuemus immunes. *Infernus ſubtèr*; mortui in ſepulchro poſiti, ſic & de ſepulchro in Tobia ſimile cap. 3. *conturbatus eſt in occurſum aduentus tui*, dùm geſtiunt, vel agunt tibi occurrere quaſi regi magno, & te magno honore excipere. *Suſcitabit tibi gigantes* omnes potentes, vt maiori honore afficiaris. *Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſolijs ſuis, omnes principes nationum*, ad famam mortis tuæ tibi occurſuri, qui faciebas te Deum, & vti Deus adorari volebas, & cogebas. *Vniuerſi reſpondebunt, & dicent tibi*, ſic extollenti, *& tu vulneratus es* more mortalium, *ſicùt & nos, noſtri ſimiles effectus es*, & apparuiſti. *Detracta eſt ad inferos* ad ſepulchrum *ſuperbia tua* ſequitur *concidit cadauer tuum*, quod delicatè nutriebas, quod immortale putabas, *ſubtèr te ſternetur* componetur *tinea* rodens, *& operimētum tuum erūt vermes*, metaphoricè, vt dixi in Iudith in inferno, hic verè, & propriè in ſepulchro, etſi dubitē an de ſepulchro poſſit intelligi poſtquàm in ſepulchrum fuiſſe proditur. *Quomodò cecidiſti* detractus *de cœlo* tantæ gloriæ tantorum regnorum quaſi *lucifer* ſtella matutina Rex Babylonis, *qui mane oriebaris?* quaſi alios illuminaturus, vtitur verbis cœlo, & ſtella ad demonſtrandam magnam eius gloriam, & indè maiorem caſum, vt in in diabolo, in Herode, cui acclamatum: Dei voces & non hominum Acto. 12. 21. & ſeq. *corruiſti in terram* tenebroſam, nèc eſt qui te erigat, *qui vulnerabas gentes?* multas, quaſi tu tutus à vulneribus, *qui* ſuperbus, *dicebas in corde tuo* firmo, & ſtabili, & contumaci. *In cœlum conſcendam, ſupèr aſtra Dei exaltabo ſolium meum* hoc per hyperbolem, dilatabo ſcilicèt vſquè ad cœlos regnum meum per totum orbem, Dan. 4. 19. & 5. 19. vel expetebat diuinos honores; Nō hic de diabolo, qui ſemèl cecidit, etſi antè caſum potuiſſet ei aptari, qui non fuit in gloria, nequè fortè in cœlo Empyreo nondùm fortè condito, vide ſcripta in Geneſ. *Sedebo Dominus*, & poſſeſſor *in monte teſtamenti Sion* Ieruſalem, Terræ promiſſionis, & pacti: *in lateribus Aquilonis*, in quibus ſita ciuitas; non hic de diuinitate, & cultu ſuo, proùt ibi Deus colebatur: non de vrbe poſſidenda, quam iàm poſſidebat, & ſequentia magis congruunt; niſi dicas continuando imperium ſupèr ea *aſcendam ſupèr altitudinem nubium*, vt quaſi Deus reputer, proùt Simon Magus, *& ſimilis ero Altiſſimo*, Deo vero, qui in altis habitat, lucem habitat inacceſſibilem. *Verumtamèn ad infernum detraheris in profundum laci* ad infima grauiores pœnas recepturus: *qui te viderint, ad te inclinabuntur, tequè proſpicient*, cogniturì quis ſis, quo agnito dicent, *numquid iſte eſt vir* (eccè clarè quomodò ad litteram non intelligantur hæc de diabolo, quod dixit & Abul. Matth. 12. quæſt. 62.) *qui conturbauit terram, qui concuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit* per hyperbolem, ſed ſtrictè ad regna occupata *vinctis eius non aperuit carcerem?* crudelis, & immiſericors, quaſi eccè quomodò in quo deliquit, hìc in profundo vinctus, in æternum patiatur, ſic in diuite Epulone Luc. 16. *Omnes reges gentium vniuerſi dormierunt* mortui ſunt *in gloria* in maieſtate, ſepultura honeſtati, dic vt plurimum, & dùm in regno ſuo pacificè verſantur, *viri in domo ſua* quali quali. *Tu autē proiectus es de ſepulchro tuo*, tibi debito, non fuiſti ſepultus, ſepultura caruiſti *quaſi ſtirpis inutilis, pollutus*, ſepulchro indignus, proùt vinitores ſolent à vinea hos eijcere, *& obuolutus cùm his, qui interfecti ſunt gladio* in multitudine, quibus non datur ſepulchrum, *& deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadauer putridum* non conſeruatum, macie plenum. *Non habebis conſortium* cùm illis *nequè cùm eis* eris *in ſepultura*, ſepultura priuaberis, proùt illi *tu enim* ſuperbia tua, qua id factum, *terram tuam* Babylonem, regnum tuum, *diſperdidiſti: tu populum tuum occidiſti*; eccè quomodò ob peccatum Regis punitur quandoquè populus; quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui, alibì dixi de hoc latè, *non vocabi-*

tur

tur in æternum semen pessimorum nàm Baltassar vltimus absquè filijs defunctus. *Præparate* (sequitur eamdem materiam) *filios eius occisioni, in iniquitate patrum suorum* eccè quomodò Deus visitat iniquitates patrum in tertiam, & quartam generationem; *non consurgent* regnaturi, *nèc hæreditabunt terram* regna parentum, *nequè implebunt faciem* superficiem *orbis ciuitatum*, restringe ad regna per suos tenta, cùm desertæ sint relinquendæ. *Et consurgam supèr eos* filios ad proterendum *dicit Dominus exercituũ*, potens: *& perdam Babylonis nomen* famam, gloriam, *& reliquias, & germen, et progeniem dicit Dominus*, clarè omnia explicat, & docet maiorem futuram Babylonis desolationem, in qua nec reliquiæ conseruandæ, quàm Iuda, in qua reliquiæ saluæ fient. *Et ponam eam in possessionem ericij, & in paludes aquarum, & scopabo eam in scopa terens*, nihil dimittens intactum, *dicit Dominus exercituum*, sic & suprà cap. preced. & in Babylone metaphorica, Ioannes Apocal. 17. 18.

Quæstio magna, & intricata est, an hæc dicantur contrà Nabuchodonosor, an contrà Baltassarem, seù omnes de Nabuchodonosor; solùm Lyranum vidi tenentem de Baltassare, & hoc magis placet. Primò quia Baltassar fuit vltimus Regum Babylonis, pòst quem successit Darius rex Medorum Dan. 5. & à Dario, cui successit Cyrus, à quibus fuit soluta captiuitas, vt in libris Esdræ, & omnia hæc posita referuntur pòst solutam captiuitatem.

Secundò, quia quæ dicuntur de inferno, non congruunt Nabuchodonosori, qui correptus, & in bestiam versus per septem annos, resipuit, & laudauit, & magnificauit Deum, Dan. 4. 34. & eiusdẽ cõuersionis meminit Daniel agens cùm Baltassare Dan. 5. 21. & non præsumitur iterum reuersum fuisse ad vomitum, de quo Scriptura non meminit, verisimilitèr dictura, proùt resedit in eius conuersione.

Tertiò, quia non constat Nabuchodonosor insepultum fuisse, at de Baltassare nedùm præsumendum insepultum fuisse, quia eadem nocte, qua vidit digitos scribentes, interfectus est, Dan. 5. 31. & successit Darius. 32. vndè honores sepulchri non fuerunt præstiti: sed clarè hoc dicit propheta.

Quartò, quia cum Baltassare finitum semen, & radix, proùt prædictum hic vers. 21. quòd non fuit in Nabuchodonosor.

Quintò, quia nõ legitur Nabuchodonosor in bello, vel obsidione, aùt gladio occidisse, & cùm interfectis sepultum, vt hic dicitur vers. 19. prout de Baltassare, Dan. 5. 31.

Sextò, quia clarè de Baltassare, & iuxtà Doctores, & interpretes infrà cap. 21. 5. pone mensam, &c. & Ieremias cap. 50. 2. clarè in rege Merodach, qui Baltassar: cùm sciamus tempore Baltassar Babylonicam à Persis, & Medis direptam, vide hìc Sanctium, & dicta Iere. 50. Vltimò dicitur, *præparate filios eius occisioni*, vt non succedant. At hoc in Baltassare, non in Nabuchodonosor, cui filius, & Nepos successit.

Dices, at multa hìc dicta non conueniunt Baltassari, vel saltèm in Scriptura non apparent de eo, proùt de Nabuchodonosor.

Respondeo prophetam dicere hunc voluisse diuinos honores, & cùm necessariò agat de Baltassare; credendum hoc de illo. Vel Scripturam sub Baltassare vltimo, omnes Reges Babyloniorum præcedentes arguere, & præsertìm etiàm Nabuchodonosor, dùm malus fuit, & omnia mala eorum cumulare, sicùt dicimus malitiam prædecessorum compleri in vltimis, quibus omnis plaga infertur, nempè à sanguine Abel iusti, &c. vt in Euangelijs: & nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, &c. Genes. 15. & hoc modo omnia conuenient Baltassari vti Regi Babylonis, & successori, quod procedit absquè vlla difficultate, & erit conformis Scripturæ nullum exprimenti, sed in genere loquenti, quod fortè melius, quia multa Nabuchodonosori, fortè alia alijs, quædam certò, & Baltassari conueniunt. Ex his non placet contraria opinio tenta per Rib. Habacuc 1. num. 36.

Non obstat Habacuc 1. quia aùt agitur de Nabuchodonosor antè pœnitentiam, & verbum *corruet*, intelligetur de flagello bestiali; aùt pòst, & intelligetur de successore Baltassare, & regno, quia non est præsumendum Nabuchodonosor pòst tantam pœnitentiam memorabilem ad vomitum reuer-

reuersum esse, & omnes ibi intelligunt antè pœnitentiam.

Non obstat, Nabuchodonosor erexit statuam adorandam, idòla colebat Dan. 3. nam id antè conuersionem, pòst de eo similia non leguntur, & commissa antè conuersionem fuerant dimissa.

Non obstat, Scriptura clarè loquitur de eo; immò obscurè neminem nominans nequè hic, nequè in Habacuc, vndè non possumus restringere illam ad Nabuchodonosor, potiùs ex præmissis videtur nominare Baltassarem.

Non obstat edoctos fuisse Israelitas antè de parabola dicenda, vt hic, nàm cùm nullus nominetur, sed tantùm rex Babylonis, & verba, & tempus possint omnes capere, non porrigentur ad Nabuchodonosor conuersum.

Dicendum ergò translatum fuisse peccatum, seù pœnam, quæ Nabuchodonosori debebatur, ob illius cõuersionem, in posteros, nempè Baltassarem, proùt in Dauide, & Ezechia videmus factum, & in Achab pœnitente ad tempus.

Sed vnum obstare videtur, quia adhùc vasa sacra templi retinebantur pòst eius conuersionem in templo idolòrum. At vel pòst conuersionem parùm superstes fuit, vndè non habuit spatium prouidendi, vel non potuit idòla subuertere, tantò minus vasa auferre; vel si abstulit, Euilmerodach filius, vel Baltassar nepos illa denuò reposuerunt; vel eorum oblitus; Vel satis fuit illis non vti ad vsum communem, proùt appositum Baltassari, Dan. 5. Vel sic fuit Deo operante, vt ibi tuta, & salua, & incontaminata, & ad nullum vsum seruarentur ob reuerentiam, quam ergà sua idòla gerebant, donèc in templum suum Ierusalem reportarentur, hinc quomodò sublata è templo idòli ad vsum hominum, ruit supplicium in Baltassarem.

Non obstat, multa dicuntur, quæ percutiunt tempus, & facta Nabuchodonosor, ergò de illo, non de alio; nàm (vt dixi) translata illa in successores idòla sequentes, & illorum fit mentio, quia purganda erant omnia gesta contrà Hebræos ab illo, hinc non tempore suo, sed successorum purgatio, regni defectio, & alia mala contigerunt, proùt in successoribus Ezechiæ, Achab, filio Dauidis, & similibus. Vidi postea Sanctium hìc eamdem opinionem de Baltassare tenẽtem, vide eumdem hanc responsionem dantem, Habacuc 2. num. 60. Cornelius à Lapide etiàm hanc opinionem sequitur: vide eundem, & Perrer. Daniel. 4. vbi scripsi de eadem materia. *Iurauit Dominus exercituum* potens ille, & non mutabitur, *dicens* comprobat quod dixit de Babylone facto præcessuro in Sennacherib. *Si non vt putaui*, & dixi, *ità erit: & quomodò mente*, infallibili *tractaui*, *ità eueniet* nam fide indignus; sed quodnam est hoc, *& conteram Assyrium* Assyriorum exercitũ *in terra mea* ad quam populum Israel adduxi; *& in montibus meis conculcem eum, & auferetur ab eis* habitantibus Ierusalem *iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur* quod ipse tentauerat imponere, vel ex molestia obsidionis. *Hoc consilium, quod cogitaui*, & decreui *supèr omnẽ terrã* Iuda de qua agit iuxtà S. Hier. *Et hac est manus extenta supèr vniuersas gentes* cum Sennacherib conuenturas: *Dominus enim exercituum*, sic decreuit, *& quis poterit infirmare? & manus eius extenta*, ad illum conterendum; *& quis auertet eam?* quasi nullus, non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contrà Dominum. *In anno, quo mortuus est rex Achaz* designat tempus, & statum regni Iudæ *factum est onus illud* sequens: *ne læteris Phylistæa omnis tu, quoniàm comminata est virga*, potentia, vires *percussoris tui* populi Hebræi, soliti te percutere, vt tẽpore Sãsonis, Saulis, Dauidis, Oziæ, Ezechiæ, & aliorum; *comminuta* autèm erat *virga*, quia sub Achaz, de quo hac de causa meminit, præualuerant Phylstijm 2. Paralip. 28. 18. *de radice enim colubri*, Regis Assyriorum, seù Chaldæorum *egredietur regulus*, colubro immanior ad vos perdendos, & penitùs destruendos, & is Nabuchodonosor, cui conueniunt sequentia, *& semen eius absorbens volucrẽ* volatu suo; ità vt penitùs destruaris, huiusmodi enim velocitas vbiquè in prophetis ei tribuitur, quasi tùnc non continget tibi, proùt nùnc, vt victoria efferaris: prædicta verò intelligenda de regibus gentilibus, tùm ex attributis, quæ regi-

regibus Hebræis Scriptura non attribuit: tùm quia reges Hebræi non destruxerunt Phylistæos penitùs, sed externi, *& è contrario pascentur primogeniti pauperum* Hebræi, quibus tu insultas, *& pauperes fiducialitèr tutò requiescent* in Ierusalem, & Terra promissionis sub Cyro illos à Captiuitate Babylonica dimissuros: captiuitas enim præcedet, & sic reliquias Israel saluabo, sub quibus intelligit primogenitos, & pauperes; sed non sic erit de te, nam *& interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam,* ità vt nullus ex te remaneat. Hæc sic videntur necessariò de Nabuchodonosor intelligenda, præsertim cùm de Phylistæa sub illo destruenda Ieremias cap. 47. egerit, cùm quo concordandus Isaias, agens de eadem ruina totali, præsertim quia ambo conueniunt ab Aquilone malum descensurum, & quia omnes hæ prophetiæ tàm Isaiæ, quàm Ieremiæ contrà gentes prædicunt totalem earum destructionem, vel vt plurimum. Nec quicquam in alio congruit; non in Ezechia, qui eos penitùs non destruxit, 4. Reg. 18.8. & hic agitur de totali euersione, & quia non aptantur sub tempore suo dicta de salute pauperum, & infrà de Sion, quæ respiciunt exteros. Prætereà sub Ieremia non erat Ezechias, quod penitùs illum excludit. Non in Sennacherib, quia is fuit tempore Ezechiæ, & Isaiæ, non Ieremiæ. At propheta videns omnia impleta, clamat. *Vlula porta,* in qua potentia bellica, vel primores: *clama ciuitas* populus, plebs, *prostrata est Philistæa omnis, ab Aquilone enim fuimus,* destruens *veniet, & non est qui effugiet agmen eius,* omnes cadent sub Nabuchodonosor, & sic meliùs congruunt sequentia iàm dictis, quia locutio est de aliundè venientibus, *& quid respondebitur nuncijs gentis?* videntibus vos prostratos, Ierusalem saluam, quasi quæ erit confusio! At hoc fecit *quia Dominus fundauit Sion,* & conseruabit, *& in ipso sperabunt pauperes populi eius,* reliquiæ captiuitate edoctæ; hac enim spe fultæ redibunt suo tempore ad terram suam; & sic propitius tandèm erit terræ populi sui, Deut. 32.

CAPVT XV.

ONVS *Moab* infesti Israelitis, miseria præuisa de hoc populo, de quo Iere. 48. per Nabuchodonosorem, non per Sennacherib, nàm concordādæ sunt prophetiæ Isaiæ, & Ieremiæ; & Ieremias vaticinatus est pòst Sennacherib. Prætereà & Isaias agit de ruina illata pòst ruinam Iuda, & captiuitatem Babylonicam, quia cap. 16. suadet Moabitis, vt recipiant Israelitas fugientes, sic & Iere. 48. 27. & consequentèr si ruina Moab est pòst ruinam Iuda, vtiquè sub Nabuchodonosor. *Quia nocte* (quod horribilius) vndè dies iudicij dicitur de nocte futurus ad maiorem horrorem demonstrandum; qui tàmen in die erit; sic sponsus media nocte redijt, qua nullum adiutorium, vt alibi dixi: sic Sodomitæ in nocte arsi, Gen. 19. *vastata est Ar* metropolis, *Moab, conticuit* non potuit resistere: *quia nocte vastatus est murus Moab* ab inimicis, docet modum captionis, furtiuè ex insidijs, *conticuit* sistere non valuit. *Ascendit domus* regia, *& Dibon ad excelsa,* vbi dijs sacrificabant, *in planctum* dolentes, *supèr Nabo, & supèr Medaba* ciuitatibus, principibus Moabitarum, *Moab* regio tota *vlulauit* flens supèr hoc: *in cunctis capitibus eius* Moab, *caluitium* erit, mœrentes enim hoc faciebant, vt in Iob. cap. 2. *& omnis barba radetur,* hinc dolor denotatur maximus: *in triuijs eius* in compitis, in locis publicis *accincti sunt sacco,* prosequitur his phrasibus declarare eorum mœstitiam, sic Niniuitæ sacco induti ad pœnitentiam; sic Mardochæus ad mœrorem, *supèr tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus* lamentatio, clamor *descendit,* prorumpit *in fletum;* prouocat lacrymas, adeò est acerbus. *Clamabit Hesebon, & Eleale,* ciuitates insignes Moab *vsquè Iasa* ad mare positam, *audita est vox eorum* habitatorum flentium *supèr hoc* malum etiàm *expediti Moab,* milites,

qui

qui solent esse intrepidi *vlulabunt*, nequè fictè, nàm *anima eius* cuiusque verè, ex corde, non fictè *vlulabit sibi: cor meum* compatiens tantæ miseriæ *clamabit*, dolebit, clamans enim dolet, nèc immeritò ob eius latitudinem, & fertilitatem; nàm *vectes eius* termini eius populi Moab extenduntur *vsquè ad Segor*, is terminus vnus Moabitarum, *vitulam conternantem*, trimam, in flore pulchritudinis, & fortitudinis, quasi doleo ob regionis pulchritudinem: sìc Deus iussit Abraham trimam vitulam sumi ad sacrificium Genes. 15. qua re denotatur ætas illa florida in vitula; sìc laudatur Genes. 13. 10. sicùt paradisus Domini, & sicùt Aegyptus venientibus in Segor: *per ascensum enim Luith flens* Moab *ascendet* occursurus armatus Assyrijs, vel fuga lapsus, *& in via Oronaim* (est Moabitarum alia Ciuitas) *clamorem contritionis* instantis, quam patientur, *leuabunt*, vel hæc, quia ducentur captiui, & per vias illas transibunt, & hoc melius ob verbum infrà *ducent*: *Aquæ enim Nemrim* ciuitatis *desertæ erunt* absquè habitatoribus derelictæ, fortè erant aquæ illæ pretiosæ, *quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interijt*, ex siccitate, seù vastitate inferenda; hæc dicit ob magnam miseriam, *secundùm magnitudinis operis eorum* mali, *& visitatio eorum* pœna, sic Apocal. quantum se glorificauit, &c. *ad torrentem salicum ducent eos* captiuos, hoc est ad regionem insalubrem Babyloniam. *Quoniàm circuiuit clamor terminum Moab, vsquè ad Gallim vlulatus est; & vsquè ad puteum Elim clamor eius*, quasi nulla pars Moab erit sinè fletu, miseria, vlulatu. *Quia & aqua Dibon repletæ sunt sanguine*, ex nimia occisione: *ponam enim supèr Dibon additamenta* ad puniendum, & conterendum, *his, qui fugerint de Moab* ad eum *leonem* qui dilaceret eos, vel Regem, *& reliquijs terræ* idem præstabo, vt nullus sit superstes, proùt è contrario sempèr in populo suo saluas vult reliquias.

CAPVT XVI.

EMitte Agnũ, &c. Propheta cõmiseratus erat miseriæ, & destructioni Moab. cap. 15. 5. fortè quia nouerat tandèm conuertendum esse in nouissimis diebus, qui sunt dies Messiæ, vt alibì dictum; hinc Ierem. 48. 47. dicitur: conuertam captiuitatem Moab nouissimis diebus, ait Dominus, vna enim prophetia subseruit alteri, & aliam declarat, ideò quasi nauseans tot calamitates præuisas in Moab, & optans eum liberare, cùm sciret omnia ob peccatas eis contingere, conuertit se ad Dominum more antiquorum, optantium desiderium collium æternorum, Messiam pèr Apostrophe. *Emitte* incarnari iube *agnum* Messiam, qui dicitur agnus occisus ab origine mundi, *Domine dominatorem terræ*, Matth. 28. data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra, introducens primogenitum in orbem terrarum dixit, & adorent eum omnes Angeli Dei. Hebræ. 1. *de petra deserti* quasi de longinquo, Deus ab austro veniet, & Sanctus de Monte Pharan Habacuc. 3. 3. de Cœlis, in quo relinquat oues nonaginta nouem, & veniat quæsiturus, & saluaturus, & liberaturus à peccatis morte sua genus humanum, ouem vnam, & consequentèr etiàm Moab à peccatis, & is quoquè euadat à tot calamitatibus, cùm gentes sciret vocandas: Alij *de petra deserti* de regione Moab, ex qua Ruth in genealogia Christi posita. Fulcitur, quia in biblijs *petra* est sub littera maiuscula *ad montem filiæ Sion*, ad Ierusalem ad populum Hebræum, cui promissus, & à quo expectatur, & de agno stante in monte Sion Apoc. 14. 1. vbì Alcasar. notat. 1. ad hunc locum Isaiæ: Hinc magis placet sensus S. Hieronymi, ità purè (vt dixi) absquè Ruth mentione, quia illa iàm transierat, & in vna sola muliere non congruit dari aduentus, quàm R. Salomonis, cuius sensus sapit

commentum; nàm esto Moabitæ pro tributo soluebant Regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum cùm velleribus suis 4. Regum 3. 4. quomodò probatur eadem soluenda, vel soluta Ezechiæ? Scriptura enim huius rei nullam facit mentionem, & Ezechias solùm se ingessit in reliquijs Israel dimissis à Teglathphalasar, & Salmanasar ad cultum Dei reuocandis, 2. Paralipom. 30. Propterea propheta compatitur eorum calamitatibus, & hic vellet extendi durante tributo, eoquè translato ad alium Regem Iuda, quæ esset correctio in continenti, quæ non præsumitur. Insupèr, quomodò Ezechias dominator terræ, qui duabus tribubus præsidebat? *Et erit* (prosequitur dimisso Messia materiam Moab) continget in eius destructione, *sicùt auis fugiens*, *& pulli de nido auolantes* præ angustia, & timore, *sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon* fluminis, vt salutem quærant pauidæ, & celeres, vndè *Ini* (ò Moab, cui misereor) *consilium* contrà hæc mala tua, à peccatis tuis prouenientia., *coge concilium*, & delibera quid agendum, quomodò prouidendum, sperabat propheta ex eorum pœnitentia Deum posse mutari. *Pone* docet quomodò ex charitatis feruore possint mereri apud Deum, liberans enim alios, meretur & ipse liberari Iacob. 1. & Daniel monebat Nabuchodonosor ad eleemosynã, quasi noctem densissimam, & tenebrosam *vmbram tuam*, protectionem tuam *in meridie*, quo tempore solet esse grata ob calorem ingrauescentem, ergà populum meum palabundũ, *abscõde fugiẽtes, et vagos nè prodas*, proùt fecit Rahab cũ exploratoribus, eccè protectio, quam optat populo Israelis. *habitabunt* sic tuti *apud te profugi mei*, viri populi mei: *Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris*; Nabuchodonosor, sic sempèr se magis declarat quid ab eo requirat: neq. timeas, hæc opera charitatis agens, à Nabuchodonosor, *finitus est enim*, citò finietur *puluis*, exercitus eius innumerabilis *consummatus est* breui *miser* ille Rex Chaldæorum; de his enim necessariò intelligendum, quia & Ieremias de eadem re cap. 48. qui tempora Sennacherib excesserat: *defecit qui conculcabat terram*, quasi Dominus in superbia. *Et præparabitur*, stabilietur deindè *in misericordia*, Dei sola, quam nullus meruit *solium*, sceptrum, regnum in Messia, ad quem redit, *& is sedebit supèr illud in veritate*, fidelitate, & iustè agens, *in tabernaculo* sede *Dauid*, iuxtà Angelum Luc. 1. *iudicans*, *& quærens iudicium*, pro oppressis pupillis, viduis, *& velocitèr* absquè procrastinatione, *reddens*, *quod iustum est* vnicuique absquè acceptatione personarum. magis congruit intelligere hæc de Messia, cui rectè omnia aptãtur, quæ non Ezechiæ, scilicèt quod quæsierit iudiciũ, velocitèr reddiderit, &c. Prætereà, quid poterat Moab præstare Ezechias, qui Dei virtute euasit, non propria? Insupèr, cùm (vt diximus) idem habeatur per Ieremiam, qui excessit tempus Ezechiæ, proptereà de Ezechia nullo modo dici possunt. Prætereà, hæc pòst ruinam Iuda, antequàm Ezechias è vita cesserat. At is Messias (voluit dicere propheta) vobis poterit retribuere de bono opere, quod vobis suggero: pondera verò verbum *velocitèr* spectare ad iudicium, de quo suprà dixi in verbo abbreuiationem, & Roman. 9. At Moab non hærebit consilio meo, nàm *audiuimus superbiam Moab*, *superbus est valdè*, *superbia eius*, *& arrogantia eius*, *& indignatio eius*, hæ filiæ superbiæ *plus quàm fortitudo eius*; hìncquè despiciet consilium, & pauperes Israelitas fugientes à facie gladij Nabuchodonosor. *Idcircò* (quia non mouebuntur ad subuersionem Israelitarum proximorum suorum) *vlulabit Moab ad Moab*, *vniuersus vlulabit* vnus ad alium; *his*, *qui lætantur* confidunt *supèr muros cocti lateris* quasi non subuertendos, *loquimini plagas suas* instantes, quia muris illis non defendentur. *Quoniàm suburbana Hesebon deserta sunt*, non est qui defendat, *& vineam Sabama* alia vrbs, *domini gentium exciderunt*, *flagella eius vsquè ad Iazer peruenerunt*: *errauerunt* habitatores, fuga lapsi *in deserto*; *propagines eius lapsæ relictæ sunt*, ità vt vinea repullulare non valeat, *transierunt mare*; nullibì latebras

tutas

tutas habentes, vndè (vult dicere) si hæ ciuitates, quæ erant insignes, destructæ, & derelictæ, benè dixi, nè fidant in coctis lateribus. *Supèr hoc* calamitatibus his, *plorabo in fletu Iazer*, ad quem peruenit ruina, *vineam Sabama*. *inebriabo te lacryma mea* exuberante, *ò Hesebon, & Eleale*, *quoniàm supèr vindemiam tuam, & supèr messem tuam*, quas sperabas *vox calcantium*, omnia deprædantium *irruit. & auferetur lætiti*:, *& exultatio de Carmelo*, de terra pingui, prout ille, *& in vineis non exultabit neque iubilabit* quisque, *vinum in torculari non calcabit* qui calcare consueuerat, *vocem calcantium abstuli*, celeuma, &c. ex præcedentibus, quia omnia dissipabuntur, *supèr hoc venter meus ad Moab, quasi cythara sonabit* sic Iob 30. in fin. versa est in luctum cythara mea, *& viscera mea*, his enim ostenditur maior compassio, sic Zacharias: per viscera misericordiæ Dei nostri: & commota sunt viscera matris veræ coràm Salomone, sic & Ioseph cùm fratribus; *ad murum cocti lateris* destruendum ex nimio mœrore. *Et erit* continget *cùm apparuerit*, *quod laborauit Moab supèr excelsis suis* in honorem idolorum, *ingredietur ad sancta sua*, fana, *vt obsecret*, & auxilium petat, *& non valebit* impetrare ab idolis infirmis, quæ nihil sunt, quasi illùc vanè accedet. *hoc est verbum quod locutus est Dominus ad Moab* per me Isaiam, *ex tùnc* eo tempore, quo Isaias dixit suprà *& nùnc* de recenti, *hæc locutus est Dominus dicens*, addens. *In tribus annis*, qui erunt eius vastitatis, infrà capit. 20. 3. *quasi mercenarij*, doloris, & laboris pleni, vel mercedem debitam recipientis, *auferetur gloria*, fastus, vel potentia *Moab supèr omni populo multo* eius, *& relinquetur paruus, & modicus*.

CAPVT XVII.

ONVS miseria *Damasci: eccè Damascus*, nùnc floridus, & potens, & caput Syriæ, *desinet esse Ciuitas, & erit sicùt aceruus lapidum in ruina*, vt non cognoscantur vestigia ædificiorum. *derelictæ Ciuitates Aroer gregibus erunt, & requiescent ibi, & non erit qui exterreat*, vbi Ciuitates, & habitatores, ibì pascentur greges; *& cessabit adiutorium ab Ephraim* regno ob Ieroboam Ephraitem primum regem de illa tribu. Sanctius hic tenet loqui prophetam de ruina Damasci sub Achaz, at quia de eadem per Ieremiam cap 49. 23. dicendum loqui de ruina successura per Chaldæos, vt prophetiæ concordentur, eò magis, quia in his prophetijs agitur de totali ruina, quæ etsi sub Achaz fuit. 4. Reg. 16. 9. tamèn (illa omissa) ad tempora Ieremiæ recurrendum, quæ sub Achaz non aptantur. Prætereà Isaias loquitur de futuris, at tempore huius prophetiæ sub Achaz iàm contigerat ruina Dasci: Vndè etsi diceres prophetasse antè illam, non tamèn illam vti de præteritis apposuisset. Insupèr infrà agit de captiuitate Iudæ, quæ fuit sub Nabuchodonosor.

Nèc obstat mẽtio adiutorij ab Ephraim, qui tùnc non erit in captiuitatem datus, quia sufficit ad verificationem simplicitèr non extare tùnc temporis, quandò euertenda per Chaldæos. *& regnum*, quod destruetur *à Damasco, et reliquiæ Syriæ* prouinciæ *sicùt gloria* per ironiam, *filiorum Israel erunt*, quasi erunt derelictæ, paruæ, sicut illorum, *dicit Dominus exercituum*, cuius dicta perpetua. *Et erit in die illa*, qua hæc fient contra Damascum, *attenuabitur gloria Iacob* populi Israel dati in captiuitatem; eccè quomodò superiora per ironiam, quam hic aperit, & demonstrat ex malo Iacob, quale Damasci, *et pinguedo carnis eius marcescet* in tanta vastitate. *Et erit sicùt congregans in messe, quod restiterit, et brachium eius spicas leget, et erit*

sicùt quærens spicas in valle Ephraim, in quà solebat hoc fieri. hæc omnia ad denotandam paucitatem eorum, qui remanebūt. *et relinquetur in eo sicùt racemus*, ad idem tendit, nèc indiget explicatione *in die illa* reditus à captiuitate Babylonica, ad quam recurrit, *inclinabitur homo*, reliquiæ Israel *ad factorem suum* Deum, *et oculi eius* mens, voluntas in Euangel. si oculus tuus simplex fuerit, &c. *ad Sanctum Israel* Deum Israel, de quo & suprà in duobus capitibus, *et non inclinabitur ad altaria*, *quæ fecerunt manus eius*, *et quæ operati sunt digiti eius*, *non respiciet* lucos, & delubra idolorum. hæc pòst captiuitatem Babylonicam; nàm antè viguit idololatria. & hic ostendit saluandas reliquias Israel, proùt illas Samariæ perdendas: *in die illa* Damasci *erunt ciuitates fortitudinis* fortes *eius derelictæ*, *sicùt aratra*, *et segetes*, *quæ derelictæ sunt à facie filiorum Israel*, ad labores eorum ingredientium in terram promissionis ab habitatoribus fuga lapsis, *et sic eris deserta* tu Damasce. *Quia* tot beneficijs exaltata, ingrata, *oblita es Dei Saluatoris tui*, *et fortis*, potentis *adiutoris tui*; *propterea plantabis plantationem fidelem* per ironiam, quasi sinè Deo facere non poteris, *et germen alienum* alijs *seminabis*, Chaldæis scilicèt. *In die plantationis tuæ labrusca*, vitis syluestris, *et manè semen tuum florebit* antè tempus vanè: *ablata est messis in die hæreditatis*, quã tu congregare, & possidere debueras, hìnc melior intellectus, quod alijs seminauerit, *et dolebit*, dolebis grauitèr videns te laboribus tuis priuari, & ab alijs abripi. *Væ multitudini populorum multorum*, in Damasco congregatorum, nùnc ad illos vertit sermonem, *vt multitudo maris sonantis*, perstrepentis, *et tumultus turbarum*, *sicùt sonitus aquarum multarum*, hinc magna copia. *Sonabunt*, tumultuabunt illi *populi sicùt sonitus aquarum inundantium*, præ multitudine & Deus *increpabit*, compescet *eum* magna clade, *et fugiet procùl*, in captiuitatem datus, *et rapietur sicùt puluis montium à facie venti*, qui ei dominatur, & de facili illum eleuat, *et sicùt turbo coràm tempestate*. *In tempore vespere*, de sero, *et eccè ibi turbatio*: *in matutino* verò, *et non subsistet* in prædam datus. Vidi impium supèr exaltatum, & eleuatum sicùt cedros Libani: & transiui, & eccè non erat; & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Psal. 36. *hæc est pars eorum*, *qui vastauerunt nos*; & *sors diripientium nos*, hæc contrà Damascum, & ob hæc verba vltima contrà Israelitas non potest intelligi, sic & Romanis eueniet, Nu. 24. Apoc. 17. & hoc est regulare, vt qui aduersati sunt populo Dei; conterantur.

CAPVT XVIII.

VAE *terræ cymbalo alarum* vanè euocanti, & excitanti alios ad auxilium tuum, cùm tu infirma sis, & in solo sonitu consistas nemini vtili, vel proficuo; vtitur verbo *cymbalo*, ad eius inanitatem demonstrandam, proùt Ezech. 29. 30. de Aegypto baculo arundineo; & verbo *alarum* ad protectionem ironicè insinuandam, iuxtà illud, sub vmbra alarum tuarum protege nos, *quæ est trans flumina Aethiopiæ*, hæc ergò non Aegyptus, quia citrà; non Aethiopia, quia excluditur in verbis *trans flumina Aethiopiæ*, *et Aegyptus*, & Aethiopia non poterat dici cymbalum, & infima; & quòad Aegyptum incipit capit. sequent. onus Aegypti, in quo multa dissimilia, & contraria dictis in hoc cap. & Ezech. 29. dicitur Aegyptum dissipandum vsquè ad terminos Aethiopiæ, & infrà capit. 20. de eadem expressit cùm Aegypto. Non ergò cùm Aegypto Aethiopia suppressa, & innominata. at quæ hæc? puto hos aliquos populos vltrà Aethiopiam, quorum opera vterentur in bellis Aethiopes, & præsertìm contrà Iudæos, bis in tanto numero. 2. Paralip. 12. 3. & 14. 9. quem ex vnione aliorum populorũ circumuicinorum collegerũt.

Et

Et Ieremias cap. 46. 9. & Ezech. 30. 5. meminerunt Aethiopiæ, Libyæ, Lidi, Chab, &c. & in aliqua harum fortè prophetia verificatur. At dices, Hebræi nunquàm auxilium ab his petierunt, aùt in eis habuerunt fiduciam, proùt in Aegyptijs, verùm in hoc cap. nullibi de confidentia, aùt de auxilio petito, tantùm de vltroneo, & vano oblato ab hac terra: hincquè si non apparet de effectu, conforme est suæ vanitati, & præsumptioni, At quod de Aethiopia possit intelligi, facit, quia c. 20. coniungit Aegyptum, & Aethiopiam simùl ad vastationem, & quia de Aegypto cap. seq. ideò congruè in hoc de Aethiopia, & ad verba *trans flumina* poterit responderi fortè ciuitatem regalem fuisse sitam trans flumina, & tamèn in Aethiopia extitisse. Vel alitèr, vt hìc per recentiores. Confisos autèm Iudæos etiàm in Aethiopibus, infrà cap. 20. proùt & in Aegyptijs, qui in d. cap. 20. coniunguntur, & cap. vnitis congiunguntur ad subuersionem, vide hìc Oleaster. nupèr editum. *Qui* cuius rex, vel populus *mittit in mare legatos* nuncios, hoc non ad Aegyptum, cùm non illa, sed ad illam legati mitterentur à Iudæis pro auxilio: etsi hæc Aegyptus, exprimeretur clarè, proùt vbiquè de ea, *& in vasis* nauibus *papyri supèr aquas*, missio respicit legatos, vala, modum mittendi; at videtur eamdem vanitatem ex his nauibus arguere, vide supèr præmissis Riberam Sopho. 3. num. 27. & dicunt. *Ite Angeli* nuncij *veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, pòst quem non est alius* similis, hæc ne nuncij paueant, & vt mittentes magìs exaltentur, *ad gentem expectantem*, adiutorium, *& conculcatam* reges exteri varij, *diripuerunt terram eius omnes habitatores orbis* terræ, de qua agit, *qui moramini in terra* illa *cùm eleuatum fuerit signum* vexillum bellicum *in montibus* visibile *videbitis* probabitis & vos; sic, peccator videbit & irascetur: & nùnc reges intelligite. Psal. 2. *& clangorem tubæ* ad prælium excitantis *audietis*, & vos debellabimini, *quia hæc dicit Dominus ad me* tùnc *quiescam, & considerabo in loco meo* stans non auxiliaturus, *sicùt meridiana lux clara est, & sicùt nubes roris in die messis* in omni gloria, in omnibus meis delicijs in pace, quasi tua non considerans, *antè Messem enim*, citò, celeritèr *totus* populus *effloruit* erupit, *& immatura* præcox *perfectio* fructuum *germinabit* hoc ad celeritatem calamitatis ostendendam, *& præcidentur ramusculi eius falcibus*, gladijs bellicis, *& quæ* ex eis *derelicta fuerint abscindentur, & excutientur* dispergendæ in alios populos, *& relinquentur* cadauera interfectorum *simùl anibus montium, & bestijs terræ* carniuoris, *& æstate perpetua erunt supèr eum volucres, & omnes bestiæ terræ supèr illum hiemabunt* ex duratione, & lōgo tempore indicat cladem maximam: similis phrasis Ezech. 39. 17. Apoc. 18. *In tempore illo* pòst terræ vastitatem, Iuda à captiuitate Babylonica soluto *deferetur munus* sacrificia *Domino exercituum à populo diuulso, & dilacerato Iuda, à populo terribili, pòst quem non fuit alius, à gente expectante, & conculcata, cuius diripuerunt flumina* reges *terram eius ad locum nominis Domini exercituum montem Sion*; reædificandum, vt in libris Esdræ: & sic superiora similia verba benè de Iuda intellecta. Non possunt enim intelligi hæc de terra illa iàm dilacerata, & mittente ad populum diuulsum, sed in populo Iudæo, vt dixi, eò magìs quia mentio montis Sion.

CAPVT XIX.

ONVS *Aegypti*. *Eccè Dominus* puniturus *ascendet supèr nubem leuem* velocem exercitum Chaldæorum, sic Ezech. 30. 3. dicitur dies nubis, quæ quò leuior, velocior, *& ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulachra* idòla *Aegypti à facie eius* apparentis, cùm Chaldæis omnia vastantibus, sic & Iere. 46. & Ezech. 30. *& cor Aegypti tabescet in medio eius*, ob formidinem, pauorem, cladem, & vastitatē: vide dicta in Euang. cap. 13. vbi interpreta-

tionem eamdem dedi, *& concurrere faciam Aegyptios aduersùs Aegyptios, & pugnabit vir contrà fratrē suū, & vir contrà amicum suū: ciuitas aduersùs ciuitatē, et regnum aduersus regnū* hinc magna confusio, & interitus ex eorū discordijs, proùt in die Madian sub Gedeone. *Et dirūpetur* cruciabitur *spiritus Aegypti in visceribus eius* (loquitur de eo corpore mystico, proùt de homine) ex magno dolore interiori, *& consilium eius præcipitabo* destruam, vt nihil profit, *& interrogabunt* sic destituti, *simulachra sua, & diuinos suos, & pythonē, & ariolos* in vanum. *Et tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium* Chaldæorum, *& rex fortis* Nabuchodonosor Ezech. 29. *dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. Et arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur, atquè siccabitur, & deficient flumina, attenuabūtur, & siccabuntùr riui aggerū* hæc per hyperbolem, *calamus & iuncus* ex ea siccitate *marcescet: nudabitur alueus riui fonte suo, & omnis sementis irrigua*, quæ crescebat, & florebat *siccabitur, arescet, & non erit* ad nihilum redigetur, *& mærebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumē hamum et expandentes rete supèr faciē*, superficiē *aquarū emarcescent*, deficient ob aquarū penuriam, & ariditatem *Confundentur qui operabantur linum, pectentes, & texentes subtilia* telas, *& erunt irrigua eius flauentia, & omnes, qui faciebāt lacunas* congregationes aquarum *ad capiendos pisces* flaccidi erunt. *Stulti principes Taneos: sapientes consiliarij Pharaonis dederunt cōsilium insipiens*, vult dicere, non erit consilium contrà Deum; *quomodò dicetis Pharaoni*, tu potes dicere, & non timere, *filius sapientium*, à quibus gubernor, *ego: filius regum antiquorum? vbì nàm nùnc sunt sapientes tui?* in quibus confidis, *annuncient tibi, & indicent quid cogitauerit Dominus exercituum supèr Aegyptum* mali, vt ab eo eximaris, sic & Moyses Deut. 32. *Stulti facti sunt principes Taneos: emarcuerunt principes Mempheos* in eorum consilijs *deceperunt Aegyptum, angulum*, neruum, meliorem partē *populorum eius. Dominus miscuit* permisit permisceri *in medio eius* Aegypti *spiritum vertiginis* erroris, vt cōtrà Achaz 3. Reg. vult. & Dauid petebat infatuari consilium Achitophel; declarat, *& errare fecerunt Aegyptum in omne opere suo, sicùt errat ebrius & vomens. Et non erit Aegypto opus, quòd faciat*, redoleat *caput* primores, *& caudam* plebeios *incuruantem* senem; *& refrænantem* iuuenem, Alba cent. cap. 31. *In die illa erit Aegyptus quasi mulieres* pauidæ, & corruentes ad misericordiam, & lacrymas; *& stupebunt* videntes strages magnas, *& timebunt à facie* præsentia *commotionis manus* extentæ *Domini exercituum, quam ipse mouebit supèr eam* per Nabuchodonosor. *Et erit terra Iuda Aegypto in pauorem, omnis, qui illius fuerit recordatus, pauebit à facie consilij Domini exercituum, quod ipse cogitauit supèr eam* subigendā, deindè liberandam à captiuitate, & in pristinum statum redigendam. *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan* Hebræa, incipientes hærere Hebræis, *& iurantes per Dominum exercituum*, quem colant: *Ciuitas solis vocabitur vna*, ex illis quinque, idòlis priùs magìs dedita, vide Albam cent. cap. 32. *In die illa* pòst aduentum Messiæ *erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus* erectus, vt à Iacob Gen. 29 *iuxtà terminum eius, erit in signum, & in testimonium Domino exercituum in terra Aegypti*, in quà eius cultus erit, prædicabitur Euangelium Aegypti, credent Domino, illi seruient, *clamabunt enim ad Dominum à faie* præsentia *tribulantis* vexatio tribuit intellectum, eccè quomodò Deum recognoscent. *&* ipse misericors *mittet eis saluatorem, & propugnatorē*, defensorem, *qui liberet eos* à tot malis, Messiā, vel suos Apostolos, seù Apostòlicos viros. *Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscēt Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs & in muneribus* sacrificijs, hinc translatum Sacerdotium arguit S. Hiero. *& vota vouebunt Domino, & soluent* proùt sui; sed attende, videntur hæc statim subsecutura ex lectura Scripturæ, & tamèn non contigit, nisi pòst tot sæcula, quod nota ad Gen. 49. in Iuda, donèc veniat qui mittendus est, vbi dixi, *Et percutiet Dominus Aegyptum plaga*, vt suprà, & Iere. 46. & Ezech. 29. & seq.

& de-

& deindè *sanabit eam* mittendo Saluatorem, & illi *reuertentur ad Dominum*, & *placabitur eis & sanabit eos*, idem repetit. *In die illa* aduentus Messiæ, seù prædicationis Euangelij *erit via de Aegypto in Assyrios & intrabit Assyrius Aegyptum & Aegyptius in Assyrios: & seruient Aegypti Assur*, erunt pacifici simùl Aegyptij, & Assyrij, & conuersabuntur, & negotiabuntur simùl *& seruient Domino*, hinc de pace sub Messia. *In die illa erit Israel tertius* eiusdem conditionis sub vna lege Euangelica, *Aegyptio, & Assyrio*, conueniet & ipse cum ambobus: *benedictio in medio terræ* vtriusque, cui benedixit Dominus exercituum dicens. *Benedictus populus meus Aegypti, & opus manuum mearum Assyrio*, dicet, *hereditas autèm mea*, peculiaris populus. *Israel*, vide Albam cent. cap. 33.

C A P V T X X.

IN anno, *quo ingressus est Tharthan* Dux exercitus, proùt Holofernes 4. Reg. 18. 17. *in Azotum* terram Philistijm, *cùm misisset eum Sargon rex Assyriorum*, is fortè Sennacherib, quia sub eo, & tempore Ezechię minister Tharthan, 4. Reg. 18. 17. nam refert præterita Isaias, & *pugnasset contrà Azotum, & cepisset eam*, de hoc bello nulla alia mentio in Scriptura: *in tempore illo*, notat sempèr tempora Isaias *locutus est Dominus in manu* ministerio *Isaiæ filij Amos dicens: Vade, & solue saccum* indumentum, quod erat ei consuetum *de lumbis tuis* quia circà eos cingebatur, proùt de Elia, & Ioanne Baptista habemus, vndè non fuit totalitèr nudus, sed ablata superior vestis: dicitur enim *solui saccum*; multi tamèn volunt eum omninò nudum incessisse, & conueniunt quæ sequuntur, aliòqui non fuisset nudus, nequè portentum importasset, quod volebat Deus, & quia infra de nudis ab lu..ēdis agitur. *Et calceamēta tua tolle de pedibus tuis; & fecit sic vadens nudus, & discalceatus* ad maiorē terrorem; vel vt magis infigerentur dicta prophetarum in animis hominum: hæc sic repræsentabantur, sic Ieremias cùm catena, Agabus vinctus cum Paulo. *Et dixit Dominus: sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus, & discalceatus* quasi cùm hac ignominia, cùm non erubuerit ob Dei iussionem, obedire enim Deo oportet; sic Dauid antè arcam saltans, sed per quot spatiū nō dicitur, verisimile per tres dies ex S. Hiero. *trium annorum* de quibus cap. 16. in fin. quibus clades duratura, *signum, & portentum erit supèr Aegyptum, & supèr Aethiopiam: sic minabit* more pecudum *rex Assyriorum captiuitatem Aegypti, & transmigrationem Aethiopiæ iuuenum, & senum nudam, & discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti*, proùt Naas fecit nuncijs Dauid. *Et timebunt, & confundentur* Israelitæ *ab Aethiopia spe sua*, quam in ea collocarunt; *& ab Aegypto gloria sua* potentia, fastu, superbia. *Et dicet habitator insulæ huius* regionis saluæ ab hoste, hinc collige sub verbo *insulæ* quandoquè capi Iudæam, vt hic clarè, *in die illa: Eccè hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, vt liberarent nos à facie regis Assyriorum*, quasi parui ponderis ad nos eripiendos; *& quomodò effugere poterimus nos?* impotentes, cū illi nobis potentiores captiui ducti sint? hæc prædicta, vt Israelitæ non sperarent in eis, sed in Domino solo; simili phrasi pater Gedeonis Iud. 6. 31. 32. & nuncij Sennacherib 4. Reg. 19. 11. 12.

CAPVT XXI.

ONVS *deserti maris* Babylonis vastæ in regione, & regnis, vtì mare deserendæ, & destruendæ. Ierem. 51.42.43. facta est velùt mare contritio tua. *sicùt turbines*, tempestates *ab Aphrico veniunt* sìc *de deserto* magno impetu *venit, de terra horribili* exercitus Persarum, & Medorum contrà te Babylon magnos turbines excitaturus, te destructurus. *Visio dura nunciata est mihi* contrà te, *qui incredulus est* visioni huic *infidelitèr agit*, non opponens se malis vêturis,& cominatis. At *qui depopulator est* ad hoc assumptus à Deo *vastat*, & hoc tibi continget Babylon. non possunt vltima dici contrà Regē Babylonis,quia diceretur vastator,non *vastat*. vndè ad vastatores, *ascēde Aelā,*Persæ accingimini ad Babylonem debellādam: Persæ, & Aelamitæ Act. 2.*obside Mede* Babylonem: *omnem gemitum eius* Babylonis *cessare feci* tacentem opprimentis, non audentem hiscere, terror nimius in eam irruet, vt omni actione etiàm gemitu priuetur: similia Ierem. 51. quod explicat dicens in persona sua propheta cōpatiens, proùt & alij prophetæ etiàm exteris, ipsi enim facta visio, non Baltassari, vel populo Babylonico, vt suprà. *Propterea repleti sunt lumbi mei, dolore, angustia possedit me sicùt angustia parturientis*, cuius dolores maximi: *corrui cùm audirem* exercitus aduersarios tibi aduentare: *turbatus sum: cùm viderem* appulsos exercitus. *emarcuit cor meum*, sic Daniel emarcui, nec habui quicquam virium *tenebræ* tribulationum *stupefecerunt me*, *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum*, in stuporem ex eius euersione, vide Ierem. 51. *Pone mensam* Baltassar incumbe conuiuio, quasi per ironiam, tempus opportunum est, *contemplare in specula comedentes*, *& bibentes*, lætare cùm eis in vasis Domini, Dan. 5.*Surgite principes* ad defensam Ciuitatis, *arripite clypeum*, arma, quia instant vobis mala, sic ex versione vulgata; quoàd Hebræam *Vngite* non videtur aptari, quia tempus incongruum tersioni armorum, si in hoc sensu capitur. nisi dicas demōstrari, qualia esse deberēt arma sumēda. *Hæc enim mihi dixit Dominus, vade, & pone speculatorem, & quodcumque viderit*, verè *annunciet*, non fallat, & scies mala instantia. *& vidit* speculator *currum duorū equitum*, exercitum duorum regum Cyri, & Darij, *ascensorem asini*, Persæ, *& ascensorem Cameli*, Medi, *& contemplatus est diligentèr multo intuitu*, nè deciperetur, *& clamauit* vtì *leo* speculator voce magna, *supèr speculam Domini ego sum*, *stans iugitèr per diem*, *& supèr custodiam meam* propriam, *ego sum* non vicarius, *stans totis noctibus*; ex hac diligentia speculandi, & à Domino vult docere se fide dignum, & ex his aperit se speculatorem, qui hæc prædicit. *Eccè iste* Cyrus cùm Dario *venit ascensor vir biga equitum*, à me visus, & cognitus, *& respondit* speculator, *& dixit*, *cecidit: cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terram*, vt Dagon ad faciem arcæ: hìc de sculptilibus, vt cognoscant causam sui excidij, & quia non hæsit Domino, hæc verba mutuatus est Ioānes Apoc. 17. & 18. pro sua Babylone. *Tritura mea, & filij areæ meæ* Babylonij, sìc Ierem. 51.33. de Babylonijs enim agit, & nihil hìc de Israelitis, & suprà dixi, *Babylon* sibi *dilecta*, *quæ audiui à Domino Deo Israel annūciaui vobis* Babylonijs ad vestram doctrinam. *Onus Duma* Idumeæ *ad me clamat*, in afflictione posita *ex Seir*, ex regione Esau, *custos quid de nocte? custos quid de nocte?* quid noctis superest? quota hora? proxima nè dies? in tenebris enim tribulationum positi, proùt hi in maximo terrore optant diem. *Dixit custos, venit mane*, instat, sed non erit vobis lætum, quia *& nox* simùl veniet ad afflictionem vestram: *si quæritis* Dominum *quærite* ex corde, vt liberemini, *conuertimini* sincero animo ad Dominum, *venite*, properate ad eum. Cur passi Idumæi, Ezech. 29. Ierem. 49. Abdiæ 1.

Amos 1. ponunt, quia scilicèt Hebræis fuerũt sempèr infesti. lunge his, quæ dicit Isaias cap. 17. in fin. vndè Psal. Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt, percussoribus, exinanite, exinanite vsquè ad fundamentum in ea. *Onus*, miseria *in Arabia* contrà Ismaelitas, erit autèm tale *in saltu ad vesperam*, de noctè. quod horribilius est fuga lapsi, *dormietis in semitis*, in vijs *Dedanim occurrentes sitienti* Arabi, non Israelitis, quoniàm hìc nulla eorum ratio, vel mentio; nequè præmium occurrentibus, quod solet Scriptura, quandò de occursuris Hebræis fugientibus loquitur. vndè miror ad illos hæc trahi gratis; at illud verum, Arabes puniri, quia contrà Israel malè se gesserunt. Iere. 25. 23. 49. 28. Ezech. 25. 13. onus enim, & locutio contrà Arabes, & quia non occurrent ad alios populos habitantes terram Austri, *ferte aquam qui habitatis terram Austri*, per quam transiturus Arabs *cum panibus occurrite fugienti*: hac phrasi vult fugam eorum, & miserias significare, proùt & de Aelamitis Iere. 49. 36. & de alijs vbiquè in prophetis, vt id non sit sempèr pro regula ad Hebræos trahendum. De occurrentibus his congessi Heb. 7. *A facie enim gladiorum* Chaldæorum, *fugerunt, à facie gladij imminentis: à facie arcus extenti, à facie grauis prælij* his omnibus insinuat mala eis singillatim euẽtura, quæ fuga euadere tentabunt, *quoniàm hæc dicit Dominus ad me adhùc in vno anno, quasi in anno mercennarij* terminato, proùt suprà cap. 16. in fin. & 20. 3. *& auferetur omnis gloria Cedar* Ismaelitarum, dissipabitur per Chaldæos. *Et reliquiæ numeri sagittariorũ fortium de filijs Cedar imminuentur*, de sagittarijs, quia Ismael eorum radix sagittarius, Genes. 21. *Dominus enim Deus Israel locutus est* non poterit non esse.

CAPVT XXII.

ONVS *Vallis* Ierusalem deprimendæ, proùt vallis, *visionis*, in qua visiones frequentes, vel in monte positæ. *Quidnàm quoquè tibi est cùm* alijs perdendis, quid tibi de repente accidit, *quia ascendisti, & tu omnis in tecta?* non dicas ad idòla, quia non omnes Ierosolymitæ idololatræ, non ad defensam, sed ad luctum, vt ibi potiùs eiularent, ideò *clamoris* tribulationis, planctus *plena vrbs frequens* populosa *ciuitas exultans* tu quæ exultare solebas, quasi tandem peruenisti ad destructionem, seù finem: *interfecti tui, non interfecti gladio, nèc mortui in bello* in acie, quia in obsidione Nabuchodonosor nõ sunt egressi pugnaturi cùm hoste, sed intrà mortui sunt, & deindè fuga lapsi; quasi vti ignaui defecerunt, vndè. *Cuncti principes tui fugerunt simùl* Sedecias, filij, & alij, at fugientes capti, *durèque ligati sunt: omnes, qui inuenti sunt, vincti sunt paritèr, procùl fugerunt* nèc profuit quia capti, Iere 36. 4. Reg. vl. Properereà in dolore versans dixi. *Recedite à me consolatores, amarè flebo, nolite incumbere, vt consolemini* consolationem non admitto, frustra laboratis, *supèr vastitate filiæ populi mei* Ierusalem à me præuisa, adeòque amara, *dies enim* ineuitabilis, præfinitus *interfectionis & conculcationis, & fletuum à Domino Deo exercituum*, cui resisti non potest *in valle visionis* Ierusalem *scrutans murum* diripiendum, *& magnificus* memorabilis *supèr montem* templum situm in monte Moria, dicto ab Abraham Gen. 22. 14. qui appellatur: in monte Dominus videbit; siquidem per Nabuzardam muri, & templum eiecta, & arsa. *Et Aelam*, milites Aelamitæ sagittarij *sumpsit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus*, quo exercitus armatus. *Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, & equitum*, & dissipabuntur; *& equites ponent sedes suas in porta*, Ierem. 39. *& reuelabitur operimentum* defensio, vires bellicæ *Iudæ*; Non placet hæc intelligi de velò in Sancta Sanctorum, quia sicutì in sequentibus, sic credo in hòc de genere armorum agi, *& videbitis in die illa armamentarium domus saltus*

non

Non dicas dissipatum à Chaldæis, sed quo vsi ad defensam, prout & quæ sequuntur, *& scissuras ciuitatis Dauid* arcis Sion *videbitis, quia multiplicatæ sunt*; & resarcietis illas, *& congregastis aquas piscinæ, inferioris* ad obsidionem superandam *& domos Ierusalem numerastis* pro cibarijs diuidendis, vel alia re militari, *& destruxistis domos* priuatas, quæ fortè officiebant defensioni *ad muniendum murum* ciuitatis publicum. *Et lacum fecistis intèr duos muros ad aquam piscinæ veteris*, hæc omnia ad defensionem: more humano in vobis confidentes: non agitur hic de destructione aliqua, *& non suspexistis ad eum, qui fecerat eam*, ciuitatem Ierusalem, potentem eam liberare, *& operatorem eius de longe* stantem *non vidistis*, non considerastis; ad eum recurrendum erat, non in tot munitionibus, in quibus confidistis, versari, & hærere: ideò benè procedit intellectus. *Et vocabit Dominus Deus exercituum* potens *in die illa* amara *ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum sacci*, vt solent mœrentes; hinc tribulatio infligitur, vt conuertamini, pœniteat vos, prout Niniuitas. *Et ecce in vobis gaudium*, & lætitia *occidere vitulos, & iugulare arietes* ad conuiuium, *comedere carnes, et bibere vinum* prout Balthasar, & dicere. *Comedamus, & bibamus* hilaritèr, *cràs enim moriemur*, prout nobis refertur: sic & Sap. 2. 1. Corinth. 15. & hoc magis displicet Deo, dùm flagella ad conuersionem immissa, in contrarium subuertimus, neque ad eum recurrimus. *Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum*, cuncta videntis, & audientis. *Si non dimittetur iniquitas hæc vobis donèc moriamini, dicit Dominus Deus exercituum*, quasi ad mortem vsquè iudicabit hoc peccatũ. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum*. Sed an is hic Sobna idem, qui dicitur Sobna scriba 4. Reg. 18. & infrà cap. 36? ego valdè dubito, quia hìc præpositus templi, & iuxtà Hiero. summus Sacerdos, ille scriba in domo Regis: hic captiuus ducendus pòst ministerium Sacerdotale, quomodò ergò in scribam pòst illud ministerium electus? nèc verisimile dùm erat præpositus templi, vel summus Sacerdos, etiàm scribam fuisse. Præthereà, hic Eliacim in locum Sacerdotij sui subrogandus iàm erat supèr domum regis prælatus Sobnæ illi, & hic videtur in his terminis maior Eliacim, qui dicitur Sobnæ huic subrogandus, antequàm subrogetur. Prætereà, non est veresimile Ezechiam bonum, malum ministrum elegisse, & dùm Sacerdos malus, & dùm à Sacerdotio deturbatus fuit, cùm Dauid bonus edentes panem suum bonos eligeret: Prætereà, non erat tùnc tempus, prout sub Herode, vel Romanis, quo summi Sacerdotes deijcerentur, & alij subrogarentur viuentibus, & si vlla mutatio intercessisset, haberetur de illa mentio, prout sub Dauide, & Salomone. Prætereà, si hæc ad captiuitatem Babylonicam, prout totum caput in præcedentibus, tantò minus idem erit Sobna. Prætereà, si is summus Sacerdos, quomodò postpositus Eliacim quomodò seruiebat regi pro Scriba, quod de nullo alio legitur? *Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo* hoc dicit, volens ex hoc magis eum arguere, *ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum, quid tu hic* agis, *aut quasi quis hic?* quæ hæc tua cura profana, quis es tu, *quia excidisti tibi hìc*, non in templo, sed locis sepulchralibus, quia in templo hæc non erigebantur *sepulchrum* ad pompam *excidisti in excelso* eminentiori loco *memoriale* æternum *diligentèr in petra tabernaculum tibi*, quasi hic permansurus. *Ecce Dominus asportari te faciet* hinc cùm ea facilitate, *sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum* ab induto, *sic subleuabit te*, disperdet te Dominus. *Coronans coronabit te Dominus tribulatione* magna *quasi pilam* eiectam rotatam *mittet te in terram latam, & spatiosam* captiuum *ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ*, fastus, ad quem aspirabas *ignominia domus Domini tui* cui malè præfuisti *Et expellam te de statione tua & de ministerio tuo deponam te*, similes phrases vide Apocal. 2. & 3. *Et erit* continget *in die illa, vocabo seruum meum Eliacim filium Elciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius*, hæc est corona, de qua Apoc. 3. *& erit quasi pater habitantibus Ierusalem, & domui Iuda*,

non

non ſicùt tu diſsipator; hìnc colligit S.Hier. hunc Sobnam fuiſſe ſummum Sacerdotem: at tunica,& cingulum conueniebant & ſimplici Sacerdoti, & vocatur præpoſitus templi, & à verbis non eſt recedendum; & ſi opponis de ſequentibus, quæ Eliacim faciunt ſummum, dicam illi hæc addi præ Sobna. *Et dabo clauem domus Dauid ſupèr humerum eius* Sacerdotium in templo, *& aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiet*, quaſi habebit merum, & mixtum imperium, & independens, vide ſimilem phraſem Apoc. 3. vbi Alcaſar non vult intelligi de ſubrogatione in ſacerdotium, ſe ad miniſterium regium, quod eſt contrà textum. Si is ad tempora Iudith perueniſſet, poſſet in eo Sacerdote verificarì Eliacim dicto; & tùnc clauis domus Dauid ſolium imperium, at non credo, vt ibì dixi. *Et figam illum paxillum* firmum, à quo populus dependeat, & regatur, *in loco fideli* ſtabili, immobili, ſtat in metaphora paxilli, *et erit in ſolium gloriæ domui patris eius* domum paternam exornabit. *Et ſuſpendent ſupèr eum omnem gloriam domus patris eius, vaſorum diuerſa genera, omne vas paruulum, à vaſis craterarum, vſquè ad omne vas muſicorum* quaſi, & paruuli, & magni ab eo dependent, in eum confident, & nihilominus. *In die illa* captiuitatis Babylonicæ vniuerſalis, de qua præmiſerat, non obſidionis Sennacherib, quia tùnc nullus captiuus, proùt hìc, nèc poteſt ſtare quod dicunt Hebræi de Sobna transfuga, quia ſempèr fuit miſſus ab Ezechia etiàm cùm Eliacim cap. 18. & 19. ad negocia belli, & eſſet abſonùm agere in hoc cap. de captiuitate Babylonica clarè, poſteà in his redire ad Sennacherib, qui præceſsit: obſtant & alia dicta ſupèr diuerſitate Sobnæ. Non hìc de Romanis; nàm ſicùt omnia accommodantur captiuitati Babylonicæ, vt in expoſitione dictum, ſic diſcordant à deſolatione per Romanos facta, *dicit Dominus exercituum. Auferetur paxillus* Sobna, hæc eſt repilogatio *qui fixus fuerat in loco fideli*, quaſi nunquam amouendus iuxtà vanam reputationem, *et frangetur, et cadet, et peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus eſt*, vndè ſic erit.

CAPVT XXIII.

ONVS Tyri, de quo, & Ezech. 26.27.28.29. *vlulate naues maris* verſantes in mari, *quia vaſtata eſt domus* Tyrus *vndè venire conſueuerant* naues *de terra Cethim reuelatum eſt eis* onus, ruina Tyri. *Tacete* iàm oppreſsi à Nabuchodonoſor *qui habitatis in inſula*, in Tyro, tùnc inſula inclyta, quia *negotiatores Sidonis transfretantes mare, repleuerunt te* mercimonijs, quibus exaltata es, vel *repleuerunt te* inimici tui Nabuchodonoſor cum ſuo exercitu, & reddiderunt te peninſulam; at non currit, quia agit de bonis Tyri, quæ proſequitur. *In aquis multis ſemen Nili, meſſis fluminis fruges eius*, frumenta, & alia victualia ex Aegypto ad te apportabantur, *& facta* Tyrus *eſt negotiatio gentium* emporium, ad quod totus mundus accurrit. *Erubeſce Sidon* vicina, & contermina non præbens auxilium Tyro pereunti, vt deberes; *ait enìm mare* immò *fortitudo maris* Tyrus *dicens* per proſopopeiā. *Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nèc ad incrementum perduxi virgines* quia ac ſi hæc non feciſſem, nullum video adiutorium, hìnc tu Sidon compati magis deberes, videns eam derelictam. *Cùm auditum fuerit in Aegypto* à Tyro diſtante, de Tyri clade *dolebunt* ob eius ſubuerſionem, & quia negociari non poterunt, vt ſolebant, non ex Ezech. prophetia cap. 29. quæ ſecuta eſt pòſt Tyrum auerſam, & tu Sidon vicina non moueris? *Tranſite* ò Tyrij *maria* ad alias ſedes, *vlulate qui habitatis in inſula* Tyro, *numquid non veſtra hæc eſt quæ gloriabatur à diebus priſtinis in antiquitate ſua?* quaſi quò protracta gloriatio, ſuperbia hæc, *ducent eam pedes ſui longè ad peregrinandum* captiua ducetur in Babylonem, ad extremam miſeriam deueniet; hìc *pedes*

propriè, non pro affectibus. *Quis cogitauit hoc* facere, vel futurum, *supèr Tyrum quondàm coronatam*, regnantem, in delicijs gaudentem, *cuius negotiatores principes*, *institores* mercatores *eius inclyti terræ?* quasi nullus hominum præuidit hanc calamitatem: simile Apoc. 18. *Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret superbiam omnis gloriæ* Tyri, *& ad ignominiam deduceret vniuersos inclytos terræ* huius, sic Christus contrà Capharnaum, nunquid vsquè in Cœlum exaltaberis? vtiquè in infernum descendes. Matth. 11. Luc. 10. *Transi terram tuam quasi flumen* nomen perditura *filia maris* cuius insula *non est cingulum* vires, milites enim accinguntur ad prælium ituri, hinc: non glorietur accinctus æquè ac discinctus *vltrà tibi* potentia tua ruit, non poteris resistere, fuga consule tibi, vel non est *cingulum vltrà tibi* septum circum circà maris, cùm facta sis peninsula, nè autèm hæc paruipendas, quia hæc tibi à Domino potentissimo, qui *manum suam extendit supèr mare* contrà Aegyptios *conturbauit* subuertit *regna* is *Dominus mandauit aduersùs Chanaan*, in qua regione tu sita es; incongruum hic de mercatore Chananæo, *vt contereret fortes eius, & dixit; non adijcies vltrà* per longum tempus ò Tyre, *vt glorieris calumniam sustinens* postquàm à Chaldæis oppressa fueris *virgo* adhùc intacta, & libera ab omni seruitute exterorum, vel desiderata vti vaga *filia* colonia *Sidonis* proptereà dixit, *non est cingulum vltrà tibi* fortè confidebat, quia erat insula in mari, & quia nunquàm seruierat *in Cethim consurgens transfreta* ad longinquas regiones, *ibi quoquè non erit requies tibi*, sic contigit Ionæ, calamitas sempèr te comitabitur fugiẽtem. *Eccè terra Chaldæorom* manifestat hic destructionem, & captiuitatem *talis populus non fuit* potens, qui te destruet. *Assur fundauit eam:* & tamèn *in captiuitatem traduxerunt robustos eius, suffoderũt domos eius*, præteritum pro futuro, sic & Genes. 49. 6. posuerunt eam in ruinam. Non placet hæc referri ad Chaldæos, seù Babylonem hæc passuram; nàm cùm ad terrorem Tyriorum dicat de Chaldęorum fortitudine, si subiungeret de illorum subiectione, & destructione, contrarium ageret. Prætereà, inuerisimile est, dùm agit de Tyro, sub inuolucro loqui de Babylone. Insupèr, si hæc non referantur ad Tyrum, nihil de eo dixisset. Conferunt & præcedentia, & statim sequentia ad naues maris. *Vlulate* quæ non aptantur Babylonijs, esset & locutio in abstracto, proùt è contrà ad rem est contrà Tyrum. *Vlulate naues maris, quia deuastata est fortitudo vestra*, hoc dicit, quia in insula illa inaccessa tutè detinebãtur, & lucrabãtur, & Tyrum destructã à Nabuchodonosor. Ezechiel. 29. 18 *Et erit in die illa: In obliuione eris ò Tyre septuaginta annis, sicùt dies regis vnius*, in delicijs viuentis, vt in Dauid præfinit tempus suæ ruinæ *pòst septuaginta autèm annos erit Tyro quasi canticum meretricis*, non ampliùs virginis, quia violata eris, in captiuitatẽ data, destructa, nõ desiderabilis, proùt dùm virgo ornata eras. hoc cantico allicies mercatores, & negotiatores spe erigendos ad solita cõmercia, proùt meretrix solet iuuenes; Dũ dicitur Ezech. 26. 24. non ædificaberis vltrà, intellige non simplicitèr, sed vsquè ad tempus, quod hic præfinitur, sicùt verba *in æternum*, & similia ad lõgum tantùm tempus restringuntur: ea proptèr *sume* tibi *cytharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita, benè cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit*, vt negotiatores allicias. *Et erit pòst septuaginta annos: visitabit* in pace *Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes suas* ad pristina negocia, *& rursùm fornicabitur* commercium habebit, stat in metaphora meretricis, sic & Apocalip. 17. & 18. *cùm vniuersis regnis terræ supèr faciem terræ*, quorum negotiatores ad eam confluent. *Et erunt negotiatores eius, & mercedes eius sanctificatæ Domino*, ad quem illas deferent: *non condentur, nequè reponentur* ad auaritiam, *quia his, qui habitauerint coràm Domino* Sacerdotibus, *erit negotiatio eius, vt manducent in saturitatem, & vestiantur vsquè ad vetustatem* in Eleemosynam, & gloriam Domini, omnia lucra conuertent, & sic thesaurizabunt thesauros in Cœlo. Hæc vel ad reædificationem templi Hyerosolimitani, vel ad tempora Euangelij, sed vltimum verius, quia

cùm

cùm Hebræis nunquàm facta talis gentium vnio, & Tyry adhùc ciues tempore Christi, vt in Chananæa pro filia agente.

CAPVT XXIV.

ECCE *Dominus dissipabit terram* omnẽ in die iudicij vniuersalis, *& nudabit eã* hominibus, & omnibus mistis, *et affliget faciem eius, & disperget habitatores eius*, quia vnus assumetur, & vnus dimittetur, & quia percussio vniuersalis erit, etiàm supèr pastores, & greges dispergentur, vt dixit Christus, & Michæas 3. Reg. vlt. ideò subdit. *Et erit*, &c. omnes æquabuntur, & nulla erit personarum acceptio, opera tantùm respicienda. *Dissipatione dissipabitur terra tota, & direptione prædabitur*, vt in bello, nèc poterat dare simile aptius in actionibus humanis. *Dominus enim locutus est verbum hoc*, & erit. *Luxit* Matth. 24. 30. & tùnc plangent omnes tribus terræ, *& defluxit terra* defecit, *& infirmata est*, depressa, *defluxit orbis* hinc de die iudicij agi, *infirmata est altitudo* fastus, primores *populi terræ* vniuersæ. *Et terra infecta est ab habitatoribus suis*, peccantibus, & Dauid: terra infecta est in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum, *quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius* aliud ex eorum capite sibi constituentes, *dissipauerunt fœdus sempiternum*, custodiæ mandatorum Dei; alludit ad pactum in monte Sinai de lege seruanda, quod baptizati pro lege Euangelica inirent. *Proptèr hoc* ob violationem legum *maledictio* a Deo indicta *vorabit terram*, sic Gen. 3. maledicta terra in opere tuo, *& peccabunt* in extremis illis diebus Antichristi *habitatores eius, ideòque insanient cultores eius*, in vanitatibus, & idololatria, Antichristus enim omni arte procurabit adorari Apoc. 13. *& relinquentur homines pauci*, ob bella, homicidia, quæ patrabit Antichristus, vel fideles, quia erit tanta tribulatio, vt in errorem inducantur (si fieri posset) etiàm electi, & Luc. 18. filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? *Luxit vindemia*, nùnc vult docere, quomodò omnia dolore plena, & luctu, & incipit ab his, in quibus solemus lætari, nempè vindemia, & dicit nedùm lætam, sed luctuosam futuram, & sìc de singulis, cùm & quæ dulcia erant, amara fient. *Attrita est Ciuitas vanitatis*, totus orbis idololatriæ tempore Antichristi deditus; idololatria vanitas, quia idolum nihil; hoc & ad Ierusalem solam, vt infrà. Non potest intelligi de Roma, quæ in aduentu Antichristi arsa erit, Apocalip. 17. de qua re pluribus alibi. Vndè tutius est de toto orbe intelligere, postquàm de illo subuertendo agitur. Posset intelligi de Roma, si illam præmittas, at hìc agitur de tempore iudicij, & sub Antichristo, non antè, *clausa est omnis domus nullo introeunte* repetit alio modo, quod dixerat de paucitate hominum, & prosequendo eamdem materiam, *clamor erit supèr vino*, & omnibus edulijs *in plateis*, quia insurget penuria, & fames, *quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum* in toto orbe, quòad penuriam, & paucitatem hominum, tot enim remanebunt pòst Antichristi clades, *quomodò si pauca oliuæ, quæ remanserũt, excutiantur ex olea* iam excussa, *& racemi, cùm fuerit finita vindemia*, hi sìc remanentes *leuabunt vocem suam, atquè laudabunt*, gratias Deo agentes à tanta calamitate liberi, *cùm glorificatus fuerit Dominus hinnient* lætabundi *de mari* de toto orbe Antichristo occiso, & debellato. *Proptèr hoc in doctrinis* alios edocentes; docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Matth. vltimo, quod ad Apostolos, & Apostolicos viros videtur referendum; hincque hæc accommodantur pòst desolationem Ierusalem à Romanis; *glorificate Dominum in insulis maris*, in quibus salui educti à persecutione, vel in toto orbe, & sìc hæc ad Apostolos, & pòst captiuitatem Romano-

manorum, *nomen Dei Israel. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti* Christi victoris; & debellatores Antichristi, *& dixi* horribilia audiens; *secretum meum mihi; secretum meum mihi*, non sunt hæc alijs propalanda, non proijciendæ margaritæ antè porcos; vel non possum ea referre: at videns iniquitates tùnc extantes in spiritu, subdit admirans, & condolens. *Væ mihi præuaricantes*, ad quæ mala homines proruperunt, sed quæ pœna instat *formido, & fouea, & laqueus supèr te, qui habitatores terræ, & erit* sic: *qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo*, idest nullum erit effugium: similis phrasis de euadente leonem, incidente in Vrsum Amos 5. de laqueo in Psal. laqueus contritus est, & nos liberati sumus, *quia cataractæ de excelsis apertæ sunt*, alludit ad tempora diluuij, in quibus nemo saluus prætèr octo animas, *& concutientur fundamenta terræ*, & consequentèr homines corruent, quod prosequitur declarare. *Confractione*, &c. *& grauabit eam iniquitas sua*, suprà versic. 5. *& non adijciet, vt resurgat*, quia renouabitur Roman. 8. *Et erit: In die illa visitabit Dominus supèr malitiam Cæli in excelso* solem; lunam, astra Deuteronom. 17. Ierem. 19. Isaiæ. 40. quia & illa immutabuntur vnà cùm omnibus elementis 2. Pet. 3. *& supèr reges terræ, qui sunt supèr terrã*, vel vt ostendat nullum immunem, vel ad proterendam superborum exaltationem: in his verbis de iudicio, quia subdit de pœna. *Et congregabuntur* mali iudicati, *in congregatione vnius fascis in lacum* inferni, *& claudentur ibì in carcere* perpetuò, nunquàm exituri, ideò dicit, *& pòst multos dies*, idest infinitos, in æternum, *visitabuntur* pœnis intolerabilibus, sic in Euangelio. Alligate eos in fasciculos ad comburendum, vide Apocalip. 19. 20. *Et erubescet Luna, & confundetur Sol*, obscurabuntur, non dabunt lumen suum circà dies iudicij, *cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem* cælesti; depositis omnibus aduersarijs 1. Corinth. 15. *& in conspectu senum suorum* Sanctorum, senes, quos tu nosti *fuerit glorificatus*, in pace æterna cùm his staturus, & laudes, & gratias recepturus, de his senibus perfectis, prudentibus, qui euaserunt mundum, carnem, diabolum Apoc. 4. non enim ibì verè senes, sed figuratè.

Posset & hoc caput intelligi de Ierusalem, strictè ad eam capiendo *terram, orbem*, & alia in desolatione facta per Vespasianum, & Titum vsquè ad versic. 21. præsertìm quia in sequenti cap. 25. de eadem, quasi corollariè; & deindè à versic. 21. vsquè ad finem de diebus iudicij, & nouissimis: sicùt in Euangelijs hæc duo confunduntur, & simùl tractantur, & fortè hic intellectus tutior, vide ad hoc caput, & seqq. dicta per Alcasar Apocalip. 20. nota. 4. alitèr differentem.

CAPVT XXV.

DOMINE *Deus meus es tu* postquàm propheta tot retulit secutura magna, & terribilia, ad Dei laudes recurrit, sic Christus pòst multa. Confiteor tibi pater, &c. *Exaltabo te, & confitebor nomini tuo*, te laudabo, *quoniàm fecisti mirabilia, cogitationes antiquas*, quas tu cogitasti, & promisisti Patribus antiquis nostris *fideles* tutas, veras, quas adimpleuisti, præsertìm de Messia mittendo, quod est principale in prophetia. *Amen* ità verè: cogitatio antiqua Dei fuit de salute hominum pòst lapsum Adæ, quam manifestauit Genesis 3. hinc Agnus occisus ab origine mundi, quia tùnc cœpit salus, & hoc est, quod Deus impleuit, vndè non hìc de Beatis, sed de hoc implemento, quod expectarunt Patres, & totus orbis. *Quia posuisti Ciuitatem* Ierusalem rebellem,

lem, Christum suum occisuram *in tumulũ*, non ergò orbē, quia orbis arefaciēdus, & incinerandus, non in tumulum reducendus, *vrbem fortem in ruinam, domum alienorum*, quæ non habiteur ab Hebræis, sed exteris, *vt non sit ciuitas, & in sempiternũ non ædificetur*, sic Dan. 9.26.27 vbi perpetua desolatio; in alio enim situ reædificanda, vel *in sempiternum*, idest, ad aliquod tempus: ex his intellectus de Ierusalem, quem dixi cap. præced. videtur melior. Sancti verò lætantur in iustitia Dei, lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. *Supèr hoc*, hac illius ciuitatis desolatione rebellis, & contumacis Ierusalem, *laudabit te populus fortis*, Romanus, *Ciuitas gentium robustarum*. Daniel. 9.26. Populus enim Romanus ex pluribus collatus, *timebit te*, colet te, ad quam regnum transferes, sic Christus: auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius, vel populus electus, Christianus, ex duobus populis electus. *Quia* repete, exaltabo te, *quia factus es fortitudo* nascendo, & moriendo *pauperi*, *fortitudo egeno*, naturæ humanæ, quæ aliundè non poterat habere auxilium; *in tribulatione sua*, peccatorum, quibus grauabatur; *spes* factus es *à turbine* vehementi, *vmbraculum ab æstu* ineuitabili, *spiritus* ira, vis *enim robustorũ*, diaboli, mundi, carnis est *quasi turbo impellens*, deijciens sua vi *parietem*, Vel (stando in primo dicto) quia in obsidione Ierusalem per Romanos, *factus es fortitudo pauperi*, &c. cùm fideles tùnc habuerint significationem fugiendi ab arcu, & in Pellam se retraxerint salui. Vel intellige generalitèr de protectione Dei ergà pauperes, pupillos, viduas, de quibus in præced. capit. egit, hoc enim epilogat præcedentia omnia. At è conuersò, *sicùt æstus in siti*, qui eam auget *tumultum alienorum*, à te quales hi sint, *humiliabis*, deprimes, *& quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies*, vel hæc in iudicio, vel in Ierusalem, vel simplicitèr, & vniuersè ad omnia præcedentia comprehendenda, quod censeo aptius. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis* sufficientèr *in monte hoc* Sion, & pressiùs Caluariæ, *conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemia defæcatæ*, puræ. non hæc ad gloriam cœlestem, quia non omnibus populis illa data, non ad corporalia, non ad sacramentum corporis, & sanguinis, sed ad mortem Christi, & sic ad spiritualia, morte enim sua in monte salus omnibus populis reddita sufficientèr; & cōgruunt subsequentia, quæ spiritualitatem aperiunt, & declarant præcedentia. *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati*, idest, vinculum peccatorum *supèr omnes populos*, quia nullus excipiebatur, *& telam, quam orditus est supèr omnes nationes*, quibus mors æterna instabat, deleto chirographo, quod contrà eos erat Christi morte. *Præcipitabit*, magis explicat, *mortem* incursam ab Adam citrà; quam sua morte vincet; absorta est mors in victoria, &c. *in sempiternum*, nunquàm reuixuram, & dominaturam, *& auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie*, *& opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra*; erat enim totus mundus in mœrore, & opprobrio ob peccata, *quia Dominus locutus est* omnipotens ille. *Et dicet*, omnis homo prudens, *in die illa*, *Eccè Deus noster iste*, *expectauimus eum*, in eum credentes, *& saluabit* pro saluauit, *nos: iste Dominus*, *sustinuimus eum* per multa sæcula, *exultabimus*, *& lætabimur in salutari eius*, quod nobis præstitit, in quo sumus liberi effecti. *Quia requiescet* vincens, & & liberans *manus* potentia *Domini in monte isto: & triturabitur Moab*, potentia diabolica sub eo victore, & triumphatore, palàm dæmones in triumphum traducente, *sicutì teruntur paleæ in plaustro*, quæ in minimas partes diuiduntur. *Et extendet manus suas sub eo*, potentias, pœnas inferendo, *sicutì extendit manus ad natandum* omni vi, & spiritu, nè demergatur, ad illum conterendum, & subijciendum, *& humiliabit gloriam eius* fastum, qui in mundo voluerit adorari, & detrahetur in infernum, indè non egressurus, nisi sub Antichristo Apocalip. 20. *Cùm allisione manuum eius* potentiæ eius, portarum inferi, vndè: ego vici mundum; princeps huius mundi iàm iudicatus est, eij-

cietur foràs. *Et munimenta sublimium murorum tuorum*, ò Moab, ò Diabole *concident*, *& humiliabuntur*, *& detrahentur in terram vsquè ad puluerem*, ità vt ad nullum vsum sint futura.

CAPVT XXVI.

IN *die illa* temporis aduentus Messiæ *cantabitur canticum istud in terra Iudà*, ad quam missus, & in qua natus Messias. *Vrbs fortitudinis nostræ*, qua defendamur, & eruamur ab inimicis nostris spiritualibus, ob Messiā in ea venturū, & moriturū *Sion* Ierusalem est. *Saluator*, Messias *ponetur in ea*, qui erit *murus*, *& antemurale*, ità vt expugnari à dæmonibus ab eo victis nequeat, stabit enim ipse pro nobis, ità vt portæ inferi non præualeant, vel punctando pòst verbum *Saluator*, *Vrbs fortitudinis nostræ Sion*, dicta *Saluator* Messias est, &c.

Aperite portas Sion, & recipite Messiam, *& ingrediatur gens iusta*, *custodiens veritatem* fidelis, in Messiam credens, & iuxtà illius præcepta operans. vult dicere quisque accedat ad Messiam in Sion stantem; sic attollite portas principes vestras, & introibit rex gloriæ: non puto in hoc cantico agi de ingressu in Ierusalem cœlesti, sed terrena.

Vetus error abijt, quem tu Messias incarnando, & nobis apparendo sustulisti; antè Christum enim tenebræ errorum, & ignorantiæ, & peccatorum inundabant in mundo: *seruabis pacem*, *pacem* hoc etiàm beneficium pacis à te recipiemus, dictus est enim rex pacificus, pacificans quæ in cœlis, & quæ in terris, faciens vtraque vnum, *quia in te sperauimus*, te expectauimus, sustinuimus, non in alio, quia non est datum aliud nomen sub cœlo, in quo saluaremur, in quo speraremus. Act. 4. *Sperastis* sperauimus *in Domino in sæculis æternis* ab origine mundi, vt omnes homines etiàm à principio comprehendat sub cantantibus, *in Domino Deo forti* potenti nos liberare in perpetuum, sempèr, nunquàm deficientes, vel recedentes.

Quia incuruabit, deprimet *habitantes in excelso* superbos, *ciuitatem sublimem* Ierusalem *humiliabit*, vt in capite præced. *Humiliabit eam vsquè ad terram*, *detrahet eas vsquè ad puluerem*, vt non nominetur Ciuitas, proùt erat antè capit. præced. sìc Domina. Deposuit potētes de sede, & exaltauit humiles.

Conculcabit eam pes, ad maiorem superbiæ depressionem, *pedes pauperis* Christi; quem Sion pauperem, & abiectum duxit, *gressus egenorum* Apostolorū pòst eius mortem prædicantium ex Dei potentia, quæ sìc magis apparebit, quàm si per fortes id præstaret. *Semita iusti*, Messiæ pauperis sperantis in te, *recta est*, *rectus callis iusti ad ambulandum*, propterea conculcat vias reproborum in se non sperantium, & potest quisque illum imitari.

Et in semita iudiciorum præceptorū *tuorū Domine*, non in nostra semita confisi, vel euntes, *sustinuimus*, expectauimus, *te*, *nomen tuum*, *& memoriale tuum* fuit *in desiderio animæ* nostræ, optantes manifestari, & dilatari; gloriam tuam desiderauimus, nō nostram. *Anima mea*, cor meū *desiderauit te in nocte* ignorantiæ, peccatorū, vel vt te fruerer, proùt spōsa dicebat: non in nocte, idest, in tribulatione, quia sequentia excludunt intellectum; *sed & spiritu meo in præcordijs meis*, in veritate, *de mane vigilabo ad te*, quasi omni tempore desidero te.

Cùm feceris iudicia tua in terra, in virga furoris tui, impios castigans *iustitiam discēt habitatores orbis*, vexatio enim tribuit intellectum. At si

Misereamur impio, *& non discet iustitiā* perseuerabit in malo, *in terra Sanctorum* Iudææ, filij Sanctorum, dixit Tobias, in qua eorum exemplo ad bonū promoueri debuerat, *iniqua gessit*, nec est conuersus, *& non videbit gloriam Domini*, non fruetur permanens in via sua mala. Immò *Domine* exal-

exaltetur appareat *manus tua* ad puniendum, *& non videant* impij, & nihilominus non videbunt, non conuertentur, cæci remanebunt, quasi timeo, quod neque flagellis conuertantur, vel *videant, & confundantur Zelantes populi* in vanitatibus, quæ nihil prosunt eis; *& ignis hostes tuos deuoret*, sic imple facies eorum ignominia. *Domine dabis pacem nobis* quia in te sperauimus, *omnia enim opera nostra operatus es nobis*, nobis cooperantibus, & assentientibus. Vel meliùs *omnia opera nostra*, quæ promiseras nobis proficua, adimplesti, vel per acceptationem ex Lyrano. At antè *Domine Deus noster possederunt nos domini* tyranni *absquè te*, qui solus es Dominus noster, & à quo solo dominia, & quos tu non elegisti; nùnc illis abiectis *tantùm in te recordemur nominis tui* quo protegamur in te addicti, & firmi, inuocetur nomen tuum supèr nos. *Morientes* deficientes impij illi *non viuant* deleantur de libro viuentium, *gigantes* qui nos oppresserunt *non resurgant* in resurrectionem vitæ, sed iudicij, dicit quod futurum, non deprecatur fore, vndè sequitur, *propterea* ob eorum scelera, *visitasti, & contriuisti eos* pœnis acerbis, *& perdidisti omnem memoriam eorum*, transiui, & eccè non erat. Alij pro gigantibus mortuos, vt ex Pined. Iob. 26. vers. 5. vide hic Sanctium, Ex his videtur melior intellectus pro *Dominis* tyranni, vt tenui, quàm idòla, quia idòlis hæc sequentia non aptantur, vide Alcasar Apoc. 20. not. 5. alitèr differentem.

Indulsisti vsquè hùc *genti* peccatrici, de qua supra, *Domine indulsisti genti* expectando ad pœnitentiam, non puniendo; *numquid.* sic *glorificatus es?* cessit ne id ad gloriam tuam ab omnibus expectandam? immò *elongasti* à te *terminos Terræ* promissionis, quia à te tolerati defecerunt.

Domine in angustia dolorum, pœnarum *requisierunt te*, ad te redierunt, *in tribulatione murmuris*, graui, in qua solent homines oppressi murmurare, *doctrina tua eis* fuisti, tùnc didicerunt, ideò hac vtere Domine; vt redeant, imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum.

Sicut quæ concepit, quæ appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, non antè, dolore non vrgente; *sic nos facti sumus à facie tua Domine* attriti doloribus.

Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum, vocem clamantem, vel desiderium tui in angustijs: *salutes* opera bona salutis à te nobis indicta *non* fecimus in terra, *ideò non ceciderunt habitatores terræ*, impij, nobis molesti, sed stant nos affligentes. At tandèm *Viuent mortui tui* pro te, gloria tua; *interfecti mei*, ex populo meo *resurgent* ad vitam, *expergiscimini* dormientes in Domino, quorum mors pretiosa, *& laudate* Dominum, *qui habitatis in puluere* sepulchrali *quia ros lucis*, viuificans; tu enim Deus vita, *ros tuus* a te emanans *& terram gigantum* superbos *detrahes in ruinam* in ignem æternum. *Vade populus meus* electi mei *intra in cubicula tua, claude ostia tua supèr te*, sic mulier vidua Elesæi, *abscondere in* sepulchris *modicum ad momentum, donèc pertranseat indignatio mea* fiat iudicium vniuersale, in quo eritis vos tuti ab indignatione, ideò Iob: quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei, donèc pertranseat furor tuus? & disce ex verbis *modicum, ad momentum* quam breue iudicium: hinc non loquitur de beatitudine, etiàm in principio cantici iudicio meo, & pondera etiàm morem Scripturæ ponendi modicum, quod per multa sæcula futurum, vt obseruat hic add. ad Lyra. & scripsi Gen. 49.

Eccè enim Dominus Christus *egredietur de loco suo* de Cœlo iudicaturus, *vt visitet* in iudicio, *iniquitatem habitatoris terræ contrà eum* facta, & reuelabit terra *sanguinem suum* Sanctorum interfectorum, quem edibit ad Deum clamantem; Genes. 4. 11. *& non operiet vltrà interfectos suos* pro se, gloria sua, sed ad vindictam eorum manifestatione prouocabit Dominum. Apoc. 6. 10. 11. similis phrasis de inferno, morte, & mari daturis mortuos suos Apocalip. 20. 13.

CAPVT XXVII.

IN *die illa* aduentus, & mortis Christi, in qua dæmon ligatus in inferno per mille annos, vel in iudicio vniuersali perpetuò, *visitabit* ad pœnam *Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti supèr Leuiathan serpentē vectem*, fortem, *& supèr Leuia than serpentem tortuosum*, malitiosum, callidum Gen. 3. 1. *& occidet cetum* diabolum *qui in mari est* in mundo, at de mare, quia figuratur sub ceto; sic Apocal. 13. de bestia de mari ascendente: occidet autèm ad inferos transmittendo per annos mille in morte, vndè surrecturus tempore Antichristi, in iudicio, nunquàm; ibì enìm tùnc ligandus æternalitèr Apoc. 20. videtur tamèn ex sequentibus agi de prima eiectione per passionem; & quia eijciendus de mari, idest de mundo, & is mundus tempore iudicij non erit, sed renouatus, & non ad habitationem. *In die illa vinea meri*, pura Ecclesia, quæ est sinè ruga, *cantabit ei*, gratias agens de pasione amara pro ea suscepta, & Leuiathan pulso; hinc etiàm melior intellectus de prima eiectione è mundo. *Ego Dominus, qui seruo eā* defendo, alo, *repentè propinabo ei* defensionem; *nè forte visitetur contrà eam*, ab aduersarijs ad illam contérendam, *nocte, & die seruo eam*, vndè portæ inferi contrà eam non præualebunt, hæc ad Ecclesiam militantem, non triumphantem. *Indignatio non est mihi* contrà eam, quia morte Christi pax successit, *qui dabit me spinam, & veprem in prælio*, Vt bellum infestum ei indicam, quasi nullus; *gradiar super eam* amicè protegens, & deindè *succendam eam pariter?* quasi hæc duo contraria non faciam, vel *gradiar supèr eam* conculcando, *& succendam eam paritèr* ad nihilum redigam, *an potiùs* quia mihi grata *tenebit fortitudinem meam* nè illam contrà eam exeram, *faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?* operando iuxtà voluntatem meam, vndè tantò minus ei infestus ero. *Qui ingrediuntur impetu in Iacob*, missi ad prædicandum, volantes sicùt nubes impetuosæ, hi attendendi, hi pacem apportantes: quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona; tùnc enim *florebit & germinabit Israel* in cultu Dei, *& hi implebunt faciem orbis semine* Euangelio. *Numquid* Deus, *iuxtà plagam percutientis se percussit eum?* Israel, qui Christum occidit, aut sicùt Israel *occidit interfectos eius* seruos fideles *sìc occisus est?* Israel. *In mensura contrà mensuram cùm abiecta fuerit* vineà, venerit finis eius, mundus finietur, *iudicabis eam* Domine, tùnc enim nulla misericordia, iustitia exercebitur iuxtà mensuram delictorum, *meditatus est* Dominus *in spiritu suo duro* ad iustitiam directo *per diem æstus* iudicij, diei iræ, & furoris, vel in desolatione Ierusalem totali per Romanos pœnas debitas inferre. *Idcircò supèr hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, & iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius*, etiàm si maximum occisionis Mesiæ, *cùm posuerit omnes lapides altaris* templi arsi à Romanis, nō idòlorū, quia tùnc in clade Romana non colebantur idòla in Ierusalem, *sicùt lapides cineris allisos* in puluerem redactos, & cùm *non stabunt luci, & delubra* omnia fuerint euersa: loca enìm hæc seruabantur in aliqua parte, etsi idòla non adorarentur, & Israel conuersus fuerit ad Dominum, & ipsum solum adorauerit, quod erit in aliquibus vsquè ad Antichristum, & in fine mundi in reliquijs, quæ saluabuntur, & ne confidatis in Ciuitatis fortitudine, *Ciuitas enim munita* Ierusalem desolata erit, *speciosa*, & clara *relinquetur, & dimittetur quasi dèsertum* non habitabitur, *ibì pascetur vitulus, & ibì accubabit* tutus, abductus à nemine, *& consumet* mordendo, depascēdo *summitates* arborum, herbarum *eius*. sìc de Babylone suprà. *In siccitate messis illius conterentur* ex qua fames, & penuria, *mulieres* impudentes, *venientes, & docentes eam*, Ierusalem tùnc erunt *non est ènim populus sapiens*, qui velit intelligere; ideò mulieres ductrices *propterea non*

mise-

miserebitur eius, qui fecit eum Dominus, *& qui formauit eum, nõ parcet ei*, sic Michæas; quia repulisti scientiam, ego quoquè repellam te. *In die illa*, parum antè iudicium vniuersale, transit ad alia, quia pòst desolationem Romanam aliud non sequitur, & sic recurrit ad tempora nouissima; *percutiet Dominus ab alueo fluminis vsq. ad torrentẽ Aegypti* prodigia faciet in tota Terra promissionis, *& vos congregabimini vnus & vnus* omnes *filij Israel* reliquię territi prodigijs illis. *Et erit: in die illa clãgetur in tuba magna* per Enoch, & Eliam, & alios, *& venient qui perditi* dispersi *fuerunt de terra Assyriorum*, multi enim ibi remanserunt, nõ reuersi cum Esdra, Zorobabel, Nehemia, *& qui eiecti erant in terra Aegypti*, & ex alijs locis, reliquiæ enim omnes congregabuntur, *& adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem*, in Ecclesia Catholica, nàm alia congregatio non est facta: hinc de perpetuis captiuis, qui nunquàm redierunt, agit; nec fiet nisi in fine pòst gentium introitum, & tùnc reliquiæ Hebræorum saluæ fient.

CAPVT XXVIII.

VAE *corona superbiæ* regno superbo, *ebrijs Ephraim* decem tribubus, vino deditis, *& flori decidenti* euanescenti citò perituro, *gloriæ exultationis eius* fastus exultantis *qui erant*; loquitur de præterito ad denotandam certitudinem prophetiæ *in vertice vallis pinguissimæ*, in situ florido, abundanti *errantes à vino*, crapulæ, ebrietati dediti. *Eccè validus, & fortis Dominus*, supèr vos ad conterendum, & disperdendum per Assyrios *sicùt impetus grandinis turbo confringens, sicùt impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum supèr terram spatiosam*, latam, quibus omnibus resisti non potest. *Pedibus conculcabitur* ad maiorem depressionem *corona superbiæ ebriorum Ephraim* tribuum decem, *et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui est supèr verticem vallis pinguium* Samariæ, *quasi temporaneum* præcox *antè maturitatem autumni: quod cùm aspexerit videns, statim vt manu tenuerit, deuorabit illud*, sic & vos antè maturitatem celeritèr deuorabimini, consummabimini. *In die illa* conculcationis decem tribuum *erit Dominus exercituum* potens *corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui*, qui est Iuda, & Beniamin; nàm Sennacherib non tanget illum: *& spiritus iudicij* ad benè administrandum, & iudicandum, sedenti supèr iudicium, regi Iuda Ezechiæ, *& fortitudo reuertentibus de bello* victoribus *ad portam* vndè discesserant securi. *Verùm hi quoquè*; duarum tribuum instabiles, *præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt*, etiàm *Sacerdos, & propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem* Dominum omnia contemplantem *ignorauerunt iudicium* iustitiam Dei, quæ supèr eos imminet, vel legem eius, ebrij enim nihil considerant; Ebrietas verò eò creuit. *Omnes enim mensæ repleti sunt vomitu, sordiumquè, ità vt non esset vltrà locus*, omnia essent his plena. Hæc omnia faciebant in idololatria persistentes, hoc enim peccatum maximum Deo displicens, vigens antè captiuitatem Babylonicam. *Quem docebit scientiam?* Dominus, *& quem intelligere faciet auditum?* quis eorum audiet? *ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus* infantes, incapaces ineptos, indocibiles; Hùc Paulus Heb. 5. 1. Cor. 14. 21. *Quia* & si clarè loquatur Dominus per prophetas, tamèn ipsi non credentes reassumunt verba Dei irrisoriè, & dicunt ad instar, *manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibì, modicum ibì*, quasi verba mea vana sint, & non adimplenda, at malè eis succedet; *In loquela enim labij*; vt solent infantes, vel muti, vel irati potiùs non efferentes verba intelligibilia, *& lingua altera*, quæ non intelligetur *loquetur*; non puto hic de populo altera lingua loquente, minus de varijs linguis Apostolorum agi, quia hic de flagellis, & à Deo

ad

ad populum istum prout cap. 33. 19. *cui dixit* clarè, & breuibus verbis primò, *hæc est requies mea*, hoc tantùm à vobis expeto *reficite lassum* pauperũ misertote; *& hoc est meum refrigerium*; quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; in hoc placabor, *& noluerunt audire* contumaces, & peruersi, sicneque Sodomitæ, qui egeno, & pauperi manum non porrigebant, Ezech. 16. 49. *Et erit eis verbum Domini* secundum, quo prophetæ nomine Domini vtūtur, postquàm primum non audierunt, sed irrident dicentes *manda*, &c. vt eis non credentes, sed illudentes *vadant* vtentes eorum insanis consilijs, *& cadant retrorsùm*, non surrecturi, *& conterantur, & illa queentur, & & capiantur*, proùt factum in captiuitate Babylonica, dùm non crederent Ieremiæ. *Proptèr hoc audite verbum Domini viri illusores* irridentes verba prophetarum, *qui dominamini supèr populum meum qui est in Ierusalem* Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, *dixistis enim, percussimus fœdus cùm morte, & cùm inferno fecimus pactum*, sic facientes nos tutos à morte, & inferno. *Flagellum inundans*, quod prædicitur futurum per Chaldæos *cùm transierit*, *non veniet supèr nos* exemptos, & liberos ab illo, *quia posuimus mendacium spem nostram & mendacio protecti sumus*, quasi hæc omnia mendaciter, & vana spe freti vobis promittitis; vel à pseudoprophetis vobis ingeruntur. *Idcircò* ad hæc vestra mendacia tollenda *hæc dicit Dominus Deus* benignus, & misericors, qui vestra incredulitate non mouetur ad beneficia promissa deneganda Rom. 3. *Eccè ego mittam in fundamentis Sion* Ecclesiæ *lapidem*, *lapidem probatum* firmum, stabilem, *angularem* duos parietes vnientem, populum gentilem, & Hebræum *pretiosum*, quia Deus, & homo *in fundamento fundatum*, vt concuti non possit, is Messias vos saluaturus Sed cur Dauid Psal. 117. dicit lapidem reprobatum ab ædificantibus, & Christusmet Matth. 21. Petrus 1. cap. 2. Paulus Rom. 9. & c. 8. & 28. Isaiæ, hic probatum? dic illic ab illo eum non agnoscentibus, & malè, quibus lapis fuit offensionis, & petra scandali, hic in veritate; Vel quia debuit præcedere reprobatio, passio, vt sequeretur probatio, gloria, ideò ipse: nonnè oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? *qui crediderit*, *non festiuet*, illum statim visurus, sed expectet iuxta Habacuc 2. 3. hìnc dici posset, quia prophetia Iacob Genesis 49. à cessatione sceptri vsquè ad aduentum Messiæ erat diuturna, Deus præmonuit expectandum fore, non festinandum, vide scripta Genes. 49. hoc loco vtitur Paulus Romanì. 9. Petrus Act. 4. & 1. capit. 2. *Et* nihilominus contrà contumaces, vel rebelles *ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura*, vos quoquè iuxtà vestra opera iudicabo, & flagellabo; nondùm enim iniquitates vestræ completæ sunt, *& subuertet grando* impetuosa, *spem mendacij* mendacem, fallacem, in qua confiditis, *& protectionem*, quam sperabatis *aquæ* tribulationum, quas tùnc immittam, *inundabunt*, superabunt. *Et tùnc delebitur fœdus vestrum* aereum, *cùm morte*, *& pactum vestrum cùm inferno non stabit*, quinimò vtrique subijciemini: *flagellum inundans* captiuitatis *cùm transierit* per vos *eritis ei in conculcationem*, nedùm vos tanget iuxtà vestram spem vanam. *Quandòcunque pertransierit* (transibit enim) *tollet nos: quoniàm manè diluculò pertransibit in die, & in nocte*, vt illud vitare non possitis, adeò erit perpetuum, & fixum, *& tantummodò sola vexatio*, quam tùnc probabitis: *dabit intellectum auditui*, tùnc intelligetis quæ nunc à me auditis mala supèr vos ventura, quæ nùnc vos prætereunt. *Coangustatum est enìm stratum, ità vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest*, quasi non dabitur effugium, aut latibulum, aut defensio; quia omnia ad angustiam, ad mensuram, vt suprà dixit, redacta. *Sicùt enim in monte diuisionum*, tempore Dauid contra Philistæos. 2. Reg. 5. *stabit Dominus* contrà vos ad puniendum; *sicùt in valle, quæ est in Gabaon*, tempore Iosue, Ios. 10. *irascetur* hinc benè *die, ac nocte* suprà, *vt faciat opus suum*, flagellandi peccatores, & rebelles, sicùt prædixit per prophetas, at *alienum* hoc ab eo, etsi *opus eius*, *vt operetur opus suum*, *peregrinum est opus eius ab eo*, quia potiùs misereri vellet, non vult mortem pecca-

peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. *Et nùnc nolite illudere* verbis illis, manda; &c. *nè fortè constringantur vincula vestra* ducamini captiui, & tempus præripiatur proptèr hanc illusionem. *Consummationem enim, & abbreuiationem* citò futuram ob has vestras illusiones, sìc intelligit suprà de verbo breuiato, & vers. coangustatum, &c. *audiui à Domino Deo exercituum supèr vniuersam terram* Iuda, de qua agit. *Auribus percipite, & audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum*, iuxtà illud operantes, sic Psal. 2. & nùnc reges intelligite, &c. *Numquid tota die*, &c. vsquè ad finem cap. poterant dicere, non videmus flagella, quæ dicis, res nostræ prosperantur; respondet per parabolam exemplo rustici. qui non facit sempèr vnum opus, nequè omnia opera vno modo, sed modò vnum, modò aliud, modò leuiora, modò asperiora, diuersimodè, aptans cuique operi propria; sic Deus non sempèr punit, non sempèr exaltat, modò vnum, modò aliud facit iuxtà exigentiam operum, & peccatorum, propterea vos nè confidamini, flagella euasuros, quia nondùm venerunt, sed tempore ei beneplacito illa expectate, omnia tempus habent, tempus serendi, &c. verum ex verbis panis, &c. temperat cominata, nempè non esse eos penitùs deleturos, nequè sempèr flagello vsurum. *Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit* non à me inuentum, *vt mirabile faceret consilium*, quòd in æternum stabit, *& magnificaret iustitiam* vnico negocio, vnico ictu, expectans culmina iniquitatum, & earum complementum; vndè, nondùm completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, & Christus: implete mensuram patrum vestrorum, vt maior appareat iustitia, & pœna.

CAPVT XXIX.

VAE Ariel, Ariel Ciuitas*, *quam expugnauit Dauid*, hæc Ierusalem, de cuius ruina agit: *additus est annus ad annum*; tempus ad tempus, diù expectata es ad conuersionem, *solemnitates tuæ*, quas læta in templo faciebas *euolutæ sunt*, transierunt, instat flagellum, & is videtur melior intellectus, quàm quod his denotetur longa captiuitas, cùm nondùm dixerit de illa, præsertim quia proprium est Dei differre, at pro flagello instanti subdit. *Et circumuallabo Ariel*, hic de desolatione per Romanos, dixit enim Christus Luc. 19. de illa, & circumdabunt te inimici tui vallo, *& erit tristis, & mærens, & erit mihi quasi Ariel* altare sanguinum ob magnas cœdes in ea fiendas, quod fuit in illa Romana, & cũ agat de pœna inferenda, intellectus supèr verbo *Ariel* diuersè, puta Ierosalẽ *erit mihi quasi Ariel* occidendo Messiam, non congruunt. *Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, & iaciam contrà te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam*, quæ omnia facta sub Romanis, non sub Nabuchodonosor; & prædicta à Christo, sequitur enim apud Lucam 19.43. & circumdabunt te, & coangustabunt te vndiquè, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem supèr lapidem, & cùm de Babylonica præmiserit cap. anteced. verisimilitèr de Romana sequitur, *humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum, & erit quasi pythonis* exilitèr loquentis *de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit*, sic serui Dauid 2. Reg. 12. 19. hæc omnia ad vnum tendunt, & se inuicem declarant, quasi non audebis, vel poteris hiscere, vocem emittere, adeò opprimeris, vt in obsidione Romana. *Et erit sicùt puluis tenuis*, citò dispergenda, & de facili; nùnc contrà oppugnantes Iudæos *multitudo ventilantiũ* destruentium *te, & sicùt fauilla pertransiens*, volitans *multitudo eorum, qui contrà te præualuerunt*, præteritum pro futuro, *eritquè repentè confestim* ex improuiso, subitò. *A Domino exercituum* potente *visitabitur* ad pœnam *in tonitruo*, &c. quæ omnia denotant celeritatem, de qua præmiserat, & nihil refert dilatio vsquè ad extrema tempora

contrà

contrà Romanos, Num. 24. Apoc. 17. vt aduerti, Genes. 49. *Et erit*, &c. hoc contrà destruentes, qui ad nihilum redigentur, proùt somniantes, qui expergefacti nihil possident, *sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contrà montem Sion*, sic suprà cap. 17. 14. hæc est pars eorum, qui vastauerunt nos, & sors diripientium nos: hìnc contrà Romanos, qui destruxerunt Hebræos Apoc. 17. Daniel 7. Num. 24. 24. præsertìm si hìc de Romana captiuitate, proùt teneo. vide Gab. Aluarez. Isa. 34. in prin. *Obstupescite*, &c. insinuat Iudæis, quales futuri sint in ea clade, nempè nullum habentes consilium, aùt remedium *quoniàm miscuit vobis Dominus spiritum soporis*, ad dormitandum, proùt Adæ, Ionæ, & Abraham. De huiusmodi sopore, proùt de induratione Pharaonis à Deo permissa, hic Pintus, & alij *claudet oculos vestros*, hæc cœcitas, de qua sup. cap. 6. ita vt nihil videatis, aùt intelligatis. vndè Christus; quia si cognouisses, & tu, &c *prophetas*, *& principes vestros, qui vident visiones, operiet*, hæc in obsidione Romana, in qua nullus propheta verus: in Babylonica Ieremias, Baruch. Dixit *operiet*, proùt tempore Eliæ operti illi septem millia, qui non curuauerunt genua antè Baal, non quod non adessent & tùnc aliqui. *Et erit vobis visio omnium sicùt verba libri signati*, qui legi non potest Apoc. 5. *quem*, &c. exprimit cœcitatem generalem totius populi, siuè scientis, siuè ignorantis, hoc magis verificatur in captiuitate Romana. *Et dixit Dominus: eò quod appropinquat*, &c. Populus hic labijs me honorat, cor autèm eorum longè est à me, Matth. 15. Mar. 7. *& timuerunt me* timere, colere me simulãt, dùm *mandata hominum, & doctrinis* seruiunt, quæ docent: sic enim in Matth. & Marco: sinè causa autèm colunt me, docentes mandata, & doctrinas hominum. Vel *timuerunt me mandato hominum, & doctrinis* seruili timore, fictè, nõ filiali amore, non verè ducti, & moti. Vel *timuerunt* coluerunt *me* in *mandato hominum, & doctrinis*, traditionibus legi meæ superadditis, illam destituentibus. Quia hæc ad Pharisæos, & scribas tempore Christi, ideò hìc de captiuitate Romana, præsertìm quia nunquàm de idòlis, quæ antè captiuitatem Babylonicam, non Romanam. *Ideò, eccè ego addam* alijs eorum calamitatibus, *vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo: peribit enìm sapientia*, in qua gloriantur, & apud alios famosi sunt *à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur* in Scripturis, hoc vsus est Paulus 1. Cor. 1. *Væ qui profundi estis corde*, quod longè est à Deo, vt à Domino abscondatis cõsilium vestrum prauum ad malum, quorum *sunt in tenebris* peccatorum *opera, & dicunt*, malè agentes, quasi non sit prouidentia Dei, *quis videt nos? & quis nouit nos? Peruersa est*, & abominabilis *hæc vestra cogitatio*, quia oculi Domini omnia contemplantur: *quasi si lutum*, &c. sìc & Paulus in simili Rom. 9. 21. quasi si ego vos feci, quomodò contrà me insurgitis, quasi factor vester nõ essem. *Nonnè adhùc in modico, & in breui conuertetur libanus*, gentilitas fidelis, *in Charmel*, in Iudæam; *& Charmel* Iudæa *in saltum* infructuosum *reputabitur?* vtì reiecta, & infidelis, quasi, velit dicere, ex assumptione gẽtilitatis vobis exosæ ad regnũ, in quo vos nùnc estis, & abiectione vestra, & cœcitate apparebit Deum scire, & agnoscere iniquitates vestras occultas; dicit *in breui, & modico*, quamuis ad septingentos annos res perducerentur, ex vsu Scripturæ, vt pluriès dixi, & Genes. 49. hìc Hiero. & Sanctius, hincquè agi de captiuitate Romana. *Et audient in die illa surdi verba libri* signati, de quo suprà, & *de tenebris, & caligine* ignorantiæ, & peccatorum abstracti, & liberi; oculi cœcorum gentilium videbunt, Ioan. 9. vndè si spiritualitèr intelligas verba Christi: cœci vidẽt, surdi audiunt, &c. dùm hæc Ioanni mandat referri, hæc prophetia impleta erit. *Et addent mites* gentiles, captiuantes intellectum, placidi *in Domino lætitiam*, quæ in eo vera est, cognoscentes se ad viam veritatis ex Dei misericordia peruenisse, *& pauperes* humiles *homines in sancto Israel* Messia, vel Deo *exultabunt*, pauperes euangelizantur, dixit Christus eodem loco: *quoniàm defecit* Israel cœcatus, & insipiens factus, *qui præualebat* in Dei cognitione, & iustum fuit alium populum eius loco in Deo

cre-

credentem subrogari Apoc. 3. *consummatus est illusor*, vel Deo illudens Israel; vel alijs populis, quos spernebat, videns sapientiam apud se extare, & alteri non communicari, & *succisi sunt omnes, qui vigilabant supèr iniquitatem*, vel malè operando, vel leges iniquas constituendo, vel addendo legi Dei ex eorum capite, *qui peccare faciebant* nouis illis legibus, vel additamentis *homines in verbo*, seducentes eos vaniloquijs, non intrantes ipsi, nèc alios intrare permittentes, vt dixit Christus, & de Philosophis Paulus Rom. 1. *& arguentem eos in porta* in iudicio *supplantabant* nō acquiescentes, *& declinauerunt frustrà à iusto*, ab æquitate iudicij, vel Messia eos arguente, quem in Euangelijs legimus arguentem, & illusum; & pluriès Isaias ponit iustum pro Messia, & Stepha. Acto. 7. *Proptèr hoc hæc dicit Dominus ad domum Iacob* ille Dominus, *qui redemit Abraham*, vocans illum de Vr Chaldæorum: non modò *confundetur Iacob* populus Israel, nèc *modò vultus eius erubescet* videns, quæ dixi, gentilitatem fidelem, *sed cùm viderit filios suos* Apostolos: pro patribus tuis nati sunt tibi filij, *opera manuum mearum* à me electos, & missos, *in medio sui sanctificantes* extollentes *nomen meum*, & ipsi Hebræi *sanctificabunt sanctum Iacob* Messiam promissum Iacob, & ad eos missum, *& Deum Israel prædicabunt*, *& scient errantes* nunc *spiritu intellectum* verum rerum diuinarum, *& mussitatores* non proferentes liberè linguam rerum diuinarum, Scripturæ *discent legem* veram iustitiæ, euangelicam, diuinam, tunc enim aliquos Iudæorum conuertendos dicit Paulus Rom. 10. ad hanc emulationem, vndè puto hæc postrema meliùs ad Iudæos, quàm ad gentiles referri, tùm quia de gentilibus egerat, tùm quia cōuertit sermonē ad Iudæos, & quia hic agitur de vocatione gentium, & Iudæorū particulari conuersione, eò magìs firmatur intellectus de captiu. Rom.

CAPVT XXX.

VAE *filij desertores* hæc ad eos, qui remanserunt in Ierusalem ex duabus tribubus, ductis in Babylonem, qui spreta suasione Ieremiæ ex Deo loquētis, noluerunt Aegyptum petere Ierem. 42. & 43. nèc potest intelligi de captiuitate Romana, quia tùnc non miserunt, vel transfugerunt in Aegyptum, qui recessistis à Deo vestro, *dicit Dominus, vt faceretis cōsilium*, &c. sunt clara verba, *& os meum non interrogastis*, &c. vt faceretis quod volebam; interrogarunt quidèm per Ieremiam, sed fictè, nolentes facere, quod ille prophetabat à Domino *in vmbra* protectione *Aegypti*, *& erit*, *&c. in confusionem*, quia ibi capti à Nabuchodonosor iuxtà prophetiam Ieremiæ, *erāt enìm in Tani principes tui*, in quibus confidebas; hoc per irrisionem, quasi rectè tibi consuluisti per illos, *& nuncij tui vsquè ad Naues peruenerunt*, verisimile enim nuncios præmisisse, antequàm irent; hinc infrà de calumnia, & tumultu Aegyptiorum. *Onus* miseria *iumentorum Austri* tribuum duarum harum, iumentis comparatarum ob earum insipientiā, hoc est capere iter, fugere in Aegyptum *in terra* per terram *tribulationis*, *& angustiæ* desertam, in qua viator passurus famem, & sitim, *leæna, & leo ex eis*, *vipera*, *& regulus volans*, & in qua non est tutum iter à feris, *portantes supèr humeros*, &c. & in vanum *ad populum, qui eis prodesse non poterit*, hæc proponit vates ad eos ab itinere deterrendos. *Aegyptus enìm* danda in prędam Nabuchodonosor Ezech. 29. *frustrà, & vanè auxiliabitur* vobis, quæ sibi prouidere non poterit: *ideò clamaui supèr hoc: superbia tantùm est*, consilium hoc ex superbia procedit, non vultis captiuare intellectum vestrum, & credere vos hic saluandos; vel *superbia*, nolle seruire Chaldæis, *quiesce*, depone animum, crede, non recedas, siste hic. *Vel superbia tantùm est* Aegyptus, ibi non saluaberis, *quiesce* non recedas; at videntur meliora superiora. *Nùnc ergò ingressus* in secretiora,

scribe

scribe ei supèr buxum, & in libro diligentèr exara illud, & erit in die nouissimo, quandò hæc eis prædicta euenient sub Nabuchodonosor *in testimonium vsquè in æternum*, vsquè ad illud tempus: sic in Euang. in testimonium illis, &c. vndè etsi Ieremias tùnc præsens, tamèn non fit, quin prophetia sistat in persona Isaiæ de illo tempore consummanda; *populus enìm* malitia plenus *ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces* fingentes velle obedire, dùm nolunt fere. 42. *filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus* prophetis, &c. *loquimini nobis placentia, videte nobis errores* dummodò sint ad mentē nostram, proùt Achab. 3. Reg. vlt. *auferte à me viam, &c. cesset à facie nostra sanctus Israel* Deus, nolumus, vias eius, præcepta audire, immò neque nomen, quod horremus: *propterea hæc dicit sanctus Israel* Deus. *Pro eò, quod reprobastis verbum hoc* manendi in Iudæa, *& sperastis in calumnia, & in tumultu* Aegypti, *& innixi estis supèr eo* me derelicto: *propterea erit vobis iniquitas hæc*, fugiendi in Aegyptum, *sicùt interruptio cadens, & requisita* diligentèr ad illam obducendam frustrà, *in muro excelso, quoniàm subitò, dùm non speratur*, quasi requisita, & obducta *veniet contritio eius*, sic & vos in momento funditùs peribitis, *quia, &c. si reuertimini*, vel non discedatis, vel à cogitatione discedendi desistatis, *& quiescatis* in solo vestro *salui eritis in silentio* quiete, *& in spe* in Deum erit *fortitudo vestra*, protectio vestra, *& noluistis sic operari, & dixistis: nequaquàm* remanebimus, *sed ad equos* Aegypti, in quibus confidimus, *fugiemus, ideò fugietis* à facie Chaldæorum: *& supèr veloces ascendemus* nè capiamur; at non tutò, nàm, & *ideò velociores erunt, qui persequentur vos* Chaldæi *mille homines à facie terroris vnius*, pauebunt, *& à facie terroris quinque fugietis* vos omnes, à paucis numero superabimini; *donèc*, &c. ad paucos deueniatis, & sitis in signum ruinæ, & cladis: sic quomodò persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia. Non possunt hæc ad Sedeciam trahi, quia ipse non fugiebat ad Aegyptios, neque ibi captus cùm alijs, neque alia aptantur, *propterea*, quia hæc vobis secùs facientibus euenient mala comminata, *expectat Dominus* misericors tempus ei beneplacitum, quod erit pòst captiuitatem Babylonicam, *vt misereatur vestri; & ideò exaltabitur parcens vobis*, & sic in misericordia sua; Non placent alij intellectus recentiorum, sunt quidē alieni, nèc indigent confutatione, & confidere *potestis, quia Deus iudicij* verax, obseruans *Dominus* non fraudabimini, *beati omnes, qui expectant eum* sperantes, & confidentes in eum, qui nunquàm deficit etiàm peccatoribus, Rom. 3. *Populus enìm Sion habitabit in Ierusalem* pòst captiuitatem Babylonicam, *plorans*, nùnc, & timens à Chaldæis *nequaquàm plorabis* reductus ad terram tuam, *miserans miserebitur tui*, Dominus nolens perditionem tuam: *ad vocem clamoris tui* timentis, & in angustia positi, tùnc enim cognoscimus vndè auxilium procedat: *statim vt audierit, respondebit tibi*, non tardabit auxilium suum, sic & cap. 64. 24. *& dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem* in Aegypto, & in Babylonia, famem sustinentibus, sicùt suprà dixit *plorans*, & sic miscet tristia lætis, & sistit non euasuros calamitatem prædictam. Vel potiùs in Terra promissionis, pòst reditum à captiuitate Babylonica, nè, si in delicijs multis versarentur, iterùm ad idola conuerterentur, nàm dicitur in Psalmo: impinguatus, incrassatus, dilatatus. Si verba hæc referas ad tempora Antichristi duratura per tres annos cùm dimidio, & tempus pòst illius mortem breue, dies enìm illi breuiabuntur proptèr electos, sic & suprà cap. 10. abbreuiationem, &c. & cap. 28. coangustatum; & tùnc saluandæ reliquiæ; Posset dici sub pane arcto, & aqua breui intelligi breuitatem temporis dati ad conuersionem; at sequentia non videntur concordare, *& non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum* prophetas, nè decipiaris, & in tenebras ignorantiæ cadas, *& erunt oculi tui videntes præceptorem tuum* te coràm docentem, erunt hæc certa, *& aures tuæ audient verbum pòst tergum monentis* etiàm dùm te obstinatum reddes eius verbis: vide Albam in cent. cap. 34. *Hæc est via* vera, & bona *ambulate in ea*, nèc dicetis diffidentes, nolumus

viam

viam Sancti Israel, vt suprà. *& non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram*, dirigite vias vestras, *& contaminabis laminas sculptilium argenti tui. & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea, sicùt vestimentum menstruatæ*, pollutum; abijcies tùnc idola, & hęrebis Domino tuo. *egredere dices ei*, nolo tui commercium, non potes stare cùm Domino simùl. Sed hæc omnia aptè conueniunt intellectui spirituali de Messia, à vers. 18. *propterea*, &c. vsquè ad finem capitis, & ad tempora nouissima circà iudicium. Sed infer, si hæc excelsa habituri estis, quantò magis ea, quæ dixi temporalia, si obedieritis? qui enim proprio filio pro nobis non pepercit, quomodò non omnia cùm ipso nobis donauit? si tui curam gerit vsquè ad extremum in magnis, & spiritualibus, quomodò non etiàm nùnc in leuioribus? & sìc sequentia, *& dabitur*, &c. intelligenda spiritualitèr de Ecclesiæ augmento, & dilatatione saltē mysticè, & ad litteram de reuertentibus à captiuitate Babylonica, quibus hæc bona promissa, *in die interfectionis multorum*: in Babylone per Darium, & Cyrum, *cùm ceciderint* etiàm *turres, & erit*, &c. hæc in sensu historico ad reditum ex captiuitate, denotantia statum fœlicem Iudæorum, pòst illud tempus; at mysticè de die iudicij, quo omnia renouabuntur, etiàm creaturæ, quæ expectare dicuntur Roman. 8. *lux Lunæ* renouatæ, antè enim iudicium fiet renouatio elementorum, proùt resurrectio hominum, vt alibì tenui; *erit sicùt lux Solis nùnc, & lux Solis erit septemplicitèr sicùt lux septem dierum*, idest valdè lucens. hæc phrasis ad litteram denotat lætitiam populi futuram *in die, qua alligauerit*, sustulerit *Dominus vulnus* omnem persecutionem, tristitiam *populi sui electi*, prædestinati, Israelis spiritualis, *& percussuram plagæ eius sanauerit*, quæ vsquè ad illa tempora illum sauciabit, stante perpetua captiuitate, ità vt nec appareat cicatrix vlla. vide Albam in cent. capit. 35. *Eccè nomen* potentia, maiestas; quæ sequuntur denotant exterminium Chaldæorum; si ad captiuitatem Babylonicam, si ad iudicium, concordant cùm dictis Christi, Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cùm eo, &c. Matth. 25. *Domini venit de longinquo*, à summo Cœlo, *ardens furor eius* in punitione impiorum, *& grauis ad portandum*, horrendum enìm est incidere in manus Dei viuentis *labia eius*, qui vt parturiens loquetur, & ad instàr irati, *repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans*, præsertìm dùm dicet, ite in ignem æternum, Matth. 25. *Spiritus eius* furens, *velùt torrens inundans, vsquè ad medium colli* suffocans *ad perdendas gentes in nihilum*, quæ ei non crediderunt, neque in eum sperauerunt; si ad Chaldæos, qui populum suum malè tractauerunt; *& frænum erroris*, quod proptèr peccata Iudæis impositum erat, vel diaboli, qui captiuos tenebat homines; sed peccati potiùs, & aptantur sequētia; peccator enìm funibus peccatorum constringitur, funes peccatorum circumplexi sunt me, *quod erat in maxillis populorum*, adeò fixum, vt videretur auelli non posse; sìc describitur Iesus ad iudicium veniens Apocal. 1. & alibi: Iob optabat locum, in quo abderetur. *Canticum erit vobis* redeuntibus à captiuitate Babylonica; vel in fine mundi inuētis in Israel, *sicùt nox sanctificatæ solemnitatis* cuiusuis, in qua solent cantari lætissimæ laudes, *& lætitia cordis, sicùt qui pergit cùm tibia*, exultans, & iubilans, *vt intret in montem Domini*, in templum *ad fortem Israel*, ad Deum laudandum: solebant enìm id cum iubilo id præstare, non puto hìc agi de nuptialibus gaudijs, sed templarijs. *& auditam*, &c. redit ad excidium Babylonicum ad litteram, mysticè ostendit quo furore in impios aget. *à voce enìm Domini pauebit* etiā *Assur* diabolus, *virga* eius *percussus*, vel potiùs omnis contrà Deum insurgens, sed ad litteram de Babylonijs, & sub Baltassare; non Sennacherib, quia agitur in hoc capite de populi reliquijs Aegyptum petituris, quod fuit sub Nabuchodonosor, *& erit transitus virgæ fundatus*, vt nunquàm vel per multa sæcula non resurgat Babylon, vel mysticè, vt suprà stabilis, permanens, æternus, ideò dicitur in ignem æternum, *quam requiescere faciet Dominus supèr eum*, æternalitèr *in tympanis, & cytharis*, more

triumphantis, *& in bellis præcipuis* reseruatis sibi soli, de quibus Apocalyps. 19. & 20. *expugnabit eos*, vel vt in Psalm. Tecum principium, principatus, in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum, vt hic per alios: *præparata est enim ab heri Topheth* infernus diabolo, & angelis eius. *nutrimenta eius ignis, & ligna multa*, hoc ad ostendendam durationem æternam: *flatus* spiritus, ventus, furor, *Domini sicùt torrens* impetuosus, *sulphuris succendens eam* in sempiternum. Si autèm ad Chaldæos, dic pro illis præparatus locus sicùt Topheth, quo nomine vtitur ad intelligentiam Iudæorum, quibuscùm agebat, in quo cadauera eorum putrescant, & consummentur, & ad maiorem horrorem, cùm ibi filij incenderentur immanitèr dijs immolati.

CAPVT XXXI.

VAE *qui descendunt in Aegyptum*, &c. (eadem materia, quæ capitis præcedentis; & tamèn hoc caput posset trahi ad tempus, antequàm Sedecias caperetur, & Ierusalem à Chaldæis. Nèc puto hìc agi vllo modo de Sennacherib, quia tùnc imploratū non fuit auxilium ab Aegyptijs) exprobrat, & minatur illis fiduciam in Aegyptijs habitam absquè recursu ad Deum. *Ipse autèm sapiens* Deus *adduxit malum*, quod prædixerat, *& verba sua non abstulit*, non fecit vana, sed impleuit, & hoc ostendit, *quia consurget contrà domum*, congregationem, populum, qui dicitur domus Israel, *pessimorum* idolòlatrarum, *& contrà auxilium operantium iniquitatem* Aegyptiorum, ita ut sibi ipsis auxiliari non ualeant. *Aegyptus* (ò popule Israel) *homo* est, *& non Deus*, qui possit sibi succurrere, *& qui eorum caro*, in qua non ponendum brachium, *& non spiritus*, qui resistere possit, fragiles sunt, quia carnei; *& Dominus*, contra quem tentatis, omnipotens, *inclinabit* contrà uos *manum suam*, potentiam suam ad puniendum, *& corruet auxiliator, & cadet, cui præstatur auxilium* friuolum, *simulquè omnes consummentur* ab uno Nabuchodonosor uicti & capti, & cæsi: *quia*, &c. *quomodò si rugiat leo*, &c. sic & Gen. 49. *& sicùt aues volantes* nidum, sic Dominus defendet Ierusalem, si ad eum recurretis, ideò *Conuertimini* ad Dominū, & credite eodem animi ardore, & spiritu. sic Paulus, sicùt exhibuistis corpora uestra, &c. *sicùt in profundum* malorum contemnentes, *recesseratis* idolis dediti *filij Israel. In die enim illa* pòst captiuitatem Babylonicam, *abijciet vir idòla*, &c. quod fuit à captiuitatis Babylonicæ reditu. hinc non potest intelligi hoc caput de decem tribubus, & regibus illas captiuantibus. *& cadet Assur* regnum Babylonicum *in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum*, sed Dei; *& fugiet idem non à facie gladij*, non à gladio, sed cladis immanis, *& iuuenes eius* fortes, *vectigales erunt* subdentur Medis, & Persis, tributarij erunt *& fortitudo eius à terrore* in eum iniecto, *transibit et pauebunt fugientes principes eius* à Dario, & Cyro, *dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem*, cui ibi sacrificia offeruntur, & adoratur uobis cognitus, cuius mirabilia sæpiùs experti estis, potens hæc præstare, & Psalm. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Ierusalem.

CAPVT XXXII.

ECCE *in iustitia regnabit rex* Messias iusta decernens, ad tempora enim Messiæ pertinet hoc cap. ad quem trãsit, postquàm de reditu à captiuitate Babylonica dixerat suprà cap. præced. vt quid enim hic de Ezechia, cuius neque hic, neque cùm præcedentibus proximis capitibus vlla mentio? *& principes* recti, eiusdem Apostoli constituti principes supèr omnem terram *in iudicio præerunt* non assumentur amplius infirmi, & nutantes, vel munera, & faciem respicientes. *Et erit vir* omnis fidelis, tutus, & lætus tùnc *sicùt qui absconditur* domi suæ *à vento* flante, *& celat se à tempestate* ingruente *sicùt riui aquarum* grati sunt, & iucundi *in siti* magna, *& vmbra petræ prominentis in terra deserta* æstuante, quomodò is Ezechias? *Non caligabunt oculi videntium* prophetarum, vel potiùs simplicitèr in re adeò clara, quæ apparebit, *& aures audientium diligentèr auscultabunt* dicta eis grata, *& cor stultorum* gentilium, idololatrarũ *intelliget scientiam*, veram Dei, *& lingua balborum* eorumdem nescientium loqui de Deo, *velocitèr loquetur, & planè* instructi à Spiritu sancto: sic & suprà cap. 29. Hinc non possunt hæc intelligi de tempore Ezechiæ, neque Ezechias habuit principes, vt hic, neque suo tempore hæc lux, vt illuminatio, & apprehensio, neque concurrunt alia, si rectè examinentur. Non possunt hæc verba intelligi de Apostolis, quia censetur potiùs continuare sermonem de gentilibus, quàm ad alios digredi. *Non vocabitur,* vel erit *vltrà is, qui insipiens est* verè, *princeps* in scientia, proùt Pharisæi, & Scribæ cap. 29. *neque fraudulentus,* proùt ijdem *vocabitur maior* suprà alios, suprà gentiles, quasi faciens, & docens. *Stultus enim* Pharisæus *fatua loquetur*, spiritu vero destitutus, *& cor eius faciet iniquitatem*, labijs me honorans, sed intùs plenus spurcitia sepulchrali, proùt de Pharisæis dixit Christus, *vt perficiat simulationem,* quam retinet, *& loquatur ad Dominum fraudulentèr* aliud gerens in animo, *& vacuam faciat animam esurientis* discere optantis, *& potum sitienti auferat,* quod illi faciebant, non intrantes, nèc alios intrare permittentes; sic & de Philosophis Paulus Rom. 1. *Fraudulenti vasa* instrumenta *pessima sunt* ad destruendum parata: *ipse enim* fraudulentus *cogitationes concinnauit ad perdendos mites* humiles *in sermone mendaci* blando, dulci, & captiuante *cùm loqueretur pauper* Christus *iudicium* veritatem, pro qua venerat; Vel *pauper* in iudicio staret ad defensam suorum iurium. *Princeps verò*, Messias *ea quæ digna sunt principe* vera, & immaculata *cogitabit, & ipse supèr duces* sibi inferiores *stabit* firmus in vera doctrina; rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquandò conuersus confirma fratres tuos. *Mulieres* compatientes, ideò ad eas dirigit sermonem, at sub his fortè Ciuitates Iuda, quia multa infrascripta non congruunt illis, de Rachele nolente consolari, *opulentæ surgite* cauentes vobis ab illis seductoribus, *et audite vocem meam, filiæ confidentes*, nùnc in verbo mendacij, *percipite auribus eloquium meum* verax. *Pòst dies enim, et annum* paruum temporis spatium, etsi fuerit multorum sæculorum, quia mille anni ante Deum, tanquàm dies hesterna, quæ præterijt: vide scripta Gen. 49. *vos conturbamini confidentes* in mendacio ab exercitu Romano, hæc enim pòst aduentum Messiæ, & quia agitur de maxima clade, & tùnc *consummata est enim vindemia, collectio* vindemiæ *vltrà non veniet* nisi in fine mundi, interim nulla spes, nisi pro paucis Iudæis conuertendis. *Obstupescite opulentæ* ad ruinam *conturbamini* in vobis *confidentes* malè: *exuite vos*, nuditate mœstitiam ostendite, *& confundimini*, proùt mœrentes, & pœnitentes, *accingite lumbos vestros* cilicijs, vel saccis *supèr vbera*, filios vestros lactantes, quod solet ad maiorem commotio-

tionem esse, *plangite*, hinc Christus: beatæ steriles, &c. *supèr regione desiderabili* vastanda, & pessumdanda, *supèr vinea fertili*, Domini Sabaoth ab ipso plantata *supèr humum populi mei* Hebræi, melle, & lacte abundantem, nèc potest dici *supèr humum*, idest templum, quia illud non importat, & ad totam terram hæc referuntur; *spina, & vepres ascendent*, &c. ex quibus denotatur magna vastitas futura, sicùt Dauid in Ammonitas, 2. Regum 12. 31. & Gedeon. Iudic. 8. 16. *quantò magìs supèr omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?* vestræ, quas dixit opulentas, hæ enìm exultare solent, & in quibus non decet, vel occasione gaudij peccantes; ideò tantò magìs dignæ flagello, hæc autèm in Ierusalem regia, & sic sermo ad mulieres Ierusalem. Non placet distinctio, prima ad decem tribus, hæc ad duas; nàm in toto cap. non fit hæc distinctio, minus hic, cùm egerit in superioribus de tota Palæstina, & toto populo comprehenso sub regionis vineæ, humus vocabulis, at quod in his verbis de Ierusalem, apparet, quia subdit *Domus enìm* Ierusalem *dimissa est, multitudo vrbis relicta est: tenebræ* ignorantiæ, & cœcitatis, *& palpatio* etiàm in meridie *facta sunt supèr speluncas* habitationes sacras adita templi *vsquè in æternum* ad vltima tempora iudicij, quia diruentur à Romanis, & ampliùs non reædificabuntur, & in fine tantùm reliquiæ venient ad fidem. *gaudium onagrorũ* syluestrium erunt, quæ nùnc sunt, *pascua gregum* domesticorum, *donèc effundatur supèr vos* Iudæos *spiritus de excelso*, a quo trahamini ad Dei cognitionem veram, quod erit in fine mundi: similis phrasis 2. Reg. 21. 10. & Dan. 14. 30. sic: spiritus Domini supèr me, eò quòd vnxerit me, &c. & habetur Acto. 2. 10. & emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. *Et interìm erit desertum* gentilitas *in Charmel*, in Iudæa fertili, *& Charmel* Iudæa *in saltum* lucum obscurum *reputabitur*; erit, sic & suprà cap. 29. vndè non placent intelligentes hæc de reditu à captiuitate Babylonica, quasi inuenturi sterilia, quæ fertilia, & è contrà, nàm potiùs agitur de diuitijs, vt dixi. Minus placet de qualitate diuitum, & pauperum, quia verba non aptantur, nequè factum, cùm in libris Esdræ appareat differentia primorum, & inferiorum. *Et habitabit in solitudine*, olim gentilitatis *iudicium* veritas, & Scriptura, & operatio, *& iustitia in Charmel* gentilitatis, quæ tùnc in Charmel translata erit, *sedebit* firma, & immobilis, *& erit opus iustitiæ pax*, quæ ibì erit ex mandatorum obediẽtia proueniens, *& cultus iustitiæ silentium*, quies, vndè non dicas *silentium*, idest in silentio, non faciens opera, vt videat, ab hominibus, id enìm non aptatur, *& securitas vsquè in sempiternum*, quia non dabitur alia lex, vel status: hæc omnia à Messia, qui dictus rex pacificus, *& sedebit populus meus* fidelis *in pulchritudine* optabili *pacis*, *& in tabernaculo fiduciæ* in Domino, *& in requie opulenta* amplissima, *grando autèm in descensione saltus* in Iudæa in saltum conuersa, vt suprà, & cap. 29. *& humilitate humiliabitur ciuitas* Ierusalem olim sedes pacis, & iustitiæ, & iudicij. *Beati qui seminatis*, euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, *supèr omnes aquas* populos Apocal. 17. in omnem terram exiuit sonus eorum, *immittentes pedem bouis, & asini*, ad omnes labores vos aptantes, de quibus per Paulum in epistolis; sic quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona; & per *pedem* firmitatem intellige, vt in Apoc. dictum, de qua apparet in Apstolis in Act. non possumus quæ audiuimus non loqui: obedire oportet Deo magìs, quàm hominibus: ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, &c.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

VAe qui prædaris, (Sennacherib) omnes seruitutes populi Hebræi, *nonnè & ipse prædaberis?* quasi idem de te fiet, & sic contigit omnibus insurgentibus contrà hunc populum, suprà cap. 17. & in fine. & 29. 7. 8. *& tu, qui spernis* Deum, & alios, *nonnè & ipse sperneris?* quod contigit in cæde eius exercitus, & ipsius per filios: *cùm consummaueris deprædationem,* quam Deus tibi permisit, *deprædaberis* & tu per Angelum: *cùm fatigatus fueris contemnere,* quod constat ex missis ad Ezechiam *contemneris* & tu facto insigni ad internecionem, *Domine miserere nostri,* in tanto periculo Sennacherib potentis constitutorum, *te enim expectauimus,* in te confidentes. *Esto brachium* potentia, auxilium, protectio: fecit potentiam in brachio suo, &c. *nostrum in mane,* diebus singulis, citò, proùt illud: Domine ad adiuuandum me festina, *& salus nostra in tempore tribulationis* huius magnæ; at ex tua misericordia id facies: nàm *A voce Angeli* percutientis exercitum Sennacherib, *fugerunt populi* superstites à cæde; hinc falsum, quod decem tantùm superstites fuerint cùm rege, *& ab exaltatione tua,* manuum tuarum ad punitionem, sic suprà cap. 26. 12. Domine exaltetur manus tua, & 31. 3. Dominus inclinabit manum suam, quæ priùs exaltatur ad percutiendum, *dispersæ sunt gentes,* quæ cùm eo erant. *& congregabuntur spolia vestra,* ò Assyrij, *sicùt colligitur bruchus* infestus, omnia deuorans, *velut cùm fossæ plenæ fuerint de eo,* quasi in cumulis, in fasciculis, seù manipulis, in magna multitudine, proùt cõtigit. *magnificatus est Dominus,* sic in Aegyptijs euersis Moyses in cantico: gloriosè enim magnificatus est, *quoniàm habitauit in excelso,* quia potens, quis enim sicùt Dominus Deus noster, qui in altis habitat? ideòque ei resisti non potest, *impleuit Sion,* Jerusalem *iudicio, & iustitia* in destructione exercitus Sennacherib, pœnas sumens de impio. *Et erit* (ò Sion) *fides in temporibus suis* venturis in Deum, quam concipies ex eo, quod sicùt promiserat, saluauerit Ierusalem, *diuitiæ salutis,* salutares, caussæ salutis, quæ nobis salutem hanc fecerunt, *sapientia & scientia* mandatorum Dei, quæ tùnc tempore Ezechiæ apparuerunt, *timor Domini ipse thesaurus eius,* in quo seruantur omnes virtutes, proùt ignis sub cinere absconsus; sic initium sapientiæ est timor Domini. Salus igitùr Sionis à Sennacherib fuit, *sapientia, & scientia, & timor Domini. ecce videntes* tantam cladem 185. millium in vna nocte *clamabunt* præ stupore, *foris,* extrà Ierusalem, vbi apparebit, & facta est. ideò hæc ad superstites exercitus Sennacherib referenda, vt & sequentia, *Angeli* nuncij *pacis,* qui mittebantur à Sẽnacherib hortantes ad deditionem *amarè flebunt* rebus desperatis, dùm ipsi victoriam repromittebant; & videtur aptiùs hæc referri ad viros Sennacherib, contrà quem agitur, quàm ad viros Ierusalem, seù Ezechiæ, cùm agatur pro eis de lætis: & nimirùm si contrà Sennacherib sœuitum, quia per eum hæc mala patrata. *Dissipatæ sunt viæ,* & Ieremias: viæ Sion lugent, &c. At nota, auxilium venit à Domino, quandò præ multitudine cæsorum à Sennacherib etiàm vias passas dici poterat, quod xplicat, quia *cessauit transiens per semitam,* mos est enim Dei differre ad extrema, & quandò nullum suppetit remedium, vt recognoscantur ab eo auxilia, vt alibi sæpè notaui, *irritum factùm est pactum* per eũdem, 4. Reg. 18. 15. cum seqq. sic contrà Sedeciam. profanum dictum, qui non seruauit pacta cùm Nabuchodonosor. Irritatio pacti non video, quomodò vel Deo, vel populo applicari possit, cùm continuatè agat de Sennacherib referendo mala per eum patrata, & id habemus expressum 4. Reg. 18. *proiecit ciuitates* Iuda, *non reputauit* nihil fecit *homines* Iuda, spreuit omnes ex superbia. *Luxit, & elanguit terra* Iuda, sic oppressa, quam describit per partes: *confusus est libanus, &*

possis intelligere disertitudinem longinqua eius, in quo nulla est sapientia, hoc non grauaberis, nè timeas. *Respice* (tu vir iustus) ad quem sermonem interruptum reuocat, *Sion ciuitatem solemnitatis nostræ,* quā experimus Ecclesiam Catholicam, & obliuiscere Synagogæ, *oculi tui videbunt Ierusalem,* Ecclesiam, *habitationem opulentam,* gratijs; *tabernaculum* fixum; alludit ad tabernaculum Moysis portatile, *quod nequaquàm transferri,* moueri *poterit, nèc auferentur claui eius* illud infigentes; *in sempiternum;* coniungetur enim cùm cœlesti *& omnes funiculi eius* illam ligantes. *non rumpentur quia ibi solummodò magnificatus est Deus noster,* illum protegens, gubernans, stabiliens *locus fluuiorum riui latissimi, & patentes* exuberantes ibi sunt, ex quibus profluunt charismata, auxilia, gratiæ, fauores, qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, *non transibit per eum* locum *nauis remigum,* dæmonum, *neque trieris magna* quæuis potestas eius; *transgredietur eum,* portæ enim inferi non præualebunt aduersùs eam. *Dominus enim iudex noster,* qui erit pro nobis contra diabolum *Dominus legifer noster,* non alius, proùt in lege antiqua Moyses, cuius iugum suaue, & onus leue erit, *Dominus rex noster,* ducens nos, pro nobis pugnans, nos gubernans, & redimens, *ipse saluabit nos,* moriens pro nobis, nostri misertus,& quem ipse saluat, quis condemnabit? Roman. 8. hinc duratio Ecclesiæ militantis; nec video, quomodò ad triumphantem, seù cœlestem hæc applicentur; *laxati sunt funiculi tui,* tabernaculum tuum retinentes (ò Synagoga) ideò non eris firma,deficies, *& non præualebunt,* non stabunt, *sic erit malus tuus in naui, vt dilatare signum non queas;* expandere vela. *Tùnc* tempore Messiæ, & Ecclesiæ *diuidentur spolia prædarum multarum,* charismata, & gratiæ, de quibus suprà, & tùnc *claudi* Gentiles credentes, *diripient rapinam;* cœlum enim vim patitur, & violenti rapiunt illud ex Christo, sic & suprà cap.32. *nèc dicet vicinus, elangui,* infirmus sum, viribus destitutus, *populus, qui habitat in ea* Ecclesia per fidem, & opera *auferetur ab eo iniquitas* mundabitur,ad sanitatem reducetur; non video, quomodò hæc ad Sennacherib applicentur,videntur enim longè distare.

CAPVT XXXIV.

ACCEDITE *Gentes, & audite,& populi attendite,* &c. omnes vocat visuros horribilia quæ sequuntur, sic & suprà cap.33.13 audite, qui longè estis. *Quia indignatio* ira *Domini supèr omnes gentes, & furor supèr vniuersam militiam eorum* in qua confidunt, *interfecit eos, & dedit eos in occisionem,* de multitudine subijcit clarè *interfecti eorum proijcientur* insepulti, & de *cadaueribus eorum ascendet fœtor* præ multitudine *tabescent* tabescere videbuntur, *montes à sanguine eorum* hoc ad stragem magnam denotandam, *Et tabescet omnis militia cælorum,* quia sol, luna, stellæ non dabunt splendorem, *& complicabuntur sicùt liber cæli,* quia sicùt liber complicatus inutilis, itá ipsi inutiles, vt alibi dixi, præsertim Apoc. 6.& 2. Pet.3. Et in Euang. cap. 135. Adamus hic, sed vberiùs Cornelius à Lapide, erunt signa in sole, luna, & stellis; & Psal. 101. & velut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, *& omnis militia* stellæ *eorum defluet sicùt defluit folium de vinea, & de ficu,* sic in Euang. & Apoc. 6. hæc omnia, quia tristibus, & afflictis hæc contingunt, & vt magnitudinem re ostendat, assumit maiora in fine mundi apparitura, sic & suprà cap. 13. Ierem. 4. Ioel. 2. Ezech.32. *Quoniàm inebriatus est* ira etiàm *in cœlo,* militia cœlesti, orbibus illis ex peccatis hominum contaminatis optantibus renouari Rom.8. Vel *in cœlo,* in quo stans iniurias ab hominibus passus sum; vel *in cœlo,* in quo sic statuì, & à cœlo venientia magis timemus; sic Paulus Rom. 1. 18. reuelatur enim ira Dei de cœlo *gladius meus* ad vindictam

dictam nùnc paratus; non dicas *in cœlo* idest in aere dæmones, in aereo cœlo stantes, quia id reprobaui Ephe. 6. & 1. Cor. 2. vltrà quod hìc agit de hominibus puniendis; *eccè supèr Idumæam descendet* gladius, *& supèr populum interfectionis meæ* interfectioni destinatum *ad iudicium* exercendū, ergò ad particulare, non vniuersale; à verbis enim claris non est discedendum *gladius Domini repletus est sanguine* ob cædes multas, *incrassatus est adipe de sanguine agnorum, & hircorum: de sanguine medullatorum arietum* hæc, vt doceat cædem maximam, *victima* cædes *enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom*, Idumæa, explicat interfectionem indifferentem tàm in magnis, quàm in paruis, *& descendent vnicornes*, magni, potentes *cùm eis* interfectis, *& tauri cùm potentibus: inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium*, hæc ad multitudinem denotandam, *quia dies vltionis Domini*, quam sibi reseruauit, dùm distulit inferre pœnas, expectans ad pœnitentiam, *annus retributionis iudicij Sion*, quo retribuetur Ierusalem iuxtà sua mala opera. Vel *annus retributionis iudicij* pro *Sion*, & is melior intellectus, quo Deus faciet contrà Idumæos iudicium retributionis pœnarum, pro *Sion* Ierusalem, contrà quam ipsi malè se gesserunt, & tùnc Idumæa strictè colligetur pro illa regione, quam designat, non pro toto mundo, & sic etiam verba in principio capitis generalia strictè ad eamdem, & verè quæ sequuntur, non videntur aptari ad finem mundi exurendi, incinerandi, & illicò renouandi, quo tempore nullum animal, nullum mistum inuenietur, nèc tùnc erit rex, qui inuocetur, nisi descēdamus ad hoc, omnia sic describi, non quod futura sint in veritate, sed ad ostendendam vastitatem, & turpitudinem, & miseriam, quam in regionibus desertis, & distractis videmus, vt ex hoſtū, quæ videmus, repræsentatione, de illa conijciamus: at obstat vers. 4. *& tabescet*, &c. Sed posset dici ad maiorem cladem demōstrandam adduci quæ in iudicio fient, quod alibì obseruaui, non quod verè tùnc in Idumeæ destructione sint futura; Sed nullo modo videtur posse dici de Ierusalem destructione, quia esset transitus ab Idumæa, vel à toto mundo ad illam, qui non videtur congruere, cùm potiùs videatur eamdem materiam prosequi. *Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem*, omnia in vstionem. *Nocte, & die*, &c. prosequitur eamdem desolationem. *Et possidebunt*, &c. ad ostendendum illam desertam iri, proùt Apocal. 18. de Babylone: *& extendetur supèr eam mensura, vt redigatur ad nihilum & perpendiculum in desolationem*, sententia Domini irreuocabilis. vide Albam cent. cap. 36. *Nobiles eius non erunt ibì*, qui solent ciuitates famosas, & spectabiles reddere, vel qui eis succurrere solebant, vel non æstimabuntur: *regem potiùs inuocabunt*, & ipsi eo indigentes omne auxilio destituti regem desiderabunt, & quærent pro eorum liberatione, sic suprà cap. 3. *& quia omnes principes eius erunt in nihilum* impotentes, hæc vt ostendat nullum auxilium adfuturum, *& orientur*, &c. omnia ad denotandam vastitatem, vt Apoc. 16 *requirite diligentèr in libro* hoc *Domini* à Domino procedente, *& legite: vnum ex eis* à me prædictis, *nō defuit, alter alterum non quæsiuit*, quasi non certum, omnia enim contigerunt *quia quod ex ore* meo procedit *ille* Dominus *mādauit: & spiritus eius ipse congregauit ea* animalia, *& ipse misit eis sortem* distribuit sic, *& manus eius* potentia *diuisit illis in mensuram, vsquè in æternum possidebunt eam, in generationem, & generationem habitabunt in ea*, erit perpetua, ad longum tempus desolatio, & vastitas.

Qui dicunt Idumæam, & Edom intelligi pro Roma, quæ solent pro gentilitate capi, cuius caput Roma, habent pro se Apoc. 17. & 18. vbi multa similia dictis in hoc cap. sub typo Babylonis, tamèn puto interpretationem hanc satis alienam.

At videtur posse sub Idumæa intelligi Ierusalem, quia dicitur etiàm Sodoma, & Aegyptus Apocal. 11. 8. sic & Roma sub Babylone, & Principes Iuda dicuntur principes Sodomorum, & Gomorrhæ, & similia multa adduci possent: hoc enim de industria faciunt prophetæ, nolentes se clarè explicare, quia non expediat; & cōfirmatur,

quia

quia nedùm dicitur *supèr Idumæam descendet, sed & supèr populum interfectionis meæ ad iudicium;* quæ possunt referri ad necem Christo à Iudæis illatam, & ad maiorem expressionem vers. 8. dicit, *quia dies vltionis Domini* ob mortem illatam Christo *annus retributionum iudicij Sion*, quæ tantùm malum patrauit: nequè aptatur tot in Idumæam congeri, quia malè se habuit cùm Hebræis, vel de illa simplicitèr tanta proferri, quæ nequè secuta sunt in ea, sed benè contrà Ierusalem per Romanos, pòst quorum cladem alia superuenerunt hìc descripta, & à subsecutis melius intelligimus prophetias, & quia datur Idumæa pro exemplari omnibus populis vocatis; & hoc magìs congruit Ierusalem dilectæ, quasi si hoc Ierusalem meæ, quid alijs facturus sum? Congruit & immediatè subsequens cap. 35. 3. 5. 24. 29. & 30. Et Edom, seù Idumæa pro Ierusalẽ ponitur cap. 63. At hæc omnia pro discursu, non enim firma sunt, & tolluntur ex iàm dictis, & quia contrà Idumæam agitur, non contrà Ierusalem.

CAPVT XXXV.

LAETABITVR, euersa Ierusalem pòst Messiæ aduentum, & mortem *deserta, & inuia, & exultabit solitudo* gentilitas in vna Ecclesia Catholica, sìc descripta in tenebris, & deserto ignorantiæ Dei, & peccatorum sedens, vt etiàm suprà in alijs capit. dixit, & infrà, nequè hìc de Idumæa, *& florebit quasi lilium*, òrnata fide, spe, charitate, & omnibus virtutibus, gratijs, charismatibus. *Germinans germinabit* maximè fœcunda erit, multi enim filij desertæ magìs gentilitatis, quàm eius, quæ habebat virũ, Synagogæ. *& exultabit lætabunda, & laudans* in Domino: *gloria* maiestas in regno, sacerdotio, & alijs consistens, *Libani*, florentis, *& decor Carmeli, & Saron data est ei* in eam, ab Hæbræis, apud quos erant translata iuxtà prædictionem Christi, auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum eius, *ipsi videbunt* per fidem credentes, nàm & beati nedùm qui viderunt iuxtà illud, beati oculi, qui vident quæ vos videtis, sed etiàm qui non viderunt, & crediderunt *gloriam Domini, & decorem Dei nostri* Messiam, omne bonum Exod. 33. 18. 19. *Confortate* (ò Hebræi) *manus* vestras *dissolutas* fessas, ad opus imparatas, leuantes eas puras ad Deũ, *& genua debilia* laxata, vt in Baltassare Dan. 5. *roborate* dùm hæc videritis, nolite animo despondere, sed state fortes in fide: sic & Paulus ad æmulationem prouocabat suos, Roman. 10. ad æmulationem potiùs prouocemini, & vos etiàm ad fidem Christi accurrite. *Dicite pusillanimis* nedùm vos, qui intelligetis, facite quod dixi, sed & pusillis, & despectis dicite, annunciate: *confortamini, & nolite timere*, quasi abiecti penitùs, hæc potiùs ad Hebræos, quàm ad gentiles, tùm quia dicit eorum *manus dissolutas, genua debilia pusillanimis*, quæ gentilitati credenti tùnc non conueniunt, tùm quia subdit, *eccè Deus vester*, qui tùnc, dùm loquitur, Hebræorum dicebatur, non gentilium *vltionem adducet retributionis* in se ipso, quam mœrebantur peccata omnium hominum, vt omnes saluentur. Vel *vltionem retributionis adducet* contrà vos morti Messiæ machinatos, & hìnc sciatis hãc mutationem gentilitatis, & Synagogæ prouenire; At *Deus ipse veniet*, & morietur pro omnibus, etiàm suis crucifixoribus, *& saluabit vos* ad eum conuersos, & vt sitis certi de tẽpore, non erretis, prædico *Tùnc* tempore Messiæ, *aperientur oculi cæcorum*, &c. omnia intellige corporalitèr, & spiritualitèr, proùt infrà cap. 42. 7. vide Matth. 11. Luc. 7. & quos corporalitèr sanabat, etiàm spiritualitèr sanabantur ex Augustino, *quia scissæ sunt in deserto* gentilitatis *aquæ, & torrentes* flumina *in solitudine* eiusdem: flumina de ventre eius fluent, dicit Christus, quia supèr eam ceciderunt omnes gratiæ, charismata, catharactæ cœlestes omnium bonorum ad Genes. 7.

Et quæ erat arida gentilitas *erit in stagnum*,

gnum, *& sitiens in fontes aquarum* salientium in vitam æternam, Ioan. 5. idem dicit per diuersa ad explicandam maiorem gloriam. *In cubilibus* animabus, *in quibus priùs dracones* dæmones ab illis culti *habitabant* sedem fixerant, dominabantur, principabantur, *orietur viror calami, & iunci* omnium virtutum candor. *Et erit ibi semita, & via*, per quam ambulandum ad veram doctrinam, & fidem amplexandam: ego sum via, veritas, & vita, *& via sancta* immaculata, sinè ruga *vocabitur*, erit: *non transibit per eam pollutus*, hoc ad docendum sanctitatem, & puritatem viæ. Vel *pollutus*, qui eam polluat, nàm Ecclesia sempèr retinebit veritatem, nèc vmquàm contaminabitur, *Et hæc erit vobis* (ò Hebræi) *directa via, ità vt stulti non errent per eam*, erit via infallibilis, qua nemo erret, hinc Ioannes: dirigite vias vestras, rectas facite semitas vestras. *Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nèc inuenietur ibi*, nedùm erit via facilis, sed etiàm tuta à quibusuis etiàm dæmonibus, qui non poterunt contrà Ecclesiam præualere, *& ambulabunt qui liberati fuerint* à peccato, & à captiuitate diaboli per mortem Messiæ, quasi homines liberi, mūdi à sordibus; ità vt eò magis sancta sit, *& redempti à Domino*, Messia *conuertentur* ad eum, *& veniēt in Sion*, Ecclesiam Catholicam *cùm laude* laudantes, & gratias agentes Redemptori, vt suprà vers. 2. Vel postmodùm in Ecclesiam triumphantem, vbi laudatur Deus Deorum in Sion Apocal. 6. & per totum, quod melius est, vndè pro illa subdit, *& lætitia sempiterna supèr caput eorum* fruētes beatitudine, *gaudium, & lætitiam obtinebunt* possidebūt, *& fugiet dolor, & gemitus*, absquè dolore, & gemitu, hæc enim non miscebuntur, sed gaudia erunt pura, vera, æterna, vt & in Apocal. cap. 21. & 22.

CAPVT XXXVI.

ET *factum est*, &c. recitat hanc historiam, nedùm quia sui temporis, & prædictam ab eo, sed etiàm, vt Hebræi maiorem fidem adhibeant suis dictis, & prophetijs cæteris. *Et misit rex Assyriorum* ad alia ipse diuertens iuxtà Iosephum, *Rabsacen de Lachis in manu* potestate *graui* potenti: eccè Angeli, de quibus cap. 32. *& stetit* Rabsaces *in aquæductu, &c. Et ingressus est ad eum Eliacim filius Helciæ*, de quo suprà cap. 22. *Et Sobna scriba* is ex officio videtur diuersus ab illo, de quo cap. 22. tamèn quia tempora concurrunt, & identitas nominis, videretur contrarium dicendum, quia pluralitas, vel diuersitas nō præsumitur. at quomodò is ille malus à sancto rege domi tentus, & ab eodem missus, nèc appareat de aliqua machinatione, nèc tradita fuerit Ciuitas, sed miraculosè liberata? *& Ioahe*, &c. missi à Rege Ezechia acturi cùm Rabsace. *Et dixit ad eos Rabsaces: quæ est ista fiducia?* &c. rebellauerat enim Ezechias contrà regem Assyriorum, & non seruiuit ei, 4. Reg. 18. 7. tota oratio est ad depressionem virium Ezechiæ, & exaltationem Sennacherib. *Eccè confidis supèr baculum arundineum, supèr Aegyptum*, mendacium erat, & nouerat se mentiri; quia iàm Sennacherib duxerat exercitum contrà Pelusеum terram Aegypti; sed hoc dicebat, quatenùs ad auxilium illud aspirasset, & ad exhauriēdum eorum consilium. *Quod, &c. in Domino Deo nostro confidimus, nonnè*, &c. hoc etiàm argumentum malè fundatum, cùm Ezechias rectè fecisset, at ipse in mendacio nugas suas fundabat, vel quærebat omnes eius cogitationes ab eo præsumptas eneruare. *Et nùnc trade te Domino meo*, &c. & tùnc cognosces quæ sint vires tuæ; quàm fragiles; nàm *& dabo tibi duo millia equorum, nèc poteris ex te* tuis *præbere ascensores eorum*, quod procedebat ex iussu Dei Deut. 17. hoc etiàm dictum ad eneruanda consilia: *& nùnc numquid sinè Domino ascendi ad terram istam, vt disperderem eam?* &c. hoc etiàm forte argumentum, cui non credidit etiàm Iosias fortè hoc falsò edoctus 2. Paralip. 35. 21. vndè excusandus si non audiuit

diuit, sic dicebant serui Dauid suadentes occidere Saul, 1. Reg. 24. 5. & 26. 8. *loquere ad seruos tuos Syra lingua*, quia Rabsaces loquebatur Iudaicè. Dicunt aliqui Iudæum fuisse, at id tollitur, quia non dedecet hominem habere plurium linguarum scientiam, præsertim ducem exercitus; & hi missi ad eum ab Ezechia dicuntur callere linguam Syram. Alij filium Isaiæ, at vndè hoc, ignorant, immò reliquus tantùm vnus filius erat Isaiæ Iasub, Isa. 7. 3. *nè loquaris ad nos Iudaicè in auribus populi, qui est supèr murum*, at meliùs erat populo indicere secessum, sed fortè non expediebat, quia turbabatur illum, vel semotis arbitris agere cùm Rabsace; discant milites, & reges: *numquid*, &c. certior factus Rabsaces, cur id vellet, & contrarium officio suo deseruire, clamat, vt meliùs populus intelligat, & ad defectionem inducatur, & ad eos terrendum subdit, *vt comedant stercora sua, & bibant vrinam pedum suorum nobiscum*, quæ duo intolerabilia obsessis: *facite mecum benedictionem* liberalitèr mecum agite vos dedendo, *& comedite*, &c. absquè aliquo metu, id enim important hæ phrases, vt alibi, præsertim Gen. 49. *Numquid liberauerunt*, &c. hæc adducit ad populum facilem ad mutationes, & vt auferat ab eis omnem fiduciam, *nè respondeatis ei*, non vt blasphemet, sed nè irritetur, præsertim quia dicere poterant, Dominus tuus est fœdifragus ad 4. Reg. 19. & quia fuissent verba ventosa, *scissis vestibus*, quia erant in maximo timore pòst auditum Rabsacen, & ad ostensionem doloris cùm rege suo, de cuius statu agebatur, vel quia audierunt blasphemias Rabsacis.

CAPVT XXXVII.

E*T factum est, cùm audisset rex Ezechias, scidit vestimēta sua, & obuolutus est sacco* more mœrentium, & pœnitentium, vt Mardochæus, Niniuitæ, & alij, *& intrauit in domum Domini*, ad orationē, *& misit*, &c. *opertus saccis* ad magis cōmiserendum, *ad Isaiam, dies tribulationis*, &c. non potest exprimi maior dolor, quàm mulieris in doloribus positæ, conantis partum emittere, *ad blasphemandum Deum viuentem*, nouerat his moueri Deum, vt 3. Reg. 20. 28. de Syris dicentibus Deum esse montium, idem factum contrà Pharaonem, *leua ergò* ad Deum *orationem*, sìc leuantes puras manus *pro reliquijs, quæ repertæ sunt*, quæ sunt in Ierusalem, & Iuda à tot cędibus Sennacherib, *eccè dabo ei spiritum* timoris, proùt pro Iacob in Ciuitates, Gen. 35. 5. ideò subdit, *& audiet nuncium, & reuertetur ad terram suam*, hac prima vice, sìc egit Dominus cùm Saul, vt liberaret Dauid circumseptum ab eius exercitu 1. Reg. 23. 27. & nuncius venit ad Saul dicens, festina, & veni, quoniàm infuderunt se Philistijm supèr terram. *Et* secunda vice amisso exercitu, *corruere eum faciam gladio in terra sua*, *misit nuncios*, &c. *& tulit Ezechias libros* litteras *de manu nunciorum, expandit eos* continentes blasphemias *coràm Domino* ad illū prouocandū contrà blasphemantes, *qui sedes supèr Cherubim* supèr arcam, de hac intelligens, sic Psal. 98. qui sedes supèr Cherubim, manifestare, &c. *& cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus*, eccè quomodò optabat gloriam Dei, ideò exauditus fuit: *despexit te, & subsannauit te*, cap. 33. 9. non reputauit homines; *virgo* mihi amica, & grata, sìc nuncupat, ostendens amorem, quo eam prosequebatur, solemus enim virgines magis deperire, quàm corruptas; non quia non fuerit idolòlatra, nàm à diebus Salomonis cœpta idolòlatria, non quòd non seruierit, nàm tributaria fuit, *filia* ad eamdem charitatem ostendendam *Sion, & pòst te caput mouit*, sìc solent subsannantes Psal. 22. deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput: & Matth. 27. 39. blasphemabant eum mouentes capita sua, *cui exprobasti, &c. ad sanctum* Deum Israel, non ad Deos, quos enumerasti, quasi ex hoc tibi malum instat, *in multitudine*, &c. sìc & Nabuchodonosor Dan. 4 nonnè

hæc est Babylon, &c. *numquid non audisti, quæ olim fecerim?* ad quæ opera cùm properauerim *à diebus antiquis* ab æterno *ego plasmaui* creaui *illud, & nùnc adduxi* hùc, *& factum est in conculcationem collium compugnantium* ad bella paratorum, *& Ciuitatum munitarum:* hinc cap. 10. Assur virga furoris Dei, suprà cap. 36. 1. quasi seruiuit mihi pro ministro, & pro flagello populi mei contumacis, non autèm fuit mentis meæ illum extollere, proùt superbè se extulit, hinc est, quia per eum flagellare institui, *Habitatores earum breuiata* contracta *manu,* vt solent pauidi, &c. *Habitationem*, &c. nihil enìm occultum Deo *superbia tua ascendit in aures meas*, sic clamor Sodomorum, &c. clamor sanguinis fratris tui, &c. *ponam ergò circulum*, &c. more bestiæ tecum agetur, proùt cùm Nabuchodonosor superbo Dan. 4. *comede hoc anno*, &c. ò Ezechia, prædicit Deus durationem obsessionis, & prouidet obsessis, & liberationem futuram narrat: hinc certum tùnc exercitum Sennacherib non fuisse dissipatum per Angelum, sed in principio tertij anni. *Et mittet in quod saluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum est* à gladio Sennacherib *radicem deorsùm* stabilem, *& faciet fructum sursùm* multiplicabit, *quia de Ierusalem exibunt reliquiæ* quæ saluabuntur, *& saluatio de monte Sion,* qui conseruabitur, & alijs ciuitatibus destructis auxilio erit; Vel typicè, quia de illa salus, Messias oriundus omnes redempturus; hinc Christus: ex Iudæis salus est, Ioan. 4. & ob Messiam salui: *Zelus* charitas, dilectio *Domini exercituum faciet istud* suo potenti brachio, *& protegam ciuitatem istam, vt saluem eam proptèr me*, proptèr gloriam meam, omnia proptèr se operatus est Dominus, *& proptèr Dauid seruum meum*, qui hanc debellauit, elegit, ornauit; Vel typicè sub eo Messiam ex eo, seù Iuda oriundum, *egressus est autèm*, &c. dic principio tertij anni, vnit omnia, iàm enim Sennacherib redierat ad obsidionem Ierusalem, victo, vel eiecto Tharaca rege, *& surrexerunt mane,* qui remanserunt ex illo exercitu, *filij eius percusserunt eum gladio,* Tobiæ 1. & consequentèr factus est locus prophetiæ in omnibus.

CAPVT XXXVIII.

IN *diebus illis ægrotauit Ezechias vsquè ad mortem* infirmitate mortali, & pro grandi beneficio mittit ad eum Dominus significaturus mortalem infirmitatē Isaiam dicentem: *Dispone domui tuæ,* res tuas familiares compone, *quia morieris tu, & non viues* secundùm naturales regulas (hæc comminatio) *Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem* quasi ad secretum cubiculum, ad maiorem intentionem in Deum habendam, proùt Iacob conuersus ad lectuli caput, Genes. 47. 41. & Dauid, qui adorauit in lectulo suo 3. Reg. 1. 48. *& orauit ad Dominum & dixit: obsecro Domine, memento quæso, quomodò ambulauerim corā te in veritate* non fictè tibi seruiens, *& in corde perfecto*, quantum in me fuit, idem quod in veritate, iuxtà illud: nisi remiseritis vnusquisque de cordibus vestris, idest in veritate, non verbo tantùm, *& quod bonum est in oculis tuis fecerim*, hæc dicit non se extollens, vel de se ipso fidens, nàm etsi nihil sibi conscius, non tamèn iustificatum se nouerat, sed erigens se, & spem concipiens. *Et fleuit Ezechias fletu magno*, eccè quomodò in se ipso non confidebat, sed timebat; vel fleuit, quia Deus promiserat de semine Dauid Messiam nasciturum, & ipse absquè filijs moriebatur, & sperauerat filios suscepturū, ex quibus descenderet Messias, timebatq. ex suis peccatis id sibi contingere, quod in cantico clarius apparet, & hæc fuit solicitudo Dauid pòst peccatum Psal. 50. hinc fortè Ezechias refert hæc de se, nè defraudetur hoc bono adeò expectabili: hinc subditur: *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui*, in sua oratione nihil petit expresè, sed tacitè, quod ex cantico clarius apparet, vult sibi prorogari vitam, quicquid secùs ab alijs dicatur, hoc enim erat in votis:

Audiui

Audiui orationem tuam, et vidi lacrymas tuas, ex quibus motus ad misericordiam præter cursum naturalem ex mea potentia: *Eccè ego adijciam supèr dies tuos quindecim annos*, hinc euanescunt deliria Magorum ætates æstimantium ex constellationibus, in manu enim Dei sunt tempora, sortes nostræ: Vndè legitur Anastasio decoro Imperatori quatuordecim annos vitæ ademptos ob eius impietatem: causas, cur Deus dimidiet annos improborum, ponit S. Greg. Iob. 2. vbi Pined. vers. 16. vide Ezech. 21. *& de manu Regis Assyriorum*, etiàm in posterum; hinc infirmitas antè cladem ab Angelo factam *eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam. Hoc autèm tibi erit signum à Domino*, petijt ipse signum, & dedit ei Dominus optionem, quod hic non refertur, sed 4. Reg. 20. 8. at quàm distat Ezechias quærens signum, ab Achaz suo patre, petere nolente etiàm rogato, & hac de causa fortè immissum ei à Domino, vt signum peteret. *Eccè ego reuerti faciam vmbram linearum*, &c. de hoc dixi in libris Regum, & Iosue, Sed non vmbra tantùm in horologio Achaz, sed sol vbiquè reuersus est, vt hic clarè dicitur. Quæ esset tùnc hora. An solus sol retrocesserit, vel alij orbes simùl, Corn. q. 4. & 5. vide ad hæc Quiros ad hoc caput, vbi non in solo horologio, sed vbiquè miraculum apparuisse: hinc missi nuncij ad eum interrogantes de portento, contrà Mōtanum, *Ego dixi* in infirmitate mortali constitutus. qui longiorem vitam mihi promittebam, *in dimidio dierum meorum*, iuxtà solitum hominum cursum, annum agens 39. sic Dauid Psalm. 101. nè reuoces me in dimidio dierum meorum, ab Isaia ex parte Dei certus de morte instanti, *vadam ad portas inferi* moriar, in sepulchrum inferar, *quæsiui*, desideraui *residuum annorum meorum* nèc inueni, quia annunciatum mihi ab Isaia me morti proximum, *dixi* tùnc. *Non videbo Dominum. Deum in terra viuentium*, non ascendam ad templum amplius Deum adoraturus: hinc dictum ei, tertio die ascendes in templum Domini, 4. Reg. 20. 6. & ipse solicitus de hoc infrà versic. 22. Non credo hìc agere de Messia, quem multi Reges, & principes voluerunt videre, & audire, quia subdit: *Non aspiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis*, quam nùnc expectabam ex Dei prædictione liberatus à Sennacherib, quicquid dicant Recentiores, & Quiros supèr hoc cātico in primo intellectu *generatio mea* posteritas *ablata est. & conuoluta est à me*, vt inutilis, *quasi tabernaculum pastorum*, quòd ab eis recedentibus inuoluitur, & iuolutum ad nullum vsum aptum remanet, erat enim sinè prole. *Præcisa est velùt à texente vita mea: dùm adhùc ordirer*, in medio cursus essem *succidit me*, & sic sinè successore decedo; & mors imminet, nàm adeò angor infirmitate, vt de hac credam deficere: *de mane vsquè ad vesperam finies me. Sperabam vsquè ad mane*, non vltrà, morbus enim *quasi leo sic contriuit omnia ossa mea*, ità vt spem vlteriorem abstulerit: Vndè.

De mane vsquè ad vesperam finies me, vna tantùm dies restat. *sicùt pullus hirundinis sic clamabo*, clamabam flens ad Dominum, *meditabor*, meditabar in te fixus, & hærens, & misericordiam expetens, *vt columba* gemebunda.

Attenuati, fatigati, caligantes *sunt oculi mei suspicientes in excelsum*, expectantes auxilium à Domino, qui enim expectant auxilium, hàc, & illàc vertunt oculos, si appareat, & Dauid: defecerunt oculi mei, *Domine vim patior*, affligor nimis, vt videar mihi non posse vim morbi sustinere *responde pro me* succurre mihi, alleua morbum, defende me.

Quid dicam, at quid ego dico, *aùt quid respondebit mihi*, quomodò stabit pro me, *cùm ipse fecerit?* morbū hunc, pœnam hanc mihi inflixerit, non operabitur contrarium quod disposuit, recognosco à Deo malum; proùt Iob. 1. & 2. cap. sic Dauid, obmutui, & non aperui os meum, quoniàm tu fecisti. At quia peccatis premor, & hæc causa tot dolorum, scio quid faciam. *Recogitabo* recogitabam, *tibi omnes annos meos præteritos in amaritudine animæ meæ* in magna contritione peccatorum meorum, attribuens illis morbum à tè immissum, vt te placarem, hinc fleui amarè.

Domine si sic viuitur, vt misceas lætis tristia, hominumquè vitam ex his mistis cōponas,

ponas, *& in talibus* varietatibus *vita spiritus*, flatus *mei corripies me*, nùnc infirmitate hac, *& viuificabis me*, subleuabis me tādèm, sìc spero, de tua misericordia confisus; sperasse enim credēdum, quia exauditus est, dicit enim Christus; quodcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. at Domine præualent dolores, nàm & nùnc experior.

Eccè manifestum quod dico *in pace* mihi promissa ab Assyrijs *amaritudo mea amarissima* ex morbo. hucusquè quid in infirmitate pŏsitus ageret, nùnc de sanitate. Vel ab hoc vers. de salute sìc. *Eccè* tandèm *in pace* commutata *amaritudo mea amarissima*, ægritudinis, qua premebar, sed sequitur ad idē. *Tu autèm* tandèm placatus, misericors, compatiensquè mihi sìc afflicto, *eruisti* potentia tua *animam* vitam *meam* morbo cōfectam, vt non periret, *proiecisti pòst tergum tuum omnia peccata mea*, quibus premebar, & in morbo detinebar, vel pœnam, seù supplicium ex morbo inflictum; dedisti mihi spatium ad te laudandum.

Quia non infernus sepulchrum *confitebitur* in laudibus *tibi*, *nequè mors* mortui *laudabit te*, non mortui laudabunt te Domine, neq. omnes, qui descendunt in infernū, sepulchrum, proùt faciunt in templo tuo viuentes; & sìc mihi morienti contigisset. *non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam*, promissionis effectum, de liberando Ierusalem, & perdendo Sennacherib, proùt ego expecto, vel Messiam, quem expectabat, & expectari iubebat Iacob Gen. 49. & Dauid: expectabam salutare tuū Domine.

Viuēs viuēs ipse confitebitur tibi, *sicùt & ego hodiè* facio, sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino, &c. viuet anima mea, & laudabit te, vide Castr. Baruch. 2. & Sanct. & facient posteri, nàm *Pater notam faciet filijs veritatem tuam*, obseruantiam tuam, quam pepigisti, & sìc tu iustificaberis. vult enim Deus patres filijs propalare mirabilia sua, vt in Abraham, & alijs sæpè obseruaui, quasi, si mihi mori contigisset absquè prole, id præstare non potuissem, quod nùnc superstes faciam, & cedet ad gloriam tuam; sìc Dauid, Docebo iniquos vias tuas, &c. Psal. 50. *Domine saluum me fac*, conserua me, vt dixisti, vt possim hæc præstare, *& psalmos nostros cātabimus*, ego, & populus tuus, *cunctis diebus vitæ nostræ*, incessantèr, *in domo Domini*, in templo tuo, in quo adorari voluisti; & Dauid, In Ecclesijs benedicam te Domine; Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam coràm omni populo eius, in atrijs domus Domini in medio tui Ierusalem. *Et iussit Isaias*, &c. hoc præcedit, vt vers. 9. similitèr; *& dixit Ezechias*, &c. 4. Reg. 20.

CAPVT XXXIX.

IN *tempore illo* sanitatis, & portenti *misit Merodach libros*, litteras interrogantes de portento, quod acciderat supèr terram. 2. Paralip. 32. 31. *Lætatus est autèm supèr eum Ezechias*, sed & exaltatum est cor eius. 2. Paralip. 32. 35. & tùnc dereliquit eum Deus. 2. Paralip. 32. 31. *& ostendit eis*, &c. *vniuersa*, &c. *quid dixerūt viri isti*, &c. nouerat Isaias edoctus à Domino, sed vt ex eius ore omnia sciret, proùt Nathan cùm Dauid, Deus cùm Adam, & Cain. *eccè dies venient*, &c. prædictio captiuitatis Babylonicæ: *Bonum verbum Domini*. & Heli. 1. Reg. 3. 18. Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat. *fiat tantùm pax, & veritas* adimplementum promissionum circà Ierusalem, & Assyrium, non hìc de Messia, *in diebus meis*, sic & factum cùm Achab 3. Reg. 21. 29. non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius; nàm & placatum Dominum dicitur 2. Paralip. 32. 26. non ex ostensione rerū mala prædicuntur Ezechiæ, sed ex eleuatione cordis eius; de rebus autèm sermo infertur, quia illa expilanda, & transferenda.

CAPVT

CAPVT XL.

CONSOLAMINI, *consolamini* (redit ad Messiam pòst Assyriorum, & Babylonicorum clades, & captiuitates) *popule meus, dicit Deus vester*, curam vestri gerens. *Loquimini ad cor Ierusalem*, ità vt audiat, & intelligat; sic Oseas: ducam eam in solitudinem, loquar ad cor eius, imprimite cordi illius, vel loquimini ei placentia, *et aduocate eam* blandientes ei, vt omninò accedat, de summa enim rerum agitur, *quoniàm cōpleta*, deleta *est malitia eius, dimissa est iniquitas illius*, afflictio, supplicia, pœnæ per aduentum Messiæ redemptoris, nihil enim gratius, & suauius nuntiare potestis: *suscepit de manu Domini* potentis, & liberalis, & misericordis nullo alio merente *duplicia* magna, iuxtà illud Elisæi, fiat in me spiritus duplex, idest magnus *pro omnibus peccatis suis* delendis, pro quibus tot passa est, hinc Messiam spiritualitèr, non temporalitèr regnaturum; & hæc de spirituali, non corporali libertate intelligenda pro signo aduentus Messiæ, & bonorum horum sublimium, correspondens auditur dictis suprà *aduocate eam*, &c. *Vox* Ioannis Baptistæ præcursoris Messiæ *clamantis* clamans *in deserto*, in quo, vel circà quod (nàm dùm prædicabat, exibat Matth. 3. Luc. 3.) versatur ad populum inuitādum, & magis mouendum, peperit enim id quandam nouitatem, & admirationem. *Parate viam Domini* Messiæ aduentantis, *rectas facite* etiàm *in solitudine*, in qua inuiæ esse solent *semitas Dei nostri* pœnitentiam agite: hac diriguntur viæ Domini, quæ sunt ad saluandum mundum; appropinquauit enim regnum Cœlorum, quod à diebus Ioannis Baptistæ vim patitur, vndè nùnc vigilandum, expergiscendum. *Omnis vallis* pressus peccatis, tempore Messiæ *exaltabitur* subleuabitur, *& omnis mons, & collis* superbus, *humiliabitur, & erunt*, fient *praua*, distorta *in directa, et aspera*, dura, inuia *in vias planas*; hæc omnia spiritualitèr, & in genere, & per pœnitentiam, & gratiam Messiæ. *Et reuelabitur gloria Domini*; glorificabitur in his Deus, vel Messias, antè quem præcurret Ioannes Baptista, vox illa, *et videbit omnis caro* homo credulus, fidelis adimpletum, *paritèr quod os Domini locutum est* de Messia, & consolationibus, & prædictis; vel Messiam, seù salutare Dei iuxtà Euangelistas, apud quos vide. Hæc mihi videntur malè congruere libertati à captiuitate Babylonica. *Vox dicentis* iterùm ad me: *clama* & tu, vt omnes rem percipiant, & credant me hæc obseruaturum, & non reputent me quasi impotentem hominem, aut nolentem. *Et dixi, quid clamabo?* nonnè satis dictum? non sufficit vox illa, nonnè satis comprehendit? quid pluribus? non sufficit, sunt hæc nimis ardua, & necessaria, vt credant, dicas *omnis caro fœnum*, &c. *quia spiritus* ventus, &c. vult dicere omnis homo impotens, fragilis, caducus, mortalis, non valens, nec tutus in obseruatione promissorum, idemquè de me concipere posset, *Verbum autèm Domini nostri manet in æternum*, tutum est, irrefragabile, fidele, ex his subsequentibus ex opposito intelliguntur præcedentia; vult dicere, in hominibus posset considerari, & suspicari fallax esse posse, in Deo omnipotenti, immortali, secùs: sic Dauid, Omnis homo mēdax, solus Deus verax: Moyses, Deus fidelis, obseruans: Christus, Cœlum, & terra transibunt, verba autèm mea non transibunt: Dauid, ipsi peribunt, tu autèm permanes, & omnes sicùt vestimentum veterascent, tu autèm idem ipse es, & anni tui non deficient; sed adhùc non sufficit: *supèr montem excelsum*, vt omnibus audiaris, & intelligaris, quasi speculator *ascende tu, qui euāgelizas* bona hæc nuncias *Sion: exalta in fortitudine vocem tuam*, vt omnibus innotescat, *qui euangelizas Ierusalē, exalta*, clama, nè cesses: sic Christus. quæ audistis in cubiculis, prædicate supèr tecta, vide

Albam cent. capit. 37. *Noli timere*, dabitur enim tibi os, & sapientia, cui non poterunt resistere omnes aduersarij tui, coràm Regibus portabis nomen meum. *dic ciuitatibus Iuda*, in quibus salux tribus è captiuitate Babylonica transinigraturæ. *eccè Deus vester* adest, *eccè Dominus Deus in fortitudine veniet*, potentia magna debellaturus mundum, & dæmonem: vndè, ego vici mundum, & nùnc princeps huius mundi eijcietur foràs, hæc ad primũ, non ad secundũ aduentũ; nàm primũ præcucurrit Ioãnes, nõ secũdũ, qui Enoch, & Eliæ reseruatur Apocal. 11. Malach. 4. *et brachium eius* forte: fecit potentiam in brachio suo, dominabitur solus diabolo eiecto, *eccè merces eius cùm eo* daturus vnicuique secundùm opera sua: eccè merces mecũ est dare vnicuiq. secundũ opera sua: sic Deus cùm Abrahã, ego protector tuus, & merces tua magna nimis; quasi non indigebit alterius ministerio, & adiutorio, *et opus illius corã illo* in potestate sua operari, ponendi animã suam, & iterùm sumendi illam; hæc ad magnificentiam, & potentiam Dei, & Messiæ vsquè ad finem capitis. Vel *opus* redemptionis *coràm illo* rectè dirigetur sicùt *pastor* bonus, qualem se dicit Ioan. 10. *gregem suum pascet* pro eo vsquè ad mortem currens, *in brachio* potentia *suo congregabit agnos*, nè errent, *et in sinu suo leuabit* ex charitate, qua in eos mouebitur: sic Nathan de educante ouem cùm Dauid, & in sinu illius dormientem 2. Reg. 12. 3. *Fœtas ipse portabit*, nè abortiant, sic Iacob, & oues, & boues fœtas mecum, Genes. 33. 13. hæc omnia, quæ ad bonum pastorem cognoscendum accommodanda spiritualitèr, proùt Ioan. 10. Sunt hæc iàm dicta tàm grauia, tàm excelsa, vt non contentus dictis vers. 6. 7. 8. rursùs nitatur ea comprobare ex Dei omnipotentia, & operibus. *Quis mensus est*, &c. *in tribus digitis* potentia, virtute sua, cùm facilitate magna; sic Magi Pharaonis: digitus Dei est hic: & Christus, si in digito Dei eijcio dæmonia, *aùt consiliarius eius fuit?* sic. Paulus Rom. 11. 34. hinc Angelos non fuisse participes creationis habetur Genes. 1. *semitam iustitiæ*, &c. immò ipse homines docuit: hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob, &c. Baruch. 3. 37. Ioan. 1. *Eccè gentes* coràm eo *quasi stilla situlæ*, quæ effunditur, & ad nihil seruit, effusus sum sicùt aqua. *Et libanus*, &c. tantus est honor, & cultus Deo debitus, & tanta eius maiestas, & gloria: *quasi non sint, & quasi nihilum, & inane*, vide de hac phrasi Apoc. 17. quæ erat, & non est, ibi dixi. *Cui ergò similem fecistis Deum*, &c. quasi non credentes his mirabilibus annunciatis, putatis nè eum similem idòlis? at quis potest illius inuisibilis simulachrum repræsentare ad imaginem? *numquid non scitis?* quis ego sum *ab initio?* sub Adam: hinc infallibilitas scientiæ, quæ tùnc prodijt; *numquid non intellexistis fundamenta terræ?* a quo iacta? nonnè a Deo? is ille est. *Qui sedet supèr gyrum terræ* Dominus eam gubernans, & seruans; qui *dat secretorum scrutatores*, sapientes Philosophos *quasi non sint* coràm eo, hinc omnis sapientia à Domino Deo est, *dicit sanctus* Dominus natura, & sic laudatur Apoc. 6. *Leuate in excelsum*, &c. ex his me cognoscetis Rom. 1. Ionæ 19. Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare, & aridam, *præ multitudine virtutis eius* Dei, *nequè vnum reliquum fuit*, qui non obediat illi. *Abscondita est via mea à Domino, et à Deo meo iudicium meum transiuit?* quasi nõ curat nostra Deus, aut ignorat; *nũquid nescis, aut non audisti?* quæ sunt certa, & in ore omnium: respondet. *Deus sempiternus qui creauit terminos terræ*, hæc autèm subdit, nè ob præcessuras calamitates, & captiuitates recedant à fide promissorum eis bonorum. dicitquè omnia ipsum gubernare, & regere, & consequentèr illorum curam gerere *non deficiet*, quasi debilis, *nequè laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius*, alia vsquè ad finem capitis clara, *et non deficient*, libentèr faciet ea omnia, proùt Iacob, cui septem anni videbantur pauci præ amoris magnitudine. Genes. 29. 20.

CAPVT

CAPVT XLI.

TACEANT *ad me Insulæ*, &c. In capite præcedenti Deus vocauit ad cõsolationem Israelem ex beneficijs in eum conferendis, & præsertim ex aduentu Messiæ; & vt crederent, potentiam, & maiestatem suam insinuauit, & inanitatem idolorum, ac curam, quam gerit populi Israel præter eorum spem, & quomodò in se sperantes extollat; in hoc capite eamdem sequitur materiam, & dicit. *Taceant*, sileant *ad me insulæ* me audituræ, *& gentes mutent fortitudinem* assumentes animum mihi responsuræ *accedant*, & audiant, *& tunc loquantur* respondeant, *simul ad iudicium propinquemus*, vt definiatur quis nostrum, an tu Israel, an ego ius foueam; cùm Israel enim loquitur sub insularum, & gentium nomine, quem suprà cap. præcedenti in fine Iacob, & Israel, & alibi sub eisdem verbis nuncupat, vt obseruaui. Et Quæstio videtur sumi ab extremis verbis cap. præcedentis, quia Iacob, & Israel tot captiuitatibus fracti dicerent Dominum ipsorum nullam curam habere: proponit ergò pro se beneficia facta populo, & hæc referenda pòst aduentum Messiæ, vt congruant, à maiori ergò beneficio incipit, quod est missio Messiæ. *Quis suscitauit ab oriente iustum*, Messiam, quem sæpiùs suprà ab iusti nomine appellauit, & nomen eius oriens dicitur, seù procedere ab oriente, à summo cœlo, *vocauit eum, vt sequeretur se?* vt faceret voluntatem eius: in capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem eius, scilicèt Dei: veni vt faciam voluntatem eius, qui misit me; hæc duo non possunt applicari ad Cyrum, quia nèc ille iustus, cùm esset gentilis, nec vocatur ad sequelam, nequè de illo ageretur sub verbis his obscuris, cùm cap. 45. de illo clarè dicat. Neque ad Abraham, quia in illius vocatione nullum auxilium præstitum populo, qui nondùm erat, & hìc loquitur de iàm extante, & quia vocatus de Vr, nõ suscitatus quasi non esset, proùt Messias nondùm carne suscepta homo, & si de Abraham, sequeretur quomodò illi ex eo descenderent, quod non dicit. Prætereà incipit hìc Deus à maiori, & antiquiori beneficio collato generi humano, quod fuit incarnatio Messiæ, qui ab origine mundi cœpit operari, & hoc beneficium aptiùs apponitur idolorum cultui, de quo agit: vide ad hanc particulam Albam cent. cap. 38. *dabit in conspectu eius gentes* ob crucem susceptam ex Dei uoluntate: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, *& reges obtinebit*, Psal. 109. confregit in die iræ suæ Reges; & Psal. 2. Et nùnc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino, &c. *& dabit quasi puluerem* omnia aduersantia, *gladio eius* bicipiti, Apocal. 1. Is enim lapis comminuens omnia regna, de quo per Danielem, & Psal. 109. conquassabit capita in terra multorum, maximè omnium superborum, *sicùt stipulam vento raptam arcui eius*, hæc omnia ad facilitatem subiectionis omniũ, de qua & Paulus 1. Cor. 15. & ipse Christus, Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra. Hæc etiàm non conueniunt Cyro, uel Abrahæ; nàm hi gentes omnes non subiecerunt, uel reges, nequè eo modo, quo hic; & licèt aliquos subegerint; indefinita, quæ æquipollet vniuersali, non verificatur, neque modus hìc descriptus; & de Abraham non diceretur dabit, sed dedit; nèc placet impropriatio pro futuro præteritum, cùm possit stare proprietas. At vnum solum sufficit ad hos excludendos, quia sub nomine iusti quòad illos, de quibus nulla mentio clara, non appellarentur obscurè, & de Abrahã infrà clarè vers. 8. quod eò magìs excludit intellectũ de Abrahã; & de Cyro infrà c. 45. Nec dicatur sub Abrahã intelligi de posteris, in quibus hæc verificata; nã neque illis omnia cõueniunt, neq. cùm illis disceptãdo, & beneficia numerãdo, illos omisisset, quod in negocio maius erat, & quia de illis agit infrà. *Persequetur eos* rebelles, & cõtumaces, & nũc reges intelligite, &c. *transibit in pace* parta vi-

ctoria: ego vici mũdum, omnia subiecit sub pedibus eius, *semita in pedibus eius non apparebit* adeò velocitèr hæc faciet: exultauit vt gigas ad currendã viam, à summo cœlo egressio eius: Et occursus eius vsquè ad summum eius. Vel quia faciet hæc inuisibilitèr, non clypeo munitus, aùt galea. Hæc minus conueniunt Cyro, vel Abrahæ, vt patet. *Quis hæc*, magna, & excelsa *operatus est, & fecit vocans*, & faciens, nàm vocare Dei est facere, vocat ea, quæ non sunt, tamquàm sint *generationes* omnes *ab exordio?* mundi, & saluans eas in Messia, quasi gloriatur Deus de immenso beneficio; non est enim datum aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri Acto. 4. & Agnus occisus est ab origine mundi. Non gloriaretur Deus in Cyro, & Abraham adeò effusè, respondet. *Ego Dominus* omnipotens *primus* in operando, *& nouissimus ego sum* vsquè in finem mundi, & in æternum, quia non est alius operans prætèr me, vndè Christus. Pater meus vsquè modo operatur, & ego operor. *Viderunt insulæ* gentium hæc mirabilia, *& timuerunt* crediderunt, & coluerunt iustum *extrema terræ*; *omnes gentes nedùm insulæ*, vel declarat verbum *insulæ*, *obstupuerunt ad hæc* mirabilia *appropinquauerunt*, *& accesserunt* per fidem, hic de gentium vocatione futura per verba de præterito. Hæc nequè ad Cyrum, nequè ad Abraham. *Vnusquisque* tùnc *proximo suo auxiliabitur* ad perducendum ad Messiam, sic enim mandauit Deus cuique de proximo suo, & *fratri suo dicet: confortare* in Domino, sta in fide, crede: sic Andreas Petrum, Philippus Nathanaelem ad Iesum perduxerunt; similia Paulus ad Hebr. 8. 11. Caue ne attribuas hæc, vel quicquam idòlis, quia vana sunt, nequè mouearis, quia stant in muro, non mouentur, quia manus hominum hoc fecit, redit ad dicta cap. 40. 28. quasi ne me similem illi facias, etenim docet cur stat, & plura alia dicit infrà contrà idòla. *Confortauit Faber ærarius percutiens malleo eum*, qui cudebat tùnc temporis idòlum dicens: *Glutino bonum est* stabilietur, *& is* obediens nedùm glutino, sed quod maius est *confortauit eum clauis, vt nõ moueretur*, *& tu Israel* (vsquè ad fin. cap. protenditur phrasis) & de carnali agit, non spirituali *serue meus* à seruitute enim Aegyptiaca liberatus, seruus factus mihi liberatori *Iacob* in duodecim tribubus diuisus, *quem elegi* peculiarem ex cunctis populis, *semen Abraham amici mei* dilectione eadem, qua ipsum proptèr illum diligo, sic amicus Dei appellatur 2. Paralipomenon 20. 7. Dan. 3. 35. Isa. 41. 9. Iudith. 8. 20. Iaco. 2. hinc superiora non possunt dici de Abraham *in quo* cuius respectu, & pacto cùm eo inito *apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te*, sic Moyses Deut. 32. inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis; Circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui: Sicùt aquila prouocans ad volandum pullos suos, & supèr eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atquè portauit in humeris suis, Dominus solus dux eius fuit, & non erat cùm eo Deus alienus. Constituit, &c. ex his declarantur hic dicta, & si esset quid excedens, cadet in hyperbolem, nèc per eam recedendum ab Israel carnali, de quo clarè, *& dixi tibi, seruus meus es tu* mihi carus, sic & cap. 49. 3. *elegi te*, *& non abieci te* quamuis tu sæpè abieceris me, *ne timeas quia ego tecum sum*, & si Deus pro nobis, quis contrà nos? *ne declines à me* à vijs meis. *quia ego Deus tuus*, & non est alius Deus prætèr me *confortaui te* subleuaui te, *& auxiliatus sum tibi*, *& suscepit te dextera* potens *iusti mei*, Messiæ Redemptoris. Hinc apparet quomodò verbum *iustum* superiùs capiendum, nequè aptari ad Abraham, vel Cyrum; & sempèr hoc verbum in Isa. capitur pro Messia, & propterea ob hoc verbum præmissa de Iacob non possunt intelligi de Messia. *Eccè confundentur* hæc clara, & pluriès suprà dixit Isaias omnes contradicẽtes populo consummandos. *Noli timere vermis Iacob* populus abiectus: Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, *qui mortui estis* timore, vel captiuitatibus, & angustijs *ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, & redemptor tuus sanctus Israel* valens te ab omnibus defendere, & subleuare. *Ego posui te quasi plaustrum*, &c. prout fecit Dauid contra Ammonitas

monitas 2. Reg. 12. 31. ad cuius factum alludit. *& tu exultabis in Domino, in sancto Israel* Deo, *lætaberis* victrix principum, & populorum, sub montibus principes, collibus inferiores, nèc putes me tibi in aliquo defuturum, vel non prouisurum, sicùt in fin. cap. præced. nàm *Egeni, & pauperes* sitientes *quærunt aquas, & non sunt* eis, non inueniunt: *lingua eorum siti aruit* huiusmodi desiderio, & perquisitione. *Ego Dominus exaudiam eos Deus Israel, non derelinquam eos: aperiam in supinis collibus* in quibus non solent aquæ permanere, *flumina, & in medio camporum fontes*, vt largè bibant, *panem*, &c. immò *dabo*, &c. hæc ad delicias, quia sequitur idē thema gratiarū: *vt videant, &c. quia manus Domini fecit hoc*, &c. non alius, non idòla, hæc enim illa nequeunt, *propè facite iudicium vestrum* conferte nūc rationes *dicit Dominus, afferte si quid forte* potēs habetis ad vincēdum, & sententiam pro vobis ferendam: ad vers. 1. seù pro idòlis *dixit rex Iacob*, qui etsi talis ad singulare certamen vobiscum descendit, vt vos ad se trahat. Duo ipse Deus probauit, præterita, & futura nunciare, & beneficia, vel mala contulisse, & conferre; nùnc dicit. *Accedant* hùc idòla, *& annuncient vobis quæ ventura sunt* futura, quæ dæmones, vel Angeli boni ignorant, nisi à Deo reuelentur eis *priora, quæ fuerūt, nunciate* etiàm præterita non reuelata eos prætereunt, *& ponemus cor nostrum* attendemus eis, *& sciemus nouissima eorum*, quæ prædicent an vera sint, *& sciemus quia Dij estis vos*, hoc enim solius Dei est *benè quoquè, aùt malè (si potestis) facite*, quæ absquè Deo non licent, *& loquamur, & videamus simùl*, & tùnc disputemus; videre aliquandò pro bellum gerere, at explico vobis quæ sunt idòla. *Eccè vos ex nihilo estis*; nihil est idòlum 1. Cor. 8. 4. *& opus vestrum ex eo quod non est* verè, sed apparentèr, mendacitèr, deceptoriè 2. Thess. 2. 9. prodigijs mendacibus: *abominatio* nedùm vos estis, sed omnis *est, qui elegit vos* sequitur vos, at ergò *suscitaui ab Aquilone* venientem, *& ab ortu solis veniet* populus *vocabit nomen meum*, in me credet: à solis ortu vsquè ad occasum laudabile nomen Domini; multi venient ab oriente, &c. & recumbent cùm Abraham, &c. *& adducet* adducam *magistratus* principes, potentes sæculi *quasi lutum*, rem vilem, abiectam, humilem, tales enim se recognoscent, *& velùt plastes conculcans humum* pedibus faciam ex eis vasa, quæ placuerit. *Qui annunciauit ab exordio* rerum facta, *vt sciamus* illa, *& à principio vt dicamus iustus es?* & Deus Messias: suprà enim dixi, *& sciemus, quia dij estis vos* ò idòla, *non est nequè annuncians, nequè prædicens, neq. audiēs sermones vestros* futura, vel præsentia cōtinentes, ergò nèc Diuinitas, nec iustitia in vobis est. *Primus ad Sion dicet* is ego primus sup. vers. 5. futura prædicens, *eccè adsunt*, qui futura, euangeliū prædicant à me missi, *& Ierusalem Euangelistam* bona nuntiantem, euangelium annunciantes *dabo, & vidi; et non erat nequè ex istis quisquam, qui iniret consilium* recedendi ab idolis etiàm sic coniuncti, *et interrogatus responderet verbum*, ignorantes quid dicerent, quomodò se eximerent; *sed eccè omnes iniusti* peccatores, *et vana opera eorum* idolòlatriæ: *ventus, et inane simulachra eorum*, ad quæ incumbunt, & & in quibus delectantur, & fiduciam suam ponunt.

CAPVT XLII.

ECCE *seruus meus* Messias, de quo, & cap. præcedenti vers. 2. & Philip. 2. & Matth. 12. puer (quē recipere, & colere debetis, non idòla) *suscipiā eum* ero illi in patrem, adiuuabo eum, *electus meus* ab æterno *complacuit sibi in illo anima mea*, gratissimus mihi fuit, sic & pòst Baptismum, & in Transfiguratione, *dedi spiritum meum supèr eum*, & alibì, spiritus Domini supèr me, eo quod vnxerit me: & Petrus, quem vnxit Deus Spiritu sancto, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporalitèr

Col. 2. *iudicium* viam iustitiæ, rectam agnitionem Dei, quam hucusquè ignorarunt. *Gentibus profert* eum recepturis; vel toto orbi leges dabit; non hic de iudicio vniuersali; hoc irridentes dixerunt: numquid in dispersionem gentium iturus, & docturus gentes? *Non clamabit* erit mitis, placidus, humilis: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, *nequè accipiet personam*, sicùt Deus non est personarum acceptor: at adulantes, & in sermone capere volentes dixerunt, non enim recipis personam hominum, *nèc audietur vox eius foris* idem, quod *non clamabit*, qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur: tamquàm ouis ad occisionem ductus nō aperuit os suum. *Calamum quassatum* infirmos, & imbecilles *non conteret*, sic Paulus fieri debere Rom. 14. 1. infirmum in fide assumite, & capit. 15. debemus autèm nos infirmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere: Et Galat. 6. 1. si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. *& linum fumigās peccatorem* vicinum profundo malorum, *non extinguet*, sed subleuabit quasi medicus, ideò cùm peccatoribus conuersabatur, *in veritate educet iudicium* non fictè, venit enim: vt testimonium perhibeat veritati, quomodò veritate colendus Deus, Ioan. 4. *non erit tristis, nequè turbulentus*, vt quem à se reijciat, sed omnes amplectabitur, & excipiet hilaritèr ad se confugientes, vndè dicebat: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. si quis sitit, veniat ad me, & bibat, sic Titus Imperator, qui neminem tristem à se discedere volebat; Alioquin ab instanti conceptionis ex repræsentatione passionis, & instante morte tristis fuit, vndè dixit; tristis est anima mea vsquè ad mortē: cœpit pauere, & mœstus esse. baptismo habeo baptizari; & quomodò coarctor; sed has passiones à se ipso assumebat, non erant ei connaturales, quia infirmitates non assumpsit, sed tantùm carnes ad patiendum, vndè turbauit seipsum in accessu gentilium, & morte Lazari.

Tamèn peccatores, & Pharisæos, & Scribas arguebat, non recipiens personam alicuius, *donèc ponat in terra iudicium*, homines ad veritatem inducat reiectis falsis, quæ mundus amplectabatur, *& legem eius* Euāgelicam *insulæ* gentes in eum sperantes, *expectabunt*, & assument, & recipient, hæc decerpsit Matthæus cap. 12. vbi dixi, *Hæc* excelsa, & sublimia *dicit Dominus Deus creans cœlos, & extendens eos* girans, *firmans terram, & quæ germinant ex ea* Gen. 1. 2. *dans flatum*, vitam, conseruationē, *et populo, qui est supèr eam, et spiritum* viuentem *calcantibus eam*, qui sinè eo non sisterent, quasi Omnipotens ille, hæc dixit, cui credendum. *Ego Dominus vocaui te* seruum meum *in iustitia* quam promiseram, & seruare volui Abrahæ: sìc interpretatus sum verba, decet nos implere omnem iustitiam, de Bapt. Christi cap. 16. Oleast. Deut. 24. 13. & habeas iustitiam coràm Domino Deo tuo, Psal. 97. in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Ex his verbis *vocaui te in iustitia* firmatur intellectus datus cap. 41. quis suscitauit ab oriente iustum, vocauit eum, &c. *et apprehendi manum tuam* auxiliando tibi, *et seruaui te* tui curam gessi vti hominis, & filij. *Et dedi te in fœdus* pactum *populi* Hebræi in obseruantiam promissorum Patribus factorum, sic Domina: suscepit Israel puerū suum, &c. sicùt locutus est ad patres nostros, &c. & Zacharias: Iusiurādum, quod iurauit ad Abraham patrē nostrum, daturum se nobis, *in lucem gentium*, quibus non promissus, vndè Simeon; lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel; ego sum lux mundi: illuminat omnem hominem, &c. *Vt aperires oculos cæcorum* gentilium ignorantium, sic suprà cap. 35. *et educeres de conclusione vinctum* à diabolo, & peccatis, quibus quasi funibus constringimur *de domo carceris sedentes in tenebris* ignorantiæ, & peccatorum. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent. *Ego Dominus* solus hæc magnalia operans, *hoc est nomen meum*, quo agnoscor mihi proprium: *gloriam meam alteri non dabo, et laudem* meam mihi debitam *sculptilibus*, à quibus hanc tollam. *Quæ prima fuerunt, eccè venerunt* in lucem per me, nempè creatio omnium, quam præmisit, *noua quoquè ego nùnc annun-*

annuncio aduentum Messiæ, conuersionem gentium, *et antequàm oriantur, audita vobis faciam*, quæ idola præstare non possunt, suprà cap. 41. 22. cùm seq. *Cantate Domino canticum nouum*, sicùt ipse noua nunciat, & dixerat velle gloriam, & laudem suam sibi, non sculptilibus dari, nùnc propheta exultans dicit quale canticum, scilicèt nouum pro gratiarum actione ex nouis annunciatis, *laus eius ab extremis terra* emanet, non à sola Iudæa, gentes autèm magis explicat subdens; *qui descenditis in mare, & plenitudo eius insulæ, & habitatores earum. Subleuetur* in laudes etiam *desertũ, & Ciuitates eius, in domibus habitabit Cedar*, qui solet sub dio morari, omnes barbari, *laudate habitatores petræ* in deserto sitæ Deum *de vertice montium*, ad quos non solent magna peruenire, vel qui alieni videntur ab hominum commercio *clamabunt* laudes dicent Domino. *Ponent* hi omnes *Domino gloriam, & laudem eius insulis nunciabunt*, vt per totum orbem dilatetur. *Dominus sicùt fortis egredietur* ad bellum, *sicùt vir præliator suscitabit zelum* pro gloria sua *vociferabitur, & clamabit*, hæc omnia spiritualitèr, & in cordibus fidelium, ideò missus Spiritus sanctus: *supèr inimicos suos* nolentes legem eius recipere, contumaces *confortabitur*, deijciet eos potentia sua, & Euangelium stabilietur. *Tacui, sempèr silui, patiens fui*, dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, iuerunt in adinuentionibus suis Rom. 1. Oseæ 1. Act. 17. 30. & fortè Paulus hinc desumpsit: nùnc *sicùt parturiens* exacerbatus, ira, & dolore plenus *loquar* dissipabo, disperge illos in virtute tua; *& absorbebo simùl* depone eos, dicit Dauid, ad nihilum reduc; *desertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum siccabo*, ità vt sint inutiles, *& ponã flumina in insulas*, vt non decurrant cursu solito, *& stagna arefaciam*, omnia susdequè ponam, hæc ad Israelitas, *& ducam cæcos* gentiles *in viam* rectam *quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras* ignorantiæ, *coràm eis in lucem* manifestam, *& praua* obliqua *in recta*, eccè vocatio gẽtium *hæc verba feci eis* eos prouocans, proùt & Paulus, vt conuerterentur, *& non dereliqui eos*, immò expectaui eos, at *conuersi sunt retrorsùm* à me idòlis hærentes *confundantur confusione, qui confidunt in sculptili* idòlo, *qui dicunt* mẽdacitèr *conflatili*, quod nihil est, *vos dij nostri* dant illis honorem Deo vero debitum: *surdi* Iudæi *audite* aliquandò, *& cæci intuemini ad videndum* aperite oculos, *quis cæcus nisi seruus meus?* populus Hebræus, quem liberaui, quem educaui domi meæ, & obsequentissimus esse debuerat, *& surdus, nisi ad quem nuncios meos misi* pluriès, vocans, & reuocans, qui illos subsannauit, *quis cæcus, nisi qui venundatus est?* sub peccato, prout Achab à Iezabele 3. Reg. 21. 25. *& quis cæcus nisi seruus Domini?* qui præ alijs videre, & vigilare debuerat. *Qui vides multa*, Scripturas, prophetas, mirabilia, *nonnè custodies?* tibi iussa, & demonstrata: aliquando *qui apertas habes aures* ex eisdem *nõnè audies?* aliquandò fidem præstans. *& Dominus voluit*; vult enim omnes saluo, *vt sãctificaret eum, & magnificaret legem illi* datam, *& extolleret* per veram obseruantiam. *Ipse autèm populus*, qui eam neglexit, ob id *direptus, & vastatus* ab inimicis: *laqueus iuuenum* ad deceptionẽ *omnes* senes, qui deberent potiùs eos soluere, legem docendo in veritate, *& in domibus carcerum absconditi sunt* dati in captiuitatem, ea de causa facti sunt *in rapinam* inimicorum, *nec est qui eruat* à captiuitate: *in direptionem, nec est, qui dicat: redde* hinc semen scientiæ peruersæ, & extincta charitas. *Quis est in vobis, qui audiat hoc, & attendat, & auscultet futura?* quæ sunt tanti momenti. *Quis dedit in direptionem Iacob, & Israel vastantibus?* agit ergò de malis ab inimicis, non à dæmonibus: *nonnè Dominus ipse, cui peccauimus?* vt ad eum conuerteremur, & nihilominus *noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius*, vexatio non profecit in eis. *Et* vt conuerterentur, *effudit supèr eum indignationem furoris sui, & forte bellum, & concussit eum in circuitu, & non cognouit: & succendit eum, et non intellexit*, vndè hæc ei prouenirent, flagella multiplicauit, nec tamèn expergefacti sunt, vt conuerteren-

terentur; quæ autèm hæc, vel per Chaldæos, vel per Romanos, potest de quibuscumque intelligi; & de futuris, non præteritis, etsi præteritis pro certitudine vtatur.

CAPVT XLIII.

ET nùnc (veteribus omissis) *hæc dicit Dominus creans te* creator tuus *Iacob, et formans*, redimens *te Israel* populi Hebræi. *Noli timere, quia redemi te* ab angustijs, *et vocaui te nomine tuo*, tui curam gerens, quia mihi gratus: sìc Iere. 1. vocauit me nomine meo; & Moysi, noui te ex nomine, *meus es tu* peculiaris. *Cùm transieris per aquas* tribulationum, *tecum ero* protegam te, *et flumina* persecutionum *non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te*, nihil tibi nocebit, hæc ex opposito dictis in fin. cap. præced. sìc Marc. 16. 18. & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: *Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, saluator tuus* omnipotens, cui non potest resisti *dedi propitiationem tuam* commutationem *Aegyptum, Aethiopiam, et Saba pro te* eximendo, & liberando ab Assyrijs, Cyro liberatori infrà cap. 45 14. *ex quo honorabilis factus es in oculis meis*, quibus placuisti, *et gloriosus* ornatus virtutibus *ego dilexi te, et dabo homines pro te, et populos pro anima tua*, vt tu eruaris, & libereris, *noli timere* ab inimicis, *quia ego tecum sum*, te protegens, *ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te*, ex omnibus mundi partibus, postquàm te per captiuitates sanauero, & purgauero: sìc multi ab oriente, & occidente venient, &c. Matth. 8. *dicam Aquiloni, da; et Austro, noli prohibere*, quin accedant *affer filios meos* fideles *de longinquo, et filias meas ab extremis terræ*, Ioan. 11. vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. *Et* quia *omnem qui inuocat nomen meum* mihi credentem, *in gloriam meam creaui eum, formaui eum, et feci eum*, non alius, quia iustificamur gratis à Deo, nullis nostris meritis præcedentibus in prima iustificatione Roman. 4. 5. & per tot. ideò omnia ad gloriam Dei referenda, vt hìc. *Educ foràs* ad disceptandum, & ad iudicium, proùt in præced. cap. *populum* gentilem *cæcum* ad mei notitiam, *et oculos habentem, surdum, et aures ei sunt*, proùt, & de idòlis dicitur, oculos habent, &c. etsi *Omnes gentes congregatæ sunt simùl, et collectæ sunt tribus* ad idolòrum defensam *quis in vobis* ex idòlis vestris *annunciet istud* futurum, *et quæ prima sunt* principalia, vel præterita *audire non faciet?* quasi nullus id poterit, proùt ego; vel si poterit *dent testes eorum*, quæ manifestauerint, *iustificentur* probent, *et audiant, et dicant; at verè*, & tùnc silebo *vos testes mei* ò Iudæi ex iàm præteritis mirabilibus, quæ pro vobis operatus sum *dicit Dominus, et seruus meus* Messias, suprà cap. 42. 1. *quem elegi, vt sciatis, et credatis mihi, et intelligatis, quia ego ipse sum* Deus scilicèt, & non est alius prætèr me, vel proùt Moysi dixit: sum qui sum, Deum nemo vidit vnquàm, vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit Io. 18. & 3. 32. *Antè me*, qui ab æterno sum, & antè æternitatem nihil, *non est formatus Deus, et pòst me non erit*; ideò me Deum vestrum sequimini, & cognoscite. *Ego sum, ego sum Dominus* omnium verus, & legitimus, *et non est absq. me saluator* ab inimicis, & insultantibus, *ego annunciaui* bona, salutem venturã *et saluaui* præstiti quod annunciaueram, vt in Sennacherib, & alijs, non idòla, *auditum feci*, manifestum reddidi, *et non fuit in vobis alienus*, sic & Deut. 32. 12. *vos testes mei, dicit Dominus, et ego Deus*, hæc præstans. *Et ab initio* à seruitute Aegyptiaca, sæpiùs enim de illa sub hac phrase, *ego ipse* in manu extenta, & prodigijs liberaui populum, *et non est qui eruat* potens sit *de manu mea* eripere *operabor, et quis auertet illud?* quasi nullus, quis enim contrà Dominum? *Hæc dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israel* vnde de illis non est ambigendum. *Proptèr vos misi in Babylonem, et detraxi vectes* omnes

laqueos,

laqueos, impedimenta omnia: *& Chaldæos in nauibus suis gloriantes*, hæc futura liberatio, nempè à captiuitate Babylonica per Cyrum, satis enim egit de præteritis. *Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari rubro viã, & in aquis torrentibus semitam* populo suo, vt transiret sicco pede, *qui eduxit quadrigam & equum: agmen & robustum* Aegyptiorum, *& simùl obdormierunt*, mortui sunt, nè vno quidèm superstite, nèc resurgent ad nouas molestias populi mei, *contriti sunt quasi linum* fumigans, *& extincti sunt*, sicùt ergò tùnc mirabilia feci, faciam, & quæ dico, & annuncio, & sic congruit quod dixi in vers. *& ab initio*, at *nè memineris* priorum, etsi excelsa sint, *& antiqua nè intueamini* ommittamus illa, sic Ierem. 23.7. *Eccè ego facio noua* satis maiora, *& nùnc orientur, vtiquè cognoscetis ea, ponam in deserto viam* rectam, per quam sit iter planum, *& in inuio flumina* ad potum in via, proùt quandò duxi populum per desertum; hic agit de reditu à captiuitate Babylonica. *Glorificabit me bestia agri* draconis, & struthionis, omnes bestiæ desertum habitãtes, *quia dedi in deserto aquas, & flumina in inuio, vt darem potum populo meo* redeunti. *Populum istum formaui mihi*, meus est *laudem meam narrabit* glorificabit me, gratias reddet; at tùnc, cùm educerem te de Aegypto (ad illud etiàm tempus hæc respiciunt) *non me inuocasti tu Iacob, nec laborasti in me Israel*, in me laudando, & confitendo, sed idòlis te subiecisti. *Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me, non te seruire feci in oblatione, nèc laborem tibi præbui in thure*, quia in deserto his carebas. *Non emisti*, &c. ad idem tendit. *Verumtamèn seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*, laboraui sustinens cap. 1. ad modum seruientis, & laborantis se habet Deus, dùm peccatorem sibi iniuriantem ad pœnitentiam expectat: ego sum, ego sum ipse, *qui deleo iniquitates tuas proptèr me*, si ad captiuitatem Babylonicam, qui tollo flagella tua, si spiritualitèr, qui misi filium meum ad tollenda peccata ex misericordia sola mea, nullo merente; Apparuit gratia Saluatoris nostri Dei non ex òperibus, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam, &c. *& peccatorum tuorum non recordabor*, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: in profundum enìm illa proijcit. *Reduc me in memoriam*, alicuius tui boni, *& iudicemur simùl: narra si quid habes* à te, *vt iustificeris* libereris à captiuitate; Vel potiùs, & melius, iustus declareris, at nihil habes, nequè à patribus, sola ergò mea misericordia saluaris, nàm *pater tuus primus* Adam *peccauit*, & te infecit: vndè Dauid, Eccè in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea Psalm. 50. De Abraham non potest intelligi, quia nullibì in Scriptura de peccato suo, & de idòlòlatria non incursa, dixi Acto. 7. & constat Iudith. 5. & verisimile est, dùm agit de peccato, & de primo, dicere de Adam, à quo infectio in alios descendit, non de alio, à quo infectio in alios non protendebatur. Etsi Abraham pater nominetur alibì, non tamèn peccator, nequè primus, proùt conuenit vtrunque Adæ. *Et interpretes tui* Moyses, & Aaron, qui pro te mecum agebant *præuaricati sunt in me*, non me glorificantes ad aquas contradictionis coràm filijs Israel. *Et sic contaminaui* permisi contaminari, *principes sanctos* electos, ità vt non ingrederentur in Terram promissionis, *dedi ad internecionem Iacob*, cuius duo soli ingressi in Terram promissionis, *& Israel in blasphemiam* in maledictionem, opprobrium.

CAPVT

CAPVT XLIV.

ET nùnc audi Iacob serue meus, & Israel, quem elegi tendit ad consolandum populum. *Hæc dicit Dominus faciens, & formãs te* creator, & Redemptor tuus, potens *ab vtero auxiliator tuus*, & infrà vers. 24. à conceptu tuo, à principio tibi astans: sic Iere. 1. ab vtero vocauit me Psal. 21. quoniàm tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ, In te proiectus sum ex vtero; De ventre matris meæ tu es protector meus. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, intellige ab vtero, à liberatione seruitutis Aegyptiacæ, *noli timere serue meus Iacob, & rectissime* Iustissime: sic in Cant. 1. recti diligunt te, *quem elegi* mihi in populum peculiarem. *Effundam enim aquam supèr sitientem, & fluenta supèr aridam, effundam spiritum meum* vitalem *supèr semen tuum, & benedictionem meam*, abundantem, largissimam, *supèr stirpem tuam, & germinabunt supèr herbas quasi salices iuxtà præterfluentes aquas* florentem te in omnibus reddam pòst captiuitatem Babylonicam, *iste dicet: Domini ego sum* recognoscet Dominum suum verum, sic cerua, Cæsaris sum, *& ille vocabit in nomine Iacob*, Domini Iacob, non idòli, *& hic scribet manu sua*, *Domino* profiteor me Domini esse, *& in nomine Israel* fidelium quisque *assimilabitur*, nuncupabunt se omnes vno nomine idem significante. *Ego primus* ab æterno, *& ego nouissimus* numquam deficiens, *& absquè me non est Deus*, idòla excludit, ad probationem rem reducit, *quis similis mei?* qui Deus sit, & vocari possit, *vocet*, &c. quæ non sunt, *& annunciet, & ordinem exponat mihi* dicat præsentia, & futura. *Ex quo constitui populum antiquum* vnum à principio mundi *futura, & quæ ventura sunt annuncient eis*, & dicam illos Deos. *Nolite timere, nequè conturbemini*, sed in me confidite: *ex tùnc*, a principio sæculi *audire te feci*, ò homo omnem veritatem, *&* illam *annunciaui* tibi: *vos estis testes mei*, hæc ad illos, qui à principio fuerunt, Adam, & alios, antequàm idolòlatria induceretur in mundo, *numquid est Deus absquè me, & formator, quem ego non nouerim?* quasi id esse non potest, cùm ego primus, & nouissimus. *Plastæ idòli*, &c. hæc omnia ad ostendendam vanitatem idolòrum, & adorantium ea, quæ sunt clara, *pauebunt*, quo timore ad cultum illorum conuertebantur, *esuriet*, &c. quasi si hæc patitur formans idolum, quid de idòlo sentiendum? *nescierunt, nequè intellexerunt*, &c. obcœcati a consuetudine, vide Rom. 1. *Obliti enim sunt nè videant oculi eorum*, &c. hæc omnia ad artifices, vt & sequentia clarè, non ad idòla. *Memento horum Iacob*, vt ab idòlis abstraharis, *nè obliuiscaris mei* Dei tui veri, & redemptoris. *Deleui, vt nubem* sol *iniquitates tuas, et quasi nebulam*, quæ dissipata ampliùs non apparet *peccata tua: reuertere ad me*, idòlis relictis *quoniàm redemi te*, vnde meus es factus redemptione, qui eras creatione: hæc ad futura, *Laudate cœli* prouocat omnia ad laudem, *quoniàm redemit Dominus Iacob*, &c. misericordia sua, nullis hominum meritis præcedentibus. *Ego sum Dominus* concludit, & docet *faciens omnia, extendens cœlos solus* nõ idòla *stabiliens terram* factura cœli, & terræ, semper in Scriptura ad notionem Dei veri, *et nullus mecum*, nequè Angeli: sola enim Trinitas creatrix omnium, vt in Gen. 1. & 2. *irrita faciens signa diuinorum, et ariolos in furorem vertens* seruos idolòrum, sic tracto, nec illi ab idòlis adiuuantur. *Conuertens sapientes retrorsùm, et scientia eorum stultam faciens* vide 1. Cor. 2. *suscitans verbum serui sui*, Christi, *et consilium nunciorum suorum* prophetarum de eo prædicentium, *complens* in gentium conuersione. Vel *serui sui* populi Israel ad eius beneficium pro reditu à captiuitate, vt seq. cap. vers. 4. & is melior intellectus, & *nunciorum*, qui exequi debent: vndè idem sequens, *qui dico Ierusalem* destruendæ à Nabuchodonosor, habitaberis

pòst

pòst annos septuaginta, *& ciuitatibus Iuda: ædificabimini, & deserta eius suscitabo,* & ex his citò verificandis ad veritatem aliorum inducemini. *Qui dico profundo* Babyloni; *desolare, & flumina tua*, in quibus gloriaris *arefaciam Qui dico Cyro* regi venturo, de hoc proùt de Iosia, *Pastor meus es*, quia te mediante reducam populum meum, *& omnem voluntatem meam complebis* cor Regis in manu regis. Prouerb. 21. *Qui dico Ierusalem, ædificaberis, & templo, fundaberis* à Cyro post secutam destructionem.

CAPVT XLV.

HAEC *dicit Dominus Christo*, vncto regi, vncto verò iuxtà morem Hebræorum, non quod verè vnctus fuerit *meo Cyro*, de quo in fine cap. 44. nominat hunc vẽturum, vt magìs sibi credatur, proùt de Isaac, Iosia, & Iesu, *cuius apprehendi dexteram* ad illum protegendum, & ducendum, *vt subijciam antè eum*, sub eius imperio, & potestate *gentes* multas, *& dorsa regum uertam* in fugam, *& aperiam coràm eo ianuas* obsistentes, *& portæ non claudentur*, liber erit ei introitus portarum in ciuitates. *ego antè te ibo* ò Cyre, & quis tibi obstabit? si enim Deus pro te, quis contrà te? *& gloriosos terræ* Reges, principes *humiliabo* antè te: *portas æreas* fortes *conteram*, quas sustulit Samson, *& vectes ferreos cõfringam*, nè obstent. *Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum*, vt possis hæc adimplere, & pro mercede tua, *vt scias quia ego Dominus*, non idòla, quæ coles, *qui voco nomen tuum* antè tot annos, *Deus Israel*, ibi cultus, quod non dixerunt dij tui, qui futura dicere non possunt. Et verè debuerat hoc esse ei maximum argumẽtum ad idòla excludenda. *Proptèr seruum meum Iacob, & Israel electum meum*, in captiuitate Babylonica positum, liberandum, hæc tibi conferam, non proptèr te idolòlatram. sìc & Nabuchodonosor multa contulit ob seruitutem, in Tyro destruenda quæsitam, Ezechiel. 29. 18. Aegyptijs, & Domino primo proptèr Ioseph, Laban proptèr Iacob, *& vocaui te nomine tuo*, quasi mihi charum, & notum, *assimilaui te* similem te feci in victorijs magnis ducibus, honorificè te tractaui, sìc cùm Dauid. 2. Regum 12. 7. & capite 7. 9. vel delineaui te, antequàm esses, tamquàm mihi notum, proùt ab vtero vocati solent magìs reputari, vt Ieremias, Ioannes, Paulus, Isaac, Iosias, & hoc videtur congruere cùm præcedentibus, & sequentibus; Non placet *assimilaui te* Messiæ, quia longinqui, & distantes nimìs termini, & tu è contrario, *& non cognouisti me* benefactorem tuum, quia adorasti idòla *accinxi te* paraui ad bella, non glorietur accinctus æquè, ac discintus, *& non cognouisti me* accingentem, hæc per te facientem; vel cultum diuinum mihi debitum non dedisti, parùm enìm fuit verbis prædicare Deum, & facto idòla adorare. *Vt sciant* ex his, quæ facies, mirabilibus, *qui ab ortu solis, & qui ab occidente* in toto orbe: sìc multi venient ab oriente, & occidente, &c. *quoniàm absquè me non est*, vel Deus, vel qui hæc magna facere possit. *Ego Dominus, & non est alter*, excludit idòla, *formans lucem, & creans tenebras* diem, & noctem Genes. 1. *faciens pacem* quietem, *& creans malum*, bella ad puniendos reos. *Ego Dominus faciens omnia hæc* iuxtà merita hominum, vel meam misericordiam, & iustitiam. At maiora faciam, *Rorate*, rorabunt, &c. Vide ad hanc clausulam Albam cent. capit. 39. & sìc de Messia; Vel *Rorate cæli desupèr, & nubes pluant iustum*, Messiam, qui iustus appellatus, descendat è Cœlis Saluator animarum Dei filius: sic & humana natura Cantic. 1. 1. osculetur me osculo oris sui. ex eò, quod per Cyrum agitur de liberatione temporali populi Israel, propheta

ſubleuatur ad liberationem ſpiritualem, ad filium Meſſiam, & orat pro eius miſſione; & hæc verba non poſſunt aptari Cyro, quia idololatra, vndè nec diceret *iuſtum*, nec *cœli deſupèr*; denotāt enim hæc cœleſtia, sìc de rore cœli deſupèr Geneſ. 27. 39. *aperiatur terra, & germinet Saluatorem* totius mundi incarnetur, naſcatur, fiat caro, homo, qui & Deus, *& iuſtitia oriatur ſimùl* iuſtificatio hominum, vel *iuſtitia*, omnes virtutes, quas docturus eſt cum eo; vel adimplementum promiſſorum. *Ego Dominus creaui eum*, reſpondet Dominus prophetæ, ſe illum creaturum, & miſſurum, quaſi faciam & hoc, proùt dixit Abrahæ de Iſmaele. Quid ſi sìc diceretur prophetam hæc audientem de liberatione per Cyrum, putans benè petere, proùt Moyſes; mitte quem miſſurus es. Exod. 4. 14. dùm ipſe mitteretur, & vt infrà cap. 64. vtinàm diſrumperes cœlos, &c. dixiſſe hæc verba *Rorate cœli*, &c. quaſi veniat aliquandò liberator ille vnicus ad nos à miſerijs liberandos; & iuſtitia ſecum, vt omnes iuſtificemur per eum, quaſi nonnè hoc melius Domine, quam Cyrum expectare? & Dominus reſpondeat, quid hoc dicis? *Ego creaui eum* Cyrum, hoc eſt opus meum; & sic expedit ex prouidentia mea, qua cuncta guberno; priùs enim flagellandus is populus, dandus in captiuitatem ob ſcelera ſua, deindè ex vexatione reſipiſcens ſoluendus per hūc Cyrum, quem elegi. Alióquin verba *ego creaui eum*, non videntur benè ſequi pòſt illa, dùm ad Meſſiam referuntur, & minùs ſequentia: hìnc excluditur, quod vſquè ad verba *Rorate*, agatur de Meſſia, cùm tantùm de Cyro, & conſequentèr in his, quæ ſequūtur de eodem, & deindè ſequatur opportunè, *Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de Samijs terræ*, &c. quaſi hoc præcedere debet de Cyro, veniet & tempus Meſſiæ, quod nùnc abeſt, noli plùs ſapere, quàm oportet. sìc & in Moyſen iratus Dominus. Exod. 4. 15. vis tu ſcire iudicia Dei inſcrutabilia? sic & Paulus Rom. 9. Vel intellige de Cyro: sìc. iubeo enim cœlo, & terræ, quæ formaui, vndè dicam, ſeù dico, *Rorate cœli deſupèr, & nubes pluant iuſtum*, quia de cœlo animæ dicuntur deſcendere, ex quo à Deo ex nihilo producuntur, ſicùt fulmina pluuiæ, ſimilia; *iuſtum* dicit, quia vt infrà *ſuſcitauit eum ad iuſtitiam, aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, populi mei Cyrum, *& iuſtitia oriatur ſimùl* ſecum, vt eruatur populus à ſeruitute Babylonica; *Ego Dominus creaui eum*, decreui illum creare, & excitare, & quis mihi contradicet, vel irritum faciet opus meum? quaſi non alium expectandum liberatorem. *Væ, qui contradicit*, &c. & sìc videtur non malè currere. *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael plaſtes eius* Iſrael; relatio enim fit ad propinquiora, *ſi plaſtes*, & conſequentèr illius protector, & curam gerens; vobiſcum ego ſecùs agam, in omnibus ſatisfaciam, nedùm de præteritis, ſed *Ventura interrogate me, ſupèr filios* meos, populum meum Iſrael, *& ſupèr opus manuum mearum*, vt infrà, *mandate*, idem quod interrogate, præcipite, vt dicam, reuelem, *mihi* ſapientiæ increatæ, neque quicquam abſcondo. *Ego feci terram, & hominem ſupèr eam creaui, ego*. Geneſ. 1. & 2. manus meæ tetendi ruut cœlos, *& omni militiæ eorum mandaui* quid agerent, omnia ordinans; hìnc Angeli à creatione excluſi, sic & Exod. 4 11. cùm Moyſe, & obediunt, nimirùm ſi eiſdem mandabo *rorate cœli, &c. Ego ſuſcitaui eum* Cyrum, ad quem redit, non Meſſiam, quia de illo in verſic. *rorate, &c.* tantùm iuxtà vnum intellectum *ad iuſtitiam* meam exequendam, quæ eſt promiſſio facta de liberando populo Iſrael à captiuitate Babylonica, *iuſtitiam* accipe pro obſeruantia promiſſorum, & ſuprà dixi, & in Baptiſmo Chriſti in Euangelijs, *& omnes vias eius dirigam* ad perficiendum opus meum, ità vt alijs pro illo non indigeatis, *ipſe ædificabit Ciuitatem meam* Ieruſalem per Nabuchodonoſor deſtruendam, & ſufficit iuſſiſſe ædificari, etſi per ſucceſſores completa ædificatio; nàm ad primum iubentem omnia ſequentia referuntur; ſimilia dixi in Nabuchodonoſor ſuprà, *& captiuitatem meam*, populi mei per eundem Nabuchodonoſor factam, *dimittet non in pretio, neque in muneribus*, ſed ſponte, gratis, me mouente cor eius, *dicit Dominus DEVS exercituum* ſupèr omnes potentias

tentias

tẽtias. *Hæc dicit Dominus*, addens *labor* vos in labores eorum introistis, omnia pretiosa *Aegypti*, *& negociatio* merces *Aethiopiæ*, *& Sabaim*, *viri sublimes ad te transibunt* (ò Cyre) *& tui erunt*, subdentur tibi: explicat gentes, & reges, quos dixerat in princ. cap. *Pòst te ambulabũt* te sequẽtur, vti serui Dominum, *vincti manicis pergent* captiui tui; *& te adorabunt*, venerabundi, *tequè deprecabuntur* subiecti pro eorum liberatione, & miserijs. *Tantùm in te est Deus*, hæc omnia tibi (ò Cyre) ex eo solo, quia in te est Deus te dirigẽs, vt in princ. cap. *& non est absq. te Deus*, repetit negando quod affirmando dixerat, *Verè tu es Deus absconditus*, cuius secreta nemo potest penetrare, nisi tu reueles: incerta, & occulta sapiẽtiæ tuæ manifestasti mihi; vndè Christus, Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis; & Paulus oppressus à gloria: O altitudo, &c. *Deus Israel Saluator*, qui protexisti, & proteges, & gubernabis, & ad finem omnia iuxtà tuum beneplacitũ perduces pro Israel: sic & Moyses reprehensus acquieuit Domino Exod. 4. quod dixit de Aegypto, Aethiopia, Saba, hi populi dati Cyro in recompensationẽ libertatis dandæ Iudæis, supr. cap. 43. 3. proùt Nabuchodonosor Aegyptus pro labore Tyri, Ezech. 29. Nihil hic de Messia ad litterã. *Confusi sunt, & erubuerũt omnes: simùl abierunt in confusionem fabricatores errorũ*, idòlorum, vel circà tuam diuinitatem, & potentiam magnam ò Deus, comprehendit idòlolatras, philosophos quosq. & sunt verba prophetæ Deum magnificantis. At *Israel*, qui te nouit Deum *saluatus est* in te *Domino salute æterna*, vel verè, vel ad multum tempus, *non confundemini, & non erubescetis vsq. in sæculum sæculi*, quia Deus fidelis, & obseruãs, qui liberabit vos à seruitute Babylonica, vt suprà; immò propitius erit in æternum, vsq. ad durationẽ mundi, in quo reliquiæ saluæ fient: nequè attendenda nobis tempora media, diuersa hoc casu. *Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, ipse Deus formans terram, & faciens eã* gubernans, omnia perscrutans, *ipse plastes eius: non in vanum creauit eam: vt habitaretur, formauit eam*, quasi velit inferre, à captiuitate reducemini, quia volo terram habitari Patribus vestris promissam; vel si generalitèr, nolo genus humanum delere, sed conseruare; nõ enim à me fit quicquam *in vanum* omnia tendunt ad stabiliẽdũ primò dicta in persona Cyri. *Non in abscondito locutus sum*, quia dixerat propheta *es Deus absconditus*, declarat se talem non fuisse cũ domo *Iacob*, dicens, *non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso*, obscuro, sed in patenti, & toto populo, in mõte Sinai. *Non dixi semini Iacob: frustrà quærite me*, sed in magnis promissionibus, & mercedibus, *ego Dominus loquens iustitiã, annũcians recta*, dans leges iustas, præcepta vtilia, sancta, quæ debuerãt sequi, & adimplere *Cõgregamini, & venite, & accedite simùl* Iudæi, *qui saluati estis*, saluabimini, *ex gentibus*, vt vobis prædixi, & me nostis, vel gentiles fideles. *& nescierunt qui leuant* in altũ ad adorandũ *lignum sculpturæ suæ* facturæ manuum suarũ, *& rogant Deum non saluãtem*, proùt ego saluator. *Annunciate, & venite, & consolamini simùl; quis auditũ fecit hoc ab initio*, in ortu idòlòlatriæ, *ex tùnc prædixit illud?* nempè me esse saluatorem, non idòla, *numquid non ego Dominus, & non est vltrà Deus absq. me?* ad quẽ pro salute recurri possit, explicat *Deus iustus, & saluans non est pratèr me: Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ*, nè vltrà immoremini in cultu idòlorum nõ saluantiũ, aliòquin si id nùnc præstatis, *In memetipso iuraui*, iurat per se, quia nõ habet alium suprà se, per quem iuret, dicit Paul. ad Hæb. *egredietur de ore meo iustitiæ verbum* veritatis, *& non reuertetur*, & non euacuabitur, *quia mihi curuabitur omne genu* adorans me solũ Deum, *& iurabit omnis lingua* recognoscens me Deũ, & Dominum, & à me non recessura velit, nolit, præsertim in iudicio vniuersali, vt solẽt subditi iurare fidelitatẽ Dominis tẽporalibus: refert hæc Paul. Rom. 14. *Ergò in Domino*, per me Dominũ iurãs, *dicet* omnis *mea* Dei *sunt iustitiæ*, dicet me iustũ, *& imperium* potestas saluandi me potentẽ, *ad eũ venient* inuiti, & adorabundi, *& confundẽtur omnes, qui repugnant ei*, vide Ps. 2. *In Domini iustificabitur* iustus declarabitur, *& laudabitur* magnificabitur *omne Israel* spirituale, fidele.

CAPVT XLVI.

CONFRACTVS est Bel, cōtritus est Nabo idòla Babyloniorū, proùt Dagon, iniecta arca Domini in tēplū eius; Quia dixerat cap. præced. in fin. confundendos omnes repugnātes Deo, hanc confusionem prænoscens propheta, de ea per irrisionem, & exultationem dicit, & consequentèr fideles confirmat: sìc, cecidit Babylon suprà, quæ verba assumpsit Ioannes Apocal. 17. & 18. pro sua Babylone *facta sunt simulachra* Babyloniorum, *bestijs, & iumentis onera vestra illis* à vobis imposita *graui pondere* grauantia *ad lassitudinem contabuerunt, & contrita sunt simùl*, vt faciliùs portarentur, *non potuerunt saluare portantem*, quod autèm idòla portarent Babylonij, Baruch. 6. At, *& anima eorum*, ideſt idòla ipsa *in captiuitatem ibit. Audite me domus Iacob, omne residuum domus Israel*, à captiuitate Babylonica saluum, *qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua*, mihi dilectissimi, vt filij à me oriundi, ficùt illud: numquid poteſt mater obliuisci filij vteri sui, &c. non ego portor à vobis, vt illa idòla à suis cultoribus, *vsquè ad senectam ego ipse, & vsquè ad canos ego portabo*, vos vsquè ad finem vitæ vestræ, quod non solent patres, aùt matres *ego feci vos, & ego feram, ego portabo, & saluabo* non proùt illa impotentia; propterea mihi credite, me colite, me inuocate. *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem?* his idòlis? at quàm malè id actum! *Qui confertis aurū de sacculo vestro, & argentū statera pōderatis, conducētes artificē, vt faciat Deū* idòlum ex eis, *& procidunt* coràm eo, *& adorant. Portant illum in humeris gestantes, et ponētes in loco suo ab* eis destinato ad adorationem, *& stabit, ac de loco suo non mouebitur*, quia impotens, *sed & cùm clamauerit ad eum, non audiet*, quia surdus: vndè Elias sacerdotibus Baal aiebat irridens, vt altiùs clamarent 3. Reg. 18. *de tribulatione non saluabit eos*, proùt ego feci, facio, faciā, *mementote istud, & confundamini, redite præuaricatores ad cor*, ad veritatem, cognoscite quantùm distent à me idòla. *Recordamini prioris sæculi*, in quo idòla non erant, solus ego adorabar, hìnc nouitas: hoc & suprà dixit c. 43. & 44. *quoniàm ego sum Deus, & non est vltrà Deus, & non est similis mei*, quis enim sicùt Dominus Deus noster, qui in altis habitat? &c. propterea idòlis comparari non debeo. *Annuncians ab exordio* à principio *nouissimum* vltima, *& ab initio, quæ necdū facta sunt* futura *dicens*, ac si dicent: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*, siuè simplicitèr, siuè circà ea, quæ stabiliui de populo. *Vocans ab oriēte auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*, per auem intelligit virum sibi obsequentem, sic enìm se declarat: Nō hunc Nabuchodonosor, quia de ruina Babylonis agit in principio; Cyrum ex communi, qui Babylonem incendit, & cōgruit principium huius capitis, & dicta in sequenti, in quo eadem materia continuatur: auem verò ex velocitate, quod sæpè de eodem, & de Nabuchodonosor dictum, *& locutus sum, & adducam illud* Cyrum, *creaui*, sìc & suprà de Cyro c. 45. 8. *& faciā illud. Audite me duro corde, qui longè estis à iustitia* vias non rectas ambulātes, & ad Moysē: cerno quod populus iste duræ ceruicis sit, *propè feci iustitiam meam* promissionem de liberādo vos à captiuitate, sic sæpiùs *iustitiam* interpretatus sum, *& salus mea non morabitur*, quasi, sustinete modicum, *dabo in Sion* Ierusalem *salutē, in Israel gloriam meā* maiestatē, reddam eam saluā, & gloriosam ex reditu captiuitatis Babylonicæ, etsi de Messia *dabo in Sion salutem* Messiam promissum, salutē ex inimicis nostris ex Zach. *& in Israel gloriā meam*, & gloriā plebis tuæ Israel ex Simeone. Possent, & verba. *Vocans ab oriēte auem*, &c. dici de Messia, & ab illo versu vsquè ad finem omnia vniuntur, & dicentur de illo, & conueniunt descendenti, & volanti è cœlis: à summo cœlo egressio eius, oriens ex alto ex Zach. & tùnc principium cap. generalitèr pro quibuscunque idòlis intelligendum, nō strictè ad Babylonem ad maiorem Cyri exclusionē, qui fortè inclusus ab illa. Vel etiàm ad Babylonem ob identitatem materiæ.

CAPVT

CAPVT XLVII.

DESCENDE à fastu regio, humiliare, *sede in puluere* mœrens *virgo filia* dilecta mihi, prout virgo, & filia, quæ tenerissimè amantur *Babylon*, quam victricē, & dominatricem feci tot populorum, & regionum, *sede in terra*, vt solent dolentes, *non est solium* regale *filia Chaldæorum*, iàm enim hæc maiestas, & gloria expirauit; his verbis excluditur Roma, quam Hebræi illius captiui sempèr in scenam prodire blaterant, *quia vltrà non vocaberis* non eris *mollis, & tenera* delicijs affluens, omnibus abundans. *Tolle molam, & mole farinam* fac seruilia more captiuæ, *denuda turpitudinem tuam*, decaluare, *discooperi humerum* ad onus, ad laborem, *reuela crura* ad iter accincta, *transi flumina* pedestris: hæc omnia ad captiuitatem denotandam, quæ solent mulieribus esse grauia, hinc sponsa Cant. 5. 3. laui pedes meos, quomodò inquinabo illos? *Reuelabitur ignominia tua* ex his, *& videbitur opprobrium tuum* quæ tegebas, & non apparebant, *vltionem capiam, & non resistet mihi homo*, non poteris euadere, aùt vincere, vt solebas, qui enim hæc operatur, est *Redemptor noster Dominus exercituum nomen illius* potens, *sanctus Israel*, pro quo stat, cui tu insultasti. *Sed tacens*, vt nequè clamando subleueris, & absquè remedio, *& intra in tenebras*, vt solent mœrentes, filia Chaldæorum, *quia non vocaberis*, eris *vltrà Domina regionum*, & hoc etiàm graue deijci ab optimo statu; ratio horum est, quia ego *iratus sum supèr populum meum* Hebræum, *contaminaui hæreditatem meam* plagis multis, *& dedi eos in manu* potestate *tua* in captiuitatem, vt sic punirentur, at tu *non posuisti eis misericordiam* in eorum afflictione, etiàm *supèr senem* (cuius magìs misereri debueras) *aggrauasti iugum tuum valdè*, de hoc, & suprà, & Threno, 5. 11. *Et dixisti* superba, & exultans: *in sempiternum ero Domina* superbè, spernens miseros *non posuisti hæc* mala in te ventura *supèr cor tuum* cogitans, quia & illa tibi euenire poterant, vndè Paulus: huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans nè & tu tenteris; *nequè recordata es nouissimi tui*; si enim id fecisses, ad misericordiam mota esses, & ad meliorem vitā, propterea Sapiens: memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis; quod dictum Frācisus Pater meus præstantissimus pro rostris domi sculpere fecit. *Et nùnc audi hæc delicata, & habitans confidentèr* tamquàm tuta ab omni tristitia, & flagello, *quæ dicis in corde tuo* quod mihi notum est. *Ego sum* stabilis in gloria à memetipsa, *& non est pratèr me ampliùs*, quasi noua Deo *non sedebo vidua* mœrens, & spoliata regnis, & populis meis, *& ignorabo sterilitatem* sempèr progrediar ad acquisitionem nouorum regnorum, & populorum; sic & Apocal. 17. 18. populosa ero. *venient hæc tibi duo subitò in die vna sterilitas, & viduitas*, quod fuit occiso Baltassare per Cyrum: nota verbum *subitò*, & tamèn non fuit nisi pòst septuaginta annos captiuitatis, ad Gen. 49. vbi dixi. *vniuersa venerunt supèr te proptèr multitudinem maleficiorum tuorum, & proptèr duritiam incantatorum tuorum vehementem*, læta prædicentium contumacitèr, quibus tu cōfidis, non penetrantium hanc tuam destructionem. *Et fiduciam habuisti* improbè *in malitia tua* non in me, *& dixisti: non est qui videat me*, non est qui recogitet, qui inspiciat quid agam, prouidentiam Dei negabant, dicebant, proùt in Iob: supèr astra cœli graditur, & nostra non considerat; *sapientia tua, & scientia tua hæc* vana, quam ego perdidi, ad Paulum 1. Cor. 2. *decepit te* miseram. *Et dixisti in corde tuo* hoc diuersum à proximè præcedentibus, *ego sum, & pratèr me* similis mei *non est altera* ciuitas potens, regnans, *veniet*, &c. sic de iniquis: in puncto ad inferna descendunt, *Sta cùm incantatoribus*, &c. hæc per ironiam *augures cœli*, idest è cœlo capientes auguria, ideò subdit, *qui contēplantur sydera* &c,

non sunt pruna, quibus calefiant, nèc focus, vt sedeant ad eum, sed ad vstionem, & internecionem, omnia arsa, in cinerem conuersa, *sic facta sunt tibi in quibuscumque laboraueras*, quasi stipula igni supposita, ædificia, & alia te ornantia, *negotiatores tui ab adolescentia tua*, quandò fundabaris, *vnusquisque in via sua errauerunt* te deserentes, *non est qui saluet te*, ex eis, in quibus confidebas; de negotiatoribus & Apoc. 18. in sua Babylone Ioannes, non hi incantatores, sed diuersi.

CAPVT XLVIII.

AVDITE *hæc domus Iacob* iusti, electa, *qui vocamini nomine Israel* Deum videntis, *& de aquis* radice nobili *Iuda existis*, hæc ad hanc solam cùm Beniamin, decem alijs tribubus captiuis in Assyrios delatis, *qui iuratis in nomine Domini*, profitentes vos eius esse peculiares, & eum colere, *& Dei Israel recordamini*, non enìm potestis obliuisci tot beneficiorum ab eo receptorum, his nominibus excitare eos, & attentos reddere, & exprobare vult, *non in veritate, nequè in iustitia* veritatem, & iustitiam non facientes, sed ab his declinantes, & alieni. *De ciuitate enìm sancta vocati sunt*, vel estis Ierusalem, *& supèr Deum Israel constabiliti sunt*, ità vt fundati non debueritis quoquam moueri, est ac illud: superædificati supèr fundamentum Apostolorum, &c. *Dominus exercituum* potens *nomen eius* Dei Israel, *priora* antiqua alijs ignota, vel quæ iàm euenerunt mirabilia per me, vt congruat sequentibus; *ex tùnc*, dùm constabiliremini, dùm vos in populum meum reciperē *annunciaui*, tamquàm amicis, & dilectis meis; sic Christus cùm discipulis, Non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis, *& ex ore meo exierunt* non idolòrum, *& audita feci ea* per Angelos, vel prophetas: *repentè operatus sum, & venerunt* non distuli, non fuerunt vana, non decepi vos, fidelis fui: & hoc feci ad tuam duritiam emolliendam; *sciui enìm quia durus es tu, & neruus ferreus* inflexibilis *ceruix tua, & frons tua area* perfricta; sic etiàm Moysi: cerno quod populus iste duræ ceruicis sit, & alibì sæpè, *prædixi tibi ex tùnc, antequàm venirēt indicaui tibi, nè fortè diceres: idòla mea*, quæ colebas *fecerunt hæc, & sculptilia mea, & conflatilia mandauerunt ista*, ab annunciante enìm, & præuidente, non ab ignorante præsumuntur fieri, *quæ audisti* à me *vidè omnia* adimpleta clara, *vos autèm nùm annunciastis?* quasi dicat, neq. potuistis illorum ignari, non autèm quod filijs eorū verè annunciauerint *audita feci tibi noua ex tùnc* à principio, *& conseruata sunt quæ nescis* adhùc ignoras: *nùnc creata sunt* pòst meam prædictionem, *non ex tùnc, & antè diem*, quo prædicta, *& non audisti ea* aliundè, quàm à me, *nè fortè dicas: eccè ego cognoui ea* antè, certum est enìm, quòd *nequè audisti, nequè cognouisti, nequè ex tùnc operata est auris tua* ad audiendum, *scio enìm quod præuaricans præuaricaberis* spernens à me prædicta, & iussa, *& transgressorem ex vtero* à principio *vocaui te* nedum fuisti, sed & talem te cognoui, & dixi, nàm in exitu ab Aegypto idòla colere cœpit. At (tuis transgressionibus non attentis Roman. 3.) *proptèr nomen meum* glorificandum, ne fortè dicant in gentibus, &c. *longè faciam furorem meum* à te, ne penitùs destruam, *& laude mea*, vt lauder *infrenabo* in chamo, & freno maxillas tuas constringam, sic ducam, *nè intereas* annihileris, *eccè excoxi te* tribulationibus, captiuitatibus, *sed non quasi argentum* vsquè ad totam scoriam purgatum, nè totus deficeres iuxtà illud, nè colligētes zizaniā, eradicetis simùl & triticum, *elegi te*, probaui te *in camino paupertatis* miseriæ, calamitatis, vt saluus sis, & tui miserear, proùt pauperis solemus; non totalis destructionis. *Proptèr me, proptèr me faciam, vt non blasphemer* in gentibus, nè fortè dicant in gentibus, vbi est Deus eorum? &c. *& gloriam meam alteri* idòlo *non dabo*, hanc volo pro me, &

me, & Christus: ego gloriam meam non quæro, est qui quærat, & iudicet, scilicèt Pater. *Audi me Iacob, & Israel, quem ego voco* in principio ego creaui, feci, nàm vocare est facere in Deo; *ego ipse, ego primus* antequàm nullus, omnia tempora capio, alius Deus dari non potest, & vltrà *manus* potentia *quoquè mea fundauit terram*; *& dextera mea mensa est*, fabricauit *cœlos* in mensura, & hi mihi obediunt: nàm *ego vocabo eos*, *& stabunt simul* mihi obedientes factori eorum. *Congregamini omnes vos* disquirite, & interrogate, *& audite quis de eis* idòlis *annunciauit hæc?* intellige de idòlis, quia sempèr in præcedentibus ex opposito dicit idòla hæc prædicere non posse. & repetijt hoc eod. cap. vers. 5. & similia c. 45. 20. non autē de incātatoribus, & maleficis, de quibus in cap. præc. cōtrà Babylonē, vers. 12. non cōtrà Iudā; quis ergò idolòrū annūciauit hæc à me prædicta, vt dicamus illos Deos? sæpè hæc inculcat ad idolòlatriam destruendam, quod intendebat in Iudæis, non de incantatoribus Babylonijs *Dominus dilexit eum*, Cyrum, proùt Iehu, cuius posteros vsquè ad quartam generationem ad regnum promouit, & si ipse idolòlatra, redit ad illum: quia volebat illos credere liberationem ex captiuitate Babylonica incurrenda, *faciet voluntatem suam* Domini *in Babylone* destruenda, sic cap. 44. 28. *& brachium suum* potentiam, quam illi dabit *in Chaldæis* dissipandis, suprà cap. 46. 11. dicit illum virum voluntatis meæ, vndè non est dubitandum de Cyro hìc agi, proùt illic, *ego, ego locutus sum* decreui, & feci *vocaui eum, & directa est via eius* absquè vllo impedimento, quia omnia complanaui; apprehendi dexteram eius, vt fiat quod nolo, *accedite ad me, & audite hoc* dicenda attendite, & obseruate, *non à principio in abscondito locutus sum*, me missurum Cyrum, sed clarè, sic & suprà cap. 45. 19. Et in Psal. qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel: Non fecit talitèr omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: hæc ergò Deo, non prophetæ attribuenda, *ex tempore, antequàm fieret* quod prædixi *ibi eram*, quia omnia coràm Deo, præterita, præsentia, futura, non possum decipi; propterea credite quod dico, *& nunc* dicit propheta *Dominus Deus misit me*, *& spiritus eius*, qui datur prophetis 2. Pet. 1. vt id annunciarem: hic alij volunt agi de Messia, & probari mysterium Sanctissimæ Trinitatis; at meliùs omnia connectuntur cùm Cyro ad litteram. *Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israel* te redimere, & sanctificare volens. *Ego Dominus Deus tuus* docens te vtilia, quæ tibi proderunt, non vana, *gubernās te in via, qua ambulas*, aliòquin enim non consisteres, *vtinam attendisses mandata mea* legem meam *facta fuisset sicùt flumen* perenne, indeficiens *pax tua*, & Christus: si cognouisses quæ ad pacem tibi, *& iustitia tua* profunda, magna, pro opere bono præmia excelsa, *sicùt gurgites maris*, quorum profundum non inuenitur, *& fuisset quasi arena semen tuum*, *& stirps vteri tui lapilli eius* multiplicatus esses in immensum, vt dictum Abrahæ; *non interijsset, & non fuisset attritū nomen eius* Israelis *à facie mea* à me; quia ergò non obseruarunt legem, mala tanta ei contigerunt. *Egredimini de Babylone*, sic & Ioannes de sua Apoc. 18. 4. Moyses in Chore, & Abiron: recedite à tabernaculis impiorum, *fugite à Chaldæis*, cùm primum vobis licuerit per Cyrum, nè diutiùs stantes contaminemini cùm idolòlatris, dat eis significationem, vt fugiant à facie arcus, & prædicit liberationem, *in voce exultationis annunciate* liberationem è captiuitate, sicùt mœsti erāt in ea: supèr flumina Babylonis, &c. *auditum facite* hoc excelsum, & magnum, *& efferte illud vsquè ad extrema terræ* non intèr solos Israelitas, *dicite: Redemit*, à captiuitate Babylonica *Dominus omnipotens* brachio suo *seruum suum Iacob* captiuum absquè gladio, vel bello, dicite etiàm mirabilia antiqua. *Non sitierunt in deserto* arido *cùm educeret eos* de Aegypto *aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ* largissimè ex miraculo, vt sic edocti populi ex nouis, & antiquis accurrant ad me. Hinc non intendit dicere idem euenturum eis in eductione è Babylone, quia nequè necessarium, sed vt antiqua commemorarentur cùm nouis beneficijs: At ne miremini, si nos tot mala inuenerunt, quia

non

non est pax impijs, dicit Dominus sicùt fuisset, si obseruauissetis *mandata mea*, vt suprà; sic meliùs connectitur, quàm quòd agat vel de Chaldæis, vel Iudæis, qui remanserunt in Babylone soluta captiuitate, nàm hæc diuinatiua omninò.

CAPVT XLIX.

AVDITE *Insulæ, & attendite populi de longè*, gentes omnes, Totum caput præcedēs ad Israel, sed quia propheta nouerat eis dicta paruifieri, quasi fessus conuertit sermonem ad gentes, de Messia acturus, & eas ad attentionem magnorum per eum dicēdorum prouocaturus *Dominus ab vtero*, dùm conceptus essem: in capite libri scriptum est de me, &c. *vocauit me*, elegit, quod & ab æterno, me ad redemptionem mundi; *de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*, fui in cognitione ipsius, sicùt solemus id cognoscere in Principe vocante seruum nomine proprio, sic cùm Moyse: noui te ex nomine, sic Iere. cap. 1. priusquàm te formarem in vtero, noui te, & antequàm exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te: sic cap. 45. de Cyro, & alibi, fui ei gratus, vndè, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, complacuit animæ meæ. Vel *recordatus est nominis mei* ad illud significandum, & exaltandum, & in terris manifestandum, hinc in ventre adoratur à Ioanne in vtero. *Et posuit os meus quasi gladium acutum*, penetrabile eloquium meum ad omnes conuertendos, & conuocandos; hinc stabat Iesus, & clamabat, si quis sitit veniat, &c. *in vmbra*, protectio, *manus suæ*, potentiæ suæ *protexit me*, nè offenderer, antequàm vellem; vndè dicebat, Nemo tollit à me animam meam, potestatem habeo ponendi animam meam, *& posuit me sicùt sagittam electam* intèr alias, vti meliorem separatam ad prosternēdos dæmones, mundi principes, & mundum totum etiàm à longè vincendum: *in pharetra sua abscondit me*, in carne assumpta, nè cognoscerer à dæmone, & ex insidijs illum appeterem, dùm non videt sagittam diuinitùs absconditam. *Et dixit mihi: Seruus meus es tu Israel* fili ex Israel descendens, *quia in te gloriabor*, glorificabor, nominabor, cognoscar Deus, proùt sempèr Iesus quæsiuit gloriam Patris. *Et ego dixi, in vacuum laboraui* clamās, raucæ factæ sunt fauces meæ, sinè causa, *& nùnc fortitudinem meam*, annos iuuentutis meæ, dicitur enim gigas, *consumpsi* vsquè ad mortem Crucis, quia Israel me non cognouit; *ergò iudicium meū cùm Domino*, qui perpendet quis ex vobis defecerit, *& opus meum* laboriosum toto vitæ meæ tempore, quod ei manifestum est. Ioan. 17. opus consummaui, quod dedisti mihi, *cùm Deo* meo, qui id quęret, & iudicabit; nàm ego non veni, vt iudicem, sed vt saluem mundum, & ad eum omnia mea refero. *Et nunc hæc dicit Dominus* videns Israelitarum contumaciam, & socordiam, *formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam* per me *Iacob* errantem, *ad eum*: missus enim fuit visibilis ad oues, quæ perierunt domus Israel minister circumcisorum, *& Israel non congregabitur*. vndè Ioan. 11. 2. vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. *Et* quamuis in Israel parùm prædicatio mea profecit, glorificatus sum in oculis Domini, coràm quo apparuerunt opera mea, *& Deus factus est mihi fortitudo mea*, in eo enim speraui, & consolatus sum, non defeci, immò assumpsi vires ad alios congregandos. hinc, recusante Iudæa, Apostoli conuersi sunt ad gentes Act. 13. & Dauid Psal. 58. fortitudinem meam ad te custodiā, &c. *& dixit* me exaltare volens, & dare gentes hæreditatem meam Psal. 2. *parum est* maiestati gloriæ meæ, & charitati, qua omnes homines prosequor, *vt sis mihi seruus*, minister; venit enim ministrare, non ministrari *ad suscitandas*, quantùm in te erit redimendas, docendas *tribus Iacob, & fæces Israel* reliquias in fine *conuertendas*, ad quas præsentialitèr mitteris iuxtà promissionem Patribus factam. *Ecce* (maiora expecto) *dedi te in lucem gentium*, sic Simeon. Lumen

men ad reuelationem gentium, vt illumines omnem hominem venientem in hunc mundum, ego sum lux mundi, ambulate dùm lucem habetis, *vt sis salus mea* à me procedens, qui te mitto saluatorem, *vsquè ad extremum terræ* totius mundi; Et Ioan. cap. 11. & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. *Hæc autèm dicit Dominus redemptor Israel* populi Hebræi *sanctus eius* illum sanctificans, *ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum*, hæc ad Iudæos, vt ad æmulationem inducantur, proùt Paulus: hæc autèm illis conueniunt, maximè pòst captiuitatem Romanam, quod tempus respicit: Hæc nullo modo ad Christum, de cuius exultatione intèr gentes præmisit, quod & prosequitur. Prætereà quid diceret ei, & suis nouum, cùm iàm præmiserit se illum dedisse in lucem gentium? Prætereà quid dicere se redemptorem, & sanctum Israel, si cùm Israelitis non loquitur? hoc autèm dicit, fiet gentium ad me conuersio. Nequè obstabunt prædicta, nequè maiores, capita populorum non existimetis me mendacem *Reges videbunt* mirabilia, quæ fient, *& consurgent principes* ad fidem, *& adorabunt proptèr*, propè, verè in aliorum cõspectu *Dominum*, sìc: Vota mea Domino reddam, &c. vt hic Castr. *quia fidelis est* obseruans, videbunt quæ promisi, effectui demandasse, & omnia perpendent, & sanctum *Israel, qui elegit te* ò Messia ad hoc, eccè quomodo verbum *vocaui* pro elegi suprà in princ. cap. Hæc non possunt trahi ad iudicium, & in malum, quia in bonam partem est locutio, cùm motus sit occasione fidelitatis Dei. *Hæc dicit Dominus* ad Messiam, postulare te feci à me gentes hæreditatem tuam Psal. 2. & eccè *in tempore placito mihi*, in plenitudine temporis *exaudiui te, & dedi, & in die salutis* mundo præstandæ *auxiliatus sum tui* ad opus perficiendum conuersionis gentium, *& seruaui te*, vt operi extremam manum dares, *& dedi te in fœdus populi* in pactum, vt paciscereris de pace intèr te, & orbem, & inires, & stabilires eã morte tua, *vt suscitares terram*, peccato mortuam, redimeres mundum à peccato, & diabolo, *& possideres* expleto opere *hæreditates dissipatas* dispersas per totum orbem Psal. 2. Ioan. 11. vt diceres *ijs, qui vincti sunt* à peccato, & dæmone *exite* liberi, *& his qui in tenebris* ignorantiæ *reuelamini* ad fidem, ad lucem Euangelij. *Supèr vias pascentur* vbiquè pascua inuenient, abundabunt, *& in omnibus planis pascua eorum* vbiquè viror, *non esurient, nequè sitient* verbum Dei, *& non percutient eos æstus, & sol*, quia protegentur à Domino, vobiscum sum omnibus diebus vsquè ad consummationem sæculi, *quia miserator eorum reget eos* pascet, *& ad fontes* latissimos *aquarum* gratiæ suæ *potabit eos*, vndè Christus: qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet ampliùs. *Et ponam* deponam *omnes montes meos*, qui solent iter interuertere *in viam* planam, *& semita mea exaltabuntur* à multitudine pertranseuntium, auferam omnia impedimenta. *Eccè isti*, &c. homines de omnibus plagis mundi credent: multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cùm Abraham, dixit Christus *laudate cœli*, &c. prouocat omnes ad lætitiam, & laudes, proùt sæpè in psalmis Dauid; *quia consolatus est Dominus populum suum*, fidelem, prædestinatos, *& pauperum suorum* gentilium derelictorum *miserebitur* ducens eos ad salutem. *Et dixit Sion* Synagoga Ierusalem, videns gentilitatem admissam, & fidelem. *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei*, quæ eram ei peculiaris, & tot beneficijs augebar. Hìnc intellectus ad vers. 7. *hæc dicit*, firmatur ad Iudæos referri, qui nùnc dolent se derelictos gentilitate recepta. Vel dolent non præseruari à captiuitate Babylonica. *Numquid* respondet Dominus *obliuisci potest mulier infantem suum*, quem deperit, *vt non misereatur filio vteri sui?* indigenti, *& si illa oblita fuerit, ego tamèn* superans illam in charitate *non obliuiscar tui*. *Eccè* hoc tibi signum *in manibus meis descripsi te*, cùm ergò verseris sempèr antè oculos meos, tui recordor, *muri tui coràm oculis meis sempèr* quasi custos sum illorum, supèr muros tuos constitui custodes, vel ad eorum reædificationem propero. *Venerunt* iàm *structores tui* fundamenta incussa iacientes per Cyrum, licentia concessa

destruentes te, *& dissipantes*, si ad Ierusalem, vide Albam cent. cap. 40. Chaldæi; si ad Ecclesiam, Pharisæi, Scribæ, mali ministri *à te exibunt*, vt tutiùs funderis suprà fundamentum Apostolorum, & Prophetarum tuorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu; ideò de Ecclesia subdit *leua in circuitu oculos tuos*, *& vide: omnes isti* populi *congregati sunt* si ad Ierusalem de Iudæis: si ad Ecclesiam, de gentibus, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum *venerunt tibi* ad te multiplicandam. *Viuo ego* iuro *dicit Dominus*, *quia his omnibus velùt ornamento vestieris*, *& circumdabis tibi eos quasi sponsa* monilibus, & margaritis. *quia deserta tua*, *& solitudines tuæ*, *& terra ruinæ tuæ*, tota Palestina *nùnc angusta erunt præ habitatoribus* si propriè, ad terrena, si ad Ecclesiam, fidelibus vnam Ecclesiam constituentibus, *& longè fugabuntur*, si de Ecclesia, Pharisæi, Sacerdotes, Scribæ, *qui absorbebant te*, vt in Euangelijs,& Principes, & Reges, vt in historijs; si de terrenis, qui tibi molesti erant populi: *Adhùc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ*, reliquiæ à captiuitate reuersæ: si de Ecclesia Apostoli, quorum voces in omnem terram ibunt, quia Synagoga eorum sterilis fuit, vndè circuibant mare, & aridam pro vno proselyto, & in Ecclesiã pauci introierunt; nequè congruit hic sterilitas gentilitati, sed Synagogæ, vt & infrà. *Angustus est mihi locus*, *fac spatium* maius *mihi*, *vt habitem* cùm tanta multitudine; si ad Ecclesiam, cùm tot fidelibus ex gentilitate. *Et dicas* admirabunda *in corde tuo: quis genuit mihi illos?* non ego, quia *ego sterilis*, *& non pariens*, *& transmigrata*, *& captiua* in doloribus enim versantes difficultèr generant, *& istos quis enutriuit? ego destituta*, *& sola* non, *& isti vbi erant?* quasi de longinquo venerunt, ignoro illorum originem. *Hæc dicit Dominus Deus* respondens præmissis, sìc faciam. *Eccè leuabo ad gentes manum meam* illas euocans, *& ad populos exaltabo* in altum *signum meum* ad destructionem Babylonis; si ad Ecclesiam, ad prædicationem, Euangelicam crucem, prouocaboquè eos ad fidem, proùt solent ad bella ineunda signa dari. *Et afferent filios tuos in vlnis*, *& filias tuas supèr humeros portabunt* à captiuitate Babylonica; si ad Ecclesiam excipient hilaritèr prædicatores Euangelij, & fideles. *Et erunt reges nutritij tui*, *& reginæ nutrices tuæ*, ideò mollitèr, & delicatè tractaberis in reditu à captiuitate: si ad Ecclesiam, omnes Principes propagabunt Euangelium; sìc Costantinus, & alij: *vultu in terram demisso* prostrati, sìc de Seraphim Deum adorantibus dicitur, adorabunt te, *& puluerem pedum tuorum lingent* omne ministerium etiàm vile operabũtur sìc de pedum lotione Abigail ad Dauid; quæ ad captiuos redeuntes aptantur, quibus omnis honor delatus. *Et scies*, *quia ego Dominus* hæc magna operans *supèr quo non confundentur*, quasi delusi, *qui expectant eum* promissa per eum: quia omnia adimplebuntur perfectè quòad liberationem à captiuitate promissam,& quòad Ecclesiam. Et quia dici poterat, gentes, & principes, de quibus dicis, sunt fortes, vel sub potestate dæmonis, vndè quomodò hæc fient? ideò subdit *numquid tolletur à forte* rege, vel dæmone *præda?* iàm capta, *aùt quod captum fuerit à robusto*, *saluum esse poterit?* vt de manu illius euadat, & non sit corruptum, & lacerum, sìc Gen. 49. in Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo,& quasi leæna,quis suscitabit eum? & alibì sæpè, & suprà in Isa. respondet. *Quia hæc dicit Dominus* illis fortior, vt in Euang. *equidèm*, & captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto saluabitur à Christo, & sale Apostolico, *eos verò*, *qui iudicauerunt te*, iniquè, *ego iudicabo* condemnabo,percutiam,pœnis debitis afficiã Chaldæos per Cyrum, & Darium, *& filios tuos* credentes *ego saluabo*, *& cibabo hostes tuos carnibus suis*, *& quasi musto*, *sanguine suo inebriabuntur*, his nulla maior strages dari potest, & illã hoc modo dicẽdi explicare voluit, sicùt ipsi quasi famelici optarunt carnibus, & sanguine vestro saturari, in quæ debaccati sunt, sìc eis fiet de eorum proprijs, proùt Iuuenis Cyro: sanguinẽ sitisti, sanguinẽ bibe,&c.& is mihi videtur melior intellectus. *Et sciet omnis caro* homo, *quia ego Dominus saluans te*, *redemptor tuus fortis Iacob* cognoscent ab alio hæc fieri nõ potuisse.

CAPVT

CAPVT L.

HAEC *dicit Dominus* ad Israelitas, postquam magnalia Ecclesiæ protulit, respōdens iterùm dictis cap. præced. vers. 14. Dereliquit, &c. non ampliùs ad me rediturus, & à captiuitate liberaturus. *Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam?* illam non ampliùs reassumpturus viuentem, sic enim dictabat lex repudij Deut. 24. videatur is, & adducatur in medium causa dimissionis, ideò hac phrasi vtitur satis apta, quia sicùt ex fornicatione corporali licebat repudium, sic ex fornicatione spirituali cùm idòlis iustè Deus dereliquisset non rediturus, *aùt quis est creditor meus, cui vēdidi vos?* vti filios more, dominium omne transferens perpetuum, ità vt nulla mihi sit repetitio; quasi dicat, nèc dedi libellum, nèc vendidi, & possum ad vos liberandos, & reassumendos redire, quandò mihi placuerit, vbì ergò fundatis querimonias vestras, me vos penitùs dereliquisse? *Eccè* causam ego vobis ostendo *in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram* Synagogam, à vobis igitùr factum est malum, data occasio, non à me, vos priores me dereliquistis, & alienastis peccatis inuoluti: hinc liberum vobis redire, & reintegrare societatem, ego verò dimisi; *quia veni* (dat rationem) *& non erat vir* me respiciens, *vocaui, et nō erat qui audiret*, propterea sic delusus abij, sed *numquid abbreuiata, & paruula facta est manus mea*, potentia mea magna, *vt non possim redimere?* vos à peccatis, & pacem reintegrare, si conuertimini, proùt non potest dans libellum, & vendens, *aùt non est in me virtus ad liberandum?* quasi, possum hæc præstare, non impedior; eccè quàm sim potens *in increpatione mea desertum* siccum, sicùt terra deserta sinè arboribus, herbis: hinc deduxit eos in abyssis sicùt in deserto, *faciam mare* increpuit mare rubrum, & exiccatum est, *ponam flumina in siccum*, sic in Iordane *computrescent pisces sinè aqua, & morientur in siti*, sic tùnc contigit, vel sub Pharaone Exod. 7. nàm & ibì siti mortui, quia aqua in sanguinem versa non potabilem, & hoc certum, primum præsumptum. *Induam cœlos* fulgentes tenebris tùnc factum, quasi omnia susdequè vertam, tanta est mea potentia: At propheta à liberatione captiuitatis Babylonicæ transit ad liberationem spirituale per Christum faciendam; vndè in persona Christi subdit. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo*, eccè quomodò potero liberare verbo meo penetrabiliori omni gladio incipiti, Euangelio meo populum, nec dubites de eruditione mea, quam dixi; nàm Dominus *erigit mane: mane* diluculò, quotidiè *erigit mihi aurem* ad audiendum, reuelat mihi, sicùt Dominus reuelauit aures Samuelis 1. Reg. 9. 15. *vt audiam quasi magistrum*; nàm omni sapientia imbuit illum ab instanti suæ conceptionis Col. 2. *Dominus Deus aperuit mihi aurem* ad obediendum, vt faciam voluntatem eius, vt moriar pro vobis hominibus redimendis, & liberandis; eccè quomodò liberaberis, nàm pro aure obedientia. *Ego autèm non contradico: retrorsùm non abij*, vt solent nolentes, immò in capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei, & in executionem eius mandatorum. *Corpus meum dedi* vltrò, liberè *percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me*, sed subieci me omnibus tormentis, & passionibus, vt voluntas Dei in me perficeretur pro vobis redimendis, *Dominu Deus auxiliator meus* in quo confido, *ideò non sum confusus* non me fraudauit auxilio suo, *ideò posui faciem meam vt petram durissimam* ad omnia flagella acerba in me quasi in petram illata ad obediendum firmitèr, *& scio quoniàm non confundar*, sed omnia ad gloriam meam cedent, & redemptionem vestram, *Iuxtà est qui iustificat me* Dominus

minus iustum me declarans, & obedientem: sic in Euangelio de Spiritu sancto mundum arguente, *quis contradicet mihi?* quis poterit secùs dicere? sic & Paul. hac phrasi Roman. 8. *stemus simùl* in iudicio, *quis est aduersarius meus?* prodeat, ac *accedat ad me* contradicturus, & pugnaturus. *Ecce Dominus Deus auxiliator meus* defensor, *quis est, qui contemnet me?* quasi nemo poterit, cùm is non habeat superiorem. *Ecce omnes* aduentantes, contradicentes, *quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos*, ideò nihil contra me operari poterunt, at è contrariò. *Quis ex vobis timens Dominum audiens vocem serui tui?* Messiæ, *qui ambulauit* olim *in tenebris* peccatorum, *& non est lumen ei, vt* euadere possit ex *se speret in nomine* potentia, *Domini, & innitatur supèr Deum suum*, quia absquè eo non est salus, & saluabitur. *Ecce vos omnes accedentes ignem*, paratum à me diabolo, non vobis, *accincti flammis* peccatis vestris debitis, ideò non saluabimini, redit contrà Israelitas: *ambulate* per irrisionem, quasi sic benè ageretis *in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis* vobis *de manu mea* me permittente, & derelinquente ob peccata vestra, quæ diuiserunt intèr me, & vos, vel potentia mea, *factũ est hoc vobis: in doloribus dormietis*, moriemini, & permanebitis numquàm excitandi ad requiem vllam. Vel hæc referenda ad stragem, & captiuitatem per Romanos. Possent supradicta omnia ad prophetam accommodari, vt vers. Dominus dedit mihi linguam.

CAPVT LI.

AVDITE *me* (iterùm ad Israelitas) *qui sequimini quod vestrum est*, sic Christus docuit faciendũ: quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & *quæritis Dominum*, vt credatis quæ dixi de Messia mittendo, & vos redempturo: *attendite ad petram, vndè excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis* declarat quæ hæc. *Attendite ad Abraham patrem vestrum*, quo se oriundos profitebuntur cum Christo, nos ex patre Abraham nati sumus, *& ad Saram, quæ peperit vos* iunctìm ergò respectu Abrahæ, & Saræ, & petra, & cauerna laci, non disiunctìm, sic & Paulus Hebr. 12. vt respicerent in Iesum, *qui vnum vocaui eum*, singularem, *& benedixi ei, & multiplicaui eum*, in tot tribus, & populis, sicùt ergò feci hoc, faciam & liberationem à captiuitate Babylonica; Credo enim de hac agi in hoc cap. proùt in præcedenti; quia hæc connexa: & sicùt ex hac radice, quã ego ædificaui, vos traxi; ità præ cæteris vobis benedicam, multiplicabo: non respicias hìc fidem, vel factum Abrahæ iuxtà alios, sed multiplicationem ex eo factam virtute diuina. Et postquàm hæc de Abraham, confirmor magìs in opinione, quam tenui, & defendi Act. 7. & in Gen. numquàm Abraham fuisse contaminatum idololatria, ideò etiàm dicta in superioribus de primo parente peccante, dixi non intelligi de Abraham, sed de Adam. *Consolabitur ergò Dominus Syon*, terrenã, reducendo eam à captiuitate, vel Ecclesiã fidelium, *& consolabitur omnes ruinas eius*, reædificando eam, vel Ecclesiam ex vobis infidelibus remansuris processuras: implebit ruinas Psal. 109. 9. sarciens eas, ex gentilitate, *& ponet desertum eius* deserta enìm gentilitas, *quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini* paradisum; vndè lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, quia plures filij desertæ, quàm eius, quæ habet virum, & cùm hìc fiat mentio paradisi tãquàm extantis, meritò Apoc. 11. tenui adhùc extare, non autèm destructum à diluuio. *Gaudium, & lætitia inuenietur in ea*, lux orta est iusto, & rectis corde lætitia, *gratiarum actio, & vox laudis*, vndè Paulus, gaudete in Domino sempèr: iterùm dico gaudete, & hæc cessarunt in Synagoga. At possunt prædicta tutiùs intelligi de Ierusalem terrena, cùm & sequentia de populo carnali dicantur. *Attendite ad me*

populo

popule meus,et tribus mea Israel carnalis,*me audite*, iterùm vocat Israelem carnalem, nõ gẽtiles,*quia lex noua* Euãgelica *à me exiet*, *& iudiciũ meum* lex, lex enim iudicium in Scriptura, *in lucẽ populorum* gentiliũ ad me conuertendorũ *requiescet*, pedẽ figet, & tũc tutò tenete,& credite Messiã aduenisse.Hæc possunt & ad exercitũ Persarum,& Medorũ trahi vti vocatorum à Domino *propè est iustus meus* Messias,quẽ (vt obseruaui)sub nomine iusti vocat,iustitia verò patris obseruãtis quod promisit. Vel iustus meus Cyrus, *egressus est saluator meus* Cyrus à me datus pro salute populi: vel Messias à me datus in salutẽ humani generis. vide quomodò loquatur de venturo pòst septingentos annos. dixi Gen.49. *& brachia mea*,virtutes,vires, potẽtia;*populos*,qui credere noluerunt *iudicabũt*:vndè Io:16.cũ venerit ille,arguet mũdũ de peccato,& de iustitia,& de iudicio; de iudicio autẽ, quia princeps huius mundi iã iudicatus est; At nõ placet, dic ergò, *populos iudicabunt*,præscribã eis legem ex potestate mea,repetit quod dixerat; vel iudicabo puniens Babylonios,& alios populos cũ eis mistos. *me insulæ*, gentes *expectabunt*, & ipse erit expectatio gentiũ. Gen.49 *et brachium meum* Messiã *sustinebunt*, sperantes ab eo salutẽ; vel exp ctabunt me, & potentiã meam liberantẽ *insulæ* Iudæi hùc illùc dispersi. At vt ad fidẽ horũ inducantur,subdit: *leuate in cœlũ oculos vestros, & videte sub terra deorsùm* omnia nùnc firma, & stabilia: *quia cœli sicùt fumus liquescent,et terra sicùt vestimẽtum atteretur* consũmabitur,*& habitatores eius sicùt hæc interibunt*, sic & Petr.2.epist. c.3.vbi dixi,& tamèn hæc (vult dicere) non subsistent, immutabuntur. Vel intellige sub his de Babylonijs conterendis. *Salus autèm mea*, quã mediante Messia facio *in sempiternũ erit & iustitia mea*, quia sic promisi *non deficiet*, nedũ igitùr veniet, sed sẽpèr stabit, æterna erit,ideò hanc æternitatem respicite, omnia deficient,seù immutabuntur,nõ hæc, ad quæ & Paul. hortatur,dicens nõ cõsiderãda, quæ videntur,trãsitura,sed quæ nõ videntur, æterna.hinc Dauid:Initio tu Domine terrã fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli:ipsi peribunt,tu autèm permanes, & omnes sicùt vestimentum veterascent.Tu autèm idẽ ipse es,& anni tui nõ deficient;filij,&c.sic cœlum, & terra transibunt, verba autẽ mea non transibunt.Vel *salus mea*,quæ fiet pòst liberationẽ à captiuitate Babylonica per tempus longũ durabit. *Audite me qui scitis iustum* iustitiam *populus meus, lex mea in corde eorum*,in quorum corde lex mea ad obseruantiã, qui passuri estis, & magnas tribulationes subituri, vel passi iàm à Babylonijs:*nolite timere opprobriũ hominũ,et blasphemias eorũ* maledictiones in vos coaceruandas,*nè metuatis*,quia hi animã non possũt in gehennã mittere. *Sicùt enim vestimẽtum, sic comedet eos vermis. & sicùt lanã, sic deuorabit eos tinea*,hi peribunt:*salus autẽ mea in sempiternum erit, & iustitia mea* ad vos saluandos *in generationes generationũ* sempèr, filij seruorũ tuorum habitabunt, & semen eorũ in sæculum dirigetur. Alij nõ ad passuros,sed ad Hebræos illos visitaturos persecutionibus his currentibus: at melior videtur primus intellectus; scribitur enim hoc, nè auertatur à fide ex persecutionibus futuris. Vel intellige de salute ad longũ tempus pòst liberationẽ à captiuitate Babylonica. At propheta videns Israelitas his non acquieturos, vel alios non restituros persecutionibus, & passionibus, erigit se ad rogãdum Dominũ, proùt suprà: Rorate cœli desupèr, &c. & Moyses. Mitte quem missurus es. vel ad liberationem à captiuitate accelerandam subdit. *Consurge, consurge*, Domine,adiutorium tuum est maximè necessarium, *induere fortitudinem*, & illa vtere ad liberationem populi Hebræi; seù fidelium, *brachium* potentia *Domini: consurge* ad mirabilia patranda *sicùt in diebus antiquis in generationibus seculorum* anteactis tempore Moysis: *numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?* Pharaonem in brachio tuo extento,*numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam,vt transiret liberati?* egressi ab Aegypto, quasi nõ deest tibi potẽtia,illa vtere pro tuo populo.*Et nũc* si fortitudine tua induaris Domine,idẽ fiet, nã *qui redẽpti sunt à Domino* ad reditũ, seù prædestinati *reuertentur, & venient in Sion laudãtes, & lætitia sempiterna* erit *supèr capita eorũ*, *gaudiũ, & lætitiã tenebunt* tutò

fugiet dolor, & gemitus in reditu ad Terram promissionis, seù magis in beatitudine, ad quam finalitèr prædestinati ducentur, in hoc enim mundo hæc non dantur plenè. *Ego, ego ipse,* respondet Dominus prophetæ, vel populo, *consolabor vos*, vt & suprà vers. 3. sic enim Moyses petebat, vt ipse præcederet populum: *quis tu, vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ità arescet?* his verbis remouet timorem à propheta conceptum, dicitquè non esse timendum ab hominibus fragilibus, ipso se exhibente consolatore, *Et oblitus es Domini factoris tui*, te protegentis, & potentis: Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui, *qui tetendit cælos, & fundauit terram: Et formidasti iugitèr à facie furoris eius, qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum: vbi nùnc est furor tribulantis?* quasi perierunt per me, non ergò illi timendi, sed in me confidendum. hinc spes po reditu, quia Chaldæi delendi per Persas, & Medos. *citò veniet* Dominus *gradiens*, festinans ad aperiendum captiuis afflictis ad liberationem nostram, *& ille*, qui vobis aduersabatur, *nō interficiet*, seù non permittetur à Domino interficere *vsquè ad internecionem*, proùt paratus erat ad perdendum. Vel potiùs hæc ad Deum, qui non faciet consummationem, sed aderit, vel non permittet consummationem, cui & sequentia conueniunt, *nec deficiet panis eius* consolatio, defensio Domini, manutentio, sicùt ex pane homo in vita conseruatur, seù hoc ad famem, nec fame corruet, nec gladio, quæ duo obsessis, vel captiuis solent cōtingere, & sic perfecta erit liberatio. nec dubites de potentia mea: *Ego autèm sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus eius: Dominus exercituum nomen meum* omnipotēs sum, & terribilis. sic suprà vers. 9. & 10. *Posui verba mea in ore tuo* (ò propheta) sic Ps. 104. posuit in eis verba signorum suorū, *& in vmbra manus meæ*, potentiæ meæ *protexi te*, sic instructus, & tutus, *plantes cælos*, homines cœlestes reddas, *& fundes terram*, homines terrenos stabilias, & in spirituales commutes, omnia renoues veteribus ablatis; per cœlum enim, & terram omnia creata intelliguntur in Scriptura, sic dictum Ier. cap. 1. 10. Eccè dedi verba mea in ore tuo: eccè constitui te hodiè supèr gentes, & supèr regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes: Placet magìs hic intellectus, quia omnia connectūtur cùm præcedentibus, quàm quod hæc verba ad Christum dirigantur, de quo nihil præcessit, & quia iubetur, hæc, quæ sequuntur, referri ad Sion, quod magìs cōgruit prophetæ, quàm Christo, & quia dicenda non percutiunt tempus pòst aduentum Christi, sed antè. *& dicas ad Sion* illam confirmans nomine meo: *populus meus es tu* mihi peculiaris, *Eleuare, eleuare, consurge* ergò *Ierusalem* ciuitas, his verbis exhilarata à captiuitate soluenda. sic & infrà cap. seq *quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius;* sic & Apoc. 17. *vsquè ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti vsquè ad fæces*, ex quibus denotatur maxima calamitas, quam passa est in captiuitate Babylonica. Nō placet hęc ad Ecclesiam referre, quæ non bibit, vt hic, & quia clarè *Sion*, & quia hæc non respiciūt tempora nouissima Messiæ, vt ex contextu antecedenti, & sequentibus. *Non est, qui sustentet eam ex omnibus filijs, quos genuit, & non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filijs, quos enutriuit*, adeò desolata remansit. sic Iere. non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius, & Dauid: infirmati sunt, nec fuit qui adiuuaret, omnes enim in captiuitatem dati. *Duo sunt* mala, *Quæ occurrerunt tibi, quis contristabitur supèr te?* ad auxiliandum, quasi nullus erit: *vastitas, & contritio*, hoc vnum relatum ad ciuitatē; *& fames, & gladius*, hoc secundum relatum ad habitatores; *quis consolabitur te?* nullus scilicèt potens *filij tui*, reddit rationem, cur filij non auxilientur; *proiecti sunt* absq. sepultura, *dormierunt* mortui *in capite omniū viarum sicùt oryx illaqueatus*, qui de facili occiditur, vel capitur, *pleni indignatione Domini, increpationes Dei sui* ob eorū scelera, sic & Iere. in Thren. in captiuitate hac Babylonica: non est qui cōsoletur eā ex omnibus charis eius. *Idcircò audi hoc* ad tuā cōsolationē *paupercula*, misera, *& ebria* ex potu calicis furoris *non à vino. hæc dicit Dominator tuus Dominus, & Deus tuus*, sic nūcupat

pat Moyses, Dominator Domine, *qui pugnabit pro populo suo* pôstquam alium non habes ex tuis. *Ecce tuli de manu tua calicē soporis*, quem potabas, *fundum calicis indignationis meæ* ob peccata tua, *non adÿcies, vt bibas illum vltrà* per multos annos vsq. ad captiuitatem Romanam, postquàm nulla libertas danda; aliòquin dicendum esset hæc respicere tempora nouissima, & agi de captiuitate Romana, quia pôst Babylonicā iterùm de calice bibitum, & in Babylonica, & pôst habuit Prophetas; pôst Romanam verò nullū prophetā, vel doctorem: sed puto omnia de Babylonica dici. *Et ponā illum in manu eorū, qui te humiliauerūt*, destruxerunt *& dixerunt animæ tuæ*, tibi, & præstiterunt: *incuruare*, deprimere, *vt transeamus, & posuisti vt terram corpus tuum* penitùs destructa, & arsa ab eis, *& quasi viam transeuntibus:* Nota, si de captiuitate Romana ageretur, quod non puto, vt dixi, quid euenturum Romæ? bibituram nempè calicem illum, de quo Apoc. 17. & sic suprà in pluribus locis Isaiæ notauimus euenturum cuicumque populo, & iàm euenit, qui populo Hebræo infestus fuit. sed, vt dixi, inclino magis dici de Babylonica, de qua & capit. sequenti.

CAPVT LII.

CONSVRGE, *consurge* infirma, *induere fortitudine tua* reassume vires *Syon: induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas Sancti* Dei, ad lætitiam te præpara, vt solent qui in mœrore fuerant, à captiuitate Babylonica liberanda; sic Iudith, Esther, Mardochæus, *quia non adÿcies vltrà, vt pertranseat per te incircumcisus, & immundus*, postquàm in terram tuā reuersa fueris, hos enim Hebræi abhorrebant: idem cap. 35. 8. & cap. 51. 23. vult dicere, eris ab his libera, sic enim verba æternitatem importantia in Scripturis sæpissimè interpretamur: Scimus verò secutam posteà captiuitatem Romanam perpetuam. *Excutere de puluere*, in quo mœsta te operuisti *consurge: sede Ierusalem* omni mœrore vacua: *solue vincula colli tui captiua filia Syō*, soluta sunt vincula Babylonica, *quia hæc dicit Dominus, gratis venundati estis* Babylonijs ad litteram, quia bello capti, non spiritualitèr, nullus enim creditor, vel emptor fuit peccatoris, suprà cap. 50. sinè causa ergò, & pretio (quia peccatum nihil est, vendidistis vos peccatis immersi, proùt Achab, qui venundatus est ob Iezabelem, vt faceret malum in conspectu Domini: at proptèr peccata tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos. hæc lex, quæ nos præuaricare fecit, quam sentiebat Apostolus in membris suis repugnantē legi mentis suæ, à qua expectabat liberari per Iesum Christum. *& sinè argento* vestro pretio *redimemini* à me per Cyrum, qui liberauit eos vltrò, sinè pretio: spiritualitèr à peccatis, quia Dominus bonorum nostrorū non eget, & infrà capit. 55. omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, venite, & emite, &c. & quia creatura non habuit pretium æquiualens, cùm persona Dei infinita esset læsa, vndè conueniens fuit per aliam personam infinitam redemptionē fieri: *Quia hæc dicit Dominus Deus: in Aegyptum descendit populus meus* Israel *in principio* diebus antiquis sub Iacob, *vt colonus esset ibi*, & aleretur Gen. 47. *& Assur* Aegyptij, qui ab Assyrijs descendunt. Ezechiel. 31. *absquè vlla causa calumniatus est eum*, oppressit immemor beneficiorum Ioseph, & liberaui eum à calumnijs illorum. Non hìc de Salmanassar; nàm decem tribus datæ fuerūt in perpetuam captiuitatē. Non de Sennacherib, quia restringeretur ad tribum Iuda, & hic de toto populo agit: Non de Nabuchodonosor, quia loquitur de præteritis, & captiuitas hæc Babylonica nondū secuta erat, & in nullo prædictorum verificantur verba, *descendit populus meus in Aegyptum*, nec possunt de vno facto ad aliud trahi, & transportari; vndè standum hìc agi de liberatione Aegyptiaca sola *mihi est hic*, idem agendum, *Dicit Dominus, quoniàm ablatus est populus meus gratis* ? sine causa à Chaldæis, quasi de secutis loquitur more prophetarū. *Dominatores eius iniquè agunt*

contrà illum *dicit Dominus*, *& iugitèr tota die nomen meum blaſphematur*, deprimitur, quaſi impotens ſim ad illum liberandum à ſeruitute hac: hoc ingratum Deo, vt in Dauid 2.Reg.12.14. Verumtamèn, quoniã blaſphemare feciſti inimicos Domini, &c. *Proptèr hoc ſciet populus meus nomen meum* potens, & efficax *in die illa*, qua illum & ab hac captiuitate liberabo: *quia ego ipſe qui loquebar, eccè adſum* illi auxiliaturus, & ſaluaturus illum, & liberaturus à ſeruitute Babylonica, *quam pulchri*, expetibileſquè & amplexandi *ſupèr montes*, vt ab hominibus audiantur, sic enim ſolemus vt ſuprà dictum: vide Alb cent c 41 ſupèr montẽ excelſum, & eleuatum aſcende qui euangelizas Sion: *pedes annunciantis, & prædicantis pacem* Iudæis à captiuitate reuerſuris; vel *pacẽ* myſticè initam, intèr Deum, & homines *annũciantis bonum, & prædicantis ſalutem* à captiuitate Iudæis; ſpiritualitèr hominibus præſtitam, *dicentis Sion: Regnabit* victor erit *Deus tuus* præualebit, & tu liberaberis à captiuitate. ſpiritualitèr conteret diabolũ, intonabit: pœnitentiam agite, qua pax cùm Deo quæritur, appropinquauit regnum cœlorum; habes hæc verba Rom.10. *Vox* hæc erit *ſpeculatorum tuorum* miſſorum ad conuocandũ Iudæos per regna diſperſos in Ieruſalẽ redituros edicto Cyri. ſpiritualitèr Io. Baptiſtæ, & Apoſtolorũ, *leuauerunt vocẽ* inuitantes ad reditũ, vel ad fidẽ Meſſiæ, *ſimùl laudabunt*, laudes eius pronunciabunt, *quia oculò ad oculum videbunt* mirabilia, quæ faciet Deus pro populi liberatione; vel Meſſiã Io.1. & 1.Io.1. 2.Pet.1. *cũ cõuerterit Dominus Sion* à captiuitate Babylonica: vel aliquos Sion carnalis; vel multos ex Sion ſpirituali, nẽpè Eccleſia ex gentibus, & venerit plenitudo tẽporis Galat.4. *Gaudete, & laudate ſimùl deſerta*, nùnc Ieruſalem, *quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum*, *redemit Ieruſalẽ* à captiuitate Babylonica, sic cap. 40. conſolamini, &c. hanc conſolationem expectabat Simeon. Hucuſquè hæc læta ad alliciendam Ieruſalem; at quia pauci ex eis recepturi Meſſiam, proptereà ſubdit, *parauit Dominus brachium* Meſſiam *Sanctum ſuum* illum miſſurus *in oculis enim gentium*, quæ conuertentur: *& videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri*, & ad eum confugient; hæc & ad liberationem Babylonicæ captiuitatis referri poſſunt: ſed ſi de Meſſia, vult inferre, at vos Hebræi illum non recipietis, ſed ob peccatum veſtrum maximum mortis illius extirpabimini: vndè conuertens ſermonem ad fideles, vel Apoſtolos dicit: *recedite, recedite* de Ieruſalem, *exite indè. pollutum nolite tangere*, quaſi polluemini ibi ſtantes, *exite de medio eius* repetit, inculcat ad periculum imminens magis declarandum: sic Moyſes in Chore, & Abiron, & Epheſ. 5. & Chriſtus perſuadens ad fugam. Vel *recedite* de Babylone, quod ſæpiùs dixit, *mundamini*, mundi eſtote, *qui fertis vaſa Domini* in Ieruſalem à Cyro data; vel ſpiritualitèr ſacramenta eius, legem Euangelicam in omnem terram, *quoniàm non in tumultu exibitis, nèc in fuga properabitis*, proùt in Aegypto, ſed quietè, & pacificè Cyro annuente: vel ſpiritualitèr quaſi eiecti, & timidi ad gẽtes ituri *præcedet enim vos Dominus* protegens, *& congregabit vos* ſaluos *Deus Iſrael*, *eccè intelliget* prudentèr aget, prouidebit *ſeruus meus*, Cyrus, ſpiritualitèr Meſſias, *exaltabitur, et eleuabitur, ſublimis erit valdè* pòſt victoriã Babylonicam; vel Meſſiam pòſt paſſionẽ Phil. 2. Eph.1. *ſicùt obſtupuerunt ſupèr te* ò Cyre videntes progreſſus tuos; vel meliùs ò Chriſte *multi* videntes mirabilia opera tua, *sic inglorius erit intèr viros aſpectus eius, & forma eius intèr filios hominum*, quia ab eo Cyro caput delectum, & in ſanguine proiectũ, ſed tutiùs in Chriſto; non eſt ſpecies ei, neq. decor, &c. cap. ſeq. *iſte aſperget* ſanguine ſuo, baptiſmo *gentes multas*, quæ ad eũ conuertentur, *ſupèr ipſum reges continebunt os ſuũ*, non audentes contradicere ei, & sic & ipſi illum recipient, vt ſuprà dixit. Vel de Cyro victore tot regum: *quia quibus non eſt narratum de eo* prædictum, proùt Hebræis, *viderunt*, & crediderunt, *& qui non audierũt*, ex lege antiqua, & prophetis *contẽplati ſunt* eum, illi adheſerunt, illũ receperũt, beati qui non viderunt, & crediderũt, dixit Dominus Io.21. vel de Cyro, cui ex auditis ab alijs victorijs, hæc quoquo modo cõſurgere potuerunt; ſed melior primus, & tutior. quod magis patet ex cap. ſeq.

CAPVT

CAPVT LIII.

QVIS *credidit auditui nostro?* ex ijs, quibus annunciamus de Messia, quæ audiri fecimus supèr mótes publicè, quasi rari, pauci enim ex Hebræis crediderunt Iesu, seù illum receperunt Io. 12. at malè iudicio meo hæc referuntur ad Christum loquentem, quia sequentia non congruunt. *Et brachium Domini*, Messias, seù virtus, & potentia *cui reuelatum est?* paucis ex Hebræis, vndè Christus cùm Petro: caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis; & Paul. Rom. 10. cùm placuit ei, qui ab vtero me vocauit, reuelare filium suum, &c. *Et* quia *ascendit* surget, apparebit. *sicùt virgultum* depressum, & humile *coràm eo* Deo, de quo suprà *brachium Domini*, humiliauit enìm semetipsum, formam serui accipiens, Dei forma exteriùs non apparente, etsi in forma Dei esset, *& sicùt radix de terra sitienti*, quæ parum humoris recipit, explicat hanc humilitatem, quia in sua passione contritus fuit, ideò *non est species ei*, *nequè decor* in passione, qui speciosus fuit forma præ filijs hominum, *& vidimus eum*, *& non erat aspectus*, quod in eo aspiceremus suaue, dignum, adeo erat deformatus, *& non*, negatiua enim hùc proroganda, quam & infrà iterat: *desiderauimus eum despectum* irrisum, *& nouissimum virorum*, vermem, & non hominem, reiectum ab alijs, *virum dolorum*, in quem omnium dolores congesti: vndè videte, si est dolor sicùt dolor meus, *& scientem* experientem, sustinentem *infirmitatem*, qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesquè, &c. & didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam. Heb. 5. 8 *& quasi absconditus* ignotus, *vultus eius*, quia etsi appareret, non tamèn cognosci poterat ex alapis, percussionibus, sputis, liuore deformatus, *& despectus*, irrisus, abiectus, *vndè nèc putauimus eum*, non credidimus eum qualem se faciebat, Messiam filium Dei, tanta fuit exinanitio. Hæc omnia ad passionem refero, non ad cursum vitæ, quem ad mores aliorum hominum duxit, nequè abiectus vnquàm reputatus fuit; vndè Petrus, Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & Milites: numquàm sìc locutus est homo: illud tantùm mussitatum fabri esse filium, dùm admirarentur doctrinam illius, vt alibì dixi, at sic acturus. *Verè* non putatiuè dicit Hiero. *languores nostros*, quos nos merebamur *ipse tulit*, *& dolores nostros*, peccatis nostris debitos, *ipse portauit* supèr lignum Crucis Matth. 8. corporalitèr, & Acto. 8. & 1. Pet. 2. 23. 24. spiritualitèr, vide scripta Matth. 8. At hìc videtur de peccatis agi, & de spiritualibus infirmitatibus. Et Matthæus cap. 8. videtur intelligendus mysticè, etsi dicat, vt adimpleretur, quia & eo modo procedit adimplementum, vt in multis alijs. Vel dic de corporalibus etiàm, quia in corpore suo passus est, proptereà in se assumpsit quod nos in corporibus nostris merebamur pati, & hoc congruit litteræ. Nèc vis facienda, quod non fuerint propriè infirmitates, quia sufficit passiones fuisse corporales, ideò nequè ità strictè intelligendus S. Matthęus ad illas, cùm satis sit de his passionibus sensisse. Vel sìc intelligendus Matthæus: *tulit*, *& portauit* infirmitates nostras corporales, eas sua virtute sanatiua à nobis elongando, sicùt spirituales pro nobis patiendo, vt hìc, & sìc accomodatiuè hoc loco vtitur. vide cap. 35. & 42. *& nos* ingrati *putauimus eum quasi leprosum* pollutum, vilem, indignum consortio hominum, peccatorem, *& percussum à Deo* à manu eius potenti, quasi dicentes, non potest esse opus alterius, seù pœna alijs debita, sed propria illius proptèr sua peccata, sic Iob imponebant amici, *& humiliatum*, qui se faciebat Deum Ioan. 5. vide Sap. 2. decipiebamur, *ipse autèm vulneratus est*, & mortuus *proptèr iniquitates nostras*, *attritus est proptèr scelera nostra*, quæ ex sua misericordia delere voluit; non sua propria, à quibus immunis, *disciplina* castigatio *pacis nostra* prò pace obtinenda apud Deum, quæ

nobis debebatur, *supèr eum* fuit, *& liuore eius sanati sumus* deleto chirographo, quod contrà nos erat Col. 2. eccè quomodò languores nostros tulit, &c. *Omnes nos quasi oues errauimus* à recto itinere declinantes *vnusquisque in viam suam* sibi placitã *declinauit*, dimissi sumus secundùm desideria cordis nostri, omnes errauerunt, & egent gloria Dei: vide 1. Petr. 2. 15. *& posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, vt pro illis satisfaceret, vt fecit sufficientèr, sed non efficacitèr ex defectu non applicantium meritum illius: ei verò eò magis debemus, quò omnia voluntariè operatus est. *Oblatus est* enim ad mortem pro nobis, *quia ipse voluit*, *& non aperuit os suum* ad contradicendum. Io. 10. 18. *sicùt ouis* mansueta *ad occisionem ducetur*, *& quasi agnus* Ioan 1. *coràm tondente se* nullam vocem dans, *obmutescet*, *& non aperuit os suũ*, hæc est hora vestra (dicebat) & potestas tenebrarum. *de angustia* tribulationum, *& de iudicio* condemnatione, & morte tandèm *sublatus est* liberatus *generationem* resurrectionem *eius* diuinam, diuina sua potestate factam, quam nullus vidit relatam ab Angelis, *quis enarrabit?* sìc in Psa'm. ego hodiè genui te. vide scripta in resurrectione, & Act. 13. clarins, hic solus. *quia abscissus est de terra viuentium*, mortuus est ignominiosa morte Crucis, proptereà & Deus exaltauit illum, &c. Phil. 2. at mortuus non proptèr se, non proptèr peccata sua, sed *proptèr scelus populi mei percussi eum*, tradidi ego Deus eum morti, sic Phil. 2. & ipse, nonnè hæc oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam? ob hanc ergò exinanitionem, & charitatem ergà homines exaltatus est. *& dabit mihi* Deo patri *impios* per eum redemptos sibi fideles *pro sepultura* sua, seù morte, *& diuitem* & potentes *pro morte sua*, hoc enim lucrifaciet 1. Cor. 15. eccè hic de propagatione seminis, de quo & infrà: ideò verbum superiùs *generationem* non ad hoc, sed ad resurrectionem, vt dixi. Hæc verba nõ vidẽtur trahenda ad punitionem iniquorum, quia de hac hic non agitur, cùm *& pro transgressoribus rogauerit*, neque ad sepelientes, quia verbum *diuitem* ad mortem, non ad sepulturam, & confunderetur verbum *dabit*, quia impijs, & diuitibus non seruiret, *eò quòd iniquitatem non fecerit*, *nèc dolus fuerit in ore eius*, quia non peccauit, immò impeccabilis fuit, ideò hos lucri faciet; si enim peccator fuisset, nõ poterat pro alijs satisfacere, vel alios lucrari. Vel *dabit* condemnabit, *impios*, *& diuitem pro sepultura*, *& morte sua* iniustè illata, *eò quòd iniquitatem*, &c. *& dolus*, &c. illam non meruerit, & licèt pro trangressoribus rogauerit, intelligitur de impijs non conuersis, contumacibus, qui preces sibi ipsis non applicauerunt. *Et* tamèn *voluit conterere eum*, & si innocentem in tot cruciatibus, & morte, *in infirmitate* carnis suæ Hebr. 5. 7. *si* cùm *posuerit pro peccato animam suam*, vitam suam, se immolauerit, sacrificauerit pro peccatoribus, *videbit semen longæuum* fidelium, credentium æternum, numquàm defuturum: eccè iterùm de semine, *& voluntas Domini in manu eius*, in eius actione *dirigetur*, complebitur, quæ erat, vt pateretur pro genere humano. *Pro eo quod laborauit* vsquè ad mortem *anima eius*, vita eius *videbit* fructum laboris sui, *& saturabitur* in semine longæuo quæsito, labores manuum suarum manducabit, *in scientia sua* Euangelica, *iustificabit* per fidem, quam apprehendent, *ipse iustus* iustificans *seruus meus* Messias *multos* efficacitèr, vel omnes sufficientèr quantùm in eo est. Non dicas, *in scientia*, idest in fide, quia præcedere debuerat prædicatio, quomodò credent sinè prædicante? & hoc non patitur verbum scio: & in Iob 19. 25. verbum scio, pro certum scio, non credo, *& iniquitates eorum ipse portabit*, sustinebit in corpore suo. *ideò dispertiam ei plurimos*, quos ei subdam Psal. 2. Phil. 2. *& fortium* dæmonum *diuidet spolia*, quæ ab eis rapiet victor per Crucem: eccè iterùm de semine. Non placet id d ci de saluis in Limbo, quia illi etsi dicantur captiui, & veniant sub illis verbis, captiuam duxit captiuitatem, non tamèn veniũt sub spolijs à diabolo ereptis, quia illum euaserant, nec erant sub eius potestate: sed ibi detenti à Deo, donèc aperirentur portæ cœli per Messiam: vndè captiui illi quidèm, sed non fortium; nisi dicas, quia semèl captiui fuerunt, quod respicit

alia

alia tempora, *pro eo quod tradidit in mortem animam suam*, repetit, quia id maximum, *& cùm sceleratis reputatus est* cum latronibus crucifixus, vel tamquàm reus per sententiam iudicis cõdemnatus, & mortuus. *& ipse peccata multorũ* omnium *tulit: & pro transgressoribus rogauit* dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt, quod fuit ex maximo ardore charitatis, & vt demonstraret etiàm pro illis passum esse, & illis passionem suam suffragari, vt eò magìs ex verbo *multorum* omnes homines intelligamus.

CAPVT LIV.

LAVDA *sterilis*, Gentilitas, ad quam loquitur, & ad Ecclesiam ex ea congregandam, non ad Synagogam, seù populum Hebræum, & sic totum hoc caput intellige; vide Paul. ad Gal. 4. 27. *quæ non paris, decanta laudem, & hinni* more equorum lætantium *quæ non pariebas: quoniàm multi filij desertæ* tui, quæ sic eras, *magìs quàm eius, quæ habet virum*, cùm eo commorantem, Synagogæ dicit Dominus, qui non mentitur, *dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, nè parcas*, nè differas, *longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida: ad dexteram enim, & ad læuam* ad orientem, & occidentem *penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit* his omnibus ostendit multiplicationem Ecclesiæ per gentilitatem, & verba clara sunt per metaphoras *noli timere, quia non confunderis, neque erubesces*, quasi derelicta, vel paruula: *non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ*, in qua deserta vixisti, nempè à principio idololatriæ vsq. huc, cùm antè me solũ Deum noscceres, & haberes, *non recordaberis ampliùs* succedentibus tibi omnibus lætis, & prosperis. *Qui dominabitur tui*, non idòla, quibus te subieceras, sed *ille qui fecit te* pater tuus *Dominus exercituum nomen eius* potens, *& redemptor sanctus Israel, Deus terræ vocabitur* erit, nàm illi subijcieris, & coles eum. *Quia vt mulierem derelictam, & mærentem spiritu vocauit te Dominus* misericors, *& vxorem ab adolescentia tua abiectam* eo tempore antiquo, quo cœpisti idòla colere *dixit* te *Deus tuus*, & sìc procedit rectè intellectus datus ad verba *viduitatis tuæ*, vers. 4. *ad punctum in modico* per tot sæcula, vt hic per alios *dereliqui te*, sìc quia mille anni antè Dominũ tamquàm dies hesterna, quæ præterijt, vide Gen. 49. *& in miserationibus magnis*, quibus te sublimabo, & magnificabo, *congregabo te* dispersam, *in momento indignationis* meæ *abscondi faciem meam parumpèr à te* non enim in totũ deseruerat, *et in misericordia sẽpiterna*, quia nõ ampliùs abscondã faciem meã à te, sed ero tecũ omnibus diebus vitę tuæ, *misertus sum tui: dixit*, qui non mentitur *redemptor tuus Domine sicùt in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui nè inducerem aquas Noe*, tempore eius inductas *vltrà supèr terram*, Genes. 9. nè homines ad omnem pluuiæ visionẽ æstimarent se iterùm, proùt tũc, disperdendos, *sic iuraui, vt non irascar tibi, & increpem* exterminem *te* Ecclesiam meam, quam volo vsquè ad iudicium conseruare militantem, & pòst cœlestem triumphantem, nè putares te derelinquendam iterùm, proùt contigit Synagogæ: hinc de Ecclesia agi ex gentilitate collecta, in qua paucitas Iudæorum in ea à principio admissorum non consideratur, sed gentilitas sola. *Montes enim commouebuntur, & colles contremiscent*, proùt illud: cœlum, & terra transibunt: *misericordia autèm mea*, qua sìc destinaui perpetuã te reddere, *non recedet à te, & fœdus* pactum *pacis meæ* per Messiam acquirendæ *non mouebitur*, non immutabitur, stabile erit, & æternum, *dixit miserator tuus Dominus* de cuius sola misericordia id fit, *paupercula*, gentilitas, seù Ecclesia ex te fundata *tempestate* longa, qua idòlis seruisti *conuulsa* exinanita, *absquè vlla consolatione* spirituali, *eccè ego sternam per ordinem lapides tuos*, vt tutò funderis, *& fundabo te in Saphiris, & ponam iaspi-*

& fun-

dem propugnacula tua, vt non possis à quauis potentia etiam inferorum expugnari: *& portas tuas in lapides sculptos*, vt meliùs cohæreant, nec possint penetrari, *& omnes terminos tuos in lapides desiderabiles* fortes, pulchros, prout quæcumque ad arcem stabiliendam conueniunt: eadem similitudine vsus est Christus; Tu es Petrus, & supèr hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam; & Paulus, superædificati suprà fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. *Vniuersos filios tuos*, quos paries, *doctos à Domino* habebis, sic Ioh. 6. 45. erunt omnes docibiles Dei, & Paul. 2. Thess. 4. Heb. 8. 10. Ierem. 31. *& multitudinem pacis filijs tuis* à Messia quæsitæ, cessabunt turbationes intèr te, & me, quia iàm pax inita, *& in iustitia* legis Euangelicæ *fundaberis*, vel in Messia, quia non datum aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri, vt nòn sit necessarium aliud fundamentum: *recede* procedes *procùl à calumnia*, quia non erit quod tibi verè imputetur, cùm futura sis sinè ruga, & macula, *quia non timebis* innocens: fac bonum, & non timebis potestatem, dicit Paulus, *& à pauore, quia non appropinquabit tibi*; exclusus à charitate; ego enim te fortem reddam, vt resistere possis. *Eccè* quid ego faciam, nè paueas *accola* habitator tecum futurus *veniet*, *qui non erat mecum*, me non agnoscebat, *aduena quondam tuus*, quem extraneum reputabas *adiungetur tibi*, vt sis fortior, latè diffundaris, nèc hoc sufficit. *Eccè ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creaui interfectorem ad disperdendum*, ideò potero & hæc reprimere, nè tibi officiant, sic Zacch. 1. 20. de quatuor fabris, immò *omne vas, quod fictũ est contrà te non dirigetur*, confringetur; sic Christus, supèr quem ceciderit, confringet eum, & qui eum impegerit, confringetur, *& omnem linguam resistentem tibi* calumniosè *in iudicio* de te ab hominibus habito, *iudicabis*, condemnabis, compesces, *hæc est hæreditas seruorum Dei* illis ab eo danda *& iustitia eorum* ex bonis operibus quæsita, remuneranda, iuxtà Paulum vt suprà *apud me* omnia cognoscentem, & videntem, *dicit Dominus*.

CAPVT LV.

OMNES *sitientes* salutem animæ vestræ, aridi, pauperes, aliundè auxilium non habituri, *venite ad aquas* redemptionis, gratiarum exuberantium. sic Ioan. 7. Christus, si quis sitit, &c. & Matth. 11. venite, &c. quibus is locus declaratur. obserua liberum arbitrium stare cùm gratia. *& qui non habetis argentum* pretium, quo omnis homo deficiebat, *properate*, emite, accipite, proùt ementes, in vestro dominio perpetuo habere, *& comedite* fruimini, *venite* credentes, & recipientes Messiam tracti à patre Ioh. 6. hinc gratiam, & liberum arbitrium stant simùl absquè læsione, vt per Adamum hic; *emite absquè argento, & absquè vlla commutatione* redempti sanguine Messiæ, *vinum, & lac* suauissimè. sic & suprà cap. 52. 3. *quarè appenditis argentum* pretium *non in panibus*, qui gustent, & alãt, *& laborem vestrum non in saturitate?* qui satiet vos, sed in vanitatibus, in corruptibilibus, sic Psal. 2. quarè fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? vide Paul. ad Galat. *Audite audientes me, & comedite* accedentes, & obedientes, *bonum* quod præparaui, *& delectabitur in crassitudine* cibi *anima* vita *vestra, inclinate aurem vestram* obediendo, *& venite ad me*: *audite* assentiendo, *& viuet anima vestra* non moriemini in peccatis, *& feriam vobiscum pactum sempiternum*, *misericordias Dauid* promissas *fideles* veraces, stabiles de Messia mittendo, sic cap. 54. 9. 10. pòst quem nulla fiet mutatio rerum, vel statuum: vide Psalm. 88. incip. Misericordias, & Acto. 13. *Eccè testem* affirmantem omnia

omnia

omnia per me promissa impleta *populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus* legislatorem, in exemplum, doctorem: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & Paulus vult nos imitatores esse Christi, proùt ipse, & Ioan. 1. 8. Deum nemo vidit vnquàm, vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit, & Ioan. 18. Ego in hunc mũdum veni, vt testimonium perhibeam veritati. *Ecce ò Messias gentem, quam nesciebas* non populum dicit Oseas *vocabis, & gentes* vocatæ, *quæ te non cognouerunt*, cap. 55. in fin. *ad te current proptèr Dominum Deum tuum, & sanctum Israel, quia glorificauit te*, in resurrectione, ascensione, Psal. 2. & Ioan. 12. & 17. *Quærite Dominum, dùm inueniri potest*, redit ad principium capitis propheta, in quo inuitabat ad aquas, ideò dicit, nè differatis, dùm tempus est, dùm viuitis quærite Dominum, accedite, *inuocate eum, dùm propè est*, dùm fauet, antequàm irascatur, antequàm peccata vestra diuidant intèr eum, & vos: *Derelinquat impius viam suam* malam, *& vir iniquus cogitationes suas*, de quibus suprà versic. 2. *& reuertatur ad Dominum* ad aquas, *& miserebitur eius, & ad Deum nostrum* non idola, non ad vana: *quoniàm multus est*, totus est, promptus est *ad ignoscendum*, misericordia eius supèr omnia opera eius, *nõ enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: nequè viæ vestræ, viæ meæ dicit Dominus*; dixerat de pacto sempiterno, de misericordijs fidelibus, de aquis emundaturis, & vltimò Dominum parciturum; Et nè putẽt hæc mutanda, dicit consilia sua stabilia, & vias suas firmas, non proùt hominum, ideò tutò credant sic futurum, Dominus fidelis, at mendaces filij hominum, *quia sicùt exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris*, nulla similitudo Dei vobiscum in his, longissimè distatis, *& quomodò descendit imber, & nix de cœlo, & illùc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti*; operantur omnia ad quæ mittuntur, cooperantibus hominibus, *sic erit verbum* promissio *meum, quod egredietur*, quandocumquè *de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud*, restat ergò, vt ex parte vestra impleatis: hinc quomodò cor nostrũ in manu Dei, proùt & c. 4. Heb. 4. 12. viuus est enim sermo Dei, &c. *quia in lætitia egrediemini*, de peccatis vestris, *& in pace* diabolo debellato *deducemini* ad salutem: *montes, & colles cantabunt coràm vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu*, omnia vobis congratulabuntur. *Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus* omnia mala in bona vobis commutabuntur, vt ex Paulo, *& erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur*, quia in Ecclesia, quam nunquàm deseret, suprà vers. 3. & cap. 54. 7. 10. & cuius, & legis Euangelicæ nulla mutatio, hæc fient.

CAPVT LVI.

H*AEC dicit Dominus: Custodite iudicium* nè deflectat, *& facite iustitiam*, dirigite opera vestra, sicùt dixit Ioan. Baptista de quo suprà cap. 40. *præparate vias vestras* ad recipiendum Messiam *quia iuxtà est salus mea* Messias, *vt veniat, & iustitia mea* fidelitas, obseruantia promissorum, sic dixi in baptismo Christi, *vt reueletur* Messias, citò aderit, etsi per tot sæcula id factum sit, *beatus vir, qui facit hoc* custodit iudicium, & facit iustitiam, *& filius hominis, qui apprehendit istud* in corde suo, *custodiens Sabbatum nè polluat illud* exemplificat quod generale sub verbis: *custodite* iudicium, & facite *iustitiam* dixerat, etsi sub Sabbato omnia seruanda vt sequitur: *custodiens manus suas nè faciat omne malum* actiones suas omnes purificans, & separans ab omni malo. *Et non dicat filius aduenæ* gentilis quisque, *qui adhæret Do-*

mino dicens: separatione diuidet me Dominus à populo suo, proùt in lege Mosayca cauebatur Deut. 25. *Et non dicat Eunuchus*, vel quilibet mãcus *eccè ego lignum aridum*, sterile, non generans, odiosum ex lege Moysis Deut. 23. *quia hæc dicit Dominus Eunuchis; qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volo* bona, iudicium, & iustitiam, *& tenuerint fœdus meum*, pactum meũ, à me nõ discesserint: *dabo eis in domo mea* in Ecclesia, *& in muris meis locum, & nomen melius à præ filiis, & filiabus* populi mei: *nomen sempiternum dabo eis; quod non peribit*, quia filij Dei vocabuntur: *& filios aduenæ*, qui excludebantur à templo in lege Moysis, *qui adhærent Domino, vt colant eum*, idòlis derelictis, *& diligunt nomen eius* hoc enim præcipuum, *vt sint ei in seruos* alium non recognoscentes Dominum *omnem custodientem Sabbatum*, omnia obseruanda *nè polluat illud; & tenentem fœdus* pactum *meum adducam eos in montem sanctum meum* Ecclesiam, *& lætificabo eos in domo orationis meæ*, quæ est Ecclesia: *holocausta eorum, & victimæ eorum* preces, vel quæ nùnc offeruntur, *placebunt mihi supèr altari meo: quia domus mea, domus orationis meæ vocabitur cunctis populis*, sic Christus, quia vbiquè per totum mundum offeretur oblatio munda, dic ergò omnes Domino adhærentes, siuè Græcus, siuè Iudæus, siuè masculus, siuè fœmina, & cuiussis conditionis in Ecclesiam admittentur, sic Paulus ad Roman. 9. & Galat. 3. *ait Dominus Deus qui congregat dispersos Israel*, sic Ioann. 11. vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum, *adhùc congregabo ad eum congregatos eius* destinatos illi, at videns propheta in populo Israel contumaciam, exclamat non imprecans, sed prædicens. *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum* incredulos, item *vniuersæ bestiæ saltus* ferociores. At fortè meliùs, sic: *ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel* carnalis: *adhùc congregabo ad eum* non ad me *congregatos eius* malos, iniquos, quos scio contumaces, & incredulos futuros, & contrà Messiam ituros, *congregabo* inquam ad necem per Romanos inferendam: diuersimodè cùm his agunt, quàm cùm gentibus, de quibus egit sub nomine aduenæ, & Eunuchi; siquidèm illos exterminabo, nedùm quod ille gentes excludat ab Ecclesia, & ad cladem, & necem futuram demonstrandam inuitat bestias ad deuorandum, proùt suprà contrà Sennacherib; & Ioan. in Apoc. 18. contrà suam Babylonem, & Ezech. 39: rationem autèm reddit infidelitatis Israelis, & ruinæ, *quia speculatores eius*, qui debuerãt clamare, *cæci omnes* excœcauit enim eos malitia eorum, *nescierunt eos vniuersi* cœcitate pressi; *canes muti non valentes latrare*, tantò minùs alios excitare ad vigilandum, *videntes vana* vanitatibus dediti, *dormientes*, qui vigilare debuerant, proùt pastor, *& amantes somnia*, somnia vana obseruantes, *& canes impudentissimi nescierunt saturitatem*, sempèr extorquentes, & emungentes pauperes, & viduas: vel crapulæ, & ebrietati, & luxuriæ dediti, vt infrà: *ipsi pastores*, qui supèr gregem vigilare debuerant, & edocere, *ignorauerunt intelligentiam*, quæ intelligere debuerant spectantia ad vitam, pertinentia ad Messiam; vel *intelligentiam* superintendẽtiam, quam habebat supèr populum ad illud: Beatus qui intelligit supèr egenum, & pauperem: *omnes in viam suam*, malam iuxtà eorum sensus, *declinauerunt* præcipites *vnusquisque ad auaritiam suam*: eccè viam *à summo vsquè ad nouissimum* malo exemplo tracti, *venite*, refert quæ dicebantur ab illis indigna *sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicùt hodiè, & cràs, & multo ampliùs*; & sic sequemur vsquè ad mortem, quasi alia vita non detur, proùt 1. Corinth. 15. 33. manducemus, & bibamus, cràs enim moriemur, more Epicuræorum.

CAPVT

CAPVT LVII.

IVSTVS *perit*, Dùm mali ministri, de quibus egit in præced. capit. indulgent ebrietatibus, nèc curant quæ Dei sunt, sed popria, *iustus*, à quo exemplũ vitæ, & salutis sumi posset, *perit*, moritur, subtrahitur, *& non est qui recogitet in corde suo*, cùm per eũ liberari possent impij. Gen. 19. Iere. 5. adeò quisque vanis, & ebrietatibus studet, *& viri misericordiæ* iusti *colliguntur* ab hac mortali vita, *quia* proùt *non est qui intelligat*, cur id fiat, at causa, & ratio est: *à facie enim malitiæ*, seù malorum, nè contaminetur, *collectus est iustus* in pace à Domino: sìc de Enoch. Genes. 5. 24. ambulauitquè cùm Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Eccles. 44. 15. Heb. 11. 5. sic Sap. 4. 10. placens Deo factus est dilectus, & viuens intèr peccatores translatus est, raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius, aùt nè fictio deciperet animam illius, & vers. 13. Consummatus in breui expleuit tempora multa, placita enìm erat Deo anima illius, proptèr hoc properauit educere illum de medio iniquitatum, &c. *Veniat pax*, imprecatur iusto omne bonum, *requiescat in cubili suo* absquè molestia, in pace, *qui ambulauit in directione sua* dirigens actus suos in vias rectas. Vel sic, *iustus* Christus, quem sempèr Isaias eo nomine nuncupat, vt obseruaui sæpiùs; & Steph. Acto. 7. *perit* manibus iniquorum, & sìc benè connectitur cùm præcedentibus cap. 56. 8. iuxtà secundum intellectum iudicio meo meliorem, *& non est qui recogitet, & in corde suo*, vel verè, vel ad cor rediens cùm immersi sint in ebrietatibus, vitijs, somno, cœcitate, vt suprà cap. 56. 10. vsquè ad finem: sic Paulus, recogitate eum, qui talem pro peccatoribus aduersùs se sustinuit contradictionem, & proùt conueniunt Christo, ità congruunt cœteris iustis, *& viri misericordiæ* cùm eo iusto, pij *colliguntur*, & *quia non est qui intelligat* supèr eos, hæc in prima Ecclesiæ tribulatione per Iudæos cœpta in Apostolis, Stephano, & alijs, *à facie enim malitiæ* totius mundi ingruentis ad eum tollendum, vel impiorum Iudæorum insidiantiũ vitæ eius; Vel *malitiæ*, idest calamitatis *collectus* est iustus Christus. Et postquàm hæc euitare non possunt à Deo præscripta, subdit propheta. *Veniat pax* iusto illi *requiescat in cubili suo* sepulchrali; *qui ambulauit in directione sua*, in vijs rectis: At si de Christo *veniat pax* gloria, exultatio iusti illius Christi *requiescat in cubili suo* claritatis, quam apud Patrem habuit Io. 17. *qui ambulauit in directione sua* in vijs dolorum à se voluntariè susceptorum: proptèr quod, &c. Phil. 2. Ephes. 1. Heb. 1. quasi velit dicere: vos non recogitastis de eo, & videbitis Filium hominis veniẽtem in nubibus cœli, &c. proùt ipse dixit Caiphæ: ideò ad aduersarios Christi Hebræos conuersus dicit, *vos autèm*, &c. *Supèr quem lusistis?* eccè quomodò meliùs de Christo intelligat reducens sermonem ad certum, & vnum: *supèr quem dilatastis os* maledicentes, *& eiecistis linguam?* petentes illum crucifigi, & Barabbam dimitti, *liberent te congregati tui*, vel idòla, vel illi, de quibus cap. 56. vers. 9. vltrà prædicta intellectus hic aptior, quia scopus Isaiæ particularis est tractare de Messia, & sempèr sermo est in promptu de illo. *Vos autèm accedite hùc filij auguratricis* capientis auguria, *semen adulteri, & fornicariæ*, idolòlatræ, ad Iudæos sui temporis loquitur, quia etsi tempore Christi cultus idòlorũ aberat, tamèn de præcedentibus temporibus agitur, quia & illa expurganda, & omnia tempora vniuntur in flagello, vt dicit Christus: à sanguine Abel iusti vsquè ad sanguinem Zachariæ. Matth. 23. & hìc agit de flagellis. Aduerte cùm Christo dixerunt facientes se filios Dei. Nos ex fornicatione nati non sumus; quibus Christus: ex patre diabolo estis patre mendacij, *Supèr quem lusistis?* irridentes, & subsannantes iustos, *supèr quem dilatastis os, & eiecistis linguam* maledicentes, & murmurantes, *nũquid non vos filij scelesti semen mendax?*

dege-

degeneres à Patribus antiquis; in vobis enim scelera, & mendacia, vndè quia *scelesti* non potestis alios iudicare, quia mendaces omnia vestra falsa, & ficta, quasi si *iustus perit*, si *viri misericordiæ colliguntur*, quid erit de vobis impijs? quomodò verò sint tales, subdit, *qui consolamini*, gustum capitis non in Deo vero, sed *impijs* idòlis *subtèr omne lignum frondosum immolantes paruulos in torrẽtibus*, vt in Cedrõ, seù Thophet, *subtèr eminentes petras?* vbi idòla colebant, non petras illas 4. Reg. 17. Psal. 105. 37. *in partibus torrẽtis pars tua, hæc est sors tua*, tua hæreditas, quod desideras, tuũ lucrum, consolatio, *& ipsis* idòlis *effudisti libamèn* ex liquidis *obtulisti sacrificium* tamquàm Deo vero, *Numquid supèr his* honorem, gloriam meam tangentibus *non indignabor?* hæc impunita dimittam? *supèr montem excelsum, & sublimem* ad exemplum meorum cultorum; sic enim Abrahæ, & Moysi iussum *posuisti cubile tuum* more adulteræ, omnia commoda, & apta, *& illùc ascendisti, vt immolares hostias* idòlis, nulli labori, vel sumptibus parcens *& pòst ostium & retrò postes posuisti memoriale tuum* simulachrum, idòlum, nè illius obliuisceris, *quia iuxtà me discooperuisti te, et suscepisti adulterum*, quod est maioris spretus, & iniuriæ, *dilatasti cubile tuum* ad illum suscipiendum more adulteræ, immò & plures, non contenta paucorum, *& pepegisti cùm eis fœdus* me derelicto, vt solent inimici cùm odiosis inimicis suis, vel rebellibus, *dilexisti stratum eorum manu aperta* publicè, absquè rubore: at meliùs alludit ad oblata manu plena in sacrificium, quia iàm suprà dixit de impudentia, *Et ornasti te Regi* idòlo, vide Sanct. Oseæ 10. 43. tamquàm Regi placitura, proùt mulieres reseruatæ Assuero *vnguento, & multiplicasti pigmenta tua*, vt illi placeres, vt Iezabel, *misisti legatos tuos* nuncios *procùl* ad deos in regionibus longinquis, *& humiliata es* coràm eis *vsquè ad inferos* omni cultu eis seruisti etiàm humillimo, *in multitudine viæ tuæ* huius malæ *laborasti* indeficientèr, & iugitèr: *non dixisti, quiescam* parumpèr: sic illi in inferno, ambulauimus vias difficiles Sap. 2. *vitam manus tuæ*, idòla à te fabricata tamquàm omne bonum, in quo sisteres, *inuenisti*, hæc per ironiam, vel potiùs exprobrationem, *propterea* incrassata, & affluens *non rogasti me* Deum tuum pro aliquo obtinendo, *pro quo* dicas mihi *solicita timuisti*, vt debueras me, *quia* postquàm *mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo?* de me, at id fuit, *quia ego tacens, & quasi non videns* peccata tua, *&* tandèm *mei oblita es*, dùm ego dissimulaui, silui, expectaui; tu plus aberrasti: dolet Deus quod nullam sui solicitudinem, memoriam habuerit. *ego autèm* in posterum non silebo, *sed annunciabo iustitiam tuam*, quæ, quà tua, mala est, vt ex Paulo, *& opera tua* quibus te iustam professa es, vel idolòlatriæ, *non proderunt tibi*, qua mala, & quia dij impotentes, *cùm clamaueris* in angustia tua; *liberẽt te congregati tui* ad tuam defensionem, idòla: sic & Deut. 32. *& omnes eos* Deos *auferet ventus, tollet aura* leuis, citò dispergẽtur, tibi non opitulabuntur; experti id sunt in obsidione Babylonica, *Qui autèm fiduciam habet mei* spem in me, allicere eos vult misericordia, *hæreditabit terram* viuentium, cœlestem, *& possidebit montem sanctum meum* cœlestem Ierusalem, & sic redit ad gloriam, & regnum Messiæ, ideò etiàm principium capitis meliùs de Christo intelligitur, *& dicam* ego ministris meis euangelicis, *viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei*, vt per plana, & facilia deducatur ad vitam, proùt cap. 40. de voce clamante: parate viam, &c. vel intelligit de tollendis impedimentis in reditu à captiuitate Babylonica per Cyrum, *quia hæc dicit excelsus* habitans lucem inaccessibilem, in excelsis habitat, *& sublimis habitàns æternitatem*, idest æternus, *& sanctum nomen eius*, sic Domina in cantico, *in excelso, & in sancto* templo intèr vos, vel cœlo *habitans*, ex his potentiam Dei statuit, *& cùm contrito, & humili spiritu*, in quo requiescit spiritus meus, nisi supèr humilem? *vt viuificet spiritum humilium* mitium, *& viuificet cor contritorum* indulgendo eis: Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non despicies Psal. 50. humilia respicit in cœlo, & in terra; humi-

humilium tibi placuit sempèr deprecatio. *Non enim in sempiternum litigabo, nequè vsquè ad finem* ad consummationem, vt alibi dixi, *irascar, quia spiritus* refrigerium, ventus gratus æstuantibus *à facie mea*, à me *egredietur et flatus* suaues, *ego* ipse *faciam*, dabo vobis, vt reducamini a captiuitate Babylonica. Vel insufflabo gratiam, Vel *Spiritus* sanctus *egredietur*, vt ad me conuertamini. Non placet hìc de anima, seù vita agi, quia respiciunt hæc futurum, & verba non aptantur, *proptèr iniquitatem auaritiæ*, cupiditatis vehementis in idòla, de quibus egit; sìc Paulus auaritiam capit sæpiùs in epistolis *eius* populi mei *iratus sũ, et percussi eum* captiuitate, & cladibus. *abscondi à te* ò populę, *faciem meam*, vt non te audirem, vers. 13. *& indignatus sum, & abijt* populus meus *vagus in via cordis sui*, secundùm eius inclinationes, & desideria, dimisi eum secundùm desideria cordis eorum; sic & Acto. 14. & 17. sic Domina: dispersit superbos mente cordis sui, idest eorum; impij enim in circuitu ambulant, ideò dicit *vagus: Vias eius vidi*, tandèm in rectas conuersas, *& sanaui eum, & reduxi eum* ad me, *& reddidi consolationem ipsi, & lugentibus* eius in captiuitate eos liberando. Deus, cùm iratus fuerit, misericordiæ recordabitur, & superexaltat misericordia iudicium. *Creaui fructum labiorum* precum, quibus motus sum, postquàm ad me clamauerunt, recurrerunt, contriti sunt *pacem*, scilicèt reducendos eos ad proprios lares, vbì quiescant *pacem ei, qui longè est* gentili, *& qui propè* Iudæo me inuocãti: sic Paul. Eph. 2. & ad litteram Iudæis propè, vel in Terra promissionis, vel circà eam, & Babylone habitantibus, *dixit Dominus, & sanaui eum*, redimens à captiuitate, vel spiritualiter à peccatis, & languoribus. *Impij autèm quasi mare feruens*, instabile, *quod quiescere non potest*, vt suprà vers. 10. *& redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum* erunt ad nihil deseruientes, quasi nihil sunt, sìc in Epist. Iudæ. *Non est pax impijs* sìc fluctuãtibus, proùt pijs stabilibus, *dicit Dominus Deus*, qui falli non potest.

CAPVT LVIII.

CLAMA, *nè cesses, &c.* Quia in præc. cap. scelera Iudæorũ maximè circà idolòlatriam versãtia, & misericordiã suã Deus protulerat; ideò optans conuersionem populi, & effectum suæ misericordiæ, iubet prophetæ tanquàm speculatori, vt clamet ad populum: sìc & suprà cap. 55. vndè hæc, vel antè; quia tempore Isaiæ non fuit, vel in captiuitate Babylonica, sed antè, sicuti præcedẽs caput; non hìc Messiæ iubetur, *nè cesses*, nè intermittas, fac iugitèr *quasi tuba exalta vocẽ tuam*, vt audiaris ab omnibus, sic suprà: supèr montem excelsum, & eleuatum exalta vocem tuam, &c. *et annuncia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum*, in quibus obsurdescentes viuunt, neq. se ipsos retrahunt, proùt Dauid, qui indiguit Nathan monitore, sìc Paulus: argue, obsecra, increpa. *me etenìm de die in diem*, quotidiè *quærunt*, inquirunt non ad bonum, non vt emendentur, *&* (declarat) *scire vias meas volunt* perscrutãtur, cur hoc, cur illud agã, cur puniam, nec aduertunt opprimi à gloria mea, à profundo iudiciorum meorum, & nõ respiciunt opera sua; & Dauid dixerat, ipsi verò non cognouerunt vias meas *quasi gẽs, quæ iustitiam*, bona opera *fecerit, et iudiciũ* legem *Dei sui non dereliquerit*, in quo mentiuntur, *rogant me iudicia iustitiæ*, quasi cũ illis nùnc non rectè agam, dum illos punio; vel punire statuto *appropinquare Deo volũt*, sciẽtia imperscrutabili iudiciorum suorum; is videtur melior intellectus ex antecedentibus, & sequẽtibus. *Quarè ieiunauimus* hìnc quasi gens, quæ iustitiam fecerit, *& nõ aspexisti? humiliauimus*, affliximus *animas nostras* nos, *& nescisti?* more ignorantis te gessisti, eccè quomodò quærebant, seù perscrutabantur iudicia Dei. *eccè* respondet *in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra* non mea, operamini secundùm desideria mala cordis vestri, *et omnes debitores vestros* pauperes, vel extrà tempus, vel prætèr debitum modum, *repetitis. Eccè ad lites, &*

contentiones ieiunatis, quasi (sequens idem thema) tempore ieiunij vtimini ad discordias, *et percutitis pugno impiè* debitores vestros, proùt seruus Euangelicus, qui tenens suffocabat conseruum; sinè charitate est ieiunium vestrum, nimirùm si illud non aspicio, vel ignoro. *Nolite ieiunare*, docet quomodò ieiunandum, *sicùt vsquè ad hanc diem, vt audiatur in excelso clamor vester* oppressorum à vobis, cœlos penetrãs; proùt illud clamor Sodomorũ, &c. & quod dicitur de alijs peccatis ad cœlum clamantibus: & is melior intellectus, quia aperit, in quo ieiunium eorum peccet, & non audiantur, immò irritent Deum. *Numquid tale est ieiunium, quod elegi* volui *per diem affligere hominem animam suam*, vitam suam tantum, & non aliud, quasi, non est hoc illud: *numquid contorquere quasi circulum caput suum* ex demissione, *& saccum, & cinerem sternere?* ad ostentationem, & squallorem, vndè Christus: Tu autèm, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, nè videaris hominibus ieiunans. *numquid istud vocabis ieiunium, et diem acceptabilem Domino?* vt aspiciat, & sciat, vt suprà versic. 3. *Nonnè*, docet nùnc quale esse debeat, *hoc est magìs ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis*, obligationes, quibus debitores tibi tenentur, quæ ad impiè, & immanitèr agendum te impellunt, vel quæ impiè extorsisti; *Solue fasciculos deprimentes* vincula obligatoria, quibus debitores opprimuntur, & sìc idem repetit: *dimitte eos, qui confracti sunt* ærumnis, *liberos, et omne onus*, quo onerantur ob debita, quibus tibi sunt deuincti; *disrumpe*, & hæc consentientia iam pressis malè actis: *frange, da esurienti panem tuum, et egenos, vagosquè* peregrinos *induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, et carnem tuam* tibi coniunctos, pauperes, vel latiùs proximum quemque egẽtem *nè despexeris* subueni eis, fac hæc, & alia opera charitatis, quæ placent Deo. *Tùnc erumpet quasi manè* dùm aurora, seù sol oritur, *semen tuũ* lætitia tua, gaudium *& sanitas tua* ab ærumnis, & doloribus *citiùs orietur*, apparebit, *et anteibit faciẽ tuam iustitia tua* eleemosyna, vel alia opera bona, sìc Iacob: cràs respondebit mihi iustitia mea, quasi fax te dirigens, nè cadas, *& gloria Domini colliget te* glorificaberis à Deo. *Tùnc inuocabis, et Dominus exaudiet, clamabis* ad eũ, *& dicet; eccè adsum* te protegens, & illuminans: sic enim petebãt supra vers. 3. *si abstuleris de medio tui* à te *catenam* à miseris, quos opprimis, *& desieris extẽdere digitum* manum, vel pugnum, pars pro toto in aliorũ oppressionem, seù percussionẽ, vt suprà, *& loqui quod non prodest* iniqua, vel litigiosa, aùt vana, *cùm effuderis esurienti animam tuam* subueniendo, & commiserando ex corde, *& animã afflictã repleueris* consolatione, opere, & veritate, *orietur* etiàm *in tenebris* afflictionum *lux tua* lumẽ tuũ, vt suprà lætitia, *& tenebræ tuæ erunt sicùt meridies* afflictiones in gaudia conuertentur; Vel vt Paulus, eratis aliquandò tenebræ, nùnc autẽ lux in Domino, vt filij lucis ambulate, *et requiẽ* pacem *tibi dabit Dominus sempèr, & implebit splẽdoribus* gaudijs *animã tuam*, & ossa tua confracta ærumnis *liberabit, & eris quasi hortus irriguus* fructificãs, *& sicùt fons aquarũ, cuius non deficient aquæ*, longa fœlicitate frueris, fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam, *& ædificabuntur in te deserta sæculorum* Ierusalem, quæ diù per septuaginta nempè annos deserta stetit: *fundamenta generationis, & generationis* à Melchisedech citrà *suscitabis* eriges, *& vocaberis*, eris *ædificator sepium*, vineas circumdantium murorum *auertens semitas*, quibus feris patebant *in quietem* pacem tuam. *Si auerteris à Sabbato pedem tuum*, tuos affectus, voluntatem tuam; per pedes enim affectus intelliguntur, declarat: *facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris*, feceris, eccè quomodò agendum *Sabbatum delicatum* gratum, suaue, placens in delicijs à te habitum, *& Sanctum Domini gloriosum* ad gloriam Dei obseruatum, & *glorificaueris eum* Dominum dùm *non facis vias tuas* ad tui gustum, honorem, fastum, sed Dei, *& non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem*, qui nõ prodest, vt suprà; sub Sabbato hic intellige omnia legalia. *Tùnc delectaberis supèr Domino*, te audiente, & respiciente, fiduciã capiens, *et sustollam te supèr altitudines terræ, & cibabo te hæreditate*

ditate Iacob patris tui, in Terra promissionis, possunt prædicta intelligi simplicitèr absquè explicatione ad Ierusalem, vel captiuitatem, *os enim Domini locutum est* infallibile.

CAPVT LIX.

ECCE (firmat quod dixerat futurum ex Dei verbo) *non est abbreuiata manus* potentia *Domini*, *vt saluare nequeat*, proùt promisit; *nequè aggrauata est* obsurduit *auris eius, vt non exaudiat*, proùt conquerebantur cap. 58. *sed iniquitates vestræ diuiserunt intèr vos, & Deum vestrum*, ità vt impediatur omnis effectus bonus; sic de Christo non faciente nisi pauca proptèr iniquitates Nazaræorũ Matth. 13. 58. Marc. 6. 6. sìc Abraham epuloni intèr nos, & vos magnum chaos firmatum est, &c. *& peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, nè exaudiret*, eccè malum semẽ diuisionis, quod declarat, *manus enim vestræ* opera vestra, *pollutæ sunt sanguine* peccato, immunditia, a quibus petebat Dauid liberari Psal. 50. *et digiti vestri*, vt maiorem declaret infectionem *iniquitate et labia vestræ locuta sunt mendacium, et lingua vestra iniquitatem fatur* nedùm opere, sed & verbo impij estis, *non est qui inuocet*, optet, requirat *iustitiam* in opere suo, *nequè est qui iudicet verè* secundùm veritatem: *sed confidunt in nihilo* idòlo, quod nihil est; vel melius, vt sequitur, in vanitatibus, *et loquuntur vanitates* inutilia; vel fortè hæc omnia ad illas querelas: quarè ieiunauimus c. 58. *conceperunt laborem* vanum, *et pepererunt iniquitatem*, mala enim arbor malos fructus facit; idem in Psal. concepit dolorem, & peperit iniquitatem; sic in inferno illi; lassati sumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles Sap. 5. 7. Non placet *conceperunt dolorem* actiuè in alios, *et pepererunt* sibi ipsis *iniquitatem*, malùm, prout sequitur in Psal. lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit, nàm illud ibì expressum; hìc diuinamus, immò de alijs agitur etiàm in sequentibus, dùm dicitur, *qui comederit de ouis eorum, morietur*, &c. & quòad illos tangit tantùm vanitatem operum ibì *Telæ*, &c. *Oua aspidum ruperunt* ex quibus venenum emanauit: sìc Christus sub metaphora sepulchrorum dealbatorum, *et telas araneæ texuerunt*, quæ ad nullum sunt vsum, eadem quæ suprà refert per metaphoras, *qui comederit de ouibus eorum, morietur*, quia venenata, *et quod confotum est*, vt nascatur *erumpet in regulum*, serpentem. *Telæ eorum* araneæ similes, *non erunt in vestimentum, nequè operientur* illi *operibus suis*; ratio, quia *opera eorum opera inutila, et opus iniquitatis* iniquum, *in manibus eorum: pedes eorum* affectus *ad malum currunt, et festinant, vt effundat sanguinem* innocentem, *cogitationes eorum inutiles: vastitas, et contritio in vijs eorum*, omnia turbulenta succedunt, *viam pacis nescierunt*, & suprà, non est pax impijs, *& non est iudicium*, cautio, rectitudo, *in gressibus eorum: semitæ eorum incuruatæ* distortæ *sunt eis: omnis, qui calcat in eis* semitis distortis *ignorat pacem*, quæ fugit ab impijs, *proptèr hoc elongatum est iudicium à nobis, & non apprehendet nos iustitia*, quam ex operibus nostris, ieiunio, & alijs actibus sperabamus, *expectauimus lucem*, gaudium, putantes liberari, *& eccè tenebræ* afflictiones. *splendorem* scilicèt expectauimus, *& in tenebris* tribulationum *ambulauimus*. *Palpauimus* in tenebris constituti *sicùt cæci parietẽ, & quasi absquè oculis attrectauimus: impegimus meridie* clara luce, *quasi in tenebris, et in caliginosis quasi mortui*, quibus maior obscuritas. *Rugiemus quasi vrsi* febri correpti *omnes, et quasi columbæ meditantes gememus* iugitèr: *Expectauimus iudicium* omnia ad rectitudinem, & directionẽ, & pristinum statũ bonum retrahi, *et nõ est salutem* expectauimus scilicèt, *et elõgata est à nobis, multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ corã te, et peccata nostra responderunt nobis* vtì merebamur, hæc similia orationi Dan. c. 9.

quia scelera nostra nobiscum in nobis fixa, *& iniquitates nostras cognouimus*, nec abstinuimus, quod est magnæ malitiæ, & hæc fuerunt *peccare*, *& mentiri contrà* te *Dominum*, quem tenebamur reuereri, & colere; vndè Heli. 1.Regum 2. 25. si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autèm in Dominũ peccauerit vir, quis orabit pro eo? *& auersi sumus nè iremus pòst tergum Dei nostri*, nè sequeremur Deum nostrùm, *vt loqueremur calumniam, & transgressionem* omnia ad falsitatem, & mandatorum præuaricationem: *concepimus* malũ, *& locuti sumus de corde*, à quo exierunt malitiosè, *verba mendacij*, *& conuersum est retrorsùm iudicium* omnis rectitudo, *& iustitia* omnis virtus *longè stetit*, quæ cùm iniquitate morari nequit, *quia corruit in platea* publicè, absquè pudore *veritas*, *& æquitas non potuit ingredi* à mendacio exclusa. *Et facta est veritas in obliuionem*, adeò præualuit mendacium, *& qui recessit à malo, prædæ patuit* à mendacibus oppressus. *Et vidit Dominus*, *& malum apparuit in oculis eius* omnia contemplantibus, *quia non est iudicium* rectitudo, prudentia, sed omnia distorquentur: iudicia recta non redduntur. *& vidit quia non est vir*, *& aporiatus est*, obstupuit, *quia non est qui occurrat*, se opponat pro muro Israel, sic Ezech. 22. 30. & quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contrà me de terra, nè dissiparem eam, & non inueni; & Ierem. 5. circuite, &c. an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. *Et* Deus videns perseuerantiam tuam in iniquitatibus, *saluauit sibi brachium suum* potententiam suam ad flagellum tuum; & vindictam: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos: vel vt infra cap. 63. 5. & saluauit mihi brachium meum & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi, *& iustitia eius ipsa*, quam cinxit, & quam meritò exercet contrà impios, *confirmauit eum* ad sic fauendũ, vel stabiliuit eum, vt suprà in secundo intellectu. *indutus est iustitia*, *& lorica* ei hærente; sic describitur Christus Apocal. 1. & 19. & 20. *Et galea salutis in capite eius*, vt non possit à vobis quicquam pati: habitat enim lucem inaccessibilem, vndè quicquid in eam iactent peccatores, ad eum pertingere non potest; peccata nihil illi officiunt, de sua enim hic, non aliorum salute agit, prout & alia coniuncta de se, non alijs, proindè nequè de illa diuersimodè sentiendum, *indutus est vestimentis vltionis* ad peccatorum punitionem, quasi bellator, & iudex, *& opertus est quasi pallio zeli*, ad idem tendit, zelo enim moueri dicitur ad impiorum pœnam. hinc zelus domus tuæ comedit me; & Elias, zelo zelatus sum pro Domino. *sicùt ad vindictam*, *quasi ad retributionem indignationis*, ex peccatis nostris, quibus offensus est, contractæ *hostibus suis* Iudæis, de quibus agit, peccatoribus, hi enim inimici Dei, *& vicissitudinem* pœnas pro iniuria sibi illata *inimicis suis*, & *insulis* etiam longè habitantibus, & distantibus Iudæis *vicè reddet* pœnas pro offensa, & peccatis; de gentibus hic non agitur, quia de illis subditur, *& timebunt*, pauebunt, *qui ab occidente nomen Domini*; *& qui ab ortu solis gloriam* maiestatem *eius* Dei; sub his omnes gentes. *cùm venerit* Dominus armatus ad vindictam, vt suprà, *quasi fluuius violentus*, *quem spiritus* ventus *Domini* magnus *cogit* ad fluxiorem, celerem, *& venerit Sion redemptor*, *& eis*, *qui redeunt ab iniquitate*, conuertuntur à vijs eorum malis *in Iacob*, populo Israel, *dicit Dominus*, cùm scilicèt in puniendo populum suum sic excesserit; deindè bonos redemit, reduxeritquè ad locum suum, vel à captiuitate Babylonica, vel ab alia tribulatione graui. De hoc admirabili facto gentes admiraturas, alibi dictum: sic quandò audita prodigia in Aegypto, in mari Iordane, Iericho. *Hoc* est *fœdus* pactum *meum cùm eis* Iudæis redeuntibus ab iniquitate, *dicit Dominus*: *spiritus meus* sanctus, propheticus, *qui est in te* Isaia, *& verba mea*, promissionis, *quæ posui in ore tuo*, tibi reuelaui; *non recedent* vti vana *de ore tuo*, *& de ore seminis tui*, *& de ore seminis seminis tui*. Successorum tuorum, *dicit Dominus amodò*, *& vsquè in sempiternum*, nùnc & sempèr verificabuntur, cùm sim fidelis, verax, & obseruans; Vndè quamuis in captiuitatem Babylo-

Babylonicam, vel aliud flagellum dentur, hoc enim generale est, tamèn liberabuntur aliquandò, quod in captiuitate Babylonica fuit pòst septuaginta annos: Hæc de Messia, & lege Euangelica intelligi ritè possunt; Ego Roman. 11. alitèr interpretatus sum, sed differt in proprijs locis, vel alibì per transennam de intellectu Scripturarum agere.

CAPVT LX.

SVRGE & *illuminare* excitare, inducit personā excitantis à somno, vel sopore, vel mœrore, vt Eph. 5. 14. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus; & certè in magno squallore erāt Iudæi captiui in Babylone, ideò eos inuitat ad liberationē instantem; Vel si ad Ecclesiam, excitat fideles ad intrandū, & rectè connectitur cū n antecedentibus, in quibus egerat de credituris, *& illuminare* nouis illustrationibus, quæ sempèr defluent *Ierusalem* Ecclesia supèr Christum ædificata, seù ædificanda: *quia venit lumen tuum* Messias: lumen ad reuelationem gentium, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, *& gloria Domini supèr te orta est*, vel Messias, vel maiestas per mirabilia ostensa, quibus ad fidem traheris; si ad Ierusalem terrenam, demonstrat eam reædificandam, & ad pristinum statum gloriosum instituendam, *quia eccè*, è conuerso *tenebræ* tribulationum *operient terram* Babylonis, in qua captiua es, *& caligo* afflictionum *populos* Chaldæos per Cyrum, & Darium destruendos; *supèr te autem* Deo dilectam *orietur Dominus* protegens, & reædificans *& gloria eius* magna, proùt cedrus Dei, *in te videbitur* apparebit, vel ad Ecclesiam, *quia* extrà te *eccè tenebræ* ignorantia, cœcitas, *operient terram, & caligo populos*, non supponentes collum suum iugo Euangelij: *supèr te autèm* pro magno priuilegio *orietur Dominus* te illustrans, *& gloria* maiestas *eius*, operās *in te videbitur* apparebit manifestè, *& ambulabunt gentes in lumine tuo*, gloria tua, *& reges* ad te confluentes *in splendore ortus tui* gloriæ in te nascentis; ab his visitaberis; ad Ecclesiam verò, *& ambulabunt gentes* ad fidem *in lumine tuo*, quod à te docente recipient, *& reges* principes gentiles; Hebræi enim fuerunt contumaces Ioan. 12. *in splendore ortus tui*, quo illos illuminabis. *Leua in circuitu oculos tuos. & vide*, quæ dixi certa, *omnes isti* in magno numero *congregati sunt* ad te; *venerunt tibi* ad te *filij tui* proprij ex tuo populo *de longè venient* à Babylone, & alijs locis longinquis, *& filiæ tuæ de latere* circumcircà *surgent*: omnes enim populi, qui in Terra promissionis remanserant, & alij cùm redeuntibus ad Ierusalem accurrerunt, dùm captiuitas redijt: vel si ad Ecclesiam. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide*, nè credas te decipi, *omnes isti congregati sunt* à Messia Ioann. 11. *venerunt* spontè vocati *tibi* ad te: *filij tui de longè venient*, à toto orbe, *& filiæ tuæ de latere surgent* hæc ad denotandam multitudinem innumerabilem: & loquitur iuxtà consuetudinem fœminarum, quæ non digrediuntur longiùs, vt masculi, non quod & illæ de longè non venturæ. *Tùnc videbis*, quod ad videndum te prouocaui, *& afflues* abundabis fœtibus, & gloria, *& mirabitur* præ stupore, *& dilatabitur* præ lætitia *cor tuum, quandò conuersa fuerit ad te multitudo maris*, sinè numero *fortitudo gentium* reges, & principes gentiles *venerint tibi*, quandò ad te omnes gentes, & primates confluent: vel tuus populus à te vndèquaque congregabitur, vel auxiliū ei præstabitur ab alijs etiā regibus, vt de Cyro, & alijs, & reædificato templò à cœteris *inundatio* in maxima copia *camelorum operiet te* pretiosa portantium, *dromedarij* veloces *Madian, & Epha: omnes* plures *de Saba venient, aurum, & thus* ad cultum Dei *deferentes, & laudem* gloriam *Domino annunciantes: omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi*, erunt ad ministerium tuum, &

offerentur super placabili altari meo, & domum templum Ierusalem, seù Ecclesias *maiestatis meæ* mihi dicatas *glorificabo*, abundabis omnibus, omnia bona erunt tibi, sicùt Sauli dixit Samuel: meminit regionum, sacrificiorum, & munerum Salomoni datorum Iudæis notorum, cùm ad eos propheta scriberet, & cùm eis loqueretur ad maiorem capacitatem; sub illis intendens de toto orbe, de toto genere munerum, de sacrificio incruento agere, prout & Dauid Psal. 50. in fin. sub vitulis, dùm ad Ecclesiam hæc referuntur. *Qui sunt, qui vt nubes volant*, cùm magna celeritate, & pernicitate veniunt ad te, ò Ecclesia: sic ad denotandam hanc velocitatem flagelli Aegyptiorum, dicitur Dominus ascendisse supèr nubem leuem, de qua re dixi in Euangelijs in fuga Christi, & suprà in Isaia, *& quasi columbæ ad fenestras suas?* ad quas veloci volatu deferri solet, vel amore, vel timore captæ, & sic Deus inducit Ecclesiam ad admirationem, de qua suprà *videbis, & mirabitur cor tuum*, hæc intellexi de gentibus conuertendis, non de Apostolis, tùm quia illi iàm erant in Ecclesia primitia illius, tùm quia subsequentia de gentilium conuersione præcedentia iustificant, tùm quia verba sunt pro intrantibus, non pro deducentibus, at pro Ierusalem terrena, *qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* te à captiuitate liberantes, & ad te venientes. *Me enìm insulæ expectant*, hæc ratio velocitatis: sic Gen. 49. dicitur Messias expectatio gentium: *& naues maris in principio sæculi*, à quo cœpit necessitas, & tùnc occisus Agnus, & ab eo tempore salus, *vt adducam filios tuos* fideles *de longè*, ideò metaphora maris, & nauium vsus est, necnon *argentum eorum, & aurum eorum cùm eis*, opera eorum bona, vt sint tibi in adiutorium ad alios populos trahendos, *nomini* gloriæ *Domini Dei tui, & sancto Israel* Messiæ, *quia glorificauit te* gloriosam, & magnam reddere decreuit. *Et ædificabunt filij peregrinorum* alitèr, quàm in Synagoga, ad quam non admittebantur, *muros tuos*, ad tui protectionem, & securitatem, & maiorem dilatationem, *& reges eorum*, Principes, Imperatores, *ministrabunt tibi* tamquàm subiecti, & oues, *me enìm insulæ* Iudæi in Babylone derelicti, *expectant*, vt liberentur: pro insulis aliquandò populum Israel capi alibi ostendi, *& naues maris in principio*, & à principio captiuitatis Babylonicæ, *vt adducam* in eis tutos *filios tuos* captiuos *de longè* è Babylonia, & aliundè, *argentum eorum, et aurũ eorum cùm eis*, vel hæc vasa aurea, & argentea relata ex Babylone, vel data à Cyro, & Dario, *nomini* gloriæ *Domini Dei tui, & sancto Israel, qui glorificauit te*, reducendo liberam à captiuitate, *& ædificabunt filij peregrinorum* exterorum, Cyrus, & alij, seù eorum ministri *muros tuos* nùnc deiectos, *& reges eorum ministrabunt tibi*, quod factum à Cyro, & alijs, vt in historijs Esdræ, Machabæorum, & hunc sensum litteralem probant sequentia, *in indignatione enìm mea* ex peccatis, & præsertim idololatriæ contracta, *percussi te* humilem te reddidi, *& in reconciliatione mea* per Messiam inducta, *misertus tui*, vt sic te magnificarem, & gloriosam redderem, *& aperientur portæ tuæ iugitèr, die ac nocte non claudentur*, nõ ad securitatem hoc dictum, *sed vt afferatur ad te*, qualibet hora, *fortitudo gentium* gentes fortes, & insignes, vel quicquid in gentibus forte, & insigne, *& reges eorum adducantur*, nunquàm enim Ecclesia claudit gremium venienti, vel redeunti. Vel hæc omnia ad delicias, & dominationem Ierusalem terrestrem pòst captiuitatem Babylonicam; *gens enìm, et regnum, quod non seruierit tibi, peribit, & gentes ad te*, non venientes *solitudine*, prout Ciuitates in locis desertis *vastabuntur*, hinc iuxtà S. Cyprianum. Qui non habet Ecclesiã matrẽ, non habet Deum Patrem. *Gens enìm, & regnum, quod non seruierit tibi*, sed infestum erit, sic & Iere. 27. 8. de Nabuchodonosor, *peribit, & gentes solitudine vastabuntur* destruentur: sic sæpiùs contrà illos, qui Iudæis insultarunt. *Gloria libani ad te veniet, abies, & buxus simùl ad ornandum locum sanctificationis meæ*, templum in Ierusalem; Vel Ecclesias, quod vidimus in trabibus S. Petri deiectis à Constantino dilatis, *& locum pedum meorum* in arca, vel Ecclesias *glorificabo*; excitatæ enìm fuerunt insignes, & nobiles, vti-

tur

tur his notis Hebræis ad quos prophetabat. *Et venient* quandoquè resipiscentes *ad te curui* prostrati *filij eorum* Regum, & Imperatorum, *qui humiliauerunt te* persecutionibus suis, *& adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini, Sion sancti Israel:* sic de terrena factum pòst captiuitatem; quo verò ad Ecclesiam hæc dicit, vt persecutionibus futuris non destituatur, sed speret in Domino ablaturo tribulationes, & restituturo omnia in gloriam. *Pro eo quod fuisti derelicta, & odio habita* à gentibus ò Ierusalem, si de Ecclesia à Iudeæis, & gentilibus, vndè Act. vlt. Audiuimus de secta hac, quòd vbiquè ei contradicitur, *& nõ erat, qui per te transiret*, vt per Iere. in Threnis; Vel tibi iungeretur, *ponã te in superbiam sæculorum*, vt gloriam, & fastum omnium sæculorum vincas, superes, *gaudium in generationem, & generationem*, pòst reditum à captiuitate; at in Ecclesia pace secuta maximè tempore Constantini: *& suges lac gentium, & mammilla regum*, ad quos pretiosa omnia deferuntur iuxtà legem, & ius regni, de quo Samuel *lactaberis*, quasi paruula, & grata, *& scies* experientia, *quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob*, hæc omnia tibi administrans: hæc ad vtramque, & Ierusalem terrenam, & Ecclesiam. *Pro ære afferam aurum & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum*, hæc omnia ad exaltationem Ierusalem, vel Ecclesiæ, vel ad opera meliora iuxtà Paulum 1. Cor. 3. 12. Si quis autèm superædificat suprà fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuisque opus manifestum erit, *& ponam visitationem tuam* non flagellum, non puniturus, sed *pacem* quietem, visitatio mea erit in pace, *& præpositos tuos* non scelestos, sed *iustitiam* ipsam, probos, iustè administrantes, non grauantes intellige, vt plurimum, vel iuxtà mentem Dei, vel non vt antè, quicquid secùs aliquandò euenerit, & sic etiàm sequentia. *Non audietur vltrà iniquitas* supplicium, quod declarat *in terra tua, vastitas, & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio* cantus, lætitia. vide Albam cent. cap. 42. *Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum* per diem, *nèc splendor lunæ illuminabit te* per noctem, quia & hi aliquandò deficiunt, *sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam* indeficientem, *& Deus tuas in gloriam tuam* exaltationem. *Non occidet vltrà sol tuus, & luna tua non minuetur*, eccè quod dixi aliquandò hæc deficere, quod magis explicat repetendo: *quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui*, in captiuitate: at in Ecclesia, quæ dixerat suprà de gaudio, hæc transtulit Ioan. Apoc. 21. 23. & 22. 5. *Populus autèm tuus* electus, prædestinatus, nàm de alijs potest dici quod Ioannes; non erant ex nostris, quia si fuissent, nobiscum permansissent, *omnes iusti in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ*, non illius, de qua, omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur, *opus manus meæ ad glorificãdum* stabile, firmum, ex his vult certos facere Iudæos reuersos à captiuitate diù in fœlicitate duraturos, vsquè ad captiuitatem Romanam; At mysticè Ecclesiam non immutandam, vt & suprà cap. 54. & alibì dixit. *Minimus erit in mille* suprà mille, *et paruulus in gentem fortissimam* superabuntur à nemine, iuxtà illud: quomodò persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? Deut. 32. 30. *Ego Dominus in tempore ius* sibi placito, vel Messia, *subitò faciam istud*, subitò verò in Messia, etsi pòst 700. annos, quia mille anni antè Dominum tamquàm dies hesterna, quæ præterijt, vt obseruaui sæpè in Isaia, & Gen. 49.

At à vers. 18. vsquè in finem capitis tenent agi de Ecclesia triumphante, at magis placet de militante mysticè, cui videtur magis congruere contextum, & verba; & ad litteram de reditu à captiuitate Babylonica.

CAPVT

CAPVT LXI.

SPIRITVS *Domini*,&c. Agitur in hoc cap. de reditu fœlici è Babylonica captiuitate, & statu Hebræorũ pòst illam; nec non & de Messia, quia hæc de se prolata prima verba dixit Christus Luc. 4. Puto autèm ad litteram de vtroque iuxtà tempora, secundùm antiqua reditum illum, & statum: secundùm nouissima, tempora Euangelij, Messiam, & statum Ecclesiæ. Nèc æstimo excludi intellectum pro Ierusalem, èx quo Christus Luc. 4. dixit in se verificatam prophetiam, nàm non excludit, quia ad alia possèt tradi. Nequè id conuenit, quia iuxtà eandem distinctionem temporum prophetia: èx Aegypto vocaui filium meum. Oseæ 11. tàm de populo Israel liberato à seruitute Aegyptiaca, vt ibì, quàm de Messia ab Aegypto reuertente intelligitur. Matth. 2. 15. explicabimus ergò primò de liberatione à seruitute Babylonica, deindè de facta per Messiam à peccato, & diabolo. Dicit ergò propheta de se, *spiritus Domini*, qui datur prophetis *supèr me* factus est, *eò quod vnxerit* illo impleuerit, *Dominus me ad annunciandum mansuetis* mitibus, placidis, *& mederer* hoc meo nuncio bono consolante *cõtritis corde* de peccatis, & iniurijs mihi factis, ob quæ mala passi, *& prædicarem captiuis indulgentiam* remissionem, liberationem, *& clausis apertionem* libertatem à captiuitate Babylonica. *vt prædicarem annũ placabilem Domino*, in quo Deus placaretur, qui fuit septuagesimus captiuitatis illius, *& diem vltionis Deo nostro*, in Chaldæos malè eos tractantes, *vt consolarer omnes lugentes* captiuos, *vt ponerem* finem luctui *lugentibus Sion* in captiuitate positis, *et darem eis coronam* gaudij *pro cinere* in capitibus asperso, vt solent mœrentes, *oleum gaudij pro luctu* passo *pallium laudis* lætitiæ, *pro spiritu mœroris*, quem habuerunt. *& vocabuntur*, erunt *in ea* Sion *fortes iustitiæ*, iusti, firmi, stabiles, de his & quæ sequuntur suprà cap. 60. & alibì *plantatio firma*, *Domini ad glorificandum*. vide cap. 60. *& ædificabunt deserta à sæculo*, à septuaginta annis per Nabuchodonosor, *& ruinas antiquas erigent, & instaurabunt Ciuitates desertas, dissipatas in generationem, & generationem*; & omnia facta pòst reditum a Babylone, & duratura vsquè ad captiuitatem Romanam, *& stabunt alieni vobis seruientes, & pascent pecora vestra, & filij peregrinorum agricolæ, & vinitores vestri erũt* tantùm abest, vt vos alijs seruituri sitis. *Vos autèm Sacerdotes Domini vocabimini* eritis, *ministri Dei nostri, dicetur vobis*, non incumbetis agrorum culturæ, vel pascendis pecoribus, sed ministerio nobili cultus, & sacrificiorum Dei, *fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis*, sic & suprà cap. 60. in labores eorum introieritis; *Pro confusione vestra duplici* magna, *& rubore*, quæ passi estis in longa captiuitate, *laudabunt* gentes illæ immutationem cognoscentes *partem suam*, idest vestram sortem, seù immutationem in bonum, *proptèr hoc* Iudæi reuersuri à captiuitate *in terra sua* promissionis, à qua abducti erant, *duplicia possidebunt* quàm priùs, sicùt Iob, & Tobiæ contigit, *lætitia sempiterna erit eis*, ad longum tempus, vsquè ad captiuitatem Romanam, *quia ego Dominus diligens iudicium* recta, *& odio habens rapinam in holocausto*, ex qua nolo sacrificia, operabor quæ dixi, vt offerenda offerant, non aliena, *&* hìnc *dabo opus eorum in veritate*, non in fictione fieri, *& fœdus perpetuum* de illos protegendo ad longum tempus, vt suprà, *feriam eis*, nè timeant in nouam captiuitatem dari, *& scient in gentibus semen*, eorũ Iudæorum, famosi erunt apud gentes, *& germen* filij *eorum in medio populorum* in populis notis, *omnes, qui viderint eos, agnoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus* à captiuitate eruendo, & eos multiplicando, *gaudens gaudebo*, valdè dicit Ierusalem, vel populus, & sub eorum personis propheta *in Domino* bona in me cumulante, *& exultabit anima mea* spiritus

tus meus *in Deo* meo, *qui induit me vestimentis salutis*, quibus non spoliabor, saluauit me, & ad longum tempus, vt suprà,& *indumento iustitiæ circumdedit me*, nè amplius errem, & puniar, *quasi sponsum decoratum corona*, *& quasi sponsam coronatam monilibus*, qui solent ornatiores esse, *sicùt enìm terra* irrigata *profert germen suum*; *& sicùt hortus semen suum germinat*, *sic Dominus Deus* potens *germinabit iustitiam*, *& laudem* tuam *coràm vniuersis gentibus* ab omnibus vti iusta laudaberis. Nunc ad Messiam. *Spiritus*, vt demonstret futura omnia bona illa in Ecclesia sua promissa, inducit Messiam loquentem: *spiritus Domini* sanctus *supèr me* manens, de quo dictum à Ioan. Baptista, & Paulo Colos. 2. habitat in eo plenitudo diuinitatis corporalitèr, *eò quòd vnxerit Dominus me*, Spiritu sancto iuxtà Petrum Act. 10. 20. oleo exultationis, & lætitiæ ab initio conceptionis beatus præ participibus suis,quia alteri homini,vel Angelo non fuit concessum,& hoc in humana natura, vt dixi Hebr. 1. & hic S. Hiero. Vndè non videntur restringenda ad tempus baptismi, neque hic intendit hoc verificare, sed sufficit id dicere, & propterea non placet argumentum, tùnc tantùm apparuit, ergò de illo tempore agit; nàm capit omne tempus à die conceptionis suæ, non enìm de eo, proùt de Ioanne, factum est verbum Domini supèr Ioannem, & sic de alijs prophetis, sed tempore suo exiuit ad prædicationem: et si facta sunt prodigia supèr eum in Baptismo, fuit ad eius manifestationem, vt cognosceremus qualis is, non quod vnctus, *ad annunciandum mansuetis* mitibus, paruulis *misit me*, ideò ad Ioannem, pauperes euangelizantur; & confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus, 1.Cor. 2. & reuelasti ea paruulis: & Ioan. 7. 48. numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aùt ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt, *vt mederer contritis*, afflictis,infirmis, *corde*, seù verè pœnitentibus, *& prædicarem captiuis* peccati, & diaboli *indulgentiam*, *& clausis apertionem*, remissionem, libertatem, hinc iuxtà hãc metaphoram datæ claues Petro ad aperiendum. *Vt prædicarem annum placabilem Domino*, *& diem vltionis*, qui est illi placabilis *Deo nostro*, placabilis fuit, & vlciscens, quia ira Dei deferbuit cõtrà genus humanũ per mortẽ filij sui,in quo vltus est peccata nostra, & consequentèr placatus: nec credo induci diuersitatẽ ab anno placabili ad diẽ ultionis,& prędicatio Christi versabatur in ostẽsione regni appulsi, non in iudicio, cùm diceret se non missum ad iudicandũ,sed ad saluãdum mundum, & contextus meliùs currit, sicùt enìm *Domino* placabilis annus,ità *Deo nostro* dies vltionis: proprio enìm filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; sìc Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret; vndè Christus in cruce,dùm contrà eum vltio exerceretur: Deus meus, vt quid dereliquisti me? vt habet contextum similem cap. 63. 4. dies enìm vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit, *vt consolarer omnes lugentes*, sic ipse, Beati, qui lugent, quoniàm ipsi consolabuntur, *vt ponerem* finem luctui *lugentibus Sion* Ecclesiæ, qui expectabant, *& darem eis coronam*, qua induti in lætitia versarentur *pro cinere*, quam in capitibus asperserant more mœrentium: *oleum gaudij*, vndè Christus: vnge caput tuum, *pro luctu pallium laudis* lætitiæ *pro spiritu mœroris*, sic suprà de huiusmodi lætis tempore Messiæ, *& vocabuntur* erunt *in ea fortes iustitiæ*, iusti, eximij, *plantatio Domini ad glorificandum* ad gloriam, de qua & cap. 60. *& ædificabunt deserta à sæculo*, *& ruinas antiquas erigent*: *& instaurabunt ciuitates desertas*, *dissipatas in generationem*, *& generationem*, *& stabunt alieni*, *& pascent pecora vestra*, *& filij peregrinorum agricolæ & vinitores vestri erunt*, hæc omnia ad Ecclesiam congregandam etiàm ex gentilibus, sed sub hac phrasi ad denotãdam maiestatem illius futuram. *Vos autèm Sacerdotes* principes *Domini vocabimini*: *Ministri* principales *Dei nostri*, *dicetur vobis*, sic appellabimini: *fortitudinem*, quaquè bona, vt suprà cap. 60. dixit, *gentium comedetis*. *& in gloria eorum* pretiosis thesauris *superbietis* exaltabimini. *Pro confusione vestra duplici* magna, *& rubore* in persecutionibus enim eritis, quas, & Christus prædixit, illi vobis compatientes

tes aliquandò *laudabunt*, manifestabunt vltrò. Dicunt legistæ laudare authorem, vel laudandam eleemosynã apponent, eleemosyna enim dicitur benedictio, vndè Paulus; qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet, laus ergò erit in multiplicatione, de qua subdit. Vel *laudabunt* idest magnificabunt *partẽ suã* bona sua, illa vobis tùnc indigentibus distribuendo: sìc Gen. 49. Iuda te laudabũt fratres tui; verbũ autẽ *partem* importare eleemosynam, habetur Eccl. 11. mitte panem tuum, & da partem septem, nec non, & octo; fortè quia in eleemosyna fit diuisio; frange esurienti panem tuum: *proptèr hoc* hanc charitatem vobis impensam *in terra sua duplicia* magna, centuplum *possidebunt*, *& lætitia sempiterna erit eis* in alio sæculo, vt in Euangelijs. *Quia ego Dominus diligens iudicium* rectitudinem, *& odio habens rapinam in holocausto*, scriptum est enim: de tua substantia honora Dominum; hinc reiectus Saul excusans dimissa pecora, quæ Deus iusserat occidi pro sacrificio 1. Reg. 15. 22. & hoc adeò abhorruerunt viri pij, vt nèc etiàm gratuita Deo offerre voluerint: sìc Dauid cùm Areuna Iebusæi 2. Reg. vlt. 24. & in simili de Abraham nolente sepulchrum gratuitum, Gen. 23. *& dabo opus eorum in veritate* firma, & stabilia faciam eorum opera; prout ipsi sincerè ea fecerint, *& fœdus perpetuum feriam eis*; Ecclesia enim erit perpetua, neque fiet vlla mutatio, & de hoc sæpiùs dixit Isaias, præsertim cap. 54. *& scient in gentibus semen eorum* faciam illos illustres, claros, famosos, *& germen eorum in medio populorũ*, tutũ, nullo indigẽs; sic mulier illa cũ Elisęo: in medio populi mei habito 4. Reg. 4. 14. *omnes qui viderint eos, cognoscent illos*, faciam illos spectabiles, sic legitur Deum dedisse signum Cain. Genes. 4. *Quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus* multiplicare fecit, protexit. *Gaudens gaudebo in Domino*, nùnc lætabor dicit Ecclesia, *& exultabit anima mea* ego *in Deo meo* simili phrasi vsæ sunt Domina, & Anna in suis Canticis, *quia induit me vestimentis salutis*, quia saluauit me, ac si dixisset, in Deo salutari meo: *& indumento iustitiæ circumdedit me*, iustificauit me, vel ad omnes virtutes euexit me: sub iustitia enim omnes virtutes cõprehendũtur, & has contulit sponsæ suæ Ecclesiæ Deus; vel *iustitiæ* iuxtà promissiones, quas obseruauit, *quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*, qui solent ornatissimi prodire, *sicùt enim terra profert germen suum, & sicùt hortus semen suum germinat; sìc Dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem coràm vniuersis gentibus*, ità vt appareant virtutes Ecclesiæ, & laudetur.

CAPVT LXII.

PROPTER *Sion non tacebo, & proptèr Ierusalem non quiescam* clamare ad Dominum, sìc & Samuel 1. Reg. 12. 23. hinc affectùs prophetæ ad populum suum; prout & Pauli Rom. 9. vt liberetur à captiuitate Babylonica; In hoc capite etiàm agitur & de Ierusalem terrena, vt apparet cuique legenti, & sicùt de Ecclesia dixi, ità de Ierusalem dicas in omnibus, & tùnc iustum dicas Cyrum, & multò magis de liberatione à seruitute diaboli, & peccati, *donèc egrediatur* ex ea in carne assumpta, *vt splendor* illuminans *iustus eius* Messias, quem iustum appellat Isaias, vt obseruaui, *& saluator eius* idẽ Messias, *vt lampas accendatur* ad eius, & mundi illuminationem, sic Simeon: lumen ad reuelationem gentium; & idem sæpè in Isaia. *Et* tùnc *videbunt gentes iustum tuum*, Messiam illas iustificantem, *& cuncti reges* principes *inclytum tuum* in quem solum pro salute eorum respiciant: *& vocabitur tibi* ò Ecclesia, ad quam transit *nomen nouum*, quia erit catholica, & vniuersalis, non Hebræorum tantùm, *quod os Domini nominauit*, & nominando præstitit; dixit, & facta sunt, non à te, vel humana inuentione, *& eris corona gloriæ* in omni lætitia, & magnificentia, & exultatione *in*

manu

manu Domini sub eius protectione, & cura tuta, contrà te nihil præualebit, *& diadema regni in manu Dei tui* ad idem tendit, Ecclesia autèm dicitur regnum, & dabitur genti facienti fructus eius; & Acto. 1. loquẽs de regno Dei: *nõ vocaberis ampliùs derelicta*, proùt in oculis hominum videbaris, *& terra tua non vocabitur ampliùs desolata*, alludit ad Ierusalem desolandam perpetuò, quasi tu non sic eris, *sed vocaberis* diceris, eris gratiosa, & omni ornatu redimita, quia *voluntas mea in ea*, quia eris mihi grata, quia inuenisti gratiam coràm me, & iuxtà voluntatem meam operaberis, *& terra tua inhabitata*, hinc multitudo gentium conuertenda verè, *quia complacuit Domino in te*, quia grata es mihi Domino, sic suprà complacuit animæ meæ de Messia, *& terra tua inhabitabitur* duplicat ad maiorem certitudinem Genes. 43. 31. *habitabit enim iuuenis cum virgine*, sponsalia læta iungentur; hoc ad lætitiam, & sobolem Ecclesiæ, *& habitabunt in te filij tui* congregati; qui non dispergentur, sed tuti erunt, & in pace, *& gaudebit sponsus supèr sponsam* in pace viuentes, *& gaudebit supèr te Deus tuus*, ob tua bona opera, & non erunt hæc momentanea, sed perpetua, quia ego tui curam gerens, *supèr muros tuos*, quibus circumdaris *Ierusalem* Ecclesia *constitui custodes* ad tui protectionem, & securitatem, & hi Apostoli, & Apostolici viri, & ministri, quos videmus, & Angeli, *tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt*, sed sempèr clamabunt, nè tu ab hostibus opprimaris per insidias, sic suprà: clama, nè cesses, & hinc iterùm Ecclesiæ perpetuitas, & securitas, contrà quam nec portæ inferi præualebunt, sic suprà c. 21. 8. vos autèm custodes, *qui reminiscimini Domini* illũ in corde vestro portantes, *nèc taceatis*, sed quasi tubæ exaltatæ vocem vestram, *& nè detis silentium ei, donèc stabiliat, & donèc ponat Ierusalem laudem in terra* viuentium, donèc de militante fiat triumphans in cœlo, hinc iterùm perpetuitas. Non dicas *laudem* idest Messiam, quia ex præmissis, & prædicatione præsupponit iàm aduenisse. *Iurauit Dominus in dexterà sua, & in brachio fortitudinis suæ*, sic Deut. 32. leuabo manum meam ad cœlum: *si dedero triticum tuum vltrà cibum inimicis tuis & si biberint filij alieni vinum tuum, in quo laborasti, quia qui congregant illud, comedent, & laudabunt Dominum, & qui comportant illud, bibent in atrijs sanctis meis*, nõ extrà: Sensus est, iurauit Dominus, vndè non pœnitebit eum Psal. 109. & stante iuramento, nullo modo ambigendum, quin fiat quod ipse iurauit se non daturum inimicis Ecclesiæ triticum in horreo recondendum, gloriam eius, bona omnia illi concessa, & alios in eius labores non introituros; proùt ipsa in labores antiquorum; vndè Christus: & vos in labores eorum introistis; & in summa vult dicere de perpetuitate Ecclesiæ: & S. Hier. intelligit de sanctissimo Sacramento, & fulcitur Zac. 9. 17. quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? vide Heb. 7. & hinc duratio sanctissimi Sacramenti vsquè ad iudicium. *Transite* ò Apostoli, & Apostolici viri, *transite per portas* per loca munita, regalia, *præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides* de via tollendos, *& eleuate signum ad populos*, prædicantes Christum crucifixum, vel ad bellum, vt induant armaturam pugnaturi contrà dæmonem, mundum, & carnem, & Ioan. Baptista: parate viam Domini, &c. suprà cap. 40. & in Euangelijs. *Eccè Dominus auditum fecit in extremis terræ*, in omnem terram exiuit sonus eorum. &c. *dicite filiæ Sion: eccè Saluator tuus venit* tibi; *eccè merces eius cùm eo*, in prõptu habens retribuere vnicuique, *& opus eius* redemptionis, cui nauitèr incubuit, *coràm illo, & vocabunt eos populus sanctus* segregatus, *redempti* liberati *à Domino, tu autèm vocaberis* eris *quæsita* grata, *Ciuitas* Ecclesia, *& non amplius derelicta*, hinc perpetuitas, sed & omnia rectè ad Ierusalem reuertentem; & reuersam à captiuitate, vt dixi.

CAPVT

CAPVT LXIII.

QVIS *est iste*, &c. Non putò hic agi propriè, & ad litterã de Edom, & Bosra debellatis, præsertìm quia de his cap. 34. & si de illis propriè, alia dicerentur, nequè hic Deum obseruantem considerari posse, qui dixerat populos infestos Iudæis exterminandos, qui pòst captiuitatem Hebræorum passi iàm erant, sed prophetam prosequi vaticinium suum de reditu populi Hebræi à captiuitate Babylonica ad Ierusalem, & metaphoricè vsurpare Edom, & Bosram ad denotandam, vt prosequitur, qualitatem Dei illi apparentis à cœde Chaldæorum venientis, vt populus consequentèr liber sit dimittendus à Cyro, Dicit ergò *Quis est iste, qui venit de Edom* colore rubro, *tinctis vestibus* madidis *de Bosra*, quasi vuarum calcator musto plenus; sic Apoc. 19. describitur Christus sanguineus, *iste formosus in stola sua*, nàm respersio sanguinis non deformat, sed ornat, & victorem demonstrat *gradiens in multitudine fortitudinis suæ* à te ipso hæc præstans intrepidus: respondet prophetæ Deus, *Ego sũ qui loquor iustitiam* exequens quod promitto, vel iusta, iustum enìm erat liberari populũ à tyrannide illa, *& propugnator sum ad saluandum*, populum meum, hinc suprà de lorica salutis: replicat propheta ignorans vndè veniret sìc aspersus; *Quarè ergò rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicùt calcantium in torculari?* hæc declarant verba *Edom*, & *Bosra*, quasi hæc tibi non videntur conuenire, imperatores enìm non solent in aciem prodire, sed eminùs loco tuto militibus stipati se continere, vt in Dauid sæpè: respondet Deus nè mirere, solus fui, *torcular calcaui solus*, *& de gentibus* mortalium, *non est vir mecum, calcaui eos*, Chaldæos *in furore meo*, *& calcaui eos in ira mea*, & aspersus *est sanguis eorum* calcatorum *super vestimenta mea*, sic de Ioab Dauid 3. Reg. 2. 5. *& omnia vestimenta mea inquinaui*, ex his magna clades, & occisio, *dies enìm vltionis* scelerum illorum *in corde meo venit*, mihi in mentem ad puniendum, quia completa Genes. 15. *annus* septuagesimus *redemptionis meæ* liberationis promissæ populo meo, *circumspexi* si quem possem ad auxilium aptum vocare, *& non erat auxiliator, quæsiui* diligentiam adhibui, & non erat qui adiuuaret; *& saluauit mihi brachium meum solum*, potentia mea sola, *& indignatio mea*, furor meus contrà hos peccatores *auxiliata est mihi*, *& detraxi* illis armatus *in terram* è qua non resurgent *virtutem* omnem potentiam *eorum*, quos debellaui: At cur Deus facit se solum, non nominat Cyrum, & alios, quos habuit ministros? quia, quod ipsi fecerunt, fecit Deus, & de se solo explicat, vt solus laudetur, & populus ad maiorem in eum dilectionem moueatur: & sìc dicitur Deum Pharaonem subuertisse; pugnasse contrà Sisaram, & sæpiùs contrà alios.

ALIA INTERPRETATIO.

QVis *est iste*, &c. Dixerat suprà cap. 62. de populo sancto redempto, Ecclesia quæsita, nùnc de mundo loquitur; dixerat de iusto, nùnc quis ille, *qui venit de Edom* Idumæa, gente barbara, crudeli; nàm tales fuerunt in Christum Hebræi, & Idumæa pro Ierusalem suprà capta; vel rubedine, colore rubro, & musto plenus, *tinctis vestibus de Bosra?* more vuas calcantium; non de inferis; quia non indè tinctæ vestes, sed in mundo, in Ierusalem, vbì facta victoria in Cruce, debellauit potestates aereas, & de illis triumphauit: Introducuntur Angeli interrogantes, quia, cùm ascenderet in cœlum, nõ erat ex mortalibus, qui eum interrogaret, proùt illi, non ad illorum informationem, qui omnia nouerant, sed nostram, ad quam & Apocal. 5. describitur Agnus tamquàm occisus, & Apoc. 12. vbì repręsentatur bellum in cœlo, quod in terra gerebatur, ibi dixi: sic Dauid. Attollite portas, &c. & cùm agatur de ascensu in cœlum,

lum, secundùm aliquos gratis dicitur hìc agi de victoria contrà Antichristum, vltrà alia. At aduerte, describitur sìc ad denotandam passionem suam præcedentem, & victoriam, non quod talis esset; sìc & cùm veste sanguine aspersa describitur ad alium effectum Apocal. 19. Item aduerte, inducit Angelos interrogantes, non quia ignorantes eum, vt tenui 1. Cor. 2. cùm sciuerint hæc ex Genes. 3. prolatis verbis: inimicitias, &c. sed vt rem nobis reddat admirabiliorem, quo & ipsos Angelos nobis perspicaciores inducit interrogantes, & admirantes. *iste* qui *formosus* est *in stola sua*, in vestimentis suis proprijs, quem nos cognoscimus, *gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, qua vicit, mortuus resurrexit, & ascendit nùnc in cœlum. Hæc secundùm intellectum D. Hieron. & D. Dionysij. at quia nequè hìc de ascensione in cœlum, neque de resurrectione, sed passione tantùm, & victoria agitur, non videtur necessaria mentio, seù introductio Angelorum, sed potiùs prophetæmet introductio, & interrogatio, qui (etiàm habito responso) subdit, *miserationum Domini recordabor*, & sìc meliùs omnia connectuntur, neque vlla remanet amaritudo, aut difficultas, & ipse sìc interrogans excitat Hebræos, & omnes ad considerationem passionis Domini, proùt Paulus; recogitate eum, qui talem à peccatoribus passus est contradictionem, & victoriæ. vndè quæ hìc dicit propheta, non dilatantur, seù extenduntur vltrà passionem, sed à passione veniente considerant. Ascensioni enim in cœlum, cùm iàm gloriosus resurrexisset (nonnè oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam) non aptatur aspersio sanguinis supèr vestes; & si Apoc. 19. secùs, illud, quia figuratur venturus ad vindictam, cuius consideratio hìc non habetur, & si ageret de resurrectione, vel ascensione, in responsione Christi aliquid diceretur, at hæc in sola passione; & inhærendo huic intellectui, expone sìc sequentia, *Iste*, (quod reddit maiorem admirationem) *formosus in stola sua*, quia respersio erat ex aliorum sanguine, quos debellasse dicit, & sìc solēt victores infici sanguine occisorum, quod cedit ad eorum maiorem gloriam, *gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, non aliundè auxilia requirens. Respondet Christus: *ego qui loquor iustitiam*, qui iustitiam intendo, facio, obseruans promissa, prædico, sìc & Apocal. 19. *et propugnator sum ad saluandum* genus humanum; replicat propheta, si talis es, iustitiæ amator, & propugnator salutis: *quarè ergò rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicùt calcantium* vuas *in torculari?* cur hæc infectio tibi? respondet, nè mireris si rubra, *calcaui solus et de gentibus* mortalibus, *non est* fuit, *vir mecum*, quia nullus potens peccatum auferre, ideò solus sanguine aspersus sum, *calcaui eos in furore meo*, vehementia magna, *et conculcaui eos in ira mea*, more irati ad aliud non respicientis; hac enìm mouebatur contrà peccatum, quasi dū negotium hominum quæro, & eos redimo, calcaui eos ad tollenda peccata, proùt vuas in expressione musti; Vel *calcaui* dæmones, peccata, &c. at melior primus sensus, & congruit cū sequentibus: & *aspersus est sanguis eorū*, eorum peccata, quia ego ab his liber, *supèr vestimenta mea, et omnia indumenta mea*, carnem passam *inquinaui*, sìc & Zacharias: vidit illum vestitum sordidis vestibus, *Dies enìm vltionis* peccatorum totius mundi *in corde meo* assumptæ *annus redemptionis meæ* mihi à patre iniunctæ pro hominibus, *venit*, cessit tempore præstituto, ità passus sum: sìc & suprà capit. 61. 2. hinc quia totum erat supèr me negotium, & venerat hora mea, qua pati volebam, *circumspexi, et non erat auxiliator*, nedùm qui mecum pateretur pro saluando genere humano; *quæsiui*, clamans ad Patrem, vt si fieri posset, tolleret à me calicē, dixi: vt quid dereliquisti me, stans in Cruce; *et nō fuit qui adiuuaret, et saluauit*, adiuuit *mihi brachium meum*, potentia mea sola opus perfeci, *et indignatio mea ipsa*, quam cōtraxi ex peccatis hominum, *auxiliata est mihi*, ad opus hoc in Psal. saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. *Et* sìc *conculcaui in torculari*, vt suprà ad peccata exprimenda, & tollenda, sequitur enìm idem thema *populos* omnes *in furore meo* quem concepi, *et inebriaui eos* musto calcato *in indignatione mea* apprehensa contrà peccata, *et de-*

traxi in terram, destruxi *virtutem eorum* potentiam, mala opera, quibus cōtrà Deum vtebantur, & gloriabantur; vel cognoscere feci, quàm debilis eorum virtus foret ad se ipsos à peccato liberandos: non hìc de flagello, aut pœna, sed de liberatione. Propheta sìc edoctus recipit se, & dicit: *Miserationum Domini*, quas in hoc recognosco, *recordabor*, sic Christus: in mei memoriam facietis; meliùs ergò figuratur interrogans propheta, quàm Syonida, *Laudem Domini dicam supèr omnibus* beneficijs, *quæ reddidit nobis Dominus, et supèr multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundùm indulgentiam suam*, quæ sibi sic complacuit, non respiciens peccata eorum, *et secundùm multitudinem miserationum suarum*, quas nemo meruit. *Et dixit*, miserans, peccataquè non attendens Rom. 3. refert beneficia Dei in populum: *verumtamèn populus meus est, filij non negantes*, erunt in posterum, sed me recognoscentes, *et factus est eis Saluator* sempèr saluans. *In tribulatione eorum non est tribulatus*, infirmus factus, vt eos deseruerit, *et Angelus faciei eius*, vnus coràm eo adstantium, *saluauit eos: in dilectione sua*, commendat autèm charitatem suam Deus, &c. Rom. 5. *et in indulgentia sua ipse redemit eos, et portauit eos*, sicùt Aquila Deuter. 32. *et eleuauit eos cunctis diebus sæculi*, & præsertìm ex quo recepit eos in populum peculiarem: è contrario, *ipsi autèm* tot beneficijs referti, *ad iracundiam prouocauerunt, et afflixerunt spiritum*, animam *Sancti eius*, non Moysis, quia præcedentia, & sequentia de Deo, & infrà mentio Moysis clara, qui in Scriptura non appellatur sanctus, sed seruus Dei, vt Malach. 4. & alibi, sìc de Spiritu sancto Paulus, & attributum sanctitatis proprium Dei: *eius* verò, idest populi: vel meliùs *Spiritum Sancti eius* Angeli ductoris, quem infrà bis itidèm nuncupat, *et conuersus est eis in inimicum*, vt puniret, *et ipse debellauit eos*. *Et recordatus est*, tùnc exprobrans eis beneficia, *dierum sæculi Moysi, et populi sui*, idest Moysis; sic enim dicebat illi Deus de populo suo, in quibus tot miracula pro eis patrauit, quæ enumerat moturus Deum ad noua subdens *Vbi est qui eduxit eos de mari* sicco *cùm pastoribus* Moyse, & Aaron *gregis sui?* Angeli, qui posuit se intèr Castra Hebræorum, & Aegyptiorum, vt tutò transirent. *Qui eduxit ad dexteram* prosperè, sìc Dominus à dextris est mihi, nè commouear *Moysen brachio*, potentia *maiestatis suæ, qui scidit aquas antè eos* in mari, *vt faceret sibi nomen sempiternum*, & gloriosum ex tot mirabilibus. *qui eduxit eos per abyssos* profundum maris, *quasi equum in deserto non impingentem*. *Quasi animal in campo* plano *descendens, spiritus* Angelus *Domini*, vel Deus *ductor eius fuit: sed adduxisti populum tuum* mirabilitèr, *vt faceres tibi nomen gloriæ* gloriosum. Approbat propheta quæ Deum narrantem, & exprobrantem dixisse nouerat. *Attende*, conuertit nùnc se ad preces in persona populi, & ex exprobratis nititur Deum mouere, nè attentis iniquitatibus. hìnc meliùs prophetam, quàm Synonides interrogantes in principio inducere, *de cœlo, et vide de habitaculo sancto tuo, et gloriæ tuæ*, quasi tu magnanimus, & altissimus, *vbì est zelus tuus?* quo tùnc populum prosequebaris, quasi, cur illum deposuisti? illum repetas nùnc in oppressione Babylonica, *et fortitudo tua*, qua mirabilia patrabas, nùnc eadem vtere, *multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum?* quibus nos fouebas, *supèr me*, in quem omnia hæc exercebas, *continuerunt se*, quieuerunt, non ampliùs illa experiar. *Tu enìm pater noster* solus particularis, vndè Deuteron. 32. Numquid non ipse est pater tuus, qui fecit, possedit, & creauit te? *et Abraham nesciuit nos* antequàm tu iuberes, velles, & faceres quæ fecisti nobis, *et Israel*, Iacob *ignorauit nos* vult dicere: tu auctor, tuum fuit opus, vt nos in populum peculiarem eligeres, non illorum: tu nos ab æterno præelegisti, antequàm ipsi extarent, tu ergò pater opus tuum perfice, conserua. Abraham, & Iacob fit mentio, quia primus auctor, secundus propagator populi, à quo est populus denominatus, non Isaac, quia ipse non præstitit tanta. Aliqui referunt hæc ad tempus, quo Abraham, & Iacob erant in Limbo ad alium intellectum, qui non placet, quia propheta petit originem, & principium, non statum illum in Limbo; hinc

hinc loquitur per verbum præteriti, *nesciuit, et ignorauit*, quod omne tempus antecedens capit, non præsentis, Confirmant dicentes hic probari, quod patres illi non orabant, neque ad illos orationes deferebātur, quia ignorabant quæ hic à populo eorum gerebantur, proùt nùnc Sancti in cœlo vident ista in verbo. At non placet, quia etsi non viderent in verbo, tamèn poterant ea scire per reuelationem Dei, Angelorum, animarum quotidiè ad eos confluentium ex populo, & cùm essent in gratia, verisimilitèr orabant, sic de Ieremia, Onia in Machabæis, sic dicitur: si Daniel, Moyses, Ieremias orauerint pro populo, &c. facit exemplum Saul recurrentis ad Samuelem, Epulonis inuocantis Abraham: faciunt orationes, quæ dicebantur, Memento Abraham, Isaac, & Iacob, quod Deus ipse proptèr Dauid saluaturus Ierusalem, quod Moyses ad transfigurationem assumptus; vide Sanctum Thomam quæst. 72. 3. part. Azor. instit. moral. volum. 1. lib. 9. cap. 29. Adamus hic, & frater Tad. & Aluarez. Sanctius hic dicit, Abraham nesciuit, quia idololatra; at hoc nō puto verum, de hoc alibi dixi, & ineptum huic litteræ, in qua & Iacob, qui certè non fuit idololatra, nec peccator dictus. *Tu Domine pater noster, redemptor noster à sæculo æternum nomen tuum*, gloria tua; te solum agnoscimus. *quarè errare nos fecisti Domine de vijs tuis, indurasti cor nostrum, nè timeremus*, coleremus te? quem debuimus, permisisti sic: vide dicta in Pharaone, & hic per Recentiores, *conuertere*, immutare *proptèr seruos tuos*, nos *tribus hæreditatis tuæ*, nè derelinquas nos, *possederunt populum sanctum tuum hostes nostri, conculcauerunt sanctificationem tuam*, templum tuum *facti sumus quasi* vti *in principio, cùm non dominareris nostri, neque inuocaretur nomen tuum supèr nos*, antè diuisionem, seù segregationem populi Hebræi à gentili, quæ posteà facta tempore Abraham.

CAPVT LXIV.

VTINAM *dirùperes*, &c. ad defensionem, & protectionē nostram, cùm simus in tot miserijs, & à te derelicti, vt in fine cap. 63. hæc enim ingeruntur, dùm essent in captiuitate Babylonica, & templum, & ciuitas exusta essent; non in captiuitate Romana præsenti, cui non aptantur multa in hoc capite expressa, præsertim reædificatio templi, seù cæremoniæ legis cessaturæ, quod nō latebat Isaiam, *dirumperes cœlos, et descenderes*, in fortitudine tua, sicùt aliàs, dum nos ab Aegypti seruitute liberasti, de quare capit. 63. & introduxisti in Terram promissionis, quasi sic nùnc fac, proùt tùnc, & sic intelligendo non est recurrendum ad spirituales expositiones montium, & aquarum; loquitur enim propheta more humano, quo solemus dicere de cataractis cœli aperiendis 4. Regum 7. 2. *à facie tua*, te apparente *montes defluxerunt*, hic per hyperbolem: sic Dauid, montes sicùt cera fluxerunt, & sic visus mons Sinai ardere, dùm lex daretur. vide in Cantico Debboræ Iudic. 5. 4. 5. Psal. 67. 8. 9. & 113. & Cantic. Habacuch. sic Psal. 143. Domine inclina cœlos tuos, & descende, tange montes, & fumigabunt, fulgura coruscationem, &c. *sicùt exustio ignis* ad cinerem deducta *tabescerent* timore perterriti, colorē nudarentur, exinanirent, *aquæ arderent igni*, vel igne mistæ, vel Exod. 9. 20. proùt sub Elia in altari 3. Regum 18. 28. & Nehem. 2. Machab. 1. 20. hoc etiàm mirabile fieret, *vt notum fieret inimicis tuis*, populum tuum alligentibus *nomen tuum*, gloria, maiestas, potentia tua *à facie tua gentes turbarentur*, & conuerterentur ab insidijs in nos; & quia gentes in aduentu Messiæ cōuertendæ, proptereà magis placet intellectus hic, quàm ille aduentus Messiæ in verbis, *Vtinàm*, &c. *cùm feceris mirabilia* hæc descendendo in adiutorium nostrum, *non sustinebimus*, non

grauabimur ab hostibus, de quibus capite 63. Non hic de ipsis non statutis, prout in monte Sinai. & iàm id experti sumus, quia *descendisti* aliàs: *et à facie tua*, à conspectu tuo *montes defluxerunt*, vel principes, vel populi magni, & fortes, vel est hyperboles, & nos euasimus. Adeò verò sunt magna à te præstita, quòd *à sæculo non audierunt* hostes nostri, neque auribus perceperunt arcana, *oculus* alius *non vidit. Deus absquè te* reuelante, *quæ præparasti expectantibus te*, sperantibus in auxilio tuo, proptereà educ eos, & allide eos in virtute tua, quia tùnc desistent à multis molestijs. Paulus 1. Corinth. 2. his vsus est per accomodationem, & verbis diuersis: neque soles differre; vel olim *Occurristi*, vltrò auxiliatus populo *lætanti* in te, gaudendum enim in Domino, *& facienti iustitiam* opera bona propter te, non ad auram hominum capiendam, & sic dùm tecum gradiebamur; sed Domine reduc nos ad pristinum, nè permittas ampliùs nos per deflexos calles progredi, vt suprà cap. præced. *in vijs tuis* retracti *recordabuntur* recordabimur *tui*, & beneficiorum à te receptorum, *eccè tu iratus es*, *&* quia *peccauimus in ipsis* vijs *fuimus sempèr*, saltèm desiderio, vel quia non dereliquimus te penitùs, *& saluabimur* in illis solis, *Et* (fatemur) *facti sumus vt immundus omnes nos* à te longè *facti* proptèr peccata, *& quasi pannus menstruatæ* pollutus *vniuersæ iustitiæ nostræ*, vel quasi putauimus iustitias, etsi non essent; vel more humiliantium se coràm Deo loquuntur, quia cùm hæc omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus, hæc enim est tota oratio talium, proùt Dan. 9. & suprà vbi dixi: Vel timentium, cùm sicùt nemo scit an amore, vel odio dignus, ità an opera sua prosint ad vitam æternam, vndè dicitur: de propitiato peccato noli esse sinè metu Eccl. 5. & beatus, qui sempèr est pauidus. Vel *omnes iustitiæ*, idest iustificationes ex lege prouenientes Luc. 1. à quibus purgabamur ab immunditijs nostris, sic & Dan. 9. *quasi pannus*, &c. & templo diruto in captiuitate ferè omnia cessauerant, *& cecidimus quasi folium vniuersi* ob peccata, *& iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos* non ergò reputabant iustitias veras, vel erant permistæ iniquitatibus, quod ad idem tendit; prosequuntur thema, *Non est qui inuocet nomen tuum*, *qui consurgat* eleuetur ad te, *& teneat te*, vt Moyses, & alij sancti, nè iram tuam supèr nos effundas, *abscondisti faciem tuam à nobis*, non videmur tibi grati, vt priùs, *& allisisti* contriuisti *nos in manu* in potestate *iniquitatis nostræ*, à qua non surgimus (expositis peccatis, & miserijs orāt, proùt Dan. 9.) *Et nùnc Domine* supplices te precamur, ignosce, *pater noster es tu*, quod & dixerunt cap. 63. *nos verò lutum* figmentum, *& fictor noster tu*, qui nos coagulasti, *& opera manuum tuarum omnes nos*, & Dauid, Nos autèm populus tuus, & oues pascuæ tuæ; hæ erant orationes captiuorum Babyloniorum, *Nè irascaris Domine satis* nimis, & nè ultrà memineris iniquitatis nostræ, *Populus tuus omnes nos*. *Ciuitas sancti tui* sanctitatis tuæ *facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est*. *Dominus sanctificationis nostræ*, in qua mundabamur ab immunditijs, quibus dicimus nos pollutos, *& gloriæ nostræ* in qua gloriabamur, *vbi laudauerunt te patres nostri*, à Salomone citrà, *facta est in exustionē ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas*, hæ autèm locus iste sanctificationis iuxtà Micham Iudic. 18. 24. *numquid supèr his*, quæ te tangunt, *continebis te Domine*, nè uindictam facias in hostes *tacebis* nihil agens, *&* sic *affligens nos vehementèr*? cùm, te tacente, simus absquè adiutore.

CAPVT

CAPVT LXV.

QVAESIERVNT me, Videtur Deus respondere prophetæ ſolicito, vt ex præc. capitibus, pro ſuis contribulibus Hebræis, & populo, exprobrans illis ingratitudinem, auerſionem, & peccata, & gentiliū promptitudinem, & vt ad æmulationem eos inducat ex Paulo Roman. 10. *me* gentiles, *qui antè non interrogabant, inuenerunt* me, nunc quærentes. *qui non quæſierūt me*, anteà: vide Rom. 10. *dixi, eccè ego, eccè ego* præſto ſum iturus *ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum*, hæc reſponſio Dei ad populum Hebræum dicentem ſe derelictum, quaſi is ſum, vt etiàm extraneos admittam, propterea tu in vijs meis ambula: vide Albam cent. cap. 43. nam *expandi manus meas*, more rogantis, & deprecantis *ad populum* Hebræum *incredulū, qui graditur in via non bona*, quam illum non edocui, *ſed pòſt cogitationes ſuas* Acto. 14. & 17. *Populus, qui ad iracundiam prouocat me antè faciem meam ſempèr*, inuerecundè peccando: qui immolant in hortis, *& ſacrificant ſupèr lateres* altaria idòlis: *qui habitant in ſepulchris* mortuos interrogaturi, *& in delubris idòlorum dormiunt* futura ſcituri, & impudica patraturi, *qui comedunt carnem ſuillam*, vetitam, *& ius profanum* idolòthitum *in vaſis eorum*, hæc percutiunt tempus antè captiuitatem, quia pòſt eam idolòlatria caruerunt. *Qui dicunt: recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es*, more Phariſæi contra publicanum, alios ſpernentes; *iſti* idolòlatræ *fumus erunt* euaneſcens, *in furore meo* ad puniendum, *ignis ardens tota die*, ſempèr hic & in inferno. *Eccè ſcriptum eſt coràm me*, notatum, quicquid ſuprà dixi impietatum ſuarum: *non tacebo*, non parcam, *ſed reddam, & retribuam in ſinū eorum* in ipſis *iniquitates veſtras* proprias, *& iniquitates patrum veſtrorum ſimùl dicit Dominus, qui ſacrificauerunt ſupèr montes, & ſupèr colles exprobrauerunt mihi*, idòlis immolando, *& remetiar opus eorum primum* idololatriæ *in ſinu eorū* exiſtens, ſic Chriſtus: vt veniat ſupèr vos omnis ſanguis iuſtus à ſanguine Abel iuſti, vſquè ad ſanguinem Zachariæ; & Ego ſum Deus viſitans iniquitates patrum in tertiam, & quartam generationē, non filiorum imitantium, quia illi ob peccatum ſuum puniūtur, ſed ſimpliciter. vide alibi per me dicta, & Adam hic. *Hæc dicit Dominus* iuſtus, & miſericors, non tamèn vos penitùs conteram, *ſed quomodò ſi inueniatur granum in botro, & dicatur: nè diſſipes illud, quoniàm benedictio eſt* Domini ab eo relictum, & fructificabit, *ſic faciam proptèr ſeruos meos* Patriarchas, *vt non diſperdam totum. Et educam de Iacob ſemen & de Iuda poſſidentem montes meos, & hæreditabunt eam* terram *electi mei, & ſerui mei habitabunt ibì*, & ità contigit pòſt captiuitatem Babylonicam. *Et erunt campeſtria in caulas gregum & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requiſierunt me* ſupra cap. 1. & Rom. 9. hæc quoad pios, quò verò ad impios, ſubdit: *& vos dereliquiſtis Dominū, qui obliti eſtis ſanctum meum*, in Ieruſalē, in quo ſacrificare iuxtà ritum meum debueratis, *qui ponitis fortunæ menſam*, altare, illi ſacrificantes, *& libatis ſupèr eam. Numerabo vos*, ità vt nullus euadat, *in gladio*, vel alio modo, *et omnes in cæde corruetis: pro eo quod vocaui, & non reſpondiſtis, locutus ſum, & non audiſtis*, ſic Prouerb. 1. 24 *& faciebatis malum in oculis meis*, impudentes, & ſubſannantes, *& quæ nolui, elegiſtis* mala. *Proptèr hoc hæc dicit Dominus Deus: eccè ſerui mei comedēt, & vos eſurietis*, hæ anthiteſes ad eos mouendos: *eccè ſerui mei bibent*, inebriabuntur, *& vos ſitietis. eccè ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: eccè ſerui laudabunt* cantantes *præ exultatione cordis, & vos clamabitis* acerbè *præ dolore cordis, & vlulabitis præ contritione ſpiritus* amaritudine. *Et dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis*, dicturis eum exe-

eratione, si id non præstitero, fiat mihi sicùt Hebræis illis idolòlatris; hoc est enim signũ malorum maiorum, *& interficiet,* delebit *te Dominus Deus, & seruos suos vocabit alio nomine*, fœlicitatem, seù complacentiam Dei significante. *in quo qui benedictus est* ornatus *supèr terram benedicetur in Deo, Amen*, fideli, quia à benedictione non recedet, *et qui iurat in terra, iurabit in Deo amen* fideli, omnia ad effectum mandaturo; non iurabit in idòlo vano, & mendaci, & sìc benè iurabunt, & Deum suum colent, *quia obliuioni traditæ sunt angustiæ priores,* passæ in captiuitate, ob peccata, *et quia abscondita sunt ab oculis meis*, hìnc dixi ob peccata, quia ad angustias solas hoc referri non potest; Vel *abscondita,* idest ampliùs non apparituræ; sìc Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. hìnc sumi potest argumentum in iudicio peccata remissa beatis non apparitura, de quo aliàs dixi: *ecce enìm ego creo cælos nouos, et terram nouam*, omnia renouo, reformo ad lætitiam, & gloriam vestram, luctum in gaudium transmuto, *et non erunt in memoria priora*, turbulenta, in quibus tabescebatis, *et non ascendent supèr cor*, ità vt fastidiant, *sed gaudebitis, et exultabitis vsquè in sempiternum*, ad longum tempus, *in his, quæ ego creo*, noua, & læta; *quia eccè ego creo Ierusalem exultationem* exultantem, *et populum eius gaudium* gaudentem. *Et exultabo in Ierusalem, et gaudebo in populo meo,* erecto templo, sacrificijs restitutis, moribus immutatis, *et non audietur in eo vltrà* ad longum tempus; *vox fletus, et vox clamoris*, proùt in seruis. *Non erit ibì ampliùs infans dierũ*, sed quisque perueniet ad ætatem perfectam. vide Alb. Cent. cap. 44. *et senex qui non impleat dies suos:* in senectute bona, *quoniàm puer centũ annorũ morietur,* eccè ætas perfecta, in qua deficient, *et peccator centum annorum maledictus erit*. in tàm longo tempore non resipiscens, quasi non fiet vltio propera, sed morosa. *Et ædificabunt* boni illi *domos, et habitabunt et plãtabunt vineas, et comedent fructus earum*, non defraudabuntur. *Non ædificabunt, et alius habitabit, non plantabunt, et alius comedet:* proùt contigit reis, & malis. *secundùm enìm dies ligni*, plantati secùs decursus aquarum, cuius folium non defluet Psal. 1. *erunt dies* læti *populi mei, et opera manuũ eorum inueterabunt*, stabilientur, perpetua erunt; vndè non dabitur alteri locus ad ea subripienda: *electi mei non laborabunt frustrà*, vanè, vel vt ab alijs opus eorum abripiatur, *nequè generabunt in conturbatione*, in maledictione, vt citò tollantur geniti, *quia semen benedictorum Domini est, et nepotes eorum cùm eis* multiplicandi, à quibus omnis conturbatio tolletur. *Eritquè antequàm clament, ego exaudiam: adhùc illis loquentibus*, eructantibus, quod in corde habebãt, *ego audiam*, faciam eorum voluntatem, adiuuabo, cùm ipsis ero. sìc ad Moysen: quid clamas? *Lupus, et agnus pascentur simùl, leo, et bos comedent paleas:* sìc & suprà capit. 11. non nocebunt, erit pax intèr olìm diffidentes. *et serpenti puluis panis cibus eius:* vndè *non nocebunt, nequè occident in omni monte sancto meo* Ierusalem, seù Terra promissionis, *dicit Dominus*. Hæc ad Ecclesiam..

CAPVT LXVI.

HAEC *dicit Dominus*, prosequitur materiam, & scopum præcedentium capitum, & præsertìm cap. 65. in quo dixit clarè de gentium vocatione; & quia poterant dicere Iudæi: Domine templum tibi ædificabimus, sacrificabimus, & audiemus te; & fortè sìc dicebant captiui Babylonij, si reducerẽtur, facturos, *dicit Dominus* non in manufactis habito 2. Reg. 8. Acto. 7. & 17. nàm *cœlum sedes mea, terra autèm scabellum pedum meorum* cœlum, & terram ego impleo, Domini est terra, & plenitudo eius; Vndè, *quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi?* quæ maiestati meæ conuenire possit, *& quis est iste locus quietis meæ,* in quo sacrificia mihi offerantur cùm pace, &

sua-

suauitate, *Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista*, per me *dicit Dominus*, quasi ob ista nihil vobis debebo, vt vos arbitramini, cor, mores, vias bonas hominum respicio, hæc autèm ab illis abesse iàm dixerat, *ad quem autèm respiciam, nisi ad pauperculum* humilem, *& contritum spiritu* verè, *& trementem sermones meos*, præcepta mea obseruantem, quasi talis placabit me, quæro adoratores in spiritu, & veritate; & Dauid: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor cõtritum, & humiliatum Deus nõ despicies; & Samuel ad Saul 1. Reg. 15.22. Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potiùs, vt obediatur voci Domini: melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum; quoniàm quasi peccatum ariolandi est, repugnare,& quasi scelus idolòlatriæ nolle acquiescere; at sacrificia vestra nauseat anima mea suprà cap. 1. nàm, *qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem*, qui excluditur à sacrificijs, *qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat, qui recordatur thuris*, thus offert, *quasi qui benedicat* sacrificet *idòlo. Hæc omnia elegerunt in vijs suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est*, & sic illudunt mihi, non sacrificant:vult ergò Deus cor, non hæc sacrificia vana, vndè Dauid: si voluisses sacrificium, dedissem vtiquè, holocaustis non delectaberis: *Vndè & ego eligam illusiones eorum*, vices rependam, *& quæ timebant*, mala, destructionem *adducam eis, quia vocaui, & non erat, qui responderet*, sic & cap.60.& Prou.1. *Locutus sum, & non audierunt* obedierunt: *Feceruntquè malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt*, sic & cap. 65. *Audite* (is Dominus) *verbum Domini* vos, *qui tremitis ad verbum eius*, de quibus supra, *dixerunt fratres vestri* Hebræi pertinaces *odientes vos, & abijcientes proptèr nomen meum*, quod tremitis: *glorificetur Dominus*, per vos, *& videbimus in lætitia vestra* prospera, quæ succedent, quasi per ironiam, nihil lætum recipietis: *ipsi autèm*, sic dicentes *confundentur* conterentur, dùm læta à me promissa, qui non decipio, euenient vobis,at illis confusio instat, nàm *Vox populi de ciuitate, vox de templo* à sacerdotibus vlulatus, & luctus; hac voce, & simili phrasi, & alij prophetæ, *vox Domini reddentis retributionem inimicis suis*, secùm sic agentibus, conuocando hostes ad perniciem suam; vos autèm, qui nomen meum tremitis, nè sitis anxij supèr lætis, quæ vobis annuncio, nàm sicùt mulier aliquandò, quod aliquo modo in Hebræis Aegyptum incolentibus contigit, Exod. 1. *antequàm parturiret* esset tempus parturiendi, vel doloribus afficeretur, *peperit, antequàm veniret partus eius, peperit masculum*, proùt Apocal. 12. sic ego citò agam vobiscum, & vos mirabimini nàm, *quis audiuit vmquàm tale? & quis vidit huic simile? numquid parturiet terra* sata *in die vna? aùt parietur gens simùl* vno instanti, *quia parturiuit, & peperit Sion filios suos?* in vno instanti, citò, celeritèr, & multiplicati sunt ad numerum propè infinitum, *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam dicit Dominus?* explicat se fore illum sobolem pariturum, *si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* quasi derogaretur potentiæ meæ, immò erit mihi hoc facillimum, hìnc collige auxilia Dei. *Lætamini* ergò *cùm Ierusalem* liberata, & numerosa, *& exultate in ea omnes, qui diligitis eam, gaudete cùm ea gaudio vniuersi, qui lugetis supèr eam*, nùnc captiuam, *vt* consequentèr *surgatis, & repleamini ab vbere consolationis eius: vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius; quia hæc dicit Dominus: eccè ego declinabo supèr eam quasi fluuium* abundans *pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium* de qua suprà c. 60. *quam sugetis: ad vbera portabimini, & supèr genua blandientur vobis: quomodò si cui mater blandiatur, ità ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt*, vt & Ezech. 37. *& cognoscentur manus* potentia *Domini seruis eius* exaltandis, & subleuandis, hucusquè de illis, nùnc de impijs, *& indignabitur* è contrariò Deus *inimicis suis* maledictis, *quia eccè Dominus in igne veniet* contrà eos, *& quasi turbo quadrigæ eius*, sic

Chri-

Christus armatus Apocal. 19. *reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus diudicabit: & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino* in hac ira sua: *qui sanctificabantur* lotione externa, *& mundos se putabant in hortis pòst ianuam intrinsecùs*, vbi sistebant idòla, furtim, & occultè nè ab alijs inspicerentur, *qui comedebant carnem suillam, & abominationē, & murē simùl hi consumētur, dicit Dominus ego autē opera eorū et cogitationes eorū*, optimè noui, & ego illorū idololatrarum iàm nauseatus, *venio vt congregem vos*, qui me timetis, & colitis, *cùm omnibus gentibus, & linguis, & venient, & videbunt gloriam meam* in Ecclesia Catholica, *& ponam in eis signum*, vt mei esse ab omnibus cognoscantur, & tuti sint, proùt in Cain, & in ceruis Cæsaris *& mittam ex eis* Iudæis, qui *saluati fuerint* Apostolos, & alios, *ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam* verbi Dei, Euangelij, sic suprà, posuit me vt sagittam electam *in Italiam, & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam*, magnalia, & prodigia mea in totum orbem *Et annunciabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros* prædestinatos *ad vitam de cunctis gentibus donum Domino* gratissimum *in equis, et in quadrigis, et in lecticis, & mulis & in carrucis* in auxilijs Dei, *ad montem sanctum meum Ierusalem* Ecclesiam *dicit Dominus*, & erunt mihi grati, *quomodò si inferant filij Israel munus in vase mundo in domum Domini: Et assumam ex eis in Sacerdotes, et Leuitas*, promiscuè ex quauis plebe, non vt anteà ex sola tribu Leui, *dicit Dominus. Quia, et sicùt cœli noui, et terra noua*, de quibus cap. 65. *quæ ego facio stare coràm me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum*, hic de perpetuitate Ecclesiæ, quia cœli noui, & terra noua nunquàm deficient, *et erit mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato* perpetua sacrificia non intermissa, *et veniet omnis caro* homo, *vt adoret coràm facie mea*, sempèr, quacunque hora, & die *dicit Dominus: Et egredientur, et videbunt* si placuerit *cadauera* in inferno talia *virorum, qui præuaricati sunt in me*, extrà arcam, seù Ecclesiam positurum, *vermis* conscientiæ, vt dixi in Iudith. 16. & alibì, *eorum non morietur et ignis eorū non extinguetur, et erunt vsquè ad satietatem visionis* tantùm *omni carni* in suis pœnis acerbis, & acribus absquè consolatore, hincquè à Beatis nullum auxilium eis præstandum.

FINIS PROPHETIAE ISAIAE.

IN

IN IEREMIAM CAPVT PRIMVM.

VERBA prophetia *Ieremiæ filij Helciæ de Sacerdotibus*, non ergò summus, quia vel exprimeret, vel non sic loqueretur in genere, *qui fuerũt in Anathoth* habitatione sacerdotali: hoc, vt appareat de patria, vel aliud, *in terra Beniamin* describitur eius origo sacerdotalis, proùt & Isaiæ *quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Iosiæ filij Amon Regis Iuda, in tertiodecimo anno regni eius; Et factum est in diebus Ioachim filij Iosiæ regis Iuda vsquè ad consummationem*, finem, ruinam Ierusalem *vndecimi anni*, factam sub vndecimo anno *Sedeciæ filij Iosiæ regis Iuda vsquè ad transmigrationem Ierusalem in mense quinto;* tempora prophetiæ designat, vt maior fides adhibeatur; sic & in Isaia, & alijs prophetis. Non dicit de alijs per eum prædictis pòst transmigrationem, quia ad illam spectabant, & erant de appendicibus, & sub ea comprehendebantur, ab eaquè originem habebant. Non meminit Regum intermediorum intèr Iosiam, & Sedeciam, quia comprehenduntur infrà tempora designata; sub extremis enim & media, & in cursu prophetiæ de illis agit, non quod parùm regnauerint, quia non ob id intèr reges non numerandi, cùm illorum Scriptura in Regum, & Paralipomenon meminerit. *Et factum est verbum Domini ad me* in tertiodecimo anno constitutum, sicùt cùm alijs Prophetis solebat, non per ipsum Deum, qui nunquàm apparuisse tenetur, vt alibì dixi, nequè per Angelum in forma humana. Nèc obstat quod dicitur de manu, quia omnia in visione repræsentata, vt in alijs per Angelos inuisibiles, sic & de libro dulci, & amaro Ezechieli, & Ioanni propinato: sic & Daniel puer spiritu Dei imbutus, quod erat insolés, nè auerterer, aùt in admirationem adduceret, *dicens: Priusquàm te formarem in vtero, noui te*, ab æterno, hinc maior fides ei quæritur, *& antequàm exires de vulua sanctificaui te*, segregaui te, *& prophetam in gentibus* Hebræis, *dedi te;* dixi Hebræis, quia ad eos solos missus, & eis solis prophetauit, non proùt Ionas Niniuitis, ad nullos enim adijt propheraturus, etsi de aliquibus prophetauerit; sic capitur Ioan. 11. non tantùm pro gente, & Io. 19. Gens tua, & Pontifices tui, & attenditur quod principale est: hinc malè Victorinus Ieremiam viuere, & venturum, prędicaturumquè gentibus: dixi *sanctificaui*, idest segregaui, sic Theodoretus, Rabanus, & alij, quia non is sanctificatus in vtero, proùt Ioannes Baptista, vt tenui in Euangelijs, & se declarat, subdens ad quid segregatus. *Et prophetam in gentibus dedi te*, sic Eccles. 49. 9. à ventre matris consecratus propheta, specificat hoc, quia paruulus erat, vt dixit sic Paulus de se: cùm autèm placuit ei, qui me segregauit ab vtero, &c. sic suprà in Isaia: Dominus ab

vtero

vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Multa congessi pro non sanctificatione Ieremiæ in Euangelijs cap. 4. de Visitat. Elisabeth, quibus addo hanc rationem, quia, vt applicarentur præuisa merita Christi, à quibus hæc sanctificatio prætensa dependere poterat, requirebatur aliquis actus Ieremiæ, protestans fidem in illum, proùt certi sumus de simili actu in Ioanne Baptista, dùm in ventre exultauit recognoscens, & adorans Dominum præsentem, cui datus vsus rationis ibidem, vt fidem haberet in Christum, & fieret capax sanctificationis; hoc autèm non scribitur de Ieremia, ideò nequè credendum illum fuisse sanctificatum in ventre.

Hanc opinionem tenent Irenæus Martyr lib. 5. ad hæres. cap. 15. Clem. Alex. lib. 1. Pedagog. cap. 7. Chrisost. in verba Pauli segregatus in Euangelium Dei. Hier. in illa, qui ab vtero segregauit me. Anastas. epist. Nicen. in quæst. sac. Scrip. q. 59. Ildefons. Archiep. Tolet. de perp. virg. B. Virg. Abul. Iud. 13. q. 17. qui dicit esse problema, & Matth. 16. q. 49. Bened. Aria. cap. 1. Sophon. Franc. Burg. in visit. Elisabeth, à quo accepi, & solum reputaui; Raban. Castrus, Sanct. & alij Ierem. 1. vltrà alios, quos adducit Barrad. dissentientes ad Luc. in visit. Elisabeth. Quæ in contrarium adducuntur hìc per recẽtiores, tolluntur ex dictis in Euãgelijs, & hìc. *Et dixi a, a, a, Domine Deus; eccè nescio loqui, & puer ego sum*, non ergò sanctificatus in vtero, quia tùnc non potuisset hæc dicere, proùt non dixit Ioannes Baptista sanctificatus in ventre, & satis inuerisimile, si sanctificatus in vtero fuisset, illum id ignorasse; vt dicit Vgo Cardinalis: talia enim dona non conferuntur ignorantibus; & Ioannes sciuit, vt de eo dixi in Euangelijs. Vel se excusat proùt Moyses, non sum eloquens, proùt heri, & nudius tertius: Non offert se, vt Isaias, quia non eo spiritu afflatus, posteà enim illum recipit à manu, neque in eadem ætate erat. *Et dixit Dominus ad me, noli dicere, puer ego sum, quoniàm ad omnia, quæ mittam te, ibis, & vniuersa, quæ mandauero tibi, loqueris; nè timeas à facie eorum*, ad quos mitto te, *quia tecum ego sum, vt eruam te dicit Dominus*, quasi, si elegi te ab vtero ad hoc ministeriũ, dedi quoquè, vel dabo omnia necessaria, nam quos eligo, idoneos quoquè constituo: vt in Saul: & Paul. qui idoneos nos fecit ministros. Si sanctificatus fuisset in vtero, his non indigebat, proùt non indiguit Ioannes Baptista in vtero sanctificatus, ad quem facto verbo Domini in deserto, illicò absquè alijs verbis prodijt ad ministerium; dùm verò dicitur, *quia tecum ego sum*, firmat illum, & stabilit: sic petebat Moyses Deum secum progredi: & Christus, Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsquè ad consummationem sæculi. *Et misit Dominus manum suam* operantem ministerio Angelorum, quibus vtitur: sic cùm Isaia cap. 6. per Seraphim. *Et tetigit os meum*, proùt dabo vobis os, & sapientiam, &c. *Et dixit Dominus ad me, eccè dedi verba mea in ore tuo*, quæ referas populo, ideò scies loqui. *Eccè constitui te hodiè supèr gentes, & supèr regna* Israel distincta in duo, sic Moysi, constitui te Deum Pharaonis. *vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*, vt dicas illa dissipanda, reædificanda, præsertim Iuda pòst captiuitatem Babylonicam, hæc omnia vnica structura, tempore, & facto ad idem tendentia, quia non videtur in plures actus distinguenda; & Deo attribuenda, cuius solius est facere, non prophetarum, non ministrorum, quorum est intimare tantùm Dei voluntatem. Non ob. verba Eliæ dicta Achab supèr pluuia, & rore, quia hoc à Deo, vt fides habeatur suis prophetis, & seruis; nã posteà Elias orauit Deum pro pluuia, Deus enim vult honorem suum: Idem dici posset de Iosue solem sistente, obediente Deo voci hominis orantis, facto Deus, verbo prophetæ Deo cooperante, & sermonem confirmante; & iuxtà hæc ostẽdit ex virga, & olla quid annunciet dissipandum, euellendum; & posteà etiàm de ædificandis, hinc & subdit Deus, *ego sum qui vigilabo*, &c. & aduerte hæc pro signis populo demonstrandis, vti Moysi, & Aaron, sed per Ieremiam prædicandis. *Et factum est verbum Domini ad me dicens: quid tu vides Ieremia? & dixi. Virgam vigilantem*, velocem ad flagellum, vt infrà *ego video: & dixit Dominus ad me,*

benè

Benè vidisti, *quia vigilabo ego supèr verbo meo* de Ierusalem citò disperdenda, *vt faciam illud.* Virga ergò erat ad puniendum, & perdendum, proùt Psal. 2. reges eos in virga ferrea, & tamquàm vas figuli confringes eos; & potest poni pro virga Nabuchodonosor minister; vigilans verò, quia instabat flagellum, citò erat in vsum ponenda. *Et factum est verbum Domini secundò ad me dicens, quid tu vides? & dixi, ollam succensam;* hìc de specie flagelli à virga inferendi, *ego video, & faciem eius à facie Aquilonis: & dixit Dominus ad me*, *ab Aquilone* à quo Nabuchodonosor *pandetur* aperietur, veniet *malum supèr omnes habitatores Terræ* promissionis, *quia eccè ego conuocabo omnes cognationes regnorũ Aquilonis, ait Dominus*, *& venient*, *& ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem*, *& supèr omnes muros eius in circuitu*, *& supèr vniuersas Vrbes Iuda;* Eccè quomodò verbũ *terra* capiatur strictè, neque hìc ex his, quæ sequuntur, videlicèt Ierusalem, Iuda, potest de alijs gentibus, vel vicinis populis capi sub olla succensa incensura Ierusalem, & destructura vrbes Iuda à facie Aquilonis, erat (vt dixi) species flagelli per Nabuchonosor plura regna sub se habentem, qui hæc contrà Ierusalem executus est; hincquè iterùm celeritas flagelli, ideò olla succensa parata ad incendium, quod & secutum est, & proptereà metaphora ollæ succensæ vsus est ab effectu secuturo: sìc & Mich. 3. Ezechiel. 11. 3. & 24. non quia Chaldæi ignem adorarent, quia Deus, vel propheta id non assumpsisset idolòlatricum pro pœna Israeli inferenda: neque vtitur his metaphoris pro designandis ministris, neque Nabuchodonosor, quem ex alijs nominat, contrà Ierusalem, sed pro malis ei instantibus, vt & in virga dictum. Non videtur olla succensa capi posse pro Ierusalem, sed qua Ierusalem incendenda; hoc enim flagellum, proùt virga, non rea punienda: eò magis, quia demonstrat, vndè olla oritura supèr Ierusalem passuram: quid enim olla Ierusalem, si clarè meminit in eadem structura verborum supèr Ierusalem illam venturam? Si virga pro flagello, cur olla diuersimodè? quæ ratio diuersitatis? *Et loquar iudicia mea cùm eis supèr omnem malitiam eorum*, sic Nabuchodonosor locutus est iudicium cùm Sedecia 4. Reg. 25. 6. nempè in quibus peccauerint, vt subdit, & exindè pœnas, & flagella, *qui dereliquerunt me* Deum suum verum, *& libauerunt* fornicando *dijs alienis* Idòlis, *& adorauerunt opus manuum suarum*. Idolòlatria tùnc frequens apud Iudæos antè captiuitatem Babylonicam. *Tu ergò accinge lumbos tuos*, sis paratus, iuxtà illud: sint lumbi vestri præcincti, non quod in tali statu ostendat se reuerentèr suscipere Dei verba, cùm hæc ad obedientiam iussorum præcedentium, & executionem referantur, *& surge*, *& loquere ad eos omnia*, *quæ ego præcipio tibi*, *nè formides à facie eorum*, *nèc enim timere te faciam vultum eorum*. *Ego quippè dedi te hodiè* vtì *in Ciuitatem munitam*, *& in columnam ferream*, *& in murum æneum*, terribilem te præstabo, sìc in Apoc. de columna cocta, *supèr omnem terram* declarat quam, *Regibus Iuda, Principibus eius*, *& Sacerdotibus*, *& populo terræ* Iuda, sìc & Deus Moysen, & Christus stabiliuit suos, quos misit ad reges, & populos, ut in Euangelijs, dicens: dabitur uobis os, & sapientia, cui non poterunt resistere omnes aduersarij uestri, & Acto. 9. in Paulo. *Et bellabunt aduersùm te*, tibi insultando, sic & Christus prædixit suis persecutiones, *& non præualebunt*, capillus de capite tuo non peribit, *quia ego tecum sum ait Dominus*, *vt liberem te*; cùm enim stat pro nobis Dominus, quis contrà nos? & sìc factum est, ut uidebimus; & sæpè Deus inijcit timorem, nè impij audeant, ut in Saul contrà Dauid: populis Chananæis contrà Iacob, & prædixit Moyses Deum daturum populo cor pauidum.

CAPVT

CAPVT II.

E*T factum est verbum Domini ad me dicens; Vade, & clama in auribus Ierusalem*, vt suprà; licèt dicat *vade*, non tamèn arguas Ieremiam fuisse extra Ierusalem, quia suprà cap. 1. dixit *surge, & loquere*, sed est phrasis Hebræa, aliud non importans, quàm iussionem ad opus: sic 1. Reg. 16. 1. ad Samuelem, *dicens: hæc dicit Dominus: recordatus sum tui* (eccè misericordia Domini, & beneficia) *miserans adolescentiam tuam* primam, *& charitatem desponsationis tuæ*, vehementem amorem, quo te prosecutus sum, quandò te desponsaui mihi in populum peculiarem præ cæteris, quod fuit, *quandò secuta es me* te ducentem *in deserto, in terra quæ non seminatur*, in qua tamèn te miraculosè paui, *Sanctus*, separatus, dilectus *Israel Domino, primitiæ frugum eius*, quæ solent gratiores esse; nihil hìc de gentilitate successura, sed explicatur qualis ei populus Hebræus, de quo etiàm continuat. *Omnes, qui deuorant eum*, mihi adeò gratum *delinquunt: mala venient supèr eos dicit Dominus* de hoc alibi pluriès recentiores hìc. *Audite verbum Domini domus Iacob, & omnes cognationes domus Israel: hæc dicit Dominus*, hìc incipit exprobratio. *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis*, hic est quasi syndicatus Dei cùm populo, proùt Samuelis 1. Reg. 12. & Christi, quis ex vobis arguet me de peccato? vt deindè obiurgatio magis acuat, *quia elongauerunt à me, & ambulauerunt* me derelicto, *pòst vanitatem* Idòla, *& vani* Idolòlatræ *facti sunt?* de peccato enim idolòlatriæ agit clarè, ideò vanitas ad alia non est trahenda, *& non dixerunt*, me quærentes, *vbì est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti*, exprobrat beneficia populo facta, quæ præmiserat, *qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, & inuiam, per terram sitis*, in qua non erat aqua, *& imaginem mortis* horrendam, *per terram, in qua non ambulauit vir, nequè habitauit homo?* vel nullo modo, vel saltèm frequentèr; *Et induxi vos in terram Carmeli* promissionis, abundantem vini, & olei, & mellis, *vt comederetis fructum eius, & optima illius* eiectis antiquis habitatoribus, *& ingressi contaminastis* Idolòlatria *terram meam, & hæreditatem meam*, quam à populis vindicaueram, *posuistis in abominationem* peccatis vestris, præsertìm idolòlatria, *Sacerdotes non dixerunt*, postquàm alij non quærebant, sic & Christus de saucio curato à Samaritano, Sacerdote, & Leuita transeuntibus, *vbì est Dominus? & tenentes legem* Pharisæi, & Scribæ *nescierunt me, & pastores*, reges, principes populi *præuaricati sunt in me, & prophetæ prophetauerunt in Baal*, proùt illi tempore Eliæ, *& idòla secuti sunt: Propterea adhùc iudicio contendam vobiscum ait Dominus, & cùm filijs vestris disceptabo*, ob hæc flagitia, idolòlatriam, ità vt pœna ad filios vestros protendatur Matth. 23. Luc. 11. & alibì sæpè dictum. *Transite ad insulam Cethim*, hoc ad maiorem errorem idolòlatriæ demonstrandum ab exemplis, *& videte; & in Cedar mittite, & considerate vehementèr, & videte si factum est huiuscemodi* nempè, *si mutauit gens deos suos, & certè ipsi non sunt dij*, vndè ipsi debuissent iustè mutare, & me recipere Deum verum *populus verò meus mutauit gloriam suam*, me verum Deum, in quo gloriari debuerat, & solebat, & à quo omnia bona receperat, & expectare poterat, Exod. 33. & cuius maiestas gloriosa *in Idòlum* in nihilum. *Obstupescite cœli supèr hoc, & portæ eius desolamini vehementèr*, vos aperientes, vel cadentes; ad stuporem demonstrandum, ob malitiæ, & facinoris magnitudinem ad inanimata conuertit se, *dicit Dominus: Duo enim mala fecit populus meus* grandia, *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, à quo sempèr aquam viuam suauissimam omnium gratiarum haurire poterant, Ioan. 4. *& foderunt sibi cisternas, cisternas* multas, ad denotandam multitudinem idolòrum *dissipatas, quæ continere* non

non valent aquas; idòla fecuti, à dæmone enim, vel idòlo nihil boni expectandum. *Numquid seruus est Israel, aut vernaculus?* cùm immò sit liber à me factus à seruitute Aegyptiaca. *quarè ergò factus est in prædã?* dixit peccata, nùnc mala ventura; de venturis enim loquitur, cùm agat contrà duas tribus, non decem, quæ iàm datæ erant in perpetuam captiuitatem, duæ verò tribus nihil adhùc passæ erant: & ponit hæc, quia certa quasi prçterita more prophetarum: *Supèr eũ rugierunt leones*, hi Chaldæi, *& dederunt vocem suam, posuerunt terram eius in solitudinem, ciuitates eius exustæ sunt, & non est qui habitet in eis*, sic omnia sub Nabuchodonosor; vel si de decem tribus, quia vtitur verbo *Israel*, seruit hoc pro exemplo, proùt & quæ subdit de Aegypto, & posteà de Iuda, infrà vers. *Et nùnc*, At prima magis placent, quia verbum *Israel* commune omnibus *Filij quoquè Memphæos, & Taphnes*, Aegyptij *constuprauerunt te*, ad idololatriã prouocando, ideò vtitur verbo ad fornicationem vsitato, & stat in metaphora desponsationis, de qua suprà, & verisimilitèr in his, quæ frequentiora, maiora & magis communia flagitia, intèr quæ idolòlatria *vsquè ad verticem*, ad summum: sic à planta pedis vsquè ad verticem non est in eo sanitas: *Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?* ab Aegypto, dum te fouebat, & beneficia in te conferebat, quasi hoc tuum vitium antiquum, & pessimum, *Et nùnc quid tibi vis in via Aegypti*, ad quem pro subsidio tendis, *vt bibas aquam turbidam?* stat in metaphora prima cisternarum dissipatarum; *& quid tibi cùm via Assyriorum*, ad quos pro auxilio confugiebant, cùm ab Aegyptijs molestiam paterentur, *vt bibas aquam fluminis?* quæ te à siti non liberet; proùt fontis; à quibus non protegaris, *Arguet te* finalitèr, *malitia tua* contrà me, *& auersio tua*, à me vero duce, & defensore, *increpabit te*, dùm videbis omnia auxilia ista vana, sicùt è conuersò iustitia respondet, Genes. 30. 33. sic & capit. 22. 20. & sequ. *Scito, & vide quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum* timendus, quasi me negligis, paruipendis, sic enim solent non timentes, *A sæculo*, à principio, quo te separaui in populum peculiarem, *confregisti iugum meum*, legem meam, quam pactus es seruare, *rupisti vincula mea*, præcepta, quibus detinebaris, nè peccares, & ad idòla declinares, *& dixisti: Non seruiam* tibi, sed idòlis, vt infrà: vndè non potest dici, non seruiam idòlis, quia esset totum contrarium: sic Psal. 2. dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, *In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix*, more meretricis, virum vltrò rapientis. 1. Regum 20. 30. Idòlis omnibus seruiens, *Ego autèm plantaui te vineam electam*, ex cunctis populis mihi gratam, beneficijs auctam, *omne semen verum*, in veritate, & cognitione veri Dei, non adulterinum idòlis deditum, sic Abraham liber ab idòlolatria, vt alibi dixi, *quomodò ergò conuersa es mihi* plãtatori, & benefactori *in prauum*, idòlis te subijciendo *vinea aliena?* facta alienorum. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith*, ad tui purgationem, *maculata es in iniquitate tua coràm me*, omnia cognoscẽte, *dicit Dominus Deus*, quasi eo deuenerunt iniquitates tuæ, adeò polluta es, vt nec purgari, lauariuè possis à purgantibus, & mundantibus: *Quomodò dicis: Non sum polluta, pòst Baalim nõ ambulaui?* quomodò confidis in mendacio, *vide vias tuas in conualle*, vbi idòla adorasti, de hac infrà capit. 32. *scito quid feceris, sicùt cursor leuis*, currens ad mala patranda, *explicans*, citò *vias suas*, & quasi *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ*, appetentis, agilis ad cursum, *attraxit* sicùt meretrix *ventum amoris sui*, quẽ desiderabat, ad quem anhelabat, quasi in vijs tuis idolòlatriæ, quæ tibi placuerũt, celer, & læta ambulasti, *nullus auertet eam*, adeò effrenè ad idòla ferebaris, ideò similitudinem Onagri sumpsit, *omnes, qui quærunt eã, non deficient*, quasi sẽpèr in his eris, quærebaris sempèr, & prõpta eris ad malum, etiã *in mẽstruis eius*, quod lege prohibetur, *inuenient eã*, hæc ad synagogam, quam iàm meretrici

comparauit verſ. 21.& meliùs iungitur proximis verbis, quam Onagræ;de qua præceſſit: & de Onagra non poteſt dici in mēſtruis cognoſci, proùt de meretrice : at ego doceo te, immutare, veniet captiuitas. *Prohibe* ergò *pedem tuum à nuditate*, ab ignominia de qua egit: vel à ſequela eorum, quæ tibi auxiliari nequeunt, fruſtrà enim ſequendo, nudaberis, vel quia nudas dicit ducendas mulieres captiuas Iſaias cap. 20. *& guttur tuum à ſiti* fornicationis, quā patieris, dùm captiua duceris,vel iàm dicta ſequeris; eccè quomodò de futuris calamitatibus loquatur, vt ſuprà dixi, *& dixiſti*, contumax, & inobediens. *deſperaui, nequaquàm faciam*, quod dicis, *adamaui quippè alienos*, à quibus diſiungi non poſſum, *& pòſt eos ambulabo*, ſequar illos. *quomodò confunditur fur, quandò deprehenditur, sìc confuſi*, pudore tacti, *ſunt domus Iſrael ipſi,& Reges eorum, principes, & ſacerdotes, & prophetæ eorum*, falſi, *dicentes ligno*, idolò, *Pater meus es tu, & lapidi, tu me genuiſti*; sìc in Exodo, iſti ſunt dij tui, Iſrael ad idòlum, & Ieroboā ad ſuos vitulos. *verterunt ad me tergum, et nō faciem*, auerterunt ſe à me, ſpreuerunt me, *& in tempore afflictionis ſuæ dicent: Surge Domine, & libera nos*, & reſpondebo, *vbì ſunt dij tui, quos feciſti tibi? ſurgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ*, sìc Moyſes Deut. 32.37. vbì ſunt dij eorum,&c. Surgant, & opitulentur vobis, &c. *ſecundū numerum quippè Ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda*, quaſi nō deſunt tibi dij, *quid vultis mecum iudicio cōtendere* in re perſpicua, & clara contrà vos, nàm *Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus, fruſtrà percuſſi filios veſtros* ad reſipiſcendum, quos exēplo veſtro ad idòla traxiſtis,vel potiùs de antiquis intelligit, quos dicit filios progenitos ex Iuda, de quo præmiſit, ſicùt & de vinea. infrà cap. 5.7. filij tui dereliquerunt me, loquens de Ieruſalē, de qua dixerat in principio capitis, *diſciplinam* enim *non receperunt, deuorauit gladius veſter prophetas veſtros* veros ad vos à me miſſos, vt in libris Reg. & Paral. & Matth. 23. Luc. 11. non hìc de malis prophetis, qui a populo nō occidebātur, ſed fouebantur, *quaſi leo vaſtator* crudelis, *generatio veſtra*, quaſi hæc recentia ſunt, & à vobis extantibus. *Videte*, conſiderate quæſo *verbum Domini* vos inuitant is, *nūquid ſolitudò* inutilis,& infructuoſa, *factus ſum Iſraeli*, quia ad me non accurrunt, *aut terra ſerotina?* non producens in tempore debito fructum; *quarè ergò dixit populus meus: receſſimus, non veniemus vltrà ad te? numquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ?* quaſi non, hoc non contingit, *populus verò meus oblitus eſt mei* infinitè omnia ſuperantis,& omnia largientis,& conſeruantis, *diebus innumeris:* eccè Dei tolerantia. *quid niteris bonam oſtēdere viam tuam ad quærendam dilectionem* meā, proùt illi apud Iſaiam: quarè ieiunauimus, &c. *quæ inſupèr & malitias tuas docuiſti vias tuas*, ideſt, docuiſti vias tuas in malitijs conſiſtentes, ità vt nedùm ſis contaminata, ſed & à te, vel proptèr te alij, *& in alis tuis*, manibus, quas expandiſti, quaſi glorians,& exultans, vel operibus, *inuentus eſt ſanguis*. sìc in alis auium raptu viuentium apparere ſolet *animarum pauperum, & innocentum?* quod Deo diſplicet, cùm hi ſint ſub ſua protectione, *non in foſſis*, occultè *inueni eos* sìc operantes, *ſed in omnibus* locis publicis. *quæ ſuprà memoraui*, sìc Dauid de Ioab ponente cruore in balteo ſuo, qui erat circà lūbos eius, &c. 3. Reg. 2.5. *& dixiſti* mēdacitèr *abſq. peccato, & innocens ego ſum; & proptereà auertatur furor tuus à me:* sìc & Iob. *Eccè ego iudicio cōtendam tecum, eò quòd dixeris non peccaui:* vult enim Dominus confeſſionem. sìc ab Adā expetijt, à Cain negante: vndè Dauid: dixi, confitebor aduersùm me iniuſtitiā meam,& tu remiſiſti impietatē peccati mei. *Quàm vilis facta es nimìs iterās vias tuas?* ad malum, peccantes enim viles redduntur, *& ab Aegypto confunderis*, in quo nùnc confidis ſtultè,& à quo auxilium expectas, *ſicùt confuſa es ab Aſſur*, quia etſi Achaz munera dediſſet, & amicitias contraxiſſet cùm Teglathphalaſar 4. Reg. 16.7. tamèn Salmanaſar illius ſucceſſor tempore Oſeæ iterū moleſtus fuit 4. Reg. 17. vndè confuſio fuit non tēpore Achaz, ſed Oſeę,& sìc benè verificātut in eo hæc dicta. Non in Ioſia 4. Reg. 23. 29. quia ibi nullus confugit ad Aſſyrios, ſed pro Aſſyrijs ſe oppoſuit Ioſias 2. Par. 35.20.

Non

Non in Manasse 2. Paral. 33. 11. tùm quia Ezechias non recurrit ad regem Assyriorũ; sed ipse è Babylone misit ad eum nuncios; tùm quia Isaias cap. 39. & 4. Reg. 20. loquitur de permansuris in captiuitate, ibiq. eunuchis fiendis, nõ autèm reuersuris, proùt reuersus Manasses, propterea prophetia Isaiæ meliùs verificatur in captiuitate Babylonica sub Ioachin, & Sedecia Regibus, qui ibì mortui sunt. *Nàm & ab ista* terra ad captiuitatẽ certò gradieris, *& manus tuæ erũt supèr caput tuũ*, more mœrentiũ, nullum refugium habentiũ, proùt Thamar ab Amnon stuprata 2. Reg. 12. 19 & Susanna cooperta Dan. 13. 32. *quoniàm obtriuit Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum in ea*, propterea omnes tuæ viæ absquè Domino irritæ, & vanæ.

CAPVT III.

V*lgò dicitur* in ore omniũ est, hæc enim legalia. Deut. 24. eratquè lex illa permissiua Matth. 19. vbì dixi, *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam vltrà?* quasi non. *numquid non polluta, & contaminata erit mulier illa?* quasi sinè dubio quòad virum primum. Deut. 24. *Tu autèm fornicata es cùm amatoribus multis,* nullum idòlum respuens, vt suprà cap. præced. *tamèn reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te*, sic contaminatam, & pollutam, vndè populum suum nunquàm repulit Deus Roman. 9. sed sempèr expectat reuersuros, nunquàm dedit libellum repudij, ità vt totalitèr ab ea perpetuò separatus fuerit. & nè mendacitèr neges quod dico, *Leua oculos tuos in directum, & vide vbì non prostrata sis: in vijs sedebas expectans eos quasi latro in solitudine*, sic de Thamar Genes. 38. 14. *& polluisti terram in fornicationibus tuis, & in malitijs tuis*, sic enim terram pollui, pluriès in Psalmis, & alibì dixi. *Quamobrèm* ob hæc peccata tua, *prohibitæ sunt stillæ pluuiarum, & serotinus imber non fuit. frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*, etiàm si cognosceres malitiam tuam, *ergò saltèm amodò voca me*, vt te recipiam, *Pater meus, dux virginitatis meæ tu es*, Deus enim elegit à principio populum Israel, eumquè docuit, vt in Psal. & Exod. *Numquid irasceris in perpetuum, aùt perseuerabis in finem?* obstinata, & contumax; *Eccè locuta es* dispofuisti facere, *& fecisti mala*, vel ore, & opere peccasti, *& potuisti*, ex tuo libero arbitrio, me permittente te in vias tuas progredi. Non placet intellectus Maldonati, ad tui locutionem, etsi peccasti, vicisti me, quia hìc non agitur de conuersione à malo, sed perseuerantia in illo, vt ex antecedentibus, & sequentibus. *Et dixit Dominus ad me in diebus Iosiæ Regis: numquid vidisti quæ fecerit auersatrix Israel?* decem tribus sub Ieroboam, *auersatrix* verò, quià in totum se à Deo abscidit, idolà suscipiens publicè. *Abiit sibimet supèr omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibì*, cùm idòlis, eis sacrificans. *& dixi*, volens eam recipere sìc pollutam ex mea misericordia, *cùm fecisset hæc omnia. ad me reuertere*, te enim recipiam, *& non est reuersa*, contumax fuit. *& vidit*, quasi non potest se excusare *præuaricatrix soror eius Iuda*, duæ tribus. hic *præuaricatrix*, quia non in totum, & publicè abiecit Deum, nàm in ea templum stabat, sacrificabatur illi, etsi & idòlis incumberetur, *quia pro eo, quod mœchata esset auersatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudii*, ac non ampliùs reuersuræ iuxtà legem repudij, *& non timuit*, proùt debuerat ab exemplo, *præuaricatrix Iuda soror eius, sed abiit, & fornicata est etiàm ipsa. Et facilitate fornicationis suæ contaminauit terram, & mœchata est cùm lapide, & ligno*, eccè fornicatio pro idololatria. *Et in omnibus his non est reuersa ad me*

præuaricatrix soror eius Iuda in toto corde suo, *sed in mendacio*, *ait Dominus* quasi me decipere volens, vndè non meruit audiri; *Et dixit Dominus ad me: iustificauit animam suam auersatrix Israel comparatione præuaricatricis Iudæ*, quasi maius peccatum fuit Iudæ habentis exemplum præcedens, quo edoceri debuerat, peccato Israelis, qui exemplo vacabat: sìc Christus in Pharisæo, & alijs Ciuitatibus. *Vade, & clama sermones istos contrà Aquilonem*, vbì decem Tribus captiuæ: non hìc Aquilo pro Israele, quod habes infrà hoc eodem capite clarissimum, sed regionem; *& dices*; *Reuertere*, hæc ad finem mundi, tùnc enim reliquiæ saluæ fient: hìnc antè nulla conuersio, vel parua, *auersatrix Israel, ait Dominus*, *& non auertam faciem meam à vobis*, *quia sanctus ego sum*, voloquè omnes esse saluos, & ad viam veritatis redire; non profanus, vt idòla, sed pius sum, & misericors, non prout homines ad vindictam pronus, sed indulgens, *dicit Dominus*, *& non irascar in perpetuum*, dummodò ad me reuertaris, hæc subdit, nè existimarent Deum dedisse eis libellum repudij, & nolle ampliùs eos recipere, sed scirent aliquandò recipiendos, quod erit in fine mundi. *Verumtamèn scito*, cognosce priùs peccatum tuum, & pœnitere, sìc enim facient Iudæi in fine mundi, *iniquitatem tuam*, *quia in Dominum Deum præuaricata es*, hoc quærit Deus à peccatore: hìnc Dauid, quoniàm iniquitatem meam ego cognosco, & tibi soli peccaui, *& dispersisti* sìc faciunt peccatores in circuitu euntes, *vias tuas alienis sub omni ligno frondoso*, *& vocem meam non audisti*, *ait Dominus*, hæc duo, & suprà dixit. *Conuertimini filij reuertentes* verè, sìc infrà c.4. in princ. ad me *dicit Dominus*, *quia ego vir vester* maritus legitimus, non Idòla, *& assumam vos vnum de Ciuitate*, *& duos de cognatione*, quasque reliquias etiàm minimas. Hìnc cùm loquatur de reliquijs, non est recedendum ab intellectu, quòd hæc ad finem mundi referantur: & confirmatur hic intellectus, quia in sequentibus apparet prophetam loqui de conuersione totius populi Hebræi, siuè Israel, siuè Iuda; quod alio tempore, & præsertìm Christi aptari non potest, quo pauci in eum crediderunt; vndè minùs verificatur, quòd domus Iuda ierit ad domum Israel, & conuenerint simùl in fide in Christum: & quomodò tùnc tempore Christi abolita memoria arcæ, cùm nequè nùnc intèr Hebræos, nequè alio tempore, nisi nouissimo hoc verificandum? immò tùnc arca absconsa à Ieremia reuelabitur, vt alibì dixi, & si tùnc reuelanda, tùnc etiàm, & non alio tempore fiet, quod hìc dicitur, *& introducam vos in Sion*, Ecclesiam Catholicam; & si hæ reliquiæ in fine cõuertendæ, considera quã pauci; quod & dicitur ab Isaia c.24.13. *Et dabo vobis pastores iuxtà cor meum*, *& pascent vos scientia*, *& doctrina* hi Enoch, & Elias, & alij Apostolici tùnc prædicaturi, *cumquè multiplicati fueritis*, *et creueritis in terra in diebus illis* nouissimis, credentes, & fideles, *ait Dominus: non dicent vltrà*, vt solebant gloriantes, *Arca testamenti Domini*, in qua Angelus vice Dei dabat responsa: *nequè ascendet supèr cor*, *nequè recordabuntur illius*, nulla erit memoria, vel solicitudo, proùt dùm gestabatur in castris, & quandò capta à Philistæis: *nèc visitabitur*, quasi adoranda, *nèc fiet vltrà* ad eam sacrificium: pro sacrificare enim ponitur facere, & ex his vult dicere sacrificia illa cessatura, proùt videmus factum: Ex his, quod aliàs dixi de arca apparitura in nouissimis, videtur nutare: at potest vtrumque stare quod appareat, aliàs enim non fuisset eo modo recondita, & quòd iuuet ad Hebræos conuertendos, & tùnc fideles, & conuersi nullum in ea faciant fundamentum: vide scripta Heb. 9. 2. Machab.2. Vel si sub arca sacrificia illa cruenta, vtiquè illa ampliùs non curabunt fideles. *In tempore illo vocabunt Ierusalem*, Ecclesiam militantem *solium Domini* non arcam illã, in qua Dominus dicebatur sedere supèr Cherubim, vel sacrificia illa, *& congregabuntur ad eam omnes gentes* Israel, quia de illis subdit, & de illis agit: & iàm ostendi sub nomine gentium aliquandò intelligi populum Israel solum *in nomine Domini in Ierusalem* Ecclesia Catholica, & non ambulabunt *pòst prauitatem cordis sui pessimi*, sed omnis Israel tùnc saluus fiet. Isa. 1. *In diebus illis*

illis nouissimis; *ibit domus Iuda ad domum Israel; & venient simùl de terra Aquilonis ad terram, quam dedi patribus vestris*, sic & in Isaia dicitur, iunctim Tribus omnes credituras. Vel redit ad temporalia, nempè reditum à captiuitate Babylonica, in qua plures ex decem tribubus, vel mysticè de his ad spiritualia. *Ego autèm dixi* à principio, dùm ducerem te de Aegypto, redit ad illud beneficium magnum, vt ostendat ingratitudinem. *quomodò ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram, exercituum gentium?* quæ est Terra promissionis, vbi tanta multitudo gentium erat, ad quam oculos dirigebam. Vel hæc ad spiritualia in fine sæculi, & tùnc de Ecclesia exercitibus gentium referta, *Et dixi*, te edocens: *patrem* ductorem te pascentem *vocabis me, et pòst me ingredi non cessabis*, sempèr me sequeris. *Sed quomodò si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus*, hìc ingratitudo, quia postquàm hæc tibi præstiti, tu me contempsisti satura; at hac de causa contemptus mei, *Vox in vijs audita est ploratus, et vlulatus filiorum Israel* in captiuitatem, & dispersionem tradendorum, *quoniàm iniquam fecerunt viã suam, obliti sunt Domini Dei sui*, eccè cur captiuitas Babylonica, de hac enim agitur, non Romana. At *conuertimini filij reuertentes* verè ad me patrem vestrum, *et sanabo auersiones vestras* à me factas, quia benignus sum, & misericors. *Eccè* (loquitur nũc populus, & recognoscit peccatum, quod erit in fine mundi, vel in captiuitate Babylonica, vt liberetur) *nos venimus ad te: tu enim es Domine Deus noster, verè mendaces erant colles, et multitudo montium*, in quibus idòlis seruiebamus mendacibus, *verè in Domino Deo nostro salus Israel*, sic eis protestabatur Deus, *Confusio comedit laborem nostrorum ab adolescentia nostra, greges eorum, et armenta eorum, filios eorum, et filias eorum*, hæ fuerunt mercedes seruitutis idòlorum, perditio omnium quæsitorũ etiàm à principio, *Dormiemus*. moriemur, & sepeliemur *in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra, quoniàm Domino Deo nostro peccauimus nos, et patres nostri ab adolescentia nostra, vsquè ad diem hanc, et non audiuimus vocem Domini Dei nostri*, Eccè cognitio peccati, de qua suprà Deo placens, vndè Dauid: quoniàm iniquitatem meam ego cognosco Psal. 50. & dixi, confitebor Domino iniustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.

CAPVT IV.

SI *reuerteris Israel, ait Dominus*, proùt in fine præced. cap. dixerunt, *ad me conuertere* ex corde, *si abstuleris offendicula*, tua peccata, in quæ præcipitas, seù laberis, præsertìm idolòlatriam, quæ me offendunt, *à facie mea non commoueberis*, stabis; & sìc docet quomodò euadant captiuitatem. *Et iurabis* me colens, & inuocans; *viuit Dominus in veritate, et in iudicio, et in iustitia*, hæc tria ad iuramentum iustum, & licitum, *et* hoc faciens, & hac tua obseruantia *benedicent eum* Deum, de quo proximè, non populum, & apud gentes volebat Deus hoc modo cognosci, *gentes, ipsumq. laudabunt*, hinc quàm displicuit Deo transgressio iuramenti facti per Sedeciam Nabuchodonosor: & scandala data gentibus, vt in Dauid proptèr homicidium Vriæ à gentibus, & hostibus perpetratum ex industria, quas blasphemare fecit Dominum. 2. Reg. 12.14. *Hæc enim dicit Dominus viro Iuda, et Ierusalẽ: nouate vobis nouale*, immutamini, auferte offendicula, vt sup. *et nolite serere supèr spinas*, quia semen peribit, suffocabitur, vt dixit Christus. *Circũcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum*, spiritualitèr ergò vult circũcidi, & verè in conspectu Dei, non fictè, *viri Iuda, et habitatores Ierusalem: nè* si perseueratis in malitia vestra, in qua diù vos toleraui *fortè*, quia videbat eos non conuertendos, prænunciat flagellũ *egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, & non sit qui extinguat, proptèr malitiam cogitationum uestrarum*,

annunciate, docet quid agant *in Iuda, & in Ierusalem auditum facite; loquimini, & canite tuba in terra; clamate fortitèr, & dicite: congregamini, & ingrediamur ciuitates munitas, leuate signum in Sion* digna maiori defensione, *confortamini, nolite stare* contumaces, increduli verbis meis, *quia malum ego adduco ab Aquilone* per Nabuchodonosor, *& contritionem magnam. Ascendit leo* idem *de cubili suo, & prædo Gentium se leuauit, egressus est de loco suo, vt ponat terram tuam in solitudinem: ciuitates tuæ vastabuntur, remanentes absquè habitatore*, proùt factum. *Supèr hoc accingite vos cilicijs* pœnitentes, *plangite, & vlulate: quia non est auersa ira furoris Domini à nobis*, si fortè mitigetur, *& erit in die illa* aduentus Nabuchodonosor, *dicit Dominus: peribit cor regis, & cor principum, & obstupescent Sacerdotes, & prophetæ* falsi, qui non Ieremias, & Baruch boni *consternabuntur*, & sic contigit in Ierusalem, *Et dixi: heù, heù, heù Domine Deus ergò nè decepisti*, permisisti decipi à pseudoprophetis pacem annunciantibus, *populum istum, & Ierusalem dicens*, quasi tu loquereris: *pax erit vobis, & ecce peruenit gladius vsquè ad animam?* tollendam, hoc ad multitudinem interfectorum, *in tempore illo dicetur populo huic, & Ierusalem; ventus vrens in vijs, quæ sunt in deserto; via filiæ populi mei non ad ventilandum, & ad purgandum*, sed vrendum omnia, Ciuitatem, & templum per Nabuchodonosor, citò; proptereà vtitur vento, qui velox est. *Spiritus* ventus *plenus* ad satietatem vindictæ *ex his* conflagrationibus, *veniet mihi* iuxtà iussionem meam: *& nùnc ego loquar iudicia mea cùm eis*, faciam eis quod merentur ex iustitia; *eccè quasi nubes* celer: sic in Isaia, eccè Dominus ascendens supèr nubem leuem, *ascendet, & quasi tempestas*, improuisa Nabochodonosor, *currus eius; velociores aquilis equi illius: væ nobis quoniàm vastati sumus. Laua* (redit ad monitionem, vt conuertatur, & euadat) *à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias; vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? vox enim annunciantis à Dan*, sic & infrà cap. 8. per quam viam descendit Nabuchodonosor, *& notum facientis idòlum*, aduenienss, & instans nempè Nabuchodonosor idolòlatram, seù exercitum idolòlatram, non idòlum Nabuchodonosor, qui in statua ab eo erecta adoraretur, nàm posteà fuit erecta à victorijs elato. Sed an dici posset, *vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ*, quibus ad idòla inclinaris, nè putes has occultas *vox enim annunciantis*, annuncians, aperiens clarè *à Dan*, vbi idòlum, *& notum facientis* faciens *idòlum de monte Ephraim*, descendens, situatum à Ieroboam de illa tribu; quasi velit dicere; scio te adhùc versari in cultu idòlorum, proùt decem tribus; Sed intellectus is destruitur ex eisdem dictis cap. 8. & ex his quæ hìc sequuntur, & quia cogitationes noxiæ non cessabant, *vox*, &c. in pœnam, *Dicite gentibus* populo Israel, eccè quomodò pro gente capiatur, vt aliàs dixi, quid enim hìc ad gentes gesta contrà Ierusalem, vt subijcitur? id fortè considerabile, si destructio Ierusalem nunciaretur, at hæc antèquam destrueretur, & ad incolas, vt cauerent, *eccè auditum est in Ierusalem custodes* obsessuros *venire de terra longinqua, & dare supèr ciuitates Iuda vocem suam, quasi custodes agrorum facti sunt supèr eam in gyro*, ità vt euadere non possint, proùt Dauid obsessus à Saul: *quia me ad iracundiam prouocauit, dicit Dominus, viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi; ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum* in hac delectata es, ab illa hæc recipis, non à me hæc habes, *Ventrem* (dolorem suum propheta mala hæc præuidens denunciat) *meum, ventrem meum doleo*, & 4. Reg. 19. caput meum doleo, caput meum doleo, *sensus cordis mei turbati sunt in me; non tacebo, quoniàm vocem buccinæ* me excitantis, *audiuit anima mea*, in spiritu, *clamorem prælij* instantis, *contritio supèr contritionem vocata est, & vastata est omnis terra: repentè vastata sunt tabernacula mea, subitò pelles meæ*, sub his quæ sub Moyse gestabantur Ierusalem, & templum, *vsquequò videbo fugientem, audiam vocem buccinæ?* quasi hæc sic perdurabunt? respôdet Deus cur sic futurum, *quia stultus populus meus me non cognouit, filij insipientes sunt, et vecordes; sapientes sunt, vt*

faciant mala prudentiores in his filijs lucis, vt dicit Christus, *benè autèm facere nescierunt*. *Aspexi* describit propheta vastitatem, & incendium, *terram, & ecce vacua erat, & nihili: & cælos, & non erat lux in eis, vidi montes, & ecce mouebantur, & omnes colles conturbati sunt, intuitus sum, & non erat homo, & omne volatile cæli recessit*, Apoc. 18. sic apparere videntur hæc in mœrore constitutis, & rebus desperatis, *Aspexi, & ecce Carmelus* Iudæa sub eo *desertus, & omnes vrbes eius destructæ sunt à facie Domini, & à facie iræ furoris eius; hæc enim dicit Dominus, deserta erit omnis terra, sed tamèn consummationem non faciam*, reliquias dimittam, reducam aliquandò captiuitatem, non hic de reliquijs in fine. *Lugebit trrra, & mœrebunt cœli desupèr, eò quod locutus sum*, sic iussi, & obedient, sic implebitur, *cogitaui, & non pœnituit me, nèc auersus sum ab eo*, sic stabiliui firmitèr, neque immutor. *à voce equitis, & mittentis sagittam fugit omnis ciuitas; ingressi sunt ardua, & ascenderunt rupes*, sic contigit, quia fugæ se dederunt in obsidione Nabuchodonosor, *vniuersæ vrbes derelictæ sunt: & non habitat in eis homo*, hæc omnia prædicit, vt auertat eos à vijs malis, & conuertantur ad eum, *Tu autèm vastata quid facies?* quasi adhùc expectas conuersionem, non moueris, non cogitas tot amara supèr te euentura, *cùm vestieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio*, sic Iezabel *oculos tuos. frustrà componeris*, quasi nullum tibi erit refugium, *contempserunt te amatores tui*, in quibus confidis, quibuscum fornicabaris idololatrando, *animam tuam quærent* hostes, quos mittam, *Vocem enim, quasi parturientis audiui, angustias, vt puerperæ*, cuius dolor maximus, *vox filiæ Sion intermorientis, expandentisquè manus suas*, vt solent derelictæ nullum habentes refugium, proùt Thamar stuprata ab Amnon: *væ mihi, quia defecit anima mea proptèr interfectos*, ob eorum multitudinem, quam videbat.

CAPVT V.

CIRCVITE. Nè dicerent duriùs agi cùm Ierusalem, vel Deum pœnitentiam acturum supèr malo, quod minatus fuerat proptèr bonos, qui essent in ciuitate; proùt rogabat Abraham, Genes. 18. subdit. *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem*, bonum, iustum, fidelem, *& propitius ero ei* Ierusalem, Loth pro se, & suis, & Segor: & sicùt Noe, & suis, & decem iuxtà Abraham, & Moysi pro populo; Nihil hìc de Ieremia, vel Baruch, quia personæ, quibuscum loquitur, intelliguntur exceptæ; Vel est hyperbole ad denotandam vniuersalem malitiam, vndè sequens idem thema subdit, *Quòd si etiàm, Viuit Dominus, dixerit*, quasi iusti ex hoc, *& hoc falsò iurabunt*, quasi non attendenda verba iurantium, ex illis enim non est vir, quia omnes falsò iurant per me, vndè quia *Domine oculi tui respiciunt fidem*, veritatem, cor fidele, *percussisti eos*, vt reuerterentur, *& non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas suprà petram, et noluerunt reuerti*, quæ sunt signa magna eorum peruersitatis, quia remedijs abutuntur, proùt illud: curauimus Babylonem, & non est sanata. *Ego autèm dixi* non reperiens virum in plateis, vt suprà *forsàn pauperes sunt, et stulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui*, vndè videntur digni aliqua excusatione, *ibo igitùr ad optimates*, qui scire præsumuntur, *et loquar eis* dicta mihi per Dominum, *ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui*, ità vt sint inexcusabiles, *et ecce magis hi simùl confregerunt iugum, ruperunt vincula*, proùt Psal. 2. dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, legem scilicèt, & præcepta, *idcircò* proptèr has iniquitates optimatum *percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperam vastauit eos, pardus vigilans supèr ciuitates*

eorum,

eorum; ſub his Nabuchodonoſor, *omnis qui egreſſus fuerit ex eis*, de ciuitate fugiens, ſiuè per diem, ſiuè per noctem, proùt Sedecias cùm Principibus, *capietur*, proùt euenit, *quia multiplicatæ ſunt præuaricationes eorum, confortatæ ſunt auerſiones eorum*, in quibus delectati ſunt, eccè id proptèr peccata, *ſupèr quo propitius tibi eſſe potero?* dicit Dominus, qui nollet eius ſubuerſionem. *Filij tui*, ſic ſuprà cap. 2. 30. vbi dixi. *dereliquerunt me, & iurant in his, qui non ſunt dij*, dediti idòlis, quos in deos recognoſcunt iurando, *ſaturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur*, eccè ingratitudo, beneficijs abutuntur ad luxuriam. Non hìc de templo ſub verbo *domo*, quia templo non applicatur ſequens verbum *meretricis*, & quia in ſequentibus loquitur de vera luxuria, non ſpirituali, *equi*, &c. *Equi amatores, & emiſſarij*, veloces ad luxuriandum, ſic ſuprà cap. 2. *facti ſunt*; *Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat* adulteri, *Numquid ſupèr his non viſitabo*, puniam *dicit Dominus? & in gente tali nó vlciſcetur anima mea?* turbata in his turpibus, quaſi non poſſum hæc diſſimulare, *Aſcendite*, prouocat Chaldæos ad ſubuerſionem, *muros eius, & diſſipate*, more belli, vndè non eſt recurrendum, quod Iudæi haberent bona ſua pro derelictis, hoc enim falſum, quia immò illa defendebant, potiùs dicendum data à Deo Domino, non ab eo derelicta: at ſufficit bellum: quod dicitur ex Iſaia cap. 24. eſt conforme huic loco Ieremiæ, non nouus intellectus, *conſummationem autèm nolite facere*: voluit enìm Dominus conſeruari reliquias proptèr Meſſiam, qui ex illis oriturus, & illarum miſertus, quas & in fine ſaluat, *auferte propagines*, palmites luxuriantes *eius* Ieruſalem generationem recentem, antiqua deteriorem, idolòlatram; à Salomone enim cœpit idolòlatria augeri, *quia non ſunt Domini* quem auerſantur, ſed idolòrum, quibus ſeruiunt, & reddit rationem, *præuaricatione enìm præuaricata eſt in me domus Iſrael, & domus Iuda, ait Dominus: negauerunt Dominum*, non quòd non eſſet Deus, ſed, & pro quia *dixerunt, non eſt ipſe*, qui minetur prædicta à prophetis, ad quæ ſe reſtringunt, ideò, *nequè veniet ſupèr nos malum; gladium, & famem non videbimus*, ſunt nugæ prophetarum, nàm *Prophetæ*, de veris agũt, quia hi mala nuntiabant, pſeudo, bona, *fuerunt in ventum locuti, & reſponſum non fuit eis* à Domino, ex ſuo capite loquuntur: non id referendum ad Iudæos nullum fructum facientes, quia ipſi loquuntur, & contrà ſeipſos dicerent, qui contrà prophetas loquuntur, *hæc ergò euenient illis* ob hanc eorum peruerſitatem, quia non credunt, nèc conuertuntur; hìnc bonus ſuperior intellectus, puniuntur in eo, in quo delinquunt: Vel *euenient illis* prophetis hæc dicentibus ex præſumptione falſa populi (ſed melior primus) nàm quid venturum ſupèr prophetas prædictum? hìnc proſequitur contrà populũ quæ ventura. At c. 14. infrà, contrà prophetas, vndè ſaluabitur intellectus, *Hæc dicit Dominus Deus exercituũ*, potẽtiſſimus, *quia locuti eſtis verbum iſtud, eccè ego dabo verba mea in ore tuo in ignem*, hinc exuſta Ciuitas, & templum, & ſic prædicit genus pœnæ, *& populum iſtum in ligna, & vorabit eos*, quaſi prædic eis ignem eos, ac ligna arſura incenſuros, proùt fuit. *Eccè ego adducam ſupèr vos gentem* Chaldæorum, *de longinquo domus Iſrael, ait Dominus, gentem robuſtam, gentem antiquam*, à Nembroth deſcendentem, *gentem, cuius ignorabis linguam, nèc intelliges quid loquatur*, barbaram, immiſericordem Deut. 28. *Pharetra eius* ſagitta, ſeù ſagittæ, continens pro contentis mortem inducens, & cap. 6. dicit ſagittam, *quaſi ſepulchrum patens* apertum paratum ad recipiendos mortuos: de Beniamitis quid ſimile Iudic. 20. 16. *vniuerſi fortes*, quaſi inuincibiles; *Et comedet ſegetes tuas, & panem tuum; deuorabit filios tuos, & filias tuas, comedet gregem tuum, & armenta tua; comedet vineam tuam, & ficum tuam; & conteret vrbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam gladio*, hæc omnia quatenùs propria, & in quibus laborauerunt, eò magis mœrorem apportant, & ſic prædixit Moyſes Deut. 28. 49. *Verumtamèn in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in conſummationem*, reliquiæ remanebunt, vt ſuprà, ſempèr Deus miſcet miſericordiam, & punit citrà condignum.

Quòd

Quòd si dixeritis: quarè fecit nobis Dominus Deus noster hæc omnia? dices ad eos: sicùt dereliquistis me,& seruistis Deo alieno in terra vestra, sic seruietis alienis in terra non vestra, qua mensura mensi fuistis, remetietur vobis, *Annunciate hoc domui Iacob, & auditum facite in Iuda dicentes; audi popule stulte, qui non habes cor*, non incumbis his, quæ deberes, non examinas statum tuum, *qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis*, hæc quia non conuertebantur, non timebant, non obediebant. *Me ergò non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis?* hæc, & quæ sequuntur ad incutiendum timorem, vt eo perculsi reuertantur ad Dominum. *Qui posuit arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt; & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud*, ex his potẽtia Dei, prouidentia, & obediẽtia rerum inanimatarum: & propterea infert ex his rectè, hæc mihi obediunt, *populo autèm huic factum est cor incredulum, & exasperans; recesserunt, & abierunt*, non obedientes, & idola recognoscentes, *& non dixerunt in corde suo* his auditis; *Metuamus*, ideò dixi ex his voluisse timorem elicere, *Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam, & serotinam in tempore suo: plenitudinem annuæ messis custodientem nobis*, nobis benefacientem, alentem, aliàs, ei ingrati erimus, & possumus ab eo his priuari *Iniquitates vestræ declinauerunt hæc*, quia fuissent vberiora: *& peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis*, obserua vndè fames, & annonæ inopia, *quia inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros*, fraude, & circumuentione, *Sicùt decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo; ideò magnificati sunt, & ditati*, hìc diuitiæ ex malo, *incrassati sunt, & impinguati, & præterierũt sermonos meos pessimè*, quos attendere debuerant. *causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt*, & hi sub protectione Dei, *Numquid supèr his non visitabo dicit Dominus? aùt supèr gentem huiuscemodi non vlciscetur anima mea? stupor, & mirabilia facta sunt in Terra* promissionis: *prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia*, exemplo maiorum motus, quasi omnes præuaricati sunt falsis incumbentes, *quid igitur fiet in nouissimo eius?* peribunt, sicùt vixerunt, sic deficient, & timere discent.

CAPVT VI.

CONFORTAMINI filij Beniamin in medio Ierusalẽ, & in Thecua clangite buccina, & supèr Bethacarem leuate vexillum, quia malum visum est ab Aquilone, & contritio magna à Chaldæis, vt suprà pluriès, his excitat nominatos ad instantem ruinam fugiendam, & se defendendos, *Speciosæ, et delicatæ assimilaui filiam Sion*, ideò concupiscibilis fit, *Ad eam venient pastores, et greges eorũ; fixerunt* in ea tentoriũ *in circuitu*, his delineat obsidionem futurã Chaldæorum, *pascet vnusquisq. eos, qui sub manu*, acie, turma *sua sunt* capiẽdos *Sanctificate*, præparate: sunt voces Chaldæorum se excitantium ad captionem vrbis *supèr eam bellum: consurgite, et ascendamus in meridie* absquè insidijs, apertè, An autèm Chaldæi sciuerint, vel ex prophetis, vel aliundè voluntatẽ Dei, vt per eos destrueretur Ierusalẽ, puto omninò esse incertũ, & potiùs inclinarẽ in negatiuam, etsi enim id aliquandò factum, cùm id innotuerit, vt in Nechao. 2. Paral. 35. 21. itidèm hoc innotuisset ex Scripturis, in quibus nihil habemus, immò scimus id vsurpatum falsò à Sennacherib 4. Reg. 18. 25. *væ nobis, quia declinauit dies, quia longiores facta sunt vmbræ vesperi*, hæc quia in die non potuerunt omnia perdere, meliùs hæc ad Chaldæos, quàm ad obsessos: tùm quia præcedũt: tùm sequuntur voces Chaldæorum, vndè incongruè obsessi miscentur. *Surgite, et ascendamus*

damus in nocte, nihil refert etsi nox sit, & ideò præcedentia de nocte etiàm ad Chaldæos, vt dixi, *et dissipemus domos eius*, vsquè ad internecionem, *quia hæc dicit Dominus exercituum: Cædite lignum eius, et fundate circà Ierusalem aggerem*, Dominus docet quid agendum per Chaldæos in obsidione, non quòd Chaldæis sic iusserit, potiùs ingesserit in eorum mentem, *hæc est ciuitas visitationis*, ad eam puniendam, *omnis calumnia in medio eius*, eccè cur destruatur, *sicùt frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam*, in qua indurauit, vt suprà dixerat, ità vt difficiliùs ab ea euelli possit, calida enim faciliùs tolluntur; ideò *iniquitas, et vastitas audietur in ea*, quia *coràm me sempèr infirmitas, et plaga* eiusdem in oppressos, & supra, *calumnia in medio eius. Erudire Ierusalē* monet ad conuersionē, prædicens mala, vt illa vitet, *nè fortè recedat anima mea*, cor meum, memoria, *à te nè fortè ponam te desertam, terram inhabitabilem, hæc dicit Dominus exercituum; vsquè ad racemum colligent, quasi in vinea reliquias Israel* ex hoc magnitudo desolationis, *conuerte manum tuam quasi vindemiator ad cartallum*, ò Chaldæe, ità vt nullum relinquas liberum, hæc per hyperbolem, & vt moneantur; nàm consummatio non erat fienda, *Cui* hìc videt frustrà hæc ingerere nolentibus audire, & subsannantibus, *loquar? et quem contestabor, vt audiat? eccè incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt: eccè verbum Domini factum est eis in opprobrium, et non suscipient illud; idcircò furore Domini plenus sum* hæc Dominus, non propheta, nam & sequentia Domino, non prophetæ aptantur, *laboraui sustinens* hanc eorum contumaciam, quasi non ampliùs feram, ideò conuersus ad Chaldæos iterùm dicit, vt omnia susdequè vertant, nemini parcant, *effunde supèr paruulum foris, & supèr consilium iuuenum simùl: vir enim cùm muliere capietur, senex cùm pleno dierum: Et transibunt domus eorum ad alteros, agri, & vxores paritèr*, Thren. 5. hæc solent in hominibus maiorem indignationem, & curam excitare, *quia extendam manum meam*, ad puniendum, *supèr habitantes terram, dicit Dominus. A minore* (reddit causas tantæ ruinæ recitans eorum peccata) *quippè vsquè ad maiorem omnes auaritiæ student: & à propheta*, falso *vsquè ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum, & curabant contritionem filiæ populi mei cùm ignominia dicentes: pax, pax, & non erat pax*, & sic decipiebant populum, *Confusi sunt, quia abominationem fecerunt; quin potiùs confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt*, alibi dicit hos frontem meretricis non erubescentis induisse, *quamobrèm cadent intèr ruentes*, omnes hi magnates dolosi, *in tempore visitationis suæ*, ad pœnam, *corruent dicit Dominus; Hæc dicit Dominus, state*, docet quomodò se gerant, vt fugiant mala, *supèr vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis*, à me præfixis, per quas ambulauerunt patres vestri, in quibus non inuenietis idololatriam, *quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris, & dixerunt*, contumacitèr sic moniti *non ambulabimus, & constitui supèr vos speculatores*, qui vos præmoneant, & excitent. *Audite vocem tubæ*, vt saluemini, *Et dixerunt, non audiemus: Ideò audite gentes*, popule Israel, is enim sub hoc verbo quandoquè intelligitur, eò magis, quia subdit *congregatio, & terra, & cognosce congregatio, quanta ego faciam eis: Audi terra* Iuda, de illa enim agit, ideò ad illam, *vt quid mihi thus*, &c. *Eccè* causam huius minæ assignat, & se iustum demonstrat, *ego adducam mala supèr populum istum, fructum*, retributionem, *cogitationum eius* prauarum, quas perficit, *quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt: Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suaue olentem de terra longinqua? holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi*, quia estis pleni iniquitatibus; hæc dicit, nè putarent his posse euadere flagella, proùt, & dùm in templo confidebant, vide Isa. 1. *Propterea hæc dicit Dominus: Eccè ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres, & filij simùl, vicinus, & proximus peribunt*, ex his magna strages, vt magis commoueantur. *Hæc dicit Dominus, Eccè populus* Chaldæorum, *venit*

venit de terra Aquilonis, *& gens magna consurget à finibus terræ*; *sagittam*, suprà cap. 5. pharetra, *& scutum arripiet*; *crudelis est*, *et non miserebitur*, *vox eius quasi mare sonabit*, *et supèr equos ascendent*, *præparati quasi vir ad præliũ aduersùm te filia Sion*, ex his ostendit eos non euasuros exercitum adeò fortem *Audiuimus* inducit propheta populum loquentem, *famam eius*, *dissolutæ sunt manus nostræ* ex timore contracto, *tribulatio apprehendit nos*, *dolores vt parturientem*, *nolite exire ad agros*, *et in via nè ambuletis*, *quoniàm gladius inimici*, *pauor in circuitu*, sic Dominus suadet in Euangelio, nè quis descendat tollere tunicam, *Filia*, iterùm monet ad pœnitentiam *populi mei accingere cilicio*, *et conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum*, *quia repentè veniet vastator supèr nos*. *Probatorem*, conuertit se ad Prophetam *dedi te in populo meo robustum*; *et scies*, *et probabis viam eorum*, cognosces quæ dixi vera nempè. *Omnes isti principes declinantes*, *ambulantes fraudulentèr: æs*, *et ferrum*, duræ ceruicis, *vniuersi corrupti sunt*, & suprà, omnes auaritiæ student; Tentaui expurgare, sed frustrà, nàm *Defecit sufflatorium*; *in igne consumptum est plumbum*, *frustrà conflauit conflator*, vult dicere, ex tot monitionibus, & verbis, nihil cùm eis actum *malitiæ enim eorum non sunt consumptæ*, non sunt reuersi à vijs malis, *argentum reprobum vocate eos*, *quia Dominus proiecit illos*, tamquàm in scoriam conuersos. Aliqui, intèr quos Alb. cent. cap. 46. referunt hæc verba Dei à vers. *probatorem*, vsquè in finem ad Nabuchodonosor, sed ei non conueniunt, quia ille datus ad consummandum, non ad cognoscendum peccata populi, hinc sequitur subdens ad prophetam iuxtà iàm dicta.

CAPVT VII.

VERBVM, *quod factum est ad Ieremiam à Domino dicens*; *sta*, hæc vult ab omnibus audiri, & neminem excusari *in porta domus Domini*, *et prædica ibi verbum istud*, *et dic: Audite verbum Domini omnis Iuda*, *qui ingredimini per portas has*, *vt adoretis Dominum*. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bonas*, docet quomodò possint euadere calamitatem imminentem per Chaldæos, *facite vias vestras*, *et studia vestra*, opera vestra, *et habitabo vobiscum in loco isto: nolite confidere in verbis mendacij*, *dicentes: templum Domini*, *templum Domini*, *templum Domini est*, replicat ad maiorem confidentiam in eo denotandam; vel quia hoc erat factum vulgare, non quia tèr in anno ad illud ascenderent, vel quia tres partes templi, ex hoc solo credebant se saluandos, illudquè non diruendum, vti à Domino protectum, & à pseudoprophetis sic edocebantur, *quoniàm*, prosequitur quomodò saluandi, quasi posteà inferat, in his, non in templo saluabimini. *Si benè direxeritis vias vestras*, *et studia vestra*, *si feceritis iudicium intèr virum*, *et proximum eius*, *aduenæ*, *et pupillo*, *et viduæ non feceritis calumniam*, *nèc sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc*, *et pòst deos alienos non ambulaueritis in malum vobis metipsis*, ab illis enim nullum bonum expectandum: *habitabo vobiscum in loco isto: in terra*, *quam dedi patribus à sæculo*, *& vsquè in sæculum*, numquam à vobis recedam, & consequentèr à sedibus vestris his non immutabimini; *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij* quòad templum, *qui non proderunt vobis: furari*, *occidere*, *adulterari*, *iurare mendacitèr*, *libare Baalim*, *et ire pòst Deos alienos*, *quos ignoratis*, hæc sunt, quæ vos condemnant, à quibus templum, in quo confiditis vanè, non defendit, *et venistis*, *et stetistis*, sic polluti *coràm me in domo hac*, *in qua inuocatum est nomen meum*, *et dixistis*; *liberati sumus*, *eò quòd fecerimus omnes abominationes istas*, sic à me cognitas, quia vos polluti mille sordibus, quas vos sacrificia suauia, & vos à peccatis enormibus

mibus expurgantia dicitis, *Numquid ergò spelunca latronum facta est domus ista? in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris?* quasi templum meum erit causa liberationis ab his impietatibus? ab his vos defendet, erit asylum improborum? *ego, ego sum*, non fallor: *ego vidi*, aperta sunt mihi omnia, *dicit Dominus*, contrarium dicebant illi capit. 5. non est ipse, &c. *Ite* ab exemplo solo vult eos reuocare *ad locum meum in Silo, vbì habitauit nomen meum* gloria, maiestas mea, Arca 1. Reg. 4. 22. *à principio*, ingressus in Terram promissionis, *& videte quæ fecerim ei*, nàm abieci eum, etsi ibi esset arca, quia illam sustuli, quæ capta à Philisthijm, à quibus remissa cùm strage magna populi, & locorum, ad quæ ducebatur, & tùnc cœpta strages in populo Israel in Bethsames, & tandèm reducta in Gabaa, & posteà sub Dauid Rege in Sion: exindè sub Salomone in templum: & hinc apparet Deo permittente, vt Silo desereretur, arcâ ductam in bello, & alia secuta, vt in Scriptura, nullibìque Silo destructa, *proptèr malitiam populi mei Israel*, ob quam etiam malitiam successiuè decem tribus in captiuitatem perpetuam datæ; Non hic de mutatione loci religiosi Silo in Siò principalitèr, sed de excidio, & flagello illato Silo, & Israeli, etiàmsi locus ille religiosus esset, vt inferat & illis ruinam imminentem per Chaldæos non euasuros proptèr templum intèr eos existens, immò & ipsum (prout Silo) diruendum, de hoc enìm agebatur, non de translatione religionis; translatio verò cultus de loco ad locum alterius erat inspectionis; etsi & hoc intèr mala Silo illata, vndè Psal. 77. 60. & repulit tabernaculum Silo, tabernaculum, &c. sed incidentèr. *Et nùnc qui fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus: & locutus sum ad vos manè consurgēs*, solicitus, & vos zelans, *& loquens, & non audistis: & vocaui vos, & non respondistis:* sìc & Prouerb. 1. & suprà in Isaia, *Faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum;* cùm hìc de nomine, & inuocatione, frustrà, intelligitur sub hoc de arca, *& in qua vos habetis fiduciam: & loco, quem dedi vobis, & patribus vestris, sicùt feci Silo. Et projiciam vos à facie mea, sicùt proieci omnes fratres uestros, uniuersum semen Ephraim*, decem tribus idololatras. *Tu ergò noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te*, quasi frustrà orares, quia ipsi non immutabuntur, & sententia, seù iudicium contrà eos irreuocabile. Vgo Card. hìc. Sìc dictum Moysi, dimitte me, vt irascatur furor meus: Samueli nè oraret pro Saule: prohibitus Paulus nè ad aliqua loca descenderet, in Act. vndè subdit: *Nonnè uides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda et in plateis Ierusalem? Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas*, sacrificandas *Reginæ cœli*, lunæ, proùt sol Rex. quia hæc luminaria magna cœli, Genes. 1. attamèn non habetur hìc Iudæos solem adorasse; sed in princ. cap. 8. infrà innuitur. *& libent diis alienis*, omnes, de quibus suprà ad idololatriam dati: quomodò ergò prodesse possunt orationes tuæ illis? hinc cur prohibeatur orare, immò hi (quod plus est) *& me ad iracundiam prouocent; Numquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus?* quasi quid sunt hæc ad me, omnia in caput eorum conuertuntur, *nonnè semetipsos in confusionem uultus sui? Ideò hæc dicit Dominus Deus: Eccè*, pœnam minatur, quæ erit omnium combustio per Nabuchodonosor, *furor meus, et indignatio mea conflatur*, paratur ad succensionem, *supèr locum istum, supèr uiros et supèr iumēta, et supèr lignum regionis, et supèr fruges terræ, et succendetur, et non extinguetur*, habebit effectum finalem. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Holocaustomata uestra*, quæ mihi non placent, *addite uictimis uestris, et comedite carnes*, potius quàm omnia vratis; holocausta enim in totum adurebantur, victimæ verò parùm aliquid, & reliquum comedebatur, quasi hæc vestra sacrificia mihi ingrata; facite de illis ad libitum vestrum, quid hæc ad me? hæc non æstimo. Non dicit, holocausta vrenda comedite, sed non offeratis; nàm in primo esset transgressio, non in secundo, hoc autèm, quia mihi non placent. *Quia non sum locutus cùm patribus uestris, et non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti,*

de

de verbo holocautomatum, & victimarum; sic & Stephanus Act. 7. 42. Amos 5. 25. vbi habetur per annos quadraginta hæc Deo oblata non fuisse in deserto, & propterea verba *non præcepi* restringenda ad illud tempus; ideò dicit *in die, qua eduxi*, &c. hincque infert, minor mihi cura horũ, prout & Isai. 1. & alibi sæpè. *Sed hoc verbum præcepi eis, dicens*, quod maximè curo. *Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandaui vobis, vt benè sit vobis*, hanc enim obedientiam vult Deus, vt dixit Samuel; & habetur Oseæ 6. & Isai. 1. & facile erat obedire vbique, & hoc erat fundamentum, quo iacto, posteà ad Terram promissionis appulsi poterant alia præstare ad sacrificia pertinentia, quæ in deserto non suppetebant. Non placet intellectus, non præcepi; sed permisi; nam hoc est peruertere totam Scripturam clarè imperantem, & iniungentem sacrificia, & illa dicũtur præcepta cæremonialia, eò magis, quia figura erant mortis Messiæ secuturæ. Præterea, permissio est de quibusdam, quæ prima fronte videntur, vel sunt illicita, vt Libellus repudij, Deut. 24. Matth. 19. at sacrificia illa non erant de illicitis, & quamuis vera esset ratio, qua motus Deus ad illa præcipienda, nè ad idololatriam deflecterent, ex deductis hic à Christophor. Castro plures cumulante; non tamèn efficitur ex ea, vt cẽseantur permissa, non iussa. Prætereà, permissio ponitur in voluntate eius, in quem dirigitur, vt in libello repudij, vsuris, & similibus. At hæc sacrificia ex necessitate erant adimplenda; differentia verò intèr singulos, vel vniuersos est fragilis, quia hìc cùm populo toto agit, non cùm singulis. Non placet, principalitèr volo obediẽtiam, secundariò holocausta, quia de vtrisque præcepit, sed distulit sacrificia ad tempus possibile, & commodum, præceptum ad tempus relaxans. Non placet, quòd loquatur comparatiuè, idest, magis volo obediẽtiam, quàm victimas, quia sequeretur, & in deserto sacrificia fuisse sub præcepto, alioqui comparatiuè euanescit. *Et non audierunt* hi filij patrum illorum, *nec inclinauerunt aurem suam: sed abierunt in voluntatibus, & in prauitate cordis sui mali*, sic dispersit superbos mente cordis sui, *factique sunt retrorsùm, & non in antè, à die, qua egressi sunt patres eorum à terra Aegypti, vsque ad diem hanc* idololatriæ dediti, *Et misi ad vos omnes seruos meos prophetas per diem consurgens diluculò*, magna diligentia *& mittens. Et non audierunt me* in eis, prout de Samuele, non abiecerunt te, sed me, *nec inclinauerunt aurem suam sed indurauerunt ceruicem suam: & peius operati sunt, quàm patres eorum*: sic habetur in libris Regum, & Paralip. & Acto. 7. *Et loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient te, & vocabis eos, & non respondebunt tibi*, adeò sunt contumaces, & duræ ceruicis. *Et dices ad eos. Hæc est gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam*, ad emendationem. *periit fides*, veritas, *& ablata est de ore eorum. Tonde capillum tuũ*, hæc ad prophetam ad mœstitiam denotandam: sic in Iob, ad illos commouendos ob instantia flagella comminata, & iterùm commemorata, ex quibus conijcitur quid importet tonsio, & proiectio capillorum, *quia proiecit*, &c. *Et proijce, & sume in directum* eorum sic proiectorum *planctum, quia proiecit Dominus, & reliquit generationem furoris sui*, in quam furor exercendus: *quia fecerunt filij Iuda malum in oculis meis*, inuerecundè, & irreuerentèr, *dicit Dominus. Posuerunt offendicula sua*, idola: sic Manasse *in domo*, in templo, *in qua inuocatum est nomen meum, vt pollueren eã; & ædificauerunt excelsa Topheth, quæ est in valle filij Ennom*, quis locus hic, vide Recẽtiores, *vt incenderent filios suos, & filias suas igni, quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo*, quasi pro idolis ad hæc deuenerunt, quæ nunquàm ego præcepissem. Hìnc probatur intellectus de semine non dando Moloch, intelligi de filijs, vt in lege Moysis Leuit. 18. *Ideò eccè dies venient, dicit Dominus, & non dicetur ampliùs Topheth, & vallis filij Ennom; sed vallis interfectionis*. nempè magnæ: ideò non potest negari ex hac denominatione futura, ibidèm filios non immolatos, cùm textus id dicat, *vt incenderent filios suos*, Sed quia hìc de strage magna, ibi de parua, in qua ea denominatio

Hhh dari

dari non potuit. Quòd verò tympana pulsarent, dùm filij incenderentur, est commune dictum, & verisimile, nè vagitu filiorum viscera paterna deterrerentur; nec quià tympana ad lætitiam, fit, vt nequè ad mœstitiam; & ex vsu dignoscitur. Non obstat, erat vallis pulchra, quia stat simùl hoc, & illud. *Et sepelient in Tophet, eò quòd non sit locus*, hæc omnia ad denotandam stragem interficiendorum. *Et erit morticinum populi huius in cibos volucribus cœli, & bestijs terræ, et non erit qui abigat*, insepulta esse corpora, graue erat Iudæis ad sepulturæ honorem deditis, eò magìs, quia cibus volucrum, & ciborum. vt ex muliere ab eis custodientes posteros Saul suspensos. ideò hæc etiàm prædicit. *Et quiescere faciam de vrbibus Iuda, et de plateis Ierusalem vocem gaudij, et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ*, hoc etiàm graue, quia his homines delectantur, *in desolationem enim erit terra*, & sic contigit.

CAPVT VIII.

IN *illo tempore* conuersionis Ierusalem per Chaldæos, *ait Dominus: Eiicient ossa Regum* Iuda, nè putarent, quia suprà dixerat mansura insepulta cadauera, de solis pauperibus id dici, explicat etiàm Regibus, & principibus id euenturum, vt magis mouerentur, *et ossa principum eius, et ossa Sacerdotum, et ossa Prophetarum, et ossa eorum, qui habitauerunt Ierusalem de sepulchris suis: et expandent ea ad Solem*, hinc adoratio Solis, *et Lunam*, hinc bonus erit intellectus Reginam cœli Lunam intelligi, quam adorabant, & alia regina dari non potest; sic Deuter. 4. 19. *Et omnem militiam cœli, quæ dilexerunt, et quibus seruierũt, et pòst quæ ambulauerũt, & quæ quæsierunt, et adorauerunt:* Superiora puto per hyperbolem dicta, quia quis in bello contereret tempus in sepulchris effodiendis prętèr regia, vel alia, quæ crederentur thesauris plena? Sed hyperbolem restringit ex sequentibus, iuxtà quæ & superiora intelligẽda, præsertìm quia non legimus sepulchra à Chaldæis effossa, sed omnia igni tradita: *non colligentur, et non sepelientur in sterquilinium, supèr faciem terræ erunt*, sepultura asini sepelientur, vt de Ioachi[m] Rege. *Et eligent magìs mortem quàm vitam: omnes, qui residui fuerint de cognatione hac pessima in vniuersis locis, quæ derelicta sunt, ad quæ eieci, eijciam eos, dicit Dominus exercituũ* ob magnum opprobrium, quod videbunt, & flagella imminentia, quæ euadere non poterunt: proùt illi dicentes Montibus: cadite supèr nos. *et dices ad eos: hæc dicit Dominus: numquid qui cadit, non resurget?* non potest resurgere populus, qui cecidit in tot mala? *et qui auersus est non reuertetur?* non potest reuerti? *quarè ergò auersus est populus iste in Ierusalem auersione cõtentiosa? apprehenderunt mendacium, et noluerunt reuerti*, hoc igitùr fuit voluntatis eorum, non impotentiæ; ideò dolet contumaciam populi persistentis in auersione ab eo. *Attendi, et auscultaui*, cognoui vndè hoc procedat: *nemo quod bonum est loquitur* pro se, vel vt alium ad me adducat: hinc dabo vobis sterilitatem non panis, & vini, sed verbi Domini, quod est grauissimum flagellum. *Nullus est qui agat pœnitentiam supèr peccato suo, dicens, quid feci?* vndè peccato grauantur, & retinentur in auersione à me. *Omnes conuersi sunt ad cursum suum* ad suas voluptates solitas: *quasi equus impetu vadens ad prælium*, absque vlla cõsideratione, & quàm hoc detestabile in hominibus: nàm *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autèm meus non cognouit iudiciu[m] Domini*, quod instat in eos ad puniendu[m]; ideò animalibus hebetiores facti sunt. sic [...] 1. 1. cognouit bos possessorem, &c. vn[dè n]on placet hìc iudicium capi pro misericordia;

Quo-

Quomodò dicitis sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? in qua gloriabantur; si hęc non aduertitis, si ab irrationalibus superamini: *verè mendacium* decipiens *operatus est stylus mendax scribarum*, vobis hæc ingerentium: Non hic de scribentibus malè legem, his enìm nunquàm oppositum quòd malè scripserint, sed malè interpretãtibus, & populum decipientibus, quod ex sequentibus constat magìs. *Confusi sunt sapientes, perterriti, & capti sunt:* sic Paulus 1. Cor. 2. Perdam sapientiam sapientum, &c. *Verbum enìm Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis. Propterea dabo mulieres eorum exteris, agros eorum hæredibus* exteris, scilicèt Chaldæis, Thren. 5. *quia à minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur: A propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium.* Eccè cur passuri erant, de quibus & suprà dixit. *Et sanabant contritionem* instantem mendacio, *filiæ populi mei ad ignominiam* malaconfidentèr patrantis, solis verbis pacis nixi, *dicentes, pax, pax, cùm non esset pax*, at *confusi sunt, quia abominationem* idolis seruiendo *fecerunt: quinimò confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt*, in profundum malorum positi: *idcircò cadent intèr corruentes in tempore visitationis suæ,* ad pœnam per Chaldæos *corruent, dicit Dominus*, hæc in sacerdotes, vt hi mouerẽtur ad conuersionem, *Congregans congregabo eos, dicit Dominus*, ad eos simùl tollendos, *non est vua in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit* hinc penuria, & caritas in obsidione, quia Chaldæi omnia comesturi, & dissipaturi, *& dedi eis quæ prætergressa sunt*, à Chaldæis messoribus. *Quarè sedemus?* hic stantes, hostibus expositi, dicunt hæc circà Ierusalem habitantes in arcto positi; *conuenite, & ingrediamur ciuitatem munitam et sileamus ibi: quia Dominus Deus noster silere*, absque viribus esse *nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis*, amaram, nos puniendo, & iustè; *Peccauimus enìm Domino: expectauimus pacem* prædictam à pseudoprophetis *& non erat bonum*, quod expectabamus, quia fallebant nos, *tempus medelæ*, à Rege Aegypto, *et eccè formido* à Chaldæis instãtibus: vndè subdit, *A Dan*: sic & supra cap. 4. vndè Chaldæi transituri, Non hic de idolòlatria Dan, cùm agat contrà Iudam, *auditus est fremitus equorum eius: à voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis Terra* promissionis. *Et venerunt, et deuorauerunt terram, & plenitudinem eius, vrbem, & habitatores eius. Quia eccè ego mittam vobis serpentes regulos*, Chaldæos milites, *quibus non est incantatio*, qui non flecten ur ad preces vestras*: et mordebunt vos, ait Dominus: dolor meus supèr dolorem, in me cor meum mærens*, hæc verba prophetæ dolentis, vt & infrà, proùt & Paulus Roman. 9. quia *Eccè vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua*, ad quam ducenda in captiuitatem; factum repræsentat pro futuro. *Numquid Dominus non est in Sion, aut Rex eius non est in ea?* vt sic in prædam detur, & non sit auxilium? *Quarè ergò me ad iracundiam concitauerunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis?* sic respondet Dominus, vt sciant ob idolòlatriam hæc pati. *Transiit messis, finita est æstas*, in his enìm temporibus expectabant auxilium, vel diù auxilia expectauimus. *Et nos saluati non sumus*, quasi vana fuit spes nostra. *Supèr contritione populi mei contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me*, hæc Ieremias condolens: *Numquid resina* medicina, *non est in Galaad?* quæ hac abundat, *aut medicus non est ibi?* quasi immò sunt ibi plures. *quarè igitùr non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* quasi non his de causis, sed quia non sunt conuersi ad Dominum.

CAPVT IX.

QVIS dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte iugitèr *interfectos filiæ populi mei*, quasi tanta est calamitas, vt ad eã ostendendam, & dimittendam, quod habeo non sufficiat, nec est qui præstare possit, quod opto intèr homines. *Quis dabit me in solitudine diuersorum viatorum*, in quo sistam, *& derelinquam populum meum, & recedam ab eis?* nè videam, & contaminer, & in eorum calamitates ruam. sic Moyses, Num. 16. 29. recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, nè inuoluamini in peccatis eorum, *quia* dat rationem recessus, *omnes adulteri sunt, cœtus præuaricatorum: Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij*, mendacem, à scopo aberrantem, *& non veritatis: confortati sunt in terra*, in terrenis fragilibus, *quia de malo ad malum*, sic trahitur peccator, *egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulentèr incedet. Et vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur: docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: vt iniquè agerent laborauerunt*, Præmonet populum ad cautionem, & ex dictis apparet maxima peruersitas, & congruit illud Ouidij de filijs, & fratribus, & hospitibus, & illud Isaiæ: non sum medicus, & in domo mea non est panis, &c. *Habitatio tua*, sequitur ad eos, ad quos præmissa retulit *in medio doli*, quasi omnia dolo plena, *in dolo renuerunt scire me*, contraria iubentem, vt licentiùs peccarent, *dicit Dominus. Proptereà hæc dicit Dominus exercituum: Eccè ego conflabo, & probabo eos*, tribulationibus, & angustijs, proùt argentum igne: *quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei?* quam deperio, quos enim amo, hos corrigo, sic & Isai. 1. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cùm amico loquitur, & occultè ponit ei insidias. Nũquid supèr his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente huiusmodi non vlciscetur anima mea?* fictum enim abhorret Deus, *Supèr* eccè flagellum, quia omnia incendenda, & in vastitate relinquenda: *montes assumam fletum, ac lamentum, & supèr speciosa deserti planctum: quoniàm incensa sunt*, eccè cur supèr illa hæc, non vt audiatur, *eò quòd non sit vir pertransiens: & non audiet vocem possidentis*, illa adeò euacuabitur hominibus regio, quod subdit, *à volucre cœli, vsquè ad pecora transmigrauerunt, & recesserunt. Et dabo Ierusalem in aceruos arenæ*, vt contigit ædificijs destructis, solo æquatis; *& cubilia draconum, & ciuitates Iuda dabo in desolationem, eò quòd* ità vt *non sit habitator*, sic & Isaias de Ierusalem, & Babylone, & Ioann. Apocal. 18. *Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat, vt annũciet istud, quarè perierit terra, & exusta sit quasi desertum, eò quòd non sit qui pertranseat?* quasi nec est qui hoc consideret, & annunciet; *Et dixit Dominus: Quia*, explicat cur hæc mala super populum, *dereliquerunt legem meam, quam dedi eis*, & pacti sunt illam seruare, *& non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea, & abierunt pòst prauitatem cordis sui, & pòst Baalim; quod didicerunt à patribus suis*, vndè longa & diuturna fuit Dei expectatio, *Idcircò hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Eccè ego cibabo populum istum absinthio, & potum dabo eis aquam fellis*, suprà cap. 8. *Et dispergam eos in Gentibus, quas non nouerunt ipsi, & patres eorum:* & Dauid, disperge eos in virtute tua: *& mittam pòst eos gladium, donèc consummantur*, hoc nè putent ibi saluandos, non autèm quòd fieret ipsa consummatio totalis: sed per hyperbolem, & ad tollendum fiduciam in dispersione; nàm capit. 4. & 5. & vbiquè sempèr dixit non facturum consummationem, reliquias conseruandas. *Hæc dicit Dominus*

nus

nus exercituum Deus Israel: Contemplamini, & vocate lamentatrices, proùt ad mortuos: hinc magna calamitas, *& veniant, & ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, & properent: festinent*, propheta hæc ad dictorum Dei comprobationem, & quia propera erat desolatio, *& assumant supèr nos lamentum: deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis. Quia vox lamentationis audita est de Sion*, sic & suprà cap. 8. *Quomodò vastati sumus, & confusi vehementèr? quia dereliquimus terram*, in captiuitatem ducti; *quoniàm deiecta sunt tabernacula nostra*, Chaldæis omnia incendentibus. *Audite ergò mulieres verbum Domini: & assumant aures vestræ sermonē oris eius: & docete filias vestras lamentum: & vnaquæque proximam suam planctum. quia ascendit mors* à Chaldæis inferenda, *per fenestras nostras*, in quas furtiuè, & per insidias se intrudent, vel cicatrices murorum, seù aperturas, *ingressa est domos nostras*; sic suprà dixit faciendum per Chaldæos de domibus, pro quibus mulieres, quæ in eis solent detinere se iugitèr: at quòad masculos, *disperdere paruulos deforis, iuuenes de plateis: loquere dicit Dominus: Et cadet morticinum hominis quaquasi stercus supèr faciem regionis, & quasi fœnum pòst tergum metentis, & non est, qui colligat*, hinc insepulta remanebunt cadauera, vt dixit suprà cap. 8. 1. *hæc dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua; & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis*, quasi volentes iudicia Domini perscrutari, vel flagella vitare præsumentes: vide Mich. 6. *sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiā in terra*, sufficiat eis hæc à me fieri iuxtà voluntatem meam, nec quicquam euenturum pratèr eam: sic Christus, Vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum: & Paulus, Qui gloriatur, in Domino glorietur, *hæc enim placent mihi, ait Dominus*, vltrà non quæras, sic Roboam diuisionem regni ex sua factam voluntate. Sed nè existimetis vos solos puniendos, & aliorum peccata impunita remansura. *Eccè dies veniunt, dicit Dominus: et visitabo* puniens *supèr omnem, qui circumcisum habet præputium*, hoc dicit, nè putarent saluandos esse ob circumcisionem, ideò subdit non habiturum rationem circumcisorum; vel nō quia omnes visitandi *supèr Aegyptum, & supèr Iuda, & supèr Edom, & supèr filios Ammon, & supèr Moab, & supèr omnes, qui attonsi sunt in comam, habitantes in deserto: quia omnes gentes habent præputium: omnis autèm domus Israel*, circumcisi quidèm carne, at *incircumcisi sunt corde*, proptereà suprà exhortabatur ad circumcisionem cordis, quia ideò visitandi; hìncque inferre vult, nè confidant in auxilio aliorum populorum perdendorum.

CAPVT X.

AVDITE verbum, quod locutus est Dominus supèr vos domus Israel. Hæc dicit Dominus: iuxtà vias Gentium idòla colentium, *nolite discere: & à signis cæli*, quæ ipsæ obseruant, *nolite metuere*; hoc contrà Astrologos, & vt eos ab adoratione cœlestium orbium retrahat. *quæ timent*, colunt, adorant *Gentes: quia leges populorum*, ad idolòlatriam tendentes *vanæ sunt: quia* docet cur non timeant; nàm sunt opera hominum idòla omnia, & docet quomodò illa fabricent. *lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia. Argento, & auro decorauit illud: clauis, & malleis compegit, vt non dissoluatur*, quasi aliòquin non sisterent, vt in Isaia dicitur, *In similitudinem palmæ* floridæ *fabricata sunt, & non loquentur*, quia mortua. *portata tollentur, quia incedere non valent*, sunt absquè spiritu, & viribus; *nolite ergò timere ea, quia nec malè possunt facere, nec benè*, timor enim ex his solet insurgere, vide Baruch. 6. *Non* (Propheta his motus prosilit in laudes Dei, & omnia clara,) *est similis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit*

te ò rex Gentium ? tuum est enim decus: intèr cunctos sapientes Gētium ? & in vniuersis regnis eorum nullus est similis tui. Paritèr insipientes, & fatui probabuntur, sic & Paul. 1. Cor. 2. *doctrina vanitatis eorum lignum est*, quasi nihil, vile quid. *Argentum inuolutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophaz: opus artificis, et manus ærarij: hyacinthus, et purpura indumētum eorum, opus artificum vniuersa hæc*, mortua, falsa, deceptoria; At è contrariò. *Dominus autèm Deus verus est: ipse Deus viuens, et rex sempiternus*, Paulus: Regi sæculorum immortali, inuisibili, &c. & is timendus, potēs benè, & malè facere; nàm *ab indignatione eius commouebitur terra, et non sustinebunt Gentes comminationem eius. Sic ergò dicetis eis* Chaldæis scilicèt, vel gentibus, de quibus in principio. *Dij, qui cœlos, et terram non fecerunt, pereant* peribunt *de terra, et de his, quæ sub cœlo sunt*, nullibì apparebunt, at Deus omnipotens. *Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cœlos. Ad vocem suam dat multitudinē aquarum in cœlo, et eleuat nebulas ab extremitatibus* fortè superficie *terræ: fulgura in pluuiam facit, et educit ventum de thesauris suis*, ipse disponit, & gubernat omnia, etiā cœlestia, de quibus egerat, non idòla vana; sic Ionas, Dominum ego timeo, qui fecit cœlum, & aridam, *Stultus factus est omnis homo à scientia*, non intelligens Deum, & quid sit idòlum, *confusus est*, erubuit *artifex omnis in sculptili: quoniàm falsum est quod conflauit, et non est spiritus in eis. Vana sunt, et opus risu dignum: in tempore visitationis suæ*, flagelli, vastitatis. *peribunt*, dū gentes destruentur, proùt in prophetijs ad ea spectantibus, non hæc strictè ad Babylonios, sed generalia, *Non est his similis*, idòlis *pars Iacob*, ille, cui hæret Iacob, qui dicitur pars hæreditatis, in Psal. hinc in Isai.. verba illa, laudabunt partem, idest, Deum, videntur ex hoc textu posse sustineri, *qui enim formauit omnia, ipse est* pars, cui Iacob hæret Deus, *& Israel virga* stabilimentum, directio, sceptrum *hæreditatis eius*. hæreditas mea Israel, populus scilicèt peculiaris, & segregatus *Dominus exercituum nomen illi*, Omnipotens. *Congrega de terra confusionem tuam*, opera tua mala, præsertim idolòlatriam infrà cap. 11. 7. quibus rubor surgit, nùnc enim probabis quid tibi prosint, prædicit combustionem, & mœrorem Ciuitatis, *quæ habitas in obsidione. quia hæc dicit Dominus: Eccè ego longè proijciam habitatores terræ* Iudææ *in hac vice*, dando illos in captiuitatem Babylonicam: *& tribulabo eos, ità vt inueniantur* ab inimicis. *Væ*, Ierusalem loquens inducitur, *mihi supèr contritione mea, pessima plaga mea. Ego autèm dixi: Planè hæc infirmitas mea est*, quā merui, *& probabo illam*, nullo suffragante. *Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt, filij mei exierunt à me, & non subsistunt: non est qui extendat vltrà tentorium meum, & erigat pelles meas*, ex his vastitas templi, & ciuitatis, & populi sub Chaldæis, nihil hìc de captiuitate Romana. *Quia stultè egerunt pastores, & Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est*. Eccè quomodò proptèr principes populus punitur, perdam pastorem, & dispergentur oues. *Vox* præmonet flagellum appropinquans, *auditionis eccè venit, & commotio magna de terra Aquilonis; vt ponat ciuitates Iuda solitudinem, & habitaculum draconum. Scio Domine, quia non est hominis via eius: nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos*, vndè non hæc à Nabuchodonosor, sed à te ille minister tuus, tu iubens, & ducens. sic Iob. 1. recognoscit calamitatem à Deo. Vndè non video quomodò hæc ad liberum vel non arbitrium referantur, & ad spiritualia, & ad populum cùm hæc pro Nabuchodonosor venturo. At postquàm hæc à te. *Corripe me tu Domine, verùntamèn in iudicio*, misericordi ad emēdationem: sic & suprà cap. 9. *& non in furore tuo, nè fortè ad nihilum redigas me*, sed vt emender, & liberer potiùs, *Effunde indignationem tuam supèr Gentes*, omnes enim, qui Iudæis insultarunt, puniti sunt, vt suprà in Ieremia, Isaia, & alibì sæpissimè, *quæ non cognouerunt te, & supèr prouincias, quæ nomen tuum non inuocauerunt; quia comederunt Iacob, & deuorauerunt eum, & consumpserunt illum; & decus*

eius

eius dissipauerunt, quasi miserere populi tui, tot mala a gentibus passi, & auerte ab eo iram tuam, & illam diuerte in inimicos eius.

CAPVT XI.

VERBVM, *quod factum est à Domino ad Ieremiã, dicens: Audite*, poterant fortè dicere Israelitæ, Domine cur nos das in captiuitatem? cur à terra nostra nos abstrahis, postquàm pepigisti patribus nostris te illam daturum? non sufficit dedisse, manuteneas & in futurum; ideò Dominus volens huic obiectioni respondere, vt in eo confidant, dicit, *Audite*, qui auditis, non quòd Ieremias esset extrà Ierusalem, *verba pacti huius, & loquimini ad viros Iuda, & habitatores Ierusalem, & dices tu ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Maledictus vir, qui non audierit* obseruauerit, & infrà *facite verba pacti huius, quod præcepi patribus vestris*. Et cùm eis initium, *in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de fornace ferrea*, magnæ calamitatis, & afflictionis ob seruitutem duram: sic de fornace ferrea Aegypti, Deut. 4. 20. *dicens: Audite vocem meam, & facite omnia, quæ præcipio vobis*; volebat Deus obseruantiam legis datæ, *& eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum: Vt suscitem*, dem spiritum fracto: sic Psal. 77. 5. & suscitauit testimonium in Iacob, ad perseuerandum, & retinendum vos in terra hac, *iuramentum* iàm mortuum, fractum, *quod iuraui patribus vestris daturum me eis terram fluentem lacte, & melle, sicut est dies hæc*, in qua illam vos possidetis. à quo iuramento ego liber sum ex vestra inobseruantia. *Et respondi, et dixi: Amẽ* faciam *Domine. Et dixit Dominus ad me: Vociferare omnia verba hæc in ciuitatibus Iuda, & foris Ierusalem*, sic & suprà capit. 9. de foris iuuenes, *dicens: Audite verba pacti huius, et facite illa: quia contestans contestatus sum patres vestros in die, qua eduxi eos de Terra Aegypti vsquè ad diem hanc: mane consurgens contestatus sum, & dixi: Audite vocem meam* obedite, hoc erat principale, vt essent ei obedientes, vt suprà dixit, & postquàm in hoc defecerunt, nec Deus tenetur pacto, vel iuramento: *& non audierunt, nec inclinauerunt aurem suã: sed abierunt vnusquisque in prauitate cordis sui mali*, secũdùm desideria cordis eorum, de quo & Act. 16. & in Cantico Virginis, mente cordis sui. *et induxi supèr eos omnia verba pacti huius, quod præcepi vt facerent, et non fecerunt*. hinc contrà inobseruantes pœna instat. *Et dixit Dominus ad me: Inuenta est coniuratio*, rebellio contrà me *in viris Iuda, et in habitatoribus Ierusalem. Reuersi*, hæc rebellio *sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea: et hi ergò abierunt pòst deos alienos, vt seruirent eis: irritum fecerunt domus Israel, et domus Iuda pactum meum, quod pepigi cùm patribus eorum*, nimirùm si contra eos malè agentes, & contràfacientes pacta non seruo. *Quamobrèm hæc dicit Dominus: Eccè ego inducam supèr eos mala, de quibus exire non poterunt: et clamabunt ad me, et non exaudiam eos*, quia non teneor exaudire rebelles. *Et ibunt ciuitates Iuda, et habitatores Ierusalem, et clamabũt ad deos, quibus libant, et non saluabunt eos in tempore afflictionis eorum*, quia hi impotentes. *Secundùm numerum enim ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda: et secundùm numerum viarum Ierusalem posuisti aras confusionis*, sic capit. 10. Congrega confusionem; *aras ad libandum Baalim*, hinc idolòlatriam fuisse ad cumulum in toto populo. *Tu ergò noli orare pro populo hoc, et nè assumas pro eis laudem, et orationem: quia non exaudiam in tẽpore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum*, sic prohibuit Samueli nè oraret pro Saul, quem iàm priuauerat, & suprà idem dixit, sic enim merentur, cùm eos non pœniteat. *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea*, templo, *fecit scelera multa?* quæ me ab eo auerterũt, quia contrà me, & *in domo mea*, domo orationis: hinc qualis cultus in Ecclesia, & quo-

quomodò hi nō debebāt in tēplo confidere, dū erant polluti ipsi, & templū ipsum pollue rēt, *Nūquid carnes sāctæ* segregatæ ad sacrificiū, quas sacrificas, *auferent à te malitias tuas, in quibus gloriaris?* quasi non possunt hoc præstare, nè confidas in illis; non hìc de præputio, quia non dicitur sanctum, & quia præcedit de templo, vndè congruentèr intellectus de immolatis; Et si olim *Oliuam vberē, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit*, fecit *Dominus nomen tuum* in statu hoc bono, & fœlici posuit te Dominus, at nùnc *ad vocem loquelæ* Dei eiusdem, sìc iubentis *grandis exarsit ignis in ea*, *et combusta sūt fruteta eius*, eccè desolatio à Deo, *Et Dominus exercituum, qui plantauit te*, & potest etiàm euellere, quia cuius est construere, eius est destruere, *locutus est*, & venit *supèr te malum: pro malis*, eccè cur vastitas, *domus Israel, et domus Iuda, quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim. Tu autèm Domine demonstrasti mihi, & cognoui*, machinas eorum, *tùnc ostendisti mihi studia eorum*, in te, & in me, sic Dauid: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, Psal. 50. *Et ego quasi agnus mā suetus, qui portatur ad victimam*, cum illis agebam: *et non cognoui*, antequam tu reuelares, *quia cogitauerunt supèr me consilia, dicentes: Mittamus lignum* venenatū *in panem*, cibum *eius*, volebant occultè occidere, vt dicerentur Auctores mortis: sic & Iudæi in Christum, Saul in Dauid, Dauid in Vriam; *et eradamus eum de terra viuentium, et nomen eius nō memoretur ampliùs*, quia non dicit nobis placentia. *Tu autèm Domine Sabaoth, qui iudicas iustè, et probas renes, et corda* interiora, *videam vltionem tuam ex eis: tibi enìm reuelaui causam meā*, scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuam, Deut. 32. *videam* dicit, non quærit. *Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anatoth, qui quærunt animam tuam, et dicunt: non prophetabis in nomine Domini*, nolebāt mala imminentia audire, hæc causa expressa, aliæ diuinatiuæ, *et non morieris in manibus nostris*, hinc duo, Prophetam in patriam non recipi, & corripientem reijci, vt & Michæas per Achab 3. Reg. vlt. *Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Eccè ego visitabo*, in iudicio condemnabo, & pœnas inferendo, *supèr eos; iuuenes morientur in gladio, filij eorum, et filiæ eorum morientur in fame*. Ego sum Deus visitans in tertiam, & quartam generationem peccata patrum. *Et reliquiæ non erunt ex eis*, per hyperbolē, quia 120. redierunt ex eis à captiuitate Babylonica, 1. Esdr. 2. *inducam enìm malum supèr viros Anathoth, annum uisitationis eorum*, ad calamitatem, & pœnam; hæc ad Christum transferuntur, idem enim de eo Sap. 2. Isai. 53.

CAPVT XII.

IVSTVS *quidèm tu es Domine*, præmittit hoc, quòd est principale in dubio orto ex dictis in fine capitis præcedentis: *si disputem tecum*, tu præualebis; *verumtamèn iuxta loquar ad te*: vt in discursu. *Quarè via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui præuaricantur, et iniquè agunt?* quasi potiùs contrarium esse deberet. *Plantasti eos, et radicem miserunt, proficiunt, et faciunt fructum: propè es tu ori eorum*, exaudis eos petentes, *et longè à renibus eorum* à supplicijs, quæ tamquàm peruersi mererentur; videtur melior hæc contrapositio, quàm dicere de corde eorum à Deo alieno, cùm referantur ad Deum verba, *Et tu Domine nosti me, vidisti me, et probasti cor meum tecum* non dicit se pium, & vti talem pati: sed remittit se omnia scienti Deo: hincquè eius humilitas, & nulla præsumptio de se, at scio Domine illos non sic permansuros; igitùr *Congrega*, congregabis enim *eos quasi gregem ad victimam* prædicit futurum, non imprecatur, præsertim quia infrà mœror ipsius, *et sanctifica* separa: sic cap. 1. sanctificaui, *eos in die occisionis* à te præstitutæ per Chaldæos, nihil

nihil hìc de Romanis. *Vſquequò lugebit terra, et herba omnis regionis ſiccabitur proptèr malitiam habitãtium in ea?* numquàm ne ceſſatura tanta calamitas? numquàm res proſperandæ? Et redit malos non proſperari ibi *propter malitiam eorum: conſumptum eſt animal, & volucre*, quia non eſt eis cibus, *quoniàm dixerunt: non videbit nouiſſima noſtra*, sic impij, Non videbit nos Dominus, quaſi hoc freti numquàm ceſſauerunt à malitia. *Si* reſpondet Deus Prophetæ *cùm peditibus* viris Anathoth *currẽs laboraſti*, paſſus es, *quomodò contendere poteris cùm equis?* Regibus, principibus Ieruſalem, *cùm autèm in terra pacis ſeruus fueris*, quid tùm? parum id erit, quia, *quid facis in ſuperbia Iordanis?* tumeſcentis, exundantis, fluctuantis, Ieruſalem, Regis & principum eius, quandò obſidione premebuntur, tùnc enim plurima paſſus Ieremias: Sic interpretare alia loca de ſuperbia Iordanis capit. 49. & 50. & alibì. Hic autèm intellectus maximè procedit, cùm de Ieremia tantùm loquatur, cui ſoli non aptantur gentes vicinæ; & hoc tibi perſuaſum habeas paſſurum te ab his. *Nàm & fratres tui, & domus patris tui, etiàm ipſi pugnauerunt aduersùm te, & clamauerunt pòſt te plena voce*, quantò magis illi tibi non attinentes: et ſi aliquandò videbuntur tibi proſpera dicere, *nè credas eis*, de quibus dictum, *cùm locuti fuerint tibi bona*, sìc Chriſtus de perſecutionibus à propinquis inferendis. *Reliqui* ego, nè exaſpereris, ſi tibi mala contingent in Ieruſalem, ſcias, & mihi Deo ibi hæc contigiſſe, sìc Chriſtus: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, *domum meam*, templum *dimiſi hæreditatem meam* Iſrael, sìc & ſuprà cap. 10. *Dedi dilectam animam*, vitam *meam* illam hæreditatem *in manu inimicorum eius*, vel Nabuchodonoſor, & exercitus eius, vel aliorum antè, *facta eſt mihi hæreditas mea* populus Iſrael, *quaſi leo in ſylua*, mihi contradicens, & opponẽs audactèr, & idòlis ſeruiẽs, *dedit contrà me vocẽ*, inobedientiæ: *ideò odiui eam*, vtì odioſam ſe mihi præbuit, & dimiſi: At in hoc ſtatu. *Numquid nõ auis diſcolor hæreditas mea mihi, numquid auis tincta per totũ?* nonnè talis, quã omnes perſequantur, omnes ambiant; vndè ad illius deſtructionẽ inſtantem vocat: *Venite, cõgregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad deuorandum*, intelligit de Chaldæis, nõ Romanis, eadem phraſis in alijs Prophetis, & Apoc *Paſtores* inimici Reges *multi demoliti ſunt vineam meam conculcauerunt partẽ meam, dederunt portionem meam deſiderabilẽ in deſertum ſolitudinis. Multi poſuerunt eam in diſſipationẽ, luxitq. ſupèr me*, qui eã reliquerã: *Deſolatione deſolata eſt òmnis terra* Iſrael, non hìc de paſtoribus Iſraeliticis. quia non sic apertè hæc præſtiterunt, *quia nullus eſt qui recogitet corde*, sìc & Iſaias, Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet corde; ideò ſuprà quærebat virum ſe interponentẽ. *Supèr* deſcribit vaſtationem, quæ Iſraelitis non aptatur, *omnes vias deſerti venerunt vaſtatores, quia gladius Domini* per miniſterium Chaldæorum *deuorabit ab extremo terræ vſquè ad extremum eius:* sìc & Pſal. 18. 7. A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſquè ad ſummum eius. *Non eſt pax vniuerſæ carni: ſeminauerunt triticum, & ſpinas meſſuerunt* bona in mala conuerſa Iſraelitis, vt hìnc pœnitentiam apprehenderent: *hæreditatem*, Terram promiſſionis *acceperunt, & non eis proderit: Confundemini à fructibus veſtris* malis *proptèr iram furoris Domini*, in vos irruendam: *Hæc dicit Dominus aduersùm omnes vicinos meos peſſimos* populos: Hæc dixit, nè putarent immunes futuros eorum perſecutores, quod & ſuprà, & ſæpiſſimè in Iſaia, *qui tangunt hæreditatem* Terram promiſſionis, *quam diſtribui populo meo Iſrael. Eccè ego euellam eos de terra ſua* in captiuitatem dando, *& domum Iuda euellam de medio eorum*, hos ab illis ſeparando; *Et cùm euulſero eos* domum Iuda *conuertar, & miſerebor eorum; & reducam eos virum* quemque *ad hæreditatem ſuam, & virum in terram ſuam*, per Cyrum, hìc de alienis etiàm reducendis cùm Hebræis, quod firmatur ex ſequentibus. *Et erit*, ſuccedet, *ſi eruditi*, hinc vna ex cauſis diſperſionis populi Iſrael, vt alij crederent, proùt & Tobiæ capit. 13. & alibì: *Didicerint vias populi mei, vt iurent in nomine meo, viuit Dominus*,

hoc

hoc in Babylonijs, *ficùt docuerunt populum meum Iurare in Baal: ædificabuntur* ſtabilientur, proùt obſtetrices in Exodo *in medio populi mei: quòd ſi non audierint* sìc moniti, *euellam gentem illam euulſione, & perditione, ait Dominus* perpetuò; nil hic de vocatione gentium ad Chriſtum, ſed de proſelytis.

CAPVT XIII.

HAEC *dicit Dominus ad me: Vade, & poſſide* habeas, sìc Gen. 4. poſſedi hominem per Deum, *tibi lumbare lineum, & pones illud ſupèr lumbos tuos, & in aquam non inferes illud*, ne diceret populus hac de causa putrefactum eſſe, & inferret, non à Domino, ſi conſumpti ſumus: volebat enim eos intelligere vaſtitatem illorum à Deo eſſe, vt infrà: hæc autèm viſio non in ſpiritu, ſed re ipſa, vt magis hæreret menti hominum. *Et poſſedi lumbare iuxtà verbum Domini, & poſui circà lumbos meos: Et factus eſt ſermo Domini ad me ſecundò dicens: tolle lumbare, quod poſſediſti, quod eſt circà lumbos tuos, & ſurgens vade ad Euphraten, & abſconde ibì illud in foramine petræ, & abij, & abſcondi illud in Euphrate, ſicùt præceperat mihi Dominus. Et factum eſt poſt dies plurimos, dixit Dominus ad me: ſurge vade ad Euphraten, & tolle indè lumbare quod præcepi tibi, vt abſconderes illud ibì. Et abij ad Euphraten & fodi, & tuli lumbare de loco, vbì abſconderam illud: & eccè computruerat lumbare, ità vt nulli vſui aptum eſſet. Et factum eſt verbum Domini ad me dicens: hæc dicit Dominus; sìc putreſcere faciam ſuperbiam Iuda, & ſuperbiam Ieruſalem multam*, Hinc dum Ieremias ter dicit de ſuperbia Iordanis, rectè intelligitur de Ieruſalem. *Populum iſtum peſſimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis ſui*, præcepta mea irridentes, *abieruntquè poſt Deos alienos, vt ſeruirent eis, & adorarent eos: & erunt ſicùt lumbare iſtud, quod nulli vſui aptum eſt. Sicùt enim adhæret lumbare ad lumbos viri*, Eccè cur lumbare potiùs, quàm aliud aſſumi voluerit, vt oſtenderet charitatem viſcerum ſuorum ergà populum. *Sic agglutinaui*, eodem verbo vtitur Scriptura ad demonſtrandam dilectionem Sichem ergà Dinam, Ionathæ ergà Dauid, *mihi omnem domum Iſrael, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt eſſent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam* meam, sìc enim melius conſtruitur, & omnia proptèr ſeipſum, idèſt gloriam ſuam, operatus eſt Dominus, *& non audierunt. Dices ergò ad eos ſermonem iſtum: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Omnis laguncula implebitur vino* furoris Domini, *& dicent ad te, Numquid ignoramus, quia omnis laguncula implebitur vino? & dices ad eos, hæc dicit Dominus: Eccè ego implebo omnes habitatores terræ huius. & reges, qui ſedent de ſtirpe Dauid ſupèr Thronum eius, & Sacerdotes, & Prophetas, & omnes habitatores Ieruſalem ebrietate*, ità vt non intelligant, cæci fiāt: alibi de ſpiritu vertiginis, & sic fuit, quia nullus intellexit: eccè cur vaſa vino implenda, *& diſpergam eos, virum à fratre ſuo, & patres, & filios paritèr*, quod eſt magni mœroris, quia sìc nullus alteri ſeruire poteſt, *ait Dominus*, de hac diuiſione, ſed bona Chriſtus in patre, filio, matre, nuru, &c. *non parçam, & non concedam; nequè miſerebor, vt non diſperdam eos. Audite, & auribus percipite; nolite eleuari quia Dominus locutus eſt*, & sic fiet. *Date Domino Deo veſtro gloriam*, eccè quòd dixeram, gloriam in ſuperioribus intelligi de diuina, non populi; sìc Hebræi cùm Cœco, Ioſue cùm Achan, *antequàm contenebreſcat, & antequàm offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos* calamitatis plenos, sic Chriſtus docebat operandum, dum dies eſſet, venturam noctem, in qua nemo poſſet operari, *expectabitis lucem* auxilium à Domino, *& ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem* in contrarium, in vaſtitatem: eccè quales montes caliginoſi, *Quod ſi hoc non audieritis, in abſcondito plorabit anima mea, ego à facie ſuperbiæ* veſtræ nolentis humiliari Deo: sìc & Samuel lugebat Saul;

Pau-

Paulus suos contribules. Rom. 9. aduerte & hìc quòd suprà dixi de superbia Iordanis, *plorans plorabit, & deducet oculus meus lacrymam, quia captus est grex Domini,* videbat enim instantem captiuitatem. *Dic Regi* Sedeciæ, *& dominatrici,* Reginæ eius vxori, quia agitur de captiuitate perfecta, vt infrà, quæ fuit sub his, & aliæ præcesserant hàc prophetiam imperfectæ. Sicùt hìc dominatrici, sic infrà cap. 29. Iechonias Rex, & domina *Humiliamini, sedete,* hæc ad pœnitentiam, & mœrorem, *quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ,* ducemini in captiuitatem. Puto hæc potiùs intelligenda propriè iuxtà regulam, cùm fieri possit in Rege, & Regina dictis, præsertim quia de corona agitur, & suprà de grege actum erat; quàm impropriè de diuitibus, vel principibus, quibus neque corona aptari videtur: vltrà quod singularitèr loquitur, non pluralitèr; & suprà egit etiàm de regibus sedentibus supèr solium Dauid. *Ciuitates Austri* Iuda, non Babylonis, quia infrà de captiuitate, & clausura, *clausæ sunt* non habitantur, *& non est qui aperiat: translata est omnis Iuda transmigratione perfecta,* clarè hæc explicant captiuitatem Babylonicam vltimam. *Leuate oculos vestros, & videte, qui venitis,* qui veniunt Chaldæi; nàm & superiora ad Israelitas diriguntur *ab Aquilone,* vel *qui venitis ab Aquilone* cõmercium habentes cùm Chaldæis. At tùnc sequentia non aptabuntur, *vbì est grex, &c.* ideò videtur melior intellectus, & venientibus indè minùs applicatur visio, quæ stantibus in Iudæa rectè, *Vbì est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* ò Rex, vel Ierusalem potiùs, de qua in fine cap. quasi omnia abiecta, & captiua sunt, vt suprà. *Quid dices, cùm visitauerit te?* Nabuchodonosor cùm exercitu eius ad tui perniciem, *tu enim docuisti eos aduersùm te, & erudisti in caput tuum,* quandò Ezechias ostendit omnia pretiosa nuncijs Babylonijs, & tùnc prædixit hæc Isaias; vel eos conduxisti in terram tuam, proùt tempore Achaz in auxilium tuum, *Nũquid non dolores apprehendent te quasi mulierem parturientem?* valdè enim dolemus videntes nobis arripi pretiosa, quæ sudore nostro quæsiuimus. *Quòd si dixeris in corde tuo: quarè venerunt mihi hæc?* non considerans, dicam tibi. *Proptèr multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt verecundiora tua, pollutæ sunt plantæ tuæ,* ad quas iniquitas peruenit iuxtà illud: à planta pedis, &c. Vel potiùs hæc ad passiones captiuorum; eccè cur vastitas, qualè hoc opprobrium, cognitum in nuntijs Dauid ad Regem Hanon. 2. Reg. 10. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum,* quasi nedùm punimini, quia mali, sed quia in malo pertinaces, & stabiles, nolentes conuerti, & subsanantes; est prouerbialis locutio, non quòd fuisset impossibile, proùt in simili obseruatum in Epistolis Pauli, & Ioannis. *Et disseminabo* in varias regiones *eos quasi stipulam, quæ vento raptatur in deserto,* quæ velociùs eijcitur. *Hæc sors tua, parsquè mensuræ tuæ* pœnarum *à me, dicit Dominus, quia oblita es mei, & confisa es in mendacio* idòlo, *Vndè & ego nudaui fœmora tua contrà faciem tuam, & apparuit ignominia tua, adulteria tua, & hinnitus tuus, scelus fornicationis tuæ,* ex pœnis tibi inflictis, & captiuitate, de qua suprà *supèr colles in agro vidi abominationes tuas,* non potes negare, publicè peccasti. *Væ tibi Ierusalem* sìc Christus supèr eam flens *non mundaberis pòst me,* quem non vis sequi, nec ab alio mundari potes; sed quamdiù hoc durabit? *vsquequò adhùc?* quasi numquàm finem facies? at in captiuitate resipisces.

CAPVT

CAPVT XIV.

QVOD *factum est verbum Domini ad Ieremiam de sermonibus siccitatis*, appariturae, ex qua penuria, & fames in obsidione, *Luxit Iudaea, & portae eius corruerunt, & obscuratae sunt in terra, & clamor Ierusalem ascēdit* ob calamitatem passam in aures omnium. *Maiores miserunt minores suos ad aquam* inueniēdam tempore siccitatis, proùt tempore Achab, *venerūt ad hauriendam, non inuenerunt aquam, & reportauerunt vasa vacua: confusi sunt, & afflicti, & operuerunt capita sua* prae mœrore, sic Thamar stuprata ab Amnon, & Susanna coràm Senibus, & Aman suspendendus Esth. cap. 7. & secedens domi cap. 6. *Proptèr terrae vastitatem, quia non venit pluuia in terram, confusi sunt agricolae, & operuerunt capita sua. Nàm & cerua in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba* ob siccitatem *Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones* ad capiendum refrigerium in siti *defecerunt oculi eorum*, proùt in Ionatha. 1. Reg. 14. 28. 29. *quia non erat herba*: ex his in obsidione aquae penuria. *Si iniquitates nostrae responderint nobis*, ità vt iuxtà illas puniamur, penitus deficiemus, haec propheta populi vice; vndè *Domine fac proptèr nomen tuum* libera nos ab hac calamitate, non proptèr nos, qui nihil meremur, immò iustè affligimur, *quoniā multae sunt auersiones nostrae, tibi peccauimus*, & Dauid Psal. 24. proptèr nomē tuum propitiaberis peccato meo, multum est enim: ideò nisi tu misericorditèr agas, non euademus; & sic colligitur clarè ex sequentibus in Psal. & propterea intellectus, quia peccatū multum est, ideò remittere debes, alienus videtur. *Expectatio Israel saluator eius*. Gen. 49. tu es solus, in quo speramus, ideò ad te recurrimus *in tempore tribulationis* instantis, cominatae; possunt tamēn haec per accomodationem ad Christi aduentum trahi, non ad litteram: quia & in fin. cap. *expectauimus, &c. quarè quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* ità vt non sistas, & auxilieris nobis, & liberes nos ab hac tribulatione magna? *Quarè futurus es velùt vir vagus*, nullam habens stabilem mansionem, absquè templo; Et Paulus, non habemus hìc Ciuitatem permanentem. *vt fortis* qualis es tu, quasi *qui non potest saluare?* & gloriae tuae detrahatur: haec phrasis consueta est Moysi Num. 14. 16. & alijs ad mouendum Deum; hinc Moyses petebat Deum cū populo progredi in Exodo: *Tu autèm in nobis es Domine*, qui nouimus te, & adoraris à nobis in templo, *& nomen tuum inuocatum est supèr nos* tui sumus peculiares, à te denominamur, *nè derelinquas nos* in hac tribulatione; *haec dicit Dominus* respondens *populo huic, qui dilexit* ambiuit ex corde *mouere pedes suos* affectus ergà impietates, & Idola, *& non quieuit*, non se retraxit, perseuerauit etiàm monitus, *& Domino non placuit* in his actibus prauis. *Nùnc recordabitur* Dominus ad puniendum *iniquitatum eorum, & visitabit peccata eorum* per flagella, *& dixit Dominus ad me: noli orare pro populo isto in bonum*, quia te non exaudiam, idem dixerat suprà Dominus cap. 7. 16. & tamēn perseuerabat putans non esse sententiam irreuocabilem, proùt & Samuel pro Saule, & Dauid pro puero suo, & Moyses pro ingressu suo in terram promissionis. *Cum ieiunauerint*, in ieiunio fundabantur, dùm dicebant, quarè ieiunauimus, &c. & eis respondetur. Isa. 58. 3. & seqq. *non exaudiam preces eorum: & si obtulerint holocaustomata, & victimas, non suscipiam eas*; quae, vt alibi dixit, ei non placebant, cum manus haberent sanguine plenas; *quoniàm gladio, & fame, & peste consummam eos*, & sic non mutabor, quae dixi non faciam irrita, non parcam. *Et dixi, à, à, à, Domine Deus, prophetae dicunt eis: non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto*, repraesentat Deo haec à pseudoprophetis emanare, vt populi misereatur, quem pseudo decipiunt. *Et dixit Dominus ad me, falsò prophetae vaticinantur in nomine meo; non misi eos, & non prae-*

præcepi eis, nequè locutus sum ad eos: visionem mendacem, & diuinationem, & fraudolentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis, quasi illis non credant, nè cadant, sed credant mihi, & sic tollit motiuum prophetæ. *Idcircò hæc dicit Dominus de prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes: Gladius, & fames non erit in terra hac. In gladio, & fame consummentur prophetæ illi*, iuxtà meritum falsitatis, quam enunciant; vide cap. 5. *& populi, quibus prophetant erunt proiecti in vijs Ierusalem præ fame, & gladio, & non erit qui sepeliat eos, ipsi, & vxores eorum, & filij, & filiæ eorum: & effundam supèr eos malum suum*, quod proptèr peccata merentur, *Et dices ad eos verbum istud*, credant ergò dicenti, & non falsis prophetis. *Deducant*, conuertit se ad planctum propheta, videns Deum non placari *oculi mei lacrymam per noctem, & diem, & non taceant*, non quiescant *quoniàm contritione magna contrita est virgo*, dilecta: virgines enim plùs diligimus, vt dixi in Isaia *filia populi mei plaga pessima vehementèr: Si egressus fuero ad agros, eccè occisi gladio: etsi introiero in Ciuitatem, eccè attenuati fame* enunciat calamitatem, quam flet. *Propheta quoquè, & Sacerdos abierunt in terram, quam ignorabant* in captiuitatem, quasi nèc his parcetur, de futuris loquitur per verba de præterito. *Numquid proijciens abiecisti Iudam? aut Sion abominata est anima tua?* quam deperibas, quæ tua erat, quam extulisti, quasi vix credo; *quarè ergò percussisti nos, ità vt nulla sit sanitas?* ad internecionem hanc nos induxisti. *Expectauimus pacem* à te Domine, *& non est bonum* non apparet; *& tempus curationis*, vt medereris nobis; non ad nihilum redigeres; *& eccè turbatio* magna à te orta ad nos delendos. *Cognouimus Domine impietates nostras, iniquitates patrum nostrorum*, quibus oneramur, & quæ in capita nostra reciderunt, *quia peccauimus tibi*, & soles cognoscentes peccata sua, & confitentes recipere: sic cùm Dauid dicente, peccaui & iniquitatem meam cognosco. *Ne des nos in opprobrium proptèr nomen tuum, nequè facias nobis contumeliam solij gloriæ tuæ* templi tui, illud destruendo, in hoc enim iustè gloriabantur, & destructio illius ad contumeliam reputabant. Tentat Deum mouere proptèr se, seù gloriam suam templum, seù arcam, supèr quam dicebatur sedere, & dare responsa, vt & infrà cap. 17. clariùs, *recordare nè irritum facias fœdus tuum nobiscùm*, quod fiet, si templum destruatur, & hinc abigamur, cùm terram dederis nobis possidendam: at suprà ostendit Deus se non lædere fœdus, sed læsum ab eis fuisse, vt vidimus. *Numquid sunt in sculptilibus gentium, qui pluant?* quasi improbamus idola; quæ nèc pluere possunt, stat in siccitate, *aùt cæli dare possunt imbres?* improbamus cælos, quos adorauimus, qui & à se ipsis impetentes; hoc contrà Astrologos. *Nonnè tu es Domine Deus noster*, qui hæc facis; cui omnia subduntur *quem expectauimus?* auxiliaturum nobis, *tu enim fecisti omnia hæc*, ideò nutui tuo subijciuntur; à te pendent, proptereà nè patiaris nos à siccitate affligi, alijsuè calamitatibus.

CAPVT XV.

ET *dixit Dominus* respondens *ad me* deprecàtem, noli vexari; nàm *Si steterit Moyses, & Samuel*. Hinc collige quàm Deo grati fuerint, & bonitas Moysis, de qua alibi controuertitur *coràm me* pro eis orantes, & soliti à me impetrare, horum meminit sibi gratorum, & bonorum, & qui pro populo orare solebant, & exaudiebantur, vt in Psalmo; prout aliàs Noe, Iob, Danielis: Ezechiel. 4. nèc aliud puto quærendum, *non anima mea* voluntas mea *ad populum istum*, vt eos exaudiam: Ex his arguo efficaciam precum piorum viuentium apud Deum: *eijce illos à facie mea* sic solemus quos audire nolumus; prout Amnon Thamar. *Et egrediantur* ad mala, quæ subdit: hic est prædictio prophetæ. *Quòd si dixerint ad te: Quò egrediemur? dices ad eos*:

Hæc dicit Dominus: Qui mortem ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem; & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem, ideſt alij vna, alij alia morte conſummandi; *Et viſitabo ſupèr eos quatuor ſpecies* mortis *dicit Dominus: Gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & beſtias terræ ad deuorandum, & diſſipandum* cadauera, quæ non ſepelientur, vt ſæpiùs dixit, *& dabo eos in feruorem,* ità vt accendantur ira vehementi in eos *vniuerſis regnis terræ* Babyloniorum, pluribus enim regnis imperabat Nabuchodonoſor, vt apparet in Eſdra: vndè proptèr hoc verbum non debemus recedere à captiuitate Babylonica, de qua agitur, & propterea ſubdit. *Proptèr Manaſſem filium Ezechiæ regis Iuda, ſupèr omnibus quæ fecit in Ieruſalem* malis idolòlatris. Eccè quòd proptèr Regem punitur populus totus, etiam pòſt pœnitentiam; ſic pòſt pœnitentiam Dauid in filio, & alijs percuſſus. Etſi populus hic imitabatur Manaſſem in peccatis. *Quis enim miſerebitur tui Ieruſalem?* quaſi nullus, adeò impia es, aùt hoc & ſequentia, quia derelicta eris; & ſinè habitatore. *Aùt quis contriſtabitur pro te? aùt quis ibit ad rogandum pro pace tua?* Sic de Babylonica, non Romana captiuitate. *Tu reliquiſti me, dicit Dominus, retrorsùm abijſti: & extendam manum meam* potentem *ſupèr te, & interficiam te;* eccè menſura pœnæ ad delictum *laboraui rogans*, vt conuerteteris ad me, nùnc ego in interitu tuo ridebo; *Et diſpergam* in varias regiones *eos in ventilabro* per Nabuchodonoſor, de ventilabro, & Ioannes Baptiſta; non tamèn recedas à captiuitate Babylonica *in portis terræ:* per quas ingreſſuri Chaldæi, infrà cap. 39. *interfeci, & diſperdi populum meum*, vt dixi, *& tamèn à vijs ſuis* malis *non ſunt reuerſi* ad me, ſed perſtiterunt in vijs primis, etiam dum eſſent in Babylone; non trahantur hæc ad alia tempora, quibus dicantur pœnituiſſe, nàm ſufficit hoc tempore continuaſſe mala, dum captiuitas Babylonica parabatur. *Multiplicatæ ſunt mihi viduæ eius ſupèr arenam maris* ob tot interfectos; *induxi eis ſupèr matrem adoleſcētis* non parcens ſexui, vel ætati *vaſtatorem meridie* vt etiam ex aſpectu dolor augeretur, & aperto marte non per inſidias, & de die, quo tempore non eſt locus latebris: Sub matre non dicas Ieruſalem, quia ſi ſub illa de Ieruſalem, non meminiſſet viduarum, nèc ciuitatum, nèc reſiduorum, quæ mentio excludit intellectum, *miſi ſupèr ciuitates repentè terrorem*, vt confunderentur. *Infirmata eſt* Ciuitas Ieruſalem, vt & 1. Reg. 2. *quæ peperit ſeptem* plures, quæ plena erat populo *defecit anima eius: occidit ei Sol, cùm adhùc eſſet dies*, ſic accidit mœrentibus: *confuſa eſt, & erubuit* in ruina: *& reſiduos eius in gladium dabo in conſpectu inimicorum eorum, ait Dominus;* hìnc magna clades; *Væ*, Propheta audiens ſtragem imminentem, contriſtatur, & quaſi nollet his diebus eſſe, dicit; *Væ mihi mater mea: quarè genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ*, ſecundùm reputationem audientium ex his, quæ annunciabat, quòd ſi verè, hìnc non videretur in ventre ſanctificatus, *in vniuerſa terra?* Iſrael *non fœneraui, nèc fœnerauit mihi quiſquam*, vt ex his cómercijs contrà me hæc conciperentur, & tamèn: *omnes maledicunt mihi* annuncianti eis verba Domini, & peccata eorum reprehendenti: *Dicit Dominus* conteſtans prophetam: *Si non reliquiæ tuæ* vitæ tuæ *in bonum* vertentur, *ſi non occurri* occurrero *tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis aduersùm inimicum*, quaſi ero fide indignus, & ſic promittit ei Deus auxilium ſuum. Nil hìc de ſpiritualibus, ſed quia agebatur de captiuitate Babylonica, antè quam ipſe paſſurus erat à Ieroſolymitis. ideò dicit Dominus ei ſubuenturum in fine calamitatis Chaldaicæ, proùt ſubuenit liberando eum, & liberalitèr tractare faciendo à Rege, & miniſtris: reſtricta ſunt ergò hæc ad tempus illud, hìnc & mentio inimici, ſed ex ſubiunctis magis firmantur. *tu ſcis*, &c. *Numquid* (fortè dicebant pſeudoprophetæ, fiet pax, & hanc enunciabant, & populum deludebant) intèr regem Babylonis ab vna, qui pro ferro primo capitur, & Regem Aegypti, in quo Sedecias confidebat, qui pro ſecundo ferro capitur: & Sedeciam, qui pro ære ab altera. Vel Iudæi cùm rege Babylonis fœdus inierit, At ipſe denunciat conuerſus ad populum, non ineundum tale fœdus, & proptereà ſequi-

quitur Deus, dicens ad Prophetam *diuitias*, &c. *fæderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs?* quasi hoc fieri non poteſt, difficilia hæc, & is videtur melior intellectus, quàm ille Recentioris de Ieremia cùm populo, preſertim ex his, quæ ſequuntur, quæ Ieremiæ non aptantur; Immò *Diuitias tuas, & theſauros tuos* ò Ieruſalem *in direptionem dabo gratis* abſquè multo labore *in* pro *omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis* factis; nàm in omni loco immolabant idòlis. *Et adducam inimicos tuos de terra, quam neſcis; quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, ſupèr vos ardebit* per Chaldæos: sìc & Deut. 32. *Tu ſcis* quæ fecerim, qualis ſim, non dicit ſe pium, ſicùt & ſuprà obſeruaui: sìc & Ezechias, Memento Domine, &c. *Domine recordare mei, & viſita me, & tuere me ab his qui perſequuntur me* commẽdat ſe Deo, petens non ſuccurri iuxtà promiſſionem. *noli in patientia tua* qua ſoles differre auxilium ſuſtinendo peccantes *ſuſcipere me* auxiliari mihi, citò fac. *Scitò quoniàm ſuſtinui propter te opprobrium*, quaſi hæc cauſa tua Domine. *Inuenti ſunt ſermones tui* ſempèr veri, *& comedi eos* publicando, *& factum eſt mibi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei*, non in amaritudinem, proùt Ezechieli, & Ioanni in Apocal. *quoniàm inuocatum eſt nomen tuum ſupèr me* feciſti me dignum verbo tuo, *Domine Deus exercituum. Non ſedi in concilio ludentium* vanis incumbentium, *& neque gloriatus ſum à facie manus tuæ* prophetiæ in me illapſæ. *Solus ſedebam* tacens, & contemplans, *quoniàm comminatione repleſti me* audientem flagella imminentia populo, vel quia timui te. *Quarè factus eſt dolor meus perpetuus*, qui me numquàm dimittit, *& plaga mea deſperabilis renuit curari?* eſt ſinè remedio. *Facta eſt mibi quaſi mendacium aquarum infidelium*, ità vt, dum plagam obduci æſtimo, illa fiat maior, & profundior, proùt aquæ paruæ apparẽtes verè profundę, & abſorbẽtes; Hæc autèm vel reſpiciunt propriam, vel communem inſtantem afflictionem, vtraque enim premebatur: ſed puto magis communem: At tùnc infidelitas non reſpiciet vel contribules, vel Iſraelitas, ſed cogitationes, & actus aliquandò pacem deſignantes, quæ euaneſcebant vtì infideles, & mendaces. At ex ſubiunctis videtur de propria agere, poſtquàm per ea datur remedium. At ceſſante communi, ceſſabat propria, in propria autèm datur remedium, quia illa ceſſatura, non in communi, quia illa abſquè remedio. *Proptèr hoc hæc dicit Dominus: Si conuerteris* populum, vel aliquos ad me (sìc reſpondet Dominus) *conuertam te, & antè faciem meam ſtabis* tutus eris, reice ergò à te omnem timorem, & animi puſillanimitatem. *Et ſi ſeparaueris precioſum à vili*, prædicando, quæ mala vitanda, quæ bona amplectẽda, *quaſi os meum eris* ex ore meo loqueris, & tunc, me inſufflante *conuertentur ipſi ad te*, te ſequendo in bono, *& tu non conuerteris ad eos*, ſequendo eos ad malum: sìc Iacob. 5. 20. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum, id magìs placet, quàm quod dicit Alba cent. cap. 47. *Et dabo te populo huic in murum æneum, fortem ſtabilem, & bellabunt aduersùm te, & non præualebunt; quia ego tecum ſum, vt ſaluem te, & eruam te, dicit Dominus. Et liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te de manu fortium*, & sic prophetam conſolatur; & ſtabilit, & audacem reddit, & sic contigit, quia liberatus fuit à Nabuzardam ex ordine Regis, ità vt non præualuerint perſecutores finalitèr aduersùs eum, qui ſempèr permanſit intrepidus in annuntiando vitia, & mala ventura; nèc video ad alia hæc trahi debere, aut poſſe.

CAPVT XVI.

ET factum est verbum Domini ad me dicens: Non accipies vxorem, & non erunt tibi filij, & filiæ in loco isto, Hinc aliqui dicunt Ieremiã Virginem, at non placet: iàm dixi non fuisse sanctificatum in ventre; & hæc dicta seruiunt ad denotandam stragem futuram, ità vt non expediat habere prolem, ideò refert se ad locum istum; vndè nihil potest colligi de Virginitate, quæ tùnc non frequentabatur: & potuit priùs, vel postea vxorem ducere, immò si virgo fuisset, & virgo permanere decreuisset, Deus his secum vsus non esset. *Quia hæc dicit Dominus supèr filios, & filias, qui generantur in loco isto, & supèr matres eorum, quæ genuerunt eos, & supèr patres eorum de quorum stirpe sunt nati in terra hac: Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, & non sepelientur,* non erunt qui hæc præstent *in sterquilinium supèr faciem terræ erunt: & gladio, & fame consumentur: & erit cadaueorũ in escam volatilibus cœli, & bestijs terræ,* quasi siuè ex infirmitate, siuè alio modo moriantur, ità eueniet eis: *Hæc enim dicit Dominus: Nè ingrediaris domum conuiuij,* quod in luctu parabant, nàm de conuiuio læto infrà, & magis declarat subdens, *nequè vadas ad plangendum, nequè consoleris eos* pro mortuis; mos enim erat ire ad luctum: vndè melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, & habemus exemplum in Lazaro. Ioan. 11 *quia abstuli pacem meam à populo isto, dicit Dominus, misericordiam, & miserationes. Et morientur grandes, & parui in terra ista: non sepelientur, nequè plangentur, & non se incident, nequè caluitium fiet pro eis,* hæc in luctu mortuorum fiebant, sic Iob. 1. 20. *Et non frangent intèr eos lugenti panem ad consolandum supèr mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad consolandum supèr patre suo, & matre,* erit enim tanta strages, & turbo inimicorum, vt his vacare non possint. *Et domum conuiuij non ingrediaris, vt sedeas cùm eis,* & læteris, *& comedas, & bibas: quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, & in diebus vestris vocem gaudij, et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ. Et cùm annunciaueris populo huic omnia verba hæc, et dixerint tibi: Quarè locutus est Dominus supèr nos omne malum grande istud? quæ iniquitas nostra? et quod peccatum nostrum, quod peccauimus Domino Deo nostro? Dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres vestri,* abominationes enim parentum vniuntur ad pœnam; à sanguine Abel iusti vsquè ad sanguinem Zachariæ, &c. pluries dixi, *ait Dominus: Et abierunt pòst Deos alienos, et seruierunt eis, et adorauerunt eos: et me dereliquerunt, et legem meam non custodierunt. Sed et vos peius operati estis, quàm patres vestri: eccè enim ambulabat vnusquisque pòst prauitatem cordis sui mali, vt me non audiat, præcepta mea contemnens. Et eijciam vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, et patres vestri: et seruietis ibi* captiui *dijs alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Propterea* hæc mœstibus miscet ad consolationem, *eccè dies veniunt, dicit Dominus, et non dicetur vltrà: Viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti, sed, Viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, et de vniuersis terris, ad quas eieci eos,* hoc enim beneficium vel maius erit illo, vel recentius, *et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum,* mediante Cyro, idem infrà cap. 23. *Eccè ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos: et pòst hæc mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et cauernis petrarum,* vt omnes adducantur: Sic duces illi Esdras, & alij fecerunt eos congregantes, & ad captiuitatem Babylonicam hæc restricta, non ad alias relata; Dicit *piscatores, & venatores,* quia ex omnibus regionibus euocandi erant, quasi de mari, & terra, proùt Apocal. 20. Vndè ex hac locutione non sunt multipli-

can-

canda, vel varianda tempora, vel captiuitates, proùt fit ab aliquibus, ſed ſtandum in Babylonica; Et non video quomodò hæc trahi poſſint ad mala, vt per aliquos fit, præſertìm à Chaldæis inferenda, cùm dicat non ſimùl, ſed ſucceſſiuè miſſurum piſcatores, & venatores ad illos congregandos, & clades Chaldæorum fuit vnica. *Quia* redit ad mala cominata *oculi mei supèr omnes vias eorum; non ſunt abſcondita à facie mea, & non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis*, & propterea flagellaui eos, & in captiuitatem dimiſi. *Et reddam primùm*, antè reductionem, de qua præmiſit *duplices* multas *iniquitates, et peccata eorum* puniam eos grauitèr: *quia contaminauerunt terram meam in morticinis idòlorùm ſuorum, et abominationibus ſuis impleuerunt hæreditatem meam* terram promiſſionis, vt afflicti me inuocent *Domine*, propheta loquitur *fortitudo mea, et robur meũ, et refugium meum in die tribulationis* placare; nàm *ad te Gentes* Iſraelitæ, de his enìm ſermo, non de gentilibus *venient ab extremis terræ*, ad quæ illos amandaſti captiuos, *et dicent: Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem* idòla adorando, *quæ eis non profuit. Numquid faciet ſibi homo deos, et ipſi non ſunt dij?* quaſi, quæ maior inſcitia, & hæbetudo? *Idcircò* reſpondet Dominus, *eccè ego oſtendam eis* Iudæis *per vicem hanc*, hinc verbum *gentes* ad Iſraelitas reſtrictum, vt dixi. *Oſtendam eis manum meam, et virtutem meam* potentiam meam: *et ſcient quia nomen mihi Dominus*, diſcent ex hac vexatione qualis ſim, & qualitèr inpoſterum mecum agant. Non hìc de gentilibus, ſi ponderes verba *patres noſtri*, ſi agitur de Iſraelitis longè amandatis, ſi de punitìone præceſſura, quicquid dicat Sanctius, & ſub verbo *gentes* ſimplicitèr Iſraelitas tantùm venire, obſeruaui pluriès.

CAPVT XVII.

PECCATVM hìc propriè, non pœna, quia illud, non pœna ſcribitur, vt proſequitur *Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino* indelibili, *exaratum supèr latitudinem cordis eorum* praui, & malitia pleni, *et in cornibus ararum eorum*, in quibus idòlis ſacrificabant perpetuò; ex his demonſtratur eorum contumacia, & obduratio in idòla; vide Albam cent. cap. 48. *Cùm recordati fuerint filij eorum*, ſequentes veſtigia patrum, eoſquè imitantes in idolòlatria *ararum ſuarum, et lucorum ſuorum, lignorumquè frondentium in montibus excelſis ſacrificantes in agro* publicè, impudentèr, tùnc, completa iniquitate, punienda peccata vtrorumque: hæc præmiſit, non dans rationem cur gentes recipiat, quia, vt dixi in præced. cap. nihil de hoc, ſed vt oſtendat cur Iudæi puniantur hac ſeueritate: *fortitudinem tuam, et omnes Theſauros tuos in direptionem dabo, excelſa tua proptèr peccata in vniuerſis finibus tuis* ò Iuda, ad quam hæc diriguntur. *Et relinqueris ſola* ſeparata, abducta, captiua *ab hæreditate tua* terra promiſſionis, quam inhabitas, *quam dedi tibi, et ſeruire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras*, eccè captiuitas, *quoniàm ignem ſuccendiſti in furore meo*, me prouocans vſquè *in æternum* ad longum tempus, ſeptuaginta annorum captiuitatis Babylonicæ, de qua agit; non alia, *ardebit: Hæc dicit Dominus* dans rationem direptionis. *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium ſuum, et à Domino recedit cor eius* talis tùnc populus confidens in Rege Aegypti, & Deum contemnens. *Erit enìm quaſi myricæ in deſerto, et non videbit cùm venerit bonum*, pluuia ad fructificandum: *ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis, et inhabitabili*, eccè pœna, non germinabit; è contrariò: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius* tuta, quæ illum defendet. *Et erit quaſi lignum, quod tranſplantatur supèr aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas; et non timebit, cùm venerit æſtus* sic Pſal. 1. *Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolici-*

tum, nec aliquandò desinet facere fructum. Prauum est cor omnium, & inscrutabile; quis cognoscet illud? quasi, quis scit, an quis in Domino verè, vel non confidat. Hæc omnia, vt in Domino confiderent, non in alio, cumquè occulta scientem timeant, vndè. *Ego Dominus* solus *scrutans cor, & probans renes; qui do vnicuique iuxtà viam suam, & iuxtà fructum adinuentionum suarum,* eccè merces, de qua Paulus, ipse solus retributor. *Perdix.* Dixerat suprà fortitudinem, & diuitias Iuda direpturum, nùnc redit ad idem, & docet iustè id facere, quia vti perdix amittit iustè oua, que furata erat, sic ipsi, qui diuitias malè quæsierant, *fouit qua non peperit, fecit diuitias, & nō in iudicio* iustitia: *in dimidio dierum suorum,* quandò minùs sperat: similis phrasis in cantico Ezechiæ, ego dixi in dimio dierum meorum, &c. *derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens,* illis priuata. *Solium,* respondet propheta Deo cladem, & direptionem Iuda prædicenti, & causam reddenti, quia in eo non confidebat: vide Domine, quia *solium,* sedes tua *gloriæ,* sic dicebatur propitiatorium, vbi Cherubim: vide suprà cap. 14. *altitudinis* altæ, vel excelsæ, seù maiestatis tuæ *à principio* quo egressi sumus de Aegypto, & fabricata arca; sic enim principium pluriès in Isaia, & Ieremia, fuit scilicèt & is *locus sanctificationis nostræ,* in quo tibi sacrificauimus, & in quo sanctificamur, in te ergò confidimus. *Expectatio Israel,* immò tu Domine, spes, fiducia Israel, non ergò diripias nos *Domine: Omnes, qui te derelinquunt, confundetur: recedentes à te, in terra* inferiori, vbi tenebræ, non in Cœlo *scribentur: quoniàm dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum,* à quo omnes gratiæ tanquàm à fonte aquæ, quasi nihil reputabuntur: & si aliquid in me prauum, de se tantùm hoc. *Sana me Domine,* verè Medice, *& sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniàm laus mea tu es,* te sempèr laudo, in te confido. *Eccè ipsi dicunt ad me: vbi est verbum Domini?* quod tu annūcias, quasi numquàm venit, & sic putant me fallacem, nequè ventura supèr eos mala, *veniat* impleatur. *Et ego non sum turbatus* ad eorum voces, *te pastorem* fidelem *sequens: & diem hominis non desideraui* non curaui laudem hominum, vt lætarer, pro die gaudium. Is intellectus congruit præcedentibus, & sequentibus, prout ineptus ille *non desideraui diem* perditionis populi, non rogaui de hoc, nàm inferiùs de eo agit, *tu scis* sempèr Deo se remittit. *Quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit,* & hoc mihi sufficit, sic Paulus iudicium hominum paruifaciebat. 1. Cor. 4. *Non sis tu mihi formidini,* ne me terreas, *spes mea tu in die afflictionis* sis, postquàm proptèr te patior. *Confundantur qui me persequuntur* iniustè, *& non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc supèr eos diem afflictionis,* vt resipiscant, non imprecatur, sed prædicit futurum, *et duplici* magna, vehementi; sic suprà cap. 16. duplices. fiat in me spiritus duplex, idest magnus, dixit Elisæus Eliæ recessuro *contritione contere eos. Hæc dicit Dominus ad me: Vade, et sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Iuda, et egrediuntur, et in cunctis portis Ierusalem,* quas frequentant, vt omnes audiant: *et dices ad eos: Audite verbum Domini Reges Iuda et omnis Iuda, cunctiquè habitatores Ierusalem, qui ingredimini per portas istas; hæc dicit Dominus: Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die Sabbati* contrà præceptum Domini, de Sabbato tantùm, quia erat in ore omnium, at sub hoc cætera: *nèc inferatis per portas Ierusalem: et nolite eijcere onera de domibus vestris in die Sabbati, & omne opus non facietis: sanctificate diem Sabbati, sicùt præcepi patribus vestris. Et non audierunt, nèc inclinauerunt aurem suam; sed indurauerunt ceruicem suam, nè audirent me, & nè acciperent disciplinam,* hoc pessimum, quandò corripienti resistitur. *Et erit: Si audieritis me dicit Dominus, vt non inferatis onera per portas Ciuitatis huius in die Sabbati: & si sanctificaueritis diem Sabbati, nè faciatis in eo omne opus: Ingredientur per portas Ciuitatis huius Reges, & Principes; sedentes supèr solium Dauid, & ascendentes in curribus, & equis ipsi, & principes eorum, viri Iuda, & habitatores Ierusalem: & habitabitur ciuitas hæc in sempiternum: Et venient de ciuitatibus Iuda, & de circuitu Ierusalem, & de terra Beniamin, & de campestribus,*

& de

& de montuosis, & ab Austro portantes holocaustum, & victimam, & sacrificium, & thus, & inferent oblationem in domum Domini Si autèm non audieritis me vt sanctificetis diem Sabbati, & nè portetis onus, & nè inferatis per portas Ierusalem in die Sabbati, sub die Sabbati intelligit omnem cultum Deo debitum, & idololatriæ reiectionem, & propterea promittit liberationem à malis, & boni inductionem: *Succendam igne in portis eius, & deuorabit domos Ierusalem, & non extinguetur*, et sic factum, quia non recesserunt à vijs eorum prauis: ideòque neque secuti sunt Reges ex progenie Dauid, seu Iuda, vt ostendi Genes. 49.

CAPVT XVIII.

VERBVM, quod factum est ad Ieremiam à Domino, dicens: Surge, & descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, & eccè ipse faciebat opus supèr rotam. Et dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis: conuersusquè fecit illud vas alterum, sicùt placuerat in oculis eius, vt faceret. Et factum est verbum Domini ad me dicens: Numquid sicùt figulus iste non potero vobis facere domus Israel, ait Dominus? Eccè sicùt lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel, hac metaphora vtitur Paulus ad Rom. nùnc declarat. *Repentè loquar aduersùm gentem & aduersùs regem, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersùs eam: agam & ego pœnitentiam supèr malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et subitò loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam: pœnitentiam agam supèr bono, quod locutus sum, vt facerem ei. Nùnc ergò dic viro Iuda, & habitatoribus Ierusalem dicens. Hæc dicit Dominus: eccè ego fingo contrà vos malum, & cogito contrà vos cogitationem: reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras, & studia vestra*, Hæc omnia, quia de malo, vel bono prædicto non determinauit Deus immutabilitèr, proptereà ex mutatione nostra, ipse videtur mutari; & recedit à cominatis. *Qui dixerunt: Desperauimus, pòst cogitationes enim nostras ibimus, & vnusquisque prauitatem cordis sui mali faciemus*, eccè contumacia non amplexantium conuersionem, de qua & cap. 17. in princ. *Ideò hæc dicit Dominus: Interrogate gentes*, quæ me non agnoscunt: *Quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel?* mihi dilecta. *Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aùt euelli possunt aquæ erumpentes, frigidæ, & defluentes?* quasi non, hæc enim suum naturalem cursum seruant. infert contrà populum, à naturalibus, recedentem; ideò hæc non possunt ad Deum referri. *Quia oblitus est mei populus meus*, quem ego lege direxi, cui tot beneficia contuli, *frustrà libantes, & impingentes* more ebriorum, vel stultorum, vt Dauid contrà Achis *in vijs suis, & in semitis sæculi* huius malis; Non dicas antiqui, sed currentis, proùt illud: filij huius sæculi prudentiores filijs lucis, &c. Luc. 16. 8. *vt ambularent per eas in itinere non trito: vt fieret terra eorum in desolationem, & sibilum sempiternum: omnis, qui præterierit per eam, obstupescet, & mouebit caput suum* irrisoriè; ideò *Sicùt ventus vrens*, de hoc & suprà, *dispergam eos coràm inimico* Nabuchodonosor, nihil hìc de Romanis, eccè pœna, *dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum*, ac si dicat, non exaudiam eos, vt faciunt dorsum vertentes. *Et dixerunt* his auditis contrà eos. *Venite, & cogitemus contrà Ieremiam cogitationes* ad illum perdendum, & falsum ostendendũ, sic & Sap. 2. *Non enim peribit lex à Sacerdote, nequè consilium à sapiente, nec sermo à Propheta*, quasi numquàm faciet finem dicendi contrà nos, nisi eum occidamus; Eccè quomodò veritas non audiatur libentèr: sic Achab contrà Michæam. 3. Regum

vlt.

vlt. & is videtur melior intellectus alio, hoc nobis non nocebit, quia alij aderunt sibi similes, cùm hos ipsi nollent, & vitarent; vel sub his intelligebant de pseudo pacem annunciantibus, non de futuris, quod non placet, quia illis abundabant, illisquè credebant, *Venite, & percutiamus eum lingua*, insultantes ei, & iniuriam inferentes, *& non attendamus ad vniuersos sermones eius* spernamus ipsum, sic Psalm. 2. dirumpamus vincula eorum, &c. & Sap. 2. *Attende Domine ad me*, defende me, *& audi vocem aduersariorum meorum* improbè loquentiũ. *Numquid redditur pro bono* eis à me exhibito, dùm annuncio, vt conuertantur, aliòquin perdendos esse, *malum, quia foderunt foueam animæ meæ?* insidias mihi posuerunt, vt occidant. *Recordare, quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis*; quasi hæc charitas pro illis à me exhibita non meretur hoc, sed quia ab illis non cognoscitur, tu, qui scis, illius recordare. *Proptereà da filios eorum in famem, & deduc eos in manu gladij: fiant vxores eorum absque liberis, & viduæ: & viri earum interficiantur morte: iuuenes eorum confodiãtur gladio in prælio. Audiatur clamor de domibus eorum*, hæc non per imprecationẽ, sed prædictionẽ, ideò subdit: *adduces enim supèr eos latronem repentè* Nabuchodonosor cùm exercitu deprædante: *quia foderunt foueam, vt caperent me, & laqueos absconderunt pedibus meis*, ob hæc enim induces super eos flagella tu, qui innocentes defendis, & protegis. *Tu autèm Domine scis omne consilium eorum aduersùm me in mortem*, hæc te Domine non latent, nec potes dissimulare: *nè propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis*, prædicit, non imprecatur.

CAPVT XIX.

HAEC dicit Dominus: *Vade, & accipe laguncolam figuli testeam à senioribus populi, & senioribus Sacerdotum*, à quibus procedebat ruina totius populi ad eos excitandos, & commouendos, & cõgregandos; scire enim optabunt hæc, ad quid fiant, proùt sæpiùs in Ezechiele. suprà de vase reficiendo, hic de non restaurando, vt magis timeant. *Et egredere ad vallem filij Ennom*, vult eum adire locum, vt hæc magis hæreant, & credantur, *quæ est iuxtà introitum portæ fictilis, & prædicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te; Et dices: Audite verbum Domini reges Iuda, et habitatores Ierusalem: hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Eccè ego inducam afflictionem supèr locum istum, ità ut omnis, qui audierit illam, tinniant aures eius: Eò quod dereliquerint me, et alienum fecerint locum istum: et libauerunt in eo dijs alienis, quos nescierunt, ipsi, et patres eorum, et reges Iuda*: quorum peccata in populum redundãt, *et repleuerunt locum istum sanguine innocentum. Et ædificauerunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim* impiè, & crudelitèr: *quæ non præcepi, nèc locutus sum, nèc ascenderunt in cor meum*, adeò sunt abominabilia. *Proptereà eccè dies veniunt, dicit Dominus, et non vocabitur ampliùs locus iste Topheth, et Vallis filij Ennom: sed Vallis occisionis*, in qua interfectio magna Iuda fiet. *Et dissipabo cõsilium Iuda, et Ierusalem in loco isto* de immolando Baalim: *et subuertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, et in manu quærentium animas eorum* Chaldæorum, nihil hic de Romanis: *et dabo cadauera eorũ escam volatilibus cœli, et bestijs terræ* nõ sepelientur. *Et ponam ciuitatem hanc in stuporem, et in sibilum: omnis, qui prætererit per eã, obstupescet, et sibilabit supèr vniuersa plaga eius*, sìc de Babylone Apocal. 18. *Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, et carnibus filiarum suarum: et vnusquisque carnem amici sui comedet in obsidioue, et in angustia, in qua cõcludent eos inimici eorum*, hinc

hinc penuria extrema, quæ & fuit in obsidione Romana, de qua tamèn nihil hìc. *Et conteres langunculam in oculis virorum, qui ibunt tecum*, eccè cur ab illis laguncula vt conuenirent, & facto repræsentato magis mouerentur. *Et dices ad eos; hæc dicit Dominus exercituum: Sìc conteram populũ istum, & ciuitatem istam, sicùt conteritur vas figuli, quod non potest vltrà instaurari: & in Tophet sepelientur* vnus supèr alium, *eò quòd non sit alius locus ad sepeliendum: Sic faciam loco huic, ait Dominus, et habitatoribus eius: et ponam ciuitatem istam, sicùt Topheth: Et erunt domus Ierusalem, et domus regum Iuda, sicùt locus Topheth, immundæ: omnes domus, in quarum domatibus sacrificauerunt omni malitiæ cœli, et libauerunt libamina dijs alienis*, à sacrificio enim præstito idòlis contrahitur immunditia. *Venit autèm Ieremias de Topheth, quò miserat eum Dominus ad prophetandum, et stetit in atrio domus Domini, et dixit ad omnem populum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Eccè ego inducam supèr ciuitatem hanc, et supèr omnes vrbes eius vniuersa mala, quæ locutus sum aduersùm eam: quoniàm indurauerunt ceruicem suam, vt non audirent sermones meos*, quasi si audissetis, vel audiretis, vitaretis mala.

C A P V T X X.

ET audiuit Phassur filius Emmer sacerdos qui cõstitutus erat princeps Sacerdotum, nõ tamèn summus, *in domo Domini; Ieremiã prophetãtem sermones istos. Et percussit Phassur Ieremiam prophetam, et misit eum in neruum, quod erat in porta Beniamin superiori in domo Domini*, eccè quomodò tractabant Prophetas ad eos missos. *Cumquè illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Ieremiam de neruo*, vt probaret an persisteret in primis dictis, vel ex carcere mutatus esset, *Et dixit ad eum Ieremias. Non Phassur vocauit Dominus nomẽ tuum, sed pauorem vndiq.* passiuè, vt subdit *Quia hæc dicit Dominus: Eccè ego dabo te in pauorem*, ita vt non audeas hilere, *te, et omnes amicos tuos: et corruent gladio inimicorũ suorum, et oculi tui videbunt* non dico vana tu videbis: *et omnem Iudam dabo in manũ Regis Babylonis: et traducet eos in Babylonẽ, et percutiet eos gladio. Et dabo vniuersam substantiam ciuitatis huius, et omnem laborem eius, omnequè precium, et cunctos thesauros regum Iuda, dabo in manu inimicorum eorum, & diripient eos, & tollent, & ducent in Babylonem:* sic Isaias dixerat ad Ezechiam. *Tu autèm Phassur, & omnes habitatores domus tuæ ibitis in captiuitatẽ: & Babylonem venies, & ibì morieris, ibiquè sepelieris tu, & omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium*, Phassur ergo erat vnus de pseudoprophetis pacem annunciãtibus. *Seduxisti me Domine, & seductus sum*, quia dixisti, vt annunciem mala ventura, & non veniunt: *fortior me fuisti, & inualuisti*, non potui tibi resistere, vel non obedire; *factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me*, videntes in vana nunciare. *Quia iàm olìm* à diebus multis *loquor, vociferans iniquitatem* flagellum, pœnam, & *vastitatem* instantem *clamito, & factus est mihi sermo Domini*, quasi hoc & in te tendit, quia loquor tua, *in oppròbrium. Et in derisum tota die. Et dixi:* non tamèn deliberatè. *Non recordabor eius, nequè loquar vltrà in nomine illius* Domini: *& factus est sermo Domini in corde meo, quasi ignis æstuans, claususquè in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens*, ignem æstuantem: hinc Apostoli, Non possumus quæ audiuimus non loqui; vndè necessariò cogor loqui. *Audiui enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu*, omnes mihi insidiantes, & iniuriam inferentes. *Persequimini, & persequamur eum: ab omnibus viris, qui erant pacifici mei* domestici, confidentes, quorum & Iob, & Psalmista conqueritur, *& custodientes latum meum; si quo modo decipiatur, & præualeamus aduersùs eum, & consequamur vltionem*, quam optamus *ex*

eo

eo, ex his mouebatur ad tacendum, ſed reſurgens dicit. *Dominus autèm mecum eſt, quaſi bellator fortis* me defendens: *idcircò qui perſequuntur me, cadent, & infirmi erũt, confundentur vehementèr, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nũquàm delebitur*, in quod ipſi incurrunt mihi inſidiando, vel quod eis inſtat à Chaldæis. *Et tu Domine exercituum probator iuſti*, cuiuſque, non ſui ipſius, quia de ſe id numquàm dixit, ſed remittit Deo cognitionem ſui: ideò ſubdit, *qui vides renes, & cor: videam quæſo vltionem tuam ex eis*, tu enìm retributor vindictæ Deuter. 32. *Tibi enìm reuelaui*, dixi *cauſam meam*, propterea debes Iudex aſſiſtere, & in reos ſæuire; prædicit propheta ventura, non imprecatur. *Cantate Domino, laudate Dominum; quia liberauit animam pauperis de manu malorum*, exultat propheta, ſciens ſe liberandũ, & in laudes prorumpit: at poſteà conuerſus ad imminentia mala, dolore tactus prorumpit. *Maledicta dies, in qua natus ſum: dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. Maledictus vir, qui annunciauit patri meo, dicens: Natus eſt tibi puer maſculus: & quaſi gaudio lætificauit eum. Sit homo ille, vt ſunt ciuitates, quas ſubuertit Dominus*, Sodoma, &c. *Audiat clamorẽ mane, & vlulatum in tempore meridiano: qui non me interfecit à vulua, vt fieret mihi mater mea ſepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Quarè de vulua egreſſus sũ, vt viderem laborem, & dolorem, & conſummerentur in confuſione dies mei?* Hæc omnia ad oſtendendum quantùm patiatur, & ob inſidias aliorum in ſe, & dolorem contractũ ex captiuitate ſecutura, non quòd in Deum aliquid effudiſſet conquerens, cùm iàm pro his eſſet expeditus, & liber, vt patet; Vel vellet ſic contigiſſe; sìc & Iob capit. 3. vbì ſcripſi: sìc Paulus, dùm legibus contrarijs vrgeretur; & sìc eſt phraſis Hebræa. ex Caietano, & alijs. Ex his tenui ipſum non ſanctificatum in ventre cap. 1.

CAPVT XXI.

VERBVM, *quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, quandò miſit ad eum Rex Sedecias*; non ergò omnia texit per ordinem, quaſi hiſtoriam ſcripturus, quia hæc poſteà. *Phaſſur filium Melchiæ, & Sophoniam filium Maaſiæ ſacerdotem, dicens: Interroga pro nobis Dominũ*, ſciebant enim illum prophetam, cui à Domino fieret reuelatio; non ergò hìc de oratione, quod magìs ex verbo *interroga*, & reſponſione Ieremiæ colligitur, quam etiàm illicò dat oratione non præmiſſa. Eccè, dùm imminet vexatio, etiàm impij perterriti Dominum rogari petunt, *quia Nabuchodonoſor rex Babylonis prælatur aduersùm nos: ſi fortè faciat Dominus nobiſcum ſecũdùm omnia mirabilia ſua*: sìc Dauid inſultante Semei, *& recedat à nobis*, abſquè læſione noſtra. *Et dixit Ieremias ad eos: Sìc dicetis Sedeciæ: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Eccè ego conuertam* retrorsùm *vaſa* inſtrumenta *belli, quæ in manibus veſtris ſunt, & quibus vos pugnatis aduersùm regis Babylonis, & Chaldæos, qui obſident vos in circuitu murorum: & congregabo ea in medio ciuitatis huius*, ità vt ad nullum vſum ſint vobis, non quòd Iudæi mutua ſe cœde tùnc cõfecerint, quia non conſtat, aùt legitur vllibi; *In medio ciuitatis*, ideſt, in ciuitate, vt pluriès aduerti: non quòd ibì tutò diuidenda à Chaldæis, quia eſt diuinare, cùm nil aliud addatur ad hoc demonſtrandum, proùt in locis à Sanctio ex S. Hieronymo deſcriptis. *Et debellabo ego vos in manu extenta, & brachio forti, & in furore, & in indignatione, et ira grandi*, hoc, vt agnoſcant à Deo hæc fieri, non à Rege. *Et percutiam habitatores ciuitatis huius, & homines, & beſtiæ peſtilentia magna morientur. Et pòſt hæc ait Dominus: dabo Sedeciam regem Iuda, & ſeruos eius, & populum eius, & qui derelicti ſunt in ciuitate hac, à peſte, & gladio, & fame, in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & in manu quæ-

quærentium animam eorum, & percutiet eos in ore gladij, & non flectetur, nequè parcet, nèc miserebitur, clarè loquitur propheta, quia immutabilis Dei sententia. *Et ad populum hunc dices: Hæc dicit Dominus: Eccè ego do coràm vobis viam vitæ, et viam mortis. Qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio, & fame, & peste: qui autèm egressus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos, qui obsident vos, viuet, & erit ei anima sua quasi spolium* ab inimicis euictum: docet quomodò euadant, sic ad fugam suadebat Christus in Euangelijs in obsidione Romana. *Posui enim faciem meam*, immutabilitèr determinans *supèr ciuitatem hanc in malum, & non in bonum, ait Dominus: in manu regis Babylonis dabitur, & exuret eã igni*, & sic factum. *Et domui regis Iudæ: Audite verbum Domini domus Dauid, hæc dicit Dominus: Iudicate mane iudicium*, quia tùnc temporis in portis sedebant iudicaturis, vt in Ruth. *Et eruite vi oppressum de manu calumniantis; nè fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, et non sit qui extinguat proptèr malitiam studiorum vestrorum*, Deus hic principes docet quomodò euadant iustitiam ministrando, & sic dimittit eos arbitrio libero. *Eccè ego ad te habitatricem vallis solidæ, atquè campestris* Ierusalem munitam, *ait Dominus, qui dicitis: Quis percutiet nos? et quis ingredietur domos nostras?* qui facitis vos impenetrabiles, & intangibiles. *Et visitabo* puniendo, vt suprà. *supèr vos iuxtà fructum studiorum vestrorum* merita vestra, *dicit Dominus: & succendam ignem in saltu eius*, stat in metaphora vallis. *& deuorabit omnia in circuitu eius*, igni omnia tradentur.

CAPVT XXII.

HÆC *dicit Dominus: Descende in domum regis Iudæ* Ioachaz, *& loqueris ibi verbum hoc, & dices: Audi verbũ Domini rex Iuda, qui sedis supèr solium Dauid: tu, & serui tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas istas: Hæc dicit Dominus: Facite iudicium, & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris; & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contristari, nequè opprimatis iniquè, & sanguinem innocentem nè effundatis in loco isto. Si enim facientes feceritis verbum istud: ingredientur per portas domus huius reges sedentes de genere Dauid supèr thronum eius, & ascendentes currus, & equos ipsi, & serui, & populus eorum*, iterùm docet principes quomodò euadant, *Quod si non audieritis verba hæc: in memetipso iuraui, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc*, pœna non obedientibus. *Quia hæc dicit Dominus supèr domũ regis Iuda: Galaad tu mihi caput Libani*, idest tu domus Iuda, quæ sicut mons Galaad caput Libani montis, sic tu caput mihi in ciuitate Ierusalem, & tamèn hoc non attento: *si non posuero te solitudinem sicùt vrbes inhabitabiles*, fiam indignus fide. *Et sanctificabo*, segregabo *supèr te interficientem virum, & arma eius: et succident electas cedros tuas*, pretiosa, pulchra omnia, sub his vel principes, *et præcipitabunt in ignem*, omnia consumpturum, *Et pertransibunt gentes multæ per ciuitatem hanc: et dicet vnusquisque proximo suo: Quarè*; sic & Apocal. 13. *fecit Dominus sic ciuitati huic grandi? Et respondebunt: eò quòd dereliquerint pactum Dei sui, et adorauerint deos alienos, et seruierint eis: Nolite flere mortuum* Iosiam, *nequè lugeatis supèr eum fletu*, vel quasi melior erit conditio eius, quam captiui: suprà etiàm de his: *plangite eum, qui egreditur, quia non reuertetur vltrà, nèc videbit terram natiuitatis suæ*, is Ioachaz in Aegyptum à Rege abductus captiuus, nõ Sedecias, cui hæc eo tempore non aptabãtur. *Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Iosiæ regem Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo, qui egressus est de loco isto: Non reuertetur huc ampliùs: sed in loco, ad quem transtuli eum, ibi morietur, et terram istam non videbit ampliùs*. At etiam Ioacim regi subdit (non hic de Ioachaz iàm captiuo)

Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, et cœnacula sua non in iudicio: amicũ suum opprimet frustrà, & mercedem eius non reddet ei. qui dicit: Aedificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa, proùt diues Euangelicus; *qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitquè Sinopide* rubrica. *Numquid regnabis, quoniàm confers te cedro*, superbus es, de te præsumis, vel Iosiæ patri tuo bono, *pater tuus numquid non comedit, & bibit, & fecit iudicium, & iustitiam, tùnc enim benè erat ei?* prosperè agebat, dùm hęc bona operabatur. *Iudicabit causam pauperis, & regni in bonum suum*, quia proptèr illa à me recepit mercedẽ; has actiones anteponebat eis, vt euaderent: suprà in cap. præced. *Numquid non ideò quia cognouit*, & coluit *me dicit Dominus?* prosperatus est benè operãs, ideò Christus pro suis, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. *Tui verò oculi, & cor* intenta *ad auaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis. Proptereà hæc dicit Dominus ad Ioachim filium Iosiæ regem Iuda: Non plangent eum: Væ frater, & væ soror*, hæ vòces lamentantiũ, sic 3. Regum 13.30. heù heù mi fratèr, *non concrepabunt ei: Væ Domine & væ inclytæ, sepulturà asini sepelietur*, putrefactus, *& proiectus extrà portas Ierusalem*, vt hìc, nàm 4. Regum 24.6. hæc non habentur expressa, vide hic Recentiores enumerantes quæ ei contigerunt. *Ascende Libanum, & clama: & in Basan dà vocem tuam, et clama ad transeuntes* ò Iuda, vt ab omnibus audiaris, *quia contriti sunt omnes amatores tui*, quibus cùm fornicabaris meretrix, Aegyptij, quasi nullus poterit tibi auxiliari, frustrà implorabis auxilium tuorùm. *Locutus sum ad te in abundantia tua*, in qua solemus à Deo elongare, quod nòn fecit Iosias, vt suprà; *& dixisti: Non audiam: hæc est via tua ab adolescentia tua*, quandò ex Aegypto erui te, quam vsquè ad senium secuta es, *quia non audisti* vocem meam. *Omnes pastores tuos*. Reges, Sacerdotes, *pascet ventus* vanitatibus deditos, *& amatores tui* Aegyptij *in captiuitatem ibunt, & tùnc confunderis, & erubesces ab omni malitia tua*, videñs te destitutam, & auxilium ab eis vanè expectasse. *Quæ sedes in Libano, & nidificas in cedris* superba, & in delicijs tota, quomodò *ingemuisti, cùm venissent tibi dolores, quasi dolores parturientis?* præteritum pro futuro, prædicens dolores acerbos, & calamitatem maximam ei futuram. *Viuo ego, dicit Dominus: quia si fuerit Iechonias filius Ioachim regis Iuda annulus* mihi gratissimus, & necessarius *in manu dextera mea, indè euellam eum. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu, quorum tu formidas faciem, & in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu Chaldæorum: Et mittam te, et matrem tuam, quæ genuit te in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini: & in terram, ad quam ipsi leuant animam suam*, desiderium, *vt reuertantur illùc, non reuertentur*, & sic contigit 4. Reg. 24. 15. & 25. & 27. *Numquid vas fictile, atquè contritum vir iste Iechonias? numquid vas absquè omni voluptate?* quasi nõ, nè talis, *quarè abiecti sunt ipse, & semen eius*, ecce finis seminis Regum Iuda, *et proiecti sunt ipse, & semen eius, & proiecti in terram, quam ignorauerunt*: Chaldæam. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini*: sic sæpè prophetæ ad inanimata conuertuntur. *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem* absquè successore in sceptro, *virum, qui in diebus suis non prosperabitur: nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat supèr solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda*, Declarat quomodò sterilis, quia non succedet quisquam illi in sceptrũ, & sic tũc factus locus prophetiæ Iacob Genes. 49. vt ibi latè dixi, & ex his apparet nequè Christum temporalitèr regnaturum fuisse; ideò regnum meum non est de hoc mundo. Mouet hanc difficultatem hic Vgo Card. in fine cap. Sed non benè soluit: vide scripta Genesi 49. & hic

CAPVT

CAPVT XXIII.

VAE *pastoribus*, Regibus, Scribis, Pharisæis, Sacerdotibus, Prophetis, *qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus DEVS Israel ad pastores, qui pascunt populum meum: Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos: eccè ego visitabo supèr vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus*, vos puniens. *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris* Babyloniorum, & sic agit de reditu à captiuitate per Cyrum, *ad quas eiecero eos illùc, & conuertam eos ad rura sua: & crescent, & multiplicabuntur*; ideò hæc pòst captiuitatem Romanam in fine mundi non applicantur, præsertim quia de Messia agit infrà. *Et suscitabo supèr eos pastores* Esdram, Nehemiam, & alios, *& pascent eos: non formidabunt vltrà, & non pauebunt, & nullus quæretur ex numero*, adeò illos protegam, *dicit Dominus*, Hæc ad tempus, non perpetuò, prout & aliàs pluriès, & quasi hyperbolicè: Nequè hìc de alijs pastoribus, puta Apostolis, cùm loquatur de ductis in captiuitatem reducendis; & si de Apostolis egisset, præmisisset de Messia, de quo in sequentibus. *Eccè* hæc de Messia, ad quem transit, quasi maiora annuncio, *dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum* Messiam ex semine Dauid oriturum, *& regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium, & iustitiam in terra*, Hæ Messiæ proprietates, nàm & Rex Psalm. 2. & sapiens, in quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei absconditi, Colossens. 2. & omnia recta, & sancta operabitur; in eo enim non inuentus dolus. *In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidentèr*, hæc spiritualitèr; de habitatione posset etiàm dici temporalitèr, quia erit pax, vt alibì dictum, *& hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster*, qui hæc bona adeò excelsa, præsertim iustificationem nobis operatus est. *Proptèr hoc*, redit ad prima, scilicèt reductionem à captiuitate Babylonica, de qua vsquè ad finem capitis. *Eccè dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltrà: Viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aegypti*, quod tùnc erat maximum beneficium, & memorabile, *Sed: viuit Dominus, qui eduxit, & deduxit semen domus Israel de terra Aquilonis*, Chaldæorum; mediante Cyro, & ducibus, vide suprà cap. 16. 14. est modus loquendi ad insinuandam facilitatem reductionis à captiuitate, & ingerendam lætitiam, & quia reducit memoriam recentis facti: vult dicere, hoc magis retinebunt in eorum personis factum, quàm antiquum in alijs, nèc agit hìc quodnàm maius. *Et de cunctis terris, ad quas eieceram eos illùc: & habitabunt in Terra sua* promissionis, Hoc cùm superioribus conuenit. redit enim ad liberationem captiuitatis Babylonicæ; nàm id non contigit tempore aduentus Messiæ, sed erit in fine Mundi de reliquijs. *Ad prophetas* falsos, quæ subijcio. *Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino à facie Domini, & à facie verborum Sanctorum eius* terrentium, audiens calamitates instantes ob eorum mala, quæ etiàm terram contaminauerunt, vt sequitur. *Quia adulteris*, Omnis enim caro corruperat viam suam, *repleta est terra, quia à facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arua deserti*: non fructificantia, vt solebant, *factus est currus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis* à solito, in ea solebant vincere, nunc vincuntur. *Propheta nam-*

què, & Sacerdos polluti sunt: & in domo mea, in templo, (hæc verba Dei) *inueni malum eorum, ait Dominus. Idcircò via eorum erit quasi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea*, in qua pergent; *afferam enim supèr eos mala, annum visitationis eorum* ad calamitates, *ait Dominus*, hæc ad eos præcisè, vt conuertantur. *Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem: prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel*. & dedi eos in captiuitatem perpetuam. *Et in Prophetis Ierusalem, vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij; & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua*, ità vt nèdum ipsi non intrauerint, sed etiàm intrare volentes deterruerint: *facti sunt mihi omnes, vt Sodoma, & habitatores eius quasi Gomorrha*, abominabiles, & publici peccatores. *Propterèa hæc dicit Dominus exercituum ad Prophetas. Eccè ego cibabo eos absinthio, & potabo eos* Prophetas *felle: à Prophetis enim Ierusalem egressa est pollutio supèr omnem terram* Iuda, ni mirum si merentur puniri. *Hæc dicit Dominus exercituum. Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini*, monet populum nè eos audiat, quia ex se, non ex Domino annunciant. *Dicunt his, qui blasphemant me; locutus est Dominus; Pax erit vobis, & omni, qui ambulat in prauitate cordis sui*, eccè mendacium ad fauorem blasphemantium, *dixerunt: Non veniet supèr vos malum*, quod vobis ab alijs annunciatur. *Quis enim affuit in consilio Domini, & vidit, & audiuit sermonem eius? quis considerauit verbum illius, & audiuit?* hoc modo tollebant Dei prouidentiam, & irritabant dicta à Prophetis veris: sìc Paulus, quis nouit, &c. quis consiliarius eius fuit? *Eccè turbo* furor *Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens: supèr caput impiorum veniet*, non erit, proùt illi falsò dicunt. *Non reuertetur furor Domini, vsquè dùm faciat, et vsquè dùm compleat cogitationem cordis sui*, quæ est ad puniendum, *in nouissimis*, in sequentibus *diebus intelligetis consilium eius*, & intellexerunt in captiuitate Babylonica, de qua agit. *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant*, quasi à me missi. *Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo*, quæ ego dixi, & non ex eorum capite, falsò populo blandientes, locuti essent, *auertissem vtiquè eos à via sua mala, et à cogitationibus suis pessimis*, auxilium eis efficax præstitissem. *Putasnè Deus è vicino ego sum, dicit Dominus? et non Deus de longè?* quasi vicina videam, longinqua non, vt dicunt hi. *Si occultabitur vir in absconditis; et ego non videbo eum, dicit Dominus?* quasi me nihil latet occultum. *Numquid non cœlum, et terram ego impleo, dicit Dominus?* si sic, ergò oculi mei omnia contemplantur. *Audiui quæ dixerunt Prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atquè dicentes. Somniaui, somniaui*, per somnium, quæ dico, cognoui à Deo. *Vsquequò istud est in corde Prophetarum vaticinantium mēdacium, et prophetantium seductiones cordis sui?* dicebant quæ eis placebant, non à Deo. *Qui volunt facere, vt obliuiscatur populus meus nominis mei, proptèr somnia eorum, quæ narrat vnusquisque ad proximum suum*, quod erat impium, & malitiosum: *sicùt obliti sunt patres eorum nominis Dei proptèr Baal* idòlum, ità vt idem operentur somnia eorum, quod idòla. *Propheta, qui habet somnium, narret somnium*, simplicitèr, non addens à Deo: *et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè*, docet Dominus in veritate persistendum, non in mendacio, *quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* quid pseudoprophetarum somnijs ad verba mea? *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* absquè dubio, viuus est enim sermo, & penetrabilis, &c. ex Paulo, & consilium Domini sempèr fiet. *Proptereà eccè ego ad Prophetas, ait Dominus: qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo* mendacitèr agentes. *Eccè ego ad*

ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, & aiunt: Dicit Dominus. Eccè ego ad prophetas, pœna somnij somniantes mendacium, ait Dominus, qui narrauerunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis, mirabilibus fictis, cùm ego non misissem eos nèc mandassem eis: qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. Si igitur interrogauerit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos dicens; quod est onus Domini? malum inferendum, dices ad eos: Vos estis onus mihi abominabile, quo plenus sum, proijciam quippè vos in captiuitatem, dicit Dominus: Et propheta, & sacerdos, & populus, qui dicit. Onus Domini irridentes: visitabo, pœnam inferens, supèr virum illum, & supèr domum eius. Hæc dicetis vnusquisque ad proximum & ad fratrem suum: Quid respondit Dominus? & quid locutus est Dominus? Et onus Domini vltrà non memorabitur, prophetia sub hac voce, quia onus erit vnicuique sermo suus, si sic dicent: & peruertistis verba Dei viuentis, Domini exercituum Dei nostri contrafacientes. Hæc dices ad prophetam, Quid respõdebit tibi Dominus? & quid locutus est Dominus? Si autèm onus Domini dixeritis; proptèr hoc hæc dicit Dominus: Quia dixistis sermonem istum: Onus Domini, & misi ad vos dicens. Nolite dicere: Onus Domini, nolebat hanc irrisionem. Propterea eccè ego tollam vos portans, & derelinquam vos, & ciuitatem quam dedi vobis, & patribus vestris à facie mea. Et dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ numquàm obliuione delebitur, saltèm vsquè ad septuaginta annos, quibus durauit captiuitas.

CAPVT XXIV.

OSTENDIT mihi Dominus per sensibilia, quę magis hærent, captiuitatem Babylonicam, à qua liberabuntur Iudæi, in bonum cessuram, expurgata scoria peccatorum per illam; sic amicis DEI omnia conuertuntur in bonum ex Paulo; Et eccè duo calathi pleni ficis, positi antè templum Domini, tùm vt appareret magis hæc à Deo esse: tùm vt visioni magis fides haberetur, postquàm transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam filium Ioachim regem Iuda, & principes eius, & fabrum, & inclusorem omnes artifices de Ierusalem, & adduxit eum in Babylonem; Calathus vnus ficus bonas habebat nimìs, ut solent ficus esse primi temporis: et calathus vnus ficus habebat malas nimìs, quæ comedi non poterant, eò quòd essent malæ: Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Ieremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas ualdè: & malas malas ualdè: quæ comedi nõ possunt, eò quòd sint malæ. Et factum est uerbum Domini ad me dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Sicùt ficus hæ bonæ: sìc cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, sub Iechonia in bonum. Et ponam oculos meos, curam illorum geram, supèr eos ad placandum: et reducam eos in terram hanc: et ædificabo eos, crescere faciam, Exod. 1. et non destruam; et plantabo eos, et non euellam. Et dabo eis cor, ut sciant me, eccè auxilia, & quomodò sinè Deo frigemus, quia ego sum Dominus: et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde suo; idòlis dimissis, hæc non in fine mundi, sed in liberatione à captiuitate Babylonica. Et sicùt pessimæ, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ: hæc dicit Dominus, sìc dabo Sedeciam regem Iuda, et principes eius, et reliquos de Ierusalem, qui remanserunt in Vrbe hac, et qui habitant in terra Aegypti, ad quam confugerant. Et dabo eos in uexationem, afflictionemquè omnibus regnis terræ: Babylonis, vt se etiam magis declarat,

què, & Sacerdos polluti sunt: & in domo mea, in templo, (hæc verba Dei) *inueni malum eorum, ait Dominus. Idcircò via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea*, in qua pergent; *afferam enim supèr eos mala, annum visitationis eorum* ad calamitates, *ait Dominus*, hæc ad eos præcisè, vt conuertantur. *Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem: prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel.* & dedi eos in captiuitatem perpetuam. *Et in Prophetis Ierusalem, vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacij; & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua*, ità vt nèdum ipsi non intrauerint, sed etiàm intrare volentes deterruerint: *facti sunt mihi omnes, vt Sodoma, & habitatores eius quasi Gomorrha*, abominabiles, & publici peccatores. *Propterea hæc dicit Dominus exercituum ad Prophetas. Eccè ego cibabo eos absinthio, & potabo eos* Prophetas *felle: à Prophetis enim Ierusalem egressa est pollutio supèr omnem terram* Iuda, ni mirum si merentur puniri. *Hæc dicit Dominus exercituum. Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini*, monet populum nè eos audiat, quia ex se, non ex Domino annunciant. *Dicunt his, qui blasphemant me; locutus est Dominus; Pax erit vobis, & omni, qui ambulat in prauitate cordis sui*, eccè mendacium ad fauorem blasphemantium, *dixerunt: Non veniet supèr vos malum*, quod vobis ab alijs annunciatur. *Quis enim affuit in consilio Domini, & vidit, & audiuit sermonem eius? quis considerauit verbum illius, & audiuit?* hoc modo tollebant Dei prouidentiam, & irritabant dicta à Prophetis veris: sìc Paulus, quis nouit, &c. quis consiliarius eius fuit? *Eccè turbo* furor *Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens: supèr caput impiorum veniet*, non erit, proùt illi falsò dicunt. *Non reuertetur furor Domini, vsquè dùm faciat, et vsquè dùm compleat cogitationem cordis sui*, quæ est ad puniendum, *in nouissimis*, in sequentibus *diebus intelligetis consilium eius*, & intellexerunt in captiuitate Babylonica, de qua agit. *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant*, quasi à me missi. *Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo*, quæ ego dixi, & non ex eorum capite, falsò populo blandientes, locuti essent, *auertissem vtiquè eos à via sua mala, et à cogitationibus suis pessimis*, auxilium eis efficax præstitissem. *Putasnè Deus è vicino ego sum, dicit Dominus? et non Deus de longè?* quasi vicina videam, longinqua non, vt dicunt hi. *Si occultabitur vir in absconditis; et ego non videbo eum, dicit Dominus?* quasi me nihil latet occultum. *Numquid non cælum, et terram ego impleo, dicit Dominus?* si sic, ergò oculi mei omnia contemplantur. *Audiui quæ dixerunt Prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atquè dicentes. Somniaui, somniaui*, per somnium, quæ dico, cognoui à Deo. *Vsquequò istud est in corde Prophetarum vaticinantium mēdacium, et prophetantium seductiones cordis sui?* dicebant quæ eis placebant, non à Deo. *Qui volunt facere, vt obliuiscatur populus meus nominis mei, proptèr somnia eorum, quæ narrat vnusquisque ad proximum suum*, quod erat impium, & malitiosum: *sicùt obliti sunt patres eorum nominis Dei proptèr Baal* idòlum, ità vt idem operentur somnia eorum, quod idòla. *Propheta, qui habet somnium, narret somnium*, simplicitèr, non addens à Deo: *et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè*, docet Dominus in veritate persistendum, non in mendacio, *quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* quid pseudoprophetarum somnijs ad verba mea? *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* absquè dubio, viuus est enim sermo, & penetrabilis, &c. ex Paulo, & consilium Domini sempèr fiet. *Proptereà eccè ego ad Prophetas, ait Dominus: qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo* mendacitèr agentes. *Ecce ego*

ad

ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, & aiunt: Dicit Dominus. Eccè ego ad prophetas, pœna somnij *somniantes mendacium, ait Dominus, qui narrauerunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis*, mirabilibus fictis, *cùm ego non misissem eos nèc mandassem eis: qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus. Si igitur interrogauerit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos dicens; quod est onus Domini?* malum inferendum, *dices ad eos: Vos estis onus* mihi abominabile, quo plenus sum, *proÿciam quippè vos* in captiuitatem, *dicit Dominus: Et propheta, & sacerdos, & populus, qui dicit. Onus Domini* irridentes: *visitabo*: pœnam inferens, *supèr virum illum, & supèr domum eius. Hæc dicetis vnusquisque ad proximum & ad fratrem suum: Quid respondit Dominus? & quid locutus est Dominus? Et onus Domini vltrà non memorabitur*, prophetia sub hac voce, *quia onus erit vnicuique sermo suus*, si sic dicens: *& peruertistis verba Dei viuentis, Domini exercituum Dei nostri* contrafacientes. *Hæc dices ad prophetam, Quid respõdebit tibi Dominus? & quid locutus est Dominus? Si autèm onus Domini dixeritis; proptèr hoc hæc dicit Dominus: Quia dixistis sermonem istum: Onus Domini, & misi ad vos dicens. Nolite dicere: Onus Domini*, nolebat hanc irrisionem. *Propterèa eccè ego tollam vos portans, & derelinquam vos, & ciuitatem quam dedi vobis, & patribus vestris à facie mea. Et dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ numquàm obliuione delebitur*, saltèm vsquè ad septuaginta annos, quibus durauit captiuitas.

CAPVT XXIV.

OSTENDIT *mihi Dominus* per sensibilia, quę magis hærent, captiuitatem Babylonicam, à qua liberabuntur Iudæi, in bonum cessuram, expurgata scoria peccatorum per illam; sic amicis DEI omnia conuertuntur in bonum ex Paulo; *Et eccè duo calathi pleni ficis, positi antè templum Domini*, tùm vt appareret magis hæc à Deo esse: tùm vt visioni magis fides haberetur, *postquàm transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam filium Ioachim regem Iuda, & principes eius, & fabrum, & inclusorem* omnes artifices *de Ierusalem, & adduxit eum in Babylonem; Calathus vnus ficus bonas habebat nimìs, ut solent ficus esse primi temporis: et calathus vnus ficus habebat malas nimìs, quæ comedi non poterant, eò quòd essent malæ: Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Ieremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas ualdè: & malas malas ualdè: quæ comedi nõ possunt, eò quòd sint malæ. Et factum est uerbum Domini ad me dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Sicùt ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum*, sub Iechonia *in bonum. Et ponam oculos meos*, curam illorum geram, *supèr eos ad placandum: et reducam eos in terram hanc: et ædificabo eos*, crescere faciam, Exod. 1. *et non destruam; et plantabo eos, et non euellam. Et dabo eis cor, ut sciant me*, eccè auxilia, & quomodò sinè Deo frigemus, *quia ego sum Dominus: et erunt mihi in populum et ego ero eis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde suo*; idòlis dimissis, hæc non in fine mundi, sed in liberatione à captiuitate Babylonica. *Et sicùt pessimæ, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ: hæc dicit Dominus, sìc dabo Sedeciam regem Iuda, et principes eius, et reliquos de Ierusalem, qui remanserunt in Vrbe hac, et qui habitant in terra Aegypti*, ad quam confugerant. *Et dabo eos in uexationem, afflictionemquè omnibus regnis terræ:* Babylonis, vt se etiam magis declarat,

rat, *ad quæ eieci eos*, de Sedecia in specie, quia ipse dedit causam à iuramento recedens, qua de re dicitur profanus, *in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ eieci eos. Et mittam in eis gladium, et famem, et pestem donèc consumantur de terra, quam dedi eis, et patribus eorum.*

CAPVT XXV.

V*ERBVM, quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iuda in anno quarto Ioachim filij Iosiæ regis Iuda (ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis) quod locutus est Ieremias propheta ad omnem populum Iuda, & ad vniuersos habitatores Ierusalem dicens: A tertiodecimo anno Iosiæ filij Ammon regis Iuda vsquè ad diem hanc; iste tertius, & vigesimus annus* commemorat tempora, vt ei maior fides adhibeatur, *factum est verbum Domini ad me, & locutus sum ad vos de nocte consurgens*, vestri solicitus, *& loquens; & non attendistis. Et misit Dominus ad vos omnes seruos suos prophetas*, De his in libris Reg. & Paralip. & Christus: Ierusalē, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: & Stephanus Acto. 7. *Consurgens diluculò, mittensquè, & non audistis, nequè inclinastis aures vestras, vt audiretis cùm diceret: Reuertimini vnusquisque à via sua mala, & à pessimis cogitationibus vestris; & habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, & patribus vestris à sæculo, & vsquè in sæculum. Et nolite ire pòst deos alienos, vt seruiatis eis, adoretisquè eos: nequè me ad iracundiam prouocetis in operibus manuum vestrarum, & non affligam vos. Et non audistis me dicit Dominus, vt me ad iracundiam prouocaretis in operibus manuum vestrarum in malum vestrum. Proptereà hæc dicit Dominus exercituum: Pro eò quòd non audistis verba mea: eccè ego mittam, & assumam vniuersas cogitationes Aquilonis*, non hic de Angelis, sed hominibus, vndè infrà, *adducam eos*. Alibi verò ostendi tàm per bonos, quàm per malos Angelos supplicia inferri, *ait Dominus, & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum*, ad id, quod intendo tamquàm ministrum, *& adducam eos supèr terram istam, & supèr habitatores eius, & supèr omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt: & interficiam*, subdit flagella *eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas* per annos septuaginta. *Perdamquè ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem molæ, & lumen lucernæ*, quibus homines delectantur, & fruuntur. *Et erit vniuersa terra hæc in solitudinem, & in stuporem: et seruient omnes gētes istæ regi Babylonis septuaginta annis*, clarè annunciant, *Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo* ad puniendum, & tùnc succedet transmigratio *supèr regem Babylonis, & supèr gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & supèr terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas. Et adducam supèr terram illam omnia verba mea, quæ locutus sum contrà eam: omne quod scriptum est in libro isto quæcumque prophetauit Ieremias aduersùm omnes gentes: Quia seruierunt eis, cùm essent gentes multæ, & reges magni: & reddam eis secundùm opera eorum, & secundùm facta manuum suarum* mala, in quibus malè tractauerunt populum meum, dùm scilicèt eis seruiret, & hæc est causa sui exterminij; & ferè in omnibus prophetis agitur de ruina Gentium, quæ Iudæis molestæ fuerunt, vt sæpiùs adnotaui; & hæc est vna species molestiæ: Aliæ verò vel quia adiuuabāt gētes ei insidiantes, vel anhelabāt ad eorum terras, & bona, vel eos subsānabāt, vt in prophetis.

Quia

Quia sic dicit Dominus exercituum Deus Israel: sume calicem vini furoris huius de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus, propinandum, &c. nàm non propinauit, sed edixit, *ad quas ego mittam te*, Similis Apocalyp. 17. & hæc sensibilia ad maiorem declarationem, & memoriam. *Et bibent, et turbabuntur, et insanient à facie gladij, quem ego mittam intèr eos. Et accepi calicem de manu Domini, et propinaui cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus; Ierusalem, et ciuitatibus Iuda, et regibus eius, & principibus eius*, & hi sub verbo *gentibus*, & alibi obseruaui: *vt darem eos in solitudinem, et in stuporem, et in sibilum, et in maledictionem, sicùt est dies ista*, vt nùnc videmus pòst Sedeciam captum, refert enim statum Vrbis de tempore, quo hæc scribebat, non quo gesta sunt, nàm de illo hæc non possunt dici de Ierusalem, *in solitudinem, etc. Pharaoni regi Aegypti, et seruis eius, et principibus eius, et omni populo eius, et vniuersis generalitèr: et cunctis regibus terræ Ausitidis, et cunctis regibus terræ Philisthijm, et Ascaloni, et Gazæ, et Accaron, et reliquijs Azoti*. Ex his vult ostendere paucos relinquendos in huiusmodi ruinis, *et Idumea, et Moab, et filijs Ammon. Et cunctis regibus Tyri, et vniuersis regibus Sidonis, et regibus terræ insularum, qui sunt trans mare: et Dedan, et Thema, et Buz, et vniuersis, qui attonsi sunt in comam*, de his etiàm supra. *Et cunctis regibus Arabiæ, et cunctis regibus Occidentis, qui habitant in deserto: Et cunctis regibus Zambri et cunctis regibus Elam, et cunctis regibus Medorum; cunctis quoquè regibus Aquilonis de propè, et de longè, vnicuique contrà fratrem suum:* quasi vnus contra alium pugnabit, quod declarat, *à facie gladij, quem mittam intèr vos, et omnibus regnis terræ, quæ supèr faciem eius sunt: et rex Sesach bibet pòst eos, et dices ad eos. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bibite, et inebriamini et vomite: et cadite, nequè surgatis à facie gladij, quem ego mittam intèr vos*, intellige strictè ad hos, ad quos. hæc directa, & apprehensa, non alios, & sic vitabitur scrupulus, si aliqui surrexere. Vel dicas locutionem hyperbolicam. *Cumquè noluerint accipere calicem de manu tua, vt bibant, dices ad eos. Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes, bibetis; quia eccè in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipiam affligere*, à domo Dei incipit iudicium, dicit Petrus. *Et vos quasi innocentes, et immunes eritis? non eritis immunes*, quia si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet? hoc ergò datur pro signo gentibus, non quòd Ieremias ad illas iuerit: *gladium enìm ego voco supèr omnes habitatores terræ*, de quibus suprà, *dicit Dominus exercituum. Et tu prophetabis ad eos omnia verba hæc, et dices ad illos. Dominus de excelso rugiet, et de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet supèr decorem suum*, templum suum, sic Dauid decorem domus tuæ, quasi leo frendens. *Celeuma*, lætum *quasi calcantium concinetur aduersùs habitatores terræ* destruendos. *Peruenit sonitus*, rugitus calamitatum, *vsquè ad extrema terræ*, eccè signum ad gentes; *quia iudicium Domino cùm gentibus*, ad condemnandum, & puniendum *iudicatur ipse*, decor scilicèt *cùm omni carne*, homine: sic & Genes. 6. *Impios tradidi gladio, dicit Dominus*, rectè iudicans, & puniens, subdit se Deus syndicatui, proùt Samuel, & Christus. *Hæc dicit Dominus exercituum. Eccè* subdit de maxima clade, *afflictio egredietur de gente in gentem*, sìcut & in fine mundi surget gens contrà gentem: *et turbo magnus egredietur à summitatibus terræ. Et erunt interfecti domini* per suos ministros, *in die illa à summo terræ vsquè ad summum eius: non plangentur, & non colligentur, nequè sepelientur: in sterquilinium supèr faciem terræ iacebunt*: Hæc omnia imaginariè antè Ieremiam recitata in Ierusalem, non quòd adierit has regiones miraculosè, quia miracula non sunt confingenda, nisi exprimantur, & absquè calice in manu, quia si illum habuisset, enunciaretur, proùt quandò similia visibilia ostendit omni populo, & sicùt missio imaginaria, sìc omnia alia, nè vnum factum diuerso iure iudicemus. *Vlulate, pastores*

& clamate : et aspergite vos cinere optimates gregis hæc ad eos, nè putent se immunes; *quia completi sunt dies vestri*, cõpletæ sunt iniquitates Genes. 15. ad finem vos deducentes, *vt interficiamini, & dissipationes vestræ*, dixit enim eos dispergendos, *et cadetis quasi vasa pretiosa*, cùm dolore maiori, vt fit in his. *Et peribit fuga à pastoribus*, quasi non proderit fugere; nàm non saluabuntur, vt subdit. *Et saluatio ab optimatibus gregis: Vox clamoris pastorum, & vlulatus optimatum gregis, quia vastauit Dominus pascua eorum*, describit tùnc euentura, *Et conticuerunt arua pacis* fertilia, ob tàntam cladem dissipata, *à facie iræ furoris Domini. Dereliquit*, scilicèt Dominus, de quo supræ, ideo ad Reges non aptatur, *quasi leo* custodiens *vmbraculum suum*, quod custodiebat vel ciuitates, vel templum, *quia vndè facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ* Nabuchodonosor veloci volatu nos aggredientis, non Dei, quia de illo subdit, *& à facie iræ furoris Domini*, & infrà cap. 46. & 50. nèc est verisimile Deum, quem dixit leonem, nũc columbam dicere in eadem fermè structura verborum. Et si leonem dicis Deum, non aptatur quod dicitur illum fuisse stemma Hebræorum superatum à columba stemmate Nabuchodonosor.

CAPVT XXVI.

IN principio regni Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, factum est verbum istud à Domino dicens: Hæc dicit Dominus: Sta in atrio domus Domini, et loqueris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt, vt adorent in domo Domini, vniuersos sermones, quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos: noli subtrahere verbum, si fortè audiant, et conuertatur vnusquisque à via sua mala, Mirum quotiès hæc iteret Deus, volens conuersionem peccatorum: & consequentèr visa eorum pœnitentia *pæniteat me mali, quod cogito facere eis proptèr malitiam studiorum eorum*, suprà capit. 18. *Et dices ad eos*, vt ex hac comminatione resipiscant. *Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, vt ambuletis in lege mea, quam dedi vobis: vt audiatis sermones seruorum meorum prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis. Dabo domum istam* templum, *sicùt Silo* sublata arca, quæ ampliùs non frequentabatur, non quod Silo destructa, quia de hoc nullibì in Scriptura, vt suprà cap. 7. 12. *Et vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gẽtibus terræ. Et audierunt sacerdotes, et prophetæ* falsi, *& omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini. Cumque complesset Ieremias loqui omnia, quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuersum populum, apprehenderunt eum sacerdotes, & prophetæ, & omnis populus dicens: Morte moriatur*; eccè quomodò paruifaciebant prophetas, quomodò cùm eis agebant. *Quarè prophetauit in nomine Domini*, quasi mendacium dicens, cùm Dominus non dixerit; *dicens: Sicùt Silo erit domus hæc* non frequentabitur, *& vrbs ista desolabitur, eò quòd non sit habitator? Et congregatus est omnis populus aduersùs Ieremiam in domo Domini. Et audierunt principes Iuda verba hæc, & ascenderunt de domo regis in domum Domini, et sederunt in introitu portæ domus Domini nouæ* concilium facientes. *Et locuti sunt Sacerdotes, et prophetæ ad principes, et ad omnem populum dicentes. Iudicium mortis est viro huic: quia prophetauit aduersùs ciuitatem istam:* sic Caiphas, & Concilium contrà Iesum, dicentem se filium Dei, *sicùt audistis auribus vestris. Et ait Ieremias ad omnes principes, et ad vniuersum populum dicens: Dominus*, loquitur propheta ad eos conuertendos, & certiorandos, *misit me, vt prophetarem ad domum istam, et ad ciuitatem hanc omnia verba, quæ audistis. Nùnc ergò bonas facite vias vestras, et studia vestra, et audite vocem Domini Dei vestri;*

vestri; et pœnitebit Dominum mali, quod locutus est aduersùm vos. Ego autèm, ecce in manibus vestris sum, facite mihi quod bonum, & rectum est in oculis vestris: Verumtamèn scitote, & cognoscite, quòd si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contrà vosmetipsos, & contrà ciuitatem istam, & habitatores eius: sic sanguis Abel iusti, vsquè ad sanguinem Zachariæ, & Filij Dei, de quo, sanguis eius supèr nos, & supèr filios nostros, *in veritate enìm misit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus vestris omnia verba hæc*, non timet propheta. *Et dixerunt principes, & omnis populus ad sacerdotes, & prophetas: Non est viro huic iudicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos*, ecce quomodò manus Domini ad liberandum prophetam suum. *Surrexerunt ergò viri de senioribus terræ, & dixerunt ad omnem cætum populi loquentis*, exempla adducunt: *Michæas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiæ regis Iuda, & ait ad omnem populum Iuda dicens: Hæc dicit Dominus exercituum. Sion quasi ager arabitur: & Ierusalem in aceruum lapidum erit: & mons domus in excelsa syluarum* Mich. 3. 12. *Numquid morte cōdemnauit eum Ezechias rex Iuda, & omnis Iuda? numquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat aduersùm eos? Itaquè nos facimus malum grande contrà animas nostras*, ommisso exemplo contrario. *Fuit quoquè vir propheta in nomine Domini, Vrias filius Semei de Cariathiarim: et prophetauit aduersùs ciuitatem istam, & aduersùs terram hanc iuxtà omnia verba Ieremiæ. Et audiuit rex Ioachim, & omnes potentes, & principes eius verba hæc: & quæsiuit rex interficere eum. Et audiuit Vrias, & timuit, fugitquè, & ingressus est Aegyptum Elnathan filium Achobor, & viros cùm eo in Aegyptum. Et eduxerunt Vriam de Aegypto, & adduxerunt eum ad regem Ioachim, & percussit eum gladio*, an nescis longas Regibus esse manus? *& proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis*, vult inferre, & tamen euenit, quod ipse prædixerat, & apparuit eum iniustè occisum. *Igitùr manus Aicham filij Saphan fuit cùm Ieremia, vt non traderetur in manus populi, & interficerent eum*, & sic a Domino saluus mouente spiritum Aicham.

CAPVT XXVII.

IN principio regni Ioachim filij Iosiæ regis Iuda factum est verbum istud ad Ieremiam à Domino, reuelandum tempore Sedeciæ, vt infrà; Fortè repetitum nùnc sub Sedecia; nàm non est verisimile Ieremiam tanto tempore cùm his vinculis, & catenis incessisse; vel principiū huius cap. aliò transportandum; vt dicunt alij; Hinc propheta dicit hæc locutū esse ad Sedeciam. Sed pro primo intellectu facit, quia infrà c.28. dicitur: factū est in anno illo, vtiq. in isto; ergò repetitum est verbum Ieremiæ à Domino tempore Sedeciæ; præsertìm quia de hoc tempore catenas portabat, vt infrà eodem cap. 28. *dicens: Hæc dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula, & catenas, & pones eas in collo tuo. Et mittes eas ad regem Edom, & ad regem Moab, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidonis*, hi Reges disperdendi, de quibus suprà capit. 26. *in manu nunciorum, qui venerunt Ierusalem ad Sedeciam regem Iuda*, audita fama aduentus Nabuchodonosor. *Et præcipies eis, vt ad Dominos suos loquantur: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Hæc dicetis ad Dominos vestros: Ego feci terram, & homines, & iumenta, quæ sunt supèr faciem terræ in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento; & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis*, vt meam: sic Ionas ad differentiam idolorum, ego timeo Deum, qui fecit cœlum, & aridam. *Et nùnc itaquè ego* idem Dominus *dedi omnes terras istas*

iſtas in manu Nabuchonodoſor regis Babylonis ſerui mei: inſupèr & beſtias agri dedi ei, vt ſeruiant illi ad miniſterium meum. *Et ſeruient ei omnes gentes* Iſraelitæ, & alij, de quibus egit, & in quibus verificatur, non vniuerſalitèr, *& filio eius* Euilmerodach, *& filio filij eius* Baltaſſari, quo mortuo poſtea ſoluta captiuitas ſub Cyro, *donèc veniat tempus terræ eius, & ipſius* diſperdendorum, vt ſuprà: *& ſeruient ei gentes multæ, & reges magni. Gens autèm, & regnum, quod non ſeruierit Nabuchodonoſor regi Babylonis, & quicumque non curuauerit collum ſuum ſub iugo regis Babylonis:* sìc Iſai. 60. de populo Iſrael *in gladio, in fame, & in peſte viſitabo ſupèr gentem illam ait Dominus: donèc conſummam eos in manu eius*, elegerat hunc in miniſtrum ſuum, propterea multa ei cōfert, vide Ezechiel. 29. *Vos ergò nolite audire prophetas veſtros, & diuinos, & ſomniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis: Non ſeruietis regi Babylonis; Quia mendacium prophetant vobis, vt longè vos faciant de terra veſtra, & eijciant vos, & pereatis* ego, qui hæc facturus ſum, vobis prædico, mihi credite. *Porrò gens, quæ ſubiecerit ceruicem ſuam ſub iugo regis Babylonis, & ſeruierit ei, dimittam eam in terra ſua, dicit Dominus: & colet eam, & habitabit in ea*, quoad Iudæos pòſt annos ſeptuaginta, vt ſuprà, & sìc volebat Deus purgare gentem, non perdere. *Et ad Sedeciam regem Iuda locutus ſum ſecundùm omnia verba hæc dicens: Subijcite colla veſtra ſub iugo Regis Babylonis, & ſeruite ei, & populo eius, & viuetis* hoc enim a Deo emanat ad purganda delicta veſtra. *Quarè morimini tu, & populus tuus gladio & fame, & peſte, ſicùt locutus eſt Dominus ad gentem, quæ ſeruire noluerit Regi Babylonis* quaſi cur peiora hæc expectas tibi, & alijs? *Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non ſeruietis regi Babylonis: quia mendacium ipſi loquuntur vobis: Quia non miſi eos, ait Dominus; et ipſi prophetant in nomine meo mendacitèr: vt eijciant vos, et pereatis tàm vos, quàm prophetæ, qui vaticinantur vobis*, hoc pacto monet, vt caueant. *Et ad Sacerdotes, et ad populum iſtum locutus ſum dicens; Hæc dicit Dominus: Nolite audire verba prophetarum veſtrorum, qui prophetant vobis dicentes: Eccè vaſa Domini*, quæ erant in templo, & quia Domini, videbantur hæc creditu faciliora *reuertentur de Babylone nùnc citò, mendacium enìm prophetant vobis. Nolite ergò audire eos, ſed ſeruite regi Babylonis, vt viuatis. Quarè datur hæc Ciuitas in ſolitudinem?* non obediendo Domino prædicenti, & monenti. *Et ſi prophetæ ſunt, et eſt verbum Domini in eis, occurrant Domino exercituum*, eum deprecando, *vt non veniant vaſa, quæ derelicta fuerunt in domo Domini, et in domo regis Iuda, et in Ieruſalem, in Babylonem. Quia hæc dicit Dominus exercituum ad columnas, et ad mare, et ad baſes, et ad reliqua vaſorum, quæ remanſerunt in Ciuitate hac, quæ non tulit Nabuchodonoſor rex Babylonis, cùm transferret Iechoniam filium Ioachim regem Iuda de Ieruſalem in Babylonem, et omnes optimates Iuda, et Ieruſalē. Quia hæc dicit Dominus exercituū Deus Iſrael ad vaſa, quæ derelicta sūt in domo Domini, et in domo regis Iuda, et Ieruſalem: In Babylonē transferentur, et ibì erūt vſque ad diem viſitationis ſuæ* Babylonis, non Iudæorū, quia refert præcedētē ad pœnā, & deſtructionē *dicit Dominus, et afferri faciam ea, et reſtitui in loco iſto*, proùt factū eſt ſub Cyro.

CAPVT XXVIII.

E*T factum eſt in anno illo, in principio regni Sedeciæ regis Iuda*, quo dictum fuit verbum de catenis, At *in anno quarto, in menſe quinto* eiuſdem Sedeciæ; Hinc videtur colligi Ieremiam diū portaſſe catenas, ſaltèm vſquè ad hunc quartum annum, & quintum menſem Sedeciæ; & non puto dicta in principio rectè referri poſſe ad quartum annum, quia nimìs diſtat, eò magìs, cùm non regnauerit niſi annis vndecim: *dixit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon in domo Domini coràm Sacerdotibus, et omni*

popu-

populo dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Contriui iugum regis Babylonis: adhuc duo anni dierum supersunt, seu pòst duos annos, *et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabuchodonosor rex Babylonis de loco isto, et transtulit in eà Babylonem. Et Ieconiam filium Ioachim regem Iuda, et omnem transmigrationem Iuda, qui ingressi sunt in Babylonem, ego conuertam ad locum istum, ait Dominus, conteram enim iugum regis Babylonis*, Hæc falsus Propheta seducens populum, & ex ore Dei mendacitèr opponens se dictis à Ieremia à Deo misso. *Et dixit Ieremias propheta* intrepidus *ad Hananiam prophetam in oculis sacerdotum, & in oculis omnis populi, qui stabat in domo Domini, & ait Ieremias propheta: Amen, sic faciat Dominus: suscitet Dominus verba tua, quæ prophetasti, vt referantur vasa in domum Domini, & omnis transmigratio de Babylone ad locum istum*, quasi & hoc mihi placeret: sic & Micheas. *Verumtamèn audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus vniuersi populi: Prophetæ, qui fuerunt antè me, & antè te ab initio*, à multo tempore retrò, *& prophetauerunt supèr terras multas, & supèr regna magna de prælio, & afflictione, & de fame. Propheta* alius, *qui vaticinatus est pacem; cùm venerit verbum eius scietur propheta, quem misit Dominus in veritate*; Hæc clausula vltima refertur tàm ad prophetantem mala, quàm bona: vndè ad cognoscendum prophetam verum non est constituenda differentia intèr annuntiata bona, vel mala; sed an euenerint prædicta ab eo, quæcumque illa sint, & sic habetur Deuter. 13. & 18. indistinctè; & quòad Deum idem de malis, quod de bonis conditionalitèr annuntiatur. Ierem. 18. & ex his puto Ieremiam non dubitasse de veritate suæ prophetiæ, & falsitate alterius. Nèc obstat, quod tùnc non responderit, sed posteà ex ore Dei; nàm tùnc quidèm modestia vsus, posteà verò noua dixit, non recedens à primis. *Et tulit Hananias propheta catenam de collo Ieremiæ*, quā Dei iussu deferebat, *& confregit eam. Et ait Hananias in conspectu omnis populi dicens: Hæc dicit Dominus: sic confringam* àlter Sedecias pseudopropheta cornibus idē agens. 3. Reg. vlt *iugum Nabuchodonosor regis Babylonis pòst duos annos dierum de collo omnium gentium. Et abijt Ieremias propheta in viam suam*, sic Christus: dimittite eos, cæci sunt, & duces cæcorum. *Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, postquàm confregit Hananias propheta catenam de collo Ieremiæ prophetæ dicens: Vade, & dices Hananiæ: Hæc dicit Dominus: Catenas ligneas contriuisti, & facies pro eis catenas ferreas. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Iugum ferreum posui supèr collum cunctarum gentium istarum, vt seruiant Nabuchodonosor regi Babylonis, & seruient ei, insupèr & bestias terræ dedi eis: Et dixit Ieremias propheta ad Hananiam prophetam: Audi Hanania: non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio*, placentia annuncians, quasi malè egisti; Non credo nùnc reuelari Ieremiæ falsa dici ab Hanania, quia ex præcedentibus cognoscitur Ieremiam nouisse; sed refert Hananiæ dicta à Domino, quæ priùs non nouerat: *Idcircò hæc dicit Dominus, eccè ego mittam te à facie terræ: hoc anno morieris: aduersùm enim Dominum locutus es. Et mortuus est Hananias propheta in anno illo mense septimo* anni scilicèt, quia de illo præmisit, non prophetiæ Ieremiæ, ità vt duobus tantùm mensibus superuixerit: & sic Ieremias inuentus propheta verus. Deuter. 13. & 18.

CAPVT

CAPVT XXIX.

ET *hæc sunt verba libri* litterarum, sic & in Ezechia de litteris missis à Sennacherib *quem misit Ieremias propheta de Ierusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, & ad sacerdotes, & ad prophetas, & ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Ierusalem in Babylonem*, cùm Iechonia & matre. 4. Reg. 24. *postquàm egressus est* dans se voluntariè. 4. Reg. 24. *Iechonias rex, & domina* regina, & suprà cap. 13. regi, & dominatrici, *& eunuchi, & principes Iuda, & Ierusalem, & faber, & inclusor de Ierusalem:* Hi ergò sunt, qui cùm Iechonia ducti fuerant in Babylonem, quod expressum est clarè; vndè rationes contraria Castri. & Sanctij nutant. *In manu Elasa filij Saphan, & Gamariæ filij Helciæ quos misit Sedecias rex Iuda ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Babylonem* ad soluendum tributum, dicunt aliqui, & reintegrandum fœdera; & tamèn de hoc nullibì in Scriptura, quæ sempèr stat in rebellione facta à Sedecia fœdifrago; vndè hoc intelligendum antè rebellionem strictè ad tributi solutionem, vel aliud, dùm erat intèr eos pax *dicens: Hæc dicit Dominus exercituũ Deus Israel omni transmigrationi, quam transtulit de Ierusalem in Babylonem: Ædificate domos, & habitate, & plantate hortos, & comedite fructum eorum: Accipite vxores, & generate filios, & filias, & date filijs vestris vxores, & filias vestras date viris, & pariant filios, & filias, & multiplicamini ibi, & nolite esse pauci numero,* hæc omnia contraria Hananiæ, & alijs dicentibus citò indè transmigrandum. *Et quærite pacem Ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis,* sic Abraham fecit, vt in verbis illorum Heth. *Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel. Non vos seducant prophetæ vestri qui sunt in medio vestrum, & diuini vestri; & nè attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis, quia falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo, & non misi eos, dicit Dominus: quia hæc dicit Dominus: Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo supèr vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum* pòst annos septuaginta, qui sempèr ponuntur perfecti, & pòst captiuitatem perfectam, & desolationem ciuitatis, & templi sub Sedecia; Vndè non placet opinio septuaginta annos cœpisse sub Iechonia, vt hic per Recentiores, proùt tenui Daniel. 9. Is enim locus intelligendus iuxtà cap. 25. præcedens, vbi enim respondi ad Zachar. 1. idem probatur Baruch. 6. Eo minùs placet, quia ab Ezechiele cap. 1. transmigratio dicitur sub Ioachim, quia non vi, sed vltrò se dedit. *Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito supèr vos: ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem* à captiuitate, *& patientiam* donèc transmigratis, vel effectum patientiæ vestræ, quæ est à captiuitate liberari: sic Deus cùm Noe, & suis de non mittendo diluuio; sed hæc magis declarat ex subiectis. *Et inuocabitis me, & ibitis, & orabitis me,* pro captiuitatis liberatione, *& ego exaudiam vos; quæretis me, & inuenietis, cùm quæsieritis me in toto corde vestro; Et inueniar à vobis, ait Dominus, & reducam captiuitatem vestram, & congregabo vos de vniuersis gentibus, et de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus, et reuerti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci. Quia dixistis, suscitauit nobis Dominus prophetas in Babylone,* secùs dicentes, propterea hæc vobis futura, & tempus dixi: *Quia hæc dicit Dominus ad regem* Sedeciam, *qui sedet supèr solium Dauid, et ad omnem populum habitatorẽ Vrbis huius, ad fratrès vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem: Hæc dicit Dominus exercituum: Eccè mittam in eos gladium, & famem, & pestem, & ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt eò quod pessimæ sint,* de his suprà c. 24. *Et persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia, & dabo eos in vexationem vniuersis regnis*

regnis terræ, in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ego eieci eos, eijciam eò *quod non audierint verba mea dicit Dominus, quæ misi ad eos per seruos meos prophetas, de nocte consurgens, & mittens, & non audierunt*, quasi non vos soli captiui stabitis vsquè ad præfinitum tempus, sed & fratres vestri, qui remanserunt, in similem captiuitatem ducentur, & peiùs tractabuntur, quicquid dicant pseudoprophetæ eos decipientes, *dicit Dominus*, hæc omnia de Babylonica, non de Romana captiuitate. *Vos ergò audite verbum Domini: omnis transmigratio, quam emisi de Ierusalem in Babylonem. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Achab filiũ Coliæ, & ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendacitèr*. An hi senes Susannæ, credo incertum, nèc video concludentèr probari, quicquid dicat Castrus. *Eccè ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, & percutiet eos in oculis vestris*, quasi hæc apparebunt, videbitis illa, hoc non concordat cùm historia Danielis. *Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat*; similis maledictio in Isaia contrà totum populum, *te Dominus sicùt Sedeciam, & sicùt Achab, quos frixit rex Babylonis in igne*, hoc ad denotandam mortis speciem crudelem, quæ non conuenit cùm Daniele: *pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, & mæchati sunt in vxores amicorum suorum, & locuti sunt verbum in nomine meo mendacitèr, quod non mandaui eis*, de hoc nihil in historia Danielis: *ego sum Iudex, & testis* ego vidi *dicit Dominus. Et ad Semeiã Nehelamiten dicens; Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Pro eo quod misisti in nomine tuo libros*, litteras *ad omnem populum, qui est in Ierusalem, & ad Sophoniam filium Maasiæ Sacerdotem, & ad vniuersos Sacerdotes dicens: Dominus dedit te Sacerdotem pro Ioiade Sacerdote*, de hoc meminit vindice 4. Reg. 11. 2. Paral. 23. 17. vt illum magìs acuat, *vt sis dux in domo Domini supèr omnem virum arreptitium, & prophetantem, & mittas eum in neruum & in carcerem. Et tùnc quarè non increpasti Ieremiam Anathothitem, qui prophetat vobis? Quia supèr hoc misit in Babylonem ad nos dicens: longum est* tempus captiuitatis: *ædificate domos, & plantate hortos, & comedite fructus eorum*, quasi diù mansuri. *Legit ergò Sophonias Sacerdos librum istum in auribus Ieremiæ prophetæ. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam dicens. Mitte ad omnem transmigrationem dicens. Hæc dicit Dominus ad Semeiam Nehelamiten. Pro eo quod prophetauit vobis Semeias, & ego non misi eum, & fecit vos confidere in mendacio, idcircò hæc dicit Dominus. Eccè ego visitabo supèr Semeiam Nehelamiten, & supèr semen eius; non erit ei vir sedens in medio populi huius*, & sic semen etiàm punitur ex delicto patris, *& non videbit bonum, quod ego faciam populo meo* à captiuitate reducens illum, *ait Dominus, quia præuaricationem locutus est aduersùs Dominum*, sic & Elisæus cùm duce non credente 4. Reg. 7. 2.

CAPVT XXX.

HOC *verbum, quod factum est ad Ieremiam à Domino dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel, dicens: Scribe tibi omnia verba, quæ locutus sum ad te in libro*, vt sempèr appareant, quia maximi momenti. *Eccè enìm dies veniunt, dicit Dominus, & conuertam conuersionem populi mei Israel, & Iuda, ait Dominus, & conuertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum: & possidebunt eam*, vtì nùnc, sicquè scient hæc a me emanasse, vtì antè annos plurimos annunciata; Et quamuis hìc Israel nominetur cùm Iuda, vel intelligitur de Iuda, & verbum Israel confunditur, & pro Iuda capitur; vel refertur ad aliquos ex Israel obductos ab Assyrijs, qui recesserunt ab illa captiuitate clàm, seù annuente rege, & redierunt cùm tribu Iuda; certum est enìm omnes

omnes decem Tribus nō reuersas, quia perpetua eorum captiuitas vsquè ad finem mundi, & de hac reuersione finali hic non agitur, & infrà restringit se ad Iudam; Vel quia hìc aliqua de Messia communia vtrisque, ideò & mentio Israel, secùs quòad captiuitatem, & liberationem ab ea; At aliquos ex decem tribus in terra Israel extitisse apparet ex Euangelijs. *Et hæc verba, quæ locutus est Dominus ad Israel & Iuda, quoniàm hæc dicit Dominus: vocem terroris audiuimus, formido & non est pax*, ex aduentu Nabuchodonosor, hæc refert Deus dicta à populo, subdit pòst illa. *Interrogate, & videte si generat masculus; quarè ergò vidi omnis viri manum supèr lumbum suum, quasi parturientis, & conuersæ sunt vniuersæ facies in auruginem?* præ timore pallorem; Confirmat Dominus dictum, & ampliat, quia homines erunt quasi mulieres imitantes in partu præ dolore calamitate superueniente, *Væ quia magna dies illa, nèc est similis eius* flagelli Nabuchodonosor, & ideò restringit se ad Iudam, & *similis* per hyperbolem, *tempusquè tribulationis est Iacob* hæc hucusquè dicta ad captiuitatem Babylonicam, non ad aliud, *& ex ipso saluabitur*, quia à captiuitate soluetur pòst annos septuaginta, non dabitur in totalem consummationem. *Et erit in die illa*, qua saluanda est, & à captiuitate reuersura, *ait Dominus exercituum, conteram iugum eius* Nabuchodonosor tibi iniectum *de collo tuo, & vincula eius dirumpam, & non dominabuntur ei ampliùs alieni* tamquàm captiuæ, quia alias fuerunt ferè sempèr sub tributo pòst captiuitatem, vt alibì obseruaui, præsertìm Gen. 49. at etiàm vtì captiui aliqui, qui noluerunt reuerti à captiuitate, & pòst mortem Messiæ. *Sed seruient Domino Deo suo, & Dauid regi suo* Messiæ Ezech. 37. 25. *quem suscitabo eis*, sìc Deuter. 18. mittam. Vult ergò dicere, non ibunt captiui pòst captiuitatem Babylonicam antè aduentum Messiæ, vndè non excluditur captiuitas præsens Romana vsquè ad nouissima duratura. *Tu ergò nè timeas serue meus Iacob, ait Dominus, nequè paueas Israel*, pro Synonimis capit Iuda, & Israel, de Iuda tantùm intelligens, qui à captiuitate reductus, non Israel, qua decem tribus, quarum tamèn aliqui reuersi à captiuitate, *quia eccè saluabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captiuitatis eorum, & reuertetur Iacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet, quoniàm tecum ego sum, ait Dominus, vt saluem te*, hæc omnia de reditu à captiuitate Babylonica: *faciam enim consummationem in cunctis Gentibus, in quibus dispersi te*, illas pœnitùs tollam, vndè non poterunt in te surgere, *te autèm non faciā in consummationē*, non destruam te pœnitùs, quia ex te oriundus Messias, ideò semen tuum seruandum: hinc vide agi de captiuitate Babylonica, non Romana, *sed castigabo te in iudicio* in æquitate, & iustitia; in misericordia tamèn, quia non consummabo te pœnitùs, iuxtà illud: misericordiam autèm meam non dispergam ab eo, *vt non videaris tibi innoxius*, si non punireris, & de te nimiùm præsumeres, quasi non eris immunis à peccatis; est & illud, Si autèm filij tui dereliquerint, visitabo in virga, &c. *Quia hæc dicit Dominus: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua*, hæc subdit, vt eò minùs de se præsumat, & cognoscat rectè ex pœna cùm illa agi. *Non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum* plagam, sanandum, non est qui possit te sanare, *curationum vtilitas non est tibi*, indiges à me sanari vero medico, vndè suprà Propheta, Sana me Domine, & sanabor, &c. *Omnes amatores tui*, qui tuam curationem quærere deberent, hi Aegyptij, & alij, in quibus tu confidis, hi non erunt sub Romana, sed Babylonica *obliti sunt tui, tequè non quærent: plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli*, quam amatores cognoscunt sanari non posse; id autèm feci *proptèr multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua*, ideò difficilia curatu. *Quid clamas supèr contritione tua?* ex captiuitate, & alijs flagellis, at ne mireris, *insanabilis est dolor tuus* absquè maximo flagello te purgante *proptèr multitudinem iniquitatis tuæ, & proptèr dura peccata tua feci hæc tibi* crudelia, & amara *Proptereà omnes, qui comedunt te, deuorabuntur, & vniuersi hostes tui in captiuitatem ducentur, & qui te vastant, vastabuntur, cunctosquè prædatores*

tores

tores duos dabo in prædam, quia iuxtà eorum passiones, non proptèr me tecum egerunt, etsi me iubente, & volente, *Obducam enìm cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus*, his flagellis, & vexationibus, non in consummationem dabo, sed reducam tempore statuto in pristinum. *Quia eiectam vocauerunt te Sion*, quasi numquam reducendam, & reassumẽdam, hinc de Babylonica, *hæc est, quæ non habebat requirentem* penitùs derelictam, cuius contrarium apparebit. *Hæc dicit Dominus: Eccè*, stat adhùc in reuocatione à captiuitate Babylonica. *Ego conuertam conuersionem tabernaculorum* domorum *Iacob, & tectis eius miserebor, & ædificabitur Ciuitas in excelso suo, & templum iuxtà ordinem suum fundabitur*: & sic factum tempore Esdræ, & Zorobabel. *Et egredietur de eis laus gratiarum actionis, voxquè ludentium, & multiplicabo eos, & non minuentur, & glorificabo eos, & non attenuabuntur*; pòst enìm ædificationem templi, & Ciuitatis prosperati sunt vsquè ad necem Christi. *Et erunt filij eius sicùt à principio* ingressus in Terram promissionis, *& cœtus eius coràm me permanebit*, vsquè ad captiuitatem Romanam, quâ dissipatus, *& visitabo aduersùm omnes, qui tribulant eum*, hoc perpetuum, vt suprà pluriès, & apud Isaiam. *Et erit dux eius ex eo, & princeps de medio eius producetur*, is Zorobabel, & alij ductores, vel Messias, quem suprà dixit suscitaturum, seù missurum, *& applicabo eũ*, ad opus reuersionis populi, si de Zorobabel; si de Christo, redẽptionis, proptèr quod misi illum, *& accedet ad me* per obedientiam, faciens quod iussi, *quis enìm iste est*, alius ab eo, *qui applicet cor suum, vt appropinquet mihi, ait Dominus?* vltrà illum à me electum, vel si de Christo; nàm non est qui faciat bonum, non est vsquè ad vnum intèr homines; ideò nullus eorum posset hæc operari. *Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum*; non enìm pòst captiuitatẽ amplexati sunt idòla. *Eccè* redit ad prima, ad flagella, ad captiuitatem, quæ præcedere debent aduentum Messiæ, *turbo Domini furor egrediens, procella ruens à capite impiorum conquiescet*, quos disperget, & tollet. *Non auertet iram indignationis Dominus, donèc faciat, et compleat cogitationem cordis sui*, aduersùs populum captiuandũ, *in nouissimo dierum intelligetis ea* sequenti futuro tempore cognoscetis, quæ nùnc non creditis; videbitis enìm reductionem à captiuitate, seù Messiam, & tùnc placabor, & tempora aduentus Messiæ dicuntur nouissima; Vel hæc in fine Mundi, sìc vt furor sit nouus, pòst occisum Messiam, & in diebus nouissimis propè iudicium intellecturi sint, & conuersuri: at melior primus.

CAPVT XXXI.

IN *tempore illo*, nouissimo successiuo, quo intelligetis, vt suprà, *dicit Dominus: Ero Deus* benefaciens *vniuersis cognationibus Israel, et ipsi erunt mihi in populum*, Hìc de reliquijs carnalibus saluandis, & reducendis à captiuitate Babylonica agit, non Romana, quæ vsquè ad finem durat: sìc Isai. 1. & cap. præc. *Hæc dicit Dominus*, ad prædicta, sicùt *Inuenit gratiam in deserto*, per quod redibat *populus, qui remansit à gladio Domini*, à viginti annis, infrà Num. 13. 20. introductus in Terram promissionis, sìc *vadet ad requiem suam Israel*, in captiuitatem Babylonicam ductus, redibit enìm ad Terram promissionis à captiuitate Babylonica, vel inueniet in Domino requiem suã in nouissimis diebus, & de spiritualibus tempore Messię simplicitèr sub typo. At dicit propheta, vel sub sua, vel populi persona, diù hæc erunt expectanda, quòad dissolutionẽ captiuitatis, hinc ad litteram hæc de illa, etsi mysticè de alijs, quia *Lõgè Dominus apparuit mihi*, quasi nõ erit reditus prosperus à captiuitate, vt dicũt pseudo; vel Messias non venit ità citò, quod colligit propheta ex longinqua Dei apparitione. *Et* respondet Deus, id fiet tempore mihi placito, hinc auxilia efficacia, *in charitate*

ritate enim perpetua, lõga, diuturna, antiqua *dilexi te*, *ideò attraxi te*, hinc in Ioanne, Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, spiritualitèr, sed hìc attraxi, liberans te à captiuitate Aegyptiaca; *miserans* ex sola mea misericordia motus, non aliquo tuo merito, quod & nùnc præstabo. hinc subdit clarè, *Rursùmque ædificabo te, et ædificaberis virgo Israel* virginem dicit, quàm deperit, virgines enim magis amantur. *adhùc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium*, redit ad reditum ex captiuitate Babylonica, vel tempore Messiæ læta. *Adhùc plantabitis vineas in montibus Samariæ*, idest totius Iudææ pòst captiuitatem dissolutam; vel spiritualitèr hæc successiuis temporibus in aliquibus, vel & sequentia in fine mundi, quo reliquiæ saluabuntur; nàm antè illud tempus decem Tribus non conuertentur, & etiàm de his hìc sub Samaria, & Ephraim; *plantabunt plantantes, et donèc tempus veniat, non vindemiabunt*, non recipient vuas acerbas, sed maturas nullo vexante: *quia erit dies, in qua clamabũt custodes in mõte Ephraim*, vbi positi vituli à Ieroboam, & sìc olìm idololatræ; pòst liberationem enìm à captiuitate idololatria abfuit. *Surgite, et ascendamus in Sion*, Ierusalem redeuntes, vel in Ecclesiam Catholicam, *ad Dominum Deum nostrum*, liberatorem nostrum, & verè patrem. *Quia hæc dicit Dominus. Exultate in lætitia Iacob, et hinnite*, metaphoricè ab equis lætantibus *contrà caput Gentium* Nabuchodonosor, cui gentes datæ à Deo: *personate, et canite, et dicite: Salua Domine populum tuum reliquias Israel*, à captiuitate Babylonica, vel hoc in nouissimis diebus, quibus reliquiæ spiritualitèr saluabuntur, vel sub Messiæ aduentu. *Eccè ego adducam eos de terra Aquilonis:* à Chaldæis, *& congregabo eos ab extremis terræ*, in Iudæa, vel in Ecclesia mea: *intèr quos erit cæcus, & claudus, prægnans, & pariens simùl, cœtus magnus reuertentium hùc*, de omni genere. *In fletu* amaritudinibus ex captiuitate contractis, pœnitentes *venient: & in misericordia*, de qua & suprà, in qua eos recipiam, & infrà luctum conuersurum in gaudium, dicit, *reducam eos: & adducam eos per torrentes aquarum* in magna velocitate; *in via recta, & non impingent in ea*, nàm omnia complanabo, discere faciam, *quià factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est*, gratus, infrà honorabilis, delicatus. Sed si hæc de captiuitate Babylonica sub Ephraim, intelligentur Tribus illæ ibi captiuæ; & sìc Ephraim, ex cuius tribu aliquis reuersus, vti pars pro toto; & hæ voces, puta Israel, Iuda, & similes, quæ solent pro diuersis recipi; aliquandò pro eisdem, & Synonimis; recipiuntur iuxtà materiam subiectam, aliòquin hæc ad finem Mundi referenda, tùnc in illis diebus. *Audite verbum Domini gentes, & annunciate in insulis, quæ procùl sunt, & dicite*, hoc ad gentes, quæ lætabantur supèr ærumnis Hebræorum, vt hoc audito tabescerent, & obstupescerent; nihil hic de illarum conuersione: *Qui dispersit Israel, congregabit eum* in Terra promissionis, in qua degebat antè, *& custodiet eum sicùt pastor gregem suum* potens est enìm qui destruit, construere. *Redemit enìm Dominus Iacob, & liberauit eum de manu potentioris* Nabuchodonosor, vel mysticè per Messiam, dæmonis principis Mundi. *Et venient, & laudabunt in monte Sion*, materiali templo, seù mysticè Ecclesia, *& confluent ad bona Domini supèr frumento, & vino, & oleo, & fœtu pecorum, & armentorum, eritquè anima eorum, quasi hortus irriguus, & vltrà non esurient:* sìc conuersi, & reducti, his ditabuntur; hæc omnia ad reuersionem à captiuitate Babylonica successiuis temporibus templo ædificato, vt per Zachariam, & Aggæum: vel possunt mysticè sub Messia, vel in fine Mundi spiritualitèr intelligi. *Tùnc lætabitur virgo in choro, iuuenes, & senes simùl, & conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo*, in quo diù steterunt captiui. *Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis* temporalibus, seù vt suprà spiritualibus *adimplebitur, ait Dominus. Hæc dicit Dominus*, referens vocem lugentium in captiuitate: de prima *vox*, &c. & deindè respon-

respondens. poterat enim dicere visa magna clade, & captiuitate ferè omnium, quæ præsupponuntur ex fletu Rachel, non erunt vnquàm quæ dicis prospera, ideò propheta à Deo edoctus, subdit posteà *quiescat*, &c. *Vox in excelso* magna, *audita est lamentationis, luctus, & fletus Rachel*, de hac, quia principalis, & dilecta vxor Iacob, à quo duodecim tribus, & sub ea hæ *plorantis filios suos*, populum suum, *et nolentis consolari supèr eis*; ideò inducitur mulier, cuius est flere inconsolabilitèr: sic Ioab Techuitem ad Dauid. *qui non sunt*, cùm sint dispersi in captiuitate Babylonica, à Deo alieni, quorum nulla cura. *Hac dicit Dominus*, qui respondet, *Quiescat vox tua*, ò Rachel, *à ploratu*, *& oculi tui à lacrymis*, *quia est merces operi tuo*, filiorum tuorum, quandò ad me conuertentur, & ad vias bonas dirigentur; vel dolori tuo supèr contritione populi tui, ideòque misericordia secum vtar ad preces tuas, quod in idem recidit, *ait Dominus: & reuertentur de terra inimici*, ad quam nùnc amandantur; *Et est spes nouissimis tuis* succedentibus vsq. ad septuaginta annos, quia reliquiæ saluandæ, reducendæ, vel hæc in fine mundi, *ait Dominus: et reuertentur* à captiuitate *filij ad terminos suos*, ad loca, in quibus erant grati Domino; vel in diebus nouissimis mysticè, & spiritualitèr; Hæc vel mysticè, vel per accõmodationem videntur à S. Matthæo desumpta per verba (vt adimpleretur) si intelligerentur in sensu mystico: vel si ad litteram, erit duplex intellectus litteralis; vide ibi scripta: *Audiens audiui Ephraim transmigrantẽ* in captiuitatem ductũ in Babylonem sub Ephraim enim de Iuda, vt supra; *Castigasti me* flagellis multis, & captiuitate, *et eruditus sum*, vexatio enim tribuit intellectum, *quasi iuuenculus indomitus* sum, fui; *conuerte me*, priùs Dei auxilium implorat, vt possit opus mercede dignũ efficere, *et conuertar* tibi obsequens, vocationi nõ repugnans, sed consentiens, *quia tu Dominus Deus meus*, tùnc confitebũtur. *Post, uàm enim conuertisti me*, infundẽs auxilium, *egi pœnitentiã* à peccato meo, *et pòstquàm ostendisti mihi* veritatem, vel peccati turpitudinẽ, hæc præcedũt à Deo, vt sequatur, *percussi fœmur meum*, vt solent mœrentes, pœnitentes, & attriti; *Confusus sum, et erubui* ob scelera cognita, *quoniàm sustinui opprobrium adolescentiæ meæ*, in qua à te per peccata, maximè idololatriam, discesseram; hoc est opus, de quo suprà, cui merces promissa, vndè respondet Deus. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus* mihi ob pœnitentiam fuerit; sic Sabbatum delicatum in Isaia; *quia* ratio cur talis Ephraim ei, *ex quo locutus sum de eo* flagellando, *adhùc* visa pœnitentia, *recordabor eius*, reducendo eum à captiuitate, vel vt suprà. *Idcircò conturbata sunt uiscera mea supèr eum:* sic Ioseph viso Beniamin; Mulier vera mater coràm Salomone: de his in Cantico Zachariæ: Per viscera, &c. *miserans miserebor eius*, vel nùnc, vel in fine, *ait Dominus: Statue tibi speculam*, vt benè videas quid feceris, quæ tua in me ingratitudo, docet quid illi agendũ, *pone tibi amaritudines*, fac pœnitentiam, *dirige cor tuum in viam rectam*, *in qua ambulasti* a principio, antè idololatriam, *Reuertere virgo Israel*, *reuertere ad ciuitates tuas istas*, idest tùnc tuta eris te reuersuram in terram promissionis, à qua captiua discedis; deindè transit ad aduentum Messiæ futurum in ea, ad quam missus. *Vsquequò delicijs dissolueris filia vaga?* te detinens in captiuitate, mihi non credens, quasi consurge, & hùc accurre, & vide magnalia, in quibus salutare tuum: vndè nihil tibi timendum, vel ambigendũ, quæ dixi de tua liberatione non euentura, postquàm hæc maiora sequentur. *quia creauit*, creabit *Dominus nouum*, inauditum *supèr Terrã* promissionis. *FOEMINA*, virgo, ad Isaiam capit. 7. absquè hominis ministerio, sola *CIRCVMDABIT VIRVM*, concipiet, & pariet virum, Messiam: vir enim Christus perfectus in primo instanti in vtero, à quo viro salus. Luc. 1. Acto. 4. Nõ placet hæc intelligi de Cyro liberaturo, quasi id nouum supèr terram; nàm sequitur quid sit illum nouum clarè, *FOEMINA CIRCVMDABIT VIRVM*, quæ verba non possunt trahi nisi coactè, & per multas ambages, & circũlocutiones ad Iudæos reuersuros; standum ergò in Incarnatione Verbi, facta in vtero Virginis, vt tenent omnes; quod & rectè reditui à captiuitate anne-

annectitur, est enim familiare prophetis ex maioribus euenturis probare minora ab eis prædicta; Vndè Isaias capit. 7. prædicens Achaz regi victoriam, dùm non crederet, auget prædictionem futurorum ad propositum nostrum; eccè Virgo concipiet, &c. Alia possunt exempla describi, sed hoc nullum aptius: Hìc ergò idem facit propheta dicens, nedùm (ò Iudæi) reducemini à captiuitate Babylonica, sed nouum faciet Dominus, &c. & tùnc liberabimini à dæmone, & spiritualitèr, vt prosequitur; & hanc puto veritatem; immò etsi clausula hæc non accommodaretur præcedentibus, aùt sequentibus, tamèn mirum non esset in propheta, cùm prophetarum proprium sit similia per se stantia enunciare, vt Isaias pluribus locis. Non videtur posse intelligi de synagoga Deum receptura, & adoratura, quia non aptantur verba *creauit Dominus nouum supèr terram* præsertim, quia id non esset nouum, sed antiquum, & renouatum.

Non placet Sanctius Isai. 23. 41. de fœmina quærente virum, quia non potest dici nouum creatum à Domino supèr terram, nequè ei apponi hæc creatio mala in fœminis; vltrà quod nequè ex præcedentibus, nequè ex sequentibus videtur argui posse huiusmodi mulierum impudentia. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. adhùc dicent verbum istud in terra Iuda, & in vrbibus eius, cùm conuertero captiuitatem eorum* Babylonicam, in Domino exultantes. *Benedicat tibi Dominus*, ò Ierusalem, de hac enim, quia subiungit *Iudas, &c. pulchritudo iustitiæ* referta omnibus virtutibus; Sub iustitia enim omnes virtutes, *mons sanctus* templum sanctum; vel Ecclesia sancta, *& habitabunt in eo*, proùt antè captiuitatem. Vel de Ecclesia; *Iudas, & omnes ciuitates eius*, idest habitatores, intellige de reliquijs reuersuris à captiuitate; & mysticè in fine mundi, vel de aliquibus, qui Christo crediderunt, quatenùs de Ecclesia Catholica *simùl agricolæ, & minantes greges* congregabuntur. *Quia inebriaui*, refocillaui *animam lassam* ab ærumnis captiuitatis, vel a peccatis, quæ Messias sustulit, & in abundantia spiritualium, *& omnem animam esurientem saturaui*, vel à captiuitate Babylonica, vel mundando à peccatis. *Ideò* sic dicit propheta, audito bono nuncio reditus, vel Messiæ admirans, *quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis mihi. Eccè dies veniunt dicit Dominus*, repetit quod dixerat, proùt solemus in valdè lætis, *& seminabo domum Israel, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum*, augebo eos & hominibus, & iumentis: sic pòst captiuitatem. *Et sicùt vigilaui supèr eos, vt euellerem, & demolirer, & dissiparem, & disperderem, & affligerem: sic vigilabo supèr eos, vt ædificem, & plantem, ait Dominus*, vel pòst reuersionem à captiuitate, vel per Messiam. *In diebus illis non dicent vltrà: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt*, punitorum ob peccata patrum. *Sed vnusquisque in iniquitate sua morietur: omnis homo, qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius*, quasi ero mitior, non erit mihi opus iram meam, & pœnas temporales extendere ad filios in tertiam, & quartam generationem; Sic cùm Noe, & filijs nō ampliùs deleturum diluuio omnem carnem, quod & in Isaia relatum. Vult dicere: erit mihi adeò obediens populus, vel saltèm non peccabit enormitèr, vel idòla colendo, vt non sit necesse punire peccata patrum in filios, proùt nùnc feci in captiuitate Babylonica, quod nequè factum, nisi postquàm Christum occiderunt, & sìc hæc intelligenda conditionalitèr, si à Deo non recesserint per enormia. idem vide infrà capit. 33. 39. 40. & ex illis verbis hæc interpretare.

Non autèm vult dicere se non puniturum præsentes, ad quos loquitur, reuersos à captiuitate, vel reuersuros, quia sufficiens pœna iàm illata, cùm generalitèr loquatur, & de futuris, non præteritis. *Eccè dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, et domui Iuda* cùm toto populo Hebræo, *fœdus nouum*. vide Heb. 9. *non secundùm pactum, quod pepigi cùm patribus eorum in die, qua apprehendi manū eorum, vt educerem eos de terra Aegypti:* sic Angeli educentes Lot cùm suis, Genes. 19.

pactum

pactum quod irritum fecerunt idòla adorādo, *& ego dominatus sum eorum* puniendo, non patris, sed Domini vices assumens, ego neglexi eos iuxtà Paulum Hebr. 8. *dicit Dominus: Sed hoc erit pactum, quod feriam cùm domo Israel pòst dies illos* supradictos, *dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*, non in tabulis, proùt vetus, *& ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltrà vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enìm cognoscent me à minimo eorum vsquè ad maximum, ait Dominus:* lex enim noua in ore est omnium facilis, infusa per illustrationes diuinas, non sìc vetus omnibus nota. & verba ex frequentiori euentu intelligenda, *quia propitiabor iniquitati eorum, nō memorabor ampliùs*, Hinc in maleuolam animam non introibit sapientia; vel quia in lege noua confertur gratia, quæ in veteri non conferebatur; Ioannes, erunt omnes docibiles Dei; ideò dixit scripturum in cordibus: & Paulus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris; vide Hebr. 8. vbi dixi, *Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ, & stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & sonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi*, hic de eius omnipotentia, vt eos certos reddat, quod seruit intellectui dato illis verbis, *fœmina circumdabit virum, &c. Si defecerint leges istæ* naturales, inditæ rebus creatis: & infrà cap. 33. vel leges nouæ tempore Messiæ, de quibus dixerat; hæ enim duraturæ vsquè ad finem mundi, nequè aliæ dandæ; sed primus intellectus tutior: tùm quia infrà de eisdem naturalibus in argumentum sumit. *Si mensurari, &c. coràm me, dicit Dominus: tùnc & semen Israel deficiet, vt non sit gens coràm me cunctis diebus*, quasi nūquàm deficiet; Hic de spirituali Israel, vel & de populo Iudaico duraturo vsquè in finem mūdi; hoc tamèn non procederet, si de legibus Messiæ duraturis intelligeremus. *Hæc dicit Dominus: Si mensurari potuerint cœli sursùm, & inuestigari fundamenta terræ deorsùm: & ego abijciam vniuersum semē Israel proptèr omnia, quæ fecerint, dicit Dominus*, iterùm de perpetuitate, & hìc de Israele carnali, vt suprà, & de spirituali. *Eccè dies veniūt, dicit Dominus: & ædificabitur ciuitas* Ierusalem, vel mysticè Ecclesia *Domino à turre Hanameel vsquè ad portam Anguli. Et exibit vltrà norma mensuræ in conspectu eius supèr collem Gareb: & circuibit Goatha, & omnem vallem cadauerum, & cineres, & vniuersam regionem mortis vsquè ad torrentem Cedron, & vsquè ad angulum portæ equorum Orientalium*, latior fiet, quā erat, & sic redit ad successura pòst captiuitatem, & reditum ab ea; & mysticè sub his materialibus denotatur magnitudo, & latitudo Ecclesiæ Catholicæ perpetuò duraturæ, & non immutandæ, quia non est danda alia lex, vt in Isaia pluriès obseruatum; *Sanctum*, segregatum, dicatum *Domini* fortè templum: *non euelletur, & non destruetur vltrà in perpetuum*, vsquè ad captiuitatem Romanam, si de materiali; vel hic æternitas Ecclesiæ Catholicæ.

CAPVT XXXII.

VERBVM, quod factum est ad Ieremiam à Domino in anno decimo Sedeciæ regis Iuda: ipse est annus decimus octauus Nabuchodonosor. Tùnc exercitus Regis Babylonis obsidebat Ierusalem, et Ieremias propheta erat clausus in atrio carceris, non in carcere, sed in laxiori loco, fortè vestibulo; infrà enìm Hanameel agens cùm eo, ad vestibulum carceris dicitur accessisse, *qui erat in domo regis Iuda: Clauserat enim eū Sedecias rex Iuda, dicens: quarè vaticinaris dicens: Hæc dicit Dominus: Eccè ego dabò Ciuitatem istam in manus regis Babylonis, & capiet eam?* hoc fecit Sedecias, vel ægrè ferens, sic dici, vt & Achab cùm Michæa, & Holofernes cùm Achior,

vel ob populum, nè tumultuaretur, & omninò malè. *Et Sedecias rex Iuda non effugiet de manu Chaldæorum, sed tradetur in manus regis Babylonis: & loquetur os eius cùm ore illius* Nabuchodonosor enim iudicium locutus est cùm eo. *Et oculi eius oculos illius videbunt, Et in Babylonem ducet Sedeciam,* Hæc omnia ad certitudinem captiuitatis illius denotandam, non autèm vt ex his Sedecias moueretur, quia hæc omnia cùm captiuitate vniuntur: *& ibì erit, donèc visitem eum in morte*, ibì enim mortuus est, *ait Dominus*, nequè visitatio fit in mortuo, qui est cadauer, cuius non attenditur funus; sic Deus dicitur venire in mortem, vt sæpè in Apocal. notatum sub verbo (veniam) & Ioan. 21. sed sic infrà cap. 34. 5. in pace morieris, &c. *Si autèm dimicaueritis aduersùm Chaldæos, nihil prosperum habebitis. Et dixit Ieremias, factum est verbum Domini ad me dicens. Eccè Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, dicens. Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth*, quem vendere volo, *tibi enim competit ex propinquitate, vt emas. Et venit ad me Hanameel filius patrui mei secundùm verbum Domini*, à Domino ductus, *ad vestibulum carceris, & ait ad me. Posside agrum meum, qui est in Anathoth in terra Beniamin: quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es, vt possideas:* simile in Ruth Booz cùm propinquo. *Intellexi autèm quòd verbum Domini esset*, eccè quomodò cor hominis in manu Dei, quocumquè voluerit vertet illud. Prouerb. 21. *Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth, & appendi ei argentum septem stateres: & decem argenteos. Et scripsi in libro, & signaui, & adhibui testes, & appendi argentum in statera. Et accepi librum possessionis signatum, & stipulationes, & rata, & signa forinsecùs. Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri, filij Maasiæ in oculis Hanameel patruelis mei, in oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, & in oculis omnium Iudæorum, qui sedebant in atrio carceris*, vt noscerent quò factum hoc procederet, & tuti essent de reditu à captiuitate. *Et præcepi Baruch coràm eis dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Sume libros istos, librum emptionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est, & pone illos in vase fictili, vt permanere possint diebus multis*, hinc diuturnam futuram captiuitatem. *Hæc enìm dicit Dominus exercituum Deus Israel. adhùc possidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra ista*, eccè quò tendit emptio spem capiendam reuersionis ad terram, de qua extrahebantur per Chaldæos. *Et oraui ad Dominum postquàm, tradidi librum possessionis Baruch filio Neri dicens: Heù, heù Domine Deus: eccè tu fecisti cœlum, & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum:* sic suprà cap. 31. 35. Deus ipse ad ostendendam omnipotentiam suam. *Qui facis misericordiam in millibus*, excedit enim misericordia, quæ superexaltat Iudicium, *& reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum pòst eos*, proùt tibi placet, de his alibi latè dixi: *Fortissimè* sic & Moyses illum vocat, oratquè Propheta pro populo, *magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi; Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu: cuius oculi aperti sunt supèr omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique secundùm vias suas, et secundùm fructum adinuentionum eius*, eccè merces, de qua Paulus. *Qui posuisti signa, et portenta in terra Aegypti vsquè ad diem hanc, et in Israel, et in hominibus, et fecisti tibi nomen, sicùt est dies hæc*, nunc etiam videmus. *Et eduxisti populum tuum Israel de terra Aegypti in signis, et in portentis et in manu robusta, et in brachio extento, et in terrore magno. Et dedisti eis terram fluentem lacte, et melle*, omnibus bonis. *Et ingressi sunt, et possederunt eam, et non obedierunt voci tuæ, et in lege tua non ambulauerunt: omnia, quæ mandasti eis, vt facerent, non fecerunt, et euenerunt eis omnia mala hæc. Eccè munitiones extructæ sunt aduersùm Ciuitatem, vt capiatur, et vrbs data est in manus Chaldæorum, qui præliantur aduersùs eam à facie gladij, et famis, & pestilentiæ, & quæcumque locutus es acciderunt, & tu ipse cernis. Et tu dicis mihi Domine Deus; Eme agrum argento, & adhibe te-*

be testes, cùm vrbs data sit in manus Chaldæorum? quærit propheta in tanta strage cur iussus emere agrum. *Et factum est verbum Domini ad Ieremiam dicens: Eccè ego Dominus Deus vniuersæ carnis: numquid mihi difficile erit omne verbum?* & Angelus, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Propterea hæc dicit Dominus. Eccè ego tradam Ciuitatem istam in manus Chaldæorum, & in manus Regis Babylonis, & capient eam. Et venient Chaldæi prælian-tes aduersùm vrbem hanc, & succendent eam igni & comburent eam, & domos in quarum domatibus sacrificabant Baal, & libabant dijs alienis libamina ad irritandum me. Erant enim filij Israel, & filij Iuda iugitèr facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua,* à die, qua eduxi eos de Aegypto: *filij Israel, qui vsque nùnc exacerbant me in opere manuum suarum* idòlis, pro Iuda ponit Israel quod seruit ad præcedentia, vt iàm dixi, *dicit Dominus. Quia in furore, & in indignatione mea facta est mihi Ciuitas hæc à die, qua ædificauerunt eam* à Salomone, qui multa fecit ædificia in illa, cœpit idolòlatria, quæ tempore Dauid nō erat, *vsquè ad diē istā, quā auferetur de conspectu meo. Proptèr malitiā filiorū Israel et filiorū Iuda, quam fecerunt ad iracūdiam me prouocantes, ipsi, & reges eorum; principes eorum, & Sacerdotes eorum, & prophetæ eorum, viri Iuda, & habitatores Ierusalem. Et verterunt ad me terga, & non facies; cùm docerem eos diluculò, & erudirem, & nollent audire, vt acciperent disciplinam. Et posuerunt idòla sua in domo* templo, *in qua inuocatum est nomen meum, vt polluerent eam. Et ædificauerunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filij Ennom, vt initiarent filios suos, & filias suas Moloch,* hìnc clarum, dùm dicitur de semine non dando Moloch, intelligi de filijs, *quod non mandaui eis, nèc ascendit in cor meum, vt facerent abominationem hanc, & in peccatum deducerent Iudam. Et nùnc* hoc tempore obsessionis *proptèr ista* mala, peccata suprà relata, *hæc dicit Dominus Deus Israel ad Ciuitatem hanc, de qua vos dicitis, quòd tradetur in manus regis Babylonis in gladio, & in fame, & in peste,* quasi & rectè, & secundùm veritatem, ob ea enim moueor ad sìc faciendum contrà illam. *Eccè* transactis septuaginta annis, & sìc promittit eos reuersuros, *ego congregabo eos de vniuersis terris, ad quas eieci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi, & reducam eos ad locum istum, & habitare eos faciam confidentèr* per multum tempus. *Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus, & benè sit eis, & filijs eorū pòst eos. Et feriam eis pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum, vt non recedant à me,* sìc suprà cap. 31. 29. Non tamèn credo hìc agi de tempore Euāgelij, etsi dixerit *pactum sempiternum*, quia hoc limitatur ad tempus, sed simplicitèr de tempore reditus à captiuitate, & *cor vnum* intelligetur de illo tempore, quo reuersi à captiuitate vnanimes fuerunt, hæc enim de omnibus, vel maiori parte, quæ non aptantur paucis Hebræis conuersis in principio promulgationis Euangelij; & certum est pòst captiuitatem idòlis non hæsisse. *Et lætabor supèr eis, cùm benè eis fecero, & plantabo eos in terra ista in veritate in toto corde meo, & in tota anima mea. Quia hæc dicit Dominus: Sicùt adduxi supèr populum istum omne malum hoc grande: sic adducam supèr eos omne bonum, quod ego loquar ad eos. Et possidebuntùr agri in terra ista, de qua vos dicitis quod deserta sit, eò quod non remanserit homo, et iumentum, et data sit in manus Chaldæorum. Agri ementur pecunia, et scribentur in libro, & imprimetur signum, et testis adhibebitur: in terra Beniamin: et in circuitu Ierusalem, in ciuitatibus montanis, et in ciuitatibus campestribus, et in ciuitatibus quæ ad Austrum sunt, quia conuertam captiuitatem eorum, ait Dominus,* & si Deus non perseuerauit, defectus fuit ex parte populi.

Sanctius hìc vers. 17. putat ex hoc cap. teneri posse Matthæum adducentem Ieremiam cap. 27. pro pretio, quo appretiatus Iesus, de hoc loco intellexisse. At videtur mihi nutare hæc sententia.

Primò, quia claris verbis vtitur Matthæus, quibus Zacharias capit. 11. 12. quæ

quæ in Ieremia non habentur.

Secundò, quia hæc emptio facta à Ieremia est ad significandum reditum populi à captiuitate Babylonica, quæ nullo modo aptatur venditioni Iesu.

Tertiò, quia hic pretium diuersum; in Zacharia eadem quantitas, qua venditus Iesus.

Quartò, quia pretium Iesu proiectum ad statuarium, vt in Zacharia, quo emptus ager figuli, possessus à figulo, non id in Ieremia; & longè diuersum est conseruari librum in vase fictili, & emere agrum figuli, vt patet sensui; & denominatio agri figuli fit ex suppositione, quia sic extabat antè emptionē, denominatio in Ieremia, quatenùs fieri posset, esset à posteriori.

Quintò, quia in Zacharia fit mentio proiectionis pretij, & verificata fuit in Iuda pretium proijciente, de qua nihil in Ieremia.

Sextò, Zacharias in Ierusalem stans ad eam loquitur cap. 11. 12. & in eadem præsumitur agere de agro emendo, vbi & emens, Ieremias in Anathoth.

Septimò, in Zacharia iubet Deus proijci pretium ad statuarium, Ieremias ipse iubet conseruari in vase fictili.

Octauò, in Zacharia fit emptio, deindè distractio, vel alia emptio, in Ieremia sola emptio.

Nonò, in Zacharia ad propositum fit mentio iniquitatis pretij, quod non in Ieremia. Quarè vel perierunt hæc Ieremiæ, vel eius nomen insertum.

Non obstant fundamenta Sanctij. Non primum, quòd in Scriptura sæpè copulantur duo prophetæ, quia illud fit, cùm in vtroque de re eadem agitur ad propositum; at hic in Ieremia (vt ostendi) nihil congruit, & non est iungenda ceruix equina humano capiti. Non secundum, quòd nulla spes esset Ieremiæ possidendi agrum illum; hoc enim contrariatur de directo intentioni Deí volentis ex hoc ostendere certum reditum à captiuitate, & recuperationem possessorum, & hoc expressè dicentis ad Ieremiam dubitantem, Et iterùm possidebuntur agri, &c. & Ieremiæ iubenti instrumenta conseruari in vase fictili ad perpetuam memoriam, & credenti Domino, quia aliàs corriperetur. Non tertium, quia quòd in sepulturam destinauerit agrū emptum Ieremias, est diuinatiuum. Non quartum, quia, vt dixi, diuersum est ager figuli, vel ager, in quo vas fictile conseruetur. Vltrà quod & diuinatiuum est in eo agro conseruatum vas, immò inuerisimile, quia emptio facta in Ierusalem obsessa, à qua ad agrum ire non poterat Baruch, vndè de necessitate liber fuit retentus, & absconditus in Ierusalem: Corn. à Lap. quem posteà vidi, hanc opinionem Sanctij reprobat.

CAPVT XXXIII.

E*T factum est verbum Domini ad Ieremiam secundò, cùm adhùc clausus esset in atrio carceris, dicens: hac dicit Dominus, qui facturus est, et formaturus illud* verbum, *et paraturus Dominus nomen eius: Clama ad me, et exaudiam te, et annunciabo tibi grandia, et firma* subiuncta *quæ nescis* vult Dominus rogari: At hæc non pro populo à captiuitate liberando, pro quo prohibuerat ei nè rogaret, sed pro futuris scitu dignis: hinc non recessum à supplicio cominato. *Quia hæc dicit Dominus Deus Israel ad domos vrbis huius, et ad domos regis Iuda, quæ destructæ sunt*, destruentur *et ad munitiones, et ad gladium venientium, vt dimicent cùm Chaldæis*, Chaldæos adiuuantes, *et impleant eas cadaueribus hominum, quos percussi in furore meo, et indignatione mea, abscondens faciem meam à Ciuitate hac*, nolens eis auxiliari *proptèr omnem malitiam eorum. Eccè* nùnc ad misericordiam conuersus eos reuersuros ad locum suum, *ego obducam eis cicatricem, et sanitatem, et curabo eos, et reuelabo eis deprecationem pacis, et veritatis; Et conuertam conuersionem Iuda, et conuersionem Ierusalem, et ædificabo eos sicùt à principio*, quandò ingressi sunt terram, vs-

què

què ad captiuitatem futuram. *Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, iniqua peccauerunt mihi, et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, et spreuerunt me*, ad idòla conuersi, vel vexatione captiuitatis, vel typicè, quia mittet Messiam. *Et erit mihi in nomen, & in gaudium, & in laudem, & in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus sum eis, & pauebunt, & turbabuntur in vniuersis bonis, & in omni pace, quam ego faciam eis*, non enim dabuntur vltrà in captiuitatem, proùt neque factum nisi in Romana. *Hæc dicit Dominus: Adhùc audietur in loco isto (quem vos dicitis esse desertum, eò quòd non sit homo, nèc iumentum in ciuitatibus Iuda, & foris* in plateis *Ierusalem, quæ desolatæ sunt absquè homine, & absquè habitatore, & absquè pecore) vox gaudij, & vox lætitiæ, vox sponsi, & vox sponsæ, vox dicentium. Confitemini Domino exercituum, quoniàm bonus Dominus, quoniàm in æternum misericordia eius, & portantium vota in domum Domini* reædificandam, *reducam enim conuersionem terræ*, à qua nùnc abducemini *sicùt à principio*, quandò ingressi estis illam *dicit Dominus. Hæc dicit Dominus exercituum adhùc erit in loco isto deserto absquè homine, & absquè iumento, & in cunctis ciuitatibus eius, habitaculum pastorum accubantium gregum. In ciuitatibus montuosis, & in ciuitatibus campestribus, & in ciuitatibus, quæ ad Austrum sunt, & in terra Beniamin, & in circuitu Ierusalem, & in ciuitatibus Iuda adhùc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus*, ex hoc multitudo *Eccè dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo* perficiã, adimplebo *verbũ bonũ quod locutus sum ad domũ Israel, et domũ Iuda*, eccè iterùm cõuertuntur hæc duo, vt aliàs obseruaui, *in diebus illis, & in tempore illo*, pòst reuersionem à captiuitate, *germinare faciam Dauid germen iustitiæ* Messiam, *& faciet iudicium, & iustitiam in terra*, omnia recta, *in diebus illis saluabitur Iuda, & Ierusalem habitabit confidentèr, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster* fidelis, qui conuertit captiuitatem, vt promisit, seù in Messia nobis dato. *Quia hæc dicit Dominus: Non interibit de Dauid* Messia, *vir, qui sedeat supèr thronum domus Israel* spiritualitèr intellige. Hìc æternitas Sacerdotij Christi secundùm ordinem Melchisedech, quasi sempèr erit vir, &c. vt infrà clariùs dicit; Non hic de sessuris temporalitèr, & obtenturis sceptrum, quia hi in captiuitate Babylonica defecerunt, vt obseruaui Gen. 49. *Et de Sacerdotibus, & de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocaustomata, & incendat sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus*, in Ecclesia Catholica, vsquè ad diem iudicij, de quo alibì dixi *Et factum est verbum Domini ad Ieremiam dicens: Hæc dicit Dominus: Si irritum potest fieri pactum meum cùm die, & pactum meum cùm nocte, & non sit dies, & nox in tempore suo*, idem suprà cap. 31. & 32. vt ibì obseruaui. *Et pactum meum irritum esse poterit cùm Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius* Messias, *qui regnet in throno eius, & Leuitæ, & Sacerdotes ministri mei* in Ecclesia. *Sicutì enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arenæ maris: sìc multiplicabo semen Dauid serui mei & Leuitas ministros meos* in Ecclesia Catholica. *Et factum est verbum Domini ad Ieremiam dicens: Numquid non vidisti quid populus hic locutus sit, dicens; Duæ cognationes, quas elegerat Dominus* Israel, Iacob duorum regnorum, *abiectæ sunt*, si nùnc in captiuitatem deferantur, Iuda, & Beniamin, cùm iàm decem tribus translatæ sint, *& populum meum despexerunt, eò quòd non sit vltrà gens* Iudæa *coràm eis?* in eorum conspectu. *Hæc dicit Dominus: Si pactum meum intèr diem, & noctem, & leges cælo, & terræ non posui*, quod dici non potest suprà cap. 31. & 32. *equidèm, & semen Iacob, & Dauid serui mei proijciam, vt non assumam de semine eius principes seminis Abraham, Isaac, Iacob: reducam enim conuersionem eorum, & miserebor eis*, in fine, vel vt suprà: Hæc ad spiritualia, nàm in captiuitate Babylonica defecit sceptrum in Iuda.

CAPVT

CAPVT XXXIV.

VERBVM, quod factum est ad Ieremiam à Domino, quandò Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus eius, vniuersaquè regna terræ, quæ erant sub potestate manus eius, & omnes populi bellabant contrà Ierusalem, & contrà omnes vrbes eius dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel. Vade; hinc magna Dei misericordia, & benignitas, & loquere ad Sedeciam regem Iuda, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus, eccè ego tradam ciuitatem hanc in manus regis Babylonis, & succendam eam igni. Et tu non effugies de manu eius: sed comprehensione capieris, & in manu eius traderis; & oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, & os eius cùm ore tuo loquetur, & Babylonem introibis. Attamèn audi verbum Domini Sedecia rex Iuda: Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & tùnc visitandus à Domino, suprà cap. 32.5. in morte scilicèt, vt ibì dixi, & secundùm combustiones patrum tuorum regum priorum, sic solebant, qui fuerunt antè te, sic comburent te: & Væ Domine: verba plangentium, de quibus supra egi plangent te: quia verbum ego locutus sum, dicit Dominus. Et locutus est Ieremias propheta ad Sedeciam regem Iuda vniuersa verba hæc in Ierusalem. Et exercitus regis Babylonis pugnabat contrà Ierusalem, & contrà omnes Ciuitates Iuda, quæ reliquæ erant contrà Lachis, & contra Azecha: hæ enìm supererant de Ciuitatibus Iuda vrbes munitæ. Verbum, quod factum est ad Ieremiam à Domino, postquàm percussit rex Sedecias fœdus cùm omni populo in Ierusalem, prædicãs; Vt dimitteret vnusquisque seruum suum, & vnusquisque ancillam suam, hebræum, & hebræam liberos, & nequaquàm dominarentur eis, idest in Iudæo, & fratre suo, hoc factum ad seruandam legem, & placandum Dominum. Audierunt ergò omnes Principes, & vniuersus populus, qui inierat pactum, vt dimitteret vnusquisque seruum suum, & vnusquisque ancillam suam liberos, & vltrà non dominarentur eis: audierunt igitùr, & dimiserunt, dùm obsidione premerentur. Et obsidione soluta, dùm in regem Aegypti Nabuchodonosor duceret, à pacto, conuersi sunt deinceps, & retraxerunt seruos, et ancillas suas, quos dimiserant liberos, et subiugauerunt in famulos, et famulas, citò defecerunt, dimiserant ex timore, eo transacto reassumpserunt, quod est contrà vouẽtes, nèc adimplentes. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam à Domino, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego percussi fœdus cùm Patribus vestris in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de domo seruitutis, dicens: Cùm completi fuerint septem anni, dimittat vnusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei, & seruiet tibi sex annis: & dimittes eum à te liberum, quasi non est hoc nouum, & hoc dixi, & non audierunt patres vestri me: nèc inclinauerunt aurem suam. Et conuersi estis vos hodiè, et fecistis quod rectum est in oculis meis, vt prædicaretis libertatem vnusquisque ad amicum suum, et inistis pactum in conspectu meo, in domo, in qua inuocatum est nomen meum supèr eam. Et reuersi estis ad vomitum, et commaculastis nomen meum, et reduxistis vnusquisque seruum suum, et vnusquisque ancillam suam, quos dimiseratis, vt essent liberi, et suæ potestatis, et subiugastis eos, vt sint vobis serui, et ancillæ. Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatem vnusquisque fratri suo, et vnusquisque amico suo: Eccè ego prædico vobis libertatem, dimissionem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, et ad famem, et dabo vos in commotionem vagos cunctis regnis terræ. Et dabo viros, qui præuaricãtur fœdus meũ, et non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, in templo, vt suprà, vitulum, quem conciderunt in duas partes, et transierunt intèr diuisiones eius:

sic

sìc & Genes. 15. *Principes Iuda, & Principes Ierusalem, Eunuchi, & Sacerdotes, & omnis populus terræ, qui transierunt intèr diuisiones vituli: Et dabo eos in manu inimicorum suorum, & in manus quærentium animam eorum, & erit morticinum eorum in escam volatilibus Cœli, & bestijs terræ* sìc & Apoc. 19. & Ezech. 39. & 40. *Et Sedeciam Regem Iuda, & principes eius dabo in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animas eorum, & in manus exercituum Regis Babylonis, qui recesserunt à vobis*. Ab Aegyptijs abstracti, vel Aegyptios debellaturi, qui redibunt; Diceremob hanc remissionem seruorum Deum placatum, & obsidionem solutam, sed non hoc solum peccatum inerat, verùm tanta alia, & præsertìm idolòlatria. At euntes contrà fœdus profani fuerunt, & Sedecias profanus dicitur, vel quia ab hoc fœdere recessit, vel à iuramento cũ Nabuchodonosor, quod credo verius. *Eccè ego præcipio, dicit Dominus: & reducam eos in Ciuitatem hanc* ab Aegypto reuertentes, *& præliabuntur aduersùs eam, & capient eam, & incendent igni, & Ciuitates Iuda dabo in solitudinem, eò quòd* ità vt, *non sit habitator*.

CAPVT XXXV.

VERBVM, quod factum est ad Ieremiam à Domino in diebus Ioachim filij Iosiæ regis Iuda, dicens: Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in vnam Exedram cameram *Thesaurorum, & dabis eis bibere vinum. Et assumpsi Ieconiam filium Ieremiæ filij Nabsaniæ, & fratres eius, & omnes filios eius & vniuersam domum Rechabitarum: Et introduxi eos ad domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan filij Igedeliæ hominis Dei quod erat iuxtà gazophylacium principum supèr thesaurum Maasiæ filij Sellum, qui erat custos vestibuli: Et posui coràm filijs domus Rechabitarum scyphos plenos vino & calices; & dixi ad eos; bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens, Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsquè in sempiternum; Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nèc habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, & viuatis diebus multis supèr faciem terræ, in qua vos peregrinamini*, obedientes mihi patri vestro, & sic dicitur in Decalogo, vt sis longæuus supèr terram: & verè insignis obedientia filiorum etiàm patri mortuo. Vel *vt viuatis* diù vacui ab his curis. *Obediuimus voci Ionadab filij Rechab patris nostri in omnibus, quæ præcepit nobis, ità vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostræ, filij, & filiæ nostræ; & non ædificaremus domos ad habitandum, & vineam, & agrum, & sementem non habuimus; sed habitauimus in tabernaculis, & obedientes fuimus iuxtà omnia, quæ præcepit nobis Ionadab pater noster. Cùm autèm ascendisset Nabuchodonosor rex Babylonis ad terram nostram, diximus: Venite, & ingrediamur Ierusalem* coacti, nè in manus hostium deueniremus. *Et factum est verbum Domini ad Ieremiam dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Vade, & dic viris Iuda, & habitatoribus Ierusalem: numquid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? Præualuerunt sermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filijs suis, vt non biberent vinum; & non biberunt vsquè ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autèm locutus sum ad vos de mane consurgens, & loquens, & non obedistis mihi. Misiquè ad vos omnes seruos meos prophetas, consurgens diluculò, mittensquè, & dicens: Conuertimini vnusquisque à via sua pessima, & bona facite studia vestra, & nolite sequi Deos alienos, nequè colatis eos; & habitabitis in terra, quam dedi vobis, & patribus vestris, & non inclinastis aurem vestram nequè audistis me; Firmauerunt igitùr filij Ionadab*

filij

filij Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis, populus autèm iste non obediuit mihi, argumentum potens, & conuincens. *Idcircò hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Eccè* pœna *ego adducam supèr Iuda, & supèr omnes habitatores Ierusalem vniuersam afflictionem, quam locutus sum aduersùm illos, eò quod locutus sum ad illos, & non audierunt; vocaui illos, & non responderunt mihi*, & alibì, vocaui, & renuistis. *domui autèm Rechabitarũ dixit Ieremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis: Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus*, eccè præmium obedientiæ paternæ à Deo.

CAPVT XXXVI.

E*T factum est in anno quarto Ioachim filij Iosiæ regis Iuda: factum est verbum hoc ad Ieremiam à Domino dicens: tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi aduersùm Israel, & Iuda, & aduersùm omnes gentes à die, qua locutus sum ad te ex diebus Iosiæ vsquè ad diem hanc: Si fortè*, hinc liberum arbitrium: at quæ Dei pietas volentis saluare *audiente domo Iuda vniuersa mala, quæ ego cogito facere eis, reuertatur vnusquisque à via sua pessima, & propitius ero iniquitati, et peccato eorum. Vocauit ergò Ieremias Baruch filium Neriæ, et scripsit Baruch ex ore Ieremiæ omnes sermones Domini quos locutus est ad eum in volumine libri: præcepit Ieremias Baruch dicens: Ego clausus sum* timens, vel vetitus in conspectum aliorum comparere; nè in neruum dedar; tùnc enìm non erat in carcere, vt infrà, & quia subdit, *nèc valeo*, &c. id enìm subiungendum non fuit, si in carcere fuisset, *nèc valeo ingredi domum Domini. Ingredere ergò tu, et lege de volumine, in quo scripsisti ex ore meo verba Domini, audiente populo in domo Domini in die ieiunij*, quo solent frequentiùs conuenire, vt omnes audiant, *insupèr, et audiente vniuerso Iuda, qui veniunt de ciuitatibus suis, leges eis: Si fortè cadat oratio eorum in cõspectu Domini*, idest audiatur à Domino, *et reuertatur vnusquisque à via sua pessima, quoniàm magnus furor, et indignatio est, quam locutus est Dominus aduersùs populum hunc. Et fecit Baruch filius Neriæ iuxtà omnia, quæ præceperat ei Ieremias propheta legens ex volumine sermones Domini in domo Domini. Factum est autèm in anno quinto Ioachim filij Iosiæ regis Iuda in mense nono: prædicauerunt ieiunium* nouitèr indicẽtes, proùt iussu Iezabel occisores Naboth, & Rex Niniue, *in conspectu Domini omni populo Ierusalem, et vniuersæ multitudini, quæ confluxerat de ciuitatibus Iuda in Ierusalem. Legitquè Baruch ex volumine sermone Ieremiæ in domo Domini in gazophylacio Gamariæ filij Saphan Scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ nouæ domus Domini, audiente omni populo Cumquè audisset Michæas filius Gamariæ filij Saphan omnes sermones Domini ex libro: descendit in domum regis ad gazophylacium Scribæ, et eccè ibi omnes principes sedebant: Elimasa Scriba, et Dalaias filius Semeiæ, et Elnathan filius Achobor, et Gamarias filius Saphan, et Sedecias filius Hananiæ, et vniuersi principes. Et annunciauit eis Michæas omnia verba, quæ audiuit legente Baruch ex volumine in auribus populi. Miserunt itaquè omnes principes ad Baruch Iudi filium Nathaniæ, filij Selemiæ, filij Chusi dicentes: Volumen, ex quo legisti audiente populo, sume in manu tua, et veni: tulit ergò Baruch filius Heriæ volumen in manu sua, et venit ad eos, et dixerunt ad eum: sede et lege hæc in auribus nostris: et legit Baruch in auribus eorum. igitùr cùm audissent omnia verba, obstupuerunt vnusquisque ad proximum suum, & dixerunt ad Baruch: Nunciare debemus regi omnes sermones istos; et*

inter-

interrogauerunt eum, dicentes: Indica nobis quomodò scripsisti omnes sermones istos ex ore eius. Dixit autèm eis Baruch: Ex ore suo loquebatur, quasi legens ad me omnes sermones istos, & ego scribebam in volumine atramento. Et dixerunt principes ad Baruch. Vade, & abscondere tu, & Ieremias, & nemo sciat vbi sitis, hoc nè caperentur: eccè quomodò Ieremias non erat in carcere, *Et ingressi sunt ad regem in atrium: porrò volumen commendauerunt in gazophylacio Elisamæ Scribæ, & annunciauerunt audiente rege omnes sermones. Misitquè rex Iudi, vt sumeret volumen, qui tollens illud de gazophylacio Elisamæ Scribæ legit audiente rege, & vniuersis principibus, qui stabant circà Regem. Rex autèm sedebat in domò hyemali:* sic & Eglon Iudic. 3. *in mense nono, & posita erat arula coràm eo plena prunis. Cumquè legisset Iudi tres pagellas, vel quatuor,* vide ad hoc scripta in Euangel. cap. 22. mensuras binas, vel ternas, *scidit illud scalpello Scribæ, & proiecit in ignem, qui erat supèr arulam donèc consummaretur omne volumen igni, qui erat in arula. Et non timuerunt, nequè sciderunt vestimenta sua rex, et omnes serui eius qui audierunt omnes sermones istos,* iuxta morem, ità vt foret in eis maius peccatum. *Verumtamèn Elnathan, et Dalaias, et Gamarias contradixerunt regi nè combureret librum. et non audiuit eos. Et præcepit rex Ieremiel filio Amalech, et Saraiæ filio Ezriel, et Selemiel filio Abdeel, vt comprehenderent Baruch Scribam, et Ieremiam prophetã, abscondit autẽ eos Dominus,* nè caperentur, & molestiam paterentur: hìnc Ieremias tùnc liber erat à carcere. *Et factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam, postquàm combusserat rex volumen, et sermones, quos scripserat Baruch ex ore Ieremiæ dicens: Rursùm tolle volumen aliud, et scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Ioachim Rex Iuda, et ad Ioachim regem Iuda dices: Hæc dicit Dominus. Tu combussisti volumen illud dicens: Quarè scripsisti in eo annuncians. Festinus veniet rex Babylonis. et vastabit terram hanc, et cessare faciet ex illa hominem, et iumentum? Propterea hæc dicit Dominus contrà Ioachim regem Iuda: Non erit ex eo, qui sedeat supèr solium Dauid,* eccè defectus sceptri Iuda in Ioachim, de quo Gen. 49. vide hìc Sanctium, & suprà cap. 22. *et cadauer eius proijciatur ad æstum per diem, et ad gelu per noctem,* is sepultura asini sepultus. *Et visitabo contrà eum,* &c. omnia clara vsquè ad finem capitis.

CAPVT XXXVII.

ET regnauit rex Sedecias filius Iosiæ pro Iechonia filio Ioachim, quem instituit Regẽ Nabuchodonosor Rex Babylonis in terra Iuda et non obediuit ipse, & serui eius, & populus terræ verbis Domini, quæ locutus est in manu Ieremiæ prophetæ? Et misit rex Sedecias Iuchal filium Selemiæ, & Sophoniam filium Maasiæ Sacerdotem ad Ieremiam prophetam dicens: Ora pro nobis Dominum Deum nostrum: sic & Ezechias cùm Isaia. *Ieremias autèm liberè ambulabat in medio populi; non enim miserat eum in custodiã carceris. igitùr exercitus Pharaonis egressus est de Aegypto,* in adiutorium Sedeciæ, & Ierusalem, *& audientes Chaldæi, qui obsidebant Ierusalem huiusmodi nuncium, recesserunt ab Ierusalem* occursuri Aegyptijs. *Et factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam, dicens: hæc dicit Dominus Deus Israel: sic dicetis regi Iuda, qui misit vos ad me interrogandum: eccè exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, reuertetur in terram suam in Aegyptum, & redient Chaldæi, & bellabunt contrà Ciuitatem hanc, & capient eam, succendent eam igni,* putabant enim ex recessu futuros immunes. *Hæc dicit Dominus: nolite decipere animas vestras dicentes; euntes abibunt, & recedẽt à nobis Chaldæi, quia non abibunt. Sed & si percusseritis omnẽ exercitum Chaldæorum, qui præliantur aduersùm vos, et derelicti*

fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de tentorio suo consurgent, et incendent ciuitatem banc igni, hæc, vt eò magis Chaldæis subderentur. *Ergò cùm recessisset exercitus Chaldæorum ab Ierusalem proptèr exercitum Pharaonis, egressus est Ieremias de Ierusalem, vt iret in terram Beniamin, et diuideret ibì possessionem*, bonorum suorum ab alijs, quibuscùm communia habebat, vel vt illa componeret, *et salua illi essent in conspectu ciuium*, vt cognoscerent vastitatem instantem, & reuersionem futuram à captiuitate, ciuibus suis hanc gratiam facturus. *Cumquè peruenisset ad portam Beniamin, erat ibì custos portæ per vices nomine Ierias filius Selemiæ, filij Hananiæ, et apprehendit Ieremiam prophetam dicens: ad Chaldæos profugis; Et respódit Ieremias: Falsum est, non fugio ad Chaldæos*, Quidam ex Recentioribus tenet hìc Ieremiam verè fugere voluisse; at non credo, quia non apparet de iussu Dei, sinè quo fugam non arripuisset, & quia prædicta per eum difficiliùs crederentur, cùm alijs non fugam, sed deditionem suaderet; quæ tamèn à Domino sæpiùs repetebantur, vt fides eis adhiberetur: Sed quod rem reddit indubitatã, Scriptura ipsa explicat ad quid egrederetur, vndè quicquid secùs dicimus, diuinatiuum est. Vltrà quòd Deus promiserat ei protectionem suam, proùt & fecit, nequè Ieremias incredulus voci Dei. *Et non audiuit eum, sed comprehendit Ierias Ieremiam, et adduxit eum ad principes*. Eccè calumnia contrà prophetam. *Quamobrèm irati principes contrà Ieremiam, cæsum miserunt in carcerem, qui erat in domo Ionathan Scribæ; ipse enìm præpositus erat supèr carcerem. Itaquè ingressus est Ieremias in domum laci, et in ergastulum, et sedit ibì Ieremias diebus multis. Mittens autèm Sedecias rex tulit eum, et interrogauit eum in domo sua abscunditè, et dixit: Putasnè est sermo à Domino?* hæc erat deceptio, quia pseudoprophetæ negabant Dominum hæc iubere. *Et dixit Ieremias, Est: et ait, in manu regis Babylonis traderis; Et dixit Ieremias ad regem Sedeciam: Quid peccaui tibi, et seruis tuis, et populo tuo, quia misisti me in domum carceris?* conqueritur liberè propheta: sic & Paulus. *Vbì sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, et dicebant: non veniet rex Babylonis supèr vos et supèr terram banc?* quasi, fortè quia dixi falsum, posuistis me in carcere? nonnè venit exercitus, quem dixi venturum? nonnè hæc veritas? *Nùnc ergò audi obsecro Domine mi rex: valeat deprecatio mea in conspectu tuo* obtineant verba mea, *et nè me remittas in domum Ionathan Scribæ, nè moriar ibì: præcepit ergò rex Sedecias, vt traderetur Ieremias in vestibulo carceris:* sìc suprà in atrio carceris, non in carcere, *et daretur ei torta panis quotidiè, excepto pulmento*, quod dabatur, *donèc consummarentur omnes panes de ciuitate, et mansit Ieremias in vestibulo carceris*.

CAPVT XXXVIII.

A*VDIVIT autèm Saphatias filius Mathan*, &c. vsquè ad vers. 4. *Et dixerunt principes regi: rogamus vt occidatur homo iste, de industria enìm* hìnc malitiam arguunt falsò, *dissoluit manus virorũ bellantium qui remanserũt in ciuitate hac, et manus vniuersi populi loquens ad eos iuxtà uerba hæc:* sic exploratores missi à Moyse dissoluerunt cor populi: *Siquidèm homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum*, eccè cur nollet à Ieremia hæc proferri in populum: sic & serui Ezechiæ idem procurabant. *Et dixit rex Sedecias: eccè ipse in manibus vestris est; nèc enìm fas est regem vobis quidquam negare*, sic & illi contra Danielem, & tres pueros; Turpitèr hoc fecit, at in periculo constitutus omnia timet: sìc & Pilatus: *tulerunt ergò Ieremiam, et proiecerunt eum in lacum Melchiæ filij Amelech, qui erat in vestibulo carceris: et submiserunt Ieremiam funibus in*

lacum

lacum, in quo non erat aqua, sed lutum: descendit itaquè Ieremias in cœnum: sic & Ioseph à fratribus. *Audiuit autèm Abdemelech Aethiops vir Eunuchus, qui erat in domo regis, quòd misissent Ieremiam in lacum: porrò rex sedebat in porta Beniamin. Et egressus est Abdemelech de domo regis, et locutus est ad regem dicens: Domine mi rex: malè fecerunt viri isti,* refert ad alios, nè regem offendat, & obtineat faciliùs *omnia quæcumque perpetrarunt contrà Ieremiam prophetam, mittentes eum in lacu, vt moriatur ibi fame, non sunt enim panes vltrà in ciuitate;* Propterea stanti in lacum multò minus dabuntur ab alijs eis indigentibus. Vel morietur præ fame, vndè non est perquirendus is modus: & tu iussisti dari ei tortam, donèc panes consummarentur, suprà cap. præced. in fine: Pulchrum facinus vltroneum, charitate plenum Aethiopis, sed à Deo insitū pro suo Ieremia, quem protegere promiserat. Hinc Deus remunerat Abdemelech, infra cap. seq. *Tolle tecum hinc triginta viros: et leua Ieremiam prophetam de lacu, antequàm moriatur. Assumptis ergò Abdemelech secum viris ingressus est domū regis, quæ erat sub cellario, et tulit indè veteres pannos, et antiqua, quæ computruerant, et submisit ea ad Ieremiam in lacum per funiculos: dixitquè Abdemelech Aethiops ad Ieremiam: pone veteres pannos, et hæc scissa, et putrida sub cubito manuum tuarum, et supèr funes. fecit ergò Ieremias sic.* Non hæc submissa ad nudum, quia non apparet nudum immissum in lacum, & diceretur, sicùt alia mala eius dicta, sed nè funibus manibus læderentur, quod & quotidiè probamus: & Ioseph talari tunica exutus, non nudus in cisternam dimissus. *Et extraxerunt Ieremiam funibus, et eduxerunt eum de lacu,* eccè quomodò Deus subuenit, quādò nullum apparet refugium, sic cùm Dauid, dùm à Saule obsideretur: cùm populo, dùm ab Aegyptijs persecutionem pateretur. *mansit autèm Ieremias in vestibulo carceris. Et misit rex Sedecias,* &c. vsquè ad vers. 19. *Et dixit rex Sedecias ad Ieremiā: Solicitus sum propter Iudaos, qui transfugerunt ad Chaldaos, nè fortè tradar in manus eorum, et illudant mihi:* sic Saul se occidit, nè illuderetur, & Abimelech voluit occidi, nè diceretur occisus à muliere, & Iob reputat durum à seruis sperni. *Respondit autèm Ieremias: non te tradent, audi quæso vocem Domini, quam ego loquor ad te, et benè tibi erit, et viuet anima tua.* Eccè Deum scire quæ futura erant, non tamèn contigerunt, de qua scientia S. Thom. vt alibi scripsi: hic Recentiores. *Quòd si nolueris egredi, iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus: eccè omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Iuda, educentur ad principes regis Babylonis: et ipsæ dicent, seduxerunt te, et preualuerunt aduersùm te viri pacifici tui,* amici tui pacem annunciantes. *demerserunt in cœnū, et in lubrico pedes tuos, et recesserunt à te:* sic Christo capto omnes fugerunt, & sic contigit Sedeciæ cap. seq. *Et omnes vxores tuæ, et filij tui educentur ad Chaldaos: et non effugies manus eorum, sed in omni manu regis Babylonis capieris, et ciuitatem hanc comburet igni. dixit ergò Sedecias ad Ieremiam: nullus sciat verba hæc, et non morieris; si autèm audierint principes, quia locutus sum tecum, et venerint ad te, et dixerint tibi: indica nobis quid locutus sis cùm rege, nè celes nos, et non te interficiemus, et quid locutus est tecum Rex, dices ad eos: prostraui ego preces meas coràm rege, nè me reduci iuberet in domū Ionathan, et ibi morerer:* sic agunt principes, & probaui. *venerunt ergò omnes principes ad Ieremiam, et interrogauerunt eum: et locutus est eis iuxtà omnia verba, quæ præceperat ei rex, et cessauerunt ab eo; nihil enim fuerat auditum,* nequè mentitus est, præsumitur enim de his quoquè egisse cùm Rege, proùt & aliàs, sed tacuit non dicenda. *Mansit verò Ieremias in vestibulo carceris vsquè ad diem, quo capta est Ierusalem: et factum est, vt caperetur Ierusalem.*

CAPVT XXXIX. ET XXXX.

ANNO nono Sedeciæ regis Iuda, mense decimo venit Nabuchodonosor rex Babylonis, et omnis exercitus eius, regressi ab Aegyptijs *ad Ierusalem, & obsidebant eam. Vndecimo autèm anno Sedeciæ, mense quarto, quinta mensis aperta est ciuitas* violentèr per Chaldæos. *& ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, & sederunt in porta media*, iuxtà prophetiā Isaiæ. *Neregel, Serefer, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Serefer, Rebmag, et omnes reliqui principes regis Babylonis. Cumq. vidisset eos*, audisset certò ingressos, sub visu & alij sensus, *Sedecias rex Iuda, & omnes viri bellatores fugerunt; & egressi sunt nocte de ciuitate per viam horti regis. & per portam, quæ erat intrà duos muros, & egressi sunt ad viam deserti. Persecutus est autèm eos exercitus Chaldæorum: & comprehenderunt Sedeciam in cāpo solitudinis Irichontinæ; & captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath; & locutus est ad eum iudicia*, ea, in quibus defecerat: sic suprà, loquar iudicium, dicit Dominus; ex his intellige superiora os ad òs loqui. *Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis eius, & omnes nobiles Iudæ occidit rex Babylonis. oculos quoquè Sedeciæ eruit*: sic & Samsoni eruti oculi. *& vinxit eum compedibus, vt duceretur in Babylonem*, eccè quomodò iuit, & non vidit Babylonem. *Domum quoquè Regis, & domum vulgi succenderunt Chaldæi igni. et murum Ierusalem subuerterunt. & reliquias populi, qui remanserant in ciuitate, & perfugas, qui transfugerant ad eum, & superfluos vulgi, qui remanserant transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem. Et de plebe pauperum, qui nihil penitùs habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in terra Iuda: et dedit eis vineas, & cisternas in die illa. Præceperat autèm Nabuchodonosor rex Babylonis, de Ieremia, Nabuzardan magister militum, dicens*, eccè cura Dei ergà suos iustos, & de hac non dubitabat Ieremias. *Tolle illum, & pone supèr eum oculos tuos*, protege eum, curam illius gere, *nihilquè ei mali facias; sed vt voluerit, sic facias ei. Misit ergò Nabuzardan, & Rabsares, & Neregel, & Serefer, & Rebmag, & omnes optimates regis Babylonis miserūt, & tulerunt Ieremiam de vestibulo carceris, & tradiderunt eum Godoliæ filio Abicam filij Saphan, vt intraret in domum, et habitaret in populo* liberè. Hoc tempore potuit Ieremias accipere Arcam, & abscondere, proùt legitur factum. 2. Machab. 2. *ad Ieremiam autèm factus fuerat sermo Domini, cùm clausus esset in vestibulo carceris, dicens: vade, & dic Abdemelech Aethiopi, dicens, hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Eccè ego inducam sermones meos supèr ciuitatem hanc in malum, & non in bonum; & erunt in conspectu tuo in die illa. et liberabo te in die illa, ait Dominus, et non traderis in manus virorum, quos tu formidas: sed eruens liberabo te, et gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus:* eccè præmium subuenientis viro iusto, vndè, benefac iusto, & recipies mercedem, si non ab eo, certè à Domino, & suprà de conuersione proximi dictum, & Iacob. 5.

†*Sermo, qui factus est ad Ieremiam à Domino, postquàm dimissus est à Nabuzardan magistro militiæ de Rama*, vbi tùnc ipse erat, *quandò tulit*, mandauit tolli, vt capit. 39. *eum vinctum catenis*, de vestibulo carceris, *de medio omnium, qui migrabant de Ierusalem, et Iuda, et ducebantur in Babylonem*, hæc non quod esset intèr hos, sed ad distinctionem status Ieremiæ, & illorum: At non potest dici sermo, qui impletus est in liberatione Ieremiæ à Domino prædicta; quia dicitur, *factus est*, quasi de recenti, & quia dicitur, *postquàm dimissus est*. benè ergò Alij hic prosequi, quomodò liberatus simplicitèr, vt dixi, non quòd iterùm vinctus pòst primam libe- †CAP. XL.

liberationem à carcere, & iterùm dimissus, quod clarius fit ex dictis à Nabuzardan, quæ sequuntur, & deindè referri Dei sermonem quasi nouam prophetiam. *Tollens ergò princeps militiæ Ieremiam dixit ad eum: Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum, & adduxit, et fecit Dominus sicùt locutus est, quia peccastis Domino, et non audistis vocem eius, et factus est vobis sermo hic*, etiã ad inimicos hæc peruenerãt. *nùnc ergò eccè solui te hodiè de catenis, quæ sunt in manibus tuis*, hinc ductus vinctus ad Nabuzardan ab illis, quibus iusserat: *si placet tibi, vt venias mecum in Babylonem, veni, et ponam oculos meos super te: si autèm displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside: eccè omnis terra in conspectu tuo est*: sic Reges cùm Abraham, & Isaac in Genesi, *quod elegeris, et quò placuerit tibi, vt vadas illùc perge; et mecum noli venire, sed habita apud Godoliam filium Abicam filij Saphan, quem præposuit rex Babylonis ciuitatibus Iuda. habita ergò cùm eo in medio populi. vel quocumque placuerit tibi, vt vadas, vade*, Huc usque verba remittentis omnia alternatiuè in potestate Ieremiæ, nùnc præsupponẽdá electio Ieremiæ de sistẽdo in Ierusalẽ; ideò subditur. *dedit quoquè ei magister militiæ cibaria, et munuscula, et dimisit eum. venit autèm Ieremias ad Godoliam filium Abicam in Masphat, et habitauit cùm eo in medio populi*: sic mulier in medio populi ego habito, *qui relictus fuerat in terra. Cumquè audissent*, &c. quæ per se patent vsque ad finem capitis.

CAPVT XLI.

ET factum est in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ filij Elisama de semine regali, ideò ægrè ferebat sibi præpositum Godoliam, *et optimates regis, et decem viri cùm eo ad Godoliam filium Abicam in Masphath: et comederunt ibi panes*, cùm his conuiuium intellige paratum *simùl in Masphath. Surrexit autèm Ismahel filius Nathaniæ, et decem viri, qui cùm eo erant, et percusserunt Godoliam filium Abicam filij Saphan gladio, et interfecerunt eum, quem præfecerat rex Babylonis terræ* innocentem oppresserunt. *omnes quoq. Iudæos, qui erãt cùm Godolia in Masphath, et Chaldæos, qui reperti sunt ibi, et viros bellatores percussit Ismahel. Secundo autèm die postquàm occiderat Godoliam nullo adhùc sciente, venerunt viri de Sichem, et de Silo, et de Samaria octoginta viri: rasi barba, et scissis vestibus, et squallentes*, ob desolationem, quæ præcesserat, *et munera, et thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini*, quam vel ignorabant exustam. At videtur inuerisimile adeò insigne facinus oĩs non innotuisse; Vel vbi, & hoc meliùs, immolabantur in nouo altari, vt Baruch 1. nèc est verisimile accessisse oblaturos alio loco, quàm in templo, quod domus Domini dicebatur. nèc verisimile alibì, quàm in Ierusalem erectum nouum altare; cùm, quandò tempore Iosue illæ tribus erexerunt vnum, facta fuit tanta commotio; nèc apparet alibi erecta, vel sacrificatum, nisi de instinctu Dei, Verba *in domo Domini*, excludũt quod hi in Masphat iuissent, non in Ierusalem, *egressus ergò Ismahel filius Nathaniæ in occursum eorum de Masphath incedens, et plorans*, quasi condolens cùm dolentibus, vt eos deciperet, *ibat: Cùm autèm occurrisset*, &c. reliqua vsquè ad finem per se clara, & explicatione non indigent.

CAPVT XLII.

ET accesserunt omnes principes bellatorum, & Iohanan filius Caree, et Iezonias filius Osaiæ, et reliquum vulgus à paruo vsquè ad magnum. dixeruntquè ad Ieremiam prophetam. Cadat oratio nostra in conspectu tuo, ità vt à te impetremus quod volumus, habeat effectum suum, eam amplectaris, & foueas: & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum pro vniuersis reliquijs istis, &c. quæ prætermitto, cùm textus per se pateat.

CAPVT XLIII.

FACTVM est autèm, cùm complesset Ieremias, &c. vsquè ad vers. 9. Sume lapides grandes in manu tua, & abscondes eos in crypta, quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis in Zaphnis cernentibus viris Iudæis: hæc visibilia materialia ad magis mouendum. Et dices ad eos. hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Eccè ego mittam, & assumam Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum, cuius ministerio vtor, & ponam thronum eius supèr lapides istos, quos abscondi, & statuet solium suum supèr eos, veniensquè percutiet terram Aegypti, quos in mortem, in mortem, & quos in captiuitatem, in captiuitatem, & quos in gladium, in gladium. Et succendet ignem in delubris Deorum Aegypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos, & amicietur victor, terra Aegypti sicùt amicitur pastor pallio suo, & egredietur indè in pace. & conteret statuas domus solis, idòla, quæ sunt in terra Aegypti, & delubra Deorum Aegypti comburet igni, & hinc vos non euadetis.

CAPVT XLIV.

VERBVM, quod factum est per Ieremiam ad omnes Iudæos, qui habitabant in terra Aegypti, &c. vsquè ad vers. 10. Non sunt mũdati vsquè ad diem hanc; & non timuerunt, & non ambulauerunt in lege Domini, & in præceptis meis, quæ dedi coràm vobis, & coràm patribus vestris; maior enim impietas, quæ sequitur pòst flagella, quæ spernuntur: propterea contrà transeuntes ad Aegyptum inuehitur. Ideò hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Eccè ego ponam faciem meam, stabo firmus in vobis in malum, & disperdam omnem Iudam; & assumam reliquias Iudæ, qui posuerunt facies suas, vt ingrederentur terram Aegypti, & habitarent ibi, & consummentur omnes in terra Aegypti; cadent in fame, & in gladio, & consumentur à minimo vsquè ad maximum: in gladio, & in fame morientur, & erunt in iusiurandum, nempè iurantes dicent, contingat vobis sicùt talibus in Aegypto, & in miraculum, & in maledictionem, et in opprobrium: et visitabo flagellando supèr habitatores terræ Aegypti, sicùt visitaui supèr Ierusalẽ in gladio, et fame, et peste. Et nõ erit qui effugiat, et sit residuus de reliquiis Iudæorũ, qui vadunt, et peregrinantur in terra Aegypti; et reuertantur in terram Iuda, ad quam ipsi eleuant animas suas, desideria sua, vt reuertantur, et habitẽt ibi: non reuertentur, nisi qui fugerint; sempèr enim dixit non ad consummationem totalem deleturũ. Responderunt autèm Ieremiæ omnes viri, scientes, quòd sacrificarent vxores eorum diis

dijs alienis, adhùc durabat Idolòlatria, *& uniuersæ mulières, quarum stabat multitudo grandis, & omnis populus habitantium in terra Aegypti in Phatures dicentes: Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; sed facientes omne verbum quod egredietur de ore nostro, sacrificemus reginæ Cœli* Lunæ, *& libemus ei libamina sicùt fecimus nos, & patres nostri, reges nostri & principes nostri in vrbibus Iuda, & in plateis Ierusalem: & saturati sumus panibus, & benè nobis erat, malumquè non vidimus*, maxima contumacia, quæ nèc flagellis frangebatur, ideò longo tempore septuaginta annorum indiguerunt ad expurgationem. *Ex eo autèm tempore, quo cessauimus sacrificare Reginæ Cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus*, magnum mendacium, cùm à Deo omnia bona reciperent. *Quòd si nos sacrificamus Reginæ cœli, & libamus ei libamina; numquid sinè viris nostris fecimus ei placentas ad colendum eam, & libandum ei libamina?* viri ergò consentiebant vxoribus. At non puto in formam Lunæ placentas factas, quia de hoc modo cultus nullibi in Scriptura, & quia subditur modus visitatus *ad libãdũ ei libamina. Et dixit Ieremias ad omnẽ populũ aduersùm viros, et aduersũ mulieres, et aduersũ vniuersam plebẽ, qui respõderũt ei verbũ, dicens: numquid non sacrificium, quod sacrificastis in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem vos, & patres vestri, reges vestri, & principes vestri, populus terræ, horum recordatus est Dominus*, dicitur recordari, dùm punit, vel præmiat. *& ascendit supèr cor eius?* ad puniendum, & exterminandum vos, quasi ecquid bonum indè traxistis? defensi nè estis à dijs illis? *Et non poterat Dominus vltrà portare*, &c. vsquè ad vers. 26.

Ideò audite verbum Domini omnis Iuda, qui habitatis in terra Aegypti, eccè ego iuraui non reuocaturus *in nomine meo magno, ait Dominus, quia nequaquàm vltrà vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Iudæi, dicentis: Viuit Dominus Deus in omni terra Aegypti*, quasi omnes Iudæi morientur, vt subdens declarat. Hæc causa cur nolebat eos ire in Aegyptũ, nè illos disperderet ibi, quod in Terra promissionis facturus non erat, nõ quòd in Aegypto idòla essent adoraturi, secus in Babylone, quia & in Babylone idòla, quæ & adorarunt. *Eccè ego vigilabo supèr vos in malum, & non in bonum: & consummentur omnes viri Iuda, qui sunt in terra Aegypti, & gladio, & fame, donèc pœnitùs consummantur, et qui fugerint gladium, reuertentur de terra Aegypti in terram Iuda viri pauci: & scient omnes reliquiæ Iuda ingredientium terram Aegypti, vt habitent ibì, cuius sermo compleatur meus, an illorum. Et hoc vobis signum, ait Dominus, quod visitem ego supèr vos in loco isto: vt sciatis quia verè complebuntur sermones mei contrà vos in malum, hæc dicit Dominus: Eccè* dicit modum *ego tradam Pharaonem Ephree regem Aegypti in manu inimicorum eius, & in manu quærentium animam illius* Nabuchodonosor, vide Ioseph. antiq. lib. 10. cap. 11. *sicùt tradidi Sedeciam Regem Iuda in manu Nabuchodonosor* Regis Babylonis inimici sui, & quærentis animam eius.

CAPVT XLV.

V*ERBVM, quod locutus est Ieremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cùm scripsisset verba hæc in libro ex ore Ieremiæ anno quarto Ioachim filii Iosiæ regis Iuda, dicens: hæc dicit Dominus Deus Israel ad te Baruch: dixisti* ad Baruch loquitur. *Væ misero mihi, quoniàm addidit Dominus dolorem dolori meo*, quasi Ieremias reclusus, ego ad necem quęror ob verba illa, de quibus suprà. *Laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni* dolore auctus. *hæc dicit Dominus, sìc dices ad eum: Eccè quos ædificaui, ego destruo, & quos plantaui, ego euello, & vniuersam terram hãc* in potestatem Nabuchodonosor dando. *Et tu quæris tibi*, non populo, de se agebat, nõ de populo,

vt

vt quidam hìc *grandia?* læta, pacifica, quasi deciperis, *noli quærere*, *quia eccè ego adducam malum supèr omnem carnem* hominem, *ait Dominus*: *&* tamèn hoc recipies *dabo tibi animam tuam*, vitam tuam, *in salutem in omnibus locis, ad quæcumque perrexeris*, quasi gladio non morieris.

CAPVT XLVI.

QVOD *factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam contrà gentes ad Aegyptű aduersùm exercitum Pharaonis Nechao regis Aegypti, qui erat iuxtà fluuium Euphratem in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis in quarto anno Ioachim filij Iosiæ regis Iuda: præparate scutum, et clypeũ, & procedite ad bellum: iungite equos, & ascendite equites: state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis* hæc per Ironiam, vel vt essent parati. *quid igitùr?* nihil proficient, nàm *vidi ipsos pauidos, & terga vertentes, fortes eorum cæsos; fugerunt conciti, nèc respexerunt: terror vndiquè, ait Dominus: non fugiat velox*, quasi saluandus, *nèc saluari se putet fortis: ad aquilonem iuxtà flumen Euphratem victi sunt, & ruerunt, quis est iste, qui quasi flumen ascendit; & velùt fluuiorum intumescunt gurgites eius? Aegyptus fluminis instar ascendit, & velùt flumina mouebuntur fluctus eius, & dicet: ascendens aperiam terram, perdam Ciuitatem, & habitatores eius. Ascendite equos; & exultate in curribus, & procedant fortes Aethiopiæ, & Libyes tenentes scutum, & Lydij arripientes, & iacientes sagittas. Dies autèm ille Domini Dei exercituum dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis: deuorabit gladius, & saturabitur, et inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domini exercituum in terra Aquilonis iuxtà flumen Euphratem*, & sic vinceris, & destrueris, vtaris quauis potentia, quia Deo resisti non potest.. *ascende in Galaad, & tolle resinam virgo filia Aegypti*, vt tibi medearis, per Ironiam, quia subdit *frustrà multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. Audierunt gentes ignominiã tuam, & vlulatus tuus repleuit terram, quia fortis impegit in fortem*, Aegyptus in Babylonem, & vincetur; non hic de fugientibus, inuicem se conculcantibus, quia fugientibus non attribuitur fortitudo, & quia impetus non est fugientium; sed conculcatio, exemplum autèm huius in pueris Isboseth, & Dauid se inuicem necantibus, 2. Reg. 2. 15. & in attrito in porta ex vaticinio Elisæi; *& ambo paritèr conciderunt*, quia & Babylon destructa. *Verbum, quod locutus est Dominus ad Ieremiam prophetã supèr eo, quod venturus est Nabuchodonosor rex Babylonis, & percussurus terram Aegypti: annunciate Aegypto, & auditam facite Magdalo, & resonet in Memphis, & in Taphnis dicite: sta & præpara te quia deuorabit gladius ea, quæ per circuitum tuum sunt, quarè computruit fortis tuus? non stetit quoniàm Dominus subuertit eum*, eccè à Domino pœna, malum. *Multiplicauit ruentes, ceciditquè vir ad proximum suum, & dicent: surge, & reuertamur ad populum nostrum, & ad terram natiuitatis nostræ à facie gladij columbæ* Nabuchodonosor, cùm velocitate nos inuadentis, quem nòn euademus: sic in Isaia de simili sub nube leui: sic columbam suprà sumpsi pro eodem cap. 25. *Vocate nomen Pharaonis regis Aegypti, tumultum* excitans, vndè *adduxit tempus* DEO beneplacitum ad sui ruinam per Chaldæos exequendam. *Viuo ego (inquit rex Dominus exercituum nomen eius) quoniàm sicùt Thabor in montibus, et sicùt Carmelus in mari* superbi, & famosi, ità *veniet* Nabuchodonosor disperdens in superbia Aegyptum, & infrà de eodem. *Vasa* instrumenta *transmigrationis* instrumenta peregrinationis. *fac tibi habitatrix filia Aegypti: quia Memphis in solitudinem erit, et deseretur, et inhabitabilis erit. Vitula elegans, atquè formosa*, luxurijs dedita *Aegyptus*: *stimulator* ad eam abducendam, tumulo enim id præ-

id præstatur *ab Aquilone veniet ei* Nabuchodonosor. *Mercenarij quoquè eius, qui versabantur in medio eius, quasi vituli saginati* quærentes requiem, *versi sunt, & fugerunt similiter, nèc stare potuerunt: quia dies interfectionis eorum veniet supèr eos, tempus visitationis eorum*, nèc euadere poterunt fuga. *Vox eius* Nabuchodonosor venientis, *quasi æris sonabit, quoniàm cùm exercitu properabunt*, hinc verba Isaiæ; Ascendet Dominus supèr nubem leuem, intelliguntur de hac festinatione, *& cùm securibus venient ei, quasi cadentes ligna, succiderunt saltum eius, ait Dominus, qui supputari non potest, multiplicati sunt supèr locustas, et non est eis numerus. Confusa est filia Aegypti, & tradita in manus populi Aquilonis*, Chaldæorum, *dixit Dominus exercituum Deus Israel: ecce ego visitabo* puniens *supèr tumultum* multitudinem populi, vel mala ad aures meas perlata: *Alexandriæ, & supèr Pharaonem, & supèr Aegyptum, & supèr deos eius, & supèr reges eius, & supèr Pharaonem, & supèr eos, qui confidunt in eo* Hebræos, vel alios, *& dabo eos in manus quærentium animam* vitam *eorum, & in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manus seruorum eius, & pòst hæc* annos quadraginta, vt per Ezechielem c. 29. *habitabitur sicùt diebus pristinis* prophetat reædificandam Aegyptum, seù Alexãdriam regiam, *ait Dominus: & tu nè timeas serue meus Iacob, & nè paueas Israel*, quia & Israelitæ multi in captiuitatem Babylonicam non ducti, qui secesserant ad terram Aegypti, vt suprà: *quia ecce ego saluum te faciam de longinquo, & semen tuum de terra captiuitatis tuæ: & reuertetur Iacob, & requiescet, & prosperabitur, & non erit qui exterreat eum, Et tu noli timere serue meus Iacob, ait Dominus, quia tecum ego sum, quia ego consummã cunctas gentes, ad quas eieci te:* sic pluriès Ieremias, & Isaias, *te verò non consummam, sed castigabo te in iuditio* cùm humanitate, *nèc quasi innocenti parcam tibi*, suprà etiam similia dixit: hæc vsquè ad captiuitatem Romanam.

CAPVT XLVII.

QVOD *factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam contrà Palæsthinos, antequàm percuteret Pharao Gazam: hæc dicit Dominus: Ecce aquæ* Nabuchodonosor cùm exercitu, magno sonitu, & celeritate quasi aquarum veniens, *ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans*, qui omnia obuiantia rapit: *& operient terram, & plenitudinem eius, urbem, & habitatores eius: clamabunt homines, & vlulabunt omnes habitatores terræ à strepitu pompæ armorum, & bellatorum eius, à commotione quadrigarum eius, & multitudine rotarum illius*, his declarat quis sonitus aquarum. *Non respexerunt patres filios manibus dissolutis*, prout non habentes remedium aduersùs calamitates, vel præ timore, vt in Baltassare, Daniel. 5. *pro aduentu diei, in quo vastabuntur omnes Philistijm, & dissipabitur Tyrus, & Sydon cùm omnibus reliquis auxilijs suis: depopulatus est enim Dominus Palæsthinos, reliquias insulæ Cappadociæ. Venit caluitium* nuditas *supèr Gazam, conticuit Ascalon, & reliquiæ vallis earum vsquequò concideris?* præ desperatione *ò mucro Domini* per Nabuchodonosor euaginatus, *vsquequò non quiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile*, at respondet sibi. *Quomodò quiescet, cùm Dominus præceperit ei aduersùs Ascalonem, & aduersùs maritimas eius regiones, ibiquè condixerit illi?* sic respondet non posse quiescere, donèc imperium Domini adimpleat.

CAPVT XLVIII.

AD *Moab* destruendam, de qua Isai. 15. & 16. *hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Væ super Nabo quoniàm vastata est, & confusa, capta est Cariathaim: confusa est fortis, & tremuit* pauore ducta. *Non est vlterà exultatio in Moab contrà Hesebon: cogitauerunt*, inimici eius Chaldæi contrà eam *malum. venite, & disperdamus eam de gente*, vt non memoretur ampliùs, *ergò silens conticesces* non valens resistere *sequeturquè te gladius. Vox clamoris de Oronaim* audita: *vastitas, & contritio magna* hoc, vt saltèm ipsi fugiant, *per ascensum enim Leuith plorans ascendit in fletu: quoniàm in descensu Oronaim hostes vlulatum contritionis audierũt: fugite* per Ironiam, *saluate animas vestras, & eritis quasi Myrica in deserto*, in quo saluabimini, eritis sinè fructu. *Pro eo enim quòd habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis*, non in Domino, *tu quoquè capieris: & ibit Chamos* idòlũ, quod colis *in trasmigrationem. Sacerdotes eius, & principes eius simùl. & veniet prædo ad omnem Vrbem, & vrbs nulla saluabitur: & peribunt valles, & dissipabuntur cãpestria; quoniàm dixit Dominus. Date florem Moab*, conuenit enim ei, est magna eius gloria, & infrà *fertilis fuit, quia florens egredietur* ad vastitatem, captiuitatem, deficiet citò, proùt flos; vndè subdit: *& Ciuitates eius desertæ erunt, & inhabitabiles. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulentèr*, in destruendo Moab, hæc ad exercitum: hìnc Saul priuatus regno. *& maledictus qui prohibet gladiũ suum à sanguine* effundendo contrà Moab. *Fertilis fuit* prosperatus est *Moab ab Adolescentia sua* à principio, vel ab illa vsquè hùc, & alios, præsertim Hebræos irridens, *& requieuit in fæcibus suis* in vitijs, idolòlatria, vt infrà de Chamos, proùt vinum in eis conseruatum: *nèc transfusus es de vase in vas; & in transmigrationem non abijt*, proùt Israel: *idcircò permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus*, hæc ratio cur fertilis, & prosperatus est. *proptereà eccè dies veniunt, dicit Dominus: et mittam ei ordinatores, & stratores laguncularum*, in quibus vinum conseruatur, stat in metaphora, *& sternent eum, & vasa eius exhaurient, & lagunculas eorum collident. & confundetur Moab à Chamos* Idòlo, *sicùt confusa est domus Israel à Bethel*, idòlo, vitulo posita ibi à Ieroboam, facit mentionem Bethel, quia nobilior Dan, *in qua habebat fiduciam. Quomodò dicitis fortes sumus, et viri robusti ad præliandum?* quasi defensuri vos, non erit sic, vndè subdit. *Vastata est Moab, & ciuitates illius succidentur: & electi iuuenes eius descenderunt in occisionem; ait rex Dominus exercituũ nomen eius, propè est interitus Moab vt veniat: & malum eius velocitèr accurret nimis. Consolamini eum omnes, qui estis in circuitu eius: & vniuersi, qui scitis nomẽ* gloriam *eius dicite: Quomodò confracta est virga fortis, baculus gloriosus?* hæc ad intimandam vastitatem. *Descende de gloria* in qua es, *& sede in siti* in amaritudine, dolentes enim siti conficiuntur, *habitatio filiæ Dibon: quoniàm vastator* Nabuchodonosor *Moab ascendit ad te, dissipabit munitiones tuas. In via sta, & prospice habitatio Aroer: interroga fugientem, & ei, qui euasit, dic: quid accidit?* vt tu quoquè terrearis, & fugias, *confusus est Moab, quoniàm victus est, vlulate, & clamate, annunciate in Arnon, quoniàm vastata est Moab, iudicium* vastitas *veniet ad terram campestrẽ supèr Helon & supèr Iasa, & supèr Mephaath, et supèr Dibõ, et supèr Nabo, & supèr domũ Deblathaim, et supèr Cariathaim, & supèr Bethgamul, & supèr Bethmaon, et supèr Carioth, et supèr Bosra, et supèr omnes Ciuitates terræ Moab, quæ longè, & quæ propè sunt. Abscissum est cornu* sceptrum *Moab, & brachium* potentia *eius contritum est, ait Dominus. Inebriate* calice Domini *eum, quoniàm contrà Dominum erectus est* superbè, *& allidet* Dominus *manum* potentiam *Moab in vomitu suo*, quia

more

more ebrij omnia euomet, *& erit in derisum etiàm ipse*, proùt alios derisit, *fuit enim in derisum tibi ò* Moab *Israel, quasi intèr fures reperisses eum: proptèr verba ergò tua, quæ aduersùm illum locutus es, captiuus duceris*, & sic in quo peccasti, punieris. *Relinquite ciuitates, & habitate in petra* in deserto *habitatores Moab, & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis* euolate. *Audiuimus superbiam Moab* ex iàm dictis, *superbus est valdè: sublimitatem eius, & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis eius*, Deus autèm superbis resistit, ideò eccè flagella. *Ego scio, ait Dominus*, quem nihil latet *iactantiam eius: & quòd non sit iuxtà eam virtus eius, nèc iuxtà quod poterat conata sit facere* in bonum, vt debuerat. *ideò supèr Moab eiulabo, & ad Moab vniuersam clamabo, ad viros muri fictilis*, lateribus coctis, *lamentantes de planctu Iazer plorabo tibi vinea Sabama: propagines tuæ*, viri tui in captiuitatem ducti, *transierunt mare: vsquè ad mare Iazer peruenerunt; supèr messem tuam, & vindemiam tuam*, bona tua, *prædo irruit. Ablata est lætitia, & exultatio de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus sustuli: nequaquàm calcator vuæ, solitum celeuma* lætum *cantabit. De clamore Hesebon vsquè Eleale, & Iasa dederunt vocem suam à Segor, vsquè ad Oronaim, vitula conternante* trima, pulchra, valida, *Aquæ quoque Nemrim* salubres *pessimæ erunt* huic & hoc malum continget: *& auferam de Moab, ait Dominus offerentem in excelsis, & sacrificantem dijs eius. Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit, & cor meum ad viros muri fictilis* fortes *dabit sonitum tibiarum, quia plùs fecit, quàm potuit* excessit vltrà vires in peccatis, præsertim idolòlatriæ. Non puto hìc de congregatione diuitiarum, quæ non sunt in se malæ, vt mereantur pœnam illas coaceruantes, quam subdit, & de malè partis nullum verbum, *idcircò perierunt. Omne enìm caput caluitium, & omnis barba rasa erit, in cunctis manibus colligatio, & supèr omne dorsum cilicium*, hæc ad captiuos. *Supèr omnia tecta Moab, & in plateis eius omnis planctus: quoniàm contriui Moab sicùt vas inutile, ait Dominus. Quomodò victa est, & vlulauerunt? quomodò deiecit ceruicem*: sic incedunt tristes, vt Achab, *Moab, & confusus est? eritquè Moab in derisum, & in exemplum omnibus in circuitu suo, hæc dicit Dominus: eccè quasi aquila volabit* Nabuchodonosor, qui suprà columba, *& extendet alas suas* exercitum amplum *ad Moab, capta est Carioth, & munitiones comprehensæ sunt: & erit cor fortium Moab in die illa, sicùt cor mulieris parturientis*, absquè viribus, destitutum, in doloribus maximis. *Et cessabit Moab esse populus: quoniàm contrà Dominum gloriatus est. Pauor, et fouea, & laqueus supèr te ò habitator Moab, dicit Dominus, qui fugerit à facie pauoris cadet in foueam, & qui conscenderit de fouea capietur laqueo*, quod non euadent, vt prosequitur, sic Isai. 24.18. Amos 5. Iob. 20.24. *adducam enim supèr Moab annum visitationis eorum* punitionis, *ait Dominus, in vmbra* fortalitio, protectione. *Hesebon steterunt de laqueo fugientes*, sed frustra, *quia ignis egressus est de Hesebon*. Num. 21. *& flamma de medio Seon, & deuorabit partem Moab, & verticem* summitatem, reliquias *filiorum tumultus* contrà Dominum, vel Chaldæos. *Væ tibi Moab, perijsti popule Chamos, quia comprehensi sunt filij tui, & filiæ tuæ in captiuitatem, &* (hæc Domini misericordia, *conuertam captiuitatem Moab in nouissimis diebus*, vel successiuis, quibus redierunt; vel Messiæ, hi enim dies nouissimi, *ait Dominus, hucusquè iudicia* pœna, flagella *Moab*.

CAPVT

CAPVT XLIX.

AD *filios Ammon*. At cur DEVS hos populos destruit? primò quia infesti populo suo. Secundò proptèr eorum peccata, præsertìm idololatriam. Sed cur hos potiùs, quàm alios idololatras, postquàm in solo Israel motus Deus? quia hi ex vicinitate cùm Hebræis potuerunt discere Deum creatorem cœli, & terræ, præsertim conuersantibus secum Hebræis, & potuerunt noscere tanta mirabilia, quæ pro suo populo Deus fecit, hincquè illum colere, & tamèn diù, & per multa sæcula expectati, ab idolis, & alijs peccatis non recesserunt. Quò verò ad Aegyptios, & Babylonicos, idem, quia ex conuersatione Hebræorũ in illis regionibus, ex prodigijs gestis in Aegypto à captiuis, qui ideò illuc amandati Tob. 1. 13. potuerunt cognoscere Deum, & illum colere, & tamèn ab idolis non recesserunt, & sìc de singulis; & alij populi, destructis vicinis, edocebantur ex illorum calamitate. *Hæc dicit Dominus; numquid non filij sunt Israel: aut hæres non est ei?* qui succedat in iuribus antiquis. *Cur igitùr hæreditate possedit Melchom* idolum, cui tribuitur hoc ius, quasi eorum Deo falso, à quo hoc recognoscebant, proùt Chamos idolo possessio similis tributa, Iudic. 11. 24. proùt & Deo vero, ibidem, & 2. Paralip. 13. 8. non ergò Melchom ciuitas: & sìc infrà vers. 3. pro idolo, *Gad, & populus eius in vrbibus eius habitauit?* quasi spoliauerunt his Israelitas, & malum ius fouent; *ideò* ex malis ob talem occupationem secutis, discant occupantes iura aliena: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & auditum faciam supèr Rebbath filiorum Ammon fremitum prælij: & erit in tumulum* aceruum lapidum, *dissipata, filiæquè eius* ciuitates aliæ ei subiectæ, *igni succendentur, & possidebit Israel possessores suos,* inuasores suorum bonorum, & ciuitatum, *ait Dominus,* dicunt aliqui id factum sub Machabæis. *Vlula Hesebon, quoniàm vastata est Hai, clamate filiæ,* oppida subiecta, clamor eius per prosopopeiã; at sub his homines habitantes, vt prosequitur: sic præmittit de Hesebon vlulante, & proùt illa, ità de his, non de virginibus, vel mulieribus, *Rabbath. Accingite vos cilicijs, plangite,* more mœrentium, nullam consolationem habentium, *& circuite per sepes,* latibula quærentes, *quoniàm Melchom,* idolum vestrum: sic & de Chamos cap. 48. 7. *in trãsmigrationem ducetur: Sacerdotes eius, & principes eius simùl* ei seruientes. *Quid gloriaris in vallibus?* fructuosis, quasi nõ in his passura ægestatem; nàm *defluxit vallis tua,* arida facta, *filia delicata,* delicijs dedita, *quæ confidebas in thesauris tuis,* putans his euadere manum meam, *& dicebas, quis veniet ad me?* quasi tuta sum, timeo neminem: sic Babylon, sedeo Regina, Apoc. 18. 7. Isai. 47. 7. *Ecce ego inducam supèr te terrorem,* is succedet tuæ confidentiæ, vt deprimaris: sìc terruit Chananæos, Genes. 35. 5. Exod. 23. 27. *ait Dominus Deus exercituum ab omnibus, qui sunt in circuitu tuo, & dispergemini singuli à conspectu vestro, nèc erit qui congreget fugientes,* & sic omnis potentia tua cessabit. *Et* (promittit posteà eos reuersuros ad consolationẽ eorum) *post hæc reuerti faciam captiuos filiorum Ammon, ait Dominus* infrà certa tempora, vel tempore Messiæ, sed prior melior. *ad Idumæam: Hæc dicit Dominus exercituum. Numquid non vltrà est sapientia in Theman?* defecit sapientia in Idumæa. *perijt consilium à filijs* à viris illius, *inutilis facta est sapientia eorum,* præsumpta olim, quia nescierunt sibi prouidere. *Fugite, & terga vertite, descendite in voraginem* abscondentes vos, proùt illi montibus: cadite supèr nos, in Euangelijs, & Apoc. 6. & sicùt fecerunt quinque reges sub Iosue, *habitatores Dedan: quoniàm perditionem Esau* ruinam Idumeæ *adduxi supèr eum tempus visitationis eius,* ad pœnam: vndè prima per Ironiam, quasi etsi hæc feceritis, non euadetis, *si vindemiatores venissent supèr te, non* nõnè *reliquissẽt racemum?* vtique, id enim

enim solent: *si fures in nocte rapuissent quod sufficeret sibi* reliquis dimissis, *ego verò discooperui Esau, reuelaui abscōdita eius*, & celari non poterit, quasi peiora faciam, non poterit defendi, etiàm à voraginibus, de quibus suprà; & subdita *vastatum est semen eius, & fratres eius, & vicini eius, & non erit*, non inuenietur vltrà, funditùs illum perdam: vide scripta in Apoc. cap. 13. & 17. non vt illi aliquid seruantes; immò *relinque pupillos tuos, ego faciam eos viuere: & viduæ tuæ in me sperabunt*, quasi credis hoc? at non erit, vt soleo. *Quia hæc dicit Dominus: eccè quibus non erat iudicium*, condēnatio, pœna debita; vel maturitas iudicij ad peccandum, *vt biberent calicem iræ furoris mei*, hi innocentes, pupilli, & viduæ, de his enim præmisit, nèc aptantur Iudæis rebellibus verba, *quibus non erat iudicium*, sed his, qui cùm nocentibus affligentur temporalitèr, *bibentes bibent* calicem amarum, *& tu quasi innocens relinqueris?* quasi non erit hoc, non decet, *non eris innocens*, non habeberis vt innocens, vt euadas, *sed bibens bibes* vt reus. *Quia per memetipsum iuraui*, nèc me pœnitebit; *dicit Dominus, quòd in solitudinem, & in opprobrium, & in desertum, & in maledictionem erit Bosra, & omnes Ciuitates eius erunt in solitudines sempiternas* ad longum tempus. *Auditum audiui à Domino, & legatus* Angelus; per hos enim solet; Non putò de instinctu, quia illum numquàm explicat Scriptura verbo legati, sed spiritu; puta, immisit Deus spiritum, &c. vt & infrà cap. 51. & si non Angelus, dic, propheta, vel similis, *ad gentes missus est. Congregamini, & venite contra eam, & consurgamus in prælium*, quasi & ego ero vobiscum: *Eccè enim paruulum dedi te in gentibus, contemptibilem intèr homines*, vt nihili fias. Est somnium Hebræorum hic agi de Roma, cùm habeamus clarè agi de Idumæa. *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cauernis petræ*, loco inaccessibili, *& apprehendere niteris altitudinem collis*, ex tua superbia, vt maior efficiaris: vide Abdiam *cùm exultaueris quasi aquila nidum tuum; indè detrahàm te*: sic non euades, superbis Deus resistit: *dicit Domi*nus. *Et erit Idumæa deserta: omnis, qui transibit per eam, stupebit, & sibilabit supèr omnes plagas eius* irridebit. *Sicùt subuersa est Sodoma, & Gomorrha, & vicinæ eius: sìc & tu, ait Dominus: non habitabit ibì vir, & non incolet eam filius hominis: Eccè quasi leo*, Nabuchodonosor, de quo semper in his sermo, non alij, quorum diuinatio: sic appellantur Reges, vt in Esther de Assuero, & Paulus de Nerone, *ascendet de superbia Iordanis* Ierusalem, & & Iudæa debellata: sìc suprà capit. 12. aliòquin non diceretur *de superbia*, si de solo transitu Iordanis intelligeretur, & quia verè Iudæa subacta, & subuersa ab eodem; neque dici potest Nabuchodonosor de Iordane simplicitèr venire; proùt bestia de mari, & flumine in Apocal. quia de Chaldæa, seù Babylone veniebat. At obstat, quia capit. sequenti eadem verba habentur de Cyro, & Dario, quibus hæc non aptantur. Vndè non videtur interpretandum de transitu, & dari superbiam Iordani per quandam prosopopæiam. *Ad pulchritudinem robustam* tuam, *quia subitò currere faciam eum ad illam, & quis erit electus*, dux Idumæus, *quem præponam ei?* Nabuchodonosor, quasi nullus: hinc vires à Deo, *quis enim similis mei?* qui hæc possit, *& quis sustinebit me?* iratum, punientē, *& quis est iste pastor?* rex, dux, Idumæus, *qui resistat vultui meo?* irato, sìc volenti. *Propterea audite consilium Domini, quod iniit de Edom & cogitationes eius, quas cogitauit de habitatoribus Theman: si non deiecerint eos paruuli gregis* minimi, *nisi dissipauerint, vnà cùm eis, & habitaculum eorum*, quasi habear vt mendax *à voce ruinæ eorum*, illatæ per Nabuchodonosor *commota est terra: clamor in mari rubro auditus est vocis eius* flebilis, adeò fuit magna plaga. *Eccè quasi Aquila* fortis, & pernix Nabuchodonosor *ascendet, et auolabit, & expandet alas suas* rapaces *supèr Bosram: et erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis*, pauidū, sinè spe, dolore plenum. *Ad Damascum: confusa est Emath, & Arphad, quia auditum pessimum audierunt* Nabuchodonosor aduenientis, *turbati sunt in mari* ab eodem

Nnn audi-

auditu, quasi nec ibi tuti, *præ solicitudine quiescere non potuit* sibi ipsis timentes. *Dissoluta est Damascus* in viribus suis, *versa est in fugam* non valens resistere. *tremor apprehendit eam: angustiæ, & dolores tenuerunt eam quasi parturientem*, cuius maiores non dantur. *Quomodò dereliquerunt ciuitatem laudabilem, vrbem lætitiæ?* Hæc prophetæ admirantis, & simùl narrantis quid contigerit. *Ideò cadent iuuenes eius in plateis eius*, vtì in Ierusalem, vt in Threnis Ieremias. *& omnes viri prælij conticescent in die illa*, timore pressi, *ait Dominus exercituum. Et succendam ignem*, genus pœnæ, & destructionis *in muro Damasci, & deuorabit mœnia*, ædificata à *Benadad. Ad Cedar, & ad regna Asor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. Hæc dicit Dominus: surgite* verba Dei ad Nabuchodonosor, & exercitum eius, *& ascendite ad Cedar, & vastate filios orientis*, orientales, *tabernacula eorum, & greges eorum capiēt: pelles eorum*, quibus ad tabernacula cooperienda vtebantur, proùt Moyses in deserto, in Cant. Sicùt tabernacula Cedar, sicùt pelles Salomonis. *& omnia vasa*, instrumenta *eorum, & camelos eorum tollent sibi, et vocabunt supèr eos formidinem in circuitu*, erūt illis timori, *fugite, abite vehementèr in voraginibus sedete*, absconditi à ruina instante, *qui habitatis Asor, ait Dominus: inijt enim contrà vos Nabuchodonosor rex Babylonis* ex me *consilium, & cogitauit aduersùm vos cogitationes. Consurgite, & ascendite ad gentem quietam & habitantem confidentèr*, Hinc de facili capiendam, prout dixerunt filij Dan in libro Iudicum; *ait Dominus: non ostia, nec vectes eius*, quibus defendantur, *soli habitant*, quasi tuti, & immunes. *Et erunt cameli eorum in direptionem, & multitudo iumentorum in predam, & dispergam eos in omnem ventum* regionem, *qui sunt attonsi in comam: & omni confinio eorum adducam interitum supèr eos, ait Dominus. Et erit Asor in habitaculum draconum*, proùt de Babylone in Isai. & Apoc. 18. *deserta vsquè in æternum*, ad longum tempus: *non manebit ibì vir, nèc inuolet eam filius hominis. Quod factū est verbū Domini ad Ieremiam prophetam aduersùs Aelam in principio regni Sedeciæ regis Iuda, dicēs: hæc dicit Dominus exercituum: Eccè ego confringam arcum* Aelam potentiam. *et summam*, tollam *fortitudinem eorum, & inducam supèr Aelam quattuor vētis à quattuor plagis cœli, & ventilabo eos in omnes ventos istos*: sic Matth. 3. cuius ventilabrum in manu eius; sic dæmon cùm Iob capit. 1. Non hic de quattuor regnis, de quibus Zacharias, sed de pluribus regionibus mundi, ad quas hi dispergendi, *& non erit gens, ad quam non perueniant profugi Aelam: & pascere faciam Aelam coràm inimicis suis, & in conspectu quærentium animam eorum*, & sic deficient pauidi, *& adducam supèr eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus, & mittam pòst eos gladium, donèc consummam eos. & ponam solium meum in Aelam*, vti victor, & dominans, quem adhùc recognoscere noluerunt per Nabuchodonosor. *Et perdam indè reges, et principes, ait Dominus. In nouissimis autèm diebus* successiuis pòst aliquot spatia, vel tempore Messiæ, cuius tempora dicuntur nouissima; quia pòst illa alia non expectantur, *reuerti faciam captiuos Aelam, dicit Dominus*: ad suas ciuitates, vel spiritualitèr seruabo.

CAPVT L.

VERBVM, *quod locutus est Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum in manu Ieremiæ prophetæ. Annūciate in gētibus*, præsertim à Chaldæis destructis, *& auditum facite: leuate signum*, tamquàm victrices, *prædicate, & nolite celare, dicite. Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach*, hoc & idolum, quia tùnc nullus Merodach rex, quandò capta Babylon, sed Baltassar; & quia subdit de sculptilibus, & idòlis: Et sicùt Bel præcedēs, & subsequentia idòla, ità Merodach mediū.

At

At melius pro rege Baltassare, qui & Merodach, quia scimus illum victum, & satis de Bel, quòd idòlum, & sequentia, & verbũ *victus* magis regi, quàm idòlo aptatur. vide scribẽtes Isa. 14 maximè Sãct. n. 12. & seq. & per me ibi dicta. *Confusa sunt sculptilia eius, separata sunt idòla eorum, quoniàm ascendit contrà eam gens ab Aquilone*, Persæ, Darius, & Cyrus, *qua ponet terram eius in solitudinem, & non erit qui habitet in ea ab homine vsquè ad pecus, & moti sunt, et abierunt:* & sic tandèm Babylonijs ruina veniet. *In diebus illis, & in tempore illo*, sub Cyro, *ait Dominus: venient filij Israel: ipsi, et filij Iuda simùl*; nã & de Israel aliqui reuersi de captiuitate, *ambulãtes, & flentes* præ lætitia, venientes veniẽt cùm exultatione *prophetabunt*, laudabunt in Psalmis, & canticis: sic Saul, & nuncij *te Dominum Deum suum quærent*, idòlis relictis. *In Sion interrogabũt viam* seruiendi Domino, *hùc facies eorum* mens, cogitatio, cor. *Venient, et apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla obliuione delebitur*, quia non ampliùs in cõmune ad idòla reuersi. Hæc de Hebræis, non alijs: & intellige per longa tempora, vsquequò in necẽ Christi conuenerunt. *Grex perditus factus est populus meus*, tẽpore captiuitatis per Chaldæos, & alios *pastores*, Sacerdotes, Principes *eorũ seduxerũt eos, feceruntq. vagari in montibus*, stat in metaphora prima, *de monte in collem transierunt*, sacrificantes idòlis: *obliti sunt cubilis sui* Domini sui, templi Dei, vagi facti sunt. *Omnes, qui inuenerunt, comederunt eos*, stat in prima metaphora gregis, *& hostes eorum dixerunt: non peccauimus* perdentes illos: *pro eo quòd peccauerũt Domino decori iustitiæ*, qui alióqui eos nõ deseruisset, nèc in manus nostras tradidisset, cũ sit obseruantissimus promissorũ, *& expectationi* spei *patrum eorum Domino* Gen. 49. eccè quomodò & malis, & inimicis displicet peccatum. Dùm ceperunt Ierusalem, sic dixerunt, vt suprà. *Recedite de medio Babylonis, et de terra Chaldæorum, egredimini* liberati à Cyro, *& estote quasi hædi antè gregem* primi, & hilares ad egrediẽdum. *quoniàm eccè ego suscito & adducã in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra Aquilonis* Darium, & Cyrum cùm exercitibus, *& præparabuntur aduersùs eam, & indè capietur* Babylon *sagitta eius, quasi viri fortis interfectoris, non reuertetur vacua*, sinè operatione. *Et erit Chaldæa in prædam, omnes vastantes eam replebuntur* diuitijs, auro, *ait Dominus: quoniàm* hæc ad Babylones, *exultatis, & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam*, populum meum vltrà quàm iussi, & vobis hæc attribuitis, *quoniàm effusi estis sicùt vituli supèr herbam, & mugistis sicùt tauri* in bonis populi mei disperdendis. *Confusa est mater vestra nimìs*, Babylon destruenda, *& adæquata pulueri*, qua non datur maior abiectio; hinc Adæ dictum, memento, quia puluis es, & in puluerem reuerteris, *quæ genuit vos: eccè nouissima* vltima *erit in gentibus deserta, inuia, & arẽs. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem, omnis, qui transibit per Babylonem, stupebit, & sibilabit supèr vniuersis plagis eius. Præparamini*, conuocat gentes ad eius destructionem, *contrà Babylonem per circuitum omnes, qui tenditis arcum, debellate eam. non parcatis iaculis, quia Domino peccauit. Clamate aduersùs eam, vbiq. dedit manum*, vti victa, & impotens ad misericordiam conuersa, *ceciderunt fundamenta eius, destructi sunt muri eius, quoniã vltio Domini est: vltionẽ accipite de ea; sicùt fecit, facite ei:* sic & Apoc. 18. 6. Iud. 1. *Disperdite satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis*, omnia dissipate, *à facie gladij columbæ*, Cyri velocitèr aduentantis, proùt de Nabuchodonosor dictũ sup. cap. 25. & 46. *vnusquisque* ex captiuis, vel exteris *ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient* Babylone relicta. *Grex dispersus Israel* in captiuitatem ductus: sic & 3. Reg. vlt. *Leones* Reges *eiecerunt eum: primus comedit eũ rex Assur*, hoc de captiuitate decẽ Tribuũ in Assyrios. *Iste nouissimus exossauit eum*, nihil relinquens integrum, *Nabuchodonosor rex Babylonis. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: eccè ego visitabo regem Babylonis, et terram eius, sicùt visitaui regem Assur, & reducam Israel ad habitaculum suum*, Terram promissionis, *& pascetur Carmelum, & Basan, & in monte*

Ephraim, & Galaad saturabitur anima eius, omnia in pristinum statum, & splendorem restituentur. *In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, & non erit, & peccatum Iudæ, & non inuenietur*; fortè de idololatria intelligit, *quoniàm* qua de causa *propitius ero eis*, quos reliquero. At hoc vsquè ad captiuitatem Romanam; ità vt vsquè ad illam non fuerint captiuitatibus subditi. vel spiritualitèr per Messiam deleturum omnes iniquitates. Non potest sumi hic iniquitas, & peccatum pro pœnis, vt solet aliquandò, quia verba *quæretur, & non inuenietur, non erit* non aptantur, sed conueniunt peccato, & iniquitati propriè acceptis: sic Psal. 9. 15. quæretur peccatum illius; & nō inuenietur, de peccato propriè. Alba in cent. cap. 50. supèr hoc loco non placet. *Supèr*; hæc ad Darium, & Cyrum, non ad Ieremiam referenda, quia de factis agitur, non verbis; & non deueniendum ad impropriationes, si in proprio sensu stari potest, *terram dominantium* Nabuchodonosor, *ascende; & supèr habitatores eius visita*, dissipa, *& interfice quæ pòst eos sunt*, omnem posteritatem, *ait Dominus, & fac iuxtà omnia, quæ præcepi tibi. Vox belli in terra Babylonis, & contritio magna*, per Darium, & Cyrum. *Quomodò confractus est, et contritus malleus vniuersæ terræ!* Rex Babylonis alios conterens. Isai. 14. 16. *quomodò versa est in desertū Babylon in gentibus? illaqueaui te, & capta es Babylon, & nesciebas*: non cogitabas in peccatis, & delicijs viuens, proùt Lais Iud. 18. *Inuenta es, et apprehensa: quoniàm Dominum prouocasti* peccatis tuis; *aperuit Dominus thesaurū suum* occulta, *& protulit vasa iræ suæ*, instrumenta ad punitionem; *quoniàm opus est* magnum *Domino Deo exercituum in terra Chaldæorum. Venite ad eam*, iterùm vocat ad perditionem *ab extremis finibus, aperite*, nemo impediatur, *vt exeant qui conculcent eam: tollite de via lapides, & redigite in aceruos*, vt expeditè procedant, *& interficite eam: nec sit quidquam reliquum: dissipate vniuersos fortes eius, descendant in occisionem: Væ eis, quia venit dies eorum tempus visitationis eorum*, hæc omnia non ad Angelos, sed ad Darium, & Cyrum, & eorum exercitus, vt suprà, & infrà in toto cap. & ab euentu omnia iustificantur, cùm hi hæc præstiterint, non Angeli apparentes.

Vox audita fugientium, & eorum, qui euaserunt de terra Babylonis Hebræorum, dicit *fugientium*; quia suprà dixerat, recedite de Babylone, &c. hinc, *vt annuncient in Sion vltionem Domini Dei nostri, vltionem templi eius* destructi infrà cap. 51. Nō hi fugientes Babylonij, quia inuerisimile eos annunciaturos vltionem, vel Dei, vel templi: quid enim ad eos gentiles hæc? nèc aptantur illis verba *Domini Dei nostri*, quem ignorabant. Prætereà, infrà iubetur gladio omnes Babylonios, etiàm vulgus, trucidari. Et quamuis nullus Hebræorum fugisset è Babylone, cùm caperetur, vel capta esset à Dario, & Cyro, quod tamèn ab aliquibus fieri potuit, nihil refert, quia satis verificantur hæc, quandò facta eis facultas abeundi. *Annunciate in* contrà *Babylonem plurimis*, qui hi, subdit *omnibus, qui tendunt arcum* peritis: *consistite aduersùs eam per gyrum, vt nullus euadat. reddite ei secundùm opus suum: iuxtà omnia, quæ fecit, facite illi*: sic sempèr Deus retribuit, *quia contrà Dominum erecta est aduersùm sanctum Israel* templum. *Idcircò cadent iuuenes eius in plateis eius, & omnes viri bellatores eius conticescent in die illa, ait Dominus: eccè ego ad te superbè* Baltassar, *dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ*, vt destruaris, & cadas. *Et cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum, & succendam ignem in vrbibus eius, & deuorabit omnia in circuitu eius. Hæc dicit Dominus exercituum: Calumniam sustinent filij Israel, & filij Iuda simùl* nondùm a captiuitate dimissi, & ibi malè tractati: *omnes, qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen eius, iudicio* iusto *defendet causam eorum, vt exterreat terram, & commoueat habitatores Babylonis*, & ipsi liberentur. *Gladius ad Chaldæos, ait Dominus* pergat, *& ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad sapientes eius. Gladius ad diuinos eius, qui stulti*

erunt

erunt non benè diuinantes; *gladius ad fortes illius, qui timebunt, gladius ad equos eius, & ad currus eius, & ad omne vulgus, quod est in medio eius: & erunt quasi mulieres*, sinè viribus; *gladius ad thesauros eius, qui diripientur. siccitas supèr aquas eius erit, & arescet*, ex diuisione Euphratis facta per Darium, & Cyrum, *quia terra sculptilium est* idolorum, *& in portentis* falsis, *gloriantur. Propterea habitabunt dracones cùm faunis, ficarijs, & habitabunt in ea struthiones, & non inhabitabitur vltrà vsquè in sempiternum, nèc extruetur vsquè ad generationem, & generationem:* sic Isaias, & Ioannes dixit Apocal. 18. *Sicùt subuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham, & vicinas eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis. Eccè populus venit ab Aquilone, & gens magna, & reges multi*, Darius, & Cyrus; nàm de alijs nulla memoria, & numerus pluralis in duobus verificatur. tamèn cap. 51. hortatur Deus Persas, vt congregét alios Reges, *consurgent à finibus terræ; arcum, & scutum apprehendent: crudeles sunt, & immisericordes: vox eorum, quasi mare* turbatum *sonabit, & supèr equos ascendent, sicùt vir paratus ad prælium contrà te filia Babylon. Audiuit rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus eius: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem. eccè quasi leo* Darius, & Cyrus *ascendet de superbia Iordanis*, per quem transibit, vide suprà cap. 49. in similibus verbis *ad pulchritudinem robustam*, &c. vsquè ad finem cap.

CAPVT LI.

HAEC *dicit Dominus. Eccè ego suscitabo supèr Babylonem, & supèr habitatores eius, qui cor suum leuauerunt contrà me*, populum meum, vt infrà, *quasi ventum pestilentem*, Darium, & Cyrum, *& mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam*, concutient, *& demolientur terram eius: quoniàm venerunt supèr eam vndiquè in die afflictionis eius*. Non loquitur ad ventilatores milites, nè nimium laborent; quia de facili omnia prosperè eis succedent; hæc vt magis acuat ad ruinam Chaldæorum, *tendat, qui tendit arcum suum, & non ascendat loricatus*, at *nolite parcere iuuenibus eius; interficite omnem militiam eius. Et cadent interfecti in terra Chaldæorum, et vulnerati in regionibus eius. quoniàm non fuit viduatus*, totalitèr derelictus *Israel, & Iuda à Deo suo Domino exercituum: terra autèm eorum* Chaldæorum, de qua proximè, & quia vtitur aduersatiua *autèm*, & quia tùnc Ierusalem non repleta delicto, *repleta est delicto* pœna vltimi exterminij *à sancto Israel*, à me Deo, ideò subdit, *fugite* ò Iudæi, de his enim agitur: sic & suprà cap. 50. & infrà, *de medio Babylonis, vt saluet vnusquisque animam suam*, vitam suam, *Nolite tacere*, quiescere ibi manentes *supèr*, proptèr *iniquitatem eius*, pœnas ei debitas, nè illis inuoluamini & vos; sic Moyses; dùm instaret pœna Core, & Abiron: recedite à tabernaculis impiorum, &c. Intellige autèm fugam tempore debito. sed hæc nùnc ingeri ad ostendendam instantem Babylonis calamitatem, quia hæc etsi prædicta, fortè non tùnc Hebræis intimata quoàd fugam, *quoniàm tempus vltionis est à Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei* pro illatis in Iudæos: Vndè non video, quomodò verba *nolite tacere*, & quæ sequuntur: ad Chaldæos referantur: tùm quia credendum magis sequi idem thema cùm Iudæis; tùm quia verba *vicissitudinem ipse retribuet ei*, non aptantur Chaldæis. *Calix aureus*, desiderabilis, appetendus, pretiosus *Babylon in manu Domini*, dū pro Domino propinabatur, *inebrians omnem terram. De vinea eius biberunt gentes;* sic in Apocal. 17. & 18. *& ideò commota sunt* destructæ, at nùnc Babyloni propinatur, proptereà *subitò cecidit Babylon*, in Apocal. vt suprà idem, *& contrita est, vlulate supèr eam, tollite resinam*, medicinam *ad dolorem eius si fortè sanetur*, quasi non sana-

sanabitur,& dicetis, *curauimus Babylonem*, præsupponitur tulisse eos resinam ad sanandum; & tentasse curationem, etsi credo hanc figuratam locutionem, non quòd hæc fienda, vel facta, sed ad demonstrandam calamitatem insta item non euitabilem, *et non est sanata; derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam, quoniam peruenit vsquè ad cælos*, hinc grauitas, sicùt in Sodoma, & Gomorrha. Gen. 18. clamore sanguinis Abel Genes. 4. *iudicium eius*, condemnatio, destructio, vt nullum remedium supersit, *& eleuatum est vsquè ad nubes*, vndè non est in nostra potestate. *Protulit* in publicum, pro rostris: *Dominus iustitias nostras*, ostendit ex Babylonis punitione nos iniustè,& vltrà condignum grauatos à Chaldæis; sic Iacob: respondebitq. mihi cràs iustitia mea Gen. 30. 33. hæc Iudæorũ verba, *venite, & narremus*, manifestemus, & laudemus simùl, *in Sion opus Domini Dei nostri*, liberantis nos, & Chaldæos perdentis. *Acuite sagittas, implete pharetras*. hæc ad Medos, non Chaldæos, vt clarè ex sequentibus *suscitauit Dominus*, in cuius manu cor regis *spiritum regum Medorum, & contrà Babylonem mens eius est, vt perdat eam, quoniàm vltio Domini est, vltio templi sui*, exusti à Babylonijs: sic & suprà capit. 50. *Supèr* hæc ad Chaldæos, *muros Babylonis leuate signum, augete custodiam: leuate custodes, præparate insidias, quia cogitauit Dominus, & fecit quæcumque locutus est contrà habitatores Babylonis: quæ habitas*, sita es, *supèr aquas multas*, iuxtà Euphratem, *locuples in thesauris: venit finis tuus pedalis*, mensura statuta, proùt Daniel. 5. appensus es in statera, &c. sic Gen. 15. nōdùm cōpletæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Vel *pedalis* à radice: sic vulgaritèr, tagliar da pie le, *præcisionis tuæ. Iurauit Dominus exercituum per animã suam* per se, vt ex Paulo, nèc pœnitebit; ideò iurat, inquit Rabanus, vt sciamus certa esse, quæ dicit. *Quoniã replebo te hominibus* inimicis tuis tibi aduersantibus, *quasi brucho, & supèr te celeuma cantabitur*, præ lætitia, *qui* ille, qui iurauit, omnipotens est, nàm *fecit terram in fortitudine sua; præparauit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos. Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cælo, qui leuat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit, & produxit ventum de thesauris suis*, eccè thesaurus, de quo capit. 50. *Stultus factus est omnis homo à scientia*, quæ defecit, *confusus est omnis conflator in sculptili, quia mendax est conflatio eorum, nèc est spiritus in eis. Vana sunt opera, & risu digna, in tempore visitationis tuæ peribunt*; Hæc contrà idolòlatras, & fabricatores idòlorum. *Non sicùt hæc pars Iacob*, idòla, nùnc pòst vexationem captiuitatis, *quia qui fecit omnia* Deus, *ipse est* pars Iacob, *& Israel sceptrum* regnum, basis *hæreditatis eius; Dominus exercituum nomen eius. Collidis tu mihi vasa belli*, instrumenta bellica aliorum populorum virtute mea, vtì minister meus, quod tamèn arrogas virtuti tuæ, *& ego collidam in te*, cùm te ipsa etiàm *gentes, & disperdam in te regna; & collidam in te equum, & equitem eius; & collidam in te currum, & ascensorem eius; & collidam in te virum & mulierem; & collidam in te senem, & puerum; & collidam in te iuuenem, & virginem; & collidam in te pastorem, & gregem eius, & collidam in te agricolam, & iugales eius*, boues, aratores; *& collidam in te duces, & magistratus. Et reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum suum, quod fecerunt in Sion in oculis vestris*, ò Iudæi, & sic recipiet quod fecit, *ait Dominus: Eccè ad te mons* Babylon, fortis, vel superba, *pestifer*, qui quasi peste vastitate replesti omnia, *ait Dominus, qui corrumpis vniuersam terram, & extendam manum meam* ad te puniendum, *supèr te, & euoluam te de petris, & dabo te in montem combustionis*, in aceruum cineris. *Et non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta, sed perditus in æternum eris*, nihil remanebit ad vllum vsum aptum, *ait Dominus. Leuate signum in terra*, hæc per Dominum, non per duces, vt constat ex sequentibus ad milites contrà Babylonem: *Clangite buccina in gentibus, sanctificate*, congregate *supèr eam gentes: annunciate contrà illam regibus Ararat, Menni*,

ni, *& Ascenez*: *numerate contrà eam Taphsan*, *adducite equum* equos, *quasi bruchum aculeatum*. *Sanctificate* congregate *contrà eam gentes*, *reges Mediæ*, *duces eius*, *et vniuersos magistratus eius*, *cunctamquè terram potestatis eius*, *et commouebitur terra*, *et conturbabitur*, *quia euigilabit contrà Babylonem cogitatio Domini*, *vt ponat terram Babylonis desertam*, *et inhabitabilem*. *Cessauerunt*, ostendit fortitudinem Babylonis ademisse, *fortes Babylonis à prælio*, *habitauerunt in præsidijs*. *deuoratum est robur eorum*, *et facti sunt*, *quasi mulieres*, timidi, absquè viribus: *incensa sunt tabernacula eius*, *contriti sunt vectes eius*, illam sustentantes. *currens obuiam currenti veniet*, *et nuncius obuius nuncianti*: *vt annunciet regi Babylonis* conuiuanti, vt Daniel. 5. *quia capta est ciuitas eius à summo vsquè ad summum*, *et vada præoccupata sunt*, *et paludes incensæ sunt igni*, ad tutius transuadandum flumina, vel aquas, *et viri bellatores conturbati sunt*, *quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel*: *filia Babylonis quasi area*, in qua terenda, *tempus trituræ eius* destructionis, *adhùc modicum*, *et veniet tempus messionis eius*, trituram præcessuræ. *Comedit me*, hæc Ierusalem ad Dominum, *deuorauit me Nabuchodonosor rex Babylonis*, *reddidit me quasi vas inane*, *absorbuit me quasi draco*, vt Ionas à Cete, *repleuit ventrem suum teneritudine mea*, *et eiecit me* de loco meo. *Iniquitas* strages *aduersùm me* facta à Chaldæis, *et caro mea* lacerata, *supèr Babylonem vertatur*, *dicit habitatio Sion*, *et sanguis meus supèr habitatores Chaldææ*, *dicit Ierusalem*. *Propterea hæc dicit Dominus* audiēs, motus ad lamentationem hanc, dicit pœnas in Babylonē: *Eccè ego iudicabo causam tuam*, *& vlciscar vltionem tuam*: sic Deuter. 32. *& desertum faciam mare eius*, *& siccabo venam eius*, mare hic pro fluminibus, & congregatione aquarum, Euphrate, ex more Scripturæ: *& erit Babylon in tumulos*, *habitatio draconum*, *stupor*, *& sibilus*, eò quòd *non sit habitator*: *simùl*, *vt leones rugient* præ dolore: *excutient comas veluti catuli leonum*, oppressi, & victi, *In calore eorum*, dùm siti magis conficientur, *ponam potus eorum*, vt ingurgitēt maiorem vini copiam, *Et* (eccè effectus malus) *inebriabo eos*, *vt sopiantur*, *& dormiant somnum sempiternum*, *& non consurgant* moriantur *dicit Dominus*, Dan. 5. *deducam eos quasi agnos ad victimam*, *& quasi arietes cùm hædis*, ità vt nèc se defendant, sed simùl omnes trucidentur, dùm calicibus epotandis student, ex quo sequitur, *Quomodò capta est Sesach Babylon*, *& comprehensa est inclyta vniuersæ terræ*? *quomodò facta est in stuporem Babylon intèr gentes*? sic & de Ierusalem. *Ascendit supèr Babylonem mare*, exercitus magnus, cui resisti non potest, *multitudine fluctuum eius operta est*, *factæ sunt Ciuitates eius in stuporem*, *terra inhabitabilis*, *& deserta*, *terra*, *in qua nullus habitet*, *nèc transeat per eam filius hominis*. *Et visitabo supèr Bel in Babylone*, *& eijciam quod absorbuerat de ore eius*, dando responsa, & pro illis recepta dona. Vel repositum antè eum pro esu ea nocte, in qua conuiuia à rege, & alijs parata, & vide in Daniele c. 14. *& non confluent ad eum vltrà gentes*, *siquidèm*, *& murus Babylonis corruet*. *Egredimini* suadet ad fugam, sic Christus ad electos suos in Euangelio, ideò sicùt hìc aliæ suasiones de fuga, & egressu ad Iudæos, *de medio eius populus meus*: *vt saluet vnusquisque animam suam ab ira furoris Domini*, *& nè fortè mollescat cor vestrum*, *vt timeatis auditum*, *qui audietur in terra*, tumultus exercitus, & belli, *& veniet in anno auditio*, primo de aduentu exercitus, & belli *& pòst hunc annum auditio*, de destructione instanti, *& iniquitas*, destructio, pœna pro sceleribus, & quia non conuersi ad significationes, *in terra* Babylonis, *& dominator supèr dominatorem*, Cyrus, Persa pòst Darium, Medum. *Propterea eccè dies veniunt*, *& visitabo* destruens, *supèr sculptilia Babylonis*, *& omnis terra eius confundetur*, *& vniuersi interfecti eius cadent in medio eius*, absquè vlla defensione, *Et laudabunt gratias agētes supèr Babylonē cæli*, *et terra*, *et omnia quæ in eis sunt*, omnes creaturæ, *quia ab Aquilone venient ei prædones*, exercitus Medorum, & Persarum, *ait Dominus*. *Et quomodò fecit Babylon*, *vt caderent occisi in Israel*: *sic de Babylone cadent occisi in vniuersa*

uersa terra, eadem mensura remetietur eis, *Qui fugistis gladium*, Babyloniorum captiui ducti, *venite* ad terram vestram, *nolite stare: recordamini procùl Domini, et Ierusalem ascendat supèr cor vestrum*; eccè quomodò sempèr inuitantur Iudæi ad fugam. *Confusi* respondēt Iudæi *sumus, quoniàm audiuimus opprobrium; operuit ignominia facies nostras: quia venerunt alieni supèr sanctificationem domus Domini* templūm, quasi quid ibi faciemus? *Proptereà* quia hæc facta à Nabuchodonosor, *eccè dies veniunt, ait Dominus: et visitabo supèr sculptilia eius, et in omni terra eius mugiet vulneratus. Si ascenderit Babylon in Cœlum, et firmauerit in excelso robur suum: à me venient vastatores eius, ait Dominus. Vox* designat futura *clamoris de Babylone, et contritio magna de terra Chaldæorum, quoniàm vastauit Dominus Babylonem, et perdidit ex ea vocem magnam* arrogantiam, superbiam, vel aquarum, quia subdit, *et sonabunt fluctus eorum*, quibus immergentur ab exercitu, stat in prima metaphora maris. *quasi aquæ multæ: dedit sonitum vox eorum: quia venit supèr eam idest supèr Babylonē prædo, et apprehensi sunt fortes eius, et emarcuit arcus eorū*, fortitudo eorum: dicit Daniel, emarcui, nèc habui quicquam viriū, *quia fortis vltor Dominus reddēs retribuet: et inebriabo principes eius, et sapiētes eius, et duces eius, et magistratus eius, et fortes eius, et dormient somnum sempiternum, et nō expergiscētur* moriētur, *ait rex, Dominus exercituum nomen eius. hæc dicit Dominus exercituum Murus Babylonis ille latissimus suffusione suffodietur, & portæ eius excelsæ igni comburentur, & labores populorum*, in ædificijs extruendis ad quæ coacti, non opes eorum; & si de laboribus obsessa ciuitate agerētur, potiùs dicerētur de laboribus ciuium, non extraneorum, vel saltèm, & ciuium *ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & disperibunt. Verbum, quod præcepit Ieremias propheta Saraiæ filio Neriæ filij Maasiæ, cùm pergeret cū Sedecia rege in Babylonem in anno quarto regni eius. Saraias autèm erat princeps prophetiæ* musices, prophetare enim sumitur pro psallere, canere, vt in Saule, & nuncijs. dicit qualitatem personæ ad maiorem fidem acquirendam. *Et scripsit Ieremias omne malum, quod venturum erat supèr Babylonem in libro vno omnia verba hæc, quæ scripta sunt contrà Babylonem. Et dixit Ieremias ad Saraiam, cùm veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc, dices: Domine, tu locutus es contrà locum istum, vt disperderes eum: nè sit qui in eo habitet ab homine vsquè ad pecus, & vt sit perpetua solitudo. Cumquè compleueris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, projicies illum in medio Euphraten, & dices: sic submergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis, quam ego adduco supèr eam, & dissoluetur*, simile in Apocal. 17. & 18. *Hucusquè verba Ieremiæ*, iussa referenda à Seraia. Ad capita præcedentia conueniunt psalmi 125. & 136. quarè hic eos explicare, & annectere volui.

In conuertendo, dùm conuertere disposuit *Dominus captiuitatem Sion*, nostram Babylonicam in libertatem, proùt edicto Cyri omnibus innotescere fecit, *facti sumus sicùt consolati*, consolationem recipientes pòst tot ærumnas, & clariùs se explicans.

Tùnc illud audientes *impletum est gaudio os nostrum*, vel, proùt solet ex cibo, vel meliùs, vt subdit, *& lingua nostra exultatione*, Deum laudibus efferentes; illicquè gratias agentes.

Tùnc nobis in libertatem vindicatis *dicent intèr gentes*, hæc intelligentes *magnificauit Dominus facere cùm eis* Iudæis.

Magnificauit Dominus facere nobiscum verè ex sua misericordia, hìnc *facti sumus lætantes*, at nè differas libertatem, quam adeò expetiuimus, sed

Conuerte Domine captiuitatem nostram, dicebant omnes captiui, quorum nullus adhùc abijerat, *sicùt torrens*, qui præcipitantèr ruit, citò, festinantèr *in Austro* eo vento vrgente, sicquè fier, vt

Qui seminat seminauerunt *in lacrymis* in captiuitatem ducti *in exultatione* transmigrantes *metent*, sìc enim solent messores pòst iacta semina.

Euntes in captiuitatem *ibant, & flebant mittentes semina sua* ignorantes an ex eis quicquam recollecturi.

Venien-

Venientes autèm à captiuitate in libertatem, *venient cùm exultatione* certi de fructibus, *portantes manipulos suos*, quòs ex messe collegerunt.

Psal. verò 136. *Psal. Dauid*, qui est Dauidis accommodatus à Ieremia reuersis à captiuitate Babylonica. *Super iuxtà flumina Babylonis*, referebant reuersi à captiuitate Babylonica, in quorum persona hæc dicuntur; solitudinem in mœrore nostro quærentes *illic sedimus* tristès, *& fleuimus* statum nostrum; *dùm recordaremur Sion*, & bonorum in ea, quià dicunt *illic*, & de præterito, ideò sub nomine reuersorum hæc ponuntur. *In salicibus in medio eius*, in Babylone, sic in medio Cœli, in medio Ierusalem, in cœlo, in Ierusalem, *suspendimus* more illorum, qui nolunt his vti *organa nostra* instrumenta musica, quasi nullã consolatione, aùt lætitiã admittentes.

Quia nàm *illic* eccè iterùm de reuersis agi *interrogauerunt nos*, scrutantes an cantores essemus *qui captiuos duxerunt nos*, *verba cantionum*, quæ illis caneremus.

Et qui abduxerunt nos tamquàm oues dicebant, *hymnum cantate nobis de canticis Sion*, nos verò præ tristitia respondebamus.

Quomodò cantabimus canticum Domini sacrum *in terra aliena?* vel quia captiui, & tristes, proùt Aaron occisis filijs, Leui. 10. in fin. vel quia iussi extrà non canere, ne margaritas proijcerent antè porcos; & cùm ex his afficerentur vehementèr ad Ierusalem, subdunt.

Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea, omni bono meo priuer. *Adhæreat lingua mea faucibus meis*, vt loqui non possim, *si non meminero tui*, *si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ*, quam expectò, quasi sinè ea nunc nihil mihi lætum accidere potest. Et quia Idumæi instigabant Chaldæos ad destructionem Ierusalem eis odiosæ, subdunt. *Memor esto Domine* ad vindicandum, & puniendum, *filiorũ Edom* Idumææ *in die* mala, & destructionis, sicùt Christus de clade Romana prænuncians, quia venient dies in te *Ierusalem*, nempè quid contrà eam tùnc tractauerint, non commiserantes.

Qui dicunt, dicebant, præsens pro præterito, vt magis afficiat, vel quia adhùc in eis vox illa in auribus remanebat, seù resonabat, *exinanite, exinanite* in puluerem redigite Ierusalem, *vsquè ad fundamentũ* quicquid *in ea*, posteà vertentes se ad Babylones, quorum ruina prædicta, & expectata.

Filia Babylonis, Babylon *misera* citò absumenda, *beatus* fœlix, à Deo protectus: sic Darius, & Cyrus, *qui retribuet tibi retributionem tuam*, te destruendo, *quã sicùt retribuisti nobis*, quos priuasti Ciuitate, & tẽplo, per tuos versus: sic Ieremias suprà.

Beatus fœlix *qui tenebit*, possidebit, *& allidet paruulos suos* Babylonios *ad petram*, ità vt sinè vllo habitatore sedeas in æternum derelicta; nàm quandò reuersa captiuitas, nondùm erat penitùs deleta, Cyro ibi habitante cùm suis. Vel fœlix reputabitur, qui etiàm proprios filios necauerit, antequàm veniat tanta calamitas.

CAPVT LII.

F*ILIVS viginti, & vnius anni erat Sedecias, cùm regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ierusalem, & nomen matris eius Amital filia Ieremiæ de Lobna, & fecit malum in oculis Domini* palàm, Deo vidente, quem nihil latet, *iuxtà omnia quæ fecerat Ioachim, quoniàm furor Domini erat in Ierusalem, & in Iuda vsquequò proijceret eos à facie sua, & recessit Sedecias à Rege Babylonis*, contrà iuramentum. *Factum est autèm in anno nono regni eius, in mense decimo* decima mensis: *venit Nabuchodonosor rex Babylonis ipse, & omnis exercitus eius aduersùs Ierusalem, & obsederunt eam, et ædificauerunt contrà eam munitiones in circuitu*, de quibus in Threnis. *Et fuit ciuitas obsessa vsquè ad vndecimum annum regis Sedeciæ: Mense autèm quarto, nona mensis obtinuit fames ciuitatem*, de qua in Threnis, *& non erant alimenta populo terræ; & dirupta est Ciuitas, & omnes viri bellatores eius fugerunt, exieruntquè*

runtquè de ciuitate nocte per viam portæ, quæ est intèr duos muros, & dicit ad hortum regis (Chaldæis obsidentibus vrbem in gyro) & abierunt per viam quæ ducit in eremum. Persecutus est autèm Chaldæorum exercitus regem, & apprehenderunt Sedeciam in deserto, quod est iuxtà Iericho, & omnis comitatus eius diffugit ab eo. Cumquè comprehendissent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath, & locutus est ad eum iudicia, quomodò excesserit contrà eum. & iugulauit Rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis eius, ad maiorem eius dolorem, & vt cessaret sceptrum in Iuda iuxtà prophetiam Iacob Genes. 49. sed & omnes principes Iuda occidit in Reblatha, & oculos Sedeciæ eruit, sicùt eruti & Samsoni, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum rex Babylonis in Babylonem, & posuit eum in domo carceris vsquè ad diem mortis eius. In mense autèm quarto decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps militiæ, qui stabat coràm rege Babylonis ex primarijs, & domesticis, in Ierusalem, & incendit domum Domini, & domum regis, & omnes domos Ierusalem, & omnem domum magnam igni combussit, & totum murum Ierusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cùm magistro militiæ. De pauperibus autèm populi, et de reliquo vulgo, quod remanserat in Ciuitate, & de perfugis, qui transfugerant ad regem Babylonis, & cæteros de multitudine, transtulit Nabuzardan princeps militiæ in Babylonem. De pauperibus verò terræ reliquit Nabuzardan princeps militiæ vinitores, & agricolas, vt responderent pro tributis. Columnas quoquè æreas, quæ erant in domo Domini, & bases, et mare æneum, quod erat in domo Domini confregerunt Chaldæi, et tulerunt omne æs eorum in Babylonem, et lebetes, et creagras, et psalphialas, et mortariola et omnia vasa ærea, quæ in ministerio fuerant: tulerunt, et hydrias, et thymiamateria, et vrceos, et pelues, et candelabra, et mortaria, et Cyathos: quotquot aurea, aurea: quotquot argentea, argentea: tulit magister militiæ, et columnas duas, et mare vnū, et vitulos duodecim æreos, qui erant sub basibus, quas fecerat rex Salomō in domo Dñi: nō erat pondus æris horum omniū vasorum: de columnis autē decē et octo cubitis altitudinis erant in colūna vna, et funiculus duodecim cubitorū circuibat eam: porrò grossitudo eius quattuor digitorū, et intrinsecùs caua erat, et capitella supèr vtramq. ærea, altitudo capitelli vnius quinque cubitorū, et retiacula & malogranata supèr coronam in circuitu, omnia ærea similitèr columnæ secundæ, et malogranata. Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia, et omnia malogranata centum retiaculis circūdabantur. Et tulit magister militiæ Saraiā Sacerdotem primū, cui Ieremias dedit mandatū sup. c. 51. in fin. Et Sophoniā Sacerdotem secūdum, et tres custodes vestibuli. Et de ciuitate tulit eunuchū vnū, qui erat præpositus supèr viros bellatores, & septē viros de his qui videbant faciem regis, qui inuenti sunt in ciuitate, & Scribā principem militū, qui probabat tyrones, et sexaginta viros de populo terræ, qui inuenti sunt in medio ciuitatis. Tulit autē eos Nabuzardan magister militiæ & duxit eos ad regem Babylonis in Reblatha. Et percussit eos rex Babylonis, et interfecit eos in Reblatha in terra Emath, et trāslatus est Iuda de terra sua: iste est populus, quē transtulit Nabuchodonosor: in anno septimo, Iudæos tria millia, et viginti tres: in anno octauodecimo Nabuchodonosor de Ierusalem animas octingentas triginta duas: in anno vigesimotertio Nabuchodonosor trāstulit Nabuzardā magister militiæ animas Iudæorū septingentas quadraginta quinque; omnes ergò animæ quatuor millia sexcētæ. Et factū est in trigesimo septimo anno trāsmigrationis Ioachim regis Iuda, duodecimo mense vigesimaquinta mensis, eleuauit Euilmerodac rex Babylonis ipso anno regni sui caput Ioachim regis Iuda, et eduxit eū de domo carceris. Et locutus est cùm eo bona et posuit thronū eius supèr thronos regum, qui erāt pòst se in Babylonem, et mutauit vestimenta carceris eius, et comedebat panē coràm eo sempèr cunctis diebus vitæ suæ, commētalis erat, vt Dauid Saulis, et cibaria eius, cibaria perpetua dabantur ei à rege Babylonis statuta per singulos dies, vsquè ad diē mortis suæ cunctis diebus vitæ eius pro familia sua.

PROPHETIAE IEREMIAE FINIS.

THRENI, IDEST, LAMENTATIONES

IEREMIAE PROPHETAE.

E*T factum est, postquàm in captiuitatem redactus est Israel*, hìc pro Iuda, vt sæpè dixi, & infrà 1. cap. migrauit Iudas, *& Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ierusalem, & amaro animo suspirans, & eiulans dixit:*

CAPVT I.

Aleph.

QVOMODO admirantis est, & dolentis *sedet* destructa, arsa, solo æquata, *sola* absquè habitatoribus, & aduenis, *ciuitas* olìm *plena populo* multo, frequenti, *facta est quasi vidua* derelicta, absquè sceptro, & dominio, dicit *quasi* quia vtitur verbo muliebri translatiuè ad ciuitatem *domina Gětium* multarum, quibus imperabat: sic Babylon apud Isa. 47. 8. dicebat: non sedebo vidua, & Apoc. 18. 17. vidua non sum: *princeps prouinciarum* sibi subditarum, & tributariarum *facta est sub tributo*, serua alienæ potestatis sub Chaldæis, de hac enim captiuitate agitur, non de Romana.

Beth.

Plorans plorauit in nocte, etiàm in nocte, qua requies sumitur, quasi sempèr: & infrà *tota die mærore confectam, & lacrymæ eius, in maxillis eius*, defluentes, & apparentes, quasi incessantèr descendentes, *non est, qui consoletur eam ex omnibus charis eius*, quia omnes abierunt captiui, quod auget dolorem, vel non minuit, vndè Iob ab amicis inuisitur Iob. 2. & illè, consolantem me quæsiui, & non inueni, *omnes amici eius*, Aegyptij, vel alij *spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici* in hac strage sua, quod etiàm vrget.

Ghimel.

Migrauit ex ea *Iudas* aliqui ex Iuda, eccè quomodò charis priuata. Ierem. 40. *proptèr afflictionem, & multitudinem seruitutis* vitandam ad alias regiones, *habitauit intèr gentes* alienas, *nèc inuenit requiem*, quia, & ibi persecutio, *omnes persecutores eius apprehenderunt eam intèr angustias* addentes afflictionem afflictæ; sed hæc à Domino prædicta, vt vidimus in eodem Ieremia.

Daleth.

Viæ Sion lugent, apparent more lugentium mœstæ *eo quòd non sint qui veniant ad solemnitatem*, illas frequentantes more solito, *omnes portæ eius destructæ*, ità vt feris pateant,

parcant, *Sacerdotes eius gementes* ob ciuitatis, & templi eiectionem: sic plorabunt Sacerdotes ministri Domini: *virgines eius squallidæ*, ob timoris, & angustiarum oppressionem; *& ipsa* omnia comprehendens *oppressa amaritudine* nimia.

He.

Facti sunt hostes eius in capite superiores: *inimici eius locupletati sunt* ex pretiosis eius: *quia Dominus locutus est super eam* malum, *propter multitudinem iniquitatum eius*, & sic iuste, & à Domino, à quo omnia recognoscit, proùt Iob *paruuli eius*, saltèm misericordia digni, *ducti sunt in captiuitatem antè faciem tribulantis*, dum adducerentur crudeliter, & asperè.

Vau.

Et egressus est à filia Sion omnis decor eius, ornatus ex prædictis, ità vt recognoscere eam non valeam: *facti sunt principes eius velùt arietes non inuenientes pascua*, fame attriti in obsidione, *& abierunt absquè fortitudine* lassi ob famem, *antè faciem subsequentis*, ducentis Chaldæi.

Zain.

Recordata est, sed serò pòst tantam contumaciam, *Ierusalem dierum afflictionis suæ & præuaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis*, duo combinantes, nempè afflictionem præsentem, & præuaricationem præteritam à tempore Moysis citrà, quo tot bona recepit. *cùm caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator*: tunc enim vexatio dedit intellectum. Hinc non rectè dictum à Figuerio, & alijs versi. 2. Ierusalem plorasse tantùm ob temporalia amissa: nàm hucusquè, & vltrà recurrendum fuit, *viderunt eam hostes*, sic indefensam, *& deriserunt Sabbata eius*, cultum eius, in quo Iudæi confidebant, postquàm eis non iussi agabatur.

Heth.

Peccatum peccauit maximum idololatriæ *Ierusalem, propterea instabilis facta est* amota est de loco suo, *omnes, qui glorificabant eam*, dùm florebat *spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius*, maximam Chaldæis passam: *ipsa autèm gemens*, non habens quid aliud ageret, *conuersa est retrorsùm*, se occultans, vt solent captiui, vel ad carceres ducti, nè cognoscantur.

Teth.

Sordes eius in pedibus eius in suis affectibus, & actibus pessimis, & idololatricis, *nèc recordata est finis sui*, in quem mòdo deuenit, *deposita est vehementèr* vsquè ad profundum, *non habens consolatorem*, eam erigentem. *vide* (dicit Ierusalem, vel potiùs propheta) *Domine afflictionem meam*, & subueni, *quoniàm erectus est inimicus* Chaldæus contrà me sæuiens.

Iod.

Manum suam fortitudinem, potentiam, imperium *misit hostis ad omnia desiderabilia eius* auferenda, & quod maius est, *quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum* templum, in quo adeò confidebant, & eis charum erat, & quod maximè cauebant Hebræi, Acto. 21. 28. *de quibus præceperat nè intrarent*, admitterentur *in Ecclesiam tuam* populum tuum, Deut. 23.

Caph.

Omnis populus eius gemens, & quærens panem fame attritus: *dederunt pretiosa quæquè pro cibo ad refocillandā animam*, tanta fuit pœnuria in obsidione, non pòst captam vrbem, quia tunc pretiosa non erant in eorum potestate, *Vide Domine, & considera, quoniàm facta sum vilis*, abiecta, quæ dùm tibi seruiebam, inclyta eram, sic Ierusalem.

Lamed.

O vos omnes, prouocat alios ad iudicium doloris sui excedentis, *qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicùt dolor meus: quoniàm vindemiauit me*, vsquè ad racemos, *vt locutus est Dominus in die furoris sui* iusti.

Mem.

De excelso misit ignem in ossibus meis, ad quæ penetrauit, ità vt totam consumpserit, *& erudiuit me*, hac vexatione quæ priùs non auscultabam: *expandit rete pedibus meis*, & cepit me quasi auem aucupio suo *conuertit me retrorsùm* in abiectionem, vel nè vltrà progrederer. *posuit me desolatam tota die mœrore confectam*, vt non inueniam in quo consoler, & sic à Domino (proùt Iob) agnoscit calamitatem suam.

Nun.

Vigilauit citò veniens *iugum*, quo premor,

mor, & ligor in calamitate posita; *iniquitatum mearum: in manu eius*, Dei *conuoluta sunt, & impositæ collo meo*, ad pœnam, sicùt peccator funibus peccatorum suorum constringitur, ità vt eo difficiliùs eruar: *infirmata est virtus mea*; præ pondere, & Dauid, sicùt onus graue grauatæ sunt supèr me: *dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere*; sinè suo auxilio, non hìc de captiuitate Romana, vt aliqui dicunt, sed de Babylonica, & loquitur more desperantis, & dolentis.

Samech.

Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei, gladio, fame, captiuitate: *vocauit aduersùm me tempus*, ab eo præfixum, & aptum. *vt contereret electos meos: torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda*, exprimens ex eo quicquid boni inerat, & abijciens: suprà de vindemia, nùnc auget.

Ain.

Idcircò ego Iudæa, vel Ierusalem *plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus est à me consolator* Deus, *conuertens animam meam*, vitam meam à doloribus, & ærumnis: *facti sunt filij mei perditi*, aberrantes, captiui, *quoniàm inualuit inimicus*, nempè Chaldæus eos dissipans, occidens, abducens, non hìc de Romanis.

Phe.

Expandit Sion manùs suas, more mœrentis, & auxilium implorantis, *non est qui consoletur eam: mandauit Dominus aduersùm Iacob in circuitu eius hostes eius*, Chaldæos, *facta est Ierusalem quasi polluta menstruis* abominabilis, & vitanda *intèr eos* hostes.

Sade.

Iustus est Dominus, & Dauid, iustus es Domine, & rectum iudicium tuum *ad iracundiam prouocaui*, peccatis meis, fatetur se iustè pati, deindè vertit se ad indicandum dolorem. *Audite obsecrò vniuersi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ, & iuuenes mei*, qui solent amabiliores esse, & delicati, hinc maior causa dolendi, *abierunt in captiuitatem*.

Coph.

Vocaui amicos meos Aegyptios, *& ipsi deceperunt me*, quia non adiuuerunt, & in Psal. si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq. & si is, qui oderat, &c. tu verò homo, &c. *Sacerdotes* verò *mei, & senes mei in vrbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi, vt refocillarent animam suam*, nèc inuenerunt quasi nihil mihi conferre potuerunt.

Res.

Vide Domine, & consolare tu misericors, postquàm in hominibus consolationem non inuenio, *quoniàm tribulor, turbatus est venter meus: subuersum est cor meum in memetipsa, quoniàm amaritudine plena sum; foris*, in plateis, *interfecit gladius, & domi mors similis est*, vndè euadere non possum, recurrit ad Deum narrans tribulationem, vt eam respiciens, auxilium det.

Sin.

Audierunt hostes, *quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniàm tu fecisti*; hæc omnia ad mouendum magìs Deum, quò ab inimicis spernitur, *tu fecisti*. & Ezechias: quid dicam, aùt quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit? sic & Dauid: *adduxisti*. At tandèm placatus adduces. vtitur verbo de præterito pro certitudine prophetiæ, *diem consolationis*, qua liberabimur à captiuitate, pòst annos septuaginta, *& fiet* Babylon derelicta, & arsa *similis mei*.

Thau.

Ingrediatur omne malum eorum coràm te ad puniendũ, *et vindemia eos sicùt vindemiasti me proptèr omnes iniquitates meas*, hæc ad implementum diuinæ iustitiæ, vel ad prædictionem, *multi ènim gemitus mei, & cor meum mœrens*, vndè ad meam exonerationem hæc proferre cogor dolore acta.

Ooo CAPVT

CAPVT II.

Aleph.

QVOMODO *obtexit caligine*, obſcurauit *in furore ſuo Dominus filiam Sion: proiecit de cœlo*, ad quod eleuatam, ſic de Capharnao, Matth. 11. 23. *in terram inclytam Iſrael, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum*, templi, & arcæ: dicebatur enim Dominus ſedere ſupèr Cherubim in arca, quæ erat in tẽplo, propter quod Idumę non reputabant illam ruinam futurã *in die furoris ſui* contrà Ieruſalem.

Beth.

Præcipitauit more irati nihil reſpicientis, *Dominus, nèc pepercit omnia ſpecioſa Iacob*, ciuitatem, templum, domos *deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis Iuda*, quibus defendebatur ab hoſtibus, *& deiecit in terram, polluit regnum*, ex ignominia paſſa, *& principes eius* occiſos, vel in captiuitatẽ ductos ampliùs ad regnum non reintegrandos, vt dixi Geneſ. 49.

Ghimel.

Confregit in ira furoris ſui omne cornu, potentiam *Iſrael*, nõ hic de duobus regnis, cùm agat de captiuitate Babylonica tãtùm: *auertit retrorsùm dexterã ſuã*, qua illũ defendere ſolebat, *à facie inimici* inſultantis, *et ſuccẽdit in Iacob quaſi ignẽ flãma deuorãtis in gyro*, omnia cõprehendentis, qui ignis fuit exercitus Chaldæorum, ideò quaſi dixit.

Daleth.

Tetendit arcum ſuum ad feriendum, *quaſi inimicus, firmauit dexteram ſuam quaſi hoſtis*, quaſi inimicus, & hoſtis, quia non more hoſtis punit, ſed patris, *& occidit omne quod pulchrum erat viſu*, virorũ, ac mulierum, ſeù vaſorum, *in tabernaculo filiæ Sion*, Ieruſalẽ, *effudit quaſi ignem* comburentem *indignationem ſuam*.

He.

Factus eſt Dominus velùt inimicus: præcipitauit Iſrael, præcipitauit omnia mœnia eius, diſſipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam, vt omnes humiles, abiectos reddiderit.

Vau.

Et diſſipauit quaſi hortum deliciarum, in quo oblectabatur, *tentorium ſuum demolitus eſt tabernaculum ſuum*, templum, recidit in idẽ cùm tentorio, & hic de Salomonico, non Silotico, *obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem, & ſabbatum* non curans ſibi ampliùs hæc exhiberi à populo iniquo, *& in opprobrium, & in indignationem furoris ſui regem, & Sacerdotem* à Nabuchodonoſor malè habitos, Sedeciam, & Saraiam.

Zain.

Repulit Dominus altare ſuum, in quo ſacrificabatur ei, *maledixit ſanctificationi ſuæ*, templo, ſpernens illud: *tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt* inimici, more victorum *in domo Domini, ſicùt in die ſolemni* fiebat per Sacerdotes.

Heth.

Cogitauit, & perfecit *Dominus diſſipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum ſuum* ad deſtructionem, vt in Dauid habente funiculos ad deſtruendum, & conſtruendum. ſic & Chuſai 2. Reg. 17. quòd ſi vrbem aliquam fuerit ingreſſus, circumdabit omnis Iſrael ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, &c. nequè hic de menſuris, *& non auertit manum ſuam à perditione* totali, extrema: *Luxitquè antè murale*, quod deiectum, *& murus paritèr diſſipatus eſt*.

Teth.

Defixæ ſunt in terra portæ eius, in quibus iudicia exercebantur, & defenſio vrbis erat, *perdidit, & contriuit vectes eius*, hinc de portis veris, & proprijs *regem eius, & principes eius in gentibus* captiuos. *non eſt lex*, quia defecerunt viri obſeruantes, & loca, & omnis congregatio, *& prophetæ eius non inuenerunt viſionem à Domino*, qui iratus noluit reſpondere, prætèr Ieremiam: ſic Saul non inuenit reſponſum.

Iod.

Sederunt in terra mœſti, & dolentes, vtì amici Iob. *conticuerunt ſenes* miſericordia digni, præ ſtragis magnitudine *filiæ Sion cõſperſerunt cinere capita ſua accincti ſunt cilicijs, abiecerunt in terram capita ſua virgines Ieruſalem*, vt ſolent in maximo dolore conſtituti: ſic Achab.

Caph.

Caph.

Defecerũt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum supèr cõtritione filiæ populi mei, his exprimit dolorem suum; *cùm deficeret paruulus, & lactens*, quibus nèc misertum, *in plateis oppidi* Ierusalem.

Lamed.

Matribus suis dixerunt: vbì est triticum, & vinum? cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis: cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum, his repræsentat factum ad misericordiam prouocans.

Mem.

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Ierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? magna est enim velùt mare contritio tua: his docet excessum miseriæ. *quis medebitur tui?* quasi non est medicina tibi applicabilis.

Nun.

Prophetæ tui falsi *viderunt tibi falsa, & stulta, nèc aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent*, qua dabatur tibi remedium; hìc ergò agit, vndè ei calamitas, non vndè incurabilis: *viderunt autèm tibi assumptiones*, elationes bonas tibi, sed *falsas, et eiectiones* inimicorum, quæ non contigerunt, sed contraria.

Samech.

Plauserunt supèr te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput suum supèr filiam Ierusalem irridẽtes, lætantes, nequè tui compatientes. *hæccinè est vrbs, dicentes, perfecti decoris gaudium vniuersæ terræ?* ab omnibus frequentata: sic supèr Babylon. Apoc. 18.

Phe.

Aperuerunt supèr te os suum omnes inimici tui, quasi leones, *sibilauerunt, et fremuerunt dentibus* ad tuum exitium anhelantes, *& dixerunt: deuorabimus, en ista est dies, quam expectabamus: inuenimus, vidimus,* hìnc maior dolor, quò id contigit iuxtà eorum optata.

Ain.

Fecit Dominus quæ cogitauit, cõpleuit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis, contra idololatras, & desertores, vt in Moyse, & Isaia. *destruxit, & non pepercit, & lætificauit supèr te inimicum, et exaltauit cornu* potentiam *hostium tuorum*.

Sade.

Clamauit cor eorum Iudæorum ex vehementi desiderio *ad Dominum supèr muros filiæ Sion* conseruãdos, & propheta persuadet ad perseuerantiã. *deduc* ò Ierusalem, vel Iudæi, *quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem: non des requiem tibi, nequè taceat pupilla oculi tui*, sempèr insiste, vt ad misericordiam Deum prouoces.

Coph.

Consurge, non est tempus otiandi in tanta calamitate, *lauda in nocte in principio vigiliarũ*, anticipa tempus: *effunde sicùt aquã cor tuum*, non sola labia, vt solebas, *antè cõspectum Domini: leua ad eum manus tuas* orans, sìc Paulus: leuantes puras manus, *pro anima paruulorum tuorum*, proptèr paruulos, *qui defecerunt in fame, in capite omniũ compitorum* platearum ciuitatis.

Res.

Vide Domine, et considera quẽ vindemiaueris itã vt explicare nequeã: *ergò nè comedent mulieres fructum suũ paruulos ad mensuram palmæ?* tenerrimos dignos maiori misericordia. *si occiditur in sanctuario Domini Sacerdos, & propheta?* hoc etiam horrendum, quia ibì tibi seruiunt, & locus olìm tuus: & tamèn Chaldæi eis non pepercerunt; de Chaldæis enim agitur, non Iudæis occisoribus; ideò frustrà hìc de Zacharia; & quia hæc, quæ dicit, tùnc gesta; propterea nihil intendit de Romana.

Sin.

Iacuerunt in terra insepulti *foris puer, & senex: virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio, interfecti in die furoris tui: percussisti, nèc misertus es* puniens peccata nostra.

Thau.

Vocasti quasi ad diem solemnẽ in magna multitudine, & ad lætitiã: sìc Apoc. 18. vocantur aues, *qui terrerent me de circuitu*, nè euaderem, *& non fuit in die furoris Domini qui effugeret, & relinqueretur*; quia & Sedecias cùm principibus fugiẽs captus: *quos educaui, & enutriui, inimicus meus consumpsit eos* mihi charissimos, vt Nathan de oue edente de mẽsa pauperis. 2. Reg. 12.

CAPVT III.

EGO in triplo hoc nil puto esse mysterij, sed voluntatis prophetæ sic canendi, & lamentandi pro Ierusalem arsa, modò in eiusdẽ, modò sua, modò populi persona; & hoc conforme principio, & scopo prophetæ, qui de seipso tanta non dixisset; & omnia rectè ad historiam præcedentem aptantur, intèr quæ & aliqua de se.

Aleph.

Ego vir videns paupertatem meam, abiectionem, humilitatem meam, cùm paupertate omnia mala iunguntur, *in virga*, flagellante, percutiente, de qua cap. 1. 11. 12. *indignationis eius* Dei.

Aleph.

Me minauit, more pecudum Exod. 4. *Et adduxit in tenebras* captiuitatis, & carceris, *& non in lucem* lætitiam; hìc populus, non propheta.

Aleph.

Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam tota die, non dans requiem.

Beth.

Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam ex nimia angustia, & ærumnis, *contriuit ossa mea*, vires meas, debilis factus sum.

Beth.

Aedificauit in gyro meo, vt non possim euadere, *& circumdedit me felle, & labore*.

Beth.

In tenebris locis, vbi solét retineri captiui, *collocauit me quasi mortuos sempiternos* obliuioni traditos.

Ghimel.

Circumædificauit aduersùm me, vt non egrediar, quid hoc, subdit *aggrauauit compedem meum*, quo me strinxit.

Ghimel.

Sed & cùm clamauero, & rogauero, clamarem, rogarem, *exclusit orationem meam*, renuit me audire.

Ghimel.

Conclusit vias meas lapidibus quadris, firmis, *semitas meas*, ad egressum *subuertit*.

Daleth.

Vrsus insidians factus est mihi: leo in absconditis, vt me caperet.

Daleth.

Semitas meas subuertit, ità vt nihil conferrent, *& confregit me*, dissipauit, *posuit me desolatam*, vt non sit quò me vertam consolationem captura: hìc Ierusalem.

Daleth.

Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum, scopum *ad sagittam*, vt ab omnibus percuteret.

He.

Misit in renibus meis filias pharetræ suæ, sagittas, etiàm ad interiora mea peruenit sagittis.

He.

Factus sum in derisum omni populo meo, non credenti veris prophetis, *canticum eorum tota die*, eosdem irridentium: sic Ierusalem de se.

He.

Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio, priuauit me omni consolatione.

Vau.

Et fregit ad numerum dentes meos, nullum dimittens, vt nè cibum mandere possem, hoc ad ciborum pœnuriam demonstrandam; ideò declarans subdit, *cibauit me cinere*.

Vau.

Et repulsa est à pace anima mea, non est spes pacis, lætitiæ, gaudij, *oblitus sum bonorum*, quorum memoria lætificat, adeò assuetus sum malis.

Vau.

Et dixi: perijt finis meus, quẽ mihi beatum faciebam, vel perueni ad finem, vt infrà cap. 4. *Et spes mea à Domino*, in quo sperare solebam.

Zain.

Recordare paupertatis, abiectionis, *& transgressionis meæ*, pœnæ, pro illa à Chaldæis illatæ, & quam patior captiua, *absynthij*,

thij, & fellis, vt hæc omnia tollas, ego autèm interim.

Zain.

Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea, considerans peccata mea, & pœnitens; sic Ezechias, recogitabo tibi omnes annos meos, &c.

Zain.

Hæc recolens in corde meo, ideò sperabo de tua misericordia, qua recipis pœnitentes, quam & experta sum, nàm

Heth.

Misericordiæ Domini fuit, *quia non sumus consumpti* penitùs, sed reseruauit reliquias, *quia non defecerũt miserationes eius*; ideò sperabo sempèr; more dolentis, modò vnum dicit, modò aliud diuersum.

Heth.

Noui diluculò quotidiè apparent effectus tuæ misericordiæ, *multa est fides tua*, fidelitas, non decipis, obseruas Roman. 3. vide dicta in baptismo Christi in Euang.

Heth.

Pars mea, omne bonum meum *Dominus*, in quo confido, *dixit:* sic stabilita anima mea, *proptereà expectabo eum* auxiliatorem, non alium: sic & Gen. 49. nàm

Teth.

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum, quia nunquã deest.

Teth.

Bonum est præstolari cùm silentio, patientèr *salutare Dei*, quia veniet, non deerit, etsi differat.

Teth.

Bonum est viro cùm portauerit iugum tribulationum, id conuenit cùm sequentibus, proùt non aptatur iugum legis, vel præceptorum *ab adolescentia sua*; ex huiusmodi enìm antiquo vsu, & habitu firmabitur.

Iod.

Sedebit solitarius, & tacebit, expectans in tribulatione consolationem à Domino, *quia leuauit supèr se* iugum illud libentèr.

Iod.

Ponet in puluere os suum ad pœnitentiã se accinget, *si fortè sit spes* consolationis per eam, nàm nemo certus.

Iod.

Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs, sustinebit omnes iniurias proptèr Dominum.

Caph.

Quia non repellet in sempiternum Dominus, sed tandèm placatus miserebitur: sic & Dauid: non in perpetuum irascetur.

Caph.

Quia se abiecit, depressit, humiliauit, *& miserebitur secundùm multitudinem miserìcordiarum suarum*, cùm iratus fuerit, misericordiæ recordabitur.

Caph.

Non enim humiliauit Deus *ex corde suo*, sed coactus proptèr peccata, quia non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, *& non abiecit filios hominum*, perpetuò, quia præualet misericordia: vndè non

Lamed.

Vt conteret sub pedibus suis omnes vinctos terræ, Iudæos in captiuitatem ductos, non vt penitùs deleret, nequè

Lamed.

Vt declinaret, deflecteret, *iudicium viri*, qui iudicatur *in conspectu vultus altissimi* sui ipsius fidelis, rectè iudicantis, nequè

Lamed.

Vt peruerteret hominẽ in iudicio suo per calumniam, *Dominus ignorauit*, non facit hoc, absit hoc ab illo, iuxtà Abraham, Genes. 18. multa habes in Iob.

Mem.

Quis est iste, qui dixit, vt fieret Domino non iubente? aliquid, quasi nihil fit sinè eo, Ioan. 1.

Mem.

Ex ore altissimi non egredientur nèc bona, nèc mala? quasi immò cõtrarium ab eo omnia, Isai. 45. Amos 3.

Mem.

Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis? pro quibus castigatur, quasi iniustè patiens.

Nun.

Scrutemur vias nostras, & inueniemus eas impias, *& quæramus, & reuertamur ad Dominum* per pœnitentiam, vt indulgeat.

Nun.

Leuemus corda nostra cùm manibus ad

Dominum in cœlos, in oratione leuantes manus puras, inquit Paulus.

Nun.

Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus, nèc conuertimur, *idcircò tu inexorabilis es* Domine nobis.

Samech.

Operuisti nos ærumnis *in furore, ira tua, & percussisti nos: occidisti, nèc pepercisti*, quia ad te non sumus conuersi.

Samech.

Opposuisti nubem tibi, nè transeat oratio, vt nos non exaudires afflictos, hoc sæpiùs in Ieremia, & alibi, & Luc. 16. in Epulone.

Samech.

Eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorum eradicasti, & abiecisti me in alias regiones captiuam.

Phe.

Aperuerunt supèr nos os suum omnes inimici irridentes, & subsannantes.

Phe.

Formido, & laqueus facta est nobis vaticinatio, falsa hæc mala nobis non euentura, cui credidimus, *& contritio*. hinc

Phe.

Diuisiones riui *aquarum* lacrymarũ mul tarum defluentium, *deduxit oculus meus in* proptèr *contritione filiæ populi mei*, quam cerno.

Ain.

Oculus meus afflictus est ex fletu, *nèc tacuit*, nèc cessauit, *eò quod non esset requies*: consolatio, vndè persisto.

Ain.

Donèc respiceret, & videret, respiciat, & videat *Dominus de cœlis*, à quo solo expectanda requies ex sua misericordia.

Ain.

Oculus meus ex nimio fletu *deprædatus est*, violentèr quasi assumpsit *animam meã*, vitam meam, *in cunctis filiabus* captiuis *vrbis meæ*, vel pro cunctis ciuitatibus Iuda deletis, & prostratis.

Sade.

Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis, absquè multo labore, vel sinè causa; hæc, & quæ sequuntur ad Ieremiam aptantur.

Sade.

Lapsa est in lacum, carcerem captiua, *vita mea, & posuerunt lapidem supèr me*, nè effugerem: sic suprà Danielem, & quinque Reges sub Iosue, & cùm in tenebris essem.

Sade.

Inundauerunt aquæ tribulationum *supèr caput meum*, ità vt absorberer *dixi, perij* in profundo positus.

Coph.

Inuocaui nomen tuum Domine, vt mihi succurreres, *de lacu nouissimo* vltimo, magis profundo: sic & Ionas 2. cap.

Coph.

Vocem meam audisti, quia non te latebat, *nè auertas aurem tuam à singultu meo & clamoribus*, nùnc etiàm exaudi me.

Coph.

Appropinquasti tu misericors *in die, quandò inuocaui te: dixisti, nè timeas* timorem eijciens.

Res.

Iudicasti patrocinatus es Domine *causam animæ meæ* vitæ meæ iusto iudicio, *Redemptor vitæ meæ*.

Res.

Vidisti Domine iniquitatem illorum aduersùm me ad vindicandum: *iudica iudicium meum*, iusta decerne contrà eos, prophetizat.

Res.

Vidisti omnem furorem, vniuersas cogitationes eorum aduersùm me, quomodò mihi insidiati sint.

Sin.

Audisti opprobrium ignominiam *eorum Domine, omnes cogitationes eorum aduersùm me*.

Sin.

Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersùm me tota die, numquàm deficientes, tu vidisti.

Sin.

Sessionem eorum, qua contrà me machinantur, *& resurrectionem eorum* in malum contrà me, *vide, ego sum psalmus* fabella *eorum*.

Thau.

Reddes eis vicem Domine iuxtà opera ma-

manuum suarum prophetat mala eis ventura, de quibus in prophetia.

Thau.

Dabis eis scutum cordis ironicè *laborem tuum*, quo illos affliges, vndè sequitur.

Thau.

Persequeris in furore ira tua, *& conteres eos sub cœlis Domine*, vel quia è cœlo vindicta à Domino Rom. 1. & suprà cap. 1. vel de terra, vt nullibi reperiantur.

CAPVT IV.

Aleph.

QVOMODO *obscuratum est aurum* templi exusti, *mutatus est color optimus* igne, & fumo *dispersi sunt lapides sanctuarij* destructi templi, *in capite omnium platearum* per totam vrbem.

Beth.

Filij Sion inclyti, & amicti auro primo Reges, & filij, seù adolescentes quique, *quomodò reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli* in vasa vana, & nullius momenti.

Ghimel.

Sed, & lamia, etsi crudeles *nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos*, naturalitèr motæ: *filia* mulier verò *populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*, Quæ relinquens dereliquit filios suos in tanta tribulatione, & amaritudine, & absquè cibo.

Daleth.

Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti lacte fraudati, explicat quid sit illud *struthio in deserto: paruuli* infantes *petierunt panem, & non erat qui frangeret* daret *eis*.

He.

Qui vescebantur voluptuosè, proùt Epulo *interierunt in vijs*, miserabilitèr fame cõfecti; *qui nutriebantur in croceis* vestibus mollibus, *amplexati sunt stercora* in ea reiecti, vel illis pasti; non hìc de mortuis.

Vau.

Et maior effecta est iniquitas pœna ex duratione *filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento*, igne vsta, *& non ceperunt in ea manus* alienorum quidquam, omnia enim consumpsit ignis: amarum est enim videre hostes deprædantes bona propria.

Zain.

Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores pœnitentes hi, non solùm sordescere, at in hac calamitate.

Heth.

Denigrata est supèr carbones facies eorum ex fame, & angustia; *& non sunt cogniti in plateis* ex immutatione vultus eorum, *adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum* præ fame, & siti.

Teth.

Melius fuit occisis gladio, qui subitò interierunt, *quàm interfectis fame:* quoniàm *isti extabuerunt* longiùs viuentes *consumpti à sterilitate terræ*.

Iod.

Manus mulierum misericordium, quasi misericordia fuerit tùnc paruulos interficere, *coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione* illa magna Chaldæorum, non hìc de Romana *filiæ populi mei*.

Caph.

Compleuit: sìc sagittas meas complebo in eis *Dominus furorem suum: effudit iram indignationis suæ: & succendit ignẽ in Sion, & deuorauit fundamenta eius*, nihil remansit: id ad vastationem magnam demonstrandam per excessum, vndè non trahas ad Romanam, sed stà in Babylonica; nàm & in psalmo dicitur: exinanite vsquè ad fundamentum in ea.

Lamed.

Non crediderunt reges terræ Ierusalem, *& vniuersi habitatores orbis*, totum pro parte, partem extollens, Vel si de alijs, hæc referas ad demonstrandam munitionem Vrbis; quod tamèn parùm placet; *quoniàm ingredietur hostis, & inimicus per portas Ierusalem*, sicùt eis prædictum per prophetas veros; hæc autèm contigerunt.

Mem.

Mem.

Proptèr peccata prophetarum falsorum *eius*, *& iniquitates Sacerdotum eius*, *qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum*, prophetarum; quod & Iesus eis opposuit. Vel filiorum, quos dijs immolabant, postquàm de Sacerdotibus homicidis agit.

Nun.

Errauerunt cæci Israelitæ *in plateis*, *polluti sunt in sanguine* interfectorum, quorum magna copia, *cumquè non possent* non polllui *tenuerunt lacinias suas* summitates vestium, nè polluerentur, ex his magnam stragem per Chaldęos factam demonstrat. Non hìc de Sacerdotibus solis, de quibus vtì interfectoribus præmisit, sed de omnibus habitatoribus.

Samech.

Recedite vos quasi non pij, sed *polluti*, *clamauerunt eis* immundis mundi: *recedite*, *abite*, *nolite tangere*: *iurgati quippè sunt* mundi, & immundi, *& commoti dixerunt intèr gentes* aliqui. *Non addet vltrà, vt habitet in eis* Deus, & hoc scandalum ortum apud Gentiles.

Phe.

Facies Domini firma, & terribilis *diuisit eos* separauit, *non addet*, *vt respiciat eos* dispersos sìc hostes; nihil hoc ad captiuitatem Romanam: *facies sacerdotum non erubuerunt*, *nequè senum miserti sunt*, adeò crudeles extiterunt, cùm hìc de Sacerdotibus, non est cur pro lapidibus sanctuarij Sacerdotes capiantur.

Ain.

Cùm adhùc subsisteremus, nondùm capta Ierusalem, *defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum*, *cùm respiceremus attenti ad gentem*, *quæ saluare non poterat*, hi Aegyptij vanè expectati: non hic de Romana.

Sade.

Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, ità vt rueremus; *appropinquauit finis noster*, *completi sunt dies nostri*, *quia venit finis noster* hoc ex euentu benè cognitum.

Coph.

Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, in Isaia de nube leui, vt ibi dixi, *supèr montes persecuti sunt nos*, *in deserto insidiati sunt nobis*, Deo sic volente, vndè, &

Res.

Spiritus oris nostri, in quo vitam trahebamus, & à quo dependebamus, *Christus* Sedecias vnctus *Dominus* rex *captus est* tamquàm auis *in peccatis nostris* similibus pœnis nostris subiectus *cui diximus* explicat in quem confidebant, *spiritus oris nostri* es: *in vmbra tua* protectione tua, præsidio tuo *viuemus in gentibus* tuti ab hostibus, hìnc Sedecias indixit Ieremiæ silentium supèr interrogatis, nè populus auerteretur, hæc mihi videntur ad litteram conformia præcedentibus, quomodò enim sub persona populi possunt hæc de Messia dici? aùt de Iosia olim defuncto, ommisso Sedecia viuente, & præsente? si de Christo tandèm, mysticè.

Sin.

Gaude exultabis in hac nostra depressione, *& lætare filia Edom*, *quæ habitas in terra Hus*, at *ad te quoquè perueniet calix*, *inebriaberis*, *atquè nudaberis*, similis plaga te citò pertinget.

Thau.

Completa est iniquitas tua, ob quam meruisti exterminari, Gen. 15. *filia Sion*, *non addet vltrà, vt transmigret te* pro nùnc in hoc statu, in quo nullus habitator, ideò nullus transmigrans. vel ad longum tempus, cùm reuersa fueris, *visitauit* similitèr te exterminando *iniquitatem tuam filia Edom*, *discooperuit peccata tua* ex pœna illata, quæ illa manifestauit. præteritum pro futuro. Et sìc miscentur læta cùm tristibus.

FINIS LAMENTATIONVM IEREMIAE PROHETAE.

ORATIO

ORATIO IEREMIAE PROPHETAE.

R*ECORDARE Domine quid acciderit nobis* nempè profundum malorum, vt succurras: *intuere, & respice opprobrium nostrum,* hoc saltèm te moueat, qui tui sumus. *Hæreditas nostra* Terra promissionis, enumerat mala, *versa est ad alienos* nobis eiectis: *domus nostræ,* à nobis ædificatæ, quæ chariores *ad extraneos. Pupilli facti sumus absquè patre,* quia omnes patres cæsi, vel captiui, & nos derelicti, *matres nostræ quasi viduæ* orbatæ viris. *Aquam nostram* pro nostris necessitatibus paratam, hic agit in obsidione, quia in Babylonia iuxtà flumina erant, vt in Psal. *pecunia bibimus,* hoc etiàm elementum commune emimus, *ligna nostra* ad vsum nostrum parata *pretio comparauimus,* quod est amarum, quasi omnibus frustrati sumus, nudi remásimus. *Ceruicibus nostris,* onusti *minabamur:* abducebamur, *lassis non dabatur requies:* sìc & in Aegypto in operibus Exod. 11. 14. *Aegypto dedimus manum, & Assyrijs* subiecimus nos, *vt saturaremur pane,* qui non suppetebat nobis. *Patres nostri peccauerunt, & non sunt,* quia iàm mortui. vide Apoc. 13. *& nos iniquitates eorum portauimus,* pœnis eorum subiecti, de hoc alibi. *Serui* Nabuchodonosor, ex quibus constabat eius exercitus, ei seruientibus, qui ideò crudeliores, Prou. 30. 22. *dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum* misertus nostri. *In animabus nostris* sub periculo vitæ, *afferebamus panem nobis à facie gladij in deserto,* ad quod confugiebamus. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis,* de hoc per eundem Ieremiam suprà Thren. 4. *Mulieres in Sion humiliauerunt* ad luxuriam, *& virgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu suspensi sunt,* sæuit enim contrà eos Nabuchodonosor, Ierem. 52. *Facies senum non erubuerunt,* quibus tu iussisti assurgere, Leu. 19. *Adolescentibus impudicè abusi sunt,* contrà legem naturæ, *& pueri in ligno corruerunt* ex percussionibus, dùm detrectant impudicitiam, vel impotentes sunt ad onera. *Senes defecerunt de portis* in quibus residebant ius reddentes (hæc ad desolationem) *iuuenes de choro psallentium,* quibus lætabantur. *Defecit gaudium cordis nostri* nulla lætitia, *versus est in luctum chorus noster,* sìc Iob, versa est in luctum cithara mea. *Cecidit corona capitis nostri,* qua lætabamur, adeò enim mœstitia deprimimur, vt caput non attollentes videamur coronam, qua solebamus redimiri, cadere, & sic fiet melior connexio: *Væ nobis, quia peccauimus.* hincquè mala omnia nostra. *propterea mœstum factum est cor nostrum, ideò contenebrati sunt oculi nostri,* sicùt solet mœstis, & afflictis, & fame attritis, vt in Ionatha. & Iob. *Proptèr* propè *montem Sion, quia disperijt, vulpes ambulauerunt in eo,* ad desolationem, hoc enim contingit, dùm non est habitator. *Tu autèm Domine in æternum permanebis,* vndè etsi nos nùnc destruxisti, poteris aliquandò construere, non es absquè remedio. *Solium tuum* cœleste *in generationem, & generationem. quarè in perpetuum obliuisceris nostri?* quasi, nè facias. *derelinques nos in longitudine dierum?* non proijcias in tempus senectutis, citò fac. *Conuerte nos Domine ad te,* tuo enim priori, & efficaci indigemus auxilio; sìc, conuerte Domine captiuitatem nostram, *& tùnc ad te conuertemur,* liberabimur à captiuitate, *innoua dies nostros* ad nos à captiuitate liberandos, *sicùt à principio,* quandò nos de Aegypto eduxisti, & situasti in hæreditate tua, exclusis antiquis habitatoribus, non tempore Abrahæ. *Sed proijciens repulisti nos* nùnc, *iratus es contrà nos vehementèr,* ideòque non exaudis. Propheta, proùt Moyses, non desistit orare pro populo, confisus in Dei misericordia; at sìc dimittit imperfectã orationem more amantis, existimantis hoc modo ad misericordiam flectere, & putantis reuocari, vt exaudiatur, scriptum est enim, cũ iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

Finis Orationis Ieremiæ Prophetæ.

PRO-

PROPHETIA BARVCH.

CAPVT PRIMVM.

ET *hæc verba libri, quæ scripsit*, vndè non videtur sua, sed Ieremiæ, cuius ipse scriptor *Baruch filius Neriæ, filij Maasiæ, filij Sedeciæ, filij Sedei, filij Helciæ in Babylonia*, ad quam iuit suos captiuos consolaturus, fortè iàm mortuo Ieremia in Aegypto, vel ab eo missus, *in anno quinto, in septimo die mensis* quinti scilicèt *in tempore, quo ceperunt Chaldæi Ierusalem, & succenderunt eam igni. Et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoniæ filii Ioachim regis Iuda*, vel liberi à carcere, vel in carcere libero detenti, vt potiùs credo, quia non legimus ipsum solùm, nisi sub Euilmerodach, non Sedeciæ, qui arctiùs detinebatur, *& ad aures vniuersi populi venientis ad librum* audiendum, *& ad aures potentium filiorum regum, & ad aures presbyterorum, & ad aures populi à minimo vsquè ad maximum eorum omnium habitantium in Babylonia* captiuorum, *ad flumen Sodi. qui audientes plorabant, & ieiunabant, & orabant in conspectu Domini* puro corde. *& collegerunt pecuniam secundùm quod potuit vniuscuiusque manus*, imitati Tobiam, & Paulum, & Iudam Machabæum, *& miserunt in Ierusalem ad Ioachim filium Helciæ, filii Salom Sacerdotem, & ad Sacerdotes, & ad omnem populum, qui inuenti sunt cùm eo in Ierusalem: cùm acciperet vasa templi Domini, quæ ablata fuerant de templo, reuocare in terram Iuda decima die mensis Siuan, vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Iosiæ rex Iuda. postquàm cepisset Nabuchodonosor Rex Babylonis Iechoniam, & principes, & cunctos potentes, & populum terræ ab Ierusalem, & duxit eos vinctos in Babylonem*, Nō ergò omnia vasa in manus Nabuzardan, & consequentèr non omnia in manus Nabuchodonosor peruenerunt, sed & in manus aliorum. Vel potiùs dic hæc fuisse à Chaldæis illa retinentibus redempta; nàm quomodò in manibus captiuorum mansissent? *Et dixerunt: ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocaustomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri*, quam in loco, vbi vestigia templi erant, erexerant, Ierem. 41. Castr. Sanct. & Cornel. hìc, reiecto Maldonato, *& orate pro vita*, sìc Paulus pro regibus vult fieri obsecrationes, *Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Baltassar filii eius*, qui Princeps erat, & credebatur successurus, qui tamèn ei non successit, sed Euilmerodach: hoc autèm dicitur, quia viuente Nabuchodonosor Euilmerodach detinebatur in carcere, iuxtà Hebræos si verum, nèc credebatur successurus patri. At illo mortuo liber regnum capessit, cui posteà successit Baltassar nepos Nabuchodonosor. *vt sint dies eorum sicùt dies cœli supèr terram* æterni, longi: *& vt*

vt det Dominus virtutem, gratiam, fortitudinem in tribulatione nobis, *& illuminet oculos nostros* ad cognoscendum iusta iudicia eius, *vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub vmbra Balthassar filij eius, & seruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum*, cor enim regis in manu Dei Prouerb. 21. *& pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum: quia peccauimus Domino Deo nostro*, recognoscunt peccata in tribulatione positi, *& non est auersus furor eius à nobis vsquè in hunc diem*, postquàm adhùc captiui detinemur. *Et legite librum istum* epistolam *quem misimus ad vos recitari in templo Domini*, etsi destructo, & arso, *in die solemni, & in die opportuno, & dicetis: Domino Deo nostro iustitia*, dicatur cuius iusta iudicia, *nobis autèm confusio faciei nostræ*, vt erubescamus: *sicùt est dies hac omni Iudæ, & habitantibus in Ierusalem regibus nostris, & principibus nostris, & Sacerdotibus nostris, & prophetis nostris, & patribus nostris*. *Peccauimus* similis oratio Danielis *antè Dominum Deum nostrum, & non credidimus*, Deo enunciante per prophetas suos, *diffidentes in eum*, quasi non liberaturum: *& non fuimus subiectibiles illi*, obedientes præceptis suis, *& non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in mandatis eius, quæ dedit nobis. A die, qua eduxit patres nostros de terra Aegypti vsquè ad diem hanc*, eccè quæ longanimitas Dei expectantis, *eramus incredibiles ad Dominum Deum nostrum, & dissipati* dispersi *recessimus nè audiremus vocē ipsius & adhæserunt nobis multa mala, & maledictiones, quæ constituit Dominus Moysi seruo suo: qui eduxit patres nostros de terra Aegypti, dare nobis terram fluentem lac, & mel, sicùt hodierna die, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri secundùm omnia verba prophetarum, quos misit ad nos*, hos enim abiecerunt, & malè tractarunt: *& abiuimus vnusquisque in sensum cordis nostri maligni*: sic de Cain, in maligno posito Ioannes in 1. Epist. *operare dijs alienis* eis immolando *facientes mala antè oculos Domini Dei nostri* inuerecundè nimis.

CAPVT II.

PROPTER quòd stantibus his peccatis nostris *statuit* firmauit, *Dominus Deus noster verbum suum, quod locutus est*, ita vt nō possimus excipere, ignorabamus, *ad nos, & ad iudices nostros, qui iudicauerunt Israel, & ad reges nostros, & ad principes nostros, & ad omnem Israel, & Iuda, vt adduceret Dominus supèr nos mala magna, quæ non sunt facta sub cœlo, quemadmodum facta sunt in Ierusalem secundùm quæ scripta sunt in lege Moysi, vt manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ*, eccè in hac captiuitate Babylonica, clarè hæc facta, vndè ob id hæc non trahenda ad captiuitatem Romanam, vt alibì dixi. *& dedit eos sub manu* potestate *regum omnium, qui sunt in circuitu nostro*, vt in libro Iudi. & Regum, & Paralip. & Chaldæorum, & Assyriorum, *in improperium, & in desolationem in omnibus populis in quibus nos dispersit Dominus, & facti sumus subtùs, & non suprà* iuxtà prædictionem, & minas Moysis. *quia peccauimus Domino Deo nostro non obediendo voci ipsius, Domino Deo nostro iustitia: nobis autèm, & patribus nostris confusio faciei sicùt est dies hæc*: sic & Dauid, & supra cap. 1. *Quia locutus est Dominus supèr nos omnia mala hæc, quæ venerunt supèr nos, & non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, vt reuerteremur vnusquisque nostrum à viis nostris pessimis*, quasi si nos immutassemus: hæc non euenissent. *& euigilauit* ad flagellandum: sic Ierem. 1. & in Threnis *Dominus in malis, & adduxit ea supèr nos: quia iustus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandauit nobis: & non audiuimus vocem ipsius, vt iremus in præceptis Domini, quæ dedit antè faciem nostram*, vobis ipsis, vt non possimus dicere illa ignorasse. *Et*

nunc

nùnc Dominus Deus Israel noster, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu valida, & in signis, & in prodigiis, & in virtute tua magna, & in brachio excelso, & fecisti tibi nomen, sicut est dies haec: praemittūt beneficia, vt magis moueatur, & grati appareant ex memoria: peccauimus, impiè egimus, iniquè gessimus Domine Deus noster in omnibus iustitiis tuis. Auertatur ira tua à nobis, quia derelicti sumus pauci inter gētes, vbi dispersisti nos, quasi satis puniti sumus. Exaudi Domine preces nostras, & orationes nostras, & educ nos propter te, non propter nos, qui hoc non meremur, & da, quia cor regis in manu tua, nobis inuenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt pro libertate, vt sciat omnis terra, quia tu es Dominus Deus noster, & quia nomen tuum inuocatum est super Israel, super genus ipsius. Respice Domine de domo sancta tua, loco, in quo templum erat, vel caelo, in nos, & inclina aurem tuam, & exaudi nos. Aperi oculos tuos, & vide: quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem, & iustificationem Domino: sic Dauid, non mortui laudabunt te Domine: & Ezechias in cantico, non enim os habent, vt laudent more viuentium in templo, in quo viuentes solebant, sed anima, quae tristis est super magnitudine mali, & incedit curua, & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam, & iustitiam Domino vexatione edocta, in te solum respiciens. Quia non secundum iustitias patrum nostrorum, antiquorum, bonorum, Abraham, Isaac, & Iacob, nos fundimus preces, & petimus misericordiam ante conspectum tuum Domine Deus noster: sed quia misisti iram tuam, & furorem tuum super nos, sicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicēs: sic dicit Dominus: inclinate humerum vestrum & ceruicem vestram, & opera facite regi Babylonis: et sedebitis in terra, quam dedi patribus vestris, ita vt mereamur propter illa exaudiri, quod si non audieritis vocem Domini Dei vestri operari, seruire regi Babyloniae: defectionem vestram faciam de ciuitatibus Iuda, et à foris Ierusalem, et auferam à vobis vocem iucunditatis, et vocem gaudii, et vocem sponsi, et vocem sponsae, et erit omnis terra sine vestigio ab inhabitantibus eam, et non audierunt vocem tuam, vt operarentur regi Babylonis, sicut tu iusseras, propterea nos nihil meremur. Et statuisti stabilisti, firmasti verba tua, quae locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, vt transferrentur ossa regum nostrorum, et ossa patrum nostrorum de loco suo: et ecce proiecta sunt in calore solis, et in gelu noctis: et mortui sunt in doloribus pessimis, in fame, et in gladio, et in emissione ad captiuitatem; et posuisti templum, in quo inuocatum est nomen tuum in ipso, sicut haec dies, docet destructum, & arsum, propter iniquitatem domus Israel, & domus Iuda. Et fecisti in nobis Domine Deus noster secundum bonitatem tuam, & secundum omnem miserationem tuam illam magnam, qua flagellando doces, & iuuas. Sicut locutus es in manu pueri tui Moysi in die, qua praecepisti ei scribere legem tuam coram filijs Israel, dicens, Si non audieritis vocem meam, multitudo haec magna conuertetur in minimam inter gentes, quo ego eos dispergam: quia scio quod me non audiet populus: populus est enim dura ceruice, et conuertetur ad cor suum, rectum, & mundum, ad ea, quae sunt sui officij, in terra captiuitatis suae, ibi afflictus, & edoctus: & scient, quia ego sum Dominus Deus eorum experti, & dabo eis cor, & intelligent, aures & audient, ecce auxilia Dei necessaria. Et laudabunt me in terra captiuitatis suae, & memores erunt nominis mei. Et auertent se à dorso suo duro & à malignitatibus suis: quia reminiscentur viam patrum suorum, qui peccauerunt in me; ecce progressus instinctus Dei ad bonū, et reuocabo: ecce reuersio à captiuitate illos in eternū, quam iuraui patribus eorū Abraham Isaac: & Iacob, & dominabuntur eis subditis, & multiplicabo eos, & non minorabuntur, intellige, vt primò, si persiterint, successit captiuitas Romana perpetua. Et statuam illis testamentum alterum sempiternum à Messia apportandum, & finiendum, vt sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non mouebo amplius populum meum, filios Israel à terra, quam dedi illis, intel-

lige

lige, si perstiterint. hæc vltima certò de Messia, sicùt certò de reditu à captiuitate præmiserat: nō enim possunt ad aliud trahi, & in primo de Terra, & Patribus.

CAPVT III.

ET nùnc Domine omnipotens Deus Israel, quasi qui potes nos eripere ex his malis grauibus, *anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te*; adeò magis debes misereri, *audi Domine, & miserere nostri, quia peccauimus antè te*, nè differas, peccatum agnoscimus: sic Dauid. *Quia tu sedes in sempiternum*, semper stans, *& nos* fragiles *peribimus in æuum?* quasi numquā misereberis infirmitatis nostræ? *Domine omnipotens Deus Israel audi nùnc orationē mortuorum Israel* patrum bonorum, qui pro nobis clamant ad te de Limbo, *& filiorum ipsorum* recentiorum, posterorum, *qui peccauerunt antè te, & non audierunt vocem Domini Dei sui, & agglutinata sunt nobis mala*, à quibus non possumus dissolui: *noli meminisse iniquitatum patrum nostrorum* iniquorum, vt pro illis nos punias, *sed memento manus tuæ* potentiæ tuæ, *& nominis tui*, quod magnificabitur in nostra liberatione, *in tempore isto*, quo non habemus aliud auxilium: *quia tu es Domine Deus noster, & laudabimus te Domine* in psalmis, &c. liberati: *quia proptèr hoc dedisti timorē tuum*, te colendi, *in cordibus nostris, & vt inuocemus nomen tuum, & laudemus te in captiuitate nostra quia conuertimur ab iniquitate patrum nostrorum, qui peccauerunt antè te*, quasi, si proptèr hoc, & id præstamus, contingit nobis contrarium. *Et eccè nos in captiuitate nostra sumus hodiè, quia nos dispersisti in improperium, & in maledictū, & in peccatum*, pœnam *secundùm omnes iniquitates patrum nostrorum, qui recesserunt à te Domine Deus noster*, peccata patrum nostrorum exoluimus. *Audi*, hìc propheta respondet *Israel mandata vitæ*, in quibus vita *auribus percipe, vt scias prudētiam Deo dignam. Quid est Israel, quòd in terra inimicorum es?* captiuus, *inueterasti in terra aliena*, more errantium, *coinquinatus es cùm mortuis*, eis similis, *deputatus es cùm descendentibus in infernum*, cùm mortuis in sepulchro dandis, id tibi accidit, quia *dereliquisti fontem sapientiæ* Deum; *nàm si in via Dei ambulasses, habitasses vtiquè in pace sempiterna*, in regione, & hæreditate tua, omnibus bonis fota. *Disce vbì sit prudentia, vbì sit virtus, vbì sit intellectus* quasi hæc omnia in via Dei, *vt* consequentèr *scias simùl vbì sit longiturnitas vitæ, & virtus, vbì sit lumen oculorum, & pax*, quas expetis; hæc enim in via Domini. *Quis inueniet locum eius?* sapientiæ. *Et quis intrabit in thesauros eius?* vt diues in illa factus sit, vel eam inuestigans, quasi nullus, vt subdit. *Vbì sunt principes gentium*, reges terræ, *& qui dominantur supèr bestias, quæ sunt supèr terram?* venatione, vel eis vtuntur iuxtà eorum beneplacitum, quasi non hi inuenerunt, *qui in auibus cœli ludunt* aucupio, & ad delicias, *qui argentum thesaurizant, & aurum*, in quo *confidunt homines*, & cor ponunt, *& non est finis acquisitionis eorum?* adeò cùm nūmo crescit desiderium, *qui argentum fabricant* artifices *& solliciti sunt, nèc est inuentio operum illorum?* adeò varietatibus, & nouitatibus delectantur; *Exterminati sunt* de terra, *& ad inferos descenderunt*, mortui sunt, *& alij loco eorum surrexerunt*, sapientiam non apprehendentes. *Iuuenes viderunt lumen*, nati sunt, *habitauerunt supèr terram*, diù: *viam autèm disciplinæ ignorauerunt, nequè intellexerunt semitas eius, nequè filij eorum susceperunt eam*, immò *à facie ipsorum longè facta est; non est audita in terra Chanaan, nequè visa est in Theman*, in quibus locis habitabant descendentes ab Esau, *Filij quoquè Agar*, ex Abraham originem ducentes, *qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est*, de qua Paulus 1. Cor. 2. *negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ* mundanæ *viam autèm sapientiæ* diuinæ *nescierunt*,

Ppp quòd

quod erat maximum, *neque commemorati sunt semitas eius*, nedùm quod eas inuenerint. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius*, cœlum, & terram implet, *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus*; propterea ni mirum si sapientia vera non apprehenditur, etsi ab eo sit expetenda. *Ibi* in terra, sufficit enim in vno verificari, nèc ob id discedendum ab intellectu loci Dei, *fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum*, Genes. 6. *Non hos elegit Dominus*, quasi non ob id concessa illis sapientia hæc, *neque viam disciplinæ inuenerunt: Propterea perierunt* diluuio absorpti: *& quoniam non habuerunt sapientiam*, vt recederent à carnalibus, & oppressione aliorum, *interierunt proptèr suã insipientiam* illos ducentem. *Quis ascendit in cœlum*, eccè domus, de qua suprà, *& accepit eam, & eduxit eam de nubibus?* quasi nullus id à se potest. *Quis transfretauit mare, & inuenit illam, & attulit illam supèr aurum electum*, pro auro: &c. sìc Moyses, & Paul. Deuter, 30. Rom. 10. *Non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat*, & apprehendat, *semitas eius: sed qui scit vniuersa*, Deus *nouit eam, & adinuenit eam prudentia sua*, omnis enim sapientia à Domino Deo est, & fuit sempèr, *qui præparauit terram in æterno tempore*, à principio, *& impleuit eam pecudibus, & quadrupedibus* Genes. 1. *qui emittit lumen, & vadit, & vocauit illud, & obedit illi in tremore*: sìc Genes. 1. creauit lucem: sìc in Iosue solem sistente. *Stellæ autèm dederunt lumen in custodijs suis*, quibus sunt addictæ ab eo, *& lætatæ sunt*, ei obedientes: *vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus* promptæ: *& luxerunt ei cùm iucunditate, qui fecit illas*, non præterierũt iussa. *Hic est Deus noster* sciens, & faciens, *& non æstimabitur alius aduersùs eum*, quia dari non potest qui subsistat contrà eius potentiam. *Hic adinuenit omnem viam disciplinæ* ad suum cultum vertentis, *& tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo*, populo Hebræo. *Pòst hæc* hanc legem Mosaycam ei populo datam, tempore beneplacito, & statuto, *in terris visus est*, incarnatus, *& cùm hominibus conuersatus est*, Io. 1. & 1. Io. 1. aliamquè legem æternam, & immutabilem tulit, & docuit Io. 1. Vnigenitus, qui est in sinu Patris, &c. Nõ possunt hæc dici de Deo Patre, quia iàm præmisit de Deo legem in Sinai dante, & deindè loquitur de viso in terris, & conuersante cùm hominibus, quæ illi non conueniunt, sed Verbo incarnato tantùm: Vltrà quòd & non Deus, sed Angelus, & in Sinai, & in alijs locis apparebat, neque illa dici potest conuersatio propriè. & antè legem datam similitèr apparuit & Moysi, & alijs, hìc autèm de nouo modo.

CAPVT IV.

HIC sapientia illa est *liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternũ indeficiẽs: omnes, qui tenent eã, peruenient ad vitam*, fuit verò lex vetus pedagogus, vt ex Paulo, *qui autèm dereliquerunt eam in mortem*, non enim datur mediũ. *Conuertere Iacob & apprehende eam: ambula per viam ad splendorem eius contrà*, è regione *lumẽ eius*, quo duceris. *Nè tradas alteri gloriam tuã, & dignitatem tuam genti alienæ*, dimittendo sapientiam illam, quasi, te dimittẽte, subrogabitur alius iuxtà Dei morem. Apoc. 2. dicit legem gloriam Israel, quia alijs populis in hoc prælati fuerunt, vt subdit: *Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis*, ità vt possimus gratiam eius inuenire. *Animæquior esto*, surge, non adeò deprimaris, *populus Dei, memorabilis Israel* illi Deo: *venundati estis gentibus non in perditionem*, quasi adhùc subleuabimini, hìnc adhùc in Dei memoria illos esse: *sed proptèr quod in ira ad iracundiam prouocastis Deum, traditi estis aduersarijs. Exacerbastis enim eum, qui fecit vos Deum æter-*

æternum, immolantes dæmonijs, & non Deo, vndè Deo placato, & ira remissa, reducemini. *Obliti enim estis Deum, qui nutriuit vos* patrem vestrum alumnum, *& contristastis nutricem vestram Ierusalem* Dei ciuitatem vobis annunciantē mala. *Vidit enim iracundiam à Deo venientem vobis, & dixit: Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum; vidi enim captiuitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum, quā superduxit illis æternus* Deus; *Nutriui enim illos cùm iucunditate* mecum, *dimisi autèm illos cùm fletu, et luctu*, vt solent matres. *Nemo gaudeat supèr me viduam, & desolatam*, quasi adeò creuit in me dolor, vt consolationem non admittam: sic Noemi in Ruth, *à multis* omnibus *derelicta sum proptèr peccata filiorum meorum, quia declinauerunt à lege Dei*, ecce cur mala. *Iustitias autèm ipsius nescierunt, nèc ambulauerunt per vias mandatorum Dei, neque per semitas veritatis eius cùm iustitia ingressi sunt*, & sic errauerūt a via. *Veniant cōfines Sion, & memorentur captiuitatem filiorum, & filiarum mearum, quam superduxit illis æternus*, ad meum improperium, & ignominiā. *adduxit enim gētem supèr illos de longinquo, gentem improbam, & alterius linguæ, qui nō sunt reueriti senem, neque puerorum miserti sunt; & abduxerunt dilectos viduæ, & à filijs vnicam desolauerūt. Ego autèm quid possum adiuuare vos? qui enim adduxit supèr vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorū vestrorum:* sic, quid respondebo tibi, cū ipse fecerit? *ambulate filij, ambulate* per vias rectas Domini, ipsum rogate, *ego enim derelicta sum sola*, impotens. *Exui me stola pacis* omni lætitia, *indui me sacco obsecrationis*, vt solent mœrentes, *et clamabo ad Altissimum in diebus meis*, donèc erit in me spiritus. *Animæquiores estote filij, clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum*, sic declarat magis: *ego enim speraui in æternum salutem vestram*, & spero, *et veniet mihi gaudium à Sancto supèr misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro*, salus enim à solo Deo. *Emisi enim vos cùm luctu, & ploratu*, euntes ibant, & flebant, *reducet autèm vos mihi Dominus cùm gaudio, & iucunditate in sempiternum*, longum tempus, venientes autèm venient cū exultatione, &c. Psal. 25. *Sicùt enim viderunt vicinæ Sion captiuitatem vestram à Deo*, eo permittentē: *sic videbūt, et in celeritate vestram salutem à Deo, quæ superueniet vobis cùm honore magno, & splendore æterno:* longo, Dominus enim magnificat, & viuificat: *Filij patiēter sustinete iram quæ superuenit vobis* à Domino: *persecutus est enim te inimicus tuus, sed citò videbis perditionem ipsius, & supèr ceruices ipsius ascendes*, & sic Dominus capiet de eo vindictam. *Delicati mei ambulauerunt vias asperas: ducti sunt enim vt grex direptus ab inimicis*, hinc malè tractati sunt in itinere. *Animæquiores estote filij, et proclamate ad Dominum; erit enim memoria vestra ab eo, qui duxit vos*, Deo, qui vos subleuabit. *Sicùt enim fuit sensus vester, vt erraretis à Deo: decies tātùm iterùm conuertentes requiretis eum*, ex vexatione sapientes redditi, *Qui enim induxit vobis mala, ipse rursùm adducet vobis sempiternam*, diuturnam, longā, vsquè ad cladem Romanam, *iucunditatē cùm salute vestra. Animæquior esto Ierusalem*, exhortatur *enim te, qui te nominauit*, dedit nomen, famam extruxit, quasi potest te erigere iterùm. *Nocentes peribunt, qui te vexauerunt: & qui gratulati sunt in tua ruina, punientur. & quæ accepit filios tuos. Sicùt enim gauisa est in tua ruina, & læta est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione, & amputabitur exultatio multitudinis eius; & gaudimonium eius erit in luctū: Ignis enim superueniet ei ab æterno in longiturnis diebus, & habitabitur à dæmonijs in multitudine temporis*, hæc pœna Babylonis, & infestantium populum Hebræum, de qua pluriès, & in Ieremia, & in Isaia. *Circumspice Ierusalem ad orientem*, vbiquè terrarum, vt infra cap. seq. *Et vide iucunditatem à Deo tibi venientem*, mediante Cyro. *Eccè enim veniunt filij tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab oriente vsquè ad occidentem, in verbo Sancti* DEI *gaudentes in honorem Dei*, pro tanto beneficio, de quo cap. seq.

CAPVT V.

EXVE te Ierusalem stola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore, & honore eius, quæ à Deo tibi est sempiterna gloriæ, quasi instat causa læta hæc faciendi. *Circumdabit te Deus diploide* veste *iustitiæ*, quam promisit, *& imponet mitram*, de hac alibi, & Ezech. 21. *capiti honoris æterni; Deus enim ostendet splendorem suum in te omni, qui sub cœlo est*, faciet manifestum. *Nominabitur* erit *enim tibi nomen tuum à Deo in sempiternum* ad longum tempus: *pax iustitiæ, & honor pietatis. Exurge Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente sole, vsquè ad occidentem in verbo sancti* Dei, *gaudentes Dei memoria*, quam retinuit illorum, repetit supradicta cap. 4. in fin, ad maiorem certitudinem. *Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis*, magno cùm labore, & ærũnis: *adducet autèm illos Dominus ad te portatos in honore, sicùt filios regni*, cùm omni commoditate. *Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ:* hæc ad maiorem commoditatem itineris, *vt ambulet Israel diligentèr in honore Dei* liberatus, & domum reuertens sub Cyro victore. *Obumbrauerunt*, defenderunt ab æstu vmbra sua, *autèm & silua, & omne lignum suauitatis* suaue olens *Israel ex mandato Dei*, qui sui curam gessit. *Adducet enim Deus Israel* ad Ierusalem *cùm iucunditate in lumine maiestatis suæ*, potenti, *cùm misericordia, & iustitia, quæ est ex ipso*, quasi etsi hoc non mereamur ob peccata nostra, fiet ex sua mera misericordia, & iustitia, quia promisit saluare reliquias.

CAPVT VI.

EXEMPLAR *epistolæ, quam misit Ieremias ad abducẽdos captiuos*; scripsit ergò hanc, antequàm abducerentur sub Sedecia, & rectè prouidet Deus, quia & in Aegypto ceciderunt visis idòlis *in Babyloniam, vt annunciaret illis secundùm quod præceptum est illi à Deo*. clara sunt verba textus *ad abducendos*, vndè ab illis non est recedendum, sed cùm illis standum hanc epistolam scriptam à Ieremia, antequàm abducerentur Iudæi in Babyloniam è Ierusalem sub Sedecia à Nabuzardan.

Concordant cùm his capit. 10. Ieremiæ agens de eisdem, prout hic, & 2. Machab. 2. 1. in quibus locis nil clarius dici potuit, ibi: qui transmigrabant, &c. Nec fuit is numerus captiuorum Hebræorum ex Aegypto, vt possit ei dari nomen captiuitatis, & captiuitas denominatur ab illis, qui sunt illius regionis, à qua abducuntur, non ab exteris, vel incolis ad tempus morantibus.

Non obstat ex hac epistola apparere agi postquàm abducti fuerunt; nàm id cognoscere non valeo, immò verba sunt contraria, vt dixi.

Minùs hæc trahenda ad Iudæos ex Babylone abducendos, & tùnc factam epistolam. quia hic dicitur *in Babyloniam*, & illa non ponitur, quasi captiuitas Iudæorum paucorum numero, sed Aegyptiorum numerosorum; tùm quia verba de igne, 2. Machab. 2. non aptantur tempori, & loco; tùm quia non est credendum tamdiù expectasse Ieremiam ad hæc proferenda, immò constat prolata antè ex cap. 10. eo magis, quia vbiquè id sibi iussum à Deo, prout & hic dicitur: *Proptèr peccata*, in principio repræsentat causam, vt eam tollant, *quæ peccastis antè Deum, abducemini*, non ergò ad abductos, vt tenui *in Babyloniam captiui à Nabuchodonosor rege Babyloniorũ. Ingressi itàq.* in

in Babyloniam eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis vsquè ad generationes septem, annos septuaginta; hinc clarè infertur annos septuaginta cœpisse à captiuitate sub Sedecia, non priùs, generationem verò restringit ad decem annos, verba enim sunt intelligenda iuxtà subiectam materiam, & mentem scribentis, quæ hic non potest esse diuersa à Ieremia eodem, qui de septuaginta annis prophetauerat. vide Perrer. Dan. 9. Recentiores hic. & hæc videtur solutio tutior, *pòst autèm educam vos indè cùm pace*, hæc spes, vt foueantur, non desperent. *nùnc autèm videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeros portari, ostentantes metum gentibus*, idololatris. *videte ergò, nè & vos similes efficiamini factis alienis, & metuatis, et metus vos capiat in ipsis*, quia illi non timendi, sed Dominus, ex timore, vt plurimũ, orta idololatria, *Visa itaquè turba de retrò, & ab antè adorantes, dicite in cordibus vestris, te oportet adorari Domine*, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies; *Angelus enìm meus vobiscum est* obseruans, & referens quæ agatis, quasi, sciam quid faciatis, non decipiar: sic Tob. 12. vel custodiens vos; *ipse autèm exquiram animas vestras*, qui iusta iudico, & sum Iudex, & testis; vel vlciscar vos, *nàm lingua eorum polita à fabro, ipsa etiam inaurata, & inargentata, falsa sunt, & non possunt loqui*, vndè non timendi, si muta. *Et sicùt virgini amanti ornamenta* dantur, *ità accepto auro fabricati sunt*, nè putetis illos sic ortos. *Coronas certè aureas*, illos ornantes, *habent supèr capita sua dij illorum*, sed nihil est, nam hoc *vndè subtrahunt* furtiuè *Sacerdotes ab eis aurum, & argentum, & erogant illud in semetipsos. dant autèm & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant*, quas retinent, *& iterùm cùm receperint illud à meretricibus, ornant deos suos*, ex eo polluto, quòd Iudæis non licebat. *Hi autèm non liberantur ab erugine, & tinea*, quasi si sic, quomodò dij, & quomodò liberant alios? *opertis autèm illis veste purpurea, extergunt faciem ipsorum proptèr puluerem domus, qui est plurimus intèr eos*, si ab alijs extergantur, quomodò dij? *Sceptrum autèm habet, vt homo, sicùt Iudex regionis, qui in se peccantem non interficit*, quasi ridiculosum sceptrum. *Habet etiàm in manu gladium, & securim, se autèm de bello, & à latronibus non liberat*, vnde hæc illi frustrà. *Vndè vobis notum sit, quia non sunt dij; non ergò timueritis eos: sicùt enìm vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt & dij illorum*, nihil est idolum, dicit Paulus, *constitutis illis in domo oculi eorum pleni sunt puluere à pedibus introeuntium*, quomodò potentes? *& sicùt alicui, qui regem offendit, circumseptæ sunt ianuæ, aùt sicùt ad sepulchrum adductum mortuum, ità tutantur Sacerdotes hostia clausuris, & seris, nè à latronibus expolientur*, quomodò dij, si indigent auxilio alieno? *lucernas accendunt illis, & quidèm multas, ex quibus nullam videre possunt*, quia inanimati. *Sunt autèm sicùt trabes in domo*, nihil sentientes, vel videntes. *Corda verò eorum* medullam ligni *dicũt* idololatræ *elingere serpentes, qui de terra sunt, dùm comedunt*, rodunt *eos, & vestimentum ipsorum, & non sentiunt*, rodentes, de tineis est sermo sub verbo sequentium, postquàm & de vestimento agitur, & infrà de tineis, *tineant*, & *comedunt*. *Nigræ fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit*, subiecti sunt his omnibus, quibus & aliæ res inanimatæ. *Suprà corpus eorum, & suprà caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & cattæ*, quasi spernentes eos. *Vndè sciatis, quia non sint dij, nè ergò timueritis eos: aurum etiàm, quod habent ad speciem* decorem *est. nisi aliquis exterserit eruginem, non fulgebunt*, indigent itaquè ministerio humano, *nequè enìm dùm conflarentur, sentiebant*, quia sinè anima. *Ex omni pretio*, carissimo pretio *empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis*, nèc dari potest. *Sinè pedibus in humeris portantur ostentantes ignobilitatem suam hominibus* si saperent. *Confundantur*, erubescant *etiàm qui colunt ea. Propterea si ceciderint in terram, à semetipsis non consurgunt, nequè si quis eum statuerit rectum per semetipsum stabit, sed sicùt mortuis munera eorum illis apponentur. Hostias illorum vendunt Sacerdotes ipsorum, & abutuntur*, nè crederent ab ipsis deuorari quicquam, vt in Daniele: *similitèr & mulie-*

mulieres eorum decerpentes; neque in infirmo, neque mendicante aliquid impertiunt, nulla charitas ex eis fit, *de sacrificijs eorum fœtæ, & menstruatæ contingunt*, quasi omnia polluta. *Scientes itaquè ex his, quia non sunt dij, nè timeatis eos. Vndè enim vocantur dij? quia mulieres apponunt* ornamenta *dijs argenteis, & aureis, & ligneis: & in domibus eorum* deorum *Sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt*, quasi plangentes peccata offerentium. *Rugiunt autèm clamantes contrà deos suos, sicùt in cœna mortui*, qua eiulare solebant. *Vestimenta eorum auferunt Sacerdotes, & vestiunt vxores suas, & filios suos*, sic in Daniele de victu. *Nequè si quid mali patiuntur ab aliquo, nequè si quid boni, poterunt retribuere, neque regem constituere possunt; neque auferre. similitèr neque dare diuitias possunt, neque malum retribuere*, ex his impotentes. *Siquis illis votum vouerit, et non reddiderit, neque hoc requirunt*. cùm sint sinè sensu. *hominem à morte nō liberant*, ex impotentia, etsi possent, nollent. *neque infirmum à potentiori eripiunt*, nullam habent charitatem, vel iustitiam, proùt Deus verus hæc omnia. *Hominem cœcum ad visum non restituunt*, quod est signum diuinum datum pro Messia cognoscendo, *de necessitate hominem non liberabunt*, nam vndè non habent. *Viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient*, quod est corde DEO: enumerat ea, ad quæ magis prompti esse deberent. *Lapidibus de monte similes sunt Dei illorum, lignei, lapidei, & aurei, & argentei*, rudes illi, & abiecti. *Qui autèm colunt ea, confundentur*. finalitèr. *Quomodò ergò æstimandum est aut dicendum illos esse deos? adhùc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea* idòla. *qui cùm audierint*, probauerint *mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel* caput idolorum, *postulantes ab eo loqui*; vtì ab eo, qui id possit, *quasi possint sentire, qui nō habent motum, & ipsi* Chaldæi *cùm intellexerint* non loqui, *relinquent ea*, quòd si id à Chaldæis, quantò magis faciendum à vobis Iudæis Deum sciētibus? *sensum enim non habent ipsi dij illorum. Mulieres autèm* peccatrices, vide Herodotum lib. 1. de eadem re dicentem. *circundatæ funibus in vijs sedent*, expectantes liberari à transeunte, idòlum colente, *succendentes ossa oliuarum*, ad Amasios trahendos. *Cùm autèm aliqua ex ipsis attracta*, & soluta *ab aliquo transeunte dormierit cùm eo, exprobrat proximæ suæ*, quòd *ea non sit digna habita, sicùt ipsa, neque funis eius diruptus sit* pulchra exprobratio. *Omnia autèm, quæ illis fiunt, falsa sunt*; ideò non attendenda. *quomodò æstimandum, aùt dicendum est illos esse deos? à fabris autèm, & ab aurificibus facta sunt*, si à creatura facti, quomodò illi dij. *nihil aliud erunt, nisi id, quod volunt esse Sacerdotes*, procurantes ea fieri. *Artifices etiàm ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis*, vt ex antiquitate possent sibi aliquid diuinum arrogare. *Numquid ergò possunt ea, quæ fabricata sunt ab ipsis, esse dij? reliquerunt autèm falsa, & opprobriū posteà futuris*, vt sic idòlatria propagaretur, & simùl mala. *Nàm cùm superuenerit illis prælium & mala, cogitant sacerdotes apud se, vbì se abscondant cùm illis* non liberantibus nèc se, nèc alios. *quomodò ergò sentiri debeăt, quoniàm dij sunt, qui nèc de bello se liberant, neque de malis se eripiunt?* immò hæc infirmitas. *nàm cùm sint lignea inaurata, & inargentata, scietur posteà, quia falsa sunt ab vniuersis gentibus, & regibus. quæ manifesta sunt, quia non sunt dij, sed opera manuum hominum, & nullum opus Dei cùm illis. Vndè ergò notum est, quia non sunt dij, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus in ipsis est. regem regioni non suscitant, neque pluuiam hominibus dabunt*. proùt facit Deus verus. *Iudicium quoquè non discernent, neque regiones liberabunt ab iniuria: quia nihil possunt, sicùt corniculæ* imbecilles, volantes *intèr medium cœli, & terræ*, crocitantes, & nil aliud agentes, vndè subdit. *Etenim cùm inciderit ignis in domum deorum ligneorum, argenteorum, & aureorum, Sacerdotes quidem ipsorum fugient & liberabuntur, ipsi verò sicùt trabes in medio comburentur* ignem non eualuri. *Regi autèm, & bello non resistunt, quomodò ergò æstimandum est, aùt recipiendum. quia dij sunt? non à furibus, neque à latronibus se libe-*

liberabunt dij lignei, et lapidei, et inaurati, et inargentati, quibus hi, qui fortiores sunt, aurum, et argentũ et vestimentũ, quo operti sunt auferent illis, et abibunt, nèc sibi auxiliu ferent, dùm furantur. *itaq. meliùs est esse regem ostentantem virtutem suam, aùt vas in domo vtile, in quo gloriabitur, qui possidet illud, vel ostium in domo, quod custodit, qua in ipso sunt. quàm falsi dij* ad nihil seruientes: *Sol quidèm, et Luna, ac sidera cùm sint splendida, et emissa ad vtilitates, obediunt, similitèr, et fulgur, cùm apparuerit, perspicuum est; id ipsum autèm, et spiritus ventus in omni regione spirat, et nubes, quibus cùm imperatũ fuerit à Deo perambulare vniuersum orbem, perficiunt quod imperatum est eis, ignis etiàm missus desupèr, vt consumat montes, et siluas facit quod præceptum est eis*, ex præmissis docet obedientiam creaturam creatori suo Deo. *Hæc autèm, neque speciebus, neque virtutibus vni eorum similia sunt*, tantò minùs dij, *vndè neque existimandum est, neque dicendum illos esse deos, quandò non possunt, neque iudicium iudicare, neque quidquam facere hominibus; scientes itaque, quia non sunt dij, nè ergò timueritis eos, neque enim regibus maledicent, neque benedicent signa etiàm in cœlo hominibus non ostendunt, neque, vt Sol lucebunt, neque illuminabunt, Luna*, & omnia præmissa a Deo vero fiunt. *bestia meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum. ac prodesse sibi: Nullo itaque modo nobis est manifestum, quia sunt dij: proptèr, quod nè timeatis eos. Nàm sicùt in cucumerario formido* terriculum, *nihil custodit* auibus *tutis redditis: ità sunt dii illorum lignei, et argentei, et inaurati, eodem modo, et in spina alba suprà quam omnis auis sedet*, timore liber ex experientia. *Similitèr, et mortuo proiecto in tenebris similes sunt dij illorum lignei, et inaurati, et inargentati*, qui nihil possunt. *A purpura quoque, et murice, quæ suprà illos tineant*, si enim ab animalculo nõ se defendunt, quomodò sunt dij, *scietis itaque, quia non sunt dij: ipsi etiã postremò comedũtur*, ab alijs animalculis, *et erunt opprobrium in regione:* sic comesti *melior est homo iustus, qui non habet simulachra* idòla, *nàm erit longè ab opprobrijs* prædictis, à quibus illa se non liberant.

FINIS PROPHETIAE BARVCH.

IN EZECHIELEM.

CAPVT PRIMVM.

ET *factum est* contigit *in trigesimo anno* ab ætate prophetæ, qui præsumitur potiùs de se, quàm de alijs loqui, & is erat annus prophetarum: sic de Iesu, & Ioan. Baptista in Euangelijs expresse de ætate, Luc. cap. 3. 1. 23. & alia videntur mihi diuinatiua, præsertim, quia circà tempora prophetiæ satis subdit dicendo, *annus quintus transmigrationis in quarto* mense *in quinta* die *mensis*: sic & 4. Reg. 25. 27. annus sumitur à captiuitate Ioachim triginta septem, & infrà c.40. Tanto minùs potest capi hìc annus trigesimus à præcessoribus Nabuchodonosor, ad quid enim hoc seruisset? potiùs à Nabuchodonosor tùnc regnante capiendus erat; at huius non erat tùnc regnum adeò diuturnum. Prætereà pro regibus meminit sui Ioachim, non externorum, horum enim nunquàm meminerunt prophetæ in principio prophetiarum, *cùm essem in medio captiuorum* inter captiuos alios, *iuxtà fluuium Chobar* Euphraten, in Chaldæa; & hoc tempus quinti anni non potest importare triginta annos captiuitatis: & hanc opinionem sequuntur Recentiores pòst alios antiquos, *aperti sunt cœli*, visus est illi cœlorum quidam hiatus vti suprà Iesum pòst Baptismum, & Apoc. 4. vidi ostium apertum, & cap. 15. sic & Stephano cœli aperti sunt Acto. 7. *& vidi visiones Dei* mihi reuelatas à Deo. *In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachim* ducti in Babyloniam; *factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem in terra Chaldæorum, secùs flumen Chobar*: sic Danieli ad Tygrim: *& facta est supèr eum ibì manus* spiritus prophetiæ *Domini*. *Et vidi* visionē imaginaria, *& eccè ventus turbinis* velox, impetuosus, *veniebat ab Aquilone* à Babylone, quia prophetat tāquàm in Ierusalē stans, *& nubes magna, et ignis inuoluens*, hìc Diuinitas, de qua & infrà *et splēdor in circuitu eius et de medio eius, quasi species electri, idest de medio ignis; et in medio eius similitudo quattuor animaliū*, sub his Angeli, proùt & Apoc. 4. & 15. hæc omnia ad denotandam magnam cladem, & incendium à Nabuchodonosor; & Chaldæis citò obuenturum, & instans. *Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis*, quia recta hæc prima. *Quattuor facies vni*, ad denotandam vigilantiam, & prouidentiam Dei vbiquè, *& quattuor pennæ vni* animali cuilibet, non plures, non 64. *Pedes eorum pedes recti*, veloces, prompti ad imperium Dei. *& planta pedis eorum quasi planta pedis vituli*, ad firmitatem, & stabilitatem eorum demonstrandam, *Et scintillæ* ex igne emanantes, *quasi aspectus æris candentis* admodum ignitæ. *Et manus hominis sub pennis eorum in quattuor partibus* ad designādam eorum aptitu-

aptitudinem, & potentiam ad operandum iussa; manus enim organum organorum. *& facies, & pennas per quattuor partes habebant,* vt nihil eis incognitum de mundanis, vel quo non possent adire. *Iunctaquè erant pennæ eorum alterius ad alterum*, ad denotandam vniformem voluntatem mandata Dei exequendi, *non reuertebantur cùm incederent* toti intenti actioni eorum, prout illud, neminem per viam salutaueritis; *sed vnumquodque antè faciem suam gradiebatur,* operi iusso intentum. *Similitudo autèm vultus eorum, facies hominis,* ad prudentiam, & sapientiam, *& facies leonis* ad fortitudinem, *à dextris ipsorum quattuor,* quia hæc principalia; *facies autèm bouis* ad cõculcationem *à sinistris ipsorum quattuor,* nàm hoc minus principale, *& facies aquilæ* ad pernicitatem, & agilitatem in agendo *desupèr ipsorum quattuor* quod aui illi aptatur; *Facies eorum, & pennæ eorum extentæ desupèr* iussa Dei expectantes, *duæ pennæ singulorum iungebantur* ad volatum accinctæ, *& duæ tegebant corpora eorum* ad demonstrandam tutelam, & securitatem eorum; proùt Isa. 6. reuerentiam; *&* hic non potest importare causam, idest *duæ pennæ singulorum iungebantur*, quia *duæ tegebant corpora eorum*, nàm non repetijsset *duæ*, sed simpliciter dixisset, quia *tegebant corpora eorum,* distinctè ergò de pluribus agit, *& vnumquodque eorum coràm facie sua ambulabat* rectè, *vbi erat*, quia cùm esset quattuor facierum, quò se vertebat, faciem suam habebat in ea parte *impetus spiritus* Dei impellentis, & iubentis, *illùc gradiebantur* obedientes Deo *nèc reuertebantur cùm ambularent* exequentes præcisè, non recedentes à iussionibus. *Et similitudo animalium, aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum* ad demonstrandam eorum potentiam in subuertendo, & accendendo omnia occurrentia, omnia ignea repræsentantur, proùt in rubro Moysi: sic suprà vers. 4. *de medio eius quasi species electri, idest de medio ignis*, quia, & per Chaldæos Ierusalem, & templum igni vsta. *Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgor egrediens* ad timorem incutiendum, vt in monte Sinai. *Et animalia ibant, & reuertebantur* iussui Dei parentes, proùt de Dauid, qui erat ingrediens, & egrediens, & de Iesu Coloss. 1. vndè hoc ad denotandam eorum obedientiam, & promptitudinem, *in similitudinem fulguris corruscantis*, qui cito paret ab occidente ad orientem, vt dixit Christus in Euangelijs ad demonstrandam eorum celeritatem. *Cumquè aspicerem animalia, apparuit rota vna supèr terram iuxtà animalia,* Hæ rotæ significant directorium Dei, quo animalia dirigebantur, & ducebantur ad docendum nihil eos agere, nisi ex Dei voluntate, & ductu, & ad declarandum verba superiora; *vbi erat impetus spiritus, illùc gradiebantur,* Et si dicat supèr terram, non contradicit visioni cœlesti, in qua & hoc potuit exhiberi, vel quia in terra exequēda, vel & cœlum terra, vt in beatitudinibus, Matth. 5. *habens quattuor facies,* hinc quattuor rotæ, & subdit, *& aspectus rotarum, & opus materia earum, quasi visio maris* colore cœlesti, seù crystallino, *& vna similitudo ipsarum quattuor,* ex hoc conuenientia simul, *& aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ* non quòd esset, sed sic videretur, ideò, *quasi,* hinc vnitas, pax. *Per quattuor partes earum* nõ orbis eũtes *ibant; & non reuertebantur cùm ambularent,* sicùt de animalibus, quia rectæ, & spiritu vehementi actæ ferebantur. *Statura quoquè erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus* ex nouitate earum; & puto verbum *horribilis* referendum ad staturam, & altitudinem, proùt ad aspectum, *& totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quattuor* ad denotandam directionem tutam, & infallibilem: sic repræsentabantur, non erant. *Cumquè ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxtà ea, & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ*; & sic animalia cùm rotis conformia, & cùm Deo mouente, & iubente. *Quocumquè ibat spiritus* animalia impellens, *illùc euntè spiritu* eorum, *& rotæ paritèr eleuabantur sequentes eum,* & sic vno, & eodem spiritu Dei agebantur. *Spiritus enim vitæ* impellens, & ducens *erat in rotis*, prout in animalibus. *Cùm euntibus ibant, & cùm*

stanti-

stantibus stabant: & cùm eleuatis à terra pariter eleuabantur, & rotæ sequentes ea, & sic animalia, & rotæ semper coniuncta, siuè stantia, siuè ambulantia: *quia spiritus vitæ erat in rotis*, eas ducens, & mouens. *Et similitudo supèr capita animalium firmamenti, quasi aspectus Crystalli horribilis*, mirabilis, *& extenti supèr capita eorum desupèr*, hæc gloria, & maiestas Dei, de qua, & Apoc. 4. & 15. sub figura maris vitrei, vel crystallini. *Sub firmamento autèm pennæ eorum rectæ alterius ad alterum*, prompti ad iussa capessenda, *vnumquodque duabus alis velabat corpus suum*, ad maiorem reuerentiam ergà Deum, vel nè opprimerentur à tanta gloria, vt dixi Apoc. 4. vel potiùs, vt dixi suprà ad denotandum non posse eos lædi, quod videtur aptius ad repræsentata. *Et alterum* eorum *similitèr velabatur. Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei* magnum, vt ex aquis, & Deo solet fieri: *cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum*, qui est magnus, *cumquè starent dimittebantur pennæ eorum* more auium stantium, & quiescentium, reddit rationem; *Nàm cùm fieret vox* Deo iubente *supèr firmamentum, quod erat supèr caput eorum, stabant, & submittebant alas suas* ad reuerentiam, intelligentes Deum adstare, vel iussa capientes. *Et supèr firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis Sapphiri similitudo throni* sedis; *& supèr similitudinem throni similitudo, quasi aspectus hominis desupèr* sedens Deus ille: sic Isa. 6. Apoc. 4. & 20. & in Daniele, quem designare sequitur. *Et vidi quasi speciem electri*, de electro Alcasar. Apoc. 4. not. 4. 4. & seq. *velut aspectum ignis, intrinsecùs eius per circuitum: à lumbis eius, & desupèr; & à lumbis eius, vsquè deorsùm vidi quasi speciem ignis splendentis* in circuitu. *velùt aspectum arcus*, Iridis varij coloris; sic & in Apocal. *cùm fuerit in nube in die pluuia, hic erat aspectus splendoris per gyrum*, ex his designat Dei gloriam, & maiestatem, proùt apparuit, & delineari potuit. similis visio Apocal. 4. & 15.

Sed quæro, primò cur hæc omnia sìc designata? Respondeo ad celerem calamitatem, & incendium Ierusalem, & templi per Nabuchodonosor, & Chaldæos, & hæc omnia esse ineuitabilia, nèc posse eis resisti, cùm à Deo sint iussa; & sic sequitur cap. 2. & per totam prophetiam. Non hic de alijs regnis, vt cap. 2.

Secundò, qui sub his animalibus? dic Cherubim: nàm c. 10. propheta id expressè dicit, & si hic quattuor, nō excluditur, quin sint alij corā Deo, vel septē Tob. 12. 15. vel plures. At sub his Nabuchodonosor, & exercitus eius, quibus Deus dedit spiritum, & potentiam operandi contrà Iudæos, & parùm refert sciri, an hi, qui supèr aram, & Salomonici, an Ezechielis, quia hæc visio diuersa.

Tertiò ad quid hæc repræsentatio, & eo modo horribili? dic, vt propheta timore correptus magìs intenderet dictis, & sic solet Deus vt in monte Sinai, & Apoc. 1. 4. 15. in die Pentecostes in spiritu vehementi, & igne Act. 2. hinc Propheta cecidit in faciem suam, cap. 2. 1. & ad demonstrandam calamitatem populo Hebræo instantem à Chaldæis; & propterea ab Aquilone fit repræsentatio, & vt hi, ad quos hæc referenda, magìs timerent, expauescerent, intenderent, obedirent; fieret ipse Propheta firmior, securior, fide dignior, quo maiora ei ostēsa: Et sic Deus solet, vt in Moyse, cui in Rubo; Iosue, cui in Angelo. Isaiæ cap. 6. Ieremiæ, cui c. 1. plura dicta, & Daniele. Ex his cùm Seraphim sub animalibus, sub his Chaldæi, gloria repræsentaretur, ad finem dictum, cessant in sensu litterali mille interpretationes; & subtilitates adinuentæ; Sed plura ad hoc cap. videbis per me scripta, Apoc. 4. & 15. quæ hìc non repeto. vide hic alios pro sensu allegorico, maximè Recentiores.

CAPVT

CAPVT II.

HAEC *visio similitudinis gloriæ Domini* non gloria, quæ explicari, & describi non potest, nèc à quoquam videri, nèc vnquàm visa, vt alibì tenui. Non hìc gloria pro vindicta in reos, quia stat in repræsentatione tantùm, non in effectu. *& vidi, & cecidi in faciem meam* timore, & horrore correptus, *& audiui vocem loquentis: Et dixit ad me: Fili hominis*, hæc communis nuncupatio, sicùt mulier ad fœminas, nèc credo aliud significari, *sta supèr pedes tuos*, hoc ad illum excitandum, vt audiret dicenda, ideò præmisit cecidisse, non vt audiens staret, sic cùm Daniele cap. 10. & alijs ex visionibus prostratis actum, *& loquar tecum:* sic solent apparitiones bonæ. *Et ingressus est* redijt *in me spiritus* meus, non Dei, sed Deo agente, & tamèn infrà cap. 3. 24. de spiritu Dei: sic & in Daniele, dixi in Zacharia in Euangelijs, ideò *postquàm locutus est mihi, & statuit me suprà pedes meos, & audiui loquentem ad me, & dicentem: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad Gentes* Israel, qui pro Iuda, vt alibi animaduerti. non aliàs hìc *apostatrices, quæ recesserunt à me: ipsi, & patres eorum præuaricati sunt pactum meum*, initum cùm eis, ideò gentiles non includuntur, *vsquè ad diem hanc* extremam, qua tamdiù eos toleraui. *Et filij*, quia suprà de patribus *dura facie, & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te*, præmittit difficultatem operis ex malitia eorum, ad quos mittitur: *& dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus*, sic solebant prophetæ: *Si fortè, vel ipsi audiant, & si fortè quiescant* obediendo, *quoniàm domus exasperans est*, adhùc de malitia eorumdem: *& scient, quia propheta fuerit in medio eorum*, vt de se Elisæus 4. Reg. 5. 8. quasi non derelicti. *Tu ergò filij hominis nè timeas, nequè sermones eorum metuas, quoniàm increduli, & subuersores sunt tecum* omnia detorquentes, *& cùm scorpionibus* venenum effundentibus *habitas; verba eorum nè timeas, & vultus eorum* eos *nè formides; quia domus exasperans est*, à qua aliàs timeri posset oriri omne malum, hæc ad stabiliendum prophetam, & præmonendum. *Loqueris ergò verba mea ad eos, si fortè audiant, & quiescant, quoniàm irritatores sunt*, sempèr (fortè) ad conseruandum liberum arbitrium; & tamèn Deus sciebat quid futurum. *Tu autèm fili hominis audi quæcumque loquor ad te, & noli esse exasperans*, contumax, rebellis, inobediens præceptis meis, *sicùt domus exasperatrix est; aperi os tuum, & comede* deuora *quæcumque do tibi*, siuè condita, siuè insulsa. *Et vidi, & ecce manus missa ad me* per Angelum *in qua erat inuolutus liber; & expandi illum coràm me, qui erat scriptus intùs, & foris*, in facie, & à tergo: *& scripta erant in eo lamentationes, & carmen, & Væ*, eccè hìc instantia mala, de quibus c. 1. in figuris, & *carmen* hìc insertum intèr *lamentationes, & væ*, non potest importare læta, & diuersa, sed lugubra, proùt illa, & verba *intùs, & foris*, denotant magnitudinem tribulationum.

CAPVT III.

ET *dixit ad me: Fili hominis quodcumque inueneris* de manu mea procedens, *comede*, quasi in te ipsum conuerte, considera, perpende, infrà vers. 10. *comede volumen istud, & vadens* non quasi conuenturus intèr quos erat, sed ad actionem nouam hanc denotandam, *loquere ad filios Israel: Et aperui os meum* deuoraturus, *& cibauit me volumine illo* imaginariè, *& dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua* omnia tua inte-

interiora spiritualia, *complebuntur volumine isto, quod ego do tibi: Et comedi illud, & factum est in ore meo sicùt mel dulce*, sic enim eloquia Dei dulciora supèr mel, & fauum: sic & Ioanni Apoc. 10. & quia incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi; vndè Christus, vos autèm dixi amicos, quia omnia, quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis; Non hìc de amaritudine libri, vt in Ioanne, cùm illum deglutisset, & amaritudo, de qua infrà, ex actione orta; & in tempore diuerso, & iàm officium speculatoris, seù prophetæ receperat. *Et dixit ad me: Fili hominis vade ad domum Israel, & loqueris verba mea in* libro scripta hebraico sermone *ad eos: Non enìm ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris ad domũ Israel*, hinc quod sæpiùs dixi in Isaia, & Ieremiâ pro Israel capi tribum hanc Iuda, cùm Beniamin captiua; *nequè ad populos multos profundi nominis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones*, hæc ad facilem missionem ostendẽdam; hincquè difficilior illa Apostolorum, quibus proptereà datus vsus linguarum, *& si ad illos* populos gentiles, non Iudæos, *mittereris ipsi audirent te*: sic Christus, si in Tyro, & Sidone hæc facta essent, vtiquè pœnitentiam egissent. *Domus autèm Israel noluit audire te, quia nolunt audire me* obedire: sic ad Samuelem, non spreuerunt te, sed me; & Christus, si me non audierunt, nèc vos audient: *omnis quippè domus Israel attrita fronte est, & duro corde* omnem verecundiam abiecerunt, & indurati sunt, vt Pharao. *Eccè dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum*, vt præualeas, nèc timeas. *Vt adamantem, vt silicem dedi faciem tuam: nèc timeas eos, nequè metuas à facie eorum, quia* etsi *domus exasperans est. Et dixit ad me: Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te assume in corde tuo, & auribus tuis audi* obedias, iuxtà illos procede; eccè quid intellexerit per comestionem voluminis. *Et vade, ingredere ad transmigrationem ad filios populi tui:* sic & aliquandò cùm Moyse, vel simpliciter potiùs; quia & is Dei, nèc sempèr Deus eodem modo vtitur, *& loqueris ad eos, & dices eis. Hæc dicit Dominus Deus, si fortè* (libertas arbitrij, non ignorantia Dei futurorum) *audiant, & quiescant*, cognoscentes rectè se vltrò tradidisse Nabuchodonosor, vel aliquandò liberandos. *Et assumpsit me spiritus* Angelus, vel alia diuina virtus, non proprius spiritus cùm alia interueniant, quæ subdit, *& audiui pòst me vocem commotionis magnæ:* sic in Sinai: cùm Apostolis in die Pentecostes ad gloriam, & maiestatem Dei horribilem, & magnam ostendendam. *Benedicta gloria Domini de loco suo* de altissimis: sic sempèr faciunt Angeli, vt Apoc. 4. & Luc. 1. nèc puto ex his quicquam mali inferri, nequè de templo agi, cuius adhùc in visione nulla ratio, aùt mentio habita, at cœli tantùm, sed fit sola laus, cætera diuinatiua. *Et vocem alarũ animalium percutientium alterã ad alterã, & vocem rotarũ sequentium animalia, & vocem commotionis magnæ* replicat idem ad maiestatis ostensionem, hincquè sempèr gloria ostenditur per animalia, & rotas. *Spiritus quoquè leuauit me* progrediens, *& assumpsit me, et abij amarus in indignatione spiritus mei*, cogitantis mala populo meo euentura nuntiandã, hinc spiritus suprà non suus, sed indignatio, non ex commotione magna; sed ex nunciandis: vndè & infrà, dùm intèr illos *mærens* erat. *manus enim* pro autèm *Domini erat mecum confortans me* in ea amaritudine. *Et veni ad transmigrationem ad aceruum nouarum frugum* locum designat; nàm aliòqui, quomodò aceruus nouarum frugum transmigratio? & ex nouis frugibus quid seruandum? *ad eos, qui babitant iuxtà flumen Chobar* Euphraten, *et sedi vbi illi sedebant, et mansi ibi septem diebus mærens in medio eorum:* sic & amici Iob cap. 2. *Cùm autèm pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis speculatorem* prophetam, doctorem *dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annunciabis eis ex me:* sic & Christus, quæ audierat à Patre, & de Spiritu sancto, de meo accipiet, & annunciabit vobis: sic Apostoli, & omnes, *Si dicente me ad impium* eccè onus speculatoris, vt illũ diligentem reddat, *Morte morieris: non annun-*

ciaueris

ciaueris ei: neque loquutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autèm eius de manu tua requiram puniendo, vindicando, mortem inferendo æternam, nàm de peccatis, & iustitia agit; & sic cap. 33. quia defecisti non annunciando. *Si autèm tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidèm in iniquitate sua morietur, tu autèm animam tuam liberasti*, quia munere tuo functus es, aliud præstare non debueras. *Sed & si conuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coràm eo*; permittam eum sic mori, non dabo auxilium, quo retrahatur ad viam bonam, prout solent iusti, septiès in die peccantes; sed resurgentes, & prout prædestinati, quibus omnia vertuntur in bonum, & sic *ipse morietur*. vel *ponam offendiculum coràm eo*, in quod ob peccata sua præcipitabit, & sic *ipse morietur, quia non annunciasti ei, in peccato suo morietur: & non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecit: sanguinem verò eius de manu tua requiram*, quia vti cùm impio agere debueras, nèc egisti. *Si autèm tu annunciaueris iusto, vt non peccet iustus, & ille non peccauerit: viuens viuet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberasti*, faciens quod debueras: sic & Iacob. 1. *Et facta est super me manus* spiritus *Domini, & dixit ad me: Surgens egredere in campum, & ecce ibì gloria Domini stabat quasi gloria, quam vidi iuxtà fluuium Chobar:* eccè semper gloria in animalibus, & rotis, *& cecidi in faciem meam*, maiestate oppressus, prout Daniel, & Ioannes. *Et ingressus est in me spiritus* viuificans, *& statuit me supèr pedes meos* signum boni Angeli in principio timorem incutientis, deindè tollentis, *& loquutus est mihi, & dixit ad me: ingredere, & includere in medio domus tuæ*, domi tuæ, quia nùnc non est tempus loquenquendi, prius multa tibi, & à te populo repræsentanda, quibus apparebit status illius futurus, & his magìs credet. latibula quære. *Et tu fili hominis, eccè data sunt tibi vincula & ligabunt te in eis*, illi, quibus iussi, *& non egredieris de medio eorum*, non euades ab eis. *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nèc quasi vir obiurgans*, facto tamèn prophetabat ligatus, & mutus denotans captiuitatem populi instantem ex hoc statu captiuis solito, *quia domus exasperans est. Cùm autèm locutus fuero tibi* dicenda, *aperiam os tuum, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus: Qui audit, audiat, & qui quiescit, quiescat*, quasi quilibet sequatur desideria sua more illius, qui agit cùm contumacibus, *quia domus exasperans est* rebellis, dura, quæ audire nollet.

CAPVT IV.

ET *tu fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coràm te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem*, hæc visibilia, quæ magìs menti insiguntur, & vrgent; ex quibus demonstretur futura calamitas Ierusalem: & sic propheta docet populum ex repræsentationibus, dùm lingua non datur. *Et ordinabis aduersùs eam obsidionem; & ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, & dabis contrà eam castra, & pones arietes in gyro*, omnia hæc indicantia instantem obsidionem Ierusalem per Nabuchodonosor. *Et tu sume tibi*, pro te, ad tui tutelam *sartaginem ferream; & pones eam in murum ferreum*, idest, quasi in murum ferreum te protegentem *intèr te, et intèr ciuitatem: et obfirmabis faciem tuam ad eam* ciuitatē sic obsessam, & tutus eris hæc videns; sicut enim sartago defendit te ab igne, quia ferrea: sic sartaginem proponit ad sui defensionem ab igne Ierusalem conflagraturo. *Et erit in obsidionem Ciuitas, & circumdabis eam*: sic obsessam: voluit DEVS à suo

ſpeculatore hæc inſpici, nè eluſoria hæc exiſtimarentur. Non placent alij intellectus ſartaginis, quòd denotet obſidionem, quia iàm illa picta; iram Dei, quia iàm ex facto demonſtratur: neque hic ſartago ignita, proùt olla ſuccenſa; caſtra, ſeù vexillum Chaldæorum igneum, quia hæc non ignita, vas ineptum (iàm præſupponuntur præcedere caſtra ex obſidione, & alijs contrà ciuitatem erectis) & quod omnes intellectus frangit, dicitur, *Sume tibi, pones, obfirmabis, circumdabis*, quæ in prophetam diriguntur, & opus eius, non alterius. Vel fortè ſub propheta vrbem circumdante, tutò à ſartagine intelligit exercitum Chaldæorum tutum futurum ab obſeſſis; ideò etiàm dicit murum ferreum futurum, vt certiorem reddat vrbis captionem, nèc poſſe reſiſti Chaldæis. *Signum eſt hoc domui Iſrael*, Iuda, nempè illi euentura. *Et tu* deindè ad ſignificandum, vndè hæc calamitas proceſſerit, *dormies ſupèr latus tuum ſiniſtrum*, quia iàm hæc quoàd decem Tribus præterita; hæ ſiquidèm in captiuitatem datæ, & ſub ſiniſtro, quia minùs dilectæ; de his agit, vt appareat cur in perpetuam captiuitatem datæ ex peccato ſcilicèt diuturno idolòlatriæ, *Et pones*, repræſentabis *iniquitatem domus Iſrael*, quibus ad idolòlatriam præuaricati ſunt, *ſupèr eo numero dierum, quibus dormies ſupèr illud, & aſſumes iniquitatem* pœnam *eorum*. *Ego autèm dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum trecentos, & nonaginta dies: & portabis iniquitatem domus Iſrael*, ex hoc tempore manifeſtans tamdiù duraſſe idolòlatriam decem Tribuum, hincquè ſimùl apparet magna Dei patientia, & tolerantia, & miſericordia, dùm dies pro anno: quomodò autèm anni idolòlatriæ colligantur, vide hìc per alios. *Et cùm compleueris hæc, dormies ſupèr latus tuum dexterum ſecundò*, hæc in Tribu Iuda gratiori, quod per dexterum latus notatur, *& aſſumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus, diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi*, ex his cōſtat de duratione idolòlatriæ Iuda per annos quadraginta: quomodò verò, vide hìc per alios.

Sed quæro primò, cur dormitio iniungatur? puto vt facto oſtendat, dùm tribus hæ idòlis ſeruierunt, ſempèr dormitaſſe, dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum.

Secundò, an hìc de duobus regnis, Iſrael, & Iuda, an Iuda tantùm agatur? Puto clarè agi de duobus, quia diſtinguuntur in latere, in annis, in denominatione, ità vt non poſſint vllo modo annecti. Et quia aliàs anni iniquitatis non conſtarent; annectuntur autèm peccata decem, & duarum Tribuum ad deſtructionem Ieruſalem; quia vnus populus ſub vno templo; ideò completa iniquitate, vna pœna, Geneſ. 15. ſic de ſanguine Abel, &c.

Tertiò, cur hæc circà iàm præterita, & Tribus decem iàm captiuas? non ad aliud, quàm vt exemplo illarum firmet prophetiam excidij Ieruſalem, quæ ſimili errore tenebatur per annos quadraginta, & vt in his ſucceſſoribus, & illas imitantibus pœna pronuncietur exequenda.

Hinc non poteſt hìc recipi interpretatio, vt Iſrael intelligatur pro Iuda, quia de qualibet diſtinctè loquitur.

Non pro aliquibus decem Tribuum duabus iunctis, quia tùnc non conſiderantur vt de decem, ſed vti de duabus, nèc conſeruant denominationem primam decem, ſed duarum, quibus confuſi.

Præterea, his iunctis, vel confuſis non poteſt dari iniquitas 390. annorum, vt hìc.

Quartò quæro, an verè ſic dormierit propheta? & puto ſic, quia hæ repræſentationes fiebant ad inſtruendum populum, quæ ſi imaginatiæ forent, nullum effectum operatæ eſſent; & verba in dubio non ſunt improprianda, & quòd nos quaſi impoſſibile reputamus, Deo facillimum fuit.

Quintò quæro, cur decem Tribus 390. annis: Iuda, & Beniamin quadraginta tantùm expectatæ? Reſpondeo, quia antè peccata decem, non erat exemplum cladis, & captiuitatis tantæ, ex quo poſſent auerti ab idolòlatria; ideò diutiùs toleratæ; at hoc præcedebat antè peccatum Iuda, ex quo poterat edoctus recedere ab idolòlatria, ideò celeriùs contrà illum ad flagellum; hinc dicitur plus peccaſſe Iudam ex hoc capite, Ezech. 23.

Præ-

Prætereà si minùs in tempore peccauit, & breuior captiuitas, nempè septuaginta annorum, illa decem perpetua.

Sextò quæro, cur propheta per 390. dies iubeatur edere panem illum pollutum? dic ad ostendendam pœnuriam in obsidione futuram, & vt portet iniquitatem, pœnam hanc pro illis decem Tribubus, & quadraginta pro duabus, vt in textu.

Septimò, cur propheta per 390. & 40. dies sic dormit? vt ostendat obsidionē tamdiù duraturam, vt ex lectura cap. constat, hìnc assignatur ei cibus, & potus iuxtà illos. *Et ad obsidionem Ierusalem conuertes*, obsirmabis *faciem tuam, & brachium tuum erit extentum*, contrà eam quasi hostis: *& prophetabis aduersùs eam* ruinam illius. *Eccè circumdedi te vinculis, & non te conuertes à latere tuo in latus aliud, donèc compleas dies obsidionis tuæ*, quam describes: volebat enim vt prius repræsentaret obsidionem hanc populo; & vt eum reddat celerem, & diligentem, dicit, quòd non possit se conuertere de latere vno in aliud, nè dicerent Iudæi, hæc ad Tribus decem pertinent, non ad nos. Vndè miror hìc adstrui durationem obsidionis, & in ea demōstranda elaborari à Recentioribus, cùm hìc agatur de obsidione ficta tantùm, non de vera; ideò enim additur *tuæ*, quod verbum rem facit claram. vltrà quod verba, *non conuertes à latere tuo in latus aliud*, non referuntur ad dormitionem in latus dexterum, vel sinistrum, sed sunt simplicia addentia calcaria ad celeritatem obsidionis scribendæ iniunctæ à Deo. *Et tu sume tibi frumentum & bordeum, & fabam, & lentem, & milium, & viciam; & mittes ea in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum, quibus dormies supèr latus tuum: trecentis nonaginta diebus comedes illud*, non id respectu obsidionis tamdiù duraturæ, vt dixi, sed iniquitatis decem Tribuum repræsentandæ causa. *Cibus autèm tuus, quo vesceris, erit in pondere viginti stateres in die: à tempore*, principio temporis præfixi *vsquè ad tempus* finitum *comedes illud. Et aquam in mensuram bibes sextam partem hinc, à tempore vsquè ad tempus bibes illud. Et quasi subcinericium bordeaceum comedes illud, & stercore* sicco, *quod egredietur de homine operies illud in oculis eorum*, vt his territi magìs credant, ideò vera est repræsentatio, non ficta. hucusquè de cibo prophetæ parando; & quod dicit de 390. diebus, idem dic de quadraginta, quæ ommisit, ex qua ommissione non puto ad quicquam referri posse, quia sæpiùs id faciat Scriptura, cùm ex alijs idem possumus percipere. *Et dixit Dominus: sìc comedent filij Israel panem suum pollutum* stercore illo *intèr gentes*, Chaldæos, *ad quas eijciam eos*, hæc est illatio omnium edendorum per prophetam, sub cuius persona dixerat, significans pœnuriam, & hìc Israel pro Iuda, quia iàm decem Tribus in captiuitatem ierant, hìc de futuris, quæ non aptantur nisi Iudæ. *Et dixi A, a, a Domine Deus, eccè anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum à bestijs non comedi ab infantia mea vsquè nùnc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda:* sic & Petrus Act. 10 *& dixit ad me: Eccè dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis*, mutauit fimum in minùs horribilem, hincquè fortè etiàm pœnuria lignorum futura, de qua Ieremias in orat. *& facies panem tuum in eo. Et dixit ad me: Fili hominis, Eccè ego conteram baculum* sustentationem *panis in Ierusalem, & comedent panem in pondere, & in solicitudine, & aquam in mensura, & in angustia bibent*, hæc de pœnuria in obsidione, *vt deficientibus pane, & aqua corruat vnusquisque ad fratrem suum*, absquè remedio, tamèn Isa. 3. *& contabescant in iniquitatibus suis*, vel in earum consideratione, vel in pœnis ob eas illatis: sìc in Psal. peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet.

CAPVT V.

ET *tu fili hominis* homo, nèc hic, vel alibì mysterium, *sume tibi gladium acutum radentem pilos* nouaculum, *et assumes eum, et adduces per caput tuum, et per barbam tuam* ad denotandum mœsta, & iniuriosa patienda esse: *& assumes tibi stateram ponderis*, ad capillos ponderandos, vt appareat quid maximi momenti fieri, *& diuides eos. Tertiam partem ignis combures* ad denotandam combustionem tertiæ partis obsessorum, *in medio ciuitatis* pictæ Ierusalem, *iuxtà completionem dierum obsidionis*, quibus tùnc incensa per Nabuzardan, *Et assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius* ciuitatis, ad denotandam tertiam partem obsessorum occidendorum, *tertiam verò aliam disperges in ventum* ad denotandam dispersionem reliquorum in varias regiones, & regna Nabuchodonosor; non hìc de dispersione per Romanos, cùm de Babylonica sola agatur, *& gladium nudabo pòst eos*, etiàm in locis, in quibus dispersi, puta in Aegypto. *Et sumes indè paruum numerum* pilorum, *& ligabis eos in summitate* ora *pallij tui*, denotans conseruandos à Chaldæis, & reuersuros, nequè hi dicendi de illis primò captis sub Iechonia, qui iàm captiui erant, sed sub Sedecia, de quibus solis loquitur. *Et ex his rursùm tolles* aliquos, non de ligatis, quia illi iàm salui, sed de illa tertia parte, ideò dicit *rursùm*, quia de eadem iàm ligauerat saluandos, *& proijcies eos in medio ignis*, hi autèm principes, & pseudoprophetæ deditionem impedientes, quam persuadebat Ieremias, quos describit dicens, *& ex eo*, scilicèt ipsorum igne, *egredietur ignis in omnem domum Israel* Iuda, ipsi enim fuerunt causa totius incendij; & hi magnates ex datis in ventum, quia exierunt, capti sunt, vt hic, & sub igne omnia consummantia, maximè gladius, vide infrà capit. 11. vbì de his sub versionibus, & capit. 13. de pseudoprophetis: non credo posse hunc textum secùs intelligi. Quarè cessat quod dicitur de his, quos frixit Rex Babylonis, Ierem. 29. 22. quia indè nullum malum.

Cessat etiàm quod dicitur de Antiocho, quia non sunt sufficientia huic Scripturæ gesta sub eo; parua fuit multitudo idòla sequentium; nulla clades ob id sequuta. vltrà quòd illa respiciunt alia tempora inferiora, quibus certè nullus horum captiuorum superstes, in quo verificari possint, & hìc agitur de origine totius calamitatis, & de illa sub Nabuchodonosor passa, vna structura, & themate, quæ non possunt dissolui, & ad diuersa trahi.

Præthereà non hi ligati, & salui, sed de perdendis, vt dixi. Et in hoc decepti Recentiores, qui putauerunt hos de ligatis receptos, cùm de tertia parte recepti fuerint. *Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Jerusalem in medio gentium*, non mundi, vndè nō puto esse in medio mundi, & quandò id diceret, esset proùt in medio cœli, in medio Ierusalem, in medio terræ, idest in cœlo, Ierusalem, terra *posui eam, et in circuitu eius terras*, vt esset eis in exemplum, eas doceret, vide Tob. 13. recenset beneficia, exprobratq. ex contēptu. *Et contempsit iudicia mea*, leges meas, *vt plùs esset impia, quàm Gentes: & præcepta mea vltrà quàm terræ, quæ in circuitu eius sunt* gentiū *iudicia enìm mea proiecerunt, & in præceptis meis nō ambulauerunt. Idcircò hæc dicit Dominus Deus: Quia superastis Gentes, quæ in circuitu vestro sunt*, in malè agendo, nō multitudine, quia prosequitur superiora, *& in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, & iuxtà iudicia Gentium*, obseruantium sua præcepta. *quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati; Ideò hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis Gentium, & faciam in te quod non feci, & quibus similia vltrà non*

non faciam, nisi peiora machinentur, proùt machinati sunt in nece Christi. *proptèr omnes abominationes tuas. Ideò patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos*, hæc vel per hyperbolem, quia maior fuit calamitas sub Romanis, & verba *quibus similia vltrà non faciam*, si gentes referunt, multò magìs Iudæos, quibuscum agebat, vel sub matribus filios edentibus omnes hos comprehendit, vel de voluntate, seù necessitate intelligit, vel factum est, non scriptum, *& faciam in te iudicia* condemnationes, pœnas inferam, *& ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ventum* dispergam. *Idcircò viuo ego, dicit Dominus Deus*, iuro cùm execratione, *Nisi pro eo quod sanctum meum* templum, vel legem meam *violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis*, idolòlatricis: *ego quoquè confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor. Tertia pars tui peste morietur, & fame consummetur in medio tui*, declarat figuram capillorum vrendorum. *& tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo. Tertiam verò partem tuam in omnem ventum dispergam* regiones alienas, & in omnes terras Babyloniorum, *& gladium euaginabo pòst eos*, ità vt nèc dispersi tuti. *Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor, et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cùm impleuero indignationem meam in eis*, loquitur more hominum ad nostram capacitatem. *Et dabo te in desertum, & in opprobrium Gentibus*, &c. quæ omnia ad pœnam, & destructionem Ierusalem ostendendam, de quibus sæpè per Isaiã, & Ieremiam, & Apocal, 18. in Babylone,

CAPVT VI.

E*T factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam* ad inanimata sæpiùs fit sermo ad maiorem commotionem: sic Dauid, montes Gelboe, &c. *verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, rupibus, & vallibus: Eccè ego inducam supèr vos gladium, & disperdam excelsa vestra, & demoliar aras vestras, & confringentur simulacra vestra*, quibus sacrificabatur, *deijciam interfectos vestros antè idòla vestra*, interficiam eos ibi. *Et dabo cadauera filiorum Israel antè faciem simulacrorum vestrorum: & dispergam ossa vestra circùm aras vestras in omnibus habitationibus vestris*, & sic polluemini, proùt fecit Iosias supèr altare Ierusalem. *Vrbes desertæ erunt, & excelsa demolientur, & dissipabuntur, & interibunt aræ vestræ, & confringentur, et cessabunt idòla vestra, et conterentur delubra vestra, et delebuntur opera vestra. Et cadet interfectus in medio vestri*, hinc de magna clade. *Et scietis, quia ego sum Dominus. Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in gentibus, cùm dispersero vos in terris*, quasi paucos. *Et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus, ad quas captiui ducti sunt: quia contriui cor eorum fornicans, et recedens à me, et oculos eorum fornicantes, pòst idòla sua: et displicebunt sibimet supèr malis, quæ fecerunt in vniuersis abominationibus suis*, vexatione intellectum recipientes. *Et scient quia ego Dominus non frustrà locutus sum, vt facerem eis malum hoc* ab experientia, hi ligati ex capillis. *Hæc dicit Dominus Deus: percute manum tuam, et allide pedem tuum*, vt solent mœrentes, & desperantes, vt magìs moueat, *et dic: heù ad omnes abominationes malorum domus Israel*, omnia mala ventura, prædic desolationem, destructionem, *quia gladio, fame, et peste ruituri sunt, qui longè est, peste morietur, qui autèm propè, gladio corruet: et qui relictus fuerit, et obsessus fame morietur; & complebo indignationem meam in eis. Et scietis, quia ego Dominus*,

cùm fuerint interfecti vestri in medio idolòrum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni colle excelso, & in cunctis summitatibus montium, & subtùs omne lignum nemorosum, & subtùs vniuersam quercum frondosam, locum vbi ascenderũt redolentia vniuersis idòlis suis. Et extendam manum meam supèr eos, & faciam terram desolatam, & destitutam à deserto Deblatha, vbi sistit Nabuchodonosor *in omnibus habitationibus eorum, et scient quia ego Dominus*, non idòla, ob quorum cultum hæc omnia mala.

CAPVT VII.

ET factus est sermo Domini ad me dicens: Et tu filij hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Israel. Finis venit, venit finis, desolatio, *supèr quattuor plagas terræ* Israel, ad hãc enim restrictus est sermo. *Nùnc finis supèr te* ò Ierusalem, *& immittam furorem meum in te, & iudicabo*, condemnabo, puniam *te iuxtà vias tuas* pessimas, *& ponam contrà te omnes abominationes tuas*, repetit idem, *Et non parcet oculus meus supèr te, & non miserebor, sed vias tuas ponam supèr te, & abominationes tuæ in medio tui erunt*, apparebunt, hoc nè confidant in Dei misericordia; sed vias eorum malas considerent, à quibus recedant, *& scietis quia ego Dominus*, ex vexatione. *Hæc dicit Dominus Deus; Afflictio vna*, insignis, & celer, *afflictio eccè venit, finis venit, venit finis, euigilauit*, Ieremias: virgam vigilantem ego video, Dominus, quem dormientem credebas, *aduersùm te: eccè venit. Venit contritio*, desolatio *supèr te, quia habitas in terra* securè, & tutò, *venit tempus, propè est dies occisionis* tuæ, *& non gloriæ montium*, in quibus sacrificabas, & exultabas in idòlis. *Nùnc de propinquo effundam iram meam supèr te, & complebo furorem meum in te, & iudicabo te iuxtà vias tuas: & imponã tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & scietis quia ego sum Dominus percutiens*, hæc replicat, vt magis infigat menti eorum, & explicat se percutientem, quod suprà non dixerat. *Eccè dies, eccè venit, egressa est contritio*, non reuersura, donèc impleuerit cursum, *floruit virga* inflexibilis iniquitatis tuæ, vt infrà declarat, *germinauit superbia* tua ad profundum te deiectura. *iniquitas*, pœna, desolatio, *surrexit in virga impietatis* inflexibilis, & duræ, vnà & simùl, Hinc hæc malè ad Nabuchodonosor, cùm sequentia declarent præcedentia circà virgam, & non est verisimile in eadem phrasi idem verbum diuersimodè capi, *non ex eis, & non ex populo* quidquam remanebit *nequè ex sonitu eorum*, hoc ad denotandum maius exterminium, quasi omnes peribunt, sìc, non relinquetur mingens ad parietem. *Et non erit requies in eis*, ità vt nullibi tuti sistant; clausula similis, quæ erat, & non est, Apoc. 17. vbì dixi: *Venit tempus, appropinquauit dies* desolationis, *qui emit, non lætetur: & qui vendit non lugeat*, cùm omnia subuertenda sint: *Quia qui vendidit, ad id, quod vendidit, non reuertetur*, in captiuitate positus tempore Iubilæi, *& adhùc in viuentibus vita eorum*, idest, etiàmsi adhùc vixerint de illo tempore, nèc hi pristinos agros recipiunt. *Visio enìm ad omnem multitudinem eius non regredietur*, ità vt non procedat, non sit stabilis Isai. 55. *& vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur*, ità vt euadat captiuitatem, vel mortem; nàm *Canite tuba* conuocantes ad bellum, *præparentur omnes* ad defensam, *& non est qui vadat ad prælium*, timore oppressi, vndè non euadetis, *ira enìm mea supèr vniuersum populum eius*, timorem incutiens, nè quidquam audeant, & causas timoris assumendi subijcit. *Gladius foris, & pestis, & famis intrinsecùs: qui in agro est, gladio morietur; qui in ciuitate, pestilentia, & fame deuorabuntur. Et saluabuntur,*

qui

qui fugerint ex eis, si ergò illi gladio, alij peste, & soli fugitiui salui, vtiquè nullus in prælio: *& erunt in montibus quasi columbæ conuallium* ex timore ad montes euolantes, *omnes trepidi, vnusquisque in iniquitate sua*, qua concutientur. *Omnes manus dissoluentur*, ex timore incusso, & apprehenso, *& omnia genua fluent aquis* more aquarum, ad instar Baltassaris Daniel. 5. *& accingēt se cilicijs* ex nimio mœrore, *& operiet eos formido, & in omni facie confusio, & in vniuersis capitibus eorum caluitium*, solent enim meticulosi decaluari. *Argentum eorum foràs proijcietur, & aurum eorum in sterquilinium erit* contemnentur ab illis, quia his præualebit timor. *Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini*, vndè vana erit eorum in his confidentia, cibarijs deficientibus. *Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur*, eccè pœnuria, & fames, *quia* aurum, & argentum, *scandalum* causa *iniquitatis eorum factum est*, hinc ergò fames, & calamitas. *Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt* in his superbi euntes, *& imagines abominationum suarum, & simulachrorum fecerunt ex eo*, idòla, quod est peius, sic & in deserto, & infrà cap. 16. *Proptèr hoc dedi eis illud in immunditiam*; sic suprà sterquilinium, *& dabo illud in manus aliorum ad diripiendum, & impijs terræ in prædam, & contaminabunt illud*, hic etiàm immunditia, & æmulationis propositio. *Et auertam faciem meam ab illis* Iudæis, non ero eis auxilio. Non potest de Chaldæis intelligi, quos fouebit contrà Iudæos, nèc est phrasis, qua soleat Dei conniuentia demonstrari, *& violabunt* Chaldæi *arcanum meum*, Sancta Sanctorum, *& introibunt in illud emissarij* fures, *& contaminabunt illud*. *Fac conclusionem* omnia prædicta euentura, *quoniàm terra plena est iudicio sanguinum* effusorum insontium, *& ciuitas plena iniquitate*. *Et adducam pessimos de Gentibus, & possidebunt domos eorum, & quiescere faciam superbiam potentium* Iudæorum opprimentium pauperes. *Et possidebunt* gentes illæ, *sanctuaria eorum* templum, & sacra, dicit *eorum*, quia alij substituendi: *Angustia superueniente requirent pacem, & non erit*, quia non miserebor, vt suprà dixerat. *Conturbatio supèr conturbationem veniet, & auditus supèr auditum* malorum, nedùm quod pax futura sit; *& quærent visionem de propheta* in vanum, *&* quia *lex peribit à Sacerdote, & consilium à Senioribus*, ità vt non inueniatur qui vel legem interpretetur, vel benè consulat, quorum contrarium dicebant, Ierem. 18. *Rex lugebit, & princeps induetur mœrore*, vndè nèc ab ipso subleuatio, vel adiutorium, *& manus populi terræ conturbabuntur*, tabescent deficient. *Secundùm viam eorum* opera *faciam eis, & secundùm iudicia eorum iudicabo eos*, sic in Apoc. & Iudi. 1. *& scient, quia ego Dominus* in ea angustia, quam eis inferam.

CAPVT VIII.

ET *factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis* à transmigratione Iechoniæ, eccè quòad tempus prophetiæ, non ampliùs de ætate, vt in 1. cap. *ego sedebam in domo mea* quietus, *& senes Iuda sedebant coràm me* fortè interrogaturi de tot repræsentationibus, *& cecidit ibi supèr me manus Domini Dei* spiritus ad prophetandum. *Et vidi, et eccè similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumborum eius, & deorsùm ignis: & a lumbis eius, & sursùm quasi aspectus splendoris, et visio electri*, hæc ad gloriam apparentis ostendendam, vt 1. cap. sic Apoc. 1. in igne, & ferè sempèr. *Et emissa similitudo manus* non manus propria, *apprehendit me in cincinno capitis mei*: sic & Habacuc ab Angelo, Dan. 14. non id ad demonstrandam futuram captiuitatem, quia seruit prophetæ visuro mala in Ierusalem: *et eleuauit me spiritus intèr terram, et cœlum: et adduxit me in Ierusalem in visionem Dei iuxtà ostium*

interiùs

interiùs, *quod respiciebat ad Aquilonem*, hæc omnia in visione, non verè, vt & infrà capit. 11. in fin. eo magìs, quia ibi sedebant senes cùm eo, qui fortè cognouerunt prophetam visiones habuisse, & fortè eas illis, vel transmigratis omnibus recitauit, vt infrà cap. 11. in fin. *vbì erat statutum idòlum zeli ad prouocandum æmulationem* Dei; denominatio ergò idòli est ab effectu, non quòd sìc nuncuparetur; *Et eccè ibì gloria Dei Israel secundùm visionem, quam videram in campo*, eccè quomodò gloria Dei erat, vt interpràtatus sum. *Et dixit ad me: Fili hominis leua oculos tuos ad viam Aquilonis, et eccè ab Aquilone porta altaris idòlum zeli in ipso introitu hac* idòlolatria prouocabat singularitèr Dominum, & hæc omnia demonstrat siuè præterita, siuè præsentia, vt ex illis cognoscat propheta iustam Dei iram, & hæc publicet. *Et dixit ad me: fili hominis putasnè, vides tu*, idest videas ne, *quid isti faciunt abominationes magnas, quas domus Israel facit hìc*, vt consequentèr *procùl recedam à sanctuario meo? et adhùc conuersus* iterùm *videbis abominationes maiores*, quas pergit ostendere. *Et introduxit me ad ostium atrij, et vidi, et eccè foramen vnum in pariete, et dixit ad me: fili hominis fode parietem, et cùm fodissem parietem apparuit ostiũ vnum* ex fossione. *Et dixit ad me: ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hìc* occultè, *et ingressus vidi, et eccè omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et vniuersa idòla domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum*, hæc omnia vetita erant, nedùm adoratio, sed & pictura eo magìs in templo. *Et septuaginta viri de Senioribus domus Israel*, à Senioribus egressa malitia, Dan. 13. ibò ad optimates dicit Isaias, *et Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium antè picturas*, quas adorabãt: *et vnusquisque habebat thuribulum in manu sua; et vapor nebulæ de thure consurgebat*, thurificabant enim. *Et dixit ad me: Certè vides fili hominis quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubiculi sui; dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram*; malitiosè ergò peccabant, & addebant Dominum non videre, per cardines cœli ambulare, vt in Iob: *Et dixit ad me: Adhùc conuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt, et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem, et eccè ibì mulieres sedebant plangentes Abdonidem*. Veneris Amasium. *Et dixit ad me: Certè vidisti fili hominis: adhùc conuersus videbis abominationes maiores his. Et introduxit me in atrium domus Domini interiùs: & eccè in ostio templi Domini intèr vestibulum, & altare, quasi* hìc affirmat *vigintiquinque viri dorsa habentes contrà templum Domini*, Sancta Sanctorum, *& facies ad orientem*, Dominum non curantes: *& adorabant ad ortum solis. Et dixit ad me: Certè vidisti fili hominis, numquid leue est hoc domui Iuda, vt faceret abominationes istas, quas fecerunt hìc: quia replentes terram iniquitate, conuersi sunt ad irritandum me?* quorum sum Deus, quos tantis beneficijs extuli, *& eccè applicant ramum ad nares suas*, fortè hoc ad cultum idòli, proùt de manu Iob. 31. *Ergò & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nèc miserebor: & cùm clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

CAPVT IX.

ET *clamauit* Dominus, vt parturiens, sicùt dixerat *in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquauerunt visitationes vrbis* ad internecionem, *& vnusquisque vas interfectionis*, arma, securim, *habet in manu sua. Et eccè sex viri* Angeli, sìc viri dicti in Genesi Abraham apparentes, & Acto. 1. *veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem* vbi idòla culta, *& vnusquisque vas interiùs in manu eius: vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis*, is & Angelus, qui repræsentatur vti Sacerdos, aliàs sic repræsenta-

ſentatus Chriſtus Apoc. 1. Daniel. 10. *& atramentum ſcriptoris ad renes eius: & ingreſſi ſunt, & ſteterunt iuxtà altare aneum. Et gloria Domini Iſrael* electrina ſpecie, vt ſuprà in viſione, *aſſumpta eſt de Cherub*, vt cap. 10. *quæ erat ſupèr eum* Cherub *ad limen domus* templi: ſic Deus in perſona eum repræſentante, hæc agens, vt appareat magis eius furor: ſic enim ſolent irati, & vt fierent hæc certiora, & maiori fide digna, & nè hi ad perdendum adducti etiàm bonos interimerent, proùt Apocal. 7. per Angelum edictum. Nolite nocere terræ, & mari, nequè arboribus, quoaduſquè ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum, *& vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramentum ſcriptoris habebat in lumbis ſuis; Et dixit Dominus ad eum: Tranſi per mediam Ciuitatem in medio Ieruſalem, & ſigna Thau ſupèr frontes virorum gementium, & dolentium ſupèr cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius*, de his ſignatis, & Apoc. 7. *Et illis* ſex viris *dixit audiente me: Tranſite per Ciuitatem, ſequentes eum*, ſignantem, *& percutite, non parcat oculus veſter, nequè miſereamini. Senem, adoleſcentulum, & Virginem, paruulum, & mulieres interficite, vſquè ad internecionem:* ſic & per exterminatorem in Aegypto factum in primogenitis; hic cùm paruulis benè actū, quia tranſlati, nè ad peccata dilaberentur, & ad dolorem patrum: *omnem autèm ſupèr quem videritis Thau, nè occidatis, & à ſanctuario meo incipite*, de quibus cap. 8. & 1. Pet. 4. tempus eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei. *Cœperunt ergò à viris ſenioribus, qui erant antè faciem domus: Et dixit ad eos* ſex viros: *Contaminate domum, & implete atria interfectis: egredimini: Et egreſſi ſunt, & percutiebant eos, qui erant in Ciuitate. Et cade completa, remanſi ego*, in viſione abſtractus, qui in his non comprehendebar, *ruiquè ſupèr faciem meam, & clamans aio. Heù, heù, heù, Domine Deus; Ergò nè diſperdes omnes reliquias Iſrael effundens furorem tuum ſupèr Ieruſalem?* ſempèr enim dixit Deus non facturum conſummationem. *Et dixit ad me: Iniquitas domus Iſrael, & Iuda magna eſt nimìs valdè, & repleta eſt terra ſanguinibus, & ciuitas repleta eſt auerſione, dixerunt enim. Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* cap. 8. *Igitùr, & meus non parcet oculus, nequè miſerebor: viam eorum ſupèr caput eorum reddam. Et eccè vir, qui erat indutus lineis, qui habebat atramentum in dorſo ſuo, reſpondit verbum dicens: Feci ſicùt præcepiſti mihi*, idem fecerũt, & alij; ſed de hoc ſolo eſt ſermo, quia is principalis: ideò ſex alijs iniunctum, vt hunc ſequerentur; hunc ergò, & in hoc ſequuti, vel is principalis pro omnibus, vel ex relatione eius, quid ab alijs actum manifeſtabatur, nempè omnes non ſignatos, occiſos, vel quia is adhùc in negocio perſiſtit; illi negocio perfecto abierunt; ex hac viſione apparet quàm magnus fuerit numerus occiſorum ſub Nabuchodonoſor.

CAPVT X.

E*T vidi, et eccè in firmamento, quod erat ſupèr caput Cherubim*, animalia ergò illa erant Cherubim; *quaſi lapis Sapphirus, quaſi ſpecies ſimilitudinis ſolij apparuit ſupèr ea, & dixit* ſuper ſolium ſedens, *ad virum* Angelum, *qui indutus erat lineis*, de quo cap. præcedenti, *& ait: ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtùs Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, quæ ſunt intèr Cherubim*, erat ergò ibi areola pro igne, *& effunde ſupèr ciuitatem*, hinc figurabatur exuſtio ciuitatis; vndè parùm curandum, an huic ſoli, vel ſex alijs id iniunctum, vel cur huic, omnes adminiſtratorij ſpiritus. *Ingreſſuſquè eſt in conſpectu meo* ille lineatus, *Cherubim autèm ſtabant à dextris domus, cùm ingrederetur vir, & nubes impleuit atrium interiùs. Et eleuata eſt gloria Domini deſupèr Cherubim ad limen domus, & repleta eſt domus nube,*

& atrium

& atrium repletum est splendore gloriæ Domini; hæc omnia ostendunt maiestatem Dei, proût & tempore Salomonis in templo eodem, 3. Reg. 8. 2. Paralip. 5. 14. *Et sonitus alarum Cherubim audiebatur vsquè ad atrium exteriùs, quasi vox Dei omnipotentis loquentis. cumquè præcepisset* Deus apparens in Angelo, alia clara, & de his cap. 1. *viro, qui indutus erat lineis dicens: sume ignẽ de medio rotarũ*, &c. vsq. ad vers. 14. *Quattuor autèm facies habebat vnum: facies vna, facies Cherub*, quã appellauerat faciem bouis cap. 1. sic repræsentatam tùnc, nùnc dicit faciem Cherub, quia sìc repræsentata, aliàs autèm facies non diuersificat, quia eadem, qua cap. 1. specie repræsentantur. *Et facies secunda facies hominis*, &c. vsquè ad vers. 20. *Ipsum est animal, quod vidi subtèr Deum Israel iuxtà fluuium Chobar: & intellexi, quia Cherubim essent*, quod priùs non intellexerat, hìnc sicut non vni omnia, sed alij spiritus prophetiæ, alij alter iuxtà Paulum, ità nequè vni illicò omnia, sed multotiès per partes iuxtà Dei beneplacitum. *Quattuor vultus vni, & quattuor alæ vni, & similitudo manus hominis sub alis eorum, et similitudo vultum eorum, ipsi vultus, quos videram iuxtà fluuium Chobar, et intuitus eorum, et impetus singulorum antè faciem suam ingredi*, de his cap. 1.

CAPVT XI.

ET eleuauit me spiritus, et introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ respicit ad solis ortum: et eccè in introitu portæ vigintiquinque viri; et vidi in medio eorum Iezoniam filium Azur, et Pheletiam filium Banaiæ, principes populi, quorum malo exemplo alij mouebantur. *Dixitquè ad me: Fili hominis, hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem, et tractant consilium pessimum in vrbe ista, dicentes: Nonnè dudum ædificatæ sunt domus?* quasi, & sic durabunt, non venient supèr nos mala cõminata, de his suprà cap. 5. subuersoribus, vbi dixi, & infrà cap. 13. de pseudoprophetis. *hæc* Ciuitas *est lebes*, in qua vsquè ad perfectionem coquendæ carnes: *nos autèm carnes* coquendæ ad perfectionem, ad maturam ætatem, & sìc non credebant prophetis dicentibus omnia citò destruenda, sed in longum protrahenda, & in suam sententiam alios trahebant vti principes. *Idcircò vaticinare de his, vaticinare fili hominis*, quid eis euenturum. *Et irruit in me spiritus Domini, et dixit ad me: Loquere: Hæc dicit Dominus: Sic locuti estis domus Israel: et cogitationes cordis vestri ego noui*, illius scrutator. *Plurimos occidistis in vrbe hac: et implestis vias eius interfectis*, hoc malum vestrum *Propterea hæc dicit Dominus: Interfecti vestri, quos posuistis in medio eius, hi sunt carnes*, quarum danda ratio, *et hæc est lebes*, vbi illæ coctæ, non vestræ, *et quia educam vos de medio eius*, vndè non erit vobis lebes, postquam digni non estis habitare, vbi homicidia patrastis, & sìc captiui ducemini. *Gladium metuistis*, occidi extrà Ierusalem *et gladium inducam supèr vos dicit Dominus Deus*, vt patiamini, proût peccastis in alios insontes. *Et eijciam vos de medio eius; daboquè vos in manu hostium, et faciam in vobis iudicia*, condẽnationes, puniam. *Gladio cadetis in finibus Israel* intrà fines Israel, vt in Reblatha, non contrà Ierusalem, *iudicabo vos, et scietis, quia ego Dominus. Hæc ciuitas non erit vobis in lebetem*; intrà quam moriamini, *et vos non eritis in medio eius carnes* coquendæ. *in finibus Israel iudicabo* puniam, *Et scietis quia ego Dominus; quia in præceptis meis non ambulastis, et iudicia mea non fecistis, sed iuxtà iudicia Gẽtium, quæ in circuitu vestro sunt, estis operati*, idololatrando. *Et factum est cùm prophetarem*, cùm his visionibus imbuerer, nàm in fine capitis dicit cessasse visionem, *Pheltias filius Bananiæ mortuus est*, sed an verè, non; quia sicut alia imaginaria, sìc & hoc, cur enim hoc diuersum? Præterea refert

hic, &

hic, & repræsentatur quod futurum erat in destructione Ierusalem, propterea gratis quæritur cur hic non habens signum Thau, mortuus non sit antè: *& cecidi in faciem, clamans voce magna dixi: Heù, heù, heù Domine Deus consummationem tu facis reliquiarum Israel?* quas reseruandas dixisti, ex quibus Messias oriturus; non ex vnius huius nece sola id propheta; sed timens vlteriùs gladium progressurum ad alios, prout antè viderat factũ à sex illis viris. *Et factũ est verbũ Domini ad me dicẽs: Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, & omnis domus Israel vniuersi, quibus dixerunt habitatores Ierusalem: Longè recedite à Domino* à Terra promissionis, ite, ite, *nobis data est terra in possessionem* nos hic stabimus tuti. *Propterea hæc dicit Dominus Deus quia longè feci eos in gentibus, & quia dispersi longè illos in terris,* dùm se regi Babylonis dederunt *ero eis in sanctificationem,* benedictionem, abundantiam, refectionem *modicam,* quasi paucos illorum saluabo, *in terris, ad quas venerunt*, hoc excludit alios intellectus, nàm offert se præstiturum aliquid extrà Ierusalem in captiuitate positis. *Propterea loquere: Hæc dicit Dominus Deus: Congregabo*, tandem per Cyrum, *vos de populis, & adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboquè vobis humum Israel,* ad habitandum, sed & alijs, qui cũ Sedecia captiui facti sunt, vt Ezech. 5. & 9. & locutio non est taxatiua, vel aliorũ exclusiua. *Et ingredientur illùc, & auferent omnes offensiones, cunctasquè abominationes eius in die illa;* auferent idòla, eis non seruient ampliùs. *Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum: & dabo eis cor carneum,* tenerum, flexibile: *Vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantquè ea: & sint mihi in populum, egoquè sim eis in Deum* hæc pòst reditum à captiuitate. *Quorum cor pòst offendicula, & abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam dicit Dominus Deus:* sic ego cùm illis agam iuxtà eorum merita. *Et eleuauerunt Cherubim alas suas, & rotæ cùm eis, & gloria Dei Israel erat supèr ea. Et ascendit gloria Domini de medio ciuitatis* significans se, & ea abitura, *stetitquè supèr montem* Oliueti, *qui est ad orientem vrbis. Et spiritus leuauit me, duxitquè in Chaldæam ad transmigrationem in visionem spiritus Dei, & sublata est à me visio, quam videram. Et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini, quæ ostenderat mihi* senioribus sedentibus.

CAPVT XII.

ET factus est sermo Domini ad me dicens: fili hominis in medio domus exasperãtis rebellis, duræ, *tu habitas: qui oculos habent ad videndum, et non vident: & aures ad audiendum, & non audient,* mala eis imminentia, quæ prædicis, *quia domus exasperans est. Tu ergò fili hominis fac tibi vasa* instrumenta *transmigrationis, & transmigrabis per diem coràm eis: transmigrabis autèm de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si fortè aspiciant,* & ex hoc facto tuo resipiscant, & redeant, *quia domus exasperans est. et efferes foràs vasa tua quasi transmigrantis per diẽ in conspectu eorum*, vt cognoscãt te transmigrantem. *Tu autèm egredieris vespere* more fugitiuorum, nè deprehendantur, *coràm eis sicùt egreditur migrans. antè oculos eorum perfode tibi parietem*, non per portam ordinariam egressurus, *& egredieris per eum. in conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine,* in nocte *effereris: faciem tuam velabis, & non videbis terram,* mœrens, & timore correptus, & pudore, vel nè cognoscaris: hæc omnia referebant egressum Sedeciæ, & suorum per murum, fugam, exoculationem, captiuitatem, quæ omnia infrà clarè explicantur, *quia portentum dedi te domui Israel. feci ergò sicùt præceperat mihi Dominus: vasa mea protuli quasi*

vasa transmigrantis per diem: & vespere mihi perfodi parietem manu: & in caligine egressus sum in humeris portatus in conspectu eorum. Et factus est sermo Domini manè ad me dicens. Fili hominis, numquid nõ dixerunt ad te domus Israel, domus exasperans: quid tu facis? dic ad eos: hæc dicit Dominus Deus, supèr ducem explicat clarè tàm de Sedecia, quàm de alijs hoc dici, onus istud, qui est in Ierusalem, & supèr omnem domum Israel quæ est in medio eius, dic: ego portentum vestrum: quomodò feci: sic fiet illis in transmigrationem, & in captiuitatem ibunt, & dux, qui est in medio eorum intèr eos, in humeris portabitur, in caliginem egredietur: parietem prefodient, vt educant eum, facies operietur, vt non videat oculo terram, & extendam rete meum nè euadat, sequentia ommissa in propheta, supèr eum, & capietur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem in terra Chaldæorum: & ipsam non videbit exoculandus à Nabuchodonosor in Reblatha, ibiquè in Babylone morietur, & omnes (pòst ducem, de alijs quid fiet?) qui circà eum sunt, præsidium eius, & agmina eius, dispergam in omnem ventum: & gladium euaginabo pòst eos, & scient, quia ego Dominus, quandò dispersero illos in gentibus & disseminauero eos in terris, & relinquã ex eis viros paucos à gladio, & fame, & pestilẽtia: sic & præcedenti capite de paucis relinquendis; vt enarrent omnia scelera eorum in Gentibus, ad quas ingredientur, & illæ cognoscãt cur: sic acerbè cùm eis actum, & timeant: & scient, quia ego Dominus, ex flagello, & factus est sermo Domini ad me dicens. Fili hominis panem tuum in conturbatione comedes: sed, & aquam tuam in festinatione bibe, nè à te abripiatur; significans id in obsidione euenturum, vt prosequitur, & dices ad populum terræ. Hæc dicit Dominus Deus ad eos, qui habitant in Ierusalem in terra Israel. Panem suum in solicitudine comedent, & aquam suam in desolatione bibent: vt desoletur terra à multitudine sua, causam profert, proptèr iniquitatem omnium, qui habitant in ea, & ciuitates, quæ nùnc habitantur, desolatæ erunt, terraquè deserta, & scietis, quia ego Dominus. Et factus est sermo Domini ad me dicens, fili hominis, quod est prouerbium istud vobis in terra Israel? dicentium, in longum differentur dies, & peribit omnis visio, arguebant ex mora calamitatis non ampliùs euenturam; sic in Isaia, manda, remanda, modicum ibi, modicũ ibi, &c. ideò dic ad eos: hæc dicit Dominus Deus. quiescere faciam prouerbium istud, nequè vulgo dicetur vltrà in Israel: & loquere ad eos, quòd appropinquauerunt dies, & sermo omnis visionis, circà destructionem, & captiuitatem. Non enim erit vltrà, &c. vsquè ad vers. 38. Non prolongabitur vltrà omnis sermo meus, verbum, quod locutus fuero, complebitur dicit Dominus Deus, hæc omnia ad sedandam vocem illam prauam, in qua confidebant.

CAPVT XIII.

ET factus est sermo Domini ad me dicens, fili hominis vaticinare ad prophetas Israel, qui prophetant, quia hi pseudoprophetæ irritabant dicta per veros à Deo missos. proptercà ad tollendam hanc deceptionem contrà eos agitur; & dices prophetantibus de corde suo, non à spiritu meo instructi. audite verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis incipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident verum, seù à me. Quasi vulpes in deserto, decipientes te, prophetæ tui Israel erant. Non ascendistis ex aduerso (vertit ad illos sermonem) nequè opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini, hæc enim signa verorum prophetarum zelantium salutem populi in die, qua Dominus flagella minatur. Vident vana, & diuinant mendacium, vt decipiant malitiosè, dicentes: Ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos: & perseuerauerunt confirmare sermonem, alij

quibus

quibus signis fictis, vel apparentibus, vt in Sedecia, 3. Regum vlt. *Numquid non visionem cassam vidistis: & diuinationem mendacem locuti estis? & dicitis, ait Dominus, cùm ego non sim locutus*, quasi hoc negare non potestis, quia certum. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti estis vana, & vidistis mendacium; ideò eccè ego ad vos, dicit Dominus Deus: Et erit manus mea* ad puniendum *supèr prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacia: in consilio populi mei non erunt*, abijciam eos à populo: *& in scriptura Israel non scribentur*, tamquàm de illo populo, *nèc in terram Israel ingredientur*, postquàm eos indè abduxero in captiuitatem, *& scietis, quia ego Dominus Deus; Eo quòd deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non est pax*, dicebant enim non venturum gladium, qui instabat, sic in Isaia, & Ieremia pluriès, & suprà capit. 5. & 11. *& ipse* populus *ædificabat parietem* fidem eis præstans se in pace victurum; *illi autèm liniebant eum luto absquè paleis*, adulutoriè, absquè vllo fundamento. *Dic ad eos, qui liniunt sinè temperatura* paleis, *quòd casurus sit*, paries ille, ab ipsis adulatoriè linitus. *Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desupèr irruentes, et ventum procellæ dissipantem*, hæc omnia ad Nabuchodonosor, & exercitum eius. *Siquidèm eccè cecidit paries*, præmissis appropinquantibus. *numquid non dicetur vobis: Vbi est litura, quam linistis?* quia nullibi apparebit sublata à præmissis. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in ira in consumptionem: Et destruam parietem, quem linistis absquè temperatura* paleis: *& adæquabo eum terra & reuelabitur fundamentum eius: & cadet, & consummetur in medio eius*, replicat clarius, quod dixerat: *& scietis, quia ego sum Dominus: Et complebo indignationem meam in pariete, & in his, qui liniunt eum absquè temperamento, dicamquè vobis: Non est paries, & non sunt qui liniunt eum*, iàm sublati de medio. *Prophetæ Israel, qui prophetant ad Ierusalem, videntquè ei visionē pacis* falsò: *& non est pax*, sed bellum instat, *ait Dominus Deus. Et tu fili hominis pone faciem tuam contrà filias populi tui*, nùnc contrà mulieres itidèm falsa prophetantes, *quæ prophetant de corde suo*, non de spiritu meo: *& vaticinare supèr eas, et dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ quæ cōsuūt puluillos sub omni cubito manus: et faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas* deceptoriè, & adulatoriè, spe vana populum alentes, mala instantia non futura, sed omnia cùm pace euentura. *Et cùm caperent animas populi mei*, decipiendo, *viuificabant animas eorum* promittentes eis bona, quasi non instarent flagella, sed pax futura esset. *Et violabant me ad populum meum*, dicentes ex ore meo falso hæc habere, *proptèr pugillum hordei, & fragmen panis*, ad hæc minima lucranda, *vt interficerent animas*, dùm reddunt eas tutas à gladio, qui instat, *quæ non moriuntur*, si ad Chaldæos transmigrent, vt ego prædixi, *& viuificarent animas* ex bonis nuncijs pacis, *quæ non viuent*, dùm Chaldæos obsidentes expectant; sed morituræ sunt, *mentientes populo meo credenti mendacijs*, hinc pœna dignæ. *Proptèr hoc, hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego ad puluillos vestros, quibus capitis animas volantes* quasi volucres, *& dirumpam eos de brachijs vestris* fœmineis: *& dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum*, ad euadendum, promittit Deus se pro animabus his staturum. *Et dirumpam ceruicalia vestra*, quibus animas detinetis: *& liberabo populum meum de manu vestra, neque erunt vltrà in manibus vestris ad prædandum; & scietis quia ego Dominus: pro eo quòd mærere fecistis cor iusti*, vel Ieremiæ, vel singulare pro plurali, iustorùm, *mendacitèr, quem ego non contristaui*, hæc enim displicent Domino, vndè: nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari: *& confortastis manus impij, vt non reuerteretur à via sua mala, et viueret* reuersus & obediens dictis meis de tradendo se Chaldæis. *Propterea vana non videbitis et diuinationes non diuinabitis ampliùs*,

quia vos disperdam, *& eruam populum meum de manu vestra*; eccè hìc dicit populum suum, quem suprà prophetæ; proptereà nihil in hoc mysterij cognosco, *Et scietis quia ego Dominus*.

CAPVT XIV.

ET *venerunt ad me viri seniorum Israel* principales, *& sederunt coràm me*, aliquid audituri, vel percunctaturi, *Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas*, maximè circà idòla versantes *in cordibus suis* firmas, *& scandalum iniquitatis suæ* idolòlatriæ cultum, *statuerunt contrà faciem suam*, non dicas, *in cordibus suis*, idest, appensas ad collum, ad cor hærentes, vtì Recentiores, quia dicit *in cordibus*, intrà corda, non extrà, *numquid interrogatus respondebo eis?* à me alienis, & idòlis deditis, quasi, id non merentur: *Proptèr hoc loquere eis, & dices ad eos: hæc dicit Dominus: Homo, homo*, quisquis *de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contrà faciem suam, & venerit ad prophetam interrogans per eum me*. *ego Dominus respondebo*, vt infià, *& in multitudine immunditiarum suarum vt capiatur* decipiatur *domus Israel in corde suo, quo recesserunt à me in cunctis idòlis suis*, & sìc fiet ei iuxtà malum, quod intùs retinet, non iuxtà interrogationem, quam facit. *Propterè dic ad domum Israel; Hæc dicit Dominus Deus; Conuertimini, & recedite ab idòlis vestris*, hoc erat, quod Deum exacerbabat, *& ab vniuersis contaminationibus vestris auertite facies vestras, Quia homo homo* quicumque *de domo Israel, & de proselytis quicumque aduena fuerit in Israel, si alienatus fuerit à me, & posuerit idòla in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contrà faciem suam, & venerit ad prophetam, & interroget per eum me: ego Dominus respondebo ei per me* potentem, acerbè, vt sequitur: *Et ponam faciem meam supèr hominem illum* ad flagellum, vultus autèm Domini supèr facientes mala, *& faciam eum in exemplum, & in prouerbium, & disperdam eum de medio populi mei*, eccè non considerandum, si quandò dicat mei, vel tui, *& scietis, quia ego Dominus*, eccè responsum talibus dandum expressum. *Et propheta cur errauerit, & locutus fuerit verbum*, quod non euenit. *Ego Dominus decepi prophetam illum*, sìc 3. Regum vlt. Deuter. 13. & 18. permisi eum decipi. *Et extendam manum meam supèr illum, & delebo illum de medio populi mei Israel; Et portabunt iniquitatem suam iuxtà iniquitatem interrogantis, sic iniquitas* flagellum *prophetæ erit, vt non erret vltrà domus Israel*, decepta *à me, nequè polluatur in vniuersis præuaricationibus suis: sed sit mihi in populum, & ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum*, sìc suprà capit. præcedenti contrà eosdem deceptores. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: fili hominis terra* Iudæa *cùm peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans extendam manum meam supèr eam* ad flagellum, *& conteram virgam* substantiam, baculum suprà dixit *panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum. Et si fuerint tres viri isti in medio eius Noe, Daniel, & Iob.* Hos tres nominat ob excellētiam sanctitatis, & orationis, & capit tempus antiquum in Noe, medium in Iob, vltimum, & recens in Daniele; non quòd non impetrauerint, quod esset contrà scopum, quia potiùs hìc Deus ostendit eos fuisse compotes votorum suorum, & tales verè fuerunt. De Noe Eccles. 44. De Iob cap. 1. in fin. De Daniele in tota sua prophetia: & sìc de Samuele, & Moyse Ierem. 15. qui orarunt, & impetrarunt multa; Ex mentione Danielis intèr mortuos positi videtur tùnc mortuum fuisse, quia nequè de illo tempore vlla illius mentio, & de viuente hæc non solent dici, tamèn Alij hìc secùs sentiunt, quos vide, *ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Quòd & si bestias pessimas induxero*, &c. vsquè ad vers. 21.

Quo-

Quoniàm hæc dicit Dominus Deus, quòd et si quatuor iudicia mea pessima, gladium, et famem, ac bestias malas, et pestilentiam immisero in Ierusalem, et interficiam de ea hominem, et pecus; tamèn relinquetur in ea saluatio educentium filios, et filias, & sìc misericordia mea sola præualet, reliquiæ autèm saluæ, quia ex his oriundus Messias iuxtà promissionem Abrahæ factam. Hìnc cognoscitur voluntas Dei inclinantis saluare reliquias populi, etsi tot mala supèr eos inducat, eaquè mala in consolationem conuertenda, cùm viderint qua de causa illa induxerit Dominus, vt prosequitur, quæ fuit magna misericordia Dei, qua sola absquè precibus virorum illorum bonorum id factum in eo populo, quod etiàm precibus eorum accedentibus non potuisset à Deo obtineri. *eccè ipsi ingrediuntur ad vos*, in Chaldæa stantes captiui, *et videbitis viam eorum, et adinuentiones eorum malas*, circà idòla versantes in Ierusalem, *et consolabimini supèr malo, quod induxi in Ierusalem in omnibus, quæ importaui super eam*, ob eorum abominationes, in eorum emendationem, & conuersionem; *Et consolabuntur vos, cùm videritis viam eorum, et adinuentiones eorum; et cognoscetis quòd non frustrà fecerim omnia, quæ feci in ea, ait Dominus Deus*; Sed magna ex causa motus, nempè peccato idolòlatriæ: hìnc cognosce non eos motos ad consolationem ob mala imminentia, & iniecta in populum Ierusalem, sed quia correcti, & boni redditi: & consequentèr nullibì apparere hos captiuos indoluisse mali consilij de se dedendo, vel ægrè tulisse læta populi, & Ierusalem, vt aliqui Recentiores hic opinantur; immò si tales fuissent, non supposuisset occasiones Ezechiel ad eos in hoc peccato conseruandos.

CAPVT XV.

ET *factus est sermo Domini ad me dicens: fili hominis quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt intèr ligna siluarum?* &c. Ex tota hac parabola aduertendum quid inferat, nempè sicùt de ligno vitis ad solum ignem apto, arsuro, sic ad ignem consummandum traditurum populum, quem iàm in parte captiuitati tradiderat; proposita autèm fuit parabola ad illos magis terrendos, & quia sìc erat mos regionis, quod seruauit etiàm Dominus in Euangelijs. Sed tamèn sempèr præsupponenda reliquiarum saluatio, de qua sæpiùs habetur, *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Quomodò lignum vitis intèr ligna siluarum, quod dedi igni ad deuorandum, sìc tradam habitatores Ierusalem. Et ponam faciem meam in eos* ad consummandum, *et si de igne egredientur* aliqui, *et ignis* gladij, captiuitatis, pestis, *consumet eos: et scietis quia ego Dominus, cùm posuero faciem meam in eos, et dedero terram inuiam, et desolatam*, vexatio enìm dat intellectum, & si aliqui intellecturi, ergò aliqui remansuri, *eò quòd præuaricatores extiterint*, eccè eorum culpa Deum ad hæc mala moueri, *dicit Dominus Deus*.

CAPVT XVI.

ET *factus est sermo Domini ad me dicens; fili hominis notas fac Ierusalem abominationes suas* per litteras, vt, visa illarum turpitudine, conterantur, & conuertantur: vndè Ezechias, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, *et dices: Hæc dicit Dominus Deus Ierusalem,*

salem : Radix tua , et generatio tua de terra Chanaan , pater tuus Amorrhaus, et mater tua Cethaa, populi hi Chananæi, eccè ab origine, quàm mala sis, non quòd hæc vera origo, idest per Chananæos, sed assumit origines malas à locis illis impietate insignibus; ideò dicit *de terra* ad eorum malam ostendendam, proùt illud. Audite principes Sodomorum, & Gomorrhæ, quos imitabantur. Hìnc puto agi de his, antequàm separarentur in populum Dei, & vocaretur Abraham, cuius nulla mentio, *Et quandò nata es in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus*, vide Theodoretum, *et aqua non es lota in salutem* iuxtà ritum ab immunditijs à matre contractis, *nèc sale salita* ad siccandum corpora, *nec inuoluta pannis*, ne membra contorquerentur. *Non pepercit supèr te oculus, vt faceret tibi vnum de his*, ministerijs *misertus tui*; *sed proiecta es supèr faciem terræ in abiectione animæ tuæ* vitæ tuæ abiectæ, cuius nulla cura habita *in die, qua nata es*, nihil tecum seruatum, quod in alijs nascentibus, sed quasi immunditiæ nulla tui cura fuit: vult dicere, tota eras plena peccatis, & præsertìm idòlolatria (huius enìm causa segregatus populus ab origine) dum in gentilitate eras. *Transiens autèm per te, vidi te, conculcaui in sanguine tuo* in qua nata, & nondum lota, sed deiecta eras, & dum sìc esses. *Viue. dixi, inquam, tibi: In sanguine tuo viue*, sic sanguinolenta viue, feci te viuere vocando Abraham, & secernendo te in populum mihi peculiarem. *Multiplicatam quasi germen agri dedi te* in Abraham, quem tuli Iosu. 24. 3. Gen. 11. 12. & seq. & Iacob in Aegypto, *& multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es* adoleuisti ad tempus nubile, *& peruenisti ad mundum muliebrem*, ad omnia desiderabilia mulieri, seù sponsæ, *vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit* fœcundam te reddidi, *& eras nuda, & confusione plena*, dùm adhùc lege non recepta ignorabas cultum Dei. *Et transiui per te, & vidi te; & eccè tempus tuum, tempus amantium* quo solent simùl conuenire, *& expandi amictum meum supèr te* vide in Ruth, & Booz. Ruth 3. 7. *& operui ignominiam tuam*, quam de Aegypto tuleras, hæ enìm sordes Aegypti, ornando te lege, vt solent sponsi. *Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus*, manifestando me tibi in Deum, & sub meam protectionem assumendo in exitu de Aegypto, & in monte Sinai; *& facta es mihi* mea, quia & tu promisisti te mecum futuram, & leges meas seruaturam, nec ad Deos alienos declinaturam. *Et laui te aqua, & emundaui sanguinem tuum ex te* in quo nata eras à principio; pòst desponsationem verò, *& vnxi te oleo* pulchritudine te ornans. *Et vestiui te discoloribus, & calcaui te Ianthino, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circà collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento, & vestita es bysso, et polymito, et multis coloribus*, omnia hæc ornamenta mulierum & sponsarum; *similam, et mel, et oleum comedisti*, cibaui te optimis in terra promissionis lacte, & melle manante, *et decora facta es vehementèr nimis* ex ornatu, & victu meo: *et profecisti in regnum* quasi ad sublimitatem maiorem. *Et egressum est nomen tuum* gloria tua in Gentes *proptèr speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem posueram supèr te dicit Dominus Deus*, fama etiàm apud exteros inclyta facta es proptèr me te ornantem. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua*, abusa beneficijs meis, confisa in quæ non debueras, eccè nunc mala; impinguata, incrassata, dilatata, *fornicata es* in idolis *in nomine tuo* gloria tua, in qua confisa & abducta, à me tibi impartita, sìc & infrà *aureo meo, et argento meo*, & hic intellectus conformis superioribus, *egressum est nomen tuum: et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti*, omni idòlo tibi occurrenti, *vt eius fieres*, more meretricis publicæ. *Et sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa hinc indè consutá*, ad idòla colenda: *et fornicata es supèr eis* excelsis, *sicùt non est factum, nequè futurum est* intèr Iudæos, qui post captiuitatē Babylonicā idòla dimiserunt, sicùt tu fecisti, quasi excessisti vltrà alias, omnibus se subijciens, &

de

de tuo conferens eis. *Et tulisti vasa decoris tui* decorosa, pulchra, *de auro meo, atquè argento meo, quæ dedi tibi*, & fecisti *tibi imagines masculinas* idòla, tamquàm cùm meretrice loquitur, ideò de masculinis, *et fornicata es in eis* illas adorando. *Et sumpsisti vestimenta tua multicoloria*, à me tibi tradita, *et operuisti illas: et oleum meum, et thymiama meum posuisti coràm eis*, honorem illis dando ex mihi debitis, & pro me solo cremandis. *Et panem meum, quem dedi tibi, similam, et oleum, et mel, quibus enutriui te, posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis*: sìc Gen. 8. 21. hoc graue ex Dei bonis proprijs, idòlis offerre ad placationem, *et sìc factum est, ait Dominus Deus. Et tulisti filios tuos, et filias tuas, quas generasti mihi, et immolasti eis ad deuorandum*, in his præferens idòla mihi, mihi verò conseruanti illos in vita, illis deuorantibus; *Numquid parua est fornicatio tua?* quasi immò magna. *Immolasti filios meos, et dedisti illos consecrans eis*, quasi quid plus facere poteras, vel mihi graue, vel illis gratum? *Et post omnes abominationes tuas, et fornicationes, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quandò eras nuda, et confusione plena, conculcata in sanguine tuo*, si enim hæc considerasses, nempe originem tuam infimam, vel beneficia tibi collata, confusa esses, & redijsses.

Et accidit hæc de perseuerantia in idololatria in omni loco *pòst omnem malitiam tuam (Væ, Væ tibi, ait Dominus Deus) et ædificasti tibi lupanar, et fecisti tibi prostribulum in cunctis plateis. Ad omne caput viæ*, vt in Thamar. Gen. 38. *ædificasti signum prostitutionis tuæ, et abominabilem fecisti decorem tuum, et diuisisti pedes tuos omni transeunti, et multiplicasti fornicationes tuas. Et fornicata es cùm filijs Aegypti vicinis tuis magnarum carnium* pinguium, vnà cum eis horrenda, & numerosa idola admittentibus: vide Albam in Cent. c. 51. *et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me* idest, vt tandèm me ad iracundiam prouocares. *Eccè ego extendam manum meam supèr te* puniturus, *et auferam iustificationem tuam* templum, in quo confidis, & fictionem tuam ornas, seu omnia ornamenta tibi tradita, *et dabo te in animas* desideria *odientium te filiarum Palæstinarum*, de his, quia cùm muliere est sermo, & odium inter illas eiusdem sexus maius, *quæ erubescent in via tua scelerata*, etsi illæ Palestinæ. *Et fornicata es in cùm filijs Assyriorum eò quòd nèc dum fueris expleta*, ex primis idololatrijs: *et postquàm fornicata es* cùm illis, *nèc sic es satiata* adhùc alios quæsisti, *Et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan* tua propria, nemine cogente; retinet hic pronomen terræ promissionis, in qua vigebat idolòlatria, vt ostendat morem illorum populorum retentum ab eis, *cùm Chaldæis, et nèc sìc satiata es*, numquàm fecisti finem. *In quo mundabo cor tuum* inexplebile, *ait Dominus Deus, cum facias omnia hæc opera mulieris meretricis, et procacis?* quærentis sempèr nouos amatores, quasi in hoc statu non datur conuersio ad me, vel mundatio. de matre Ionathæ sìc Saul. 1. Reg. 20. 30. *quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, et excelsum tuum fecisti in omni platea: nèc facta ès quàsi meretrix fastidio*, abijciens parua lucra, & *augens pretium, sed quàsi mulier adultera, quæ supèr virum suum*, is ego, qui te desponsaui mihi, *inducit alienos*, quibus dat præmium. *Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autèm dedisti mercedem cunctis amatoribus tuis, et dona donabas eis, vt intrarent ad te vndiquè ad fornicandum tecum*, hoc factum, dum idola noua assumebat, & in his colendis erogabat quæ ad cultum, & sacrificia requiruntur, hincquè inferre vult, quid lucrata es ab illis? quod beneficium recepisti? *Factumquè est in te contrà consuetudinem mulierum in fornicationibus suis: et pòst te non erit fornicatio* talis contrà morem: *in eo enim quòd dedisti mercedes, et mercedes non accepisti factum est in te contrarium* prætèr consuetudinem aliarum. *Propterea meretrix audi verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Quia effusum est æs tuum*, vt supra, *et reuelata est ignominia tua in fornicationibus tuis supèr amatores tuos, et supèr idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum, quos dedisti eis*, hoc enim fuit maximũ, & barbarũ genus cultus idolòrũ, alia superans. *Eccè*

ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es, & omnes, quos dilexisti cùm vniuersis, quos oderas: & congregabo eos supèr te vndiquè, & nudabo ignominiam tuam coràm eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam, vt tibi eò magis insultent: sic Apocalyp. 17. odient fornicariam, hæc in captiuitate. *Et iudicabo te iudicijs adulterarum*, lapidibus, *& effundentium sanguinem*, gladio pereuntium, *Et dabo te in sanguinem furoris, & zeli*, quibus in te punienda mouebor. *Et dabo te in manus eorum, & destruent lupanar tuum, & demolientur prostribulum tuum, & denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui: & derelinquent te nudam, plenamquè ignominia: & adducent supèr te multitudinem*, hæc omnia denotantia destructionem Ierusalem, *& lapidabunt te lapidibus*, tamquàm adulteram, vt in Susanna, & Adultera Euangelica tentatum, *& trucidabunt te gladijs suis*, ac homicidam. *Et comburent domos tuas igni*, vt in Thamar, *& facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum*, Ciuitatum te respicientium, quod solet esse graue. *Et desines fornicari*, sic destructa, *& mercedes vltrà non dabis* amatoribus, idòlis. *Et requiescet indignatio mea in te: & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nèc irascar ampliùs*, satiabor in his, quæ tibi fient, tua non curabo.

Et quòd non fueris recordata dierum adolescentiæ tuæ, quibus compungi poteras, & conuerti, *& prouocasti me in omnibus his* abominationibus iàm dictis: *quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi*, pœnas inferendo iuxtà tua merita, *ait Dominus Deus, & non feci iuxtà scelera tua in omnibus abominationibus tuis*, punit enim Deus citrà condignum. *Eccè omnis, qui dicit vulgò prouerbium, in te assumet illud, dicens: sicùt mater, sic & filia eius*, sicùt gentilitas prima, ità & populus Hebræus ab illa segregatus. *Filia matris tuæ* gentilitatis *es tu, quæ proiecit virum suum* Deum, *& filios suos* idòlis hærendo, & illis eos sacrificando, *& soror sororum tuarum* Samariæ, & Sodomæ *es tu, quæ proiecerunt viros suos, & filios suos* eodem modo. *Mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus*, à quibus descenditis iuxtà mores. *Et soror tua maior Samaria ipsa, & filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autèm tua minor te, quæ habitat à dextris tuis Sodoma, & filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuam: soror autèm tua minor te, quæ habitat à dextris tuis Sodoma, & filiæ eius: Sed nèc in vijs earum ambulasti, neque secundùm scelera earum fecisti pauxillum minùs*, saltèm vt debueras, immò; *penè sceleratiora fecisti illis in omnibus vijs tuis*; superasti illis in impietatibus, & abominationibus. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius sicùt fecisti tu, & filiæ tuæ*, quod sub dubio dixerat, nùnc certò & maiori emphasi pronunciat. *Eccè hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius, & manum egeno, & pauperi non porrigebant*, nota hæc omnia ad mores. *Et eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coràm me, et abstuli eas sicùt vidisti* disce ab illis, pœna earum te prudentem reddat. *Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit: sed vicisti eas sceleribus tuis, et iustificasti* comparatiuè ad te iustas declarasti, *sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es. Ergò et tu porta confusionem tuam* in pœnis, quas prædico instantes, *quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratiùs agens ab eis; iustificatæ sunt enim à te. Ergò et tu confundere, et porta ignominiam tuam, quæ iustificasti sorores tuas. Et conuertatur restituens eas conuersione Sodomorum cùm filiabus suis, et conuersione Samariæ, et filiarum eius*, Sub Sodoma, & Samaria intellige cõuersionem aliquorum ex decem Tribubus, qui reuersi cùm Iuda, & Beniamin ex captiuitate Babylonica: denominatio enim à Sodoma, & Samaria est ad denotandam eorum malitiam. nàm quòad Sodomam agitur de impossibili, cùm nullus de illa stirpe remanserit, nisi sub ea intelligas de circumuicinis populis, quod differentèr aptatur, cùm Sodomam à morum iniquitate cõstituerit sororum principalem, quæ nùnc sub alijs non potest recipi.

Vel

Vel intellige de Segor salua. Vel de tota gentilitate, & Iudaismo conuertenda ad tempora Euangelij, quod vix placet, *& conuertam reuersionem tuam* à captiuitate *in medio earum*, cùm illis, *vt portes ignominiam tuam* coràm eis, *& confundaris in omnibus, quæ fecisti consolans eas* ex reuersione huiusmodi à captiuitate, intellige de paucis ex decem tribubus. *Et soror tua Sodoma, & filiæ eius reuertētur ad antiquitatem suam: & Samaria, & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam: & tu, & filiæ tuæ reuertemini ad antiquitatem vestram*, omnes ad fidem patrum, & Patriarcharum antiquorum, & ad sedes pristinas. *Non fuit autèm Sodoma soror tua audita in ore tuo, in die superbiæ tuæ, antequàm reuelaretur malitia tua*, vt eo exemplo recederes à tuis abominationibus: *sicùt de tempore in opprobrium* tuum, in auribus *filiarum Syriæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinarum, quæ ambiunt te per gyrum*, tua malitia prædicatùr. *scelus tuum, & ignominiam tuam tu portasti*, & porta: sic volens his pœnis afflicta, *ait Dominus Deus. Quia hæc dicit Dominus Deus: Et faciam tibi sicùt despexisti iuramentum, vt irritum faceres pactum*, de lege seruanda in monte Sinai, *&* nihilominus, tuis peccatis non obstantibus, Rom. 3 *recordabor ego peccati mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ*, de Messia mittendo inito cùm Abraham, *& suscitabo tibi pactum sempiternum*, numquam cessaturum, quia pòst legem Euangelicam alia non datur. *Et recordaberis viarum tuarum* malarum, agesquè pœnitentiam, *& confunderis* illas considerans: *cùm receperis sorores tuas, te maiores cùm minoribus tuis*, reuersuris in Terram promissionis, vt suprà; seù in Messiam credituris, illumquè recepturis, & sic sub sororibus de gentilibus: *& dabo eas tibi in filias*, quia decem Tribus confusæ sub Iuda; & si de Ecclesia; quia patres primi Apostoli ex Hebræis, *sed non ex pacto tuo* merito tuo, sed mea misericordia, seù *pacto tuo* primo, antiquo, seù lege veteri, sed noua. *Et suscitabo ego pactum meum tecum* de habendo te in populum peculiarem: *& scies, quia ego Dominus, vt recorderis* pristini status tui mali, *& confundaris* erubescas, conteraris, *& non sit tibi vltrà aperire os præ confusione tua, cùm placatus tibi fuero in omnibus, quæ fecisti, ait Dominus Deus*, cognoscens superexcedentem misericordiam meam, & beneficium maximum.

CAPVT XVII.

ET factum est verbum Domini ad me, dicens: fili hominis propone ænigma, & narra parabolam ad domum Israel, & dices. Hęc dicit Dominus Deus: Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, is Nabuchodonosor regnis pluribus imperans velox ad rapiendum, potens, diues, gloriosus, *venit ad libanum* Ierusalem, *& tulit medullam cedri*, quod suauius erat, regem Iechoniam. *Summitatem frondium eius*, principes eius, *auulsit: & transportauit eam in terram Chanaan*, Chaldæam, Babylonem, *in vrbe negotiatorum posuit illā*; At cur Chanaan pro Babylone? vel quia imitatrix Chananæorum in idolis adorandis, vel quia mercaturis dedita, proùt Chanaan, vel est ironica locutio, & exprobratoria; quasi dicat Deus, transportauit ad meliorem locum, quàm ego eam posueram, *& posuit in vrbe negotiatorum*, vt in captiuitate discat negotiari in vrbe magna. *Et tulit de semine terræ* Sedeciam, *& posuit illud in terra pro semine* sublato, constituens eum regem, *vt firmaret radices supèr aquas multas*, diù regnaret, non proùt Iechonias ad tres tantùm menses *in superficie posuit illud*, quia regia potestas dependebat à Nabuchodonosor; Non placet his denotari breue regnum Sedeciæ futurum; quia subdit de illius firmitate, antequàm præmitteret de breuitate, sed infrà declarat quid pro superficie. *Cumquè germinasset, creuit in vineam latiorem humili statura*, non enim

enim fuit regnum floridum sic vt antè, nèc liberum, *respicientibus ramis eius ad eam* Aquilam, *& radices eius sub illa erant*, recognoscebatur enim Aquila in dominam: *facta est ergò vinea, & fructificauit in palmites, & emisit propagines*, sub Sedecia, dum recognouit Nabuchodonosor. *Et facta est aquila altera grandis, magnis alis, multisquè plumis*, is rex Aegypti: *& ecce vinea ista, quasi mittens radices suas ad eam*, à qua nil exceperat, *palmites suos extendit ad illam* mittens pro auxilio, *vt irrigaret eam de areolis germinis sui*, vt defenderet, & stabiliret eam contra Nabuchodonosor. *In terra bona supèr aquas multas plantata est: vt faciat frondes, & portet fructum, vt sit in vineam grandem:* sic creuisset sub Nabuchodonosor. *Dic: hæc dicit Dominus Deus: Ergò nè prosperabitur?* quasi non, *nonnè radices eius euellet, & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius, & arescet: & non in brachio grandi, nequè in populo multo, vt euelleret eam radicitùs?* quasi hæc omnia facilè præstabit Nabuchodonosor, à quo defecit. *Eccè plantata est; ergonè prosperabitur? nonnè cùm tetigerit eam ventus vrens* tempestas *siccabitur, & in areis germinis sui*, in agro Ierichuntino, vbì iudicia dicta a Nabuchodonosor *arescet? Et factum est verbum Domini ad me dicens: Dic ad domum exasperantem: Nescitis quid ista significent? Dic: Eccè* declarat nunc ænigma, *venit Rex Babylonis in Ierusalem, & assumet regem Iechoniam, & principes eius, & adducet eos ad semetipsum in Babylonem. Et tollet de semine regni* Sedeciam, *ferietquè cùm eo fœdus, & ab eo incipiet iusiurandum*, vt tutus reddatur, *sed fortes terræ tollet, vt sit regnum humile, & non eleuetur*, & supra in superficie, *sed custodiat pactum eius, & seruet illud. Qui recedens ab eo*, contrà iusiurãdum *misit nuncios ad Aegyptum, vt daret sibi equos, & populum multum*, vt se eximeret a Nabuchodonosor. *Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem, qui fecit hæc? & qui dissoluit pactum, numquid effugiet?* quasi non: *Viuo ego, dicit Dominus Deus: quoniàm in loco regis, qui constituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentũ, & soluit pactũ, quod habebat cũ eo, in medio Babylonis morietur:* sic contigit in Sedecia. *Et non in exercitu grandi, nequè in populo multo* coacto, & in succursum veniente, *faciet contrà eum* Nabuchodonosor, *Pharao prælium in iactu aggeris, & in extructione vallorum, vt interficiat animas multas*, quasi nil proderit recursus ad Pharaonem, vel aduentus Pharaonis, immò & ipse victus abibit. *Spreuerat enim iuramentum, vt solueret fœdus* cùm Nabuchodonosor initum: *& eccè dedit manum suam* confœderatus cùm rege Aegypti, *& cùm omnia hæc fecerit, non effugiet*, nihil ei proderunt. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Viuo ego, quoniàm iuramentum, quod spreuit, & fœdus, quod præuaricatus est, ponam in caput eius*, inferendo ei mala ob hanc præuaricationem.

Et expandam supèr eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea, 4. Reg. 25. *& adducam eum in Babylonem, & iudicabo* flagellabo *eum ibì in* proptèr *præuaricatione, qua despexit me*, violando iuramentum, hæc omnià per Nabuchodonosor. *Et omnes profugi eius cùm vniuerso agmine suo gladio cadent: residui autèm in omnem ventum dispergentur*, & sic contigit, 4. Reg. 25. *& scietis, quia ego Dominus locutus sum. Hæc dicit Dominus Deus: Et* quia sum fidelis, & obseruans, quod promisi Abrahæ obseruaturus, *sumam ego de medulla cedri sublimis*, de semine regio ex Iechonia captiuo, à quo Salathiel, vt Matth. 1. *& ponam: de vertice ramorum eius tenerum distringam*, meliorem partem cedri eorum, *& plantabo supèr montem excelsum, & eminentem*, in Ierusalem in reditu à captiuitate Zorobabel eius posterum; seù in Ecclesia. *In monte sublimi Israel* carnalis, seù spiritualis, *plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit* Ierusalem ad pristinam sortem reducetur, vel venient ad Christum omnes gentes. *Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime* Sedeciam, seù mysticè Synagogam, *& exaltaui lignum humile* Iechoniam, seù gentilitatem, *& siccaui lignum viride* Sedeciam, *& frondere*

dere

dere feci lignum aridum Iechoniam, idem importat; ex his argue sceptrum ablatum in hac captiuitate Babylonica iuxtà prophetiam Iacob, Genes. 49. nequè illud reintegratum, vt hic, quia quòad regnum Iechonias sterilis Ierem. 22. nisi spiritualitèr in Christo, proùt dixit Angelus Mariæ, & vt pluriès tenui, vndè prosperitas Iudæorum pòst captiuitatem non peruenit ad regnum, seù sceptrum gentis Dauidicæ. *ego Dominus locutus sum, & feci*.

CAPVT XVIII.

ET factus est sermo Domini ad me dicens. Quid est quòd intèr vos parabolam vertitis in prouerbiū istud in terra Israel, dicentes: Patres, principes, Prophetæ, Maiores; Manasses scilicèt, & alij, *comederunt vuam acerbam* peccando enormitèr, non capiendo consilia meliora, *& dentes filiorum* subditorum *obstupescunt*: sic & Ier. 31. pœnam pro illis soluendo, quod quidèm ægreferebant. *Viuo iuro ego, dicit Dominus Deus, si erit vltrà vobis parabola hæc in prouerbium in Israel*, in hac captiuitate Babylonica (ad quam omnia restringenda) ex his, quæ audituri estis: *Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ità & anima filij mea est*, quasi non debet vobis persasum esse moueri me magìs contrà vnum, quàm alium, sed ergà omnes equalitèr me gerere, etsi Dominus liber, & absolutus sim omnium, & possim quem velim viuificare, vel mortificare, *anima, quæ peccauerit, ipsa morietur* in captiuitate, & ærumnis, non filius, non alij innocentes, qui redibunt in patriam; Sìc Ierem. 31. de hoc eodem, & suprà pluriès Ezechiel, vndè si vltrà patres peccantes quis moriatur, vel patiatur; sciant, quia & ipsi peccauerunt. Hinc omnes passi sub Sedecia (quia pòst hæc verba arsa Ierusalem sub eo) ob eorum peccata, non patrum. *Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium, & iustitiam, in montibus non comederit*, in honorem idolòrum: sìc coràm vitulo surrexerunt comedere, & ludere, *& oculos suos non leuauerit ad idòla domus Israel*, illis reuerentiam exhibendo: *& vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, & hominem non contristauerit, pignus debitori* pauperi iuxtà legem *reddiderit, per vim nihil rapuerit; panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, ad vsuram non commodauerit, & ampliùs non acceperit: ab iniquitate auerterit manum suam, iudicium verum fecerit intèr virū et virū, in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatē, hic iustus est, vita viuet*, qualis is sit, siuè pater, siuè filius, *ait Dominus Deus. quod si genuerit filium latronem*, &c. *Numquid viuet? non viuet, cùm vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis eius in ipso erit*, ex proprijs peccatis punietur filius, sic illud: supèr caput eius, hinc quandò punietur, dicito ex proprijs punitum esse. *Quòd si genuerit filium*, &c. *hic non morietur in iniquitate patris, sed vita viuet*, è contrariò filius rectè faciens non morietur in iniquitate patris. *Pater eius, quia calumniatus est, & vim fecit fratri, & malum operatus est in medio populi sui, eccè mortuus est in iniquitate sua*, eccè pœna tenuit suum auctorem, *& dicitis; quarè non portauit filius iniquitatem patris? videlicèt, quia filius iudicium, & iustitiam operatus est, omnia præcepta mea custodiuit, & fecit illa, viuet vita*, & sic filius non subijt pœnam pro patre. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iustitia iusti supèr eum erit, & impietas impij erit supèr eum*, his constituit regulam. *Si autèm impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor, in iustitia sua, quam operatus est, viuet*, & sìc attendit Deus vltimum statum,

ſtatum: hinc, qui perſeuerauerit vſquè in finem, hic ſaluus erit: & vbì ceciderit lignum, &c. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non, vt conuertatur à vijs ſuis; & viuat?* quaſi immò id opto, & longanimis expecto, ad hæc vide Theologos. *Si autèm auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius, numquid viuet? omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit, in ipſis morietur*, & in hoc attenditur vltimus ſtatus, vt dixi, recedit enìm à via bona malum amplexando. *Et dixiſtis: Non eſt æqua via Domini*, ità homines malè iudicantes, vt illi apud Iſaiam, ieiunauimus, &c. & non aſpexiſti. *Audite ergò domus Iſrael: Numquid via mea non eſt æqua, & non magìs viuæ veſtræ prauæ ſunt?* oſtendit ex ſobiunctis, vndè in his dicebant Deum iniquum. *Cùm enìm auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua*, &c. eccè in pio in vltimo ſtatu impietas, mors, in impio bonitas in vltimo ſtatu, vita. *Et dicunt filij Iſrael: Non eſt æqua via Domini. Numquid viæ meæ non ſunt æquæ domus Iſrael, & non magìs viæ veſtræ prauæ? Idcircò vnumquemque iuxtà vias ſuas iudicabo*, nèc errare poſſum, & tùnc apparebit malitia viarum veſtrarum, *domus Iſrael, ait Dominus Deus. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas*, docet, & ſuadet quomodò euadant. *Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum*, nullo affectu prauo inquinatum, quem petebat Dauid. Pſal. 50. *& quarè moriemini domus Iſrael?* cùm, pœnitendo, & auertendo vos à peccato, vt dixi, poſſitis euadere? *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus, reuertimini, & viuite*, & alibì, nolo mortem peccatoris, ſed vt magìs conuertatur, & viuat. Alibì de hac materia dixi latè, & hìc de illa agitur, quia dicebant, patiemur, & patimur hæc ob iniquitates præcedentes parentum noſtrorum, non noſtras, vide ſimile cap. 33.

CAPVT XIX.

ET tu aſſume planctum, plange, vel quæ ad planctum cane, *ſupèr principes Iſrael, & dices: Quarè mater tua leæna* Ieruſalem, *intèr leones cubauit*, & genuit *in medio leunculorum enutriuit catulos ſuos?* quos pepererat. *Et eduxit vnum de leunculis ſuis, & leo factus eſt, & didicit capere prædam, hominemquè comedere. Et audierunt de eo Gentes, & non abſque vulneribus ſuis ceperunt eum: & adduxerunt eum in catenis in terram Aegypti*, is rex Ioachaz crudelis filius Ioſiæ, abductus à Nechao rege Aegypti, 4. Reg. 23. *Quæ mater cùm vidiſſet, quoniàm infirmata eſt, & perijt expectatio eius*, capto, & mortuo Ioachaz in Aegypto, etſi hìc nulla mentio mortis, *tulit vnum de leunculis ſuis, leonem* regem *conſtituit eum* Ioachim, ſeù Iechoniam *Qui incedebat intèr leones, & factus eſt leo, & didicit prædam capere, & homines deuorare. Didicit viduas facere*, ideſt viduas occidit: ſic ſuprà didicit facere prædam, prædam faciebat: hìnc, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam, ideſt obediuit Hebr. 5. *& ciuitates eorum in deſertum adducere, & deſolata eſt terra, & plenitudo eius à voce rugitus illius*, apparet ex his modis loquendi feritas, & Ioachaz, & Iechoniæ, *Et conuenerunt aduerſùs eum gentes vndiquè de prouincijs, & expanderunt rete ſuum, in vulneribus earum captus eſt Et miſerunt eum in caueam, in catenis adduxerunt eum ad Regem Babylonis: miſeruntquè eum in carcerem, nè audiretur vox eius vltrà ſupèr mõtes Iſrael.* Ductus enìm fuit Iechonias, & ſeruatus captiuus in Babylone; nèc poſſunt hæc intelligi de Ioachim interfecto in muris Ieruſalem, quia ei non conuenit catena, vel carcer, & alia hìc deſcripta. *Mater tua, quaſi vinea in ſanguine*

tuo

tuo robore, vt infrà *supèr* iuxtà *aquam plantata est: fructus eius, & frondes eius creuerunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, & exaltata est statura eius intèr frondes: & vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum*, ex his maiestas regni Israel, & cap. 17. nùnc calamitas. *Et euulsa est in ira, in terramquè proiecta, & ventus vrens siccauit fructum eius: marcuerunt, & arefactæ sunt virgæ roboris eius: ignis comedit eam*, hìc Nabuchodonosor. *Et nùnc transplantata est in desertum, in terra inuia, & sitienti* data in captiuitatem. *Et egressus est ignis*, ob peccata, maximè idololatriam, *de virga ramorum eius, qui fructum eius comedit: & non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium*, pòst captiuitatem, vt alibi dixi, & habetur Ierem. 22. hæc omnia secuta in captiuitate Babylonica. *Planctus est, & erit in planctum*, donèc transmigret iterùm ad Terram promissionis; hæc vna interpretatio; at melior videtur mihi quam prosequor.

Et tu assume planctum plange, seù planctum indica, *supèr principes Israel, & dices, quarè mater tua Leæna*, terra Israel, seù Ierusalem *intèr leones* reges *cubauit* mansit, stetit, cùm eis æqualis *in medio leunculorum* filiorum, principum, *enutriuit catulos suos*, principes, filios suos, qui ex his debuissent esse fortissimi, & à nullo superari, & nihilominus *eduxit vnum de leunculis suis*, filijs regis, principibus, *& leo rex factus est, & didicit capere prædam*, victor in bellis euasit, *hominemquè comedere*, occidere, stat in metaphora leonis, *& audierant de eo gentes* omnia, quæ operabatur, *& non absquè vulneribus suis* prælio dubio *ceperunt eum, & adduxerunt eum in catenis* vinctum *in terram Aegypti*.

At cur hæc commemoratio? vel vt appareat vndequàque Leænam, & leunculos passos, quod cœpit ostendere ab hac prima subiectione, vt deindè descendat exemplo illius ad captiuitatem Sedeciæ, quam prædicit, vt hæc fiat credibilior; Vel vt auertat, & penitùs diuellat à cordibus populi, & principum spem, quam collocabant in Rege Aegypti eis succursuro contrà Nabuchodonosor, quasi, immò timere debetis, nè faciat vobis, proùt leoni huic regi vestro; is autèm fuit Ioachaz filius Iosiæ abductus à Nechao rege Aegypti 4. Reg. 23. Quæ Leæna *cùm vidisset, quoniàm infirmata est*, ex abductione regis Ioachaz, *& perijt expectatio eius*, quam in eo fundauerat *tulit vnum de leunculis suis* alium filium Iosiæ, *leonem* regem *constituit eum, qui incedebat intèr leones*, alios reges, *& factus est leo* rex, *& didicit prædam capere, & homines deuorare, didicit viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere, & desolata est terra, & plenitudo eius à voce rugitus illius*; Ex his demonstrare intendit regis fortitudinem, & potentiam, citò tamèn euacuandam, *& conuenerunt aduersùs eum*, ità incedentem *gentes vndiquè de prouincijs*, quas congregauit Nabuchodonosor multis imperans; *Et expanderunt supèr eum rete suum* de quo suprà Deus, stat in metaphora, *in vulneribus earum captus est*, dùm esset in fuga cùm suis, *& miserunt eum in caueam*, incluserunt more leonis, *in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis* in Rebblatha, *miseruntquè eum* exoculatum *in carcerem* in Babylone, *nè audiretur vox eius vltrà supèr montes Israel*, & ità mortuus est in Babylone captiuus, is Sedecias.

De Ioachim filio Ioachaz non potest intelligi, quia is præsupponitur mortuus propè muros Ierusalem, nèc conueniunt illi quæ dicuntur. Minùs de Ioachim, seù Iechonia, quia is erat in carcere in Babylone, dùm hæc dicebantur à propheta; nèc est verisimile dixisse quæ oculis aliorum erant præsentia, nequè ei aptantur dicta, nàm in vulneribus captus non fuit, sed vltrò dedit se 4. Reg. 23. Insupèr, contrà Sedeciam agebatur, vndè omnia, quæ illi contigerunt, prædicantur, ac si præterita essent more prophetarum; Et ad quid, quæso, de Iechonia dicere, & ommittere quod grauius erat de Sedecia? Dices, non subsequitur pòst Ioachaz Sedecias: esto, nequè pòst Ioachaz Iechonias; sed Ioachim filius Ioachaz; vndè non seruatur hìc ordo successionis, sed attenditur ad scopum, qui erat istantis captiuitatis contrà Sedeciam, & populum, & euer-

euersionis Ierusalem, de qua loquitur in fine, quibus omnia conueniunt.

Mater tua quasi vinea, quam dixerat Leænam, nunc vineam nominat, *in sanguine tuo*, robore, *supèr aquam*, vbì fructificare solent arbores Psal. 1. *plantata est, fructus eius, & frondes eius creuerunt ex aquis multis* eam irrigantibus, ideſt ex multis populis, aquæ enìm populi, Apoc. 17. *Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, & exaltata est statura eius intèr frondes* creuit in regna, *& vidit* cognouit *altitudinem suam in multitudine palmitum suorum*, creuit enìm populus in immensum. *Et euulsa est*, quia non vltrà erit in ea sceptrũ regale, eccè finis, qui in Iechonia considerari non poteſt, *in ira* furoris Domini *in terramquè proiecta*, prouùt res nullius momenti, vel abominabilis, *& ventus vrens* ex Aegypto, & Babylone veniens, *siccauit fructum eius* Principes, Reges, *marcuerunt, & confractæ sunt virgæ* dominantes, regales, *roboris* fortitudinis *eius*; nàm pòst Sedeciam nullus rex surrexit, *ignis comedit eam* matrem; *Et nùnc transplantata est in desertum, in terra inuia, & sitienti*; quæ eſt propria deserti, facta eſt deserta in Babylone abducta; faciendum pro iàm facto; *Et egressus est ignis de virga ramorum eius*, ideſt à Sedecia, de quo dixit propheta, non seruante iuramentum; *qui* ignis *fructum eius* ſtirpem regalem *comedit, & non fuit* non erit *in ea virga fortis, sceptrum dominantium* in posterùm; *planctus*, hic *est, &* ipsa *erit in planctum* donèc transmigret.

CAPVT XX.

E*T factum est in anno septimo* captiuitatis Ioachim, seù Iechoniæ, *in quinto* mense, *in decima mensis: venerunt viri de Senioribus Israel, vt interrogarent Dominum*, de eorum statu, captiuitatis pertæsi, sic & ſuprà cap. 14. *& sederunt coràm me: Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis loquere Senioribus Israel, & dices ad eos; Hæc dicit Dominus Deus; Numquid ad interrogandum me vos venistis?* quasi mei, mihi adhærentes, cùm sitis idolòlatræ, & tempore fœlici me contẽpseritis? *viuo ego, quia nõ respondebo vobis, ait Dominus Deus. Si iudicas eos, si iudicas* ostendendo eis in quibus errent, *fili hominis, abominatines patrum eorum ostende eis*, vt videant ab origine quales sint, quodnàm de illis iudicium fieri possit. *Et dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus*, enumerat beneficia: *in die, qua elegi Israel*, mihi in populum peculiarem, *& leuaui manum meam* iuraui *pro stirpe domus Iacob*, nata ex Iacob saluanda, *& apparui eis* ad eorum defensionem *in terra Aegypti* mediante Moyse, & Aaron. *& leuaui manũ pro eis dicens: Ego Dominus Deus vester: in die illa leuaui manum meam* potentem *pro eis, vt educerem eos de terra Aegypti in terram, quam prouideram eis, fluentem lacte, & melle*, omnibus bonis: *quæ est egregia intèr omnes terras; Et dixi ad eos: Vnusquisque offensiones* in me *oculorum suorum abijciat*, quæ in visione, & adoratione Idolòrum contraxerant, vt declarando subijcit, & benè colligitur ex Baruch, *nolite pollui, ego Dominus Deus vester. Et irritauerũt me, noluerūntquè me audire: vnusquisque abominationes oculorum suorum*, quos auertere debuerant *non proiecit, nèc idòla Aegypti reliquerunt*, hoc etsi non appareat in Exodo tamèn ex Propheta verum dignoscitur. *Et dixi* statui, *vt effunderem indignationem meam supèr eos, & implerem iram meam in eis in medio terræ Aegypti*. *Et* nihilominus *feci proptèr nomen meum*: sìc & Moyses cùm Deo, nè dicant Aegyptij, callidè eduxit eos, Exod. 32. *vt non violaretur coràm Gentibus, in quarum medio erant, & intèr quas apparui eis, vt educerem eos de terra Aegypti: Eieci ergò eos de Terra Aegypti, & eduxi eos in desertum* liberos pòst tot signa. *Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quæ faciens homo viuet in eis*, hoc in monte Sinai; vita

verò,

verò quia obseruans non incurrebat mortem in eis comminatam; & sic agitur de vita temporali, non spirituali; at non puto de affluentia bonorum, seù vitæ subsidijs; nàm, esto quòd Deus seruaturis illa promiserit, hìc tantùm agitur de euasione mortis. *Insupèr & sabbata mea*, hoc enim præcipuũ Iudæorum, non aliarum gentium: sabbata verò, quia plura, non vnum, non vna festiuitas; & hæc plura erunt signum, vt subijcit perpetuum, & continuum. *dedi eis, vt essent signum intèr me, & eos, & scirent quia ego Dominus sanctificãs eos* ex præceptis meis, quia in sabbato abstinebant à seruilibus, & Deo, & sanctificationi vacabant. *Et irritauerunt me domus Israel in deserto* dùm educerem, dux essem, & mei indigerent, *in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt, quæ faciens homo viuet in eis: & sabbata mea violauerunt vehementèr: dixi ergò, vt effunderem furorem meum supèr eos in deserto, & consumerem eos. Et feci proptèr nomen meum, nè violaretur coràm gentibus, de quibus eieci eos in conspectu earum. Ego igitùr leuaui manum meam* iuraui *supèr eos in deserto, nè inducerem eos in terram quam dedi eis, fluentem lacte, & melle, præcipuam terrarum omnium,* pratèr duos enim, Iosue, & Caleb, nullus intrauit eorum, qui tùnc viuebant. *Quia iudicia mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt, & sabbata mea violauerunt: post idòla enim cor eorum grad ebatur* hinc vitulum adorauerunt, & quia hæc patrarũt, circuire eos fecit desertum quadraginta annis. *Et pepercit oculus meus supèr eos, vt non interficerem eos: nec consumpsi eos in deserto* illicò pòst eorum delicta, quibus hoc merebantur, sed distuli; vel quia *filios*, progeniem conseruauit *dixi autèm ad filios eorum*, vt ostendat perseuerantiam in filijs, *in solitudine: In præceptis patrum vestrorum nolite incedere*, &c. *Et po lui eos* permisi pollui *in muneribus suis, cùm offerrent omne, quod aperit vuluam* mihi debitum, & hoc *proptèr delicta sua*; hæc oblatio non potest tribui idolis, quia loquitur de primogenitis, qui soli non sacrificabantur idòlis, sed omnes filij; vndè si de idolis egisset, hoc non expressisset, & quia de idolis suprà egit, & infrà etiàm de filijs idòlis immolatis. Sed cur hæc subdit? voluit inferre, à plaga eis inferenda non abstinuisse eorum oblationibus, intèr quas hæc primogenitorum singularis, quia pollutæ, & propterèa subdit. *& scient* ex flagellis & vexatione, à qua non recedam, *quia ego Dominus. Quamobrèm loquere ad domum Israel, fili hominis, & dices ad eos: hæc dicit Dominus Deus. Adhùc & in hoc* (præmissis non contenti) *blasphemauerunt me patres vestri, cùm spreuissent me contemmentes, & induxissem eos in terram, supèr quam leuaui manum meam* iuraui *vt darem eis* pòst hoc maximum beneficium; *viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, & immolauerunt ibi victimas suas: & dederunt ibi irritationem oblationis suæ, & posuerunt ibi odorem suauitatis suæ, & libauerunt libationes suas* idòlis, me derelicto. *Et dixi ad eos. Quid est excelsum, ad quod vos ingredimini?* quasi cur ad has vanitates? cur confunditis me cùm idolis? *& vocatum est nomen eius. Excelsum vsquè ad hanc diem.* cùm etiàm denominatio hæc aboleri debuisset. *Propterea dic ad domum Israel: hæc dicit Dominus Deus: Certè in via patrum vestrorum vos polluimini, & pòst offendicula eorum vos fornicamini, & in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idòlis vestris vsquè hodiè*, infert nùnc ad præsentes, sequentes vestigia patrum; *& ego respondebo vobis domus Israel?* quasi non, cùm sitis idòlorũ, non mei. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis: Nequè cogitatio mentis vestræ fiet*, me nolente, *dicentium. Erimus sicùt gentes, & sicùt cognationes terræ*, gentium, *vt colamus ligna, & lapides. Viuo ego dicit Dominus Deus, quoniàm in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo supèr vos.* Et hac de causa *educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis* in Babylone maximè, *in manu valida, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo supèr vos. Et adducam vos in desertum populorum* vbi nullo auxilio iuuemini; *& iudicabor* & ego *vobiscum ibi facie ad faciem* soli. *Sicùt iudicio contendi aduersùm patres vestros in*

deserto terræ ægypti dimittendo ibì eorum cadauera, *sic iudicabo vos*, sumam de vobis vindictam *dicit Dominus Deus*. *Et subijciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis* initi vobiscum in monte Sinai, à quibus elongati estis; eccè hìc præcepta non bona, ingrata. *Et eligam de vobis transgressores, & impios, & de terra incolatus eorum educam eos* in captiuitatem, *& in terram Israel non ingredientur* ampliùs, repugnantes eijcit; eccè iudicia non bona; *& scietis quia ego Dominus: Et vos domus Israel: Hæc dicit Dominus Deus: singuli post idòla vestra ambulate, & seruite eis*, ironicè loquitur, quàsi malè facitis, quod ex sequentibus improbat: *Quòd si & in hoc non audieritis me, & nomen meum sanctum pollueritis vltrà in muneribus vestris*, eccè quomodò oblatio primogenitorum, de qua suprà, ad Deum referenda, non ad idòla, de quibus subdit, *& in idòlis vestris* iudicia in vos exercebo, vel parùm id mihi erit curæ, nàm aliquandò tempore mihi beneplacito; *in monte sancto meo, in monte excelso Israel* in Ierusalem, *ait Dominus Deus, ibi seruiet mihi omnis domus Israel, omnes, inquàm, in terra, in qua placebũt mihi*, omnes mihi obedientes, *& ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus* sacrificijs *vestris, In odorem suauitatis* gratè *suscipiam vos, cùm eduxero vos de populis, & congregauero vos de terris, in quas dispersi estis, & sanctificabor in vobis* mundis, & impolluta offerentibus *in oculis nationum*. *Et scietis* cognoscetis, tangetis manu, *quia ego Dominus, cùm induxero vos ad terram Israel, in terram, pro qua leuaui manum meam* iuraui, & sìc spe eos fulcit, reditum in patriam prædicens, *vt darem eam patribus vestris*. *Et recordabimini viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis: & displicebitis vobis in conspectu uestro, in omnibus malitijs uestris, quas fecistis* vexatione captiuitatum edocti, & beneficijs nouis deliniti, vt subijcit, hincquè erigit eos ad sperandum bona. *Et scietis, quia ego Dominus, cùm benefecero vobis proptèr nomen meum, & non secundùm vias vestras malas, nequè secundùm scelera vestra pessima domus Israel, ait Dominus Deus*. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam contrà vias Austri*, ad Ierusalem *& stilla* voce continenti, & horrida *ad Aphricum, & propheta ad saltum* lucum *meridiani*, sub Aphrico, & saltu Ierusalem. *Et dices saltui meridiano: audi verbum Domini, hæc dicit Dominus Deus: eccè ego succendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum* iustum, & impium, vt cap. seq. *non extinguetur flamma succensionis, & comburetur in ea omnis facies ab Austro vsquè ad Aquilonem* terræ promissionis iuxtà præmissa, & cap. seq. eccè cur sub saltu Ierusalem. *Et videbit vniuersa caro, quia ego Dominus succendi eam* ob magnitudinem cladis, *nèc extinguetur*; hæc ad destructionem & vstionem Ierusalem. *et dixi; A, a, a, Domine Deus, ipsi dicunt de me: numquid non per parabolas loquitur iste?* quàsi non credent mihi per parabolas loquenti; hinc in sequenti cap. clarè de Ierusalem.

CAPVT XXI.

ET *factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam ad Ierusalem, et stilla ad sanctuaria* templum, non plura, sed plurale pro singulari, vel quia in eo plura sancta, *et proprobeta contrà humum Israel*, de templo enim secundo nihil hic, sed de Salomonico tantùm, *Et dices terræ Israel: Hæc dicit Dominus Deus, eccè ego ad te*, ò Ierusalem, *& eijciam gladium meum de vagina sua* is Nabuchodonosor, *& occidam in te iustum et impium*

quos

quos cap. 20. sub ligno viridi, & arido nominauit; & hæc in veris iustis verificata, quòd si aliqui excludantur, non tamen omnes. *Pro eo autèm, quòd occidi occidam in te iustum, & impium*, idcircò *egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab Austro vsquè ad Aquilonem*, per omnem Terram promissionis, vt suprà cap. 20. nihil hic de alijs gentibus; nam de alijs infrà, *Vt sciat omnis caro, quia ego Dñs eduxi gladiũ meum de vagina sua irreuocabilẽ* declarat quæ præcedenti capite in fine sub parabola, pondera *irreuocabilem*, quia tùnc Deus non mutat sententiam, vt & Samuel cùm Saul, 1. Reg. 15. 29.

Et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, qui videantur ex dolore conteri, *& amaritudinibus ingemisce coràm eis. Cumquè dixerint ad te: Quarè tu gemis? dices. Pro auditu; quia venit* gladius, *& tabescet omne cor, & dissoluentur vniuersa manus, & infirmabitur omnis spiritus; & per cuncta genua fluent aquæ*, vrina ex magno timore, vt in Baltassare, Dan. 5. suprà cap. 7. *Eccè venit* gladius, *& fiet, ait Dominus Deus: Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis propheta, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Loquere: Gladius gladius exacutus est, & limatus*, exercitus, acies parata per Nabuchodonosor. *Vt cædat victimas*, multitudinem magnam *exacutus est; vt splendeat, limatus est, qui moues* destrues o gladi *sceptrum filij mei* Iuda, in quo regnum, *succidisti omne lignum* viride, & aridum, iustum, & impium. *Et dedi eum ad leuigandum, vt teneatur manu: iste exacutus est gladius, & iste limatus est, vt sit in manu interficientis. Clama, & vlula fili hominis, quia hic factus est in* propter *populo meo, hic in cunctis ducibus Israel, qui fugerant* cùm Sedecia, præteritum pro futuro, *gladio traditi sunt cùm populo meo, idcircò plaude supèr fœmur*, Ierem. 31. more obstupescentis, *quia probatus est: & hoc cùm sceptrum subuerterit* Sedeciam vltimum regem tollendo, seù regnum Iuda, *& non erit* vltrà regnum, seù sceptrũ in Iuda, vt hic etiàm per S. Hieron. *dicit Dominus Deus: Tu ergò fili hominis propheta, & percute manu ad manum*, more mœrentium, & desperantium, *et duplicetur gladius, & triplicetur gladius interfectorum*, ex duplicatione, & triplicatione gladij intelligit de magna cæde, & sic se declarat ex sequentibus. *hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit: et corde tabescere, et multiplicat ruinas. In omnibus portis eorum* ciuitatum *dedi conturbationem gladij acuti, & limati ad fulgẽdum amicti*, præcincti *ad cædem*, ideo subdit, *Exacuere, vade ad dexteram, siuè ad sinistram, quòcumque faciei tuæ* tibi *est appetitus: Quin & ego plaudam manu ad manum* la tabor, *et implebo indignationẽ meam, ego Dominus locutus sum. Et factus est sermo Domini ad me dicens: Et tu fili hominis pone tibi duas vias*, ad repræsentandum populo; *vt veniat gladius regis Babylonis: de terra vna egredientur ambæ: et manu*, nempè an ad dexteram, vel sinistram eundum, *capiet coniecturam*, explicat in sequentibus, *in capite viæ ciuitatis* ducentis ad ciuitatẽ *conijciet. Viam pones, vt veniat gladius de Rabbat filiorum Ammon, & ad Iudam in Ierusalem munitissimam. Stetit enim Rex Babylonis in biuio in capite duarũ viarum, diuinationem quærens commiscens sagittas* in pharetra, *interrogauit idola, exta consuluit. Ad dexteram eius facta est diuinatio supèr Ierusalem*, sic Deus temperat sortes, *vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde, vt eleuet vocem in vlulatu, & ponat arietes contrà portas*, ciuitatem, seù Ierusalem, vt suprà: *vt comportet aggerem, vt ædificet munitiones*, & sic diuertet ad Ierusalem: *Eritquè quasi consulens frustrà oraculum in oculis eorum*, cogitantium nihil ab idolis certum haberi posse, *& sabbatorum otium imitans*, hæc erit reputatio Iudæorum, quod Chaldæi otientur, sed falsa: *ipse autèm* Nabuchodonosor intentus operi *recordabitur iniquitatis ad capiendum*. Ierusalem, & regem fœdifragum. *Idcircò hæc dicit Dominus Deus, pro eo quòd recordati estis iniquitatis vestræ, & reuelastis præuaricationes vestras, & apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris: pro eo*, inquam *quod recordati estis*, duplicando, vel prædicando illa, *manu capiemini*, more volucrum, seù belluarum, vt in deserto in co-

turnicibus. *Tu autèm profane* Sedecias is, profanus verò, quia contrà iuramentum defecit à Nabuchodonosor; non quia vnctus quasi sacer; hæc enim hìc non aptantur; sic profanus Esau à iuraměto deficiens appellatur à Paulo Heb. 12. 16. sic in psalmo, nō profanabo testamentū meum,& dixi alibì non esse verum, quòd Esau profanus, quia Sacerdos; nā de sacerdotio nullibì,sed quia deficere voluit à iuramento. *impiè dux Israel, cuius venit dies* mala, terribilis, *in tempore iniquitatis* flagelli *præfinita: Hæc dicit Dominus Deus: Aufer cidarim, tolle coronam*, ornamenta regalia.

Non hìc de sacerdotio, quod tùnc non cessauit, & in reditu receptum, & interìm etiàm in loco, vbì erat templum, sacrificia fiebant, vt dictum alibì. Præthereà agit de solo Sedecia, *tu autèm profane*, &c. non de Sacerdote, ad illumquè solùm verba diriguntur; potiùs ergò ponuntur hæc pro synonimis(cidaris, & corona) & verba *Aufer* diriguntur ad Nabuchodonosor, vel per illum hæc auferenda; & apud aliquos reges cidaris erat in vsu; hìnc reassumens dicit de vna tantùm, *ponam eam*, non eas. Non dicas Sedeciam vsurpasse sacerdotalia,quia de hoc nullibì, vel in libris Regum, vel Paralipomenon, vel Prophetis, idquè non tacuissent, præsertìm Ieremias, proùt cantatum de Vria volente thurificare, *nonnè hæc est* corona à Nabuchodonosor data, *quæ humilem subleuauit* te Sedeciam ad regnū euehendo, dùm minùs sperares, *& te nùnc sublimem humiliauit?* humiliabit eadem, vndè malè hìc interseritur de Iechonia, cùm de Sedecia sit sermo, hìnc subdit. *iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem*, flagellum tuum *ponam eam* coronam ampliùs nō reintegrandam, nisi spiritualitèr in Messia, vt tenui pluriès in Prophetis, vt Genes. 49. *& hoc non factum est, donèc veniret, cuius est iudicium* Nabuchodonosor, qui iudicia fecit in Reblatha. vide infrà cap. 23. *& tradam ei* coronam illam regni Iuda: quam cùm temporalem Christus non receperit, ideò non videntur hæc ei aptari; nèc discedendum à Nabuchodonosor, de quo est sermo: vltrà quòd, si tempore Nabuchodonosor hæc facta, quomodò tempore Christi, qui pòst septingentos annos venit? vide infrà cap. 23. vbì clarè de Chaldæis. *Et tu fili hominis propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium eorum*; filiorum Ammon, qui præcedunt: de his, quia lætabantur Nabuchodonosor contrà Ierusalem tendere, illis omissis, vndè sperabant se euasuros, *& dices: Mucro, mucro euagina te ad occidendum, lima te, vt interficias, & fulgeas, cùm tibi viderentur vana, & diuinarentur mendacia*, iuxtà similem reputationem Iudæorum, de qua suprà non considerantium à Domino temperari sortes; per idòla enim, & exta interrogabat, vt suprà: *vt dareris supèr colla vulneratorum*, vulnerandorum *impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis* flagelli *præfinita*, hic de destructione Ammonitarum. *Reuertere* tandèm, his perfectis contrà Ierusalem, & Ammonitas, *ad vaginam tuam, in loco, in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te* condemnans, & destruens per Darium, & Cyrum, *et effundam supèr te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo in te, daboquè te in manus hominum insipientium, et fabricantium interitum* Persarum, ad alios conterendos solicitorum, ità vt penitùs destruaris. *Igni eris cibus* arsurus es, *sanguis tuus erit in medio terræ*, tuæ Babylonicæ, in terra, loco tuo, gladio perimeris, erit magna de te strages, *obliuioni traderis*, sic destructus, & desertus, ità vt nèc tui extitura memoria, *quia ego Dominus locutus sum*, & sic erit, & idem habetur in superioribus Prophetis: vide Psalmum, Supèr flumina Babylonis, vbì de Edom, & Babylone, proùt hìc.

CAPVT

CAPVT XXII.

ET factus est sermo Domini ad me dicens: *Et tu fili hominis, nonnè iudicas, nonnè iudicas* arguis *ciuitatem sanguinum?* à me præpositus: sic suprà capit. 20. 4. *et ostendes ei omnes abominationes suas*, vt confundantur, & cognoscant meritò puniri, *et dices: Hæc dicit Dominus Deus: Ciuitas effundens sanguinem in medio sui* publicè, *vt veniat tempus eius* punitionis: *& quæ fecit idòla contrà semetipsam*, ad flagella in se conuertenda, eccè operatio peccatoris contrà se, *vt pollueretur*, repetit; *In sanguine tuo qui à te effusus est, deliquisti, et in idòlis tuis quæ fecisti, polluta es et appropinquare fecisti dies tuos, et adduxisti tempus annorum tuorum* citiùs, quia completæ sunt iniquitates tuæ, Genes. 15. *propterea dedi te opprobrium gentibus, et irrisionem vniuersis terris, Quæ iuxtà sunt, et quæ procùl à te, triumphabunt de te: sordida, nobilitas, grandis interitu. Eccè principes Israel singuli in brachio suo*, potentia *fuerunt in te ad effundendum sanguinem. Patrem, et matrem contumelijs affecerunt in te*, quos honorare tenebantur, *aduenam calumniati sunt in medio tui, pupillum, et viduam contristauerunt apud te. Sanctuaria mea*, vel templum, hinc & capite præcedenti, in principio pro vno, vel pro pluribus templis, vel hic Sanctuaria sancta, vel sacrificia *spreuisti, et sabbata mea polluisti. Viri detractores fuerunt in te ad offendendum sanguinem*, calumniosè, *et supèr montes comederunt in te* idòlis immolantes: *scelus operati sunt in medio tui*, publicè. *Verecundiora patris discooperuerunt in te*; imitati Cham, quasi maledictione digni, *immunditiam menstruatæ humiliauerunt in te*, menstruatis vsi sunt. *Et vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem, et socer nurum suam polluit nefariè, frater sororem suam, filiam patris sui oppressit in te. Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem*, more assassinorum, vel iudicum improborum: *vsuram, & superabundantiam accepisti, & auarè proximos tuos calumniabaris*, vt lucrareris iniustè, *meiquè oblita es, ait Dominus. Eccè complosi manus meas* more admirantis, & mœrentis *supèr auaritiam tuam, quam fecisti, & supèr sanguinem, qui effusus est in medio tui, Numquid sustinebit cor tuum, aùt præualebunt manus tuæ in diebus, quos ego faciam tibi?* amaros, & infœlices, quasi contrà me nihil poteris. *Ego Dominus locutus sum, & faciam*, irreuocabilitèr, vt suprà capit. præcedenti. *Et dispergam te in nationes, & ventilabo te in terras*, destructa Ierusalem, *& deficere faciam immunditiam tuam à te*, pòst tantam contritionem, & vexationem per Chaldæos: sic & Isai. 1. 25. *Et possidebo te in conspectu gentium* admirantium pòst reditum a captiuitate; tùnc enim gentes cognouerunt quem Deus repulerat populum, iterùm assumptum esse Dei, *& scies quia ego Dominus. Et factum est verbum Domini ad me dicens: fili hominis versa est mihi domus Israel in scoriam:* sic & Isai. 1. 25. immunditiam: *omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis; scoria argenti facti sunt*, qui priùs argentum erant. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quod versi estis omnes in scoriam, propterea eccè ego congregabo vos*, vos omnes, qui reliqui estis ad comburendum, & sic factum per Nabuzardan, *in medio Ierusalem, congregatione argenti, & æris, & stanni, et ferri, et plumbi in medio fornacis, vt succendam in ea ignem ad conflandum, sic congregabo in furore meo, et in ira mea, et requiescam*, furorem meum explebo; non hic de pace, vel eis recipiendis, quia antè, & pòst de malis inferendis, *et conflabo vos. Et congregabo vos, et succendam vos in igne furoris mei, et conflabimini in medio eius. Vt conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio eius: et scietis quia ego Dominus cùm effuderim indignationem meam*

supèr vos. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis dic ei: Tu es terra immunda*, *& non compluta*, non irrigata à me pluuijs, mihi ingrata, *in die furoris mei* in te, quem tùnc posses remittere, & sedare. *Coniuratio prophetarum* falsorum ad mala *in medio eius*, in ea *sicùt leo rugiens*, *rapiensquè prædam*, *animas deuorauerunt*, *opes*, *& precium acceperunt*, *viduas eius multiplicauerunt in medio illius* ex virorum occisione, hæc, cùm dicerent pacem futuram, non bellum; *Sacerdotes eius*, quorum officium erat hæc omnia seruare, & docere, *contempserunt legem meam*, &c.

Hæc dicit Dominus Deus, cùm Dominus non sit locutus. *Populi terræ calumniabantur calumniam*, *et rapiebant violentèr: egenum*, *& pauperem affligebant*, *& aduenam opprimebant calumnia*, *absquè iudicio*, refert in hoc capite omnes abominationes, vt in principio dixit.

Et quæsiui de eis virum, *qui interponeret sepem*, *& staret oppositus contrà me pro terra*, precibus, & bonis operibus, *nè dissiparem eam*, *& non inueni* vsquè ad vnum: vndè meritò ad flagella me conuerti, vt sequitur, hæc per hyperbolem; nàm dixit Eliæ: seruaui mihi septem millia, qui non curuauerunt genua sua antè Baal, & ad denotandam vniuersalem malitiam, proùt Ierem. 5. & dirigitur locutio ad eos, quos reprehendit. *Et effudi supèr eos indignationem meam*, *in igne iræ meæ consumpsi eos*: *viam eorum in caput eorum reddidi*, *ait Dominus Deus*, præterita pro futuris.

CAPVT XXIII.

ET factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, *duæ mulieres filiæ matris vnius*, has distinguit iuxtà tempora currentia, quæ tamèn in Aegypto non distinguebantur, descendentes ab vna radice Abraham, & Sara, vel Synagoga, *fuerunt*, *& fornicatæ sunt in Aegypto*, *in adolescentia sua fornicatæ sunt*, sic & Iosue 24. quasi citò abominationibus se dederunt, & hìnc cognosce, quomodò in superioribus capitulis interpreteris verba *in adolescentia sua*, & Hebræos in Aegypto idolòlatras: hinc tot leges contrà idololatriam, ad quam procliues erant, vt in vitulo in Exodo: *ibì subacta sunt vbera earum*, *& fractæ sunt mammæ pubertatis earum*, deuirginatæ sunt, *Nomina autèm earum Oolla maior* Samaria maior, non tempore, sed ex decem Tribubus constans, & prior ad idòla pòst ingressum in Terram promissionis in vniuersum sub rege Ieroboã, *& Ooliba soror eius minor* Ierusalem, seù regnũ Iuda ex duabus tribubus constans, ideò minor, *& habui eas*, pòst egressum de Aegypto in sponsas, *& pepererunt filios*, *& filias*, creuerũt in magna multitudine prolis. *Porrò earum nomina Samaria Oolla*, *& Ierusalem Ooliba*. *Fornicata est igitùr supèr me Oolla*, *& insaniuit in amatores suos*, *in Assyrios propinquãtes vestitos hyacintho*, *principes*, *& magistratus*, *iuuenes*, *cupidinis*, *vniuersos equites*, *ascensores equorum*, hìnc Rabsaces cum Ezechia de his gloriosus. *Et dedit fornicationes suas supèr eos electos filios Assyriorum vniuersos*, *& in omnibus*, *in quos insaniuit*, *in immunditijs eorum polluta est*, fornicatio hæc in idòla Assyriorum, quæ adorauit. *Insupèr et fornicationes suas*, *quas habuerat in Aegypto*, *non reliquit*, immò erexit vitulum in deserto, vnà cum Ooliba; tùnc enim non distinguebantur, & vitulos in Dan, & Bethel, per Ieroboam, & vitulus erat idòlum Aegyptiorum: *nàm et illi dormierunt cùm ea in adolescentia eius*, eccè iterùm quomodò intelligantur verba *in adolescentia*, *et illi confregerunt vbera pubertatis eius*; *et effuderunt fornicationem suam supèr eam*, inducentes ad adorationem suorum idolòrum. *Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum*, *in manus filiorum Assur* vltimos amatores in captiuitatem perpetuam, *supèr quorum insaniuit libidine*, *ipsi discooperuerunt ignominiam eius*, *filios*, *& filias eius tulerunt*,

& ipsam

& ipsam occiderunt: & facta sunt famosæ mulieres, illæ decem Tribuum, quia de alijs duabus subdit, *& iudicia perpetrauerunt in ea*, eam desolantes penitùs. *Quod cùm vidisset* nempè fornicationem Oollæ, exemplo hoc mota, *soror eius Ooliba*, &c.

Cumquè venissent ad eam filij Babylonis ad cubile mammarum amorum *polluerunt eam stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est anima eius* desiderium *ab illis*, fornicando cùm idòlis eorum, quos adorauit. *Denudauit quoquè fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam* vltrò, more meretricio: *& recessit anima mea* nauseabunda *ab ea, sicùt recessit anima mea à sorore eius* Samaria. *Multiplicauit enim fornicationes suas recordans*, ex noua transgressione *dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Aegypti*, quasi in eis delectationem capiens. *Et insaniuit libidine supèr concubitum eorum, quorum carnes sunt sicùt carnes asinorum*, & suprà cap. 16. in simili de Aegyptijs: *& sicùt fluxus equorum, fluxus eorum*, hæc omnia ad vitia meretricum fornicationi huic accommodata ad denotandam maiorem incontinentiam. *Et visitasti* reiterando in Chaldæis, *scelus adolescentiæ tuæ, quandò subacta sunt in Aegypto vbera tua, & confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ. Propterea (Ooliba) hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego suscitabo omnes amatores tuos contrà te, de quibus satiata est anima tua*, in fornicationibus: *& congregabo eos aduersùm te in circuitu. Filios Babylonis, & vniuersos Chaldæos, nobiles, tirannosquè, et principes, omnes filios Assyriorum*, quos iunxit Nabuchodonosor, *iuuenes forma egregia, duces, et magistratus vniuersos, principes principum, et nominatos ascensores equorum: et venient supèr te instructi curru, et rota multitudo populorũ: loricha, et clypeo, et galea armabuntur contra te, vndiquè* ex his omnibus docet de flagellis, & pœnis instantibus: *et dabo coràm eis iudicium, et iudicabunt te iudicijs suis*, suo arbitratu: de hoc iudicio dato Nabuchodonosor, & suprà cap. 21. & ideò ibì non credo ad litteram agi de iudicio Messiæ, vt ibì dixi. *Et ponam zelum meum* iustitiæ *in te*, quem exercebo tecum in furore: *nasum tuum, & aures tuas*, vt deformis fias *præcident, et quæ remanserint* intactæ *gladio* interfectionis *concident: ipsi filios tuos, et filias tuas capient, et nouissimum tuum deuorabitur igni*, nihil remanebit in te, omnia comburentur. *Et denudabunt te vestimensis tuis, et tollent vasa gloriæ tuæ*, è templo. *Et requiescere faciã scelus tuum de te, et fornicationem tuam de terra Aegypti* allatam, *nèc leuabis oculos tuos ad eos, et Aegypti non recordaberis ampliùs*, his vexationibus, & angustijs edocta, & occasione priuata. *Quia hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego tradam te in manus eorum, quos odisti:* sic & Dauid in manibus eorum, qui oderunt nos, *in manus de quibus satiata est anima tua. Et agent tecùm in odio, et tollent omnes labores tuos, et dimittent te nudam, et ignominiam fornicationum tuarum*, innotescet enim omnibus cur hæc patiaris, *scelus tuum, et fornicationes tuæ. Fecerunt hæc tibi, quia fornicata es pòst Gentes, intèr quas polluta es in idòlis earum*, eccè fornicatio, nunc aperta. *In via sororis tuæ ambulasti* idòlis seruiens; *et dabo calicem eius*, similem tribulationem, & pœnam *in manu tua* bibendum. *Hæc dicit Dominus Deus*, &c.

Sedisti in lecto pulcherrimo, et mensa ornata est antè te: thymiama meum, et vnguentum meum, in meum solum cultum præparatum, *posuisti supèr eam Et vox multitudinis exultantis erat in ea*, his arguit Simphonias conuiuiorum ad cultum idolòrum: *et viris, qui de multitudine hominum adducebantur, et veniebant de deserto* incognitis *posuerunt armillas in manibus eorum, et coronas speciosas in capitibus eorum*, ad maiorem cultum idolòrum, vel vt eos redderent sibi gratos. *Et dixi ei, quæ attrita est*, ex nimia frequentia *in adulterijs: Nùnc fornicabitur in fornicatione sua etiàm hæc*, ex consuetudine id præsumens. *Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem: sic ingrediebantur ad Oollam, et Oolibam mulieres nefarias: Viri ergò iusti sunt*, ex approbatione vestra, quia illos vocatis, vel proùt de Cyro, & Nabuchodonosor alibi vti iustis, dùm ministerium pro Deo agebant, *hi iudicabunt eas iudicio adulterarum*,

rum, & iudicio effundentium sanguinem: quia adulteræ sunt, & sanguis in manibus earum, nèc poteritis conqueri, quia iàm illos approbastis, & ipsi notas habent abominationes vestras. Hæc enim dicit Dominus Deus: Adduc ad eas multitudinem, & trade eas in tumultum, & in rapinam. Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladijs eorum: filios, & filias earum interficient, & domos earum igne succendent, quasi hæc ità fient. Et auferam scelus de terra mea promissionis, & discent omnes mulieres, nè faciant secundùm scelus earum, ad quod pronæ sunt. Et dabunt scelus vestrum flagellum, supèr vos, & peccata idolòrum vestrorum portabitis, ex pœnis, quæ in vos subsequentur, & scietis, quia ego Dominus Deus ex vexatione.

CAPVT XXIV.

ET factum est verbum Domini ad me in anno nono, in mense decimo, decima die mensis captiuitatis Iechoniæ tempus obsidionis cœptæ circà Ierusalem à Nabuchodonosor dicens: Fili hominis scribe tibi nomen diei huius, vt sempèr appareat de veritate per te dictorum, præsertim ijs, qui nùnc captiui detinentur, qui ex his credent faciliùs secutura, in qua confirmatus est rex Babylonis aduersùm Ierusalem hodiè ad eius destructionem. Et dices per prouerbium, &c.

Pinguissimum pecus principes assume, compone quoque strues ossium sub ea: efferbuit coctio eius, & discocta sunt ossa illius in medio eius, hæc parabola denotat exterminium Ierusalem: sic suprà c. 11. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ ciuitati sanguinũ Ierusalem, Ollæ, cuius rubigo in ea est, & rubigo eius nõ exiuit de ea, etsi sic cocta, per partes, et per partes suas eijce eã, vt tota consummetur, nam non cecidit supèr eam sors, vt aliqua pars sit salua. Sanguis enim eius in medio eius est, quem publicè omnes effuderunt, supèr limpidissimam petram, vt appareat effudit illum: non effudit illum supèr terram, vt possit operiri puluere, nè videatur: sic Ierem. 2. proùt Moyses sabulo Aegyptium. Vt superinducerem indignationem meam, & vindicta vlciscerer, dedi sanguinem eius, supèr petram limpidissimam, nè operiretur, vult dicere: sic permisi. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram ad combustionem. Congere ossa, quæ igne succendam: consummentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent. Pone quoquè eam Ollam, supèr prunas vacuam, & incalescat, & liquefiat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentum eius, & consummatur rubigo eius, hinc acerbitas, & extensio pœnæ, quæ fit ad tollendam rubiginem, & ostendendam destructionem Ierusalem, quæ sub Olla figuratur: multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, nequè per ignem, vndè insanabilis facta est. Immunditia tua execrabilis peruersa, quia mundare te volui, nolo enim mortem peccatoris, &c. & non es mundata à sordibus tuis, dimissa tuo libero arbitrio: sed nèc mundaberis priùs, donèc quiescere faciam indignationem meam in te reducens te a captiuitate, in qua edoceberis interim. Ego Dominus locutus sum: Veniet indignatio, tempus illius, & faciam: non transeam, nèc parcam, nèc placabor: sic erit, non mutabor in hoc: sic & Isai. 46. iuxtà vias tuas, & iuxtà adinuentiones tuas iudicabo te, puniam dicit Dominus. Et factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis, eccè ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum vxorem, vt infra in plaga quam inferam: & non planges, nequè plorabis, nequè fluent lacrymæ tuæ, ita vt non appareat compassio vlla exterior. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nèc amictu ora velabis, nèc cibos lugentium comedes: sic & Ierem. 16. priuatio horum erat pro mœrentibus, & in luctu. Locutus sum ergò ad populum mane, & mortua

est

est uxor mea vespere: Fecique mane sicut praeceperat mihi, non luxi, &c. *& dixit ad me populus: quarè non indicas nobis quid ista significent, quae tu facis?* non lugens in morte uxoris tua *& dixi ad eos: Sermo Domini factus est ad me, dicens: Loquere domui Israel, haec dicit Dominus Deus: Eccè ego polluam sanctuarium meum,* templum, eccè de eo modò in plurali sanctuaria, modò in singulari; *superbiam imperij vestri* in quo exultatis Ierem. 7. *& desiderabile oculorum vestrorum* gratissimum vobis, *& supèr quo pauet anima vestra* soliciti estis; *filij vestri, & filiae vestrae, quas reliquistis, gladio cadent. Et facietis sicùt feci*, non dantes signa moeroris, intèr Babylonios tùnc laetantes, & triumphantes Ierusalem capta: *Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis. Coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus: non plangetis, nequè flebitis. sed tabescetis in iniquitatibus vestris, & vnusquisque gemet ad fratrem suum* occultè suprà vers. 7. *Eritquè Ezechiel vobis in portentum* in signum, seù exemplum: *iuxtà omnia, quae fecit facietis, cùm venerit istud: & scietis, quia ego Dominus Deus. Et tu fili hominis, eccè in die, qua tollam ab eis, fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & desiderium oculorum, supèr quo requiescunt animae eorum,* prae caeteris templum, vt suprà *filios, & filias eorum: In die illa cùm venerit fugiens ad te, vt annunciet tibi,* vt infrà cap. 33. *In die, inquam, illa aperietur os tuum cùm eo, qui fugit: & loqueris, & non silebis vltrà. erisquè eis in portentum,* certum, & verum, quòd manu tangent, *& scietis, quia ego Dominus.*

CAPVT XXV.

E*T factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis pone faciem tuam contrà filios Ammon, & prophetabis de eis:* sic & Isaias: *Et dices filijs Ammon. Audite verbum Domini Dei: Haec dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dixisti. Euge, euge,* ad miseros, exultans *supèr sanctuarium meum* templum, *quia pollutum est: & supèr terram Israel, quoniàm desolata est; & supèr domum Iuda, quoniàm ducti sunt in captiuitatem,* hoc ergò, quod dicit, pòst haec secuturum. *Idcircò ego tradam te filijs orientalibus in haereditatem,* quasi eorum propriam, *& collocabunt caulas suas in te,* tamquàm Domini, & incolae, *& ponent in te tentoria sua; ipsi comedent fruges tuas; & ipsi bibent lac tuum,* omnia bona tua possidebunt. *Daboquè Rabbath* regiam *in tabernaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum,* hìnc desolatio ex praedictis omnibus, *& scietis, quia ego Dominus. Quia haec dicit Dominus Deus: Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede* signa laetantium haec, *& gauisa es ex toto affectu supèr terram Israel: idcircò eccè ego extendam manum meam supèr te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram, & scies, quia ego Dominus,* hinc quàm malum laetari de alterius flagellis. *Haec dicit Dominus Deus: Pro eo, quòd dixerunt Moab, & Seir: Eccè sicùt omnes gentes, domus Iuda* nullo priuilegio fulta, nàm & ipsa contrita, quae existimabatur sempèr duratura vtì de populo Dei: *idcircò eccè ego aperiam humerum* potentiam, *Moab de ciuitatibus, de ciuitatibus, inquam, eius, & de finibus eius inclytas terrae Bethiesimoth, & Beelmeon, & Cariathaim: filijs Orientis cùm filijs Ammon, & dabo eam in haereditatem, vt non sit vltrà memoria filiorum Ammon in Gentibus: Et in Moab faciam iudicia* poenas inferens, & flagella.

Et dabo vltionem meam supèr Idumaeam per manum populi mei Israel, qui lauabit manus suas in sanguine peccatorum, benefacit enim Dominus his, qui sìc deluduntur, proùt Dauid expectabat benedictionem à Domino ob maledictionem Semei: *& facient in Edom iuxtà iram meam, & furorem meum: & scient vindictam meam,* ità vt se vindicantes, & non remittentes

Domi-

Domino, irritent Dominum contrà ſe, *dicit Dominus Deus. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecerunt vindictam Palæſtini, & vlti ſe ſunt toto animo, interficientes, & implentes inimicitias veteres. Proptereà hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego extendam manum meam ſupèr Palæſtinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis. Faciamquè in eis vltiones magnas, arguens in furore* Soph. 2. alter caſus vindictæ vltæ à Domino, ideò Domino vindicta, qui retribuet; at recordare quid ſæpiùs dicunt prophetæ, omnes, qui contrà eius populum ſteterunt, vltionem paſſos, & paſſuros à Domino: *& ſcient, quia ego Dominus, cùm dedero vindictam meam ſupèr eos.*

CAPVT XXVI.

ET factum eſt in vndecimo anno captiuitatis Iechoniæ. *prima menſis factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pro eo quòd dixit Tyrus de Ieruſalem: Euge,* lætabunda, *confractæ ſunt portæ* vires, munitiones, quò conueniebant forenſes, & ciues *populorum* multorum, tales enim Iudæi numeroſi, *conuerſa eſt ad me* gens, illam frequentans, quaſi ego ſubintrabo: *implebor*, nùnc ex eius ruinis *deſerta eſt*, ità vt nulla ſit ſpes ſalutis, & erectionis. *Proptereà*, quia sic lætata es de malo illius, *hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego ſupèr te* ad flagellandum *Tyre, & aſcendere faciam ad te gentes multas*, exercitum Nabuchodonoſor ad deſtructionem; *ſicùt aſcendit mare fluctuans* impetuoſè. *Et diſſipabit muros Tyri, & deſtruent turres eius: & radam puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidiſſimam petram* aquis maris lotam. *Siccatio ſagenarũ erit in medio maris* aquis obruta, *quia ego locutus, ait Dominus Deus: & erit in direptionem Gentibus*, quas tu putaſti te frequentaturas. *Filiæ quoquè eius*, oppida, quibus dominatur, *quæ ſunt in agro* in continenti *gladio interficientur, & ſcient quia ego Dominus. Quia hæc dicit Dominus Deus:* Eccè declarat quæ dixerat, *ego adducam ad Tyrum Nabuchodonoſor Regem Babylonis ab aquilone regẽ regum cùm equis, & curribus, & equitibus, & cœtu, populoquè magno: Filias tuas, quæ ſunt in agro, gladio interficiet, & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro*, quæ nùnc aquis circumdaris, *et eleuabit contrà te clypeum*, aciem inſtruet, ad arma vocabit. *Et vineas, & arietes*, inſtrumenta bellica, *temperabit in muros tuos, & turres tuas deſtruet in armatura ſua. Inundatione* multitudine, *equorum eius operiet te puluis eorum, à ſonitu equitum, & rotarum, & curruum mouebuntur muri tui, cùm ingreſſus fuerit portas tuas, quaſi per introitum vrbis diſſipatæ*, vt in Iericho: *Vngulis equorum ſuorum conculcabit omnes plateas tuas populum tuum gladio cædet, & ſtatuæ tuæ nobiles*, idolòrum *in terram corruent. Vaſtabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas, & deſtruent muros tuos, & domus tuas præclaras ſubuertent: & lapides tuos, & ligna tua, & puluerem tuum in medio aquarum ponent*. aquis obrueris. *Et quieſcere faciam multitudinem canticorum tuorum, & ſonitus cithararum tuarum non audietur ampliùs*, vſquè ad ſeptuaginta annos, quod eſt mœrentium, non admittentium has delicias. *Et dabo te in limpidiſſimam petram ſiccatio ſagenarum eris, nèc ædificaberis vltrà, quia ego locutus ſum: ait Dominus Deus. Hæc dicit Dominus Deus Tyro: Numquid non à ſonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum, cùm occiſi fuerint, in medio tui commouebuntur inſulæ?* hinc magna deſolatio, vt in Babylone, Apocal. 18. *Et deſcendent de ſedibus ſuis omnes principes maris*, &c. *Nùnc ſtupebunt naues in die pauoris tui; & turbabuntur inſulæ in mari, eò quòd nullus egrediatur ex te*, hæc omnia ad denotandam deſolationem magnam, & inſignem, & ſæpiùs hac phraſi ad ſimilia vtuntur prophetæ. *Quia hæc dicit Dominus Deus: Cùm dedero te*

vrbem

vrbem desolatam, sicùt ciuitates, quæ non habitantur: & adduxero supèr te abyssum, qualis hic, subdit, *& operuerint te aquæ multæ; Et detraxero te cùm his, qui descendunt in lacum,* sepulchrum *ad populum sempiternū,* vsquè ad diē iudicij, *& collocauero te in terra nouissima, sicùt solitudines veteres cùm his, qui deducuntur in lacum* sepulchrum, *vt nō habiteris,* vsquè ad septuaginta annos ex Isaia: *porrò cùm dedero gloriam in terra viuentium,* pòst reditum populi à captiuitate, & templi reædificationem, quo tempore & tu redibis ad tua, iterùm *in nihilum redigam te, & non eris, & requisita non inuenieris vltrà in sempiternum;* tùnc enim destructa ab Alexandro iterùm, & quia iterùm reædificata, ideò verba *in sempiternum* ad certum tempus sæpiùs restringuntur, *dicit Dominus Deus.*

CAPVT XXVII.

ET factum est verbum Domini ad me, dicens: Tu ergò fili hominis assume supèr Tyrum lamentum, quo exprimas calamitates ei instantes. *Et dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum per insulas multas: Hæc dicit Dominus Deus: O Tyre tu dixisti* exultans in corde tuo. *Perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita,* quasi omnibus inuia, vel captu impossibilis. *Finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum;* conformitèr laudat eam ab origine, & docet ex quibus extructa, & naues ædificatæ: *abietibus de Sanir extruxerunt,* &c. vsquè ad vers. 25. *Naues maris principes tui in negotiatione tua, & repleta es, & glorificata nimìs in corde maris,* hucusquè de mercibus copiosis allatis, quibus abundabat. *In aquis multis* tribulationum, & pœnarum instantium, nùnc vertit in malum Tyri, quæ in gloriam eius dixerat, *adduxerunt te remiges tui: ventus auster* tuæ superbiæ *contriuit te in corde maris. Diuitiæ tuæ, & thesauri tui,* &c.

A sonitu clamoris gubernatorum tuorum, in periculo ineuitabili constitutorum *turbabuntur classes* finitimi populi. *Et descendent de nauibus suis omnes, qui tenebant remum: nautæ, & vniuersi gubernatores maris in terra stabunt,* in mari minùs tuti, vel mœrentes, *& eiulabunt supèr te voce magna, & clamabunt amarè; & superiacient puluerem capitibus suis, & cinere conspergentur. Et radent supèr te caluitium, & accingentur cilicijs: et plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo. Et assument supèr te carmen lugubre, et plangent te,* repræsentat eiulatus pro Tyro, & sequitur lamentationes plorantium: *Quæ est, vt Tyrus, quæ obmutuit,* tacuit oppressa quasi serua, *in medio maris? Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos in multitudine diuitiarum tuarum, et populorum ditasti reges terræ,* eccè magnificentia. *Nùnc contrita es à mari in profundis aquarum opes tuæ, et omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui ceciderunt,* hæc desolatio. *Vniuersi habitatores insularum obstupuerunt supèr te: et reges earum omnes tempestate perculsi mutauerunt vultus,* timentes sibi ipsis tuo exemplo. *Negotiatores populorum sibilauerunt supèr te,* hæc, & alia Apoc. 18. *ad nihilum deducta es, et non eris, vsquè in perpetuum,* ad annos septuaginta ex Isaia.

CAPVT XXVIII.

ET *factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, dic principi Tyri,* ob cuius præuaricationes Tyrus euersa. *Hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd eleuatum est cor tuum* in superbiam, *et dixisti, Deus ego sum*, qui subiugari nequeo, ideò subdit, *et in Cathedra Dei sedi in corde maris*, quò nulli accedere licet, sicùt Deus lucem habitat inaccessibilem, *cùm sis homo*, de homine ergò loquitur, dùm verò hæc ad diabolum, fit per quamdam translationem; *et non Deus, et dedisti cor tuum, quasi cor Dei* ex tua reputatione falsa. *Eccè sapientior es tu Daniele*, quasi, quomodò tu Deus, qui nèc sapientior es Daniele: hinc videtur Danielem tùnc mortuum, etsi alij contradicant: *omne secretum non est absconditum à te*, prout Danieli, cui reuelationes factæ, vel talis enim Deus, cui omne cor patet, tibinè hoc? *in sapientia, et prudentia tua* non Dei veri, *fecisti tibi fortitudinem:* munitiones, *et acquisisti aurum, et argentum in thesauris tuis. In multitudine sapientiæ tuæ, et in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem*, quæ omnia sunt Dei, ab ipso dependent, & recipiuntur: *et eleuatum est cor tuum in robore tuo* viribus sic quæsitis. *Proptereà hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd eleuatum est cor tuum, quasi cor Dei*, ob hanc tuam superbiam, insaniam: *idcircò, eccè ego adducam supèr te alienos robustissimos Gentium*, Nabuchodonosor cùm exercitu suo: *et nudabunt gladios suos supèr pulchritudinem sapientiæ tuæ* prætensæ, *et polluent decorem tuum* ciuitatem tuam, & palatia, & opes. *Interficient, et detrahent te, et morieris in interitu occisorum in corde maris*, in eo loco, in quo reputas te tutum, & neminem posse accedere, & sic disces te hominem esse, non Deum. *Numquid dicens loqueris: Deus ego sum coràm interficientibus te: cùm sis homo, et non Deus, in manu occidentium te?* quasi non poteris id cogitare, à te auferetur hæc vanitas. *Morte incircumcisorum morieris, in manu alienorum*, non Iudæorum, sed Chaldæorum, quasi Iudæis in captiuitatem abductis non euades, vt credidisti, nàm alios ad tui perniciem immittam, *quia ego locutus sum, ait Dominus Deus*, & à me hoc recipies, contrà quem exaltaris. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis leua planctum magnum supèr regem Tyri*, ob calamitates ei instantes: *& dices ei: hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum* impressio *similitudinis*, imitandæ, adeò ornatus eras, vt exemplar alijs esses, in quod respicerent, non hìc de similitudine Dei; prout Gen. 1. quia illa omnibus communis, *plenus sapientia, & perfectus decore*, quæ omnia tibi accesserunt ex Dei dono; *in delicijs*, quasi *paradisi Dei fuisti*; in tua Tyro; vel alludit ad primum hominem, de diabolo hoc dici non potest, qui non fuit in delicijs, sed deiectus, antequàm gloriã gustaret, & fortè neque fuit in Cœlo Empyreo, vt alibì dixi, *omnis lapis pretiosus operimentum tuum: Sardius, topatius, & iaspis, crisolitus, & onyx, & berillus, Sapphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui*, possessor tot pretiosorum ad tuum ornatum: *& foramina tua* à natali tuo, à principio *in die, qua conditus es*, in quibus hæc pretiosa includerentur, ad tuam gloriam *præparata sunt*, ad te ornandum: sic, quæ præparauit Deus diligentibus se. *Tu* princeps, quasi *Cherub extentus* fortis, dilatatus, *& protegens* populum tuum, vt Cherubim arcam alis in Sancta Sanctorum, *& posui te in monte sancto Dei*, in loco tutissimo, in quo sita Tyrus, *in medio lapidum ignitorum*, splendentium, vt ignis, *ambulasti* in eis delectatus, eos possidens, thalamos tuos ornans ex eis. *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ*, ortus tui, vt suprà, *in die, qua conditus es*, in omnibus tuis desiderijs, vel actibus; non hìc de illius bonitate, quia alienus à vera religione, *donèc inuenta est iniquitas in te*, maxima, & horribilis, quæ te ad supplicium deduxit, ad Genes. 15. nempè, vt eleuato

corde

corde tuo in superbiam, proùt Nabuchodonosor, diceres te Deum. *In multitudine negotiationis tuæ*, hìnc orta superbia, proùt in Sodoma suprà cap. 16. 49. *repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti* malitiosè, & ex corde, faciens te Deum: *& eieci te* peccantem *de monte Dei* tua ciuitate munita, in qua te saluandum constitueram; *& perdidi te ò Cherub protegens*, vt suprà *de medio lapidum ignitorum*, quibus fruebaris. *Et eleuatum est cor tuum* in superbiam, qua te fœdasti, *in decore tuo* dum ornatior eras; quo tempore magis in eo sistere debueras, sed stultè, *perdidisti sapiētiam tuam in* cùm *decore tuo*, tua gloria, sapientiam nō veram, sed quam præsumebas, ideò è monte, *in terram proieci te: antè faciem regum dedi te* miserum, & captiuum hæc inepta diabolo, *vt cernerent te* hominem victu facilem. *In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam* quam retinere debueras, vel habere, vel quam tu præsumebas: stat in metaphora Cherub stantis in Sancta Sanctorum, non hìc sanctificatio pro templo Salomonico, quia quid illud ad ipsum? *producam ergò ignem de medio tui*, occasionem ruinæ ex te ipso, ex tua iniquitate, *qui comedat te* destruat; *& dabo te in cinerem supèr terram* è mari te abstrahēs, *in conspectu omnium videntium te*, à quibus irrideberis. *Omnes, qui viderint te in Gentibus, obstupescent supèr te* cogitantes statum, à quo deiectus eris, & in quem perueneris, *nihili factus es*, quia sìc meruit superbia tua, vt patiaris in quo deliquisti, *& non eris in perpetuum*, tu, etsi Tyrus post septuaginta annos reædificanda. multa dictorum contrà principem Tyri aptantur contrà principem tenebrarum; at non omnia, vt patet consideranti de facili, & quæ aptantur, mysticè; non litteralitèr. *Et factus est sermo Domini ad me, dicens. Fili hominis pone faciem tuam contrà Sidonem, & prophetabis de ea, & dices. Hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego ad te Sidon, & glorificabor in medio tui*, in te, pœnas inferendo, & flagella: *& scient, quia ego Dominus, cùm fecero in ea iudicia*, pœnas intulero, *& sanctificatus fuero in ea*, quomodò subdit. *Et immittam ei pestilentiam, & sanguinem in plateis eius* publicè, & in vniuersos hæc erunt: *& corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum* vndequaquè non dabitur fuga: *et scient quia ego Dominus Deus. Et non erit vltrà domui Israel offendiculum amaritudinis, et spina dolorem inferens vndiquè per circuitum eorum, qui aduersantur eis*, punietur ergò Israel: *et scient quia ego Dominus Deus: Hæc dicit Dominus Deus. Quandò congregauero domum Israel de populis, in quibus dispersi sunt*, quod erit post captiuitatem Babylonicam, *sanctificabor in eis coràm gentibus*, quia colar ab eis cultu debito, vel ob reductionem à captiuitate in statum pristinum: *& habitabunt in terra sua, quam dedi seruo meo Iacob* populo meo. *Et habitabunt in ea securi: & ædificabunt domos, & plantabunt vineas, & habitabunt confidentèr, cùm fecero iudicia* pœnas sumpsero *in omnibus, qui aduersantur eis per circuitum*, & sic sempèr verificatur puniendos aduersantes Israeli, *& scient quia ego Dominus Deus eorum*, cùm hæc viderint perfecta.

CAPVT XXIX.

IN anno decimo, decimo mense, vndecima die mensis captiuitatis Iechoniæ, *factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis pone faciem tuam contrà Pharaonem regem Aegypti, & prophetabis de eo, & de Aegypto vniuersa: Loquere, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne*, sic nuncupat, quia subdit de eo habitante iuxtà flumina; proùt dracones, simile de bestia de mari egrediente in Apoc. *qui cubas in medio fluminum tuorum*, riuorum Nili, *& dicis: Meus est fluuius, & ego feci memetipsum*, quasi Deus exaltaui me, sic & Nabuchodonosor, & Princeps Tyri, Deū non recognoscentes. *Et ponam frenum in*

maxillis tuis hàc illàc te abducens iuxtà meam voluntatem: *& agglutinabo pisces fluminum tuorum* subditos tuos *squămis tuis: & extrabam te de medio fluminum tuorum, & vniuersi pisces tui squammis tuis adhærebunt. Et proijciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui, supèr faciem terræ cades* proùt draco, & pisces extrà aquam; vndè subdit, *non colligèris, nequè congregaberis*, sed tamquàm morticinum horrori eris. *bestijs terræ, & volatilibus cæli dedi te ad deuorandum*, eris cibus ferarum. *& scient omnes habitatores Aegypti, quia ego Dominus: pro eo quòd*: ponit causam sui flagelli, eccè quomodò populum suum affligentes perduntur, *fuisti baculus arundineus domui Israel. Quandò apprehenderunt te manu* tecum paciscentes, *& confractus es, & lacerasti omnem humerum* robur eorum dicens de malis ab Aegypti rege passis, non poteſt trahi ad passa per Chaldæos: *& innitentibus eis supèr te, comminutus es, & dissoluti omnes renes eorum*, absquè viribus remanserunt, nullum eis dans auxilium tutũ, sed aëreum: sic & Isa. 36. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego adducam supèr te gladium, & interficiam de te hominem, & iumentum. Et erit terra Aegypti in desertum, & in solitudinem: & scient quia ego Dominus; pro eo quòd dixeris, Fluuius meus est, & ego feci eum*, hæc superbia magna, de qua suprà, sic Nabuchodonosor de sua Babylone: non id dicit populum intellecturum, sed proptèr hoc regem pœnas daturũ illas. *Idcircò ego ad te, &c.* vsq. ad vers. 16. *Nequàerunt vltrà domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem, vt fugiant, & sequantur eos*, derelicto eo, cui tenebantur ex fœdere, vt in Nabuchodonosor, ex quo erunt impotentes: *& scient quia ego Dominus Deus.*

Et factum est in vigesimo, & septimo anno, in primo, in vna prima mensis: & factum est verbum Domini ad me dicens: fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersùs Tyrum, hæc destructa iàm Tyro: *omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est*, hinc magnus labor, & magna vis, *& merces non est reddita ei, nequè exercitui eius de Tyro pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersùs eam*, fortè in ea parum, vel nihil inuenit prædæ; at vide Dei benignitatem, & munificentiam, etiàm ergà improbos. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti: & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi, quo seruiuit aduersùs eam: dedi ei terram Aegypti, pro eo quòd laborauerit mihi* nimirum si hæc iuncta prioribus, quia eadem materia agitur contrà Aegyptum, etsì diuerso tempore hæc accepta à Propheta *ait Dominus Deus. In die illo* circà illa tempora *pullulabit cornu* resurget potentia *domui Israel* reductæ à captiuitate Babylonica. Non videntur hæc verificari in Iechonia, de quo scriptum satis humilitèr Ierem. 22. scribe virum hunc, *&c.* & quia nullum ei cornu, seù potentia, & quia *de domo Israel* expressè dicitur, & de illo subleuando, & roborando nullibì dictum: vndè sufficit circà illa tempora captiuos ad sua redijsse, *& tibi dabo apertum os in medio eorum*, liberum ad loquendum, & tibi credent ex euentu rerum à te prædictarum: *& scient quia ego Dominus*, qui omnia feci à te prædicta, vel ex venturis à te prædicendis.

CAPVT

CAPVT XXX.

ET factum est verbum Domini ad me, dicens: *Fili hominis propheta, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Vlulate, væ, væ diei, quia iuxtà est dies, & appropinquat dies Domini: dies nubis* malorum, calamitatum *tempus gentium* Chaldæorum *erit* qui contrà te debacchabunt, *& veniet gladius in Aegyptum, &c.*

Et scient quia ego Dominus: cùm dedero ignem, per Nabuchodonosor, & exercitum eius *in Aegypto: & attriti fuerint omnes auxiliatores eius: in die illa egredientur nuncij,* per quos ruina Aegypti innotescet, *à facie mea* à me, *in trieribus ad conterendam Aethiopiæ confidentiam, & erit pauor in eis in die Aegypti, quia absquè dubio veniet,* vnde supèr his non dubitandum*: Hæc dicit Dominus Deus, &c.*

Et disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis; & dux de terra Aegypti non erit ampliùs, per longum tempus, scilicet quadraginta annorum: *& dabo terrorem in terra Aegypti. Et disperdam terram Phathures, et dabo ignẽ in Taphnis, & faciam iudicia puniendo in Alexandria. Et effundam indignationem meam supèr Pelusium, robur Aegypti & interficiam multitudinem Alexandriæ, & dabo ignem in Aegypto: quasi parturiens,* cuius dolores primi *dolebit Pelusium & Alexandria erit dissipata, et in Memphis angustiæ quotidianæ. Iuuenes Heliopoleos & Bubasti gladio cadent, & ipsæ captiuæ ducentur. Et in Taphnis nigrescent dies* ex magna tribulatione, *cùm contriuero ibi sceptra Aegypti, & defecerit in ea superbia potentiæ eius; ipsam nubes operiet: filiæ autèm eius in captiuitatem ducentur; & iudicia faciam in Aegypto* supplicia inferam, *& scient quia ego Dominus. Et factum est in vndecimo anno, in primo mense, in septima mensis factum est verbum Domini ad me dicens: fili hominis* iàm *brachium Pharaonis regis Aegypti confregi,* 4. Reg. 24. & dùm obsideret Ierusalem proùt Nabuchodonosor. ideò infrà dicit *confractum: & eccè non est obligatum, vt restitueretur eis sanitas, vt ligaretur pannis, & fasciaretur linteolis, & recepto robore posset tenere gladium,* quasi calamitas erit irreparabilis. *Propterea*, &c. vsquè ad finem cap. quæ per se clara.

CAPVT XXXI.

ET factum est in anno vndecimo, tertio mense, vna prima *mensis* captiuitatis Iechoniæ *factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis dic Pharaoni regi Aegypti, & populo eius: (Cui similis factus es in magnitudine tua?)* quasi similem non videris habere, nàm *Eccè Assur* tu Pharao rex Aegyptiorum (vt in fine) huius fœlicitatem, & statum describit, vt appareat quod dicit, nullum ei similem *quasi cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, excelsusque altitudine, & intèr condensas frondes eleuatum est cacumen eius,* primò ab altitudine laudat. *Aquæ nutrierunt illum, abyssus exaltauit illum, flumina eius manabant in circuitu radicum eius, & riuos suos emisit ad vniuersa ligna regionis,* Secũdò ex aquis, quibus irrigabatur, & alijs cõmunicabat, stat enim in metaphora ligni, sic Psal. 1. *Propterea eleuata est altitudo eius supèr omnia ligna regionis: & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius præ aquis multis* effectus ex aquis irrigantibus orti.

Cumquè extendisset vmbram suam, in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia cæli, & sub frondibus eius genuerunt omnes bestiæ saltuum, & sub vmbraculo illius habitabat cœtus Gentium plurimarum, sic de arbore visa à Nabuchodonosor, sinapis Christus. *Eratquè pulcherrimus in magnitudine sua, & in dilatatione arbustorum suorum: erat enim radix illius iuxtà aquas multas,* repetit quod dixerat. *Ce-*

dri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei; abietes non adæquauerunt summitatem eius, & platani non fuerunt aquæ frondibus illius: omne lignum Paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius, ex his collectis noua laus. *Quoniàm speciosum feci eum* quasi sic ego volui, qui possum, *& multis, condensisque frondibus æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in Paradiso Dei*, ex hoc etiàm apparet qualis esset. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd sublimatus est in altitudine, & dedit summitatem suam virentem, atque condensam, & eleuatum est cor eius in altitudine sua* superbiens, hinc causa deiectionis: *Tradidi eum in manu fortissimi Gentiũ* Nabuchodonosor, *faciens faciet ei malum iuxta imperium meum; iuxtà impietatem eius eieci eum*, & sic meruit iuxtà superbiam suam. *Et succident eum alieni, & crudelissimi* Chaldæi *nationum, & proijcient eum supèr montes, & in cunctis conuallibus corruent rami eius, & confringentur arbusta eius in vniuersis rupibus terræ; & recedent de vmbraculo eius omnes populi terræ, & relinquent eum. In ruina eius habitauerunt omnia volatia cæli, et in ramis eius fecerunt vniuersæ bestiæ regionis. Quamobrèm non eleuabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum, nèc ponent sublimitatem suam intèr nemorosa, atquè frondosa, nèc stabunt in sublimitate sua omnia, quæ irrigantur aquis: quia omnes traditi sunt in mortem ad terram vltimam in medio filiorum hominum* intèr alios *ad eos, qui descendunt in lacum* sepulchrum, hucusque deiectio, & calamitas, & destructio Assur, & suorum. *Hæc dicit Dñs Deus*, vsque ad vers. 17.

Nàm ipsi cùm descendent in infernum ad interfectos gladio: & brachium vniuscuiusque, in quo solemus requiescere *sedebit sub vmbraculo eius, in medio nationum*, sic & Isa. 14. & Iob 3. Loquitur iuxtà statum huius mundi; in sepulchro enim hæc non habentur. *Cui assimilatus es ò inclyte, atquè sublimis intèr ligna voluptatis?* quasi in gloria non habuisti similem repetit quod in principio dixerat, sed *Eccè deductus es, &c. dicit Dominus Deus.*

CAPVT XXXII.

Et factum est, duodecimo anno, in mense duodecimo Iechoniæ, *in vna mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens: fili hominis assume lamentum supèr Pharaonem regem Aegypti* deprimendũ, *& dices ad eum: leoni gentium assimilatus es; & draconi, qui est in mari, & ventilabas cornu in fluminibus tuis*, sic ille 3. Reg. vlt. his ventilabis Syriam, *& conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum*, sic solent Leo, & Draco, hæc de regionibus subactis ab eo terrestribus, & maritimis. *Propterea hæc dicit Dominus Deus. Expandam supèr te rete meum in multitudine populorum multorum* Chaldæorum, *& extraham te in sagena mea. Et proijciam te in terram, supèr faciem agri abijciam te*, & extrà aquam non præualebis, ideò hæc ad draconem: *& habitare faciam supèr te omnia volatilia cæli, & saturabo de te bestias vniuersæ terræ. Et dabo carnes tuas supèr montes, & implebo colles tuos sanie tua*, quia extrà aquam positus morieris, seu immobilis remanebis sinè viribus, & exercitu. *Et irrigabo terram, &c.*

Omnia luminaria cæli mœrere faciam supèr te, & dabo tenebras supèr terram tuam, dicit Dominus Deus, cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus, hæc omnia ad magnum mœrorem, & consequentèr magnam ruinam ostendendam, & hæc phrasis tempore iudicij vsitata, qua maior mœror denotari non potest. *Et irritabo cor populorum multorum, &c.* vsque ad vers. 27.

Et non dormient, cùm ignobilem mortem oppetierint, *cùm fortibus, cadentibusquè, et incircumcisis, qui descenderunt ad infernum cùm armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis, et fue-*

fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, sempèr hærentes, infixæ, dum in mundo essent; de fortibus iisdem hic, quos præcedentia, & sequentia comprehendunt, non de ignominiosis: *quia terror fortium facti sunt in terra viuentium. et tu ergò* Pharao *in medio incircumcisorum contereris, et dormies* inglorius *cùm interfectis gladio. Ibi Idumæa, et reges eius, et omnes duces eius, qui dati sunt, et in exercitu suo cùm interfectis gladio: et qui cùm incircumcisis dormierunt, et cum his qui descendunt in lacum. ibi principes Aquilonis omnes, et vniuersi venatores* Tyranni, proùt Nembroth. *qui deducti sunt cùm interfectis, pauentes, et in sua fortitudine confusi, qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, et portauerunt confusionem sam cùm his, qui descendunt in lacum. vidit eos Pharao, et consolatus est*, quia in inferno nulla consolatio. id, & omnia intelligenda de sepulchro, consolatio verò iuxtà homines vulgares ex malo sociorum, *supèr vniuersa multitudine sua, quæ interfecta est gladio, Pharao, et omnis exercitus eius, ait Dominus Deus, quia dedi terrorem meum in terra viuentium, et dormiuit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio: Pharao, et omnis multitudo eius, ait Dominus Deus.*

CAPVT XXXIII.

ET factum est verbum Domini ad me, dicens: fili hominis loquere ad filios populi tui Hebræos, *& dices ad eos: Terra cùm induxero supèr eam gladium, & tulerit populus terræ virum vnum de nouissimis suis*, non de semine regio, sed de infimis; sìc Ieroboam sacerdotes fecit de extremis, seù nouissimis 3. Reg. 12. 31. & 13. 33. *Et constituerit eum supèr te speculatorem*, hoc erat solitum, *& ille viderit gladiū venientem supèr terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo*, his designat eius officium. *Audiens autèm, quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se obseruauerit, veneritquè gladius, & tulerit eum: sanguis ipsius supèr caput eius erit. Sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit, sanguis eius in ipso erit*, quia speculator fecit quod suum erat, & in putandum non se obseruanti. *si autèm se custodierit, animam suam saluabit. Quòd si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritquè gladius, & tulerit de eis animam: ille quidèm in iniquitate sua captus est, sanguinem autèm eius de manu speculatoris requiram*, qui in officio suo deliquit: *Et tu*, infert ad quod tendebat, *fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: audiens ergò de ore meo sermonem annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium; Impie, morte morieris; non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur*, non enim excusatur, quia à se ipso scire debuerat, *sanguinem eius de manu tua requiram*, tu quoquè teneberis, quia non annunciasti. *Si autèm annunciante te ad impium, vt à vijs suis conuertatur, non fuerit conuersus à via sua: ipse in iniquitate sua morietur*, à qua noluit desistere: *porrò tu animam tuam liberasti* præmonens: *Tu ergo fili hominis dic ad domum Israel; Sìc locuti estis dicentes; Iniquitates nostræ, & peccata nostra supèr nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: Quomodò ergò viuere poterimus?* quasi non euademus, *Dic ad eos: Viuo ego dicit Dominus Deus* iurans *nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat*, & sic docet quomodò euadant mortem, *Conuertimini, conuertimini à vijs vestris pessimis*, vt totiès admonui, *& quare*, tùnc conuersi à via mala, *moriemini domus Israel? Tu itaquè fili hominis dic ad filios populi tui. Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccauerit, & impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua*, & sìc quemque tenebit opus suum

bonum, vel malum: *& iustus non poterit viuere in iustitia sua in quacumque die peccauerit* requirit ergo perseuerantiam vsquè in finem. *Etiàm si dixero iusto, &c. Cum*, reddit rationem dictorum *enim recesserit iustus à iustitia sua, feceritquè iniquitates, morietur in eis. Et cùm recesserit impius ab impietate sua, feceritquè iudicium, & iustitiam, viuet in eis,* mors ergò & vita ab vltimis operibus. *Et dicitis: non est recta via Domini: vnumquemque iuxtà vias suas iudicabo de vobis, domus Israel,* vt suprà attendens vltimas vias, quia vbì ceciderit lignum, ibi in æternum manebit, hæc & cap. 18. *& factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ,* sub Iechonia, *venit ad me qui fugerat de Ierusalem* pòst exustionem factam à Nabuzardan, nimirum si distulit nuntius ab anno duodecimo, mense quarto, nona die mensis, quo tempore capta ciuitas. Iere. 52. 6. vsquè ad hoc tempus anni duodecimi, mensis decimi, quinta mensis, *dicens. Vastata est ciuitas*, de hoc nuntio supra cap. 24. 26. *Manus autèm Domini facta fuerat ad me vespere* ad prophetandum, *antequàm veniret qui fugerat: operuitquè os meum, donèc veniret ad me mane, & aperto ore meo non silui ampliùs* non poterat enim quæ audiuerat non loqui, sìc promissum cap. 24. 27. etiàm antè aduentum nuntij, vt se explicuit.

Et factum est verbum Domini ad me dicens: fili hominis, qui habitant in ruinosis his (ignis enim omnia exusserat) *super humum Israel, loquentes aiunt: Vnus erat Abraham, & hæreditate possedit terram: nos autèm multi sumus, nobis data est terra in possessionem,* quàsi adhùc illam possidebimus, non auferetur: si vni data, quomodò à multis rapietur; at Abraham nèc passum pedis obtinuit Acto. 7. vndè intelligunt ex promissione à Deo illi facta. *Idcircò dices ad eos: hæc dicit Dominus Deus: Qui in cùm sanguine comedetis, & oculos vestros leuatis ad immunditias vestras,* idòla *sanguinem funditis: numquid terram hæreditate possidebitis? Stetistis in gladijs vestris,* contrà innocentes, *fecistis abominationes, & vnusquisque vxorem proximi sui polluit: & terram hæreditate possidebitis?* quàsi dic eis ob eorum iniquitates illam non possessuros. *Hæc dices ad eos: Sic dicit Dominus Deus,* &c. *Venite, & audiamus quis sit sermo egrediens à Domino* irrisoriè, vt prosequitur, & proùt cùm Ieremia cap. 23. vers. 33. *Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus* in magna multitudine curiositatis causa, *& sedent coràm te populus meus, & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris tui vertunt illos,* sìc cùm Isaia cap. 28. *& auaritiam suam sequitur cor eorum* non emendantur. *Et es eis quasi carmen musicum, quod suaui dulciquè sono canitur: & audiunt verba tua,* quàsi tibi in eis placeant, *& non faciunt ea,* & sic facto illa reijciunt. *Et cùm venerit quod prædictum est (eccè enim venit) tùnc scient, quod prophetes fuerit intèr eos verus à Domino.*

CAPVT XXXIV.

E*T factum est verbum Domini ad me dicens*, &c. vsque ad vers. 10. *Propterea pastores audite verbum Domini,* præmissa causa, pœnas pastorum subdit. *hæc dicit Dominus Deus: eccè ego ipse supèr pastores requiram gregem meũ de manu eorũ. et cessare faciã eos, vt vltrà non pascant gregẽ. nèc pascant ampliùs pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum: & non vltrà eis erit in escam,* auferetur vita à pastoribus, sìc & Apoc. 2. & 3, *quia hæc dicit Dominus Deus: eccè ego ipse* pastor sũmus, & prosequitur quid facturus circà greges: sic & Christus, Ego sum Pastor bonus, Io. 10. *requiram oues meas, & visitabo eas. sicùt visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum; sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerunt in die nubis, & caliginis,* tùnc enim solent errare. *Et educã eas de populis,* &c. vsque ad vers.

verſ.17 *& paſcam illas in iudicio*, iuxtà cuiuſque indigentiã: ſic Iacob Gen.33.hucuſquè quomodò paſturus gregem, nẽpè in iudicio ſeruata iuſtitia, & æqualitate *uos autèm greges mei hæc dicit Dominus Deus: eccè ego iudico intèr pecus, & pecus, arietũ, et hircorũ*, obſeruãs cuiuſque qualitates, & actus, nùnc vertit ad greges malè ſe habentes *nonnè ſatis vobis erat paſcua bona depaſci?* quàſi vtiquè, & tamèn *inſupèr & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris; & cùm puriſſimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis*, nè oues aliæ puram biberent. *& oues meæ, his, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur: & quæ pedes veſtri turbauerant, hæc bibebant*, effectus malus, qui indè ſequebatur. *properteà hæc dicit Dominus Deus ad vos: eccè ego ipſe iudico*, hinc videant oppreſſores pauperum curam Dei pro illis, *intèr pecus pingue, & macilentum: pro eo quòd lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora, donèc diſpergerentur forâs, ſaluabo gregem meum, & non erit vltrà in rapinam, & iudicabo intèr pecus, & pecus*, dans cuique quod meretur. *ET SVSCITABO SVPER EAS PASTOREM VNVM, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem*, is Meſſias, ſi ſpiritualitèr; Zorobabel, ſi de reditu, cui infraſcripta temporalitèr accommodantur litteralitèr, & ſuperiora benè cùm his concordãt, in quibus & de reditu à captiuitate agitur. *Ego autèm Dominus ero eis in Deum* eos protegens: *& ſeruus meus Dauid princeps* caput omnium, primogenitus *in medio eorum* ad eamdem protectionem, ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſquè ad conſummationem ſæculi: *ego Dominus locutus ſum, & faciam cùm eis pactum pacis*, pacem inferam, & Meſſias dictus rex pacificus, *& ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra*, illis inſultantes, *& qui habitant in deſerto, ſecuri dormient in ſaltibus*, & ſic erit pax in toto orbe, *& ponam eos in circuitu collis mei benedictionẽ*, vt creſcant, abundent, multiplicentur: *& deducam imbrem in tempore ſuo: pluuiæ benedictionis erunt*, ad eos irrigandos, & fouendos, *& dabit lignum fructum ſuum, et terra dabit germen ſuum* omnia fructus dabunt, *et erunt in terra ſua abſquè timore* tuti ſub mea protectione, *et ſcient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium ſibi* Chaldæorum, Hinc læta nuntiat propheta, & temporalia, propterea benè hæc ad litteram de reditu à captiuitate. *et non erunt vltrà in rapinam in gentibus, nequè beſtiæ terræ deuorabunt eos, ſed habitabunt confidentèr abſquè vllo terrore*, ſi perſeuerabunt in cultu meo; & quia occiderunt Chriſtum, contrarium euenit. *Et ſuſcitabo eis germen nominatum* nobilem, ſuprà Meſſiam, dictum germen in Iſaia, & Ieremia, & alijs; vel Zorobabelem à Dauide deſcendentem; *et non erunt vltrà imminuti* conſumpti *fame in terra, nequè portabunt vltrà opprobrium gentium*, intellige vt ſuprà conditionalitèr: *Et ſcient, quia ego Dominus Deus eorum cùm eis, et ipſi populus meus domus Iſrael: ait Dominus Deus, vos autèm greges mei, greges paſcuæ meæ homines eſtis*, quos ego paſcendos ſuſcepi, ideò ſtate, nè in in mala recedatis, *et ego Dominus Deus veſter, dicit Dominus Deus.*

CAPVT XXXV.

ET *factus eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam aduersùm montem Seir*, qui fuit Eſau, contrà Idumæam, *et prophetabis de eo, et dices illi: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te*, ad puniendum, *et dabo te deſolatum, atquè deſertum. Vrbes tuas demoliar, et tu deſertus eris*, ſicùt dixiſtis de Iſrael; *et ſcies quia ego Dominus; eò quod fueris inimicus ſempiternus, et concluſeris filios Iſrael in manus gladij, in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis*, pœnæ,

næ, afflictionis *extremæ* dum eorum misereri debueras; & sic Deus vindicat in omnes, qui afflixerunt populum suum. *Propterea viuo ego, dicit Dominus Deus: quoniam sanguini tradam te, & sanguis te persequetur: et cum sanguinem oderis* Hebræos proximos tuos, *sanguis persequetur te*, vt puniaris sicut peccasti. *Et dabo montem Seir desolatum, atque desertum, & auferam de eo euntem, & redeuntem. & implebo mötes eius occisorum suorum: in collibus tuis, & vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent. in solitudines sempiternas tradam te, & ciuitates tuæ non habitabuntur: & scietis quia ego Dominus Deus. eo quòd dixeris; duæ gentes, & duæ terræ meæ erunt*, regnum Israel, & Iuda. Non potest intelligi de regno Idumæo, quia iàm illud possidebant, & hic dicit *erunt, & possidebo*, quæ sunt futura. Præterea dicit *duæ gentes, & duæ terræ*, quæ verba non conueniunt sibi loquenti, sed alijs, *& hæreditate possidebo eas: cùm Dominus esset ibi*, templum inhabitans, vel eorum protector, quem reuereri debueras: *Propterea viuo ego dicit Dominus Deus, quia faciam iuxta iram tuam, & secundùm zelum tuum, quem fecisti, odio habens eos*, vt rependaris, sicut fecisti alijs: *& notus efficiar per eos* quos vindicabo, *cùm te iudicauero* puniam. *& scies, quia ego Dominus audiui vniuersa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israel dicens, deserti nobis ad deuorandum dati sunt*, quasi dominis. *& insurrexistis supèr me ore vestro, & derogastis aduersùm me verba vestra*, quasi impotentem ad populi mei defensionem *ego audiui* cui omnia patent, non potestis negare. *Hæc dicit Dominus Deus: lætante vniuersa terra* Israel *in solitudinem te redigam*, quinto ab hinc anno per Nabuchodonosor, vt ex Iosepho. *sicuti gauisus es supèr hæreditatem domus Israel, eo quòd fuerit dissipata sic faciam tibi: dissipatus eris mons Seir, & Idumæa omnis*, & sic punieris, sicùt gauisus es, *& scient quia ego Dominus*.

CAPVT XXXVI.

TV autèm fili hominis propheta supèr montes Israel, & dices: Montes Israel, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd dixerit inimicus, Seir, & alij, *de vobis: Euge, altitudines sempiternæ*, in nobis in æternum duraturæ: *in hæreditatem datæ sunt nobis*, vt cap. præcedenti: *propterea vaticinare, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd desolati estis*, &c. vsque ad vers. 7. *idcirco hæc dicit Dominus Deus*.

Ego leuaui manum meam, iuraui, *vt Gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsæ confusionem suam* ignominiam *portent*, & sic reijcitur pœna in irridentes. *Vos autèm montes Israel ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israel*, hinc subleuamen magnum a tot calamitatibus: *propè enim est vt veniat*, tempus hoc; *quia ecce ego ad vos, & conuertar ad vos, & arabimini, & aspicietis sementem, & multiplicabo in vobis homines omnemq; domum Israel: & habitabuntur ciuitates, & ruinosa instaurabuntur. & replebo vos hominibus & iumentis*, quæ Chaldæi abegerant, *& multiplicabuntur & crescent: & habitare uos faciam sicùt à principio*, quando ingressi estis terram promissionis, *bonisquè donabo maioribus, quàm habuistis ab initio*, proùt Iob. vide Recentiores hic: *& scietis quia ego Dominus*, explicat his quæ facturus ad Israel reducendum, & fouendum. *& adducam supèr vos homines populum meum Israel, et hæreditate possidebunt te, et eris eis in hæreditatem*, verè, non vanè, proùt vicini de se præsumebant, *et non addes vltrà, vt absquè eis sis* lögo tempore, nàm per Titum abacti fuerunt. *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dicunt de vobis; deuoratrix hominum es*, quia patres comedunt filios, & è contrà, suprà cap. 5. Iere. in Thren. cap. 4. 10. Baruch 2. 3. *et suffocas gentem tuam* ciuilibus bellis. *propterea homines non comedes ampliùs*, prout obsessa fecisti, intellige ad

tempus

tempus nempè Romanæ cladis, *& gentem tuam non necabis vltrà*, abstinebis à cædibus, similitèr ad tempus, vt suprà, *ait Dominus Deus*, &c. vsque ad vers. 21. *Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt*, quasi impotens fuit eorum Deus eos defendere; proùt de alijs Dijs, & Deo vero Rabsaces. *& peperci* eis parcere intendo, consulens *nomini sancto meo, quod polluerat domus Israel in gentibus, ad quas ingressi sunt. Idcircò dices domui Israel, hæc dicit Dominus Deus, non proptèr vos ego faciam domus Israel*, quæ id non mereris, *sed proptèr nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus, ad quas intrastis*, nè deprimatur, sed appareat de mea potentia. *& sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est intèr Gentes, quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coràm eis*, vos liberans meo brachio, quod ipsis non est persuasum: *tollam* eccè quomodò glorificari vult *quippè vos de Gentibus, & congregabo vos de vniuersis terris; & adducam vos in terram vestram*, soluta captiuitate Babylonica. *Et effundam supèr vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idòlis vestris mundabo vos*, quia pòst captiuitatem babylonicam non coluerunt idòla, vndè hoc, & munditia fuit mediante Dei gratia, quam fortè contulit ex pœnitentia in captiuitate suscepta, vt infrà.

Nequè dicatur idolòlatriam viguisse pòst reditum à captiuitate Babylonica; nàm contrarium est opinioni communi omnium, & textui huic, id clarè asserenti: & sufficit vniuersalem non fuisse, & in terra promissionis. Et si aliqua fuit in aliquibus, non attendenda respectu infinitæ multitudinis Deum colentis. Prætereà, quomodò hi mundati pòst Christi aduentum, quem non receperunt? quomodò tùnc ab idòlis, quæ non colebant? Si dicis hæc ad Gentes, respondeo de Iudæis hìc, non de Gentibus agi.

Nequè ad litteram videtur posse accipi de Baptismo, quia in reditu à seruitute Babylonica, de qua sempèr loquitur, non dùm Messias comparuerat, cuius tempore hoc datur. Vltrà quod hìc de Iudæis solis, & cùm agitur de Baptismo, Gentium mentio quasi necessaria. Sed quia Recentiores hìc dicunt idolòlatriã viguisse in Iudæa etiàm pòst captiuitatem Babylonicam; propterea latiùs hoc discutiendum duxi, contrarium enim videtur verius, quod probatur.

Primò, in omnibus Prophetis, proùt & hìc, sempèr dicitur pòst captiuitatem abijcienda idòla, pœnitentiam in captiuitate agendam, nèc possumus negare hæc iuxtà prædicta non euenisse; vndè opinio aduersa contrariatur Scripturæ.

Secundò, sub Zorobabel, & Esdra nulla mentio idòlorum; tempore Iudith nihil apparet, immò de cultu Dei in Templo; hæc enim fuit pòst reditum à captiuitate, vt in ea tenui.

Tertiò, in Esther numquàm de idòlis, immò apparet populum Hebræum ab alijs separatum inuisum fuisse cæteris, qui in eum debacchari gestiebant, cuius contrarium Dei prouidentia contigit.

Quartò, ab hoc tempore vsquè ad Machabæos nihil apparet; Iosephus numquàm de his meminit.

Quintò, à Machabæis vsquè ad Christum similitèr, nequè ex Scriptura possumus quicquam habere, nequè ex Iosepho quicquam apparet.

Sextò, in aduentu Messiæ omnes dicunt abfuisse idolòlatriam in Iudæa, & noluisse ipsam ibi inuenire: & aliquæ coniecturæ sunt; quia sempèr horruerunt Iudæi nedùm idòla, sed insignia, imagines, & omnia aliquid repræsentantia, vt in historijs, & Iosepho, & Tobia cap. 14. Fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israel, reuertentur ad eam, omnis autèm deserta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa est, & reædificabitur, ibiquè reuertentur omnes timentes Deum, & relinquent Gentes idòla sua, & venient in Ierusalem, & inhabitabunt in ea; quod non facerent, si in ea idòla colerentur, vt obseruat Ribera.

Septimo, à Christi morte vsquè ad cladem Romanam simili horrore ducti imaginum, insignium, & similium clamarunt, magna vi spiritus insurrexerunt, colla supposuerunt, turmatìm conuenerunt, vt illa auerterent, omnia passi sunt prætèr illa; & hæc duo tempora, quibus maximè viguit Baptismus, ante-

antequàm dispergerentur, attendenda circà idolòlatriam,& his temporibus certò abfuit, vndè in eis quod dicitur de Baptismo, verificari non potest.

Octauò, Deus per captiuitatem Babylonicam excoxit populum suum ad tollendam scoriam iniquitatum, præsertìm idolòlatriæ, & in ea excoctione quanta passi sint,ex Scriptura,historijs,prophetis dignoscitur; vndè non est credendum eos iterùm ad vomitum redijsse.

Nonò, si reuersi essent, non est verisimile Deum recidiuos tolerasse tamdiù, nempè, vltrà quàm tolerauerat antè captiuitatem Babylonicam, quia diutiùs, quàm antè, durauit respublica Hebræa; & si multa passi sunt, fuit pœna aliorum peccatorum, non idolòlatriæ.

Decimò, si tempore Christi hac labe fuissent maculati, Christus in illos declamasset, proùt pro alijs peccatis fecit; immò obijciebant illi in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia,non obiecturi, si de eodem ipsi possent reprehendi;immò de maiori peccato,nempè cultu idolòrum,seù dæmoniorum; & si hoc fuisset, Christus in eos reiecisset opprobrium, proùt aliàs fecit obijcientibus contrà discipulos non lauantes manus antè comestionem,& aliàs sæpè: Sic & fecissent Apostoli, & in Actis nullibi de hoc. Hanc opinionem tenent Riber. cap. 5. Micheæ. Galat.lib.4.cap.23. Baron.tom.1. anno 72. Non obstant adducta per Recentiores,& Primò cōtrà testimonium Hebræorum de suis, de quo Galatinus, Ribera, Baronius, fragile esse, at confirmatur ex præmissis; & quia hæc essent publica, & in ore omnium, si idòla ab eis culta, vndè non est verisimile in hoc mentitos esse.

Non obstat 2.Machab.4.& 5.nàm 1.Machab. cap.4. & 5.in princ.2. Machab.7. apparet Gentes quidèm polluisse templum, sed populum totum illud mundasse magna lætitia, & conuentu d. cap.4. & 5. Secundò, respondeo malè quidèm, & pessimè egisse Iasonem,& Menelaum,at ibi nequè ab ipsis, nequè ab alijs culta idòla, & si id factum esset, fortè à paucis, qui in tanta multitudine non considerantur,& citò sublatum est peccatum: at antè captiuitatem ferè quisque pollutus erat, cùm altaria idòlis vbiquè, in montibus,collibus, excelsis,compitis, vijs, oppidis erecta essent, & in ipso templo eis sacrificaretur; propterà hìc dicitur *ab vniuersis idòlis vestris mundabo vos*. Tertiò. 2. Machab.6.& 7. apparet de vi per Antiochū adhibita in Iudæos, vt religionem mutarēt, quod est signum fidei,in qua permanebant; & si aliqui timore pœnarum defecerunt, nō potest dici populum totum idolòlatrasse, vt suprà dixi.

Non obstat, Christus obiecit alia crimina, si non idolòlatriam, nàm sufficit nobis idolòlatriam non exprobrasse, & quādò alia crimina sub nomine idolòlatriæ designātur, fit impropriè,& similitudinariè.

Non obstat præsumptio ex consuetudine Romanorum potuisse cōtrahi idolòlatriam: nàm reijcitur sola negatione, cùm nullibì probetur, & potuit etiàm esse, vt aliquis ex Romanis proselytus efficeretur, vt in Centurione Euangelico, & alio. Acto. 10. vltrà quod id de paucis præsumi potest, quorum nulla cura.

Non obstat, erant multi dispersi Iudæi in alijs regionibus,qui idòla colere potuerunt; nàm hoc consistit in sola præsumptione,nullo fundamento suffulta, vndè reijcitur; immò Deus dispersit illos ad captandas Gentes ad cultum suum.Tobiæ 13. & sic potiùs existimandum contigisse.

Non obstat de Simone Mago,& Bariesu, quia non constat de eorum idolòlatria in Actis; & si fuisset,parùm curandum de duobus,de sequacibus certè nihil habemus.

Non obstat præputiorum excretio, quia non infert ad idòla.

Non obstat de Alabarcha,quia vnus ille, de alijs non constat, & cùm de illo scriptores Hebræi, eò magìs illis credendum de cæteris stantibus.

Non obstat factum Herodis templum Cæsari erigentis; quia potiùs fuit adulatio, & beneuolentiæ subreptio, quàm idolòlatriæ cultus, nequè cōstat religionem Iudæorum illum abiurasse. at quòd nullum sequacem habuerit constat ex tot gestis Hebræorum suprà narratis,& per Baron.d.anno 72. & præsertim ex deiectione Aquilæ aureæ tāta vi, & impetu, & impudentia. Quarè censeo

ſeo Iudęos non potuiſſe dici idolòlatras pòſt captiuitatem Babylonicam, neque in paucis, ſi qui fuerunt, poſſe verba Ezechielis verificari.

Et dabò vobis cor nouum voluntatem nouam, *& ſpiritum* motum, ſeù impulſum *nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum* molle, obediens, nè ampliùs perſiſtatis in contumacia veſtra adorandi idòla, & auerſionis à me.

Et ſpiritum meum vos deducentem, & impellentem *ponam in medio veſtri: & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus veſtris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Et ſaluabo vos ex vniuerſis inquinamentis veſtris*, ęccè qua lis aqua munda, quod ad idem tendit, *& vocabo frumentum. Et multiplicabo illud, & non imponam vobis famem*, ſicùt in obſidione experti eſtis. *Et multiplicabo fructum ligni, & genimina agri, vt non portetis vltrà opprobrium*, ignominiam *famis in gentibus. Et recordabimini viarum veſtrarum peſſimarum, ſtudiorumquè non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra*. Eccè pœnitentia, qua mundarentur. hucuſquè beneficia conferenda, & mutatio populi à vijs primis peſſimis ad optimas, quæ omnia ad litteram ad tempus tranſmigrationis in terram Iſrael, non Meſſiæ, cùm Meſſiam non receperint, ſed occiderint, ex cuius cæde omnis calamitas eos inuenit. Vel myſticè de Eccleſia Catholica, & de baptiſmo, & ſi omnia non conueniunt, nihil refert, ſi aliqua, maximè principalia aptantur: Ad litteram verò non conuenit quod dicitur de Gentibus, cùm tempore Meſſiæ parietes eſſent vniendi, & Gentes vocandæ. *Non proptèr vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum ſit vobis: confundimini, & erubeſcite ſupèr vijs veſtris domus Iſrael* peſſimis, quibus prouocaſtis me: eccè inuitat ad pœnitentiam, vt prædicta de munditia ſuccedant: *Hæc dicit Dominus Deus: In die qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus veſtris*, eccè quomodò munditia illa reſtricta ad Iudæos à captiuitate redeuntes, vndè ad litteram non poteſt capi de Baptiſmo, *& inhabitari fecero vrbes, & inſtaurauero ruinoſa, & terra deſerta fuerit exculta, quæ quondàm erat deſolata in oculis omnis viatoris, dicent: Terra illa inculta facta eſt, vt hortus voluptatis: & ciuitates deſertæ, & deſtructæ, atquè ſuffoſſæ, munitæ ſederunt*, tutæ, & pacificæ, sic mirabuntur in tali rerum viciſſitudine. *Et ſcient Gentes quæcumque derelictæ fuerint in circuitu veſtro, quia ego Dominus ædificaui diſſipata, plantauiquè inculta, ego Dominus locutus ſim, & fecerim*, & sic glorificabor, quia ex alia manu cognoſcent hoc non potuiſſe procedere. *Hæc dicit Dominus Deus: Adhùc in hoc inuenient me domus Iſrael, vt faciam eis: Multiplicabo eos ſicùt gregem hominum, vt gregem ſanctum*, benedictum, multiplicatum, *vt gregem Ieruſalem in ſolemnitatibus eius*, in quibus maxima multitudo conueniebat ad templum. *Sic erunt ciuitates deſertæ plenæ gregibus hominum: & ſcient quia ego Dominus*.

CAPVT XXXVII.

FACTA *eſt ſupèr me manus Domini* ad viſionem capiendam, *& eduxit me in ſpiritu Domini: & dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus* imaginariè; ex hac viſione intendit Dominus indicare certam reſtitutionem populi captiui ad priſtinum ſtatum, ſicùt corpora certò ſurrectura, & quodque eo loco, vbi ſepultum, quæ videtur opinio Chriſoſtomi, dùm Romæ optabat eſſe, & ſurgerè cùm Paulo. *Et circumduxit me per ea in gyro: erant autèm multa valdè ſuper faciem campi, ſiccaquè vehementèr* quia antiqua, *Et dixit ad me: Fili hominis putaſne viuent oſſa iſta? Et dixi: Domine Deus tu noſti. Et dixit ad me: Vaticinare de oſſibus iſtis; & dices eis: Oſſa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: Eccè ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis*, pręmittit

mittit totum quasi præambulum, posteà de partibus. *Et dabo supèr vos neruos, & succrescere faciam supèr vos carnem, & superextendam in vobis cutem: & dabo vobis spiritum, & viuetis, & scietis quia ego Dominus:* sic in Adam. *Et prophetaui sicùt præceperat mihi: factus est autèm sonitus prophetante me, & eccè commotio*, vt implerentur mihi dicta: *& accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam. Et vidi, & eccè supèr ea nerui, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desupèr, & spiritum non habebant. Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad spiritum. Hæc dicit Dominus Deus. A quattuor ventis*, quia omnes homines ab omnibus regionibus resurrecturi *veni spiritus, & insuffla supèr interfectos istos, & reuiuiscant:* sic Deus in Adam insufflauit spiraculum vitæ. *Et prophetaui sicùt præceperat mihi: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntquè supèr pedes suos exercitus grandis, nimis valdè. Et dixit ad me: Fili hominis, ossa hæc, vniuersa, domus Israel est*, postquàm docuit de Resurrectione, restringit se ad Israel, quia pro illis inducta visio, *ipsi dicunt: Aruerunt ossa nostra, & perijt spes nostra, & abscissi sumus*, videbant enim se in profundũ malorum. *Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris* captiuitatis, & miseriarum, *populus meus, & inducam vos in terram Israel* captiuitate soluta, quam sic nominat stans in terminis visionis. *Et scietis quia ego Dominus, &c.*

Et adiunge illa, vnum ad alterum tibi lignum vnum: & erunt in vnionem in manu tua, hoc, quia pòst captiuitatem quicumque ex tribubus decem erunt (nàm multi tùnc ex decem redierunt) sub Iuda confusi, & vnus solus factus populus, & vnum gubernium. *Cùm autèm dixerint ad te filij populi tui loquentes: Nonnè, cur non indicas nobis, quid in his tibi velis?* hoc apparenti signo vult eos interrogare, *loquèris ad eos, hæc dicit Dominus Deus: eccè egò assumam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, & tribus Israel, quæ sunt ei adiuncta: & dabo eas paritèr cùm ligno Iuda*, & sic Iuda principalis, cui hæc iunguntur, *& faciam eas in lignum vnum: & erunt vnum in manu eius. Erunt autẽ ligna, supèr quæ scripseris in manu tua in oculis eorum. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus. Eccè*, declarat præcedentia, *ego assumam filios Israel in medio nationũ, ad quas abierunt, & congregabo eos vndiquè, & abducam eos ad humum suam*, terram promissionis. *Et faciam eos in Gentem vnam in terra in montibus Israel, & rex*, dux, quia nullus verus Rex. Vel Messias, ad quem tendit, quia pòst longa tempora ad eos missus *vnus erit omnibus imperans. Et non erunt vltrà duæ Gentes, nèc diuidentur ampliùs in duo regna. Nequè polluentur vltrà in idolis suis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis; & saluos eos faciam de vniuersis sedibus, in quibus peccauerunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus*, eccè iterùm de idololatria abolenda, vt dixi cap. 36. *Et seruus meus Dauid rex supèr eos, et pastor vnus omnium eorum* Zorobabel, seù Messias, hoc eò magis, quia genus Iudæ non imperauit, nequè rex fuit, & quomodò seruus, aliàs dictum, *in iudicijs meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea. Et habitabunt supèr terram, quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres vestri: & habitabunt supèr eam ipsi, & filij eorum, & filij filiorum eorum vsquè in sempiternum*, vsquè ad Romanam captiuitatem: *& Dauid seruus meus* Messias *princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum, Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient Gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cùm fuerit sanctificatio mea*, facta est Iudæa sanctificatio eius *in medio eorum in perpetuum*, hæc omnia ad tempora reditus a captiuitate, seù Messiæ proprius, quàm ad alia.

CAPVT XXXVIII.

ET *factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam contrà Gog*, Apocal. 2. tenui hunc esse sequacem Antichristi, Antichristus enim esse non potest, quia ibi de illo, & in tota, Apocal. diuersimodè, & distinctè; & fortè is est septimus rex, qui nondùm venerat. Apocal. 17, 10. & clarum est hìc agi de nouissimis diebus, vt & Apocal. 20, vndè ad alia tempora trahi non potest; & ex his multa effugies, quæ non aptantur. Sed, vt omnia hæc conueniant, præsupponendum in aduentu huius Gog in auxilium Antichristi fore Antichristum in ea declinatione, vt quinque ex regibus ei hærentibus iàm ceciderint, vnus tantùm secum esset, qui fortè etiàm aduenientē Gog perierat, vndè Gog solus, vel cùm illo ad Antichristi defensionem stabat; is tamèn ducebatur, vt infrà, ad occisionē, quem sequitur Antichristus Regibus suis denudatus, hæc Apocal. 17. & 20. clara. *terram Magog, principem capitis* summum *Mosoch, & Thubal*, hæc inepta Antiocho, *& vaticinare de eo, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus: Eccè ego ad te Gog principem capitis Mosoch, & Thubal, & circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis: & educam te, & omnem exercitum tuum, equos, et equites vestitos loricis vniuersos, multitudinem magnam, hastam, & clypeum arripientium, & gladium*, omnes enim delendi, & conterendi. Apocal. 20. *Persæ, Aethiopes, & Libyes cùm eis, omnes scutati, & galeati. Gomer, & vniuersa agmina eius, domus Thogorma, latera Aquilonis, & totum robur eius, populisquè multi tecum*, hi socij Gog simul euertendi; & cùm hi certi, etiàm Gog certus. *Præpara, & instrue te, & omnem multitudinem tuam, quæ coaceruata est ad te: & esto eis in præceptum*, ducens eos, & imperans. *Pòst dies multos visitaberis* puniendus: *in nouissimo annorum* tempore Antichristi. Apocal. 20. *venies ad terram, quæ reuersa est à gladio, et congregata est de populis multis ad montes Israel, qui fuerunt deserti iugitèr*, imperium enim suum, seù sedem locabit Antichristus in Ierusalem, quò conuenient Iudæi illum in Messiam recepturi ex omni partè mundi; & de illo tempore intelligit, vndè excluditur Antiochus: *hæc de populis educta est, et habitabunt in ea confidentèr vniuersi*, quia videbunt Antichristi potentiam defecisse, quem etiàm incipient repellere veritate recepta ad salutem, cùm tùnc omnis Israel saluandus. *Ascendens autèm quasi tempestas venies, et quasi nubes, vt operias terram tu, et omnia agmina tua, et populi multi tecum* ad defensam Antichristi. *Hæc dicit Dominus Deus: In die illa ascendent sermones supèr cor tùum, et cogitabis cogitationem pessimam: et dices* præsumens superbè: *Ascendam ad terram absquè muro: veniam ad quiescentes, habitantesquè securè: hi omnes habitant sinè muro, vectes, et portæ non sunt eis: Vt diripias spolia, et inuadas prædam, vt inferas manum tuam supèr eos, qui deserti fuerant, et posteà restituti, et supèr populum, qui est congregatus ex Gentibus, qui possidere cœpit, et esse habitator vmbilici terræ*, & sic victoriam tutam tibi futuram persuadebis, sic illi Dan contrà Laysa de obsessione Ierusalem per Gog & Magog. Apocal. 20. *Saba, et Dedan*, &c. vsquè ad vers. 22.

Et iudicabo puniam *eum peste, et sanguine, et imbre vehementi, et lapidibus immensis: ignem, et sulphur pluam supèr eum, et supèr exercitum eius, et supèr populos multos, qui sunt cùm eo. Et magnificabor, et sanctificabor: et notus ero in oculis multarum gentium, et scient quia ego Dominus*, tùnc fortè excidium nedum Gog, & Magog, sed & Antichristi iuxtà Apocal. 17. & 20. Aliqui hæc de Antiocho; fortè melius de Holoferne à Nabuchodonosor misso, vt in Iudith; sed quia hæc ad nouissima tempora, vt in Apocal. propterea subsisto: eò magis, quia non possum mihi satisfacere, cur sub Gog, & Magog de alijs agat, præsertim quia de omnibus alijs clarè agit absquè alio subterfugio.

CAPVT XXXIX.

TV autèm fili hominis vatinare aduersùm Gog,& dices, &c. Eccè destructio Gog, & sequacium: *feris, auibus, omniquè volatili, & bestijs terræ dedi te ad deuorandum,* sic & Apocal. 18. & alibi sæpè in Isaia, & Ieremia. *Supèr faciem agri cades: quia ego locutus sum, ait Dominus Deus. Et immittam ignem in Magog, & in his, qui habitant in insulis confidentèr: & scient quia ego Dominus. Et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel, & non polluam,* non permittam pollui *nomen sanctum meum ampliùs: & scient Gentes, quia ego Dominus sanctum Israel* in nouissimis enìm diebus, cùm plenitudo Gentium intrauerit, omnis Israel saluus fiet: *Eccè venit, & factum est* dixit, & facta sunt, iàm factum quod prædico ad rei certitudinem, *ait Dominus Deus: hæc est dies, de qua locutus sum* hæc futura, *Et egredientur habitatores de ciuitatibus Israel, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, & & sagittas, & baculos manuum, & contos: & succendent ea igni septem annis* quasi tot erunt comburenda, vt septem anni videantur necessarij; non quod pòst Antichristi mortem tot annis mundus sit duraturus, vt dixi Apocal. 13. & si posset dici hic non de Antichristo, sed vno ex eius regibus agi, nempè Gog, & Magog. Non obstat Christi dictum, in quo Lyra, & Pintus; erit aduentus filij hominis, vt in diebus Noe, &c. quia loquitur de nouissimis, quæ intercedent à tempore Antichristi vsquè ad eius obitum; non de die aduentus ad iudicium; nàm illo die omnia erunt consumpta igni, & non erit quod timentur, sed omnes erunt mortui, & resurgent tùnc in Christi aduentu. Possent & verba *septem annis* capi pro multis annis, & sìc prouerbialitèr dici multo tempore indigere, & sic poni tempus certum pro incerto. Vel hyperbolicam esse locutionem. *Et non portabunt ligna de regionibus, nequè succident de saltibus: quoniàm arma succendent igni, & deprædabuntur eos, quibus prædæ fuerant, & deripient vastatores suos, ait Dominus Deus. Et erit in die illa: dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israel: vallem viatorum ad Orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes: & sepelient ibì Gog, & omnem multitudinem eius, & vocabitur vallis multitudinis Gog;* hoc enim ergò ineptū Antiocho, qui non est mortuus in terra promissionis. *Et sepelient eos domus Israel, vt mundent terram septem mensibus,* hoc tempus prolixum ad denotandum mortuorum multitudinem, non quod tot insumendi menses, vt suprà. *Sepeliet autèm omnis populus terræ, & erit eis nominata,* celebris, festiua, *dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus,* nulla de Antiocho, at de Heloferne in Iudith, si de hoc posset intelligi; nàm mundatio templi non seruit pro die Antiochi. *Et viros iugitèr constituent lustrantes terram,* &c. vsque ad vers. 28.

Et scient, quia ego Dominus Deus eorum, eo quòd transtulerim eos in nationes, & congregauerim eos supèr terram suam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibì. Et non abscondam vltrà faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum, me totum communicauerim, *supèr omnem domus Israel, ait Dominus Deus,* eccè quomodò conuertentur Iudæi in fine, & permanebunt; Sed quia hęc videntur respicere potiùs liberationem, & reditum à captiuitate Babylonica, proùt & alia in hoc cap. & cap. 38. dic aliquandò multa simùl misceri diuerso tempore verificanda, proùt & fecit Christus, qui cùm excidio Ierusalē miscuit tempus iudicij.

CAPVT XL.

IN *vigesimo quinto anno trāsmigrationis nostræ*, cùm Iechonia, *in exordio* principio *anni, decima mensis, quartodecimo anno postquàm percussa est ciuitas* sub Sedecia: *in ipsa hac die facta est supèr me manus Domini* ad prophetandum, *& adduxit me illùc* ad regionem Ierusalem. *In visionibus Dei* non corporalitèr *adduxit me in terram Israel, & dimisit me supèr montem excelsum nimìs: supèr quem erat quasi ædificium ciuitatis vergentis ad Austrum*, dicit *quasi*, quia verè non erat, sed repræsentatiuè. *Et introduxit me illùc* intrà ædificium repræsentatum: *& eccè vir* Angelus, Angeli enim viri nuncupantur in Scriptura, vt obseruaui pluriès, præsertìm Actor. 2. *cuius erat species, quasi species æris* ad denotandam stabilitatem, & certitudinem rerum, *& funiculus lineus in manu eius* ad mensuram aptus; sic Zachar. 2. *& calamus mensuræ* quam arundinem dicit Ioannes. Apocal. 21. *in manu eius: stabat autèm in porta* ædificij, quasi expectans me. *Et locutus est ad me idem vir: Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi: quia vt ostendantur tibi adductus es hùc: annuncia omnia, quæ tu vides, domui Israel*, quia proùt aliæ visiones cadauerum; sic hæc profertur ad reddendam certam reuersionem à captiuitate; quia aliàs hæc non ità adamussìm specificarentur; & sic Deus in tribulatione sui populi cùm eo erat, spem suggerens, vt lætarentur, & prosequitur describere ædificium, & ad litteram nihil suppetit addendum; Vndè parum dicam in hoc, & sequentibus capitibus, præsertìm quia est materia Leuitici, & aliorum librorum Moysis, in quibus dixi, nè repetam. Alios textus vide hic per alios, de Angelo mensurante est Apocal. 21. *Et eccè murus forinsecùs in circuitu domus*, &c. vsquè ad finem cap.

CAPVT XLI. XLII. & XLIII.

ET *introduxit me in tēplum, & mensus est frontes*, &c. supèr hoc caput, & seq. non habeo quod dicam, c. 43. *Et duxit me ad portā, quæ respiciebat ad viam Orientalem Et eccè gloria Dei Israel ingrediebatur viam Orientalem* ad templum: *& vox erat ei quasi vox aquarum multarum*, ad Maiestatem insinuandam, *& terra splendebat à maiestate eius*, tantus erat splendor, vt communicaretur terræ. *Et vidi visionem secundùm speciem, quam videram, quandò venit vt disperderet ciuitatem*, aliorum ministerio: *& species secundùm aspectum, quem videram iuxtà fluuium Chobar: & cecidi supèr faciem meam*, sic & alios, & idem in Daniele: & Ioanne Apocal. 1. territus est visione propheta. *Et maiestas Domini ingressa templum per viam portæ, quæ respiciebat ad Orientem. Et eleuauit me spiritus, & introduxit me in atrium interiùs: & eccè repleta est gloria Domini domus. Et audiui loquentem* Angelum Deum repræsentantem *ad me de domo, & vir* Angelus, *qui stabat iuxtà me, dixit ad me: Fili hominis, locus* is est *solij mei, & locus vestigiorum pedum meorum, vbì habito in medio filiorum Israel in æternum*, ad longum tempus; nàm pòst mortem Christi destructum templum *& non polluent vltrà domus Israel nomen sanctum meum, ipsi, & reges eorum in fornicationibus suis, & in ruinis* ex euentu *regum suorum, & in excelsis* non ampliùs idolatræ erunt, de quo latè suprà dixi cap. 36. *Qui fabricati sunt limen suum iuxtà limen meum, & postes suos iuxtà postes meos* olìm idolis: *& murus erat intèr me, & eos*, ità vt me non adorarent, aut

ad me confugerent, aut vt eorum preces ad me non penetrarent: *& polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt* adorando idola: *propter quod consumpsi eos in ira mea* eos dando in excidium, & captiuitatem: *Nunc ergò repellant procùl fornicationem suam, & ruinas regum suorum à me: & habitabo in medio eorum semper* docet quomodò futura mala præueniant, & caueant. *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum* fabricandum iterùm, vt eleuentur, & spem recipiant, hinc cur hæc ostensum à cap. 40. citrà *confundantur ab iniquitatibus suis* pudefiant, conterantur ex meis beneficijs, *& metiantur fabricam* vastam, & celebrem, quam disposui, *& erubescant ex omnibus, quæ fecerunt* agnoscentes indulgentiam meam: *Figuram domus, & fabricæ eius exitus, & introitus, & omnem descriptionem eius, & vniuersa præcepta eius, cunctumquè ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum: vt custodiant omnes descriptiones eius, & præcepta illius, & faciant ea,* & hoc ad maiorem eorum consolationem, *Ista est lex domus in summitate montis.* Moria primùm, seù Sion. *Omnis finis eius in circuitu; sanctum sanctorum est: hæc est ergò lex domus. Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum, & palmum: in sinu eius erat cubitus, & cubitus in latitudine, & definitio eius vsquè ad labium eius, & in circuitu, palmus vnus. hæc quoquè erat fossa altaris,* in quam sanguis victimarum decurrebat. *Et de sinu terræ vsquè ad crepidinem nouissimam duo cubiti, & latitudo cubiti vnius: & à crepidine minore vsquè ad crepidinem maiorem quattuor cubiti, & latitudo cubiti vnius. Ipse autem Ariel,* altare, *quattuor cubitorum: & ab Ariel vsquè ad sursum, cornua quattuor. Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus. Et crepido quattuordecim cubitorum longitudinis per quattuordecim cubitos latitudinis in quattuor angulis eis: & corona in circuitu eius dimidij cubiti, & sinus eius, vnius cubiti per circuitum: gradus autem eius versi ad Orientem. Et dixit ad me: Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus* per me Angelum suum, per Angelos enim Deus hæc ministeria exhibebat. *Hi sunt ritus altaris in quacunque die fuerit fabricatum: vt offeratur super illud holocaustum, & effundatur sanguis,* hæc, & in templo Salomonico. *Et dabis Sacerdotibus, & Leuitis, qui sunt de semine Sadoc* per Salomonem assumpti, *qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, vt offerant mihi vitulum de armento pro peccato. Et assumens de sanguine eius, pones super quattuor cornua eius, & super quattuor angulos crepidinis, & super coronam in circuitu: & mundabis illud, & expiabis. Et tolles vitulum, qui oblatus fuerit pro peccato: & combures eum in separato loco domus extrà sanctuarium. Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: & expiabunt altare, sicùt expiauerunt in vitulo. Cumquè compleueris expians illud, offeres vitulum de armẽto immaculatum. Et offeres eos in conspectu Domini: & mittent sacerdotes super eos sal, & offerent eos holocaustum Domino. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidiè: & vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent. Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud: & implebunt manum eius. Expletis autem diebus, in die octaua, & vltrà facient sacerdotes super altare holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt: & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.* Hi omnes ritus antiqui, de quibus in Leuitico; sed repetit, vt ex repetitione certiores, & tutiores fierent futurorum à propheta prædictorum, & nè mutarent primos ritus, sed illos seruarent vsquè ad tempus mortis Messiæ, quo cessarunt.

CAPVT

CAPVT XLIV.

ET conuertit me ad viam portæ sãctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, per quam gloria Domini intrauerat, suprà cap. præcedenti: *& erat clausa, & dixit Dominus ad me: porta hæc clausa est, non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniàm Dominus Deus Israel ingressus est per eam*, suprà cap. proximo, *eritquè clausa* etiàm *principi. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coràm Domino*, quia plures cùm principe, datur ei locus aptus à cæteris non occupatus ad esum partiũ sacrificij, quæ sub pane veniunt, sub quo omnia comestibilia secundùm consuetudinem Scripturæ *per viam portæ vestibuli ingredietur, & per viam eius egredietur* hoc fuit speciale in principe, ne pateretur in ingressu, vel egressu templi ob multitudinem ingredientium, vel egredientium. *Et adduxit me per viam portæ Aquilonis in conspectu domus: & vidi, & eccè impleuit gloria Domini domum Domini: & cecidi in faciem meam*, timore perculsus. *Et dixit ad me Dominus* Angelus Deum repræsentans: *Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de vniuersis cæremonijs domus Domini, & de cunctis legibus eius* quas innouo per Moysen, antè datas: *& pones cor tuum in vijs templi per omnes exitus sanctuarij. Et dices ad exasperantem me* rebellem *domum Israel: Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiant vobis omia scelera vestra domus Israel: eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, vt sint in sanctuario meo, et polluant domum meam*, hoc enim erat prohibitum in lege, & Gentiles habebant locum separatum: hoc obiectum Paulo. Quòad oblata per Gentiles tenui alibi potuisse recipi, nedùm eorum pecuniam, qua hæc emerẽtur, at non ipsos admitti ad ea, ad quæ Hebræi admittebantur: *et offertis panes meos, adipem, et sanguinem*, illis admissis ex eorum victimis, & oblationibus. *Et dissoluistis pactum meum in omnibus sceleribus vestris* contrafacientes ritibus meis. *Et non seruastis præcepta sanctuarij mei: et posuistis custodes obseruationum mearum in sanctuario meo nobismetipsis* admittendo gentiles. *Hæc dicit Dominus Deus: omnis alienigena incircumcisus corde, et incircumcisus carne non ingredietur sanctuarium meum: omnis filius alienus, qui est in medio filiorum Israel*, innouat hoc, quod in lege Moysis habetur. *Sed et Leuitæ, qui longè recesserunt à me in errore filiorum Israel, et errauerunt à me pòst idòla sua, et portauerunt iniquitatem suam* supplicium: *erunt* eccè pœna *in sanctuario meo æditui, et ianitores portarum domus, et ministri domus: ipsi mactabunt holocausta, et victimas Populi: et ipsi stabunt in conspectu eorum, vt ministrent eis. Pro eo quòd ministrauerunt illis in conspectu idolòrum suorum, et facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis: idcircò leuaui manum supèr eos* puniendo, *ait Dominus Deus, et portabunt iniquitatem suam, et non appropinquabunt ad me, vt sacerdotio fungantur mihi, nequè accedent ad omne sanctuarium meum iuxtà sancta sanctorum: sed portabunt confusionem suam, et scelera sua, quæ fecerunt. Et dabo eos ianitores domus in omni ministerio eius, et in vniuersis, quæ fient in ea*, hæc pœna in Leuitas idòlatras: hincquè quantùm displicet Deo idolòlatria, vt idolòrum ministros non admittat ampliùs ad ministerium suum: quæ nota contrà hæreticos, & seruatur contrà clericos lapsos. *Sacerdotes autèm, et leuitæ filij Sadoc, qui custodierunt cæremonias sanctuarij mei, cùm errarent filij Israel à me, ipsi accedent ad me, vt ministrent mihi; et stabunt in conspectu meo, vt offerant mihi adipem, et sanguinem, ait Dominus Deus. Ipsi ingredientur sanctuarium meum, et ipsi accedent ad mensuram meam, vt ministrẽt mihi, et custodiant cæremonias meas*, assumit autèm qui seruauerunt cultũ suum. *Cumquè ingredientur* præfinit vestes, quibus vtuntur, quod & in lege Moysis, *portas atrij interioris, vestibus lineis induentur: nec*

ascendet supèr eos quidquam laneum, quandò ministrant in portis atrÿ interioris, et intrinsecùs. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, et feminalia linea erunt in lumbis eorum, et non accingentur in sudore, itaùt patiantur, vel vestes polluant. *Cumquè ingredientur atrium exteriùs ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministrauerant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarÿ, et vestient se vestimentis alÿs: et non sanctificabunt populum in vestibus suis*, cap. præced. idem dicitur: *Caput autèm suum non radent, nequè comam nutrient: sed tondentes attondent capita sua*. Leuit. 10. ne Sacerdotibus idolòrum assimilarentur. *Et vinum non bibet omnis sacerdos, quandò ingressurus est atrium interius. Et viduam, et repudiatam non accipiant vxores, sed virginem de semine domus Israel*, hæc, & in lege Moysis, ne misceretur cùm alienigeno semen sacerdotale; *sed et viduam, quæ fuerat vidua à sacerdote accipient*, hoc eit nouum, *et populum meum docebunt*, ideò scientia in sacerdotibus requiritur *quid sit intèr sanctum, et pollutum, et intèr mundum, et immundum ostendent eis*. Leuit. 10. *Et cùm fuerit controuersia stabunt in iudiciÿs meis, et iudicabunt leges meas*, eccè iudicium datum sacerdotibus, quod & in lege Moysis, & seruauit Christus in leprosis, *et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, et Sabbata mea sanctificabunt. Et ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur, nisi ad patrem, et matrem, et filiam, et fratrem, et sororem, quæ alterum virum non habuerit*, quia nupta est alterius familiæ: *in quibus contaminabuntur* idem in lege Moysis. *Et postquàm fuerit emundatus, septem dies enumerabuntur ei*, ad expiationem, priùs enim dicit contaminandos posteà docet quoto die emundandi. *Et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interiùs, vt ministrent mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus. Non erit autèm ei hæreditas, ego hæreditas eorum: et possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum*, sic, & antiquitùs dispositum. *Victimam et pro peccato, et pro delicto ipsi comedent: et omne votum in Israel ipsorum erit*: sic in lege Moysi. *Et primitiua omnium primogenitorum, et omnia libamina ex omnibus, quæ offeruntur, sacerdotum erunt: et primitiua ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem* multiplicationem *domui tuæ. Omne morticinum, et captum à bestia de auibus, et de pecoribus non comedent sacerdotes*; sic Moyses in lege sua; fit hæc repetitio, vt ad obseruantiam legis magìs animentur, & certi fiant de reditu.

CAPVT XLV.

C*VMQVE cœperitis terrā diuidere sortitò* per hæreditatem, vt infrà cap. 47. & 48. *separate primitias Domino, sanctificatum* separatum *de terra longitudine vigintiquinque millia, et latitudine decem millia sanctificatum erit in omni termino eius per circuitum. Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingētos, quadrifariam per circuitum: et quinquaginta cubitis in suburbana eius per gyrum* hæc pro sacerdotibus. *Et mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque millium, et latitudinem decem millium, et in ipso erit templum, sanctumquè sanctorum* in quantitate expressa vult templum compræhendi, quia in eo ministeria per sacerdotes; *Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarÿ qui accedunt ad ministerium Domini: & erit eis locus in domos, & in sanctuarium sanctitatis*, diuidit intèr sacerdotes, & Leuitas. *Vigintiquinque autèm millia longitudinis, & decem millia latitudinis erunt Leuitis, qui ministrant domui: ipsi possidebunt viginti gazophylacia. Et possessionem ciuitatis dabitis quinque millia latitudinis, & longitudinis vigintiquinque millia secūdùm separationem sanctuarÿ, omni domui Israel. Principi quoquè* sæculari, qui & sacerdos; nàm a captiuitate Babylonica citrà vsquè ad Herodem Sacerdotes summi imperaue-

runt

runt in populo, subditi tamèn Regibus, vt alibì dictum: *hinc, & indè in separationem sanctuarij, & in possessionem ciuitatis contrà faciem separationis sanctuarij, & cõtrà faciem possessionis vrbis, à latere maris vsquè ad mare, & à latere orientis, vsquè ad orientem: longitudinis autèm iuxtà vnamquamquè à termino occidentali, vsquè ad terminum orientalem. De terra erit ei possessio in Israel: &* monet Principes abstinere ab angarijs, & præscribit quid agere debẽt, ideò necessaria hæc repetitio, & iussio. *Non depopulabũtur vltrà principes populum meum: sed terram dabunt domui Israel secundùm tribus eorum Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis Principes Israel: iniquitates, & rapinas intermittite, & iudicium, & iustitiam facite, separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus. Statera iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit vobis. Ephi, et batus æqualia, et vnius mensuræ erunt: vt capiat decimam partem cori ephi: iuxtà mensuram cori erit æqua libratio eorum. Siclus autèm viginti obolos habet. Porrò viginti sicli, et vigintiquinque sicli, et quindecim sicli, mnam faciunt. Et hæ primitiæ, quas tolletis: sextam partem ephi de coro frumenti, et sextam partem ephi de coro ordei. Mensura quoquè olei batus olei decima pars cori est, et decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum* dat mensuras, nè despiciant. *Et arietem vnum de grege ducentorum de his, quæ nutriunt Israel in sacrificium, et in holocaustum, & pacifica ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus: Omnis populus terræ tenebitur primitijs his principi in Israel* summo Sacerdoti. è conuersò *supèr principem* de illius ære, seù bonis, *erunt holocausta, et sacrificium, et libamina in solemnitatibus, et in Calendis, et in Sabbatis, et in vniuersis solemnitatibus domus Israel: ipse faciet pro peccato sacrificium, et holocaustum, et pacifica ad expiandum pro domo Israel* suis expensis. *Hæc dicit Dominus Deus: in primo mense, vna mensis sumes vitulum de armento immaculatum, et expiabis sanctuarium: Et tollet sacerdos de sanguine, quod erit pro peccato, et ponet in postibus domus, et in quatuor angulis crepidinis altaris, et in postibus portæ atrij interioris. Et sìc facies in septimo mense pro vnoquoque, qui ignorauit, et errore deceptus est, et expiabis pro domo* docet ritum sacrificij *in primo mense quartadecima die mensis erit vobis Paschæ solemnitas: septem diebus azyma comedentur. Et faciet princeps* sacerdotum, vt suprà dixi, suis expensis. Hæc omnia ad maiorem certitudinem reditus à captiuitate; vndè non contentus dixisse fabricam templi, multa ad sacerdotes pertinentia, dixit etiàm de diuisione terræ fienda, nè reuersi dubitarent quid agendum, vel vellent occupare prima loca, à quorum dominio captiui iàm ceciderant, sic tollerentur dissensiones, ad quas procliues erant. Prætereà, dissoluta republica per captiuitatem longam, leges, & alia in ea constituta videbantur abrogata, ni mirum si Deus per Prophetam ferè omnia in lege Moysis contenta, aut saltèm principalia innouauit, & sub præcepto posuit per Ezechielem. *In die illa,* &c. vsquè ad fin.

CAPVT XLVI.

HAec dicit Dominus Deus: Porta atrij interioris, quæ respicit ad orientem, erit clausa, sed diebus, in quibus opus fuit: die autèm Sabbati aperietur, et intrabit princeps non per eam, vt iàm dictum, sed *per viam vestibuli portæ deforis, et stabit in limine portæ, et facient sacerdotes holocaustum eius, et pacifica eius,* ad quæ tenetur; *et adorabit super limen portæ, et egredietur vsquè ad vesperam, et adorabit pupulus terræ ad ostium portæ illius in Sabbatis, et in Calendis, coràm Domino: holocaustum* describit quæ a principe offerenda, *autèm hoc offeret princeps Domino: in die Sabbati, sex agnos immaculatos, et arietem immaculatum. Et sacrificium ephi per arietem: in agnis autèm sacrificium, quod dederit manus eius, et olei per singula ephi, in die autèm*

tèm Calendarum vitulum de armento immaculatum: & sex agni, & arietes immaculati erunt, et Ephi per vitulum, Ephi quoquè per arietem facient sacrificium de agnis autèm sicùt inuenerit manus eius, absquè definitione, & numero ad sui libitum, et olei hin per singula Ephi. Cumquè ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, & per eandem viam eat, idem suprà dixit, & in cap. præcedenti, & cùm intrabit populus terræ in conspectu Domini in solemnibus: qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, ingrediatur per viam portæ Meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis: non reuertetur per viam portæ per quã ingressus est, sed è regione illius egredietur fortè hoc, nè impedirent alios. Princeps autèm in medio eorum cùm ingredientibus ingredietur & cùm egredientibus egredietur. Et in nundinis, & in solemnitatibus erit sacrificium Ephi per vitulum, & Ephi per arietem: agnis autèm erit sacrificium sicùt inuenerit manus eius: & olei hin per singula Ephi, cùm autèm fecerit princeps spõtaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, hinc præmissa necessaria aperitur ei porta, quæ respicit ad Orientem, & faciet holocaustum suum, & pacifica sua, sicùt fieri solet in die Sabbati: & egredietur, claudeturquè porta, postquàm exierit. Et agnus eiusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidiè Domino: sempèr mane faciat illud, ex his, & sequentibus princeps videtur capi pro summo Sacerdote, & faciet sacrificium supèr eo cata mane mane sextam partem Ephi, & de oleo tertiam partem hin, & misceatur similæ: sacrificium Domino legitimum, iuge, atquè perpetuum faciet, agnum sacrificium & oleum cata mane mane: holocaustum sempiternum. Hæc dicit Dominus Deus: si dederit princeps donum alicui de filijs suis: hæreditas eius filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditatem; si autèm dederit legatum de hæreditate sua vni seruorum suorum, erit illius vsquè ad annum remissionis, & reuertetur ad principem: hæreditas autèm eius filijs eius erit & nõ accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum: sed de possessione sua hæreditatem dabit filijs suis: vt non dispergatur populus meus vnusquisque à possessione sua, hinc principes non sunt domini bonorum priuatorum. Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portæ in gazophilacia Sanctuarii ad Sacerdotes, quæ respiciebant ad Aquilonem, & erat ibì locus vergens ad Occidentem, & dixit ad me: Iste est locus, vbì coquent Sacerdotes pro peccato, & pro delicto: vbi coquent sacrificium, vt non efferant in atrium exteriùs, & sanctificetur, contaminetur per tactum, vel conspectum, ex modo enim loquendi sanctificationem non videtur importare populus, Et circumduxit me, &c. vsquè ad finem.

CAPVT XLVII.

ET conuertit me ad portam domus, & eccè aquæ egrediebantur subtèr limen domus ad Orientem. Iudæi audientes se captiuos, & ad paruum numerum redactos, poterant dicere, quomodò ad pristinum statum, & numerum deducemur (sicùt tu prophetizas) vndè & si alijs demonstrationibus hoc futurum aperuisset, nũc ex his aquis excrescentibus, ità vt tandèm transuadari non possent, iterùm ostendit; sicùt dictum Abraham de stellis, & arena maris: id autèm futurum ex potentia diuina, cui omnia possibilia; ideò figurantur egredi subtèr limen templi, in quod iàm gloria Domini descenderat; & is (puto) est sensus litteralis aquarum; sed aptissimè trãsfertur ad Euangelium, quod erat per totum Mundum dilatandum, seù Baptismum, seù alia spiritualia, Facies enim domus respiciebat ad Orientem, aquæ autèm descendebant in latus tẽpli dextrum, dextrũ ad meridiem altaris, & eduxit me per viam portæ Aquilonis, & conuertit me ad viam foràs portam exteriorem, viam quæ respiciebat ad Orientem,

tem,

tem, & eccè aquæ redundantes à latere dextro: cumque egrederetur vir ad Orientẽ, qui habebat funiculum in manu sua, & mẽsus est mille cubitos, & traduxit me per aquam vsquè ad talos; Rursumquè mensus est mille & traduxit me per aquam vsquè ad genua: & mensus est mille & traduxit me per aquas vsquè ad renes Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire, quoniàm intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari. Et dixit ad me: certè vidisti fili hominis; vndè poteris referre contribulibus tuis; *& eduxit me, & conuertit ad ripam torrentis. Cumquè me conuertissem eccè in ripa torrentis ligna multa nimìs ex vtraque parte:* hoc etiàm spectat ad gloriosum, & firmum statum Iudæorum futurum plantandum iuxtà aquas illas, vt Psal. I. *Et ait ad me: aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ,* hoc ad idem, quia non erit ampliùs aqua amara. *Et omnis anima viuens, quæ serpit, quòcumque venerit torrens, viuet,* habitatorum fruitio: *& erunt pisces multi satìs, postquàm venerint illùc aquæ istæ, & sanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens,* declarat quam dixi multiplicationem populi Iudæi. *Et stabunt supèr illas piscatores ab Engaddi vsquè ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium, sicùt pisces maris magni multitudines nimiæ,* hinc abundantia rerum, & victualium, *in littoribus autèm eius, & in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur,* & sic sal non deficiet, vel aliud, *Et* (quod sequitur ad benedictionem, & abundantiam pertinet) *supèr torrentem orietur in ripis ex vtraque parte, omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiua, quia aquæ eius de Sanctuario egredientur.* & sic à Deo hæc fient, vt suprà dixit, & hæc omnia quasi per hyperbolem ad denotandam affluentiam, proùt Ioannes, & de simili ligno vitæ, Apoc. 22. 2. *& erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam,* quasi nihil erit, quod non conferat. *Hæc dicit Dominus Deus, hic est terminus,* redit ad terram diuidendam, de qua suprà egerat, & dat terminos latissimos, *in quo possidebitis terram in duodecim Tribus Israel, quia Ioseph duplicem funiculum habet.* sìc enim disposuit Iacob in Ephraim, & Manasse: *possidebitis autèm,* &c. vsquè ad finem capitis.

CAPVT XLVIII.

ET hæc nomina Tribuum Designat hic sortes Tribuũ ad tollendas dissensiones, & certos reddendos Iudæos euentura, quæ dixerat, *à finibus Aquilonis iuxtà viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan terminus Damasci ad Aquilonem, iuxtà viam Emath. Et erit ei plaga Orientalis mare, Dan vna,* si de hac primò, quomodò ex hac nasciturus Antichristus? incertum est, vt alibì dixi. *Et supèr terminum Dan à plaga Orientali vsquè ad plagam Maris, Aser vna. Et supèr terminum Aser, à plaga Orientali vsquè ad plagam Maris, Nepthali vna. Et supèr terminum Nephthali à plaga Orientali vsquè ad plagam Maris, Manasse vna. Et supèr terminum Manasse à plaga Orientali vsquè ad plagam Maris, Ephraim vna. Et supèr terminum Ephraim à plaga Orientali vsquè ad plagam Maris, Ruben vna. Et supèr terminum Ruben à plaga Orientali vsquè ad plagam Maris, Iuda vna,* hic de spectantibus ad Dominum, & Sacerdotes, *Et supèr terminum Iuda à plaga Orientali vsquè ad plagam Maris erunt primitiæ,* nulla ratio habetur Iudæ quòad primogenituram, vel sceptrum: hìnc cessasse in captiuitate Babylonica, vt tenui Genes. 49. *quas separabitis vigintiquinque millibus latitudinis, & longitudinis, sicutì singulæ partes à plaga Orientali vsquè ad plagam Maris, & erit Sanctuarium in medio eius. Primitiæ, quas separabitis Domino: longitudo vigintiquinque millibus, & latitudo decem millibus.*

Hæ

Hæ autèm erunt primitiæ Sanctuarij Sacerdotum: ad Aquilonem longitudinis vigintiquinque millia, & ad Mare latitudinis decem millia, & ad Meridiem longitudinis vigintiquinque millia: & erit Sanctuarium Domini in medio eius. Sacerdotibus Sanctuarium erit de filijs Sadoc, qui custodierunt cæremonias meas, & non errauerunt, cùm errarent filii Israel, sicùt errauerunt et Leuitæ, in idolis colendis, vt suprà dixit. *Et erunt ei primitiæ de primitiis terræ Sanctum Sanctorum iuxtà terminum Leuitarum: sed & Leuitis similitèr iuxtà fines Sacerdotum vigintiquinque millia longitudinis, & latitudinis decem millia; omnis longitudo vigintiquinque millium, & latitudo decem millium. Et non venundabunt ex eo, nequè mutuabunt, nequè transferentur primitiæ terræ, quia sanctificata sunt Domino,* eccè quomodò dicata Deo non possunt alienari contrà Statistas. *quinque millia autèm*, &c. vsquè ad vers. 32.

Et ad plagam Occidentalem quingentos, & quattuor millia, & portæ eorum tres, porta Gad vna, porta Aser vna, porta Nephthali vna. Per circuitum decem, & octo millia: & nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibìdem. sic suprà contrà insultantes Ierusalem, quod ipse erat ibi, scilicèt in ciuitate, seù templo: sic Christus. eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsquè ad cõsummationem sæculi. Et quia de duodecim Tribubus fit mentio, intellige de his, qui redierũt à captiuitate Babylonica vnà cùm Iuda, & Beniamin, & illis, qui remanserant, non ducti in captiuitatem ab Assyrijs; At hæ omnes simùl constituerunt vnum populum sub vno duce, proùt antè diuisionem regnorum sub Roboam, & Ieroboam, vt dictum fuit per Ezechielem; & propterea nequè apparet factam fuisse diuisionem per Tribus; sed dictum fiendam, vt retineretur mos primus ad excitandos eos ad credulitatem; si enim alius ordo assignatus fuisset, fides narratorum diminuebatur, quod erat contrà intentum Dei.

Putat Alcazar Apoc. 3. in vers. *Faciam illum columnam in templo meo*, in hac descriptione Ezechielis cap. 45. & 48. distare ciuitatem à templo 22. milliaribus, & intelligit agi de vrbe Roma, à qua sic distent religiones. At credo hæc multùm distare ab Ezechiele, omnia hæc præuidenti pro suis cõtribulibus ei communicata ad illos exhilarandos, & subleuandos ab his, quæ captiui patiebantur, à qua intentione aberat satis, vel gentium vocatio, vel Romæ gloria, vel nostræ religionis augumentum, à quibus Hebræi abhorrebant, vndè dictitabant de Christo. Numquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? eò magìs tùnc, cùm à gentibus tot mala paterentur.

FINIS PROPHETIÆ EZECHIELIS.

IN DA-

IN DANIELEM.

CAPVT PRIMVM.

ANNO *tertio regni Ioachim regis Iuda*, de quo 4. Regum 24. & 2. Paral. 36.4. & sic more Prophetarum aliorum describit tempora prophetiæ, *venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalē, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manu eius Ioachim regem Iuda*, 2. Par. 36. 6. *& partem vasorum domus Dei asportauit in terra Sennaar in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui*, 2. Paral. 36. 7. derelinquens partem aliorum vasorum ad vsum templi Dei Israel. *Et ait rex Asphenez præposito Eunuchorum*, in quo cōfidebat. At non ex hoc firmari potest Danielem fuisse factum Eunuchum, immò credendum contrarium, quia in ea ætate periculosa fuisset sectio. neque credendum, vel Regem more regio hos iuuenes alentem ei iniurium fuisse castrando; vel Deum, qui horum protector erat, id passum esse, cùm Eunuchi arcerentur in lege Moysi. Deuteron. 28.

Prætereà, si Rex volebat eos *decoros forma*, quomodò illos castrasset? nam tùnc deformantur. Rursùm volebat eos sapientes, quibus non conuenit castratio. *vt induceret de filiis Israel, & de semine regio, & tyrannorum, pueros, in quibus nulla esset macula*, deformitas, *decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare* assistentes, seruientes, consulentes, *in palatio regis; & doceret eos litteras, et linguam Chaldæorum*, diuersam ab Hebræa: singulare Regis consilium. *Et constituit eis rex annonam*, victualia *per singulos dies de cibis suis, & de vino, vndè bibebat ipse*, hæc etiā magna liberalitas cùm captiuis, *vt enutriti tribus annis*, hoc enim tempus reputatur sufficiens ad morum mutationem iuxtà Legistas, *posteà starent in conspectu regis. Fuerunt ergò intèr eos de filiis Iuda, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias; Et imposuit eis præpositus Eunuchorum nomina Danieli, Baltassar; Ananiæ, Sidrach; Misaeli, Misach; & Azariæ, Abdenago*, mutauit nomina in faciliora iuxtà suam linguam. *Proposuit autèm*, & ad effectum deduxit, *Daniel in corde suo, nè pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius*, si de illis gustasset ex causis, quæ hic per alios, *& rogauit Eunuchorum præpositum, nè contaminaretur* cibis illis fortè idolothitis, hùc enim spectat contaminari. sic & Iudith cùm Holoferne. *Dedit autèm Deus Danieli gratiam, & misericordiam in conspectu principis Eunuchorum*, sic & Ioseph coràm domino, & custode carcerum, & Rege. *Et ait princeps Eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum et potum; qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coæuis vestris,*

vestris, & ex sectione sic euenisset, proptereà reijcienda opinio *condemnabitis caput meum regi*, recident hæc in caput meum, ego puniar. *Et dixit Daniel* à principe deiectus *ad Malasar, quem constituit princeps Eunuchorum supèr Danielem, Ananiam, Misaelem, & Azariam: Tenta*, hic magna fiducia Danielis, & aliorum in Deum, proponit hæc faciliora, & ad tempus, nè & ab his excludatur, *nos obsecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contẽplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio, & sicùt videris, facies cùm seruis tuis. Qui (audito sermone huiuscemodi, tentauit eos diebus decem. Pòst dies autèm decem apparuerunt vultus eorũ meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio*, hinc deferendum ieiunio, & cibis pro eo deputatis. *Porrò Malasar tollebat cibaria, & vinum potus eorum; dabatquè eis legumina. Pueris autèm his Deus dedit*, sic Apoc. 1. 1. *scientiam, et disciplinam in omni libro, et sapientia* Chaldæorum, eccè ieiunij fructus. *Danieli autèm* præcipuè *intelligẽtiam omnium visionum, & somniorum*. Hanc intelligo stabilem, non prout prophetiam, in qua aliquandò prophetæ deficiunt, cùm non sit habitus permanens; dona enim Dei perseuerantia.

Non obstat, quod cap. 20. non responderit illicò regi, quia interrogatio regis versabatur quale esset somnium, quod ab eo fugerat, non somnij interpretatio, de qua hic. Non obstat quia responsurus supèr alio somnio, cap. 4. cogitauerit hora vna, quia hoc non tollit de scientia, sed ostendit difficultatem somnij, & discursum requisitum, & considerationem adhibitam fuisse, ideò in minus difficili capit. 5. subitò respondit. Vel tacuit hora vna, videns somnium in caput regis tendere, ideò differebat indicare, & voluit priùs à rege præmoneri, vt factum est: Et simili de causa præfatus Ioseph cùm Pharaone. Præthereà, etsi aliquandò aliquid ignorasset, nòn ob id diceremus illum caruisse intelligentia, quia nequè Angelis intelligentibus datur omnium cognitio; nàm multa seruat sibi Deus. Nominatur autèm hic intelligentia, idest scientia. *Completis itaquè diebus* trium annorum, *pòst quos dixerat rex: vt introducerentur*, &c. quæ per se clara vsquè ad finem cap.

CAPVT II.

IN *anno secundo regni Nabuchodonosor*, Debellatis multis regionibus, vt factus sit Monarcha, aliòquin plures anni præterierant regni eius. Et quomodò pueri Hebræi quæsiti ad necem, si nondùm excesserant tres anni dati ad eorum instructionem? annus ergò secundus erit Monarchiæ; de eodem est sermo, nàm non præsumitur pluralitas, vel mutatio de vno ad alium absquè expressione, *vidit Nabuchodonosor somnium:* sic & Abimelec, Laban, Pharao, *& conterritus est spiritus eius, & somnium* eius *fugit ab eo*, Deo sic volente, vt Iudæi exaltarentur, & nomen eius glorificaretur. *Præcepit autèm rex, vt conuocarentur arioli, & magi, et malefici, et Chaldæi, vt indicarent regi somnia sua: qui cùm venissent steterunt coràm rege, et dixit ad eos rex. vidi somnium, et mente confusus*, memoria lapsus, *ignoro quid viderim. Responderunt Chaldæi regi Syriacè: Rex in sempiternum viue:* sic solent agentes cùm principibus de re graui. *dic somnium seruis tuis, & interpretationem indicabimus; Et respondens rex ait Chaldæis, sermo* somnium *recessit à me: nisi indicaueritis mihi somnium, et coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestra publicabuntur*, permisit Deus feritatem hanc, vt Daniel sublimaretur. *Si autèm somnium, et coniecturam eius narraueritis, præmia, et dona, et honorem multum accipietis à me: somnium igitùr, et interpretationem eius indicate mihi: Responderunt secundò, atquè dixerunt. Rex somnium dicat seruis suis, et interpretationem illius indicabimus. respondit*

dit rex, et ait: certè noui, quod tempus redimitis, differtis sententiā mortis, *scientes, quod à me recesserit sermo. Si ergò sonium nō indicaueritis mihi, vna est de vobis sentētia, quòd interpretationē quoq. fallacem, et deceptione plenā cōposueritis, vt loquamini mihi, donèc tēpus pertranseat. Sōnium itaq. dicite mihi, vt sciā, quod interpretationem quoquè eius verā loquamini. Respondentes ergò Chaldæi corā rege dixerunt: nō est homo supèr terrā qui sermonem tuū rex possit implere,* ideò benè intrat, quod dicit Daniel à Deo vero haberi. *Sed neq. regum quisquā magnus, & potens verbū huiuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, et mago, et Chaldæo. Sermo enim, quem tu quæris rex, grauius est, nèc reperitur quisquā, qui indicet illū in conspectu regis, exceptis dijs, quorū non est cùm hominibus cōuersatio. Quo audito rex in furore, et in ira magna præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur, quærebaturq. Daniel, et socij eius, vt perirent,* ergò iā intèr sapientes repositi. *Tùnc Daniel* intrepidus, & in Deo cōfidēs, nā alius fugisset carnificē, *requisiuit de lege, atq. sententia ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis. & interrogauit eum, qui à rege potestatē acceperat, quam ob causam tā crudelis sententia à facie regis esset egressa. Cùm ergò rē indicasset Arioch Danieli, Daniel ingressus rogauit regē, vt tēpus daret sibi ad solutionē indicandam regi,* adijt regē, nihil timēs, & obtēto quod petebat, *et egressus domū suā Ananiæ, et Misaeli, et Azariæ socijs suis indicauit negocium; vt quæreret misericordiā à facie Dei* à Deo *cæli supèr sacramento isto* occulto, *et non perirēt Daniel, et socij eius cùm cæteris sapiētibus Babylonis;* Socios precatores adhibet de se ipso solo nō confidēs, & quia vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorū; & sìc exauditur precatio congregatorū. *Tùnc Danieli mysterium per uisionē nocte reuelatū est* à Deo, *et benedixit* gratias agēs *Daniel Deum cæli, et locutus ait: sit nomen Domini benedictum à sæculo vsq. in sæculū quia sapientia et fortitudo eius sunt,* recognoscit omnia à Deo, *et ipse mutat tempora, & ætates, transfert regna, & constituit,* de quibus infrà, *dat sapientiam sapientibus, et sciētiam intelligentibus ad disciplinam.* sìc & Anna 1. Reg. 2. *ipse reuelat profunda, et abscondita, & nouit in tenebris constituta: & lux cùm eo est,* nihil latet Deum. *Tibi Deus patruum nostrorum confiteor, tequè laudo: quia sapientiā, & fortitudinem dedisti mihi, & nùnc ostendisti mihi, quæ rogauimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis. Pòst hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex, vt perderet sapientes Babylonis,* Militibus enim dabatur hæc executio, 2. Regū 2. 1. Regum 22. 27. *sìc enim locutus est. sapientes Babylonis nè perdas,* hìnc charitas, & solicitudo pro alijs. *introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo. Tùnc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, & dixit ei: Inueni;* Non puto ex hoc arrogare sibi factum, sed velle dicere adesse reuelaturum, quia verisimile est ipsum non latuisse, Danielem cùm rege egisse supèr his, postquàm ab eo discere voluit, cur sententia talis à rege emanasset, & tempus datum esset ad solutionem inuestigandam, tùnc enim verisimile regem mandasse supersederi in necandis sapientibus, *hominem de filijs transmigrationis Iuda, qui solutionem regi annunciet. Respondit rex, & dixit Danieli, cuius nomen Baltassar. Putasnè verè potes mihi indicare* somniū, *quod vidi, & interpretationem eius?* cognoscebat idem Rex impossibilitatem iussionis: hìnc magna eius malitia, crudelitas contrà sapiētes. *Et respondens Daniel coràm rege, ait: Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, auspices nequeunt indicare regi. Sed est Deus in cælo reuelans mysteria,* Deo omnia refert, nihil sibi arrogat, *qui indicauit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus,* temporibus successiuis vsquè ad finem mundi. *Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo huiuscemodi sunt. Tu rex cogitare cæpisti in stratu tuo quid esset futurum pòst hæc,* de proximè sequuturis temporibus loquitur vsquè ad vltima. *Et qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. mihi quoquè non in sapientia, quæ est in me, plusquàm in cunctis viuentibus;* Hoc ad gratitudinem ergà Deum, quam ostendit in tanto beneficio non se laudās: vel hoc dicit Daniel, quia manifestū, cùm ipsi soli reue-

latum esset, & sicùt sapiētia quòad hanc reuelationē restringenda, sic verba *cunctis viuentibus* ad illos sapientes Chaldæorū, quibus hæc occulta; *sacramentum hoc reuelatū est; sed vt interpretatio regi manifesta fieret, et cogitationes mentis tuæ scires*, se humiliat, & à Deo recognoscit, & Regem magnificat. *tu rex videbas, et eccè quasi statua vna grādis: Statua illa magna, et statura sublimis stabat contrà te* è regione, *& intuitus eius erat terribilis* horrorem concutiens. *Huius statuæ ex auro optimo caput erat*, &c.

Lapis autèm, qui percusserat statuā, factus est mons magnus, et impleuit vniuersam terram, sensim enim per Apostolos per mūdum à Christo missos, regnū Christi per lapidem figuratum creuit. *hoc est somniū, interpretationem quoq. eius dicemus coràm te rex. Tu rex regum es*, alijs etiā Regibus dominans, & in Reges creans. *Et Deus cœli regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriā dedit tibi: et omnia, in quibus habitant filij hominum, et bestiæ agri, volucres quoq. cœli dedit in manu tua, et sub ditione tua vniuersa constituit*, Hæc vt à Deo recognoscat omnia. sic Psal. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insupèr & pecora cāpi: volucres cœli, & pisces maris. sic Gen. 1. at hìc per hyperbolē, postquàm peccato amissa illa subiectio, seù obedientia prima. *tu es ergò*, seù regnū Babylonicū *caput aureum*, quia primū in ordine, ideò etiā dat illi pretiosius metallū. *Et pòst te consurget regnū aliud minus te*, duratione, & gloria, *argenteū*, Medorum, & Persarum, quod cœpit sub Dario. *Argenteum* verò quia sequitur ordinem metallorum, & sic deincèps non aliud; si enìm victoriam expressisset, cur argentum, aurum, æs, argentum vinceret? in solo ferro id cōsiderauit omnia superātē, & vltimo ex natura metalli. *Et regnū tertiū illud æreum*, Macedonum, seù Græcorum, quod cœpit sub Alexādro Magno, *quòd imperabat vniuersæ terræ*, iuxtà reputationē, & famā. *Et regnum quartū erit velùt ferrum, quomodò ferrum cōminuit, et domat omnia, sic cōminuet, et cōteret omnia hæc*. id Romanorū. *porrò quia vidisti pedum, et digitorum partem testæ figuli, et partem ferreā, regnum diuisum erit*, quia ad imperium hoc multi ex Romanis anhelarūt, & obtinuerunt; hinc bella orta, diuisus intèr eos orbis, dissidia multa sempèr viguerūt, vt in historijs. At nō placet, nàm regnum diuisum erit tùnc, quādò decē reges illud intèr se diuident, quod erit propè aduentū Antichristi, vt infrà c. 7. & Apoc. 17. & de hac diuisione intelligit hìc Daniel, *quod de plantario ferri orietur*, & digitorū, qui sunt decē meminit. Hinc etsi regnū erit apud decē, adhùc tamèn reputabitur, & erit Romanorū vsq. ad Antichristum: infrà c. 7. & Apoc. 17. *quod tamèn de plantario ferri orietur secundùm quod vidisti ferrū mistum terræ ex luto*, quasi idē erit, eandem habebit originem, vnū erit. *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles; ex parte regnum erit solidum* quia vsquè ad Antichristū durabit, *et ex parte contritum*, quia diminuetur, dissipabitur; proùt à multis sæculis, & nùnc est in maxima declinatione. *Quod autē vidisti ferrum mistum testæ ex luto, cōmiscebuntur quidèm humano semine*, matrimonia intèr se iungēdo, vt imperia faciant tutiora, *sed non adhærebunt sibi*, non erunt fideles, non conuenient, *sicùt ferrum misceri non potest testæ*, sic contigit intèr Pōpeium, & Cæsarem. Et hìc non de subiectis, sed de dominātibus agitur. *In diebus autèm regnorum illorum*, vno ex illis adhùc durante, vltimo scilicèt Romanorū, *suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur*, quod est Christi, *& regnum eius alteri populo non tradetur*, quia populus Christianus durabit vsq. ad finē mūdi, nèc alius eligetur; & sic regnū Christi consequentèr erit æternū, sicùt præmisit, quod non contigit in alijs regnis. *Cōminuet autèm, et consummet vniuersa regna hæc*, subijciens ea spiritualitèr, & temporalitèr, & sic durat quidē, duraturumq. est Romanum imperiū vsq. ad Antichristū, Apoc. 17. de quo ibi, & alibi dictū. Hìnc etsi de Romano imperio aliquid dicatur, respiciens pòst tempora Christi, impugnari non potest, quia illud temporale, hoc spirituale, & diuersa subiectio: tamèn vtroque modo subest imperio Vicarij Christi cui omnes homines tamquàm oues sunt commissæ, Io. 21. & omnia regna subiecta. *Et ipsum stabit in æternum*, hoc regnum Christi debellaturū omnia regna; sibiq. subiecturū in primo aduentu; illudq. finalitèr Patri æterno præsentandum pòst secundum aduen-

aduentum. 1. Cor. 15. *Secundùm quod vidisti, quod de monte*, de cœlo, Vtinam dirũperes cœlos: Rorate cœli desupèr; à summo cœlo egressio eius. sic & infrà cap. 7. 7. cœlo, & mons cœlum Isai. 14. Ezech. 28. de hoc monte Isai. 2. 2. *abscissus est lapis* Christus, Messias, ortus de Maria Virgine, *sinè manibus*, absquè vlla humana cooperatione, aut merito hominũ, sola Dei potentia, & misericordia, & sinè clypeo, aut hasta, sed prædicatione Crucis, *comminuit testam, et ferrũ, & æs, et argentum, & aurũ*, subiugauit omnia imperia; nàm si vicit Romanum alia vincens, multo magis alia ipse vicit. vel totum orbẽ, omnes homines sub regnis illis. *Deus magnus ostẽdit regi quæ vẽtura sunt posteà, & verum est somnium & fidelis interpretatio eius. Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suã et Danielem adorauit, et hostias, et incensum præcepit, vt sacrificarent ei*, more Gentilium insanorum, sic 1. Cor. 3. proùt cũ Paulo, & Barnaba actũ. At Daniel vtiquè non acquieuit, proùt neq. illi, ideò Rex ad alia cũ eo descendit, & prorupit in laudẽ Dei à Daniele recusãre verisimilitèr tractus. *Loquẽs ergò rex ait Danieli: Verè Deus vester Deus Deorũ est, et Dominus regũ, et reuelans mysteria: quoniã tu potuisti aperire hoc sacramentum*, eccè effectus totius rei intentus à Daniele, recognitio Dei. *Tũc rex Daniel ẽ in sublime extulit, et munera multa, & magna dedit ei: et constituit eum principem supèr omnes prouincias Babylonis:* sìc & cùm Ioseph per Pharaonem actum, & sìc voluit Deus exaltari Danielẽ. *Daniel autẽ postulauit à rege, et constituit supèr opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Misach, et Abdenago*, memor fuit sociorũ in potestate sublimatus. *ipse autèm Daniel erat in foribus regis*, apud regem morabatur.

CAPVT III.

N*Abuchodonosor rex fecit statuam aurem*, repræsentantem se ipsum; si enim fuisset idolorũ, & ipse accessisset adoraturus, & quia hoc nouum monstrum, quod graui edicto proposuit adorandum, vt eò magis ad idololatriã accenderentur populi: sìc fiebant idola, vt in Ierem. & Baruch. sìc vitulus aureus ab Aarone. sìc à Ieroboã vituli aurei. Hæc autèm statua facta vel pòst arsam, & eiectã Ierusalẽ, vel alia regna subacta à victoria elato, quã à dijs suis, nõ à Deo vero recognoscebat: hincq. opinio de Deo vero concepta ex Danielis facto, & suggestione in eo euanuerat. Neq. puto ad suggestionẽ aliorũ hanc statuam erectam, & vt caperent tres pueros, sed ex eius superbia; nã si ad aliorũ suggestionem fecisset, diceretur, proùt dicitur in Medo infrà c. 6. eò magis, quia somniũ suũ præcessit statuæ; vndè præsumitur potiùs suum inuentũ, quàm aliorum; Quod verò pueri deprehẽsi, potuit accidisse ex inuidia, & odio in eos præfectos alijs concepto, & occasione oblata. *altitudine cubitorũ sexaginta, latitudine cubitorũ sex*, hoc etiã seruiebat ad maiorẽ cultum hauriendũ. *Et statuit eũ in campo Dura prouinciæ Babylonis*, nõ ergò in Babylone, vbì Daniel morabatur, ni mirũ si de illo nulla mentio; pueri autèm in prouincijs habitabant præfecti operũ suprà c. 2. in fin. *Itàq. Nabuchodonosor rex misit ad cõgregãdos satrapas magistratus, et iudices, et duces, et tyrannos, et præfectos, omnesq principes regionũ, vt conuenirẽt ad dedicationẽ statuæ, quã erexerat Nabuchodonosor rex*, optimo cõsilio id actũ, vt nobiles timentes à statu deijci, faciliùs cõuenirent; & populi exẽplo maiorũ ducti, non detrectarent adorationẽ. *Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus et iudices, duces, et tyranni, et optimates, qui erant in potestatibus constituti, et vniuersi principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex*, omnes auent Regi adulari: *stabant autèm in conspectu statuæ* adorãtes, *quam posuerat Nabuchodonosor rex: et præco clamabat valentèr, Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis, in hora, qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, & vniuersi generis musicorum*, Hoc factum ad alliciendos, & prouocandos magis animos, proùt Dauid ducens Arcã in honorẽ veri Dei, *cadentes*, vt appareat adora-

tio, *adorate statuam aureã, quam constituit Nabuchodonosor rex. Si quis autèm nõ prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Pòst hæc igitùr statim vt audierũt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, cithara, sambuca, & psalterij, et simphoniæ, & omnis generis musicorum; cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adorauerunt statuam auream, quam cõstituerat Nabuchodonosor rex*, in eo loco, vbì erat statuta. *Statimquè in ipso tempore accedente, viri Chaldæi accusauerunt Iudæos, dixeruntquè Nabuchodonosor regi. Rex in æternum viue; tu rex posuisti decretum, vt omnis homo, qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, et citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, et vniuersi generis musicorum, prosternãt se, et adorent statuam auream: si quis autẽ non procidens adorauerit, mittatur in fornacem ignis ardentis*, inuidi, & insidiantes præmittunt decretum, vt Rex euadere, vel se excusare non possit. *Sunt ergò viri Iudæi, quos constituisti supèr opera regionis Babylonis*, ex hoc ingratitudinis vitio eos notare intendunt: *Sidrach, Misach et Abdenago: viri isti contempserunt rex decretum tuum: deos tuos non colunt, & statuam auream*, te repræsentantem. Eccè statua erat Nabuchodonosor, vt tenui, quam distinguunt à dijs *quã erexisti* adorandam *non adorant*. Verbum *Iudæi* restringunt ad hos tres, vndè diuinare est, an alij Iudæi adorauerint, & potiùs in negatiuam declinandum, quia si alios deprehendissent, eosdẽ, proùt hos, accusassent. *Tùnc Nabuchodonosor in furore, et ira præcepit, vt adducerentur Sidrach, Misach, et Abdenago*, citò procedit, at non rectè, *qui confestim adducti sunt in conspectu regis, pronunciãsq. Nabuchodonosor rex ait eis: verenè Sidrach, Misach, et Abdenago deos meos non colitis, et statuam, quã constitui, nõ adoratis? nùnc ergò si estis parati quacumque hora audieritis sonitũ tubæ, fistulæ, cithara, sambucæ et psalterij, & symphoniæ, omnisq. generis musicorum, prosternite vos, & adorate statuam, quã feci: quod si non adoraueritis, eadẽ hora mittemini in fornacẽ ignis ardentis*, remittit præterita, si in futurũ faciãt. *et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* ipsi ergò erecta statua, cũ assumat sibi delationem pœnę, quam, si idolis erecta, eisdẽ detulisset. hic superbia, proùt illa Sennacherib cùm Ezechia per nuncios. *Respondentes Sidrach; Misach, & Abdenago dixerũt regi Nabuchodonosor. non oportet nos de hac re respondere tibi*, clarũ est enim, & fatemur nõ adorasse, sed nèc adorare velle; & quòad ignẽ paratum, *Eccè enim Deus noster, quẽ colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, ò rex liberare*, quod tu improbè negas. *Quod si noluerit*, potest enim esse, vt multa possint inclinare eum nè velit, idq. nos ignoramus, sìc Iob, si bona suscepimus de manu Dei, mala quarè non sustineamus? *notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus, et statuã auream, quã erexisti, non adoramus*, non ob id, idest ob hanc incertitudinem deflectimus à proposito nostro. *Tùnc Nabuchodonosor repletus est furore, et aspectus faciei illius immutatus est supèr Sidrach, Misach, et Abdenago, et præcepit vt succẽderetur fornax septuplum*, plùs satis, *quàm succendi cõsueuerat*, effectus iræ. *et viris fortissimis de exercitu suo*, timens fortè, nè euaderent, sed omnia ad maiorẽ miraculi euidentiam, *iussit, vt ligatis pedibus Sidrach, Misach, & Abdenago, mitteret eos in fornacem ignis ardentis. & confestìm viri illi vincti cùm braccis suis, & tiaris*, eccè quod alibi dixi de vsu harum, *et calceamentis, et vestibus missi sunt in mediũ fornacis*, vbi maior impetus, *ignis ardentis, nàm iussio regis vrgebat, fornax autẽ succensa erat nimis. porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, et Abdenago, interfecit flãma ignis*, eccè primũ miraculum, sic crux parata ab Amã Mardochæo, in ipsum recidit parantẽ. *viri autèm hi tres*, idest *Sidrach, Misach, et Abdenago ceciderũt* erecti *in medio camino ignis ardentis colligati. Quæ sequuntur in Hebræis voluminibus nõ reperi. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deũ, et benedicentes Dño*, eccè aliud miraculũ. *Stãs autẽ Azarias orauit sic, aperuitq. os suũ in medio ignis ait*, nõ tardat laudes Dei.

Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum et laudabile, et gloriosum nomen tuũ in sæcula; quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, quasi meremur hanc durã captiuitatem sub barbaro rege, *& vniuersa opera tua vera; Iudicia enim*, &c.

Pecca-

Peccauimus enim, et iniquè egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicùt præceperas nobis, vt benè nobis esset, nomine totius populi Iudaici hæc dicit, vt ex toto contextu. *omnia ergò*, &c.

Et nùnc non possum aperire os: sìc Abraham: loquar ad Dominum, cùm sim puluis, & cinis. *Confusio, & opprobrium facti sumus seruis tuis*, qui hi, declarat, *& his, qui colunt te*, qui ex nostra afflictione possunt scandalum recipere. *Nè, quæsumus, tradas nos in perpetuum proptèr nomen tuum*, libera nos aliquandò proptèr te, non proptèr nos, qui nihil meremur, *nequè auferas misericordiam à nobis proptèr Abraham dilectum tuum*, amicum, cùi communicabas occulta tua Genes. 18. sìc & Dauid: Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi: Et Christus, Non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis. *& Isaac seruum tuum*, te timentem, & colentem: vndè Iacob iurabat per timorem patris sui Isaac, *& Israel sanctum tuū*, quia is simplex, & præelectus Esau, & prædestinatus, ac segregatus: Sanctos Patres interponit, prout nos per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. *quibus locutus es, pollicens, quod multiplicares semen eorum sicùt stellas cœli, et sicùt arenam, quæ est in littore maris. quia Domine*, nùnc è conuersò prætèr tuam promissionem, *imminuti sumus plusquàm omnes gentes, sumusquè humiles in vniuersa terra hodiè proptèr peccata nostra*, quasi euenit contrarium non proptèr te, sed proptèr nos peccatores. *Et non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta;* omnes enìm captiui, & inutiles populo captiuo, *nequè holocaustum, nequè sacrificium, nequè oblatio, nequè incensum, nequè locus primitiarum coràm te, vt possimus inuenire misericordiam tuam;* iàm enim destructum erat templum, & Ierusalem, in qua sola sacrificia offerri, non extrà poterant: dùm autem dicitur, destructo templo, oblata sacrificia supèr altare in eo situ erectum; dic vel Azariam intelligere eo modo, quo priùs, vel sacrificia hæc fuisse leuia, & quasi pro nihilo reputanda: Vel nèc talia à captiuis, & absentibus offerri potuisse: non autèm dicas etiàm hæc cessasse pòst aduētum Nabuzardan, nàm pòst destructionem templi ab eo factam referuntur oblata ibì sacrificia, Iere. 41. 1. Esdr. 3. *Sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur:* sìc Dauid, Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. *Sicùt in holocausto arietum, et taurorum, et sicùt in millibus agnorum pinguium; sìc fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi*, sicùt olim illa te placabant: *quoniàm non est confusio confidentibus in te*, quasi in te solo confidimus, & speramus exaudiri à te, vt prosequitur. *Et nùnc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam, nè confundas nos, sed fac nobiscum iuxtà mansuetudinem tuam, et secundùm multitudinem misericordiæ tuæ*, à qua sola depēdemus, nullum in nobis meritum recognoscentes. *Et erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo Domine*, quam solam expetimus: *et confundātur omnes, qui ostendunt seruis tuis mala, confundantur in omni potentia tua, & robur eorum conteratur, & sciant, quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus supèr orbem terrarum:* & sìc glorificeris ab omnibus. *Et non cessabant, qui miserant eos ministri Regis succendere fornacem naphtha, & stuppa, & pice, et malleolis, & effundebatur flamma supèr* iuxtà, Vt fiat quod sequitur, *fornacem cubitis quadragintanonem*, ex his apparet maius, & certius miraculum: *& erupit. & incendit quos reperit iuxtà fornacem de Chaldæis*, miraculū extensum contrà iniquè exequentes. *Angelus autèm Domini* à Deo missus, *descendit* à principio *cùm Azaria, & socijs eius in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*, vbi ipsi situati erant, *& non tetigit eos omninò ignis nequè contristauit, nec quidquam molestiæ intulit*, maius miraculum.

Tùnc hi tres quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace: sìc Ionas in ventre cœti, *dicentes:* Gratitudo Puerorum, qui postquàm dixerunt Dei laudes, inuitant omnia creata ad

Dei laudem, qua fatentur ab ipso pendere: puto autèm esse ipsorum proprium, & nouum, quia multa ad præsentem actum specialia.

Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula, & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, hoc Dei propriũ, & in cœlo vsitatum: *& laudabile, & superexaltatum in omnibus sæculis*, hæc omnia ad opus illud mirabile, quod in eis à Deo fiebat.

Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ, hoc assumunt, quia & in templo materiali laudabatur: *& superlaudabilis, & gloriosus in sæcula*, hi excessus in laudibus ex nimio affectu, quo in Deum ferebantur.

Benedictus es in throno regni tui,&c. quæ prætermitto, quia non habeo, quod dicam: solùm de aquis, de quibus in sequent. vers.

Benedicite aquæ omnes, quæ supèr cælos sunt; ibi enim esse in Genesi tenui, reiecta opinione, de qua hìc per Perrer.& alios Recentiores, quod intelligantur illæ, quæ sunt sub cœlo aereo.

Tùnc Nabuchodonosor rex obstupuit, visa salute eorum miraculosa, *& surrexit properè, & ait optimatibus suis: nonnè tres viros misimus in medium ignis compeditos?* hæc interrogatio, & quæ sequuntur, vt appareat certiùs, & clariùs de miraculo, *qui respondentes regi dixerunt: verè rex. Respondit, et ait: ecce ego video quattuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est*, affirmatio Regis pro miraculo, *& species quarti similis filio Dei*, Angelo, de quo suprà stetisse cùm pueris; sed magna Dei misericordia, qui impium visione tali dignatur; quod quantum sit, disce ex historia S. Cæciliæ. Non placet *Filio Dei* Verbo, secundæ Personæ in diuinis, quia iuxtà Dionysium numquàm Deus apparuit nisi per Angelos; & quia constat de Angelo ibi stante. *Tùnc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei excelsi, egredimini, & venite*, motus rei magnitudine liberat eos, quod non faciebant Tyranni contrà Christianos, sed alios modos excogitabant. *Statìmq. egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis. Et congregati Satrapæ, & Magistratus, & Iudices, et potentes Regis contemplabantur viros illos, quoniàm nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorũ non esset adustus, & sarabala eorum non fuisset immutata, & odor ignis non transisset per eos*, hæc omnia ad certitudinem, & veritatem miraculi: sìc Christus, Capillus de capite vestro non peribit. *Erumpens Nabuchodonosor ait*, etiàm impius miraculo adductus laudat Deum. *Benedictus Deus eorum Sidrach, videlicèt Misach, & Abdenago, qui misit Angelum suum*, ecce quem dixerat filio Dei similem Angelum, nùnc pronunciat. *& eruit seruos suos, qui crediderunt in eum: & verbum regis immutauerunt*, nec dedignatur hac de causa, proùt solebant Tyranni in Martyres, *& tradiderunt corpora sua, nè seruirent* idòlis, *& nè adorarent omnem Deum, excepto Deo suo: A me ergò positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contrà Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, disperserat, et domus eius vastetur*, fructus ex miraculo laus Dei, & reuerentia nominis eius. hinc confundantur Christiani blasphemantes, *nequè enim est alius Deus, qui possit ità saluare*, edoctus veritatem aperit. *Tùnc rex promouit ad maiora Sidrach, Misach, et Abdenago in prouincia Babylonis. Nabuchodonosor Rex omnibus populis, gentibus, et linguis, qui habitant in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur. Signa, et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. placuit ergò mihi prædicare signa eius, quia magna sunt: et mirabilia eius, quia fortia: et regnum eius, regnum sempiternum, et potestas eius in generationem, et generationem*, impius recognoscit à Deo hanc cognitionem, & illum prædicat, & firmat illius regnum sempiternum, vt audierat à Daniele. Non recedit ex his vltimis à pœnis, sed hæc sunt diuersa, quod enim non reuocatur, stare præsumitur.

CAPVT

CAPVT IV.

ERGO Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florẽs in palatio meo, hinc magna Dei misericordia afflictus, vt resipisceret somnium vidi. quod perterruit me: cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbauerunt me: sic Iob 7. terrebis me per somnia, &c. Et per me propositum est decretum, vt introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & in solutionem somnij indicarẽt mihi. Tunc ingrediebãtur arioli, magi, Chaldæi & auspices, et somnium narraui in conspectu eorum, et solutionem eius non indicauerunt mihi, & à primis euentibus edoctus, non irascitur contrà eos, nequè mortem infert, vt aliàs. donèc collega assistens, negocijs enim Regis præsidebat, ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar, secundùm nomen Dei mei, olim, qui eodẽ nomine appellabatur, scilicèt à Baal idòlo, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso, si possemus his verbis argumẽtari, probaretur habitus interpretationis somniorũ in Daniele, vt tenui suprà, & idẽ ex sequentibus probaretur, & somnium coràm ipso locutus sum. Baltassar princeps ariolorum, &c.

Subtèr eam habitabãt animalia et bestiæ, et in ramis eius conuersabantur volucres cœli, de quibus cap. 2. & ex ea vescebatur omnis caro: sic de arbore sinapis Christus in Euangelijs. Videbam in visione capitis mei supèr stratum meum & eccè vigil, Angelus, vt declarat, vigilans ad mandata Dei, vel ad differentiam ipsius dormientis, & Sãctus de cœlo descendit: sic & visio oblata, & cognitio in hoc data, vt infrà. non Iris visa, quia non hæc fabula, & ipse iàm Angelum in fornace viderat. clamauitq; fortitèr et sic ait: succidite arborẽ et præcidite ramos eius: excutite folia eius, et dispergite fructus eius: fugiant bestiæ, quæ subtèr eam sunt, et volucres de ramis eius. verumtamèn germen radicum eius in terra finite, & alligetur vinculo ferreo, & æreo, locutio figurata, proùt illa: ponam circulum in naribus tuis, in herbis, quæ foris sunt, & rore cœli tingatur, & cùm feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, ità vt pastus ferinus sit eius cibus, & in cæteris etiàm more belluarum viuat, quod infrà per Danielem videtur explicari clariùs: Non autèm quod in belluam substantialitèr commutetur, aliòquin non sensisset pœnalitates, quas more ferarum viuendo sentiebat, & pœnitentiam agebat. Nequè cognouisset non vexatus dominium Excelsi supèr homines. Hinc non placet vel eum in furorem versum, vel in belluam, nisi in expressis. Ad horum comprobationem videmus infirmitates inclinare homines ad cibos malos, & (quod in mulieribus frequens est) ad esum calcis, & terræ, nec posse contineri, illisquè delectari, ac cibis bonis. Et septem tempora anni mutentur supèr eum In sententia vigilum decretum est, & sermo Sanctorum, & petitio: sic ad petitionem Angeli in conuentum vigilum statutum: sic in Iob. 1. & Achab 3. Regum vlt. sententia verò fundatur in superbia, proùt illa Achab in alijs sceleribus: donèc cognoscant viuentes, &c.

Tùnc Daniel, cuius nomen Baltassar, cœpit intrà semetipsum cogitare quasi vna hora, nè videretur rem tantam alijs incognitã non perpendere. vel quia timebat Regi tantum malũ instans indicare: vel quia res erat grauis; & cogitationes eius conturbabant eũ. Respondens autèm rex ait: Baltassar somnium, & interpretatio eius non conturbent te, Rex videns eum turbari, excitat ad explicandum quicquid sit. Respondit Baltassar, & dixit, Domine mi, somniũ his, qui te oderunt, et interpretatio eius hostibus tuis sit, quasi hæc tibi nollem contingere, non quod hostibus id vellet, sed ad denotandã malitiã à somnio procedentem, & manifestam. Arborem, quam vidisti sublimem, atquè robustam, cuius altitudo pertingit ad cœlũ. et aspectus illius in omnẽ terrã, et rami eius pulcherrimi, et fructus eius nimius, et esca omnium

in ea,

in ea, subtèr eam habitantes bestiæ agri, & in ramis eius commorantes aues cæli. Tu es Rex, qui magnificatus es, & inualuisti, & magnitudo tua creuit, & peruenit vsquè ad cælum, & potestas tua in terminos vniuersæ terræ, per te possessæ, vel per hyperbolem. *Quod autèm vidit Rex vigilem, & sanctum descendere de cælo, & dicere: succidite arborem, & dissipate illam, attamèn germen radicum eius in terra dimittite*, efflorituram suo tempore, *& vinciatur ferro, & ære in herbis forìs, & rore cæli conspergatur, et cùm feris sit pabulum eius*, eccè cur vinciendus, *donèc septèm tempora mutentur supèr eum. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ peruenit supèr Dominum meum regem: eÿcient te ab hominibus*, non cōuersaberis cùm hominibus, non dicit, furore rapieris, sed quia cor, & sensus induit belluinos, ipse vltrò commercium, & cibos cùm belluis sumpsit, *et cùm bestÿs, ferisquè erit habitatio tua*, explicat quid de eo fiet, conuersaberis cùm belluis. *Septèm quoquè tempora*, anni; sìc infrà in Antichristo cap. 12. & in Apocal. vndè non dimidiandi anni, *mutabuntur supèr te donèc scias* intelligas, quomodò id intellexisset, si vel in furore, vel in bestialitate vixisset? quomodò vexatio tribuisset intellectum ad hæc cognoscenda? *quod dominetur Excelsus supèr regnum hominum, et cuicumque voluerit det illud*, hoc erat intentum, & scopus. *Quòd autèm præcepit, vt relinqueretur germen radicum eius, idèst arboris: regnum tuum tibi manebit*, admitteris iterùm ad regnum tuum.

Hinc puto nullum datum ei successorem, dùm sic more belluino vixit absens; nàm non diceretur mansurum ei regnum, sed restituendum. Prętereà, quomodò viuenti subrogatus alius fuisset? cauissent Optimates, nè à postliminio reuerso correptioni subijcerentur, quomodò ipsi quęsissent, vt infrà Nabuchodonosor, si alius sedisset? timuissent à successore; vndè credendum nullum datum successorem, sed stetisse intèr regnum, præsertìm Daniele affirmāte de eius reditu certo. Et si Euilmerodach se ingessit, non vt rex fecit, sed vti gubernator, cui deferebant Satrapæ. Hinc inuerisimile, quod de carcere Euilmerodach Rabbini blatrant; nàm nequè Nabuchodonosor tùnc pœnitens, & supplicio doctus id fecisset. *Postquàm cognoueris potestatem esse cœlestem. Quamobrèm Rex consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordÿs pauperum: forsitàn*, Dubiè loquitur, quia id in Deo repositum, & quia ignorabat an Rex mutasset mores; nàm mutatio debet fieri à nobis, vt placetur, & mutetur Deus, aliàs immutabilis, de quo alibì dixi: vide hìc Pintum, & Perrer. *ignoscet delictis tuis. Omnia hæc venerunt supèr Nabuchodonosor regem. Pòst finem mensium duodecim*, quibus expectauit Deus ad pœnitentiam, *in aula Babylonis deambulabat. Responditquè rex, et ait: Nonnè hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui* sarsi, ampliaui, restitui, proùt & Semiramis, at primus fundator Nembroth. Genes. 11. *in domum regni in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei?* hic superbia à se non à Deo recognoscentis. *Cumquè sermo adhùc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit à te, et ab hominibus eÿcient te, et cùm bestÿs, et feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, et septèm tempora mutabuntur supèr te, donèc scias quòd dominetur Excelsus in regno hominùm, et cuicumque voluerit, det illud*, confirmatur interpretatio Danielis, de qua suprà, & sìc opinio ibi tenta videtur tutior. *Eadem hora sermo completus est supèr Nabuchodonosor, et ex hominibus abiectus est, et fœnum vt bos comedit, et rore cæli corpus eius infectum est: donèc capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, et vngues eius quasi auium*, ex facto apparet nequè in furorem, nequè in bestiam versum. *Igitùr pòst finem dierum*, constitutorum, qui fuerūt septèm anni, *ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui*, facta mihi potestate à Deo, *et sensus meus*, humanus, ità vt non ampliùs belluina saperem, vel ederem, *redditus est mihi: et Altissimo benedixi, et viuentem in sempiternum laudaui, et glorificaui: quia potestas eius, potestas sempiterna, et regnum eius in generationem, et generationem*, eccè recognitio Dei, de qua suprà per Angelum, & Danielem. *Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt*, cum

cùm omnia ei subsint, nèc possint immutare quod sibi placet, vt subdit: *iuxtà voluntatem enìm suam facit tàm in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ: et non est qui resistat manui eius, et dicat ei: Quarè fecisti?* extollit potestatem diuinam; *In ipso tempore sensus*, vt suprà *meus reuersus est ad me, et ad honorem regni mei, decoremquè perueni*, ex diuina præordinatione: *et figura mea* pristinus status, pulchritudo, *reuersa est ad me: et optimates mei, et magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum: magnificentia amplior addita est mihi*, hoc solet Deus. *Nùnc igitùr ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico regem cæli: quia omnia opera eius vera, et viæ eius iudicia*, sìc Tobias recepta luce: *et gradientes in superbia potest humiliare*. Eccè quomodò vexatio fecit illum sensatum, & prudentem.

Hìnc credo ipsum saluum, præsertìm pœnitentia adeò dura præcedente, & quia sicùt de Baltassere inuento minùs habente, ità de hoc diceretur. Quod in Isaia habetur, seruit pro successoribus eius, vt ibi dixi: vide hic Perrer. cuius primam responsionem huic meæ conformem accipe, reiectis alijs. Non obstat, non liberauit populum, vel Ioachim à captiuitate, & carcere: quia illa dependebant à Dei voluntate, qui præfixerat tempus, quod homini non licuit immutare; & liberationem populi Cyro ex Isaia; Ioachin verò Euilmerodach reseruauerat; vndè ex illis nullum peccatum infertur Nabuchodonosor: eo magìs, quia & quandò se tradidit, non constat promissam ei libertatem, immò apparet ipsum ductum captiuum cùm alijs, & de pręcedenti eius rebellione, quia tribus tantùm mensibus regnauit, & Nabuchodonosor obsedit ciuitatem, vndè libertatem non meruit. 4. Reg. 24. à num. 6. vsquè ad 17. vide Cornel. à Lapide hic.

CAPVT V.

BALTASSAR *rex fecit grande conuiuium*, &c. nepos Nabuchodonosor, quia Euilmerodach in ordine ei successit. Et Ierem. 27. 7. dicitur de Nabuchodonosor: Seruient ei omnes Gentes, & filio eius, & filio filij eius, donèc veniat tempus terræ eius, idèst destructionis. Hoc fuit sub Baltassare, nõ sub Euilmerodach. Nèc dicatur aliũ fuisse Nabuchodonosorẽ seniorem, de quo Ieremias; nàm vltrà quod pluralitas non præsumitur, clarum est de tempore huius agere. Non dicatur eundem Euilmerodach, & Baltassar, quia obstat clara nominum diuersitas.

Non obstat Baruch 1. 11. quia vel loquitur iuxtà reputationem populi credẽtis Baltassarem nepotem gratiorem successurũ auo (ommisso Euilmerodach, cui fortè irascebatur Nabuchodonosor) vel dicit filium, qui nepos erat, proùt facit & hìc Daniel, dicens infrà *Nabuchodonosor pater eius*, is enìm vsus Scripturæ, vt posteros filios vocet, & ommittit Euilmerodach, nec possunt duplicari Baltassares, de quibus non constat, sed de vno tantùm, *fecit grande conuiuium*, quomodò conuiuatur exercitu cinctus? fortè quia credebat se tutum, quia finxerant Persæ, & Medi soluisse obsidionem, vel aliud; hìnc Isa. 21. quasi Chaldæos præmonens insidiarum dicit vers. 5. pone mensam, &c. *optimatibus suis mille: et vnusquisque secundùm suam bibebat ætatem*, prout libebat; sic & Esth. 1.

Præcepit ergò iàm temulentus, hìnc malum ebrietatis, & conuiuij; sìc in conuiuio Herodis Ioannes Baptista, Pharaonis pistor occiduntur, *vt afferrentur vasa aurea, et argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem* posita in templo deorum suorum: *et biberũt in eis Rex, et Optimates eius, vxores, et concubinæ illius*, sic ea polluentes iterùm. *Bibebant vinum, et laudabant deos suos aureos, et argenteos, æreos, ferreos, ligneosquè, et lapideos*, à quibus victoriam, & liberationem obsessionis reciperent, eaquè recognoscerent ex laude dijs data, non Deo, cui debebatur, vt infrà etiàm Daniel considerat. At nouo abusu vasorum, quæ iàm polluta fuerant per

appo

appositionem eorum in templo idolorum, hæc ruina contigit, hæc enim perpenduntur. Multi verò putant peius fuisse abuti in conuiuio, quàm in templo idolorum poni; Ego verò contrarium sentio, & constat ex arca illata in templum Dagon, quæ illorum destruxit, cùm idolum pati non posset. Nèc obstat Nabuchodonosor nihil passum ob illationem vasorum in templum idoli, quia tùnc illi data fuerunt à Deo, qui sìc permisit ob malitiam Iudæorum, ideò illud non attenditur, etsi maius, sed solùm consideratur recens factum Baltassaris. *In eadem hora*, quàm celer Deus in vindicando contrà sacris abutentes! sìc suprà cap. 4. *apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis*, vt terrerent videntes, hoc Angeli ministerio factum, *contrà candelabrum*, vt possent de facili inspici, *in superficie parietis aulæ regiæ: & Rex aspiciebat articulos manus scribentis*, pro eo enim hæc fiebant, ideò cùm non dicat alios vidisse, credendum alijs hoc non apparuisse, proùt infrà soli Danieli, non socijs, soli Paulo, non comitantibus. *Tùnc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicèm collidebantur*. Hæc omnia signa magno timore correctorum, vt alibì dixi, si ex his tantus terror, quid in iudicio in sententiæ prolatione? Sìc Theodoricus ex viso sibi capite Simmachi, quem occiderat, in pisce more minantis moritur. *Exclamauit itaquè Rex fortitèr*, terrore pressus, & dolore, *vt introducerent magos, Chaldæos, & aruspices. Et proloquens Rex ait sapientibus Babylonis: Quicumque legerit scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit*, hæc ad exaltationem Danielis parata à Deo. *Tùnc ingressi omnes sapientes regis non potuerunt nèc scripturam legere, nèc interpretationem indicare regi*, erat ergò Scriptura charactere ignoto, nedùm enim interpretari, sed nèc legere potuerunt; hæc enim duo vniuntur. *Vndè Rex Baltassar satis conturbatus est, & vultus illius commutatus est*, incertus quid nàm hoc esset. *Sed & optimates* regis exemplo, proùt Herode turbato, & Ierosolima turbatur; vel considerantes insolitam rem; & quia hi non turbantur ex visione, sed quia turbatus est Rex, arguitur solùm regem vidisse manum scribentem verè ei apparētem, vt dicit textus: si enim ipsi vidissent, turbati essent in visione, proùt Rex, & explicaretur. *Regina autèm pro re, quæ acciderat Regi, & Optimatibus eius, domum conuiuij ingressa est*, solicita de Rege, *& proloquens: Rex in æternum viue: non te conturbent cogitationes tuæ, nequè facies tua immutetur*, quasi non sit qui hæc interpretetur. *Est vir in regno tuo*, hìnc videtur pòst Nabuchodonosor Danielem in ordinem redactum, postquàm Baltassar illum ignorabat; sìc contigit populo Dei, mortuo Ioseph, & mutato rege; Et Dauid, qui astiterat Sauli, ab eo non cognoscitur: Sed quia infrà cap. 8. in fin. Daniel dicit se fecisse opera regis, quod est tempore Baltassaris, dicendum cognitum quidèm ab eo, & continuasse in suo magisterio, at non pro interprete, & diuino, vt hìc, *qui spiritum deorum sanctorum habet in se: & in diebus patris tui*, aui tui; Hæc videtur vxor prima, nàm & Regina Vasthi non sedit in conuiuio Regis Assueri. Prætereà, si aliæ mulieres in conuiuio, an non, & mater, & auia? nequè hæ reginæ vocarentur, sed distincto nomine.

Non obstat, hæc antiqua commemorat, quia potuit audisse. Non obstat, erant vxores in mensa, esto, sed non regina; nàm si ibì fuisset, eandem habuisset solicitudinem, cùm illius res ageretur, & status eius à statu regis dependeret; & verba in dubio propriè accipienda: Auus autèm fuit Nabuchodonosor Baltassari, quia pòst eum duo tantùm regnaturi; regnauit Euilmerodach filius, hic nepos; sìc Ierem. 27. 7. nèc dicas alios intermedios regnasse, quia aliòqui non esset vera prophetia, quæ strictè loquitur, donèc veniat tempus, &c. Ierem. 27. 7. vndè si qui alij fuerunt, quod non creditur, Tyranni, citò extincti, qui pro Regibus non debent haberi. *Scientia, & sapientia inuentæ sunt in eo*, &c.

Igitùr introductus est Daniel coràm Rege. Ad quem præfatus Rex ait: Tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudæ, quem adduxit pater meus Rex de Iudæa? tunc clarum Danielem

lem incognitum regi. *Audiui de te, quoniàm spiritum deorum habeas: & scientia, intelligentiaquè, ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te. Et nùnc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, vt scripturam hanc legerent, & interpretationem eius indicarent mihi*. Hæc duo petebat, ideò dicas verè legere non potuisse, quod Quidam negat; sic & infrà petitur à Daniele, & ab eo præstatur: *& nequiuerunt sensum huius sermonis edicere, Porrò ego audiui de te*, &c.

Quæ generalitèr dixerat, nùnc in specie Danieli. *Ad quæ respondens Daniel, ait coràm rege: Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da*, quod enim gratis accepistis, gratis date; sic Christus: hinc coijci potest idem fecisse Danielem, quandò Nabuchodonosor eum adorauit, & iussit ei offerri, & illum exaltauit; ex vno enim actu arguimus ad alium.

Quandò autèm eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est: & à filijs hominum eiectus est, sed & cor eius cùm bestijs positum est, & cùm onagris erat habitatio eius: fænum quoquè vt bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum est, hinc vide stare quæ dixi cap. præced. de Nabuchodonosor. *donèc cognosceret quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum: & quemcumque voluerit, suscitabit supèr illud*, & sic se humiliasset; At quomodo poterat cognoscere, si in belluā transformatus, vel in furorem actus? *Tu quoquè filius eius Baltassar*, qui exemplo patris edoceri debueras; hinc supèr hùnc non fuit tanta Dei conniuentia, & misericordia, proùt supèr Nabuchodonosor, qui exemplo priorum non didicerat, *non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia, sed aduersùm Dominatorem cœli eleuatus es: & vasa domus eius allata sunt coràm te*, &c. dicit audactèr eius vitia, sic cùm Dauid Nathan, Ioannes cùm Herode, Isaias cùm Ezechia occasione nuntiorum Babyloniorum. *Idcircò ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc, quod exaratum est*, ex præmissis aperit vnde hæc acciderint. *Hæc est autèm scriptura, quæ digesta est: MANE, THECEL, PHARES. Et hæc est interpretatio sermonis. MANE: numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud*, sic nondùm completę iniquitates Amorrhæorum. Genes. 15. *THECEL, appensus es in statera, & inuentus es minùs habens*, quàm habuisses, si sapiens extitisses. At nùnc præcisa est vita tua; sic & Anastasio Dicoro Imperatori 14. anni erepti. Et hoc timuit Ezechias in Cantico. Vel *inuentus es minus habens* iuris in regno, quo spoliaris, in quo malè te gessisti; sic Apoc. 2. & 3. de ministerio auferendo, quod non rectè gerebatur. *PHARES: diuisum est* consumptum, finitum *regnum tuum, & datum est Medis, & Persis* Babylonem obsidentibus ex Dei ordinatione, de qua in alijs prophetis ob duram captiuitatem Iudæis præstitam, & verba Dei contaminata, & polluta in conuiuio.

Sed cur nihil de remedio, proùt cùm Nabuchodonosor? quia cognouit sententiam Dei irreuocabilem ex impœnitētia sua finali. *Tùnc iubente rege*, Deo sic volente, vt esset notus Dario, & Cyro successuris, *indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno suo*, sic cùm Ioseph à Pharaone: cùm Mardochæo ab Assuero: prouidet Danieli, non sibi, ex animo hoc fecit, vt puto; nèc nouerat eadem nocte regno priuandum. *Eadem nocte*, quàm celer, & propera vindicta Dei, *interfectus est Baltassar Rex Chaldæus* vltimus iuxta vaticinium. Isa. 21. *Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexagintaduos*, pòst quem Cyrus, qui simùl præliabatur contrà Baltassarem, quamuis verò non dicatur hìc vastatam Babylonem, non ob id vana prophetia Isaiæ prædicentis illius vastitatem cap. 13. quia non restringit se ad tempus Cyri, sed simplicitèr loquitur, & tandèm factus est locus eius prophetiæ, quia penitùs destructa remansit temporibus successiuis.

CAPVT

CAPVT VI.

PLACVIT Dario. In Media constituto, qui secum Danielem abduxerat secundùm communem, de qua suspicor; Quia cùm Darius tantùm anno vno superstes fuerit, verisimile est permansisse in Babylonia ad stabiliendum tantum regnum, & tantas, & multiplices regiones; hincquè puto cẽtum viginti Satrapas elegisse, & tres alios, vt infrà, quæ electio inconuenit regno antiquo; & congruit nouo Babylonico. Et infrà cap. 9. videtur in Babylone illa præferre, proùt & hic; præsertim, quia dicit de primo anno regni, qui non erat primus in Media, sed in Babylone, & Darius vno tantùm anno superstes fuit pòst Babylonem debellatam: & infrà cap. 10. apparet tertio anno fuisse in Perside: quia cùm successisset in regno Medorum pòst Darium, verisimilitèr illùc se transtulit. Gueuara Habacuc. 2. putat ex alijs Darium nõ interfuisse obsidioni Babylonis, & verisimilius datum onus Danieli in ea regione, in qua versatus erat; *& constituit supèr regnum Satrapas centum viginti, vt essent in toto regno suo*, sic & Moyses ex consilio Iethro, & deindè ex præcepto Dei, *Et supèr eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat: vt Satrapæ illi redderent rationem*, eccè cur Deus voluit exaltari Danielem à Baltassare, vt scilicèt cognosceretur à Dario, & ab eo sublimaretur, *& Rex non sustineret molestiam*, nisi in grauibus, vt Moyses. *Igitùr Daniel superabat omnes principes, & Satrapas: quia spiritus Dei amplior erat in illo*, à quo omne bonum, & datur timentibus Deum. *Porrò Rex cogitabat constituere eum supèr omne regnum: vndè principes, & Satrapæ quærebant occasionem*, inuidia moti, *vt inuenirent Danieli ex latere regis* stanti, & negotia grauia, & familiaria tractanti ad illum perdendum, & gratia excidendum: *nullamquè causam, & suspicionem* ità vt nedùm à crimine, sed & à suspicione abesset, *reperire potuerunt, eo quòd fidelis esset, & omnis culpa, & suspicio non inueniretur in eo. Dixerunt ergò viri illi: Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi fortè in lege Dei sui*, hinc passus est proptèr nomen Dei, & hos Christus dixit beatos. *Tùnc principes, & Satrapæ surripuerunt*, falsa suggerentes *regi, & sic locuti sunt ei*, &c. vsquè ad vers. 14.

Quod verbum cùm audisset Rex, satìs contristatus est: & pro Daniele posuit cor, vt liberaret eum, & vsquè ad occasum solis laborabat vt erueret illum; sed quæ tanta repugnantia? Non enim credo timuisse, quia accusatores dedit leonibus, quod plus fuit, puto, quia propensus erat in Danielem, vt suprà. *Viri autèm illi intelligentes regem dixerunt ei: Scito Rex, quia lex Medorum, atquè Persarum est, vt omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari*, id intelligendum de iusto; at licere debet ab iniusto recedere. *Tùnc Rex præcepit: & adduxerunt Danielem, & miserũt eum in lacum leonum. Dixitquè Rex Danieli: Deus tuus, quem colis sempèr, ipse liberabit te*, & interim tu Rex iniustè decretum contrà innocentem exequaris, & miracula quæris tentans Deum: quàm inconstans Rex! sic Pilatus cùm Christo: Herodes cùm Ioanne. *Allatusquè est lapis vnus, & positus est supèr os laci: quem obsignauit Rex annulo suo*, nè quis absquè eo illum remoueret, *& annulo optimatum suorum*, nè optimates, vel accusatores possent contrà regem aliquid suspicari, & totum cessit ad maiorem miraculi certitudinem, *nè quid fieret contrà Danielem. Et abijt Rex in domum suam, & dormiuit*, iuit cubitum *incœnatus, cibiquè non sunt allati coràm eo, insupèr & somnus recessit ab eo*, ex iniustitia inijcit se in vincula, sic Aman. *Tùnc*: ex his, & toto contextu apparet regem pro Daniele seriò locutum, proùt & Dauid pro Abner, *Rex primo diluculò consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit: appropinquansquè laçui, Danielem voce lacrymabili inclamauit, & affatus est eum: Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus, cui tu seruis sempèr, putasnè valuit*, quasi de potestate non est dubitan-

bitandum, *te liberare à leonibus?* imbiberat aliquid de Deo, quem viuentem, & liberare potentem dicit, fortè ex miraculo trium Puerorum auditum, & verbis Danielis. *Et Daniel regi respondens ait: Rex in æternum viue: Deus meus misit Angelum suum*, eccè & Angelus tribus Pueris, *& conclusit ora leonum*, sicùt Angelus Raphael religauit Asmodæum in deserto, *& non nocuerunt mihi: quia coràm eo iustitia inuenta est in me*, vt non mererer à leonibus deuorari: *sed, & coràm te Rex delictum non feci*, vndè id meruissem, innocens sum. *Tùnc vehementèr Rex gauisus est supèr eo, & Danielem præcepit educi de lacu: eductusquè est Daniel de lacu, & nulla læsio inuenta est in eo, quia credidit* confidit *Deo suo. Iubente autèm rege, adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem: & in lacum leonum missi sunt, ipsi*, eccè quomodò malitia cecidit supèr eos, sìc supèr accusatores trium Puerorum, & supèr Aman, *& filij, & vxores eorum*, vel quia consortes delicti, vel quia excessit Rex in vindicando, *& non peruenerunt vsquè ad pauimentum laci, donèc arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt*, hoc dictum, nè quis putaret leones non fuisse famelicos, dùm Daniel cùm eis. *Tùnc Darius Rex scripsit vniuersis populis*, &c. vsquè ad vers. 28. *Porrò Daniel perseuerauit* in statu primo, & regimine *vsquè ad regnum Darij, regnumquè Cyri Persæ*, qui Dario successit pòst annum. ex his etiàm videntur hæc in Babylone gesta.

CAPVT VII.

A*NNO primo*; Cùm autèm præcedant alia posteriora, hæc sunt postposita, non seruatus ordo temporum; at fortè rerum, seù euentuum, & materiarum connexitas, vt aliàs in prophetis, & in Ioannis Euangelio dixi, *Baltassar Regis Babylonis, Daniel somnium vidit: visio autèm capitis eius in cubili suo: & somnium scribens, breui sermone comprehendit: summatimquè perstringens, ait: Videbam* cognoscens *in visione mea nocte, & eccè quattuor venti cæli pugnabant in mari magno*, figura facta in ventis, quorum vis in mari maximè apparet, *Et quattuor bestiæ grandes ascendebant de mari*, quasi à ventis illis è mari eiectæ in terram: diuersi ergò venti à bestijs; & pro ventis Dei prouidentia, seù potentia, qui regnare facit, surgere, & declinare, transfert, &c. sìc & de mari in Apoc. bestia ponitur egressura, *diuersæ intèr se. Prima*, hæc pro regno Chaldæorum, *quasi leæna* fera crudelis, *& alas habebat aquilæ*, ad prædam rapax; sic Leo, & Aquila Rex Babylonis dictus; Leo & Aquila etiàm, quia primum regnum; sic 12. cap. 2. & quia fortè, & velox ad rapinam, *aspiciebam donèc euulsæ sunt alæ eius* fortitudo eius, *& sublata est de terra* perijt, *& supèr pedes eius quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei*, quasi nè putes hâc verè bestiam, & insuperabilem, sed hominem rectè regnum administrantem, qui posset humana pati, vinci, & destrui, proùt contigit. *Et eccè bestia alia*, hæc pro regno Persarum *similis vrso in parte* ex aduerso, vel latere præstolans, *stetit: & tres ordines*, tria regna *erant in ore eius, & in dentibus eius*, in eius potestate retenta, scilicèt Medicum, Persicum, Babylonicum, *et sìc dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas*, plures regiones subijce tibi; hæc vox à Deo, qui Persas duxit ad exterminium Babylonis. *Pòst hæc aspiciebam, et eccè alia*, hæc Græcorum, seù Macedonum sub Alexandro, *quasi pardus* fallax, *et alas habebat quasi auis*, ad celeritatem victoriarum Alexandri demonstrandam *quattuor supèr se* ad eandem pernicitatē, *et quattuor capita erant in bestia*, quattuor regna. non hìc de successoribus quattuor Alexandri, sed de ipso, *et potestas* magna *data est ei*, vt citò & tanta operaretur. *Pòst hæc aspiciebam in visione noctis, et eccè bestia quarta terribilis, atquè mirabilis, et fortis nimìs; dentes ferreos habebat magnos, comedens, atquè comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autèm erat cæteris bestijs, quas videram antè eam*, Hæc pro regno Romano-

manorum, quod omnia regna sibi subiecit, quod describit absquè bestiæ nomine, quia suprà illa; nàm vltra Leonem, Aquilam, Vrsum, & Pardum non poterat designari bestia alia nota, primis præualens. De hoc autèm, tàm antè, quam pòst Christi aduentum primum; immò vsquè ad Antichristū, quo tempore cessabit ab eo absorptum, vel à decem Regibus antè eum præcessuris. Apocal. 17. *Et habebat cornua decem*, hi decem Reges, qui, instante Antichristi aduentu, diuident intèr se regnum Romanorum. Apoc. 17. vndè hìc numerus decem non potèst capi pro multitudine, sed strictè capiēdus, vt & Apoc. cap. 17. dixi cap. 2. *Considerabam cornua, et eccè cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum*, is Antichristus in principio paruulus: *et tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius*, ab illo, subijciet enim violentèr tres illorum Regum, & alij septem vltrò illum sequentur, *et eccè oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto*, quia secundum reputationem humanam a diabolo instructus videbitur satis prudentèr se gerere: prout Christus de filijs huius sæculi dixit, & vt sciamus illum futurum hominem, non suprà. *et os loquens ingentia* superba ad trahendum ad se homines. Apocal. 13. *Aspiciebam donèc throni positi sunt*, hic de fine Antichristi, & iudicio eius, de quo & Apoc. 19 & 20. ideò throni positi pro sessuris, & iudicaturis; vel plurale pro singulari, nempè Deo, seù sanctissima Trinitate inuisibilitèr iudicatura. De Christo non, quia infrà de eo. Angelis non dantur sedes, sed assistentia, vt subdit, & in iudicio Achab 3. Reg. vlt. apparet. Apostolis sedes, vt alibì dixi. *Et antiquus dierum* Deus pater *sedit: vestimentum eius candidum quasi nix et capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus. Fluuius igneus, rapidusquè egrediebatur à facie eius.* Hæc ad denotandam iudicij puritatem, & veritatem, prudentiam senilem, potētiam in igne, quo Antichristus perpetuò, & omnes impij comburendi; sic & Apoc. 19. 20. *milla millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei:* Hinc magnus numerus Angelorum, *iudicium sedit* antiquus vt suprà, & 3. Reg. vlt. *Et libri aperti sunt* operum pro iudicio faciendo, sìc Apoc. 20. 12. *Aspiciebam proptèr vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur*, dum occideretur, quasi ab eis tractus, *et uidi, quoniàm interfecta esset bestia, et perisset corpus eius, et traditum esset ad comburendum igni* finis Antichristi, quem Iesus occidet spiritu oris sui, dicit Paulus 2. Thess. 2. & in Apocal. 19. & 20. ponitur descensurus contrà eum armatus, & sìc executio sententiæ datur Christo, *aliarum quoquè bestiarum allata esset potestas*, vno regno aliud superante, & ità decernente iudicio illo, ideò de his nùnc repetit, etsi anteà destructis, *& tempora vitæ constituta essent eis vsquè ad tempus, & tempus* Deo beneplacitum. *Aspiciebam ergò in visione noctis, & eccè cùm nubibus cœli quasi filius hominis;* Iesus quà homo ad iudicandum genus humanum, *veniebat, & vsquè ad antiquum dierum* Deum Patrem sedentem, de quo suprà dixit, *peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum* cùm magna gloria, quia Pater omne iudicium dedit Filio, & vt infrà. *Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur*. 1. Cor. 15. Hebr. 1. Psal. 2. & sic nunc dicitur mitti. Acto. 3. 20. dixi Apoc. 1. *Horruit spiritus meus*, &c.

Hæ quattuor bestiæ magnæ: quattuor sunt regna, quæ consurgent de terra, hinc cognosce mare pro terra positum *Suscipient autèm regnum* spirituale alia deijciens, vt in visione statuæ (illis cessantibus) in fine mundi, plenitudine Gentium intrante, & Israel saluo, facto vno ouili, & pastore. Ioan. 10. 16. & tamèn hic regnum hoc breue erit, fortè quadraginta quinque dierum vsquè ad iudicium: at iudicio vniuersali facto pòst omnia alia erit æternum in cœlo nàm imperium Romanorum vltimum durabit vsq. ad tempus Antichristi. Apocal. 17. *Sancti Dei Altissimi*, &c.

Porrò cornua decem ipsius regni, decem Reges erunt. Apoc. 17. *et alius consurget pòst eos* Antichristus, *& ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit*, septem verò reliqui dabunt se, & sequētur ipsum. *Et sermones contrà Excelsum loquetur* blasphemans, & de-

& deprimens, *et sanctos Altissimi conteret* eccè persecutio: *et putabit quod possit mutare tempora, et leges*, in omnibus rebus creatis à Deo ex miraculis, quæ apparentèr, non verè faciet, & hoc magìs placet, quia non dicit mutaturum, sed existimaturum quòd mutare possit, quod Deus dicit fieri non posse. Ierem. 31. 32. 33. vbi & verbum *leges*, si enìm de legibus, vel cæremonijs diuersis in cultu ageretur, dixisset simplicitèr *mutabit*, quia de facto id poterit; Sìc non placet, quod possit mutare tempora præstituta regnorum durationi, nàm potiùs standum in proprietate verborum, nempè tempora, de quibus Genes. 1. præsertìm quia addit *& leges*, quod verbum non aptatur intellectui, *et tradentur* ex Dei permissione Sancti *in manu eius vsquè ad tempus, et tempora, et dimidium temporis*, eius enìm duratio erit trium annorum cùm dimidio, vndè tempus pro anno. Apoc. 11. & infrà cap. 12. vt suprà dixi. *Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, et conteratur, et dispereat vsquè in finem*, sic supra, *sedebit antiquus dierum. Regnum autèm, et potestas, et magnitudo regni, quæ est subtèr omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi*, deiecto Antichristo vsquè ad tempus iudicij, quod hic erit spatium paruum fortè dierum quadraginta quinque, infrà cap. 12. At in cœlo *cuius regnum, regnum sempiternum est*, coniungitur enim cùm cœlesti, *et omnes reges seruient ei, et obedient*, & sìc omnia subijcientur sub pedibus Iesu. 1. Cor. 15. *Hucusquè finis verbi. Ego Daniel multùm cogitationibus meis conturbabar, et facies mea mutata est in me* tremens ex visione, *verbum autèm in corde meo conseruaui*, sìc Maria, & Ioseph.

Quod hìc dicitur per Perrer. distinguentem regnum Christi temporale, & spirituale, non videtur procedere, quia pòst iudicium erit Deus omnia in omnibus, vt ait Apostolus, & omnia spiritualia: vndè potiùs dicendum, ei vti homini data est omnis potestas à principio tàm spiritualis, quàm temporalis, sed temporali more aliorum Regum vsum non esse; hinc, nonnè possum rogare patrem, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum? &c. & hìnc possent formari argumenta de potestate directa Papæ in temporalia, quod alijs ex professo hæc tractantibus dimitto.

CAPVT VIII.

A*NNO tertio regni Baltassar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel pòst id*, quod *videram à principio*, de quo cap. præced. *vidi in visione mea, cùm essem in Susis Castro quod est in Aelam regione*, quòd tùnc fortè erat Chaldæorum, vel ibi agebat negotia regis, vel hoc in visione tantùm: *vidi autèm in visione* imaginariè repræsentata, *esse me supèr portam Vlai* illius ciuitatis sìc dictam. *Et leuaui oculos meos, et vidi: et eccè*, hic de regno Persarum, & Medorum sub Cyro, & Dario, qui creuit, & fecit quæ sequuntur, *aries unus stabat antè paludem, habens cornua excelsa*, potentias, vires, duo regna Medorum, & Persarum, *et unum excelsius altero atquè succrescens* ex paruulo sub Dario. *Postea uidi arietem cornibus uentilantem contrà Occidentem, et contrà Aquilonem, et contrà Meridiem, et omnes bestiæ non potuerunt resistere ei, nequè liberari de manu eius: fecitquè secundùm uoluntatem suam, et magnificatus est. Et ego intelligebam*, quæ repræsentabantur facta, non autèm quid significarent, aliàs esset sibi contrarius. *Eccè autèm hircus caprarum*, hic de regno Græcorum sub Alexandro in figura hirci, *ueniebat ab Occidente supèr faciem totius terræ, et non tangebat terram* ob eius velocitatem, vndè aui comparatus suprà: *porrò hircus habebat cornu insigne intèr oculos suos* Alexandrum prudentem, & bellicosum designat. *Et uenit usquè ad arietem illum cornutum, quem uideram stantem antè portam, et cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. Cumquè appropinquasset propè arietem, efferatus est in eum, et percussit arietem,*

et comminuit duo cornua eius, et non poterat aries resistere ei: Cumquè eum misisset in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius, & sic ab hirco deductum regnum Persarum, consistens in duobus cornibus Medorum, & Persarum, & Chaldæorum, Dario victo: Sub duobus cornibus plura regna, & omnia, quia animali huic duo cornua tantùm dantur, & à figura nolit recedere. *Hircus autèm caprarum magnus factus est nimis* ità vt timeretur ab omnibus: *cumquè creuisset, fractum est cornu magnum* Alexander mortuus, *& orta sunt quattuor cornua subtèr illud per quattuor ventos cœli*, mundi plagas, hi pueri Alexandri, qui successerunt ei in regnis, vt in Machabæis nempè Antigonus, qui imperauit Asiæ: Philippus, siuè Arideris, qui Macedoniæ, Seleucus, qui Siriæ, Ptholomæus, qui Aegypto. *De vno autèm ex eis*, de Seleuco, *egressum est cornu vnum modicum* Antiochus Epiphanes, qui dicitur *modicum cornu*, quia fuit minor filius Antiochi magni. Non potest intelligi de Antichristo, quia non de illis, sed de regno Romano egredietur; dicitur enìm cap. 7. De medio eorum scilicèt decem regum occupantium regnum Romanum oriundum; *& factum est grande contrà Meridiem, & contrà Orientem, & contrà fortitudinem. Et magnificatum est vsquè ad fortitudinem cœli*, templum: *& deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas* distrahendo à cultu Dei Iudæos. *Et vsquè ad principem fortitudinis magnificatum est* contrà Deum, *& ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius* supponendo Idòlum Iouis, vt in Machabæis. *Robur autèm datum est ei contrà iuge sacrificium proptèr peccata*, quasi, nè miremini supèr his, nàm ob peccata hæc euenerunt; sic septèm fratres in Machabæis: *& prosternetur veritas in terra*, quam ipse conatus est auferre cogendo ad idòlolatriam, *& faciet, & prosperabitur* in his ob peccata, vt & infrà. *Et audiui vnum de sanctis loquentem: & dixit vnus sanctus* Angelus *alteri* Angelo, *nescio cui loquenti: Vsquequò visio & iuge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est: & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur?* quasi, hæc nè diù duratura? hìnc à superioribus Angelis inferiores illuminari. *Et dixit ei: Vsquè ad vesperam, & mane* dies perfectus, *dies duo millia trecenti* ad annos sex. & menses, & dies: *& tùnc* istis transactis *mundabitur sanctuarium*, quod factum sub Machabæis. *Factum est autèm, cùm viderem ego Daniel visionem, & quærerem intelligentiam: eccè stetit in conspectu meo quasi species viri*, Angelus fortè Michael. *Et audiui vocem viri intèr Vlai: & clamauit, & ait: Gabriel* Angele, *fac intelligere istam visionem* hìnc superiores spiritus inferioribus iubere. *Et venit, & stetit iuxtà, vbi ego stabam: Cumquè venisset, pauens corrui in faciem meam* perterritus, *& ait ad me: Intellige fili hominis, quoniàm in tempore finis* præfixi à Deo, vt suprà in diebus multis, longo tempore, non mundi, quia hæc ad illum non perueniunt, *complebitur visio Cumquè loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram*, iterùm timet, corripitur, & cadit, *& tetigit me, & statuit me in gradu meo*, erexit me, & sìc faciunt boni Angeli, vt obseruaui in Zacharia, *dixitquè mihi: Ego ostendam tibi quæ futura sunt in nouissimo maledictionis* tibi ostensæ: *quoniàm habet tempus finem suum* à Deo præfixum; non mundi, vt dixi. *Aries*, declarat *quem vidisti habere cornua, Rex Medorum est, atquè Persarum. Porrò hircus caprarum, Rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat intèr oculos eius, ipse est Rex primus* Alexander. *Quòd autèm fracto illo* mortuo *surrexerunt quattuor pro eo: quattuor reges de gente eius consurgent*, puerorum suorum: fuerunt duodecim, sed in quattuor summa eorum resedit, *sed non in fortitudine eius*, nàm non peruenerunt ad Alexandrum. *Et pòst regnum eorum, cùm creuerint iniquitates* in populo Dei, ob peccata enim hæc ei contingent, *consurget Rex* Antiochus *impudens facie, et intelligens propositiones*, ænigmata callidus: *& roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis*, sed ex Dei permissione ad peccata populi puniẽda: *& suprà quàm credi potest vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet*, vt in Machabæis. *Et interficiet robustos, & populum sanctorum* Iudæos *secundùm voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius*, hæc omnia appa-

apparent in Machabæis, *& cor suum magnificabit*, fuit enim superbus, *& in copia rerum omnium* positus, *occidet plurimos: & contrà principem principum consurget* contra Deum, tentans adorari idòla, & seipsum, *& sinè manu conteretur*, nàm infirmitate fœda perijt à Deo percussus. 2. Machab 9. *Et visio vesperè, & manè, quæ dicta est, vera est: tu ergò visionem signa* conserua, *quia pòst multos dies erit*, sicùt Ioanni: nè signaueris, quia tempus propè est. Apocal. 22. *Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies: cumquè surrexissem, faciebam opera regis* intermissa ob hæc, quæ mihi contigerant; vndè continuauit ministerium iniũctum à Nabuchodonosor cap. 2. 48. etiàm sub Euilmerodach, & Baltassare, *& stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur*, fortè loquitur quòad nomina regum; nàm materiam Angelus docuit; vel etiàm materiam fortè implexam: nèc referas id ad stuporem suum, quia stupor ex visione, cuius interpretationem lucidiorem optabat; non stuporis ab alijs apprehensi, hoc enim alienum.

CAPVT IX.

IN *anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, qui imperauit supèr regnum Chaldæorum: Anno vno* primo *regni eius* in Babylone, quia in alijs suis regnis non erat primus annus. hìnc collige Danielem non fuisse ductum à Dario in Mediam. *Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni* captiuitatis Babylonicæ. *Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari in ieiunijs, sacco, & cinere*, vt sic fieret, Dominus enim vult rogari, etsi ipse disposuerit quid facturus. *Et oraui Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi: Obsecro Domine Deus magne, & terribilis, custodiens pactum*, fidelis enim Deus, *& misericordiam*, quia misericordia Dei est, si obligat se, seù dicit aliquid ad nostrum beneficium facturum, *diligentibus te, & custodientibus mandata tua*, habent enim eius promissa sæpè hanc conditionem, aliquandò non, vt Rom. 3. *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus*, &c. vsq. ad vers. 21.

Adhùc me loquente in oratione quomodò non tardat Deus; præparationem cordis eorum audiuit auris sua, sic cùm Sara, & Tobia. Tob. 3. *Eccè vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volãs*, prǽstò enim sũt Angeli Dei iussui, qui facit Angelos suos spiritus, *tetigit me in tempore sacrificij vespertini*, quod vespere offerebatur. *Et docuit me, & locutus est mihi, dixitquè: Daniel, nùnc egressus sum* à Domino missus, *vt docerem te, & intelligeres: Ab exordio precum tuarum*, dum incipimus clamare, Deus exaudit. Non expectat, vt filius prodigus omnia dicat, quæ proposuerat, sed præuenit, citò proferte stolam primam, *egressus est sermo* iussio Dei: *Ego autèm veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es*, optans scire futura pro populo, *tu ergò animaduerte sermonem, & intellige visionem*, quam tibi repræsento; *SEPTVAGINTA HEBDOMADES ABBREVIATAE SVNT*, stabilitæ à Deo ab æterno proptèr electos: & nisi abbreuiati essent dies illi, &c. Matth. 24. *vel abbreuiatæ* vicinæ ad finem, cùm iàm sæcula multa elapsa sint, quæ vsquè ad aduentum Messiæ intercurrerunt; Eccè quomodò in Scriptura breuitas temporum, quæ nobis longa videtur, quia tempora, vt hìc, anni 490. abbreuiati designantur, quod obseruaui. Genes. 49. Vel *abbreuiatæ*, quia iàm prophetia Iacob. Genes. 49. defecisset in captiuitate, *supèr populum tuum, & supèr Vrbem sanctam tuam*, pro quibus rogasti, non quia Deus illã abhorreret, præsertim quia dicitur *sanctam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna*, ad quã se obligauit Deus misericors, & fidelis, promittens Abraham missurum filium suum;

Vel quia ab æterno disposuit redimere mundum per eum. Vel *sempiterna* sempèr duratura, immutabilis, est enim Christus Sacerdos in æternum, postquàm alius status non expectatur. vide scripta in Baptismo Christi: ibi: decet nos implere omnem iustitiam, & alibi sæpè idem repetij. Alij intellectus hìc apud alios; Sed firmatur is intellectus ex sequentibus, *& impleatur visio, & prophetia*, quæ pertinens ad eandem iustitiam; nequè de Christo hæc, cùm de eo subdat clarè, *& vngatur Sanctus sanctorum* Messias, Christus, vnctus oleo letitiæ, & exultationis præ participibus suis. Heb. 1. *et impleatur visio, et prophetia*, quęque de illo. *Scito ergò, et animaduerte*, nùnc ad septuaginta hebdomadas, *Ab exitu sermonis* à principio euentus rerum tibi reuelatarum, sìc enim capitur sermo pro re: sed quale principium hoc? *vt iterùm ædificetur Ierusalem*, qui est terminus, à quo incipiunt hebdomadæ, *vsquè ad Christum ducem* Messiam venturū incarnandum, qui est terminus ad quem excurrunt: Aliqui terminum faciunt in Baptismo Christi, sed protenduntur vsquè ad mortem Christi, vt infrà; & à principio dux datus fuit, Micheæ. 5. Matth. 2. & hìc de aduentu dicendo *vsquè ad Christum ducem*, & de hoc quærebatur; sed nedùm aduentus, sed mors aperitur, ideò hebdomades ad illam protenduntur: *hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt*, & sìc sexaginta nouē vnitæ, *& rursùm ædificabitur platea, & muri* Ierusalem *in angustia temporum*, quia turbati, & impediti valdè fuerunt, vt in libris Esdræ. Explicat clariùs quod dixerat de ædificio Vrbis, quòd optabat scire Daniel, vt in princip. cap. *Et pòst hebdomades sexaginta duas*, in quibus & septem vnà, & sìc sexaginta nouem præcedentes comprehendit, *occidetur Christus*, cuius morte auferetur iniquitas, *& non erit eius populus, qui eum negaturus est*, & sìc populus Hebræus desinet esse suus populus, infidelis erit. *Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cùm duce venturo* Romano, qui Titus, *& finis eius vastitas*, prædicit euersionem, *& pòst finem belli statuta desolatio*, perpetua de qua, Iesus: cùm videritis abominationem, &c. *Confirmabit autèm* Messias *pactum* nouum, testamentum proprio sanguine, *multis* omnibus, nedùm Iudæis, sed omnibus hominibus, pro quibus omnibus mortuus est, *hebdomada vna* vltima in fine illius, qua mortuus est, & de hoc solo modo confirmandi credo hìc agi, non alio, hoc autèm subiecit ad ostendendam fidelitatem Dei, qui proprium filium tradíturum dixerat pro genere humano, & obedíetiam Christi mortem subeuntis, cùm iàm de illius morte satis dixisset *occidetur Christus: et in dimidio hebdomadis* prædictæ, id est, in ea hebdomada, qua Christus occidetur, *deficiet hostia, et sacrificium* Iudæorum, quia per mortem eius cessabunt hæc figurātia illius mortem, si non facto, quia cùm honore sepulta synagoga, de iure, & Dei ordinatione; hinc sequitur: *et erit in templo*, non vltrà necessario, *abominatio desolationis*, quia funditùs euertetur, *et vsquè ad consummationem, et finem perseuerabit desolatio*, nempè ad tempus Antichristi.

Nihil hìc de prædicatione Christi, vel Apostolorum expresè, nequè hìc miscendi Apostoli, cùm agatur de solo Messia, non suis; ideò dicitur stans in Euangelio, vbi dixi, reiectis alijs opinionibus supèr hac desolatione; clara est enim desolatio templi, & vrbis stans, & perseuerans vsquè ad finem, vt hic, quæ qualitas nulli alij competit vltrà ibi dicta; quarè multa hìc gratis dicuntur per Recentiores, quæ ex dictis per me in Euangelijs euacuātur. Considera ex prædictis Dei benignitatem, & superefluentiam: desiderat Daniel scire de veritate, seù effectu annorum septuaginta prædictorūm à Ieremia, & Deus nedùm hoc, sed tempus ædificationis templi & Ierusalem, & aduentus Messiæ certum, & alia successura eidem innotescit; & circà tempus Messiæ nulli alteri datum, nàm Iacob quidèm prædixit Gen. 49. cessaturum sceptrum Iuda, donèc veniat qui mittendus est; at cessauit in captiuitate Babylonica, vt ibi dixi, à qua vsquè ad Christi aduentum intercesserūt tot sæcula, & nullus dixerat tempus præcisum, proùt nūc Danieli reuelatum; Sic cùm Zacharia idem Gabriel; nàm oranti pro missione Messiæ reuelat & ipsi nasciturum filium Messiæ Præcursorem: Sic Abraham de Ismaele solicito reuelat Deus daturum ex Sara Isaac; sic cùm

Salo-

Salomone,& Achaz,& sempèr Deus nostra desideria dilatat, & benedicit; nisi dicamus Danielem aliàs & de missione Messiæ de more Patrum rogasse Deum, & nùnc tantū sibi reuelationem factam, proùt in simili dixi in Zacharia..

Sed an completi fuerint in captiuitate septuaginta anni? & videtur ex dictis per Ieremiam cap.25.11.12. 2.Paralip. vlt. 21. Nèc obstat idem Ieremias cap.29.10. nàm ibì loquitur de visitatione facienda in Babylone, quæ præcedere debuerat, antequā implerentur septuaginta anni, non autèm negat, quìn in Babylone complendi sint anni septuaginta, proùt dixerat cap. 25.& reductio ad terram Israel habet longum tractum, nèc sub illa visitatione comprehenditur.

At quandò septuaginta anni cœperunt? puto à captiuitate Sedeciæ, illius enim tempora percutit Ieremias cap. 25. & sempèr de illo loquitur, & est illa sola, non alia desolationis Ierem.25.11.2.Paral.vlt.21. ideò non placet quod in contrarium dicit Ribera Zach. 1. num. 22.

Nob obstat quod Ierem. 29. scribatur transmigratis sub Iechonia, & dicatur vers. 11. cū cęperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo supèr vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istum. quia illa intelligenda iuxtà cap. 25. captiuitate tota perfecta,& desolatione templi, & Ierusalem secuta. Vel quod Deus tùnc inciperet operari pro reductione, & fortè est illa auditio præcessura, de qua infrà cap. 51.46.

Non obstat Zacharias vers.1.cap.12. iste iàm septuagesimus annus est, quia Zacharias intelligit de anno septuagesimo transacto; si enim de præsenti, qui tùnc excurreret, nullam habuisset causam conquerendi non adimpleri quod Dominus promiserat, vndè meminit septuagesimi anni, vtì præfixi à Deo, nedùm captiuitati, sed & reædificationi domus, & Ierusalem: septuagesimus enim transactus à die,qua Cyrus captiuitatem absoluerat, alioquin si fuisset verè septuagesimus annus, præuentum esset in reædificatione, quia à tempore desolationis vsquè ad libertatem datam à Cyro reædificandi, non essent effluxi anni septuaginta, & tamèn eadem die, qua soluit captiuitatē, dedit & libertatem ædificandi, 2. Paralip. vlt. 22.1. Esdr.1.1.& septuaginta anni effluere debuerant tàm in vna, quàm in alia; Dicitur enim hìc vers. 2. *vt complerentur*, & cœpta fuerunt ædificia desolationis Ierusalem. & vers. 25. *vt iterùm ædificetur Ierusalem*, &c. septuaginta anni. idem innuitur 2. Paralip. 36.22. hìnc non potest stare diuersitas principij, vel finis septuaginta annorum per Riberam inuenta, Zachar. 1. nu. 34. cùm seqq. non enim verisimile Zachariā ab alijs prophetis in tempore dissensisse; vndè tutiùs videtur interpretari Zachariam, vt dixi, quod conquerebatur pòst licētiam datam differri ædificationem templi, & Ierusalem.

An verò dimissi fuerint primo anno captæ Babylonis, est dubium, quia sub Cyro dimissi fuerunt, & Darius præcessit, cuius duratio in regno controuertitur: & quamuis dicitur 2. Paral. vlt. 22. anno primo Cyri, & idem repetatur 1. Esdr.1.1. tamèn ex hoc non potest haberi veritas durationis regni Darij, vel temporis successionis Cyri, sed refertur tempus, quo dimissi, dùm regnaret Cyrus, non aliud; & antequàm hæc noua, etsi importantia, executioni demandentur à regibus in multis occupatis, solent excurrere spatia temporum; At satìs est scire primo anno Cyri indictam libertatem, Et Isa. 44. & 45. dicitur sub Cyro hanc indicendam, sed non terminatur aliud: & apparet vno anno Darium regnasse, vt hìc, de alijs vlterioribus non constat.

Nèc obstat Zachar.1.7. quia hìc de Dario euersore Babylonis, ibi de Dario Histaspis. ex his non placuit opinio Castri, Sanctij, Cornelij, Ierem. 29. annos septuaginta cœpisse à Iechonia.

Quòad hebdomadas septuaginta, dicerem initium earum fuisse, quandò annus septuagesimus captiuitatis finiuit; completus est autèm, quandò Cyrus dedit libertatem ædificandi templum, vt hìc ab *exitu sermonis*, &c. & omnes Iudæos absoluit à seruitute,& euersio Babylonis est visitatio promissa à Deo, præcedens annū septuagesimum, Ierem. 29.10. non enim credendum, aut antè

antè libertatem datã à Cyro inculcari prophetiam, aut (data illa) remanere tempus intermedium in suspenso, & vacuum; ad quid enim nunciare quæ non erant inceptura, nisi pòst annos, puta vsquè ad 18. Longimani? præsertim, quia cessauerat iàm prophetia Iacob in captiuitate, Genes. 49. & congruum erat pòst captiuitatem aliam prophetiam subrogari.

Prætereà, cœpit ædificatio templi sub Cyro, ergò ab illo, non à Longimano exordiuntur; & sìc dicitur Angelus ab *exitu sermonis*, iussionis, edicti, *vt iterùm ædificetur Ierusalem*, non postquàm ædificata fuerit. Nèc dicas Angelum loqui de ædificatione Ierusalem, non templi; nàm quælibet dispositio intelligitur de potiori, & hoc tēplum. Prætereà & simùl Ierusalem ædificatã pro habitatione operariorum, & præpositorum, & Ducum ad opus perficiendum transmissorum.

Prætereà, Deus per Isaiam tot antè sæcula dixerat de Cyro Iudæos liberaturo, & nō ab eo, sed ab alio hebdomadas exordiri: ex his habes principium hebdomadarum, finis verò est clarus, nempè mors Christi; Nèc possunt protendi ad desolationem, quia pòst illas hebdomadas desolatio sequuta multis annis interiectis. Hanc opinionem tenet Galat. lib. 4. Et si hebdomades non ità adamussim percurrerunt, puta quia aliquòd tempus remaneret verificandum in supradictis, non est id considerabile, quia sufficit illas peruenire ad tempora vicina; sìc probaui Genes. 49. & ad ibi dicta me remitto. Sed quia iàm hebdomades transactæ, & certi sumus vsquequò portendat finis illarum, à fine ordine retrogredo potest de facili in cognitionem principij deueniri. Aliam interpretationem hebdomadarum, vide apud Alcasar Apoc. 11. annot. 4.

CAPVT X.

ANNO tertio Cyri regis Persarum, hinc Danielē non trāsmigrasse in Ierusalem, cùm Cyrus primo anno libertatem concesserit, sed mansisse cùm rege, *verbum reuelatum est Danieli cognomento Baltassar, & verbū verum*, quia à se visum, certum, cognitum, *& fortitudo magna*, verbum tutum, firmū, quod succedet, & Angelus in fine cap. *scriptum veritatis; intellexitquè sermonem* ab Angelo declarante cap. 11. & 12. *intelligentia enim est opus* ab alio edocto *in visione* obscura, & perplexa. Non hìc generalitèr ad litteram, sed tamèn non diceretur propheta, qui non intelligeret, proùt non fuerunt Pharao, Nabùchodonosor, & alij, quia somnia, seù visiones eis factas non intellexerunt, vt alibì dixi; vide hìc Sanctium. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus; panem desiderabilem*, hìc restringitur ad solum panem, quia subdit de alijs, *non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, sed nequè vnguento vnctus sum, donèc complerentur trium hebdomadarum dies*, orans prò populo non afflicto à ministris regis, dùm tentabat ædificare templum, quia molestiæ non fuerunt sub Cyro, sed sub Artaxerse. 1. Esd. 3. sìc nequè pòst edictum Cyri libertatem abeundi concedentis vnquam prohibitus quisquam recedere, quod appareat in Scriptura. Prætereà, de his ageretur in reuelatione; & de his nullibì, vltrà quod non præsumitur Cyrum reuocasse quod cōcesserat, solicitus ergò Daniel, vt pèr Angelum infrà. At quænàm causa luctus, & desiderij futurorum? quia audierat cap. 9. occidendum à populo suo Messiam, populumquè Dei ampliùs non futurum, desolandam ciuitatem, & templum, quod tùnc reædificabatur, & desolationem perpetuam futuram, vndè cogitationes ascēdebant ad cor suum, quomodò nùnc recipit, liberatquè Deus populum, permittit ædificationem, cùm posteà adeò grauia sint supèr eum ventura, Sed quid tandèm erit, conuertetur nè vnquàm populus iste? sempèr rebellis manebit? *Die autèm vigesima, & quarta mensis primi*

primi eram iuxtà fluuium magnum, qui est Tigris, circà flumina sæpè factæ reuelationes, vt apud Chobar Ezechieli, Ieremiæ apud Iordanem, *& leuaui oculos meos, & vidi. Et eccè vir vnus* Angelus Gabriel, *vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo*, tamquàm paratus, *& corpus eius quasi chrysolitus*, &c. quæ importet hæc descriptio, vide hìc per alios, per me Apocal. 1. *vidi autèm ego Daniel solus*: sìc & Paulus, vt dictum Acto. 9. & Ioan. 12. *visionem* distinctam, *porrò viri, qui erant mecum non viderunt* distinctè, sed tantùm vocem inarticulatã terrentem, proùt & socij Pauli. *sed terror nimius irruit supèr eos*, &c.

Et dixit ad me: Daniel uir desideriorum, hìnc magìs confirmatur voluisse scire futura in populo suo, *intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo: nùnc enìm sum missus ad te; cumquè dixisset mihi sermonem istum, steti tremens, & ait ad me: noli metuere Daniel*, ex his omnibus apparet fuisse Angelum bonum, is enìm apparens terret, sed statim remouet terrorem, vt obseruaui in Zacharia; ibì vide. *quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendũ*, eccè quomodò anhelat scire futura, *vt te affligeres in conspectu Dei tui* pro populo tuo, *exaudita sunt verba tua*. sìc Tob. 3. Acto. 10. non tamèn sic, vt non audiretur princeps Persarum pro Persis agens. *& ego veni*, venire volui illicò, *proptèr sermones tuos*, quos ad Deum effudisti, vt te docerem; non enìm venit, quia suspensum decretum ad tempus, *Princeps autèm regni Persarum*, nàm hi præponũtur rectè à Deo, minus rectè à diabolo, cuius acta non approbarentur: Et si dicitur dæmon princeps huius mundi, tamèn insolitum, vt dicatur princeps vnius regni.

Primò, quia in hoc denotatur protectio, quæ non in illo vniuersali.

Secundò, Non haberet malus potestatẽ resistendi bono, & bonus non indiguisset alterius adiutorio:

Tertiò, Malus mala tantùm procurasset pro Persis, non bona, & nè templum Ierosolymis ædificaretur, vt Zach. 3.

Quartò, Non admittitur dæmon ad consiliũ, nisi pro læsione: sic in Achab, & Iob.

Quintò, Fieret mentio reuelationis factæ diabolo eorum, quæ Gabriel reuelaturus erat Danieli, quæ ei alio modo innotescere non poterant, & de hac nullibì; nèc præsumitur quod in Angelo bono conceditur.

Sextò, Sicùt dùm nominatur Michael bonus vnus de principibus primis, sìc daretur aliqua distinctio principatus mali, quæ non datur.

Septimò, Infrà agitur & de principe Græcorum agente eorum causam subrogandorum in regno, si is ergò bonus, similitèr & Princeps Persarum.

Octauò, Diabolus non stetisset pro Persis, sed contrà Persas, quia sempèr ad malum, numquàm ad bonum.

Nonò, Contrà malum Angelum omnes Angeli boni adiuuissent Gabrielem, non solus Michael; at Michael solus, quia protector populi Hebræi, non alij, quia ignorabant voluntatem Dei circà Persas, futura enìm ignota Angelis.

Decimò, Non pugnant Angeli boni cùm malis, sed dicunt: imperet tibi Dominus Zach. 3. Iudas epist. vers. 9. & hoc modo etiàm Apoc. 12. etsi non exprimatur. Teneamus ergò pugnã fuisse intèr bonos proponentes pro suis, quos protegebant, quæ expediebant, donèc Deus manifestaret voluntatem suam, cui concordes sempèr sunt. vide Fernand. visio. 26. sectio. 11. *restitit mihi viginti, & vno diebus*, agens pro populo suo; vndè steti pro populo tuo contrà illum, scilicèt distulit sìc Deus.

Sed dices (ex his fit clarius quod dixi) quodnàm erat bonum, quod Angelus bonus procurabat apud Deum pro Persis? nihil enim contrà Iudæos, vel alios, quod non est Angelicum, sed diabolicum, nisi quatenùs cõformant se cùm Dei voluntate etiàm in supplicijs?

Respondeo, nè Persæ delerentur à Græcis; hìnc Princeps Græcorum apparuit, sed nihil dixit, is autèm non vt pro Græcis exitium Persarum, sed nè & Græci subuertentur à Romanis, iuxtà ea, quæ Danieli reuelata erant: fortè nihil dixit, quia præcedere debebat destructio regni Persarum per Græcos.

Dices

Dices, quæ proponebat pro Persis suis Angelus; fortè labores eorum in Babylone euertenda, & regnis debellandis Deo ducente, quos in Tyro à Nabuchodonosor euersa considerauit, & remunerauit Aegypto Deus Ezech. 29. & in Iehu obedientiã in dimittendo populum Iudæorum, munificentiam in multis, sed præcipuè in vasis templi restitutis, fortè vt differretur, daretur spatium, proùt colonus in Euangelio, pro tertio, & quarto anno ad eorũ conuersionem ab idololatria, & alijs sceleribus. Hæc repræsentabat, petebatquè suspendi decretum Dei irreuocabile, & non reuelari; hic enim de reuelatione agitur, quam Gabriel Danieli afferre præstolabatur: Expectabat & Deus finem orationis, & luctus Danielis, differt enim reuelationes, & gratias, vt magìs afficiamur, instemus, eliciatquè à nobis efficaciores preces: has volebat præcedere, proùt Iesus non negauit Matri miraculum vini, sed distulit, donèc præpararentur quæ volebat, & decreuerat. At quid adducebat Gabriel pro populo Dei? fortè citò omnia exequi, vt Messias populo Israel promissus carnem sumeret, & adimplerentur omnia ad gloriam, & salutem populi spectantia, quæ differebantur regnis nõ subactis, & deletis, proùt iàm reuelatum fuerat, etenim sub Imperio Romano reuelandus erat Messias.

Non obstat, Angeli boni non dissentiunt, non pugnant; at id intelligendum iuxtà S. Tho. 1. par. q 113. art. 8. *& eccè Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum,* agens pro populo Israel, cuius protector: *& ego remansi ibì iuxtà regẽ Persarum,* subuenturus, & agens pro necessitatibus eiusdem populi ad curam meam dimissi. *Veni autèm* nùnc, antè remanserat, ideò primum *veni* fuit voluntatis promptæ, vt dixi, *vt docerem te quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus,* tàm successiuis, quàm tempore Messiæ, quæ dicuntur nouissima, & etiàm circà finem mundi; quia de Antichristo plura, eccè desiderium Danielis, non autèm subueniendi populo afflicto, *quoniàm adhùc visio in dies,* sæcula multa protenditur. *Cumquè loqueretur mihi huiuscemodi verbis, deieci vultum meum ad terram, & tacui,* audiens quæ diceret, vel potiùs quia non poteram loqui, vndè subditur. *Et eccè quasi similitudo filij hominis* Angeli, *tetigit labia mea,* &c.

Et ait, numquid scis quarè venerim ad te? & nùnc reuertar, vt prælier aduersùs principem Persarum, qui dùm pro Persis suis agit, est mihi impedimento agenti pro populo Israel, hæc autèm sunt alia vltrà dimissionẽ populi Hebræi in libertatem, quia iàm dimissus, & templi, quod ædificabatur, & reuelationis fiendæ, quæ iàm iussa, nequè hic contumacia Angeli, vt ex hoc malus, sed diligentia in suo ministerio pro Persis. *cùm ergò egrederer apparuit Princeps Græcorum veniens* coràm Deo, is pro Græcis agèbat, nè & ipsi delerentur: *verumtamèn annunciabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis* vera, infallibili, *nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester* Synagogæ, qui nùnc Ecclesiæ; non inferas ergò, alij contradicunt, sed sta in adiutorio huius tantùm in casu, de quo agitur, cùm Michael esset præpositus Synagogæ principalis; & id exprimit, vt eo magìs ei afficiantur.

CAPVT XI.

EGO *autèm* Gabriel loquitur, *ab anno primo Darij Medi stabam, vt confortaretur, & roboraretur,* vt deindè fieret locus in Cyro successore libertati Iudæorum captiuorum, proùt Isaias prædixerat, & Ieremias, & alij. *& nùnc veritatem annunciabo tibi,* eorum, quæ contingent populo, & toti orbi. *& eccè adhùc tres reges stabunt in Perside* pòst Cyrum, cuius regni tempore hæc proferebat cap. 10. nẽpè Cambyses filius Cyri, Smerdes, Darius Hystaspis. historias autèm regnorum horum ommitto omninò, quia ab omnibus ferè interpretibus indicatur: profert hæc Angelus

gelus, vt demonſtret de regibus contrarijs, vel amicis populo Hebræo, *& quartus ditabitur opibus nimijs ſupèr omnes*, is Artaxerſes, ſeu Xerſes: *& cùm inualuerit diuitijs ſuis concitabit omnes aduersùm regnum Græciæ*, Græcis enim bellum intulit, a quibus fuit victus, & proſtratæ vires Perſicæ, ideò vſquè ad hunc Angelus, non vltrà. *ſurget verò rex fortis*, is Alexander, qui Perſas debellauit, & tranſtulit regnum in Græcos, *& dominabitur poteſtate multa: & faciet quod placuerit ei: & cùm ſteterit* in ætate conſtanti 32. annorum, & in magna, floridaquè potentia, *conteretur regnum eius, & diuidetur in quattuor vẽtos* partes cœli: *sed non in poſteros eius*, quos non habuit ſucceſſores, *nequè secundùm potentiam illius, qua dominatus eſt*, nullus enim ſibi ſuccedentium peruenit ad eius fortitudinem, vel potentiam *Lacerabitur enim regnum etiàm in externos*, hæc diuiſio illius, *exceptis his*, quattuor nominatis: hiſtorias vide hic apud alios. *Et confortabitur rex Auſtri*, Aegypti, cuius primus rex pòſt Alexandrum Ptolomæus Lagi: *& de principibus eius*, Ptolomæus Philadelphus eius filius minor, *prænalebit ſupèr eum* Ptolomæum Lagi patrem ſuum, *& dominabitur ditione, multa enim dominatio eius. Et pòſt finem annorum fœderabuntur, filiaquè regis Auſtri veniet ad regẽ Aquilonis*, is Antiochus Deus pòſt Alexandrum, qui contrà Philadelphum bella geſſit, filia verò fuit Berenix, *facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachij* virium, ità vt diù duret regnum, *nèc ſtabit ſemen eius*, quia tolletur ipſe, & filius à Laodice, *& tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam, adoleſcentes eius, & qui confortabant eam in temporibus*, is vir eius Antiochus ſublatus ſimilitèr à Laodice. *Et ſtabit de germine radicum eius*, Antiochi Dei plantatio Ptolomæus Euergetes: *& veniet cùm exercitu, & ingredietur prouinciam regis Aquilonis*, Seleuci Callinici, qui patri Antiocho ſucceſſerat, & regnabit in Syria cùm matre Laodice, *& abutetur eis* ad libitum; *& obtinebit. Inſupèr & Deos eorũ, & ſculptilia, vaſa quoquè pretioſa, argenti, & auri captiua ducet in Aegyptum: ipſe prænalebit aduersùs regem Aquilonis*, Euergetes igitùr victor. *Et intrabit in regnum rex Auſtri, & reuertetur ad terram ſuam*, ſaluus, & victor. *Filij autèm eius* Seleuci Callinici defuncti, Seleucus, & Antiochus magnus, *prouocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum, & veniet properans, & inundans* more fluminis contra regem Aegypti, volentes vindicare iniuriam, & machinas tentas contrà Philopatorem filium Euergetis: *& reuertetur, & concitabitur; & congredietur cùm robore eius*, ad vnum reducit, quia ſolus Antiochus magnus remanſit, Seleuco ſublato. *Et prouocatus rex Auſtri* Ptolomęus Philopator, *egredietur, & pugnabit aduersùs regem Aquilonis* Antiochum magnum, *& præparabit multitudinem nimiam et dabitur multitudo in manu eius*, fuit victor, & Antiochus fuga lapſus. *Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius, & deiiciet multa millia, ſed non præualebit*, quia non cepit Antiochum, ſed pacem fecit. *Conuertetur enim rex Aquilonis* Antiochus magnus, *& præparabit multitudinem multò maiorem, quàm priùs: et in fine temporum, annorumquè veniet properans cùm exercitu magno, & opibus nimiis. Et in temporibus illis multi conſurgent aduersùs regem Auſtri*, Philippus enim Macedo iunxit ſe cùm Antiocho magno cõtrà Ptolomęum Epiphanem, qui Philopatori in Aegypto ſucceſſerat: *filii quoquè præuaricatorum populi tui* Hebræi delinquentes legem Dei *extollentur*, lætantes in malo, *vt impleant viſionem* Iſa. 19. ex eorum reputatione, non in veritate cùm ſpectet ad tempus Chriſti; hinc Aſſyrios, & Aegyptios dicit futuros eſſe vnanimes, *& corruent*, omnia enim euanuerunt, vt hic per alios. *Et veniet rex Aquilonis* Antiochus magnus in Syriam, quam ſibi ſubiecit, vt hic per Alios, *& comportabit aggerem, & capiet vrbes munitiſſimas; & brachia Auſtri non ſuſtinebunt*, quæ ipſe vicit, *& conſurgent electi eius* ad reſiſtendum, & non erit fortitudo. *Et faciet veniens ſupèr eum iuxtà placitum ſuum, & non erit, qui ſtet contrà faciem eius: & ſtabit in terra inclyta* promiſſionis, *& conſummetur in manu* potentia *eius*, quia ibi eam ſubegit. *Et ponet faciem ſuam, vt veniat ad tenendum* vni-

vniuersum regnum eius, Regis Austri, seù Aegypti, *& recta faciet cùm eo*, quia fœderabuntur: *& filiam fœminarum dabit ei*, Ptolomæus Antiocho Cleopatram nomine, *vt euertat illud*, hæc omnia ad regni Aegypti euersionem: *et non stabit, nèc illius erit*, quia Ptolomæus cautiùs egit insidijs detectis. *Et conuertet faciem suam*, prima cogitatione regnũ Aegypti inuadendi euanescente, *ad insulas, & capiet multas: & cessare faciet*, tentabit cessare frustrà Scipionem *principem*, auctorem *opprobrii sui*, quod sibi imminebat, *& opprobrium eius conuertetur in eum*, qui re infecta, & restitutis, & dimissis omnibus, quæ interceperat, & iniquis conditionibus abire coactus est. *Et conuertet faciem suam ad imperium terræ* suæ propriæ, & antiquæ, *& impinget, & corruet* cæsus ab alienis, *& non inuenietur* ibì mortuus; hìnc non fuit Antiochus magnus, de quo 2. Machab. 1. *Et stabit in loco eius vilissimus, & indignus decore regio* Seleucus Philopater: *& in paucis diebus conteretur non in furore, nèc in prælio*, vt de Saule, & Ionatha Dauid, sed à suis interfectus. *Et stabit in loco eius despectus*, Antiochus Epiphanes Romæ obses. Alij ad Antichristum, fortè sub typo, nàm & diabolo sub figura Regis Babylonis multa applicantur, maximè Isa. 14. Ezech. 28. & alibi. *& non tribuetur ei honor regius*, nàm fuga lapsus, nequè à Romanis accepit regnum, nequè à subditis receptus, sed cùm fraude, vt subdit. Idem volunt de Antichristo ignobili, & obscuro, *& veniet* clàm, & obtinebit regnum in fraudulentia. *Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius*, ab eo Antiocho. vide hic Hieron. & alios, *& conterentur*: insupèr & dux *fœderis* Ptolomæus Philometor 1. Machab. 1. 13. 2. Machab. 4. 21. 22. *Et pòst amicitias cùm eo faciet dolum*, &c.

Et quia *venient supèr eum Trieres, & Romani*, impedientes eum, nè aduersùs Aegyptum quicquam faciat: sic & Numer. 24. & quia hi Romani non extabunt tempore Antichristi Apoc. 17. non possunt hæc applicari Antichristo. *Et percutietur* iussionibus Romanorum, *& reuertetur* obediẽs, & inglorius; *& indignabitur contrà testamentum sanctuarii*, contrà Hebræos desertores Deo volente. *Et brachia* duces *ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis*, fortè templum, & quia hoc non erit in aduentu Antichristi; ideò hæc non ad eum, *& auferent iuge*, perpetuum *sacrificium* è templo: sic suprà cap. 8. *& dabunt abominationem* idòlum Iouis Olimpij 2. Mach. 6. *in desolationem* templi, in quo sacrificia solita offerri non poterant, vel vt 1. Mach. 1. & 4. *Et impii in testamentum* legem *simulabunt fraudulentèr*, qui alios prodent, *populus autèm sciens Deum suum*, nec ab eo discedens, loquitur de bonis, & Machabæis Eleazaro, & septem fratribus *obtinebit* contrà eum, *& faciet iuxtà* cor suum Deo adiuuante, *Et docti in populo*, illi scientes, proùt Machabæi *docebunt plurimos*, vt firmi stent in fide Dei veri: *& ruent* multi *in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum*, temporum diù duraturorum. *Cumquè corruerint, subleuabuntur auxilio paruulo*, ex Machabæis orto. *& applicabuntur eis plurimi fraudulentèr*, suadentes eos recedere à cultu veri Dei. *Et de eruditis ruẽt* ad supplicia, ærumnas dabuntur, *vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vsquè ad tempus præfinitum*, vt probentur, *quia adhùc aliud tempus erit*, quo gaudebunt ablatis ab eis doloribus, *Et faciet iuxtà voluntatem suam rex* Antiochus, *& eleuabitur, & magnificabitur aduersùs omnem Deum*, idòla gentium, quæ spoliare tentauit, & quasi se Deum voluerit teneri 2. Machab. 9. & in Epist. Samaritarum per Iosephum, *& aduersùs Deum deorum loquetur magnifica*, superba, de quo & supra cap. 7. & 2. Machab. 9. *& dirigetur* prosperabitur *donèc compleatur iracundia* Dei: *perpetrata quippè est definitio* à Deo; *Et Deum patrum suorum*, maiorum suorum Regum prędecessorum, *non reputabit*, phana enìm illorum expilabit, adeò erit infidus, & excors; & infrà *nèc quemquam Deorum curabit*. Hoc non potest intelligi de vero Deo; tùm quia hic Deus maiorum dicitur, qui illis non fuit, notus enìm in Iudęa Deus, & Deus verus suprà nominatus *Deus Deorum*, & mentio de illo ibì facta hanc excludit, & infrà *Deum, quem ignorauerunt patres eius*, & ha-

& habuit ipse Deum particularem, vt infrà. Non obstat, si maiores contulerint ad templum in Ierusalem, quia non ideò ille Deus eorum, proùt neque Samaritarum idòla simùl colentium, *& erit in concupiscentiis fæminarum*, fuit enim Antiochus libidinosus, vt hic Hieron. & 2. Machab. 4. *nèc quemquam deorum curabit, quia aduersùm vniuersa consurget*, præferens illis auaritiam suam. *Deum autèm Maozim* fortem *in loco suo venerabitur*. quis hic Deus, incertum, Certum est statuas Iouis in Ierosolymitano, & Garizim constituisse; vndè in dubio de hoc intelligendum; is enim Deus fortitudinis, cui dantur fulmina, & alia perterrefacientia. At non placet, quia hi dij erant apud alios, & ipse nullum eorum adorabat; sed hunc tantùm, qui ab illis distinguitur. At statuas illorum collocauit in templis illis, vt ea contaminaret, & prouocaret populum ad idolòlatriam, & à cultu veri Dei abstraheret. Non potest intelligi diuitiæ, quia excluduntur à verbis *in loco suo*, & ab alijs, *colet auro, argento, lapide pretioso, rebusquè pretiosis*, & quia dicitur ignorasse patres eius, & diuitiarum non datur ignorantia in Regibus. *& deum illum* Maozim, *quem ignorauerunt patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusquè pretiosis*, Alij ad Antichristum hæc aptant; Sed quomodò Antichristus colet Maozim, cùm exaltandus sit, ità vt velit ipse adorari? 2. Thess. 2. Apoc. 13. & licèt dicatur suprà de Antiocho, *nèc quemquam deorum curabit*, significatur vitium ipsius, non quod sit adoraturus neminem, quia Maozim venerabitur, vt hìc, qui excipitur. Nèc dicas hunc adoraturum secretò, quia nullibi probatur. ex his corrige dicta Apocal. 13. col. 2. in princ. *Et faciet* hæc tanta, *vt muniat*, stabiliat *Maozim cùm deo alieno, quē cognouit* æqualem illum faciens alijs dijs, abstrahens vnūquemquem ab alio deo cognito, quod vt fiat, *& multiplicabit gloriam* talium hærentium Maozim, *& dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuitò*, de eius promissis, 1. Machab. 2. 18. 2. Machab. 7.

24. *Et in tempore præfinito præliabitur aduersùs eum rex Austri*, Ptolomæus Philometor, *& quasi tempestas veniet contrà illum Rex Aquilonis in curribus, & in equitibus, & in classe magna, & ingredietur terras, & conteret*, victor erit, *& pertransiet* Antiochus à Romanis vetitus, *Et intrabit in terram gloriosam* promissionis: sic in Thren. cap. 1. inclytam: repetit quæ suprà dixerat ad maiorem firmitatem, quod est in prophetis vsitatum, *& multæ corruent: hæ autèm solæ saluabuntur de manu eius Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon*, hæc fortè causa rèpetitionis, quia de his nō egerat. *Et mittet manum suam in terras* ad eas debellandas, & nemo effugiet imperium Antiochi; & si hæc de Antichristo, præsupponeretur aliquid de eo, puta, quod priùs Aegyptum esset superaturus, & alias regiones, & deindè præter Edom, &c. & exceptio ei non competit futuro regionum omnium domino; nèc possunt regiones hæ capi pro desertis locis, & sic dari locus capit. 12. Apoc. cùm habitarentur, *& terra Aegypti non effugiet*, quia & ipsa passa est, vt suprà, *Et dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti*, hæc ad tempora, quibus hæc contigerunt suprà recitata, & sic est etiàm repetitio iàm dictorum, & quasi epilogus factorum Antiochi magni, *per Lybiam quoquè, & Aethiopiam transibit*, id fortè actum in reditu de Aegypto, vel accessu. *Et fama turbabit eum ab Oriente, & ab Aquilone*, exercituum concisorum, & aliorum, quæ hìc per alios, *et veniet in multitudine magna, vt conterat, & interficiat plurimos* in Ierusalem, & in Machabæis. *Et figet tabernaculum suum Apadno intèr maria supèr mōtem inclytum, & sanctum: & veniet vsquè ad summitatem eius* templum, quia rèdit in Iudæa in reditu, *& nemo auxiliabitur ei*, quia fœda infirmitate à Deo interficietur. sic Antichristus deijcietur à Christo Apocal. 19. ità vt auxilium nullius sit ei profuturum; sed de Antichristo iàm dixerat Daniel, & cap. seq. de eodem

CAPVT XII.

IN *tempore autèm illo* Antiochi, *consurget Michael Princeps magnus* intèr Angelos, *qui stat pro filijs populi tui* Hebræi, seù Synagogæ, cuius protector, vt cap. 11. dixit liberaturus populum, prædicta contrà Antiochum operaturus. Vel potiùs *in tempore illo* Antichristi, &c. nā quę sequuntur Antiocho non aptantur, & tùnc *in tempore illo*, nō Antiochi, de quo præmiserat in cap. 11. sed quod in mente habebat, de quo subdit, *& veniet tempus*, transit ad dies nouissimos Antichristi, de quibus Christus Matth. 24. nisi dicas & hæc ad Antiochum posse pertinere, quia numquàm adhibita antè martyria ad negandum Deum; vel per hyperbolem *quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, vsquè ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro*; cùm enim multitudo gentium intrauerit, tùnc omnis Israel saluus fiet; vide scripta Roman. 9. At hæc, & quæ sequuntur Antiocho non aptātur, hinc dubiam reputo hic scribentium Recentiorum, & Alcasar Apocal. 11. not. 17. & c. 14. not. 2. & c. 20. not. 5. opinionem de Antiocho totum hoc caput intelligentium. Sed an omnes? vide scripta Rom. 9. *Et multi*, omnes enim nos repræsentari oportet antè tribunal Christi, &c. *de his, qui dormiunt* mortui sunt, *in terræ puluere*, vel in sepulchris, vel alibi sic resoluti *euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium*, supplicium æternū, *vt videant sempèr* illud, & confundantur, & etiàm videantur Isai. 66. in fin. *Qui autē docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti*, & Christus, tùnc fulgebunt iusti sicùt sol, & c *qui ad iustitiā erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, qui enim fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Tu autèm Daniel claude sermones, & signa librum vsquè ad tempus statutum*, quasi hæc in nouissimis diebus verificanda: *plurimi pertransibunt* quærentes hæc à me dicta, *& multiplex erit scientia* horum antequàm fiant, in varias sententias ibitur. *Et vidi ego Daniel, & ecce quasi duo alii stabant, vnus hìc supèr ripam fluminis, & alius indè ex altera ripa fluminis*, hi Angeli boni. *Et dixi viro* Angelo, *qui erat indutus lineis, qui stabat supèr aquas fluminis*, de quo suprà in capitibus præcedentibus. *Vsquequò finis horum mirabilium?* sic interrogabant Discipuli Christum de eisdem: quandò hæc erunt, & quod signum aduentus tui? *Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui stabat supèr aquas fluminis, cùm eleuasset dexteram, & sinistram suam in cœlum, & iurasset per viuentem in æternum*, ad maiorem dicendorum firmitatem, & fidèm, *quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis*, per tres annos cùm dimidio durabit regnum Antichristi. sic & Apocalyp. 11. *Et cùm completa fuerit dispersio manus* multitudinis, exercitus, *populi sancti* cùm ad summum peruenerit persecutio Sanctorum per Antichristum fienda, *complebuntur vniuersa hæc* de Antichristo dicta. *Et ego audiui, & non intellexi* mihi dicta, *Et dixi: Domine mi, quid erit pòst hæc?* à te dicta; *Et ait: vade Daniel, quia clausi sunt, signatiquè sermones vsquè ad præfinitum tempus* reuelationis: sic Apocalypsi. 1. ignota sunt hæc, tempus iudicij incognitum. *Eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi* persecutionibus Antichristi, *& impiè agent impii, nequè intelligent omnes impii*, quia obscuratum habent intellectum, sic tempore Noe, & Lot, Matth. c. 24. *Porrò docti intelligent* Spiritu sancto infusi, *Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium*, tentatum fuerit auferri, quia durabit vsquè ad iudicium, at occultè, proùt in exordio nascentis Ecclesiæ; vel ablatum publicè, duraturum enim

vsquè

vſquè ad diem iudicij dixi Apoc. 12. probatur Iſai. 62. ex intellectu Hieron. *& poſita fuerit abominatio in deſolationem*, dùm Antichriſtus volet adorari tanquàm Deus, *dies mille ducenti nonaginta*, Apocal. 11. 2. menſibus quadraginta duobus. ſuprà annis tribus cùm dimidio. *Beatus qui expectat, & peruenit vſquè ad dies mille trecentos trigintaquinque*, quia tùnc propior ſalus, fides tuta, & ferè probata, & tùnc regnum erit Sanctorum ſuprà cap. 7. 27. Sed an dies iudicij pòſt 45. dies à morte Antichriſti, dixi alibi. An verò ſigna à Chriſto prædicta antè iudicium, antè, vel pòſt mortem Antichriſti adimplenda, hìc Sanctius; crederem antè, quia pòſt certa dies iudicij, ſi pòſt 45. dies ſecutura. *Tu autèm vade ad præfinitum* tibi locum ſalutis, *& requieſces, & ſtabis in ſorte tua in finem dierum*, in ſinu Abrahæ, quaſi tu hæc non videbis.

CAPVT XIII.

ERAT *vir* Iudæus *habitans in Babylone, et nomen eius Ioachim*, &c. ſupèr hoc cap. pauca occurrunt dicenda, quia hiſtoria per ſe valdè clara. verſic. 22. *Ingemuit Suſanna, & ait, Anguſtiæ ſunt mihi vndiquè, ſi enim hoc egero, mors mihi eſt* æterna, quia Deum offendo: *ſi autèm non egero, nō effugiam manus veſtras* calūnioſas, quæ ducent me ad mortem temporalem. *Sed melius mihi eſt abſquè opere incidere in manus veſtras*, & pati etiàm mortem *quàm peccare in cōſpectu Domini*, vos enim corpus ſolùm, at ille vnà cùm illo animam perdere poteſt. *Et exclamauit voce magna Suſanna*, oſtendens ex hoc diſſenſum, vt in puella cauetur in lege Moyſi, *exclamauerunt autèm & Senes aduersùs eam*, volentes ex hoc eam reā facere. *Et cucurrit vnus ad oſtia pomarii, & aperuit*, &c. vſquè ad verſ. 42.

Huius rei teſtes ſumus, quid non fingit malitia? *Credidit eis multitudo quaſi ſenibus, & iudicibus populi, & condemnauerunt eam ad mortem*, non condemnauerunt ſenes, quia interueniebant vti teſtes, ſed remiſerunt iudicium in populum. *Exclamauit autèm voce magna Suſanna, & dixit*, ad Deum recurrens in re deſperata, *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor*, ſcrutatorquè cordium, *qui noſti omnia, antequàm fiant, tu ſcis quoniàm falſum teſtimonium tulerunt contrà me: et eccè morior, cùm nihil horum fecerim, quæ iſti malitioſè compoſuerunt aduersùs me. Exaudiuit autèm Dominus vocem eius* innocentis, quia non relinquit, virgam peccatorum ſupèr ſortem iuſtorum, & oculi Domini ſupèr iuſtos, & aures eius in preces eorum; clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos. *Cumquè duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dominus ſpiritum ſanctum pueri iunioris*, hoc addit ad denotandam eius ætatem paruam, *cuius nomen Daniel: & exclamauit voce magna. Mundus ego ſum à ſanguine huius*, ſic & Pilatus qui addidit, iuſti, ſed proteſtatio ſua fuit cōtraria facto, ideò non profuit. *Et conuerſus omnis populus ad eum, dixit. Quis eſt iſte ſermo, quem tu locutus es?* contrà ſententiam omnium iàm dictam. *Qui cùm ſtaret in medio eorum, ait: ſic fatui filii Iſrael non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſrael?* quaſi cauſa non rectè cognita iudicaſtis, *reuertimini ad iudicium*, cauſa reuideatur, *quia falſum teſtimonium locuti ſunt aduersùs eam. reuerſus eſt enim populus cùm feſtinatione*, timens, vel proptèr Suſannam, *& dixerunt ei Senes* populi: *veni, & ſede* iudicaturus, *in medio noſtrum, & indica nobis: quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis. Et dixit ad eos Daniel: ſeparate eos ab inuicèm procùl* nè conueniant doloſè in dictis, *& diiudicabo eos* ex ore eorum. *Cùm ergò diuiſi eſſent alter ab altero, vocauit vnum de eis, & dixit ad eum. Inueterate dierum malorum nùnc venerunt peccata tua, quæ operabaris priùs iudicans iudicia iniuſta, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino, Innocentem et iuſtum non interficies*, hæc iacit in eum, vt timorem incutiat. *nùnc*

ergò si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi, ex hoc enim inveritatem facti tutò deuentum. *qui ait, sub schino; dixit autèm Daniel, rectè mentitus es in caput tuum: eccè enim Angelus Dei accepta sententia ab eo,* quasi non erit iudiciũ, vel factum hominum, sed Dei innocentiam protegentis, ideò Angeli, & Dei facta mentio, vt etiàm iudicium proponeret irreprehensibile, & firmum, *scindet te medium. Et amoto eo iussit venire alium, & dixit ei: semen* (vtitur his verbis acribus ad illum terrendum) *Chanaan*, sic Principes Sodomorum, & Gomorrhæorum, *et nõ Iuda species decepit te*, eccè quomodò ex Deo nouerat factum Daniel, *et concupiscentia subuertit cor tuum*, &c. vers. 65.

Et rex Astyages appositus est ad patres suos, Hinc denotatur historiam hãc sub Dario contigisse primo anno regni sui in Babylone, & non esse verum, quod Darius mediam petierit, & secum duxerit Danielem, vt suprà tenui. Et hoc argumentum currit, etsi hæc verba principium sint sequentis capitis, vel sint proœmiũ, *et suscepit Cyrus Persas regnum eius*, liberator Iudæorum.

CAPVT XIV.

ERAT autèm Daniel conuiua, commensalis *regis, et honoratus supèr omnes amicos eius. erat quoquè idòlum apud Babylonios nomine Bel*; Rex ergò Babylonius Euilmerodach, vel Baltassar, qui Bel colebant: *et impendebantur in eo per dies singulos*, &c.

At non vides quanta comedat, et bibat quotidiè? eccè quomodò detinebantur homines in idolòlatria, & si Rex; quantò magìs populus? *et ait Daniel arridens*, &c. vsquè ad vers. 36.

Et clamauit Habacuch dicens: Daniel serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus, et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, et non dereliquisti diligentes te, Deus suis prouidet in angustia, cùm ipsis est in tribulatione. *Surgensquè Daniel comedit. Porrò Angelus Domini restituit Habacuch confestìm in loco suo*, sic & Philippum Angelus. *Venit ergò rex die septimo*, fortè populus sìc præfixerat, & rex timuit contraire, *vt lugeret Danielem: et venit ad lacum, et introspexit, et eccè Daniel sedens in medio leonum. et exclamauit voce magna rex dicens: Magnus es Domine Deus Danielis*, eccè vtilitas miraculi. *et extraxit eum de lacu leonum. Porrò illos, qui perditionis eius causa fuerãt, intromisit in lacum, et deuorati sunt in momento coràm eo*, iàm enim cessauerat tumultus, & seditio. *Tùnc rex ait: Paueant omnes habitantes in vniuersa terra Deum Danielis: quia ipse est saluator, faciens signa, et mirabilia in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum*, Deus voluit per Regem hæc innotescere, vt in cognitionẽ eius omnes venirent; hinc per Iudæos captiuos gentes instruebat Tob. 13. At qualis hic rex, sub quo hæc contigerunt? dic Babylonius, vel Nabuchodonosor, vel Euilmerodach, vel Baltassar, quia hìc de gestis in Babylone, de Babylonio Deo, de populo Babylonio agitur, & de frequenti adoratione Regis, & vi populi Babylonij, quæ omnia non conueniunt Dario, vel Cyro, vel alteri Regi externo, seù eorum temporibus, qui tàm affecti essent huic idòlo; nequè ea erat Babylonij populi in eos potentia. vltrà quod cõuiuam esse Regis in Daniele magìs conuenit Babylonio, quàm externo Regi, ad caput 1.

FINIS PROPHETIAE DANIELIS.

IN
OSEAM.
CAPVT PRIMVM.

VERBVM iussio *Domini, quod factum est ad Osea filiũ Beeri*, nominatur pater pro maiori cognitione; *in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ Regum Iuda, et in diebus Ieroboam filii Ioas Regis Israel*, vt magis firmentur eius dicta. Proferuntur reges, & vtriusque regni, quia de vtroque regno tangitur per eum: Non autèm placet exprimi Israël, vt intelligeremus non in fine Oziæ, sed in quartodecimo eius regni Oseã prophetasse, nàm expressio Iuda, & regis Ieroboam tollit hoc commentum. *Principium*; dixerat *verbum Domini*, nùnc incipit à principio explicare quid hoc sit: non ergò *principiũ* respectu aliorũ prophetarũ, *loquendi Domino in Osea* per Oseã, *& dixit Dominus ad Oseam: vade, sume tibi vxorem* legitimam, non vtì fornicariam, quia aliòqui res fuisset mali exempli *fornicationum* verè, carnalitèr, meretricem, non idolòlatram; nàm cùm deberet seruire pro signo, seù symbolo, proùt sæpè Deus his apparentibus vtebatur per prophetas suos, debuerat etiã nota esse fornicatio; si autẽ fuisset idolòlatra, nõ poterat populo apparere, vel admirationem inferre, ità vt interrogarent Oseam, qui erat scopus, & ab eo intelligerent supèr populum euentura mala: idolòlatria enim frequẽtabatur, & non patebat omnibus, & singulis, immò hoc fuisset peioris exempli. Idem si gentilis fuisset, quia multi ex Iudæis gentiles mulieres in vxores acceperant, & accipiendo ad Deum conuerterant; vndè ex solitis nulla admiratio oriebatur. Nequè mirandum in hoc, si consideres concubitum filiarum Loth, Thamar cùm socero, Dauid cùm Bethsabee, sed clarum redditur à sequentibus, *et fac tibi filios fornicationum*, censetur enim præcessisse id, ad quod inuitabat prophetam, & quia exprimitur nomen mulieris quasi cognitæ, & publicæ *Gomer*, &c. Prætereà de muliere satis impropriè dicitur fornicaria pro idolòlatra. Ex hac iussione cognoscitur misericordia Dei, quia fortè volebat dicere, sicùt ego iubeo tibi assumere fornicariam, sìc ego assumam populum idolòlatram, si ad me recurrat, & idòla dimittat, *& fac tibi filios fornicationum*, ex illa scilicèt fornicaria tua vxore orituros, non cùm peccato.

Non placet *filios fornicationum*, quia & ipsi fornicaturi; nàm hoc nihil ad populum ab idolòlatria amouendum, & longum tempus importabat, & quibusnàm apparuisset? qui est scopus. Prætereà, vt quid Deus de filijs in specie sìc dixisset, quod non solet? potiùs dixisset, vt illos à fornicatione auerteret, & est diuersum agere de iàm fornicaria, & nouos facere fornicarios, primæ nihil additur; at secundis nouum peccatum. Prætereà, satis fuit ex nomine filiorum demon-

ſtrari inſtātem populo calamitatem, abſquè noua repræſentatione in moribus eorumdē. Quarè ſtandum eſt, *fac filios fornicationum* ex illa muliere olim fornicaria; ſic Hieron. Non dicas colligi contrarium ex ſubiectis, *quia fornicans fornicabitur terra à Domino*, nam hæc inferuntur ex ſuſceptione fornicariæ, non ex filiorum procreatione, primum enim verum, ſecundum non, niſi quatenùs antiquum morem mulieris refert, *quia fornicans fornicabitur*, repetitio denotat magnum exceſſum *Terra* promiſſionis *à Domino* ſuo, à quo per fornicationem, ideſt idolòlatriam recedet, pòſt ipſum abibit. *et abijt, & accepit Gomer filiam Debelaim*, ex nomine mulieris apparet veritas facti, quæ & ex generatione filiorum ſucceſſiuè colligitur, & aliòqui quinàm effectus bonus in populo ortus eſſet, ſi imaginariè hæc contigiſſent? *& concepit, & peperit ei filium*, eccè quò fornicatio tendat. *Et dixit Dominus ad eū: voca nomen eius Iezrahel*, cur hoc nomen, ſubdit, *quoniam adhùc modicum & viſitabo*, puniens *ſanguinem* fuſum *Iezrahel ſupèr domum Iehu*, ac viſitaui ſanguinem Naboth per eum, & hoc ob eius idolòlatriam, quàm ipſe in alijs ex mādato meo corripuit, 4. Reg. 10. & in qua poſteà ipſe ſe immerſit; non enim apparet de alio vitio Iehu, nequè alio ſanguine fuſo prætèr Dei mandatum. Vel ſanguinem ex Dei mandato per eum fuſum mala intentione, proùt ſæpiùs eodem modo dixit viſitaturum, & viſitauit reges, & populos, quos ipſe ad puniendum Iſrael duxit, quia non recta intentione, vel excedendo mādatum peccauerunt, *et quieſcere faciam* penitùs, ità vt non nominetur ampliùs, datæ enim fuerunt decem Tribus in perpetuam captiuitatem Aſſyrijs, *regnum domus Iſrael. Et in illa die conteram arcum* fortitudinem, potentiam *Iſrael in valle Iezrahel*, in qua ampliſſima commiſſum prælium, & victus Iſrael, & in vallibus ſolet acies dirigi; nequè hìc de Iehu, cui ſatisfecerat, ſed de regno ipſo ſub domo Iſrael generali nomine, non particulari. *Et concepit adhùc, & peperit filiam, et dixit ei: Voca nomen eius Abſq; miſericordia: quia non addā vltrà miſereri domui Iſrael*, quam diù expectaui, vt conuerteretur, & non eſt curatio, *ſed obliuione obliuiſcar eorum*, ità vt vſquè in finē ſint permanſuri, tùnc enim omnis Iſrael ſaluus fiet; hìnc hæc filia calamitatibus, & opprobrijs magìs ſubiecta. *Et domui Iuda miſerebor*, quia ex ea, vt promiſi, oriturus Meſſias, non proptèr Ezechiam, *et ſaluabo eos in Domino Deo ſuo*, proùt pluit Dominus ignem à Domino: *& non ſaluabo eos in arcu, & in gladio, et in bello, et in equis, et equitibus*, ſed vt tempore Sēnacherib, & in captiuitate Babylonica iuſſu Cyri. *& ablactauit eam.* hoc dicit, vt denotet ſuperuiuentiam, & conſequentèr firmitatē ſignificatorū, *quæ erat abſquè miſericordia*, vel abiecit eā à ſe in captiuitatem, non reuerſuram, proùt ablactatus non redit ad lac. *Et concepit, et peperit filium, & dixit, voca nomen eius, non populus meus, quia vos non populus meus*, nā intèr gentes conſtitutus, quaſi vnus illarum factus eſt, *& ego non ero veſter* ob magna ſcelera veſtra. Adhùc ſtat in decē Tribubus; iam enim de Iuda ſaluando dixit, & non niſi pòſt mortem Chriſti aptari poteſt duabus Tribubus. *Et erit numerus filiorum Iſrael*, fidelium, Chriſtianorū, nè exiſtimarēt Deo filios defuturos, ſeù credentes, *quaſi arena maris, quæ ſinè menſura eſt, & non numerabitur*, ſic dictum Abrahæ: & Ioannes Baptiſta: potens eſt Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. *Et erit in loco* intèr gētes, *vbì dicetur eis* fidelibus. *non populus meus vos*, ſed quod maius eſt *dicetur eis: filij Dei viuentis*, dedit enim poteſtatem eis filios Dei fieri Ioan. 1. vide Albam centur. c. 53. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael paritèr* in Eccleſia Catholica, tùnc enim nulla erit diſtinctio, ſed vnum ouile, & vnus paſtor. *Et ponent ſibimet caput vnum* paſtorem, Chriſtum, *& aſcendent de terra* creſcent, benedicentur, *quia magnus dies Iezrahel* populi Dei. Poſſet fortè meliùs dici, *et erit* aliquandò *numerus filiorū Iſrael* credentium, *quaſi arena maris, quæ ſinè menſura eſt, & non numerabitur*, proùt dictum Abrahę, *et erit in loco*, in quo prędicatū fuerit Euangelium, & ſic in toto mundo, indefinita enim æquipollet vniuerſali, *vbì dicetur eis; non populus meus vos* ſolùm, ſed quod maius eſt *dicetur eis, filij* eſtis *Dei viuentis*, & cùm plenitudo gentiū intrauerit,

de his enìm actum, tùnc *congregabuntur* in nouissimo tempore *filij Iuda, & filij Israel paritèr* iunctìm in Ecclesia Catholica, *& ponĕt sibimet caput vnum*, Christum, Messiam, quem recognoscent, *& ascendent de terra* leuabunt capita sua appropinquante redemptione eorum efficaci, *quia* tùnc *magnus* erit *dies Iezrabel*, populi Iudaici conuersi, & Messiam recognoscentis; Hincquè deducitur non futurum sempèr Israel non populum, & absquè misericordia, sed reliquias in fine saluandas, proùt & ex Paulo Rom. 9. & sìc prædictionibus acerbis subduntur dulces, quod ferè sempèr fit in prophetis, & speciatìm in hoc genere salutis Israelitarum in fine exituræ. Posset etiàm dici, *& erit numerus filiorum Israel* carnalis aliquandò in nouissimis diebus, cùm plenitudo gentium intrauerit, *quasi arena maris, quæ non numerabitur*, & similitèr ad eumdem applicari, *& erit in loco*, &c. *&* tùnc, cùm hæc erunt *congregabuntur*, &c. & sic stare sempèr in populo Israel; At cùm hęc ad finem mundi, quo reliquiæ Israel saluæ fient, non videntur aptari verba *arena maris*, &c. & vbi vnquàm filij Dei vocati, vel sic vocabuntur, nisi in fine? Hæc sìc dicebam, at nùnc magis placet. *Et erit numerus filiorũ Israel*, &c. hæc vidétur respicere duodecim Tribus carnales, & tempus pòst reditum à captiuitate Babylonica, quo simùl cùm Iuda in Terram promissionis plures ex decem Tribubus redierunt, & simùl coierùnt, & multiplicatæ sunt vsquè ad captiuitatem Romanã, in qua posteà iterùm dispersi sunt, tùnc enìm potuerunt dici, *quasi arena maris*; in eorum multiplicatione; & de decem Tribubus redituris cùm captiuis Babylonicis Ierē. 3. & 50. Oseæ 2. in fin. Tob. vlt. Ezech. 37. sub lignis duobus; vndè negari non potest aliquos redijsse ex Tribubus decem iuxtà prophetias; immò etsi non redijssent, sufficit multiplicatio earum in terra Palestina, proùt erat tempore Christi; vndè Matth. 4. 13. terra Zabulon, & terra, &c. de quibus Isai. 9. 1. & si etiàm pauci venissent, sufficit venisse aliquos, eosquè multiplicatos. Comprehenduntur autèm sub Israel duodecim Tribus, quia iàm de Iuda saluando dixerat, nèc erat quod de illa repeteret, & sic intelligit Sanctus Hiero. *Et erit in loco, vbì dicetur eis non populus meus vos*, intèr gentes, quæ illos priùs sìc abiectos, & vagos videbant, sed *dicetur eis*, quòd plus est *filij Dei viuentis* ob protectionem, qua illos protegam, *viuentis* verò ad differentiam idòlorum mortuorum, & mutorum. *Et* quia tùnc (ostendit quomodò id fiet, vt Israel sìc multiplicetur) *congregabuntur filij Iuda, & filij Israel paritèr* simùl ex captiuitate Babylonica, *& ponent sibi caput vnum* Zorobabelem ducem, & alios successores, quia vnicus fuit rector duodecim Tribuum pòst captiuitatem Babylonicam, *& ascendent de terra* Aquilonis, in qua captiui detinebantur, iussu Cyri liberati; *quia* ideò *magnus* longus *dies* is *Iezrahel*, populi disseminati in varias regiones, & illius vnione, quia sequitur captiuitas Babylonica septuaginta annorum, deindè hæc fient.

Videtur autèm hic intellectus aptus, quia cùm suprà de Israele carnali, & Iuda carnali saluandis egisset, præsumitur continuare eamdem materiam.

Secundò, quia tristibus solet Deus læta subnectere in suis prophetis.

Tertiò, quia dixerat de Israele *non populus meus*, subdit ex opposito de eodem eadem verba: sic & in Daniele, non erit eius populus, quem eum negaturus est, id nunquàm de gentili.

Quartò, subdit *vos eis* referens eosdem, de quibus suprà egerat, non gentiles, de quibus nihil.

Quintò, aptatur eisdem, vt liberati à captiuitate Babylonica dicantur filij Dei viuentis, quia & in eductione ab Aegypto dicitur, Vocaui filium meum ex Aegypto, Oseæ 2. & non minor hæc liberatio, quàm illa: tùm ex solo iussu Dei absquè prodigijs, quod fuit maioris admirationis intèr gentes; tùm quia sæpiùs dicit Deus in Isaia, & Ieremia huius faciendam mentionem tamquàm solemnioris, & maioris, non ampliùs illius.

Sextò, si agendum de spiritualibus, id faciendum, dùm dixit liberaturum Iuda, & tamèn de temporalibus intelligitur, vt suprà.

Septimò, quia verba *congregabuntur filij Iuda, & filij Israel paritèr*, non aptantur ad spiri-

ſpiritualia, non quidèm ad Iſraelem, & Iudam carnalem, quia cùm de illis ſuprà carnalitèr egiſſet, non præſumitur mutaſſe ſermonem de carnali in ſpirituale; Non ad gentes, quæ etſi ſub Iſraele comprehendantur, non tamèn ſub verbis *filij* vt hic, & cùm additione *Iuda*, eò magis, quia & de Iſrael, & de Iuda carnalibus ſuprà egerat, vndè præſumitur continuare de eiſdem.

Prætereà, quomodò ad ſpiritualitatem *ponent ſibi caput vnum*, quod videtur ab eligentibus pendere, quod de Meſſia dici non poteſt, nequè trahi ad gentiles? quia caput hoc ponitur ſupèr ipſos tantùm Iſrael, & Iuda. Et ad gentiles quomodò applicabuntur verba, *& aſcendent de terra?* hoc enim illis nullo modo quadrat; proùt nequè vltima, *quia magnus dies Iezrahel*, quæ ſolis Hebræis conueniunt: tùm ex loco: tùm ex ibi geſtis: tùm quia pro illis ſuprà idem verbum bis expreſſerat. Puto autèm præmiſiſſe de ſaluando Iuda, vt intelligerent Iſraelitæ hāc ſalutem mediante Iuda recepturos.

Vltrà prædicta, quibus apparet hęc populo gentili applicari non poſſe, illud etiàm facit, quia populus gentilis numquàm dictus populus Dei, quomodò ergò ſtabit mutatio ſinè primo habitu?

Prætereà, quid hìc de vocatione gētium, cùm dixerit ſaluaturum Iuda; & nulla ſit ad gentes concatenatio, vel verbum de his clarum?

Non obſtat Paulus Rom. 9. quia per accommodationem aſſumpſit hęc verba Oſeę; & quòad Iudæos, & ſpiritualitèr, vt ex his, quæ ſubſequuntur; nàm quòad Gentiles, vel non intendit quicquam probare ex Oſea S. Paulus, qui oſtendit Eccleſiam ex vtroque populo congregatam; Vel per accommodationem etiàm quòad eos, quos ſimùl annectit: etſi inueriſimilius hoc, cùm numquàm Gentiles dicti populus Dei, ſed Hebræi tantùm. Nequè de illis, qui iàm intrauerant vel tùnc, vel in nouiſſimis temporibus dicere poſſet; nàm de illis, cùm plenitudo gentium intrauerit, tùnc Iudæos intraturos. idem de S. Petro, qui per accōmodationem loquitur, non faciens mentionem Oſeæ.

Ex his etiàm fit multò magis, vt hæc non poſſint ſpiritualitèr intelligi in fine mundi de Iudæis, quia tùnc reliquiæ tantùm conuertentur, vt ex Iſaia Paulus; quæ non poſſunt dici arena maris, & innumerabiles, vt hìc: Nequè tùnc filij Iſrael, & Iuda congregandi, quia cùm populo Gentili congregabuntur; nequè illi ponent caput, ſed conuenient in iàm poſitum Meſſiam; neque tùnc applicabuntur verba *dies magnus Iezrahel.*

Hìnc S. Paulus pro reliquijs his non vtitur prophetia hac etiàm per accommodationem, quod poterat de facili, cùm hìc dicatur, *& erit numerus*, &c. ſed tantùm aſſumit hìnc quod ad reprobationem ſpectat, & deindè ex Iſaia, quæ ad illorum ſalutem in fine. Roman. 9. Alia ad dictum Pauli vide cap. ſeq.

Non obſtat, non venerunt cùm Iuda tot Iſraelitæ, qui dici poſſint innumerabiles, & ſicùt arena maris, quia hæc multitudo, (vt dixi) intelligitur de totis duodecim Tribubus ſimùl, & nulli dubium Iudæos excreuiſſe in immenſum pòſt reditum è Babylone; & ſit etiàm hyperboles.

Hæc opinio eſt multorum, & comprobatur cap. ſeq. in quo de decèm Tribubus agitur ſub eadem ſtructura, non de Gentilibus, vt videbimus. At quò tendit prophetia hæc? ad manifeſtandum populo peccatum magnum idòlolatriæ, & pœnam ei ſtatutam, & terminatam à Deo, vt ex his veniat in cognitionem ſui, & reſipiſcat, & liber fiat à tot ærumnis, quodcùm non præſtiterit, iuſtè à Deo recepit mercedem ſuam pro tot enormitatibus.

CAPVT

CAPVT II.

DICITE, nuntiate vos primitiæ credentium futuræ ex Iudæis, & sic hæc tempore Messię, proùt & Paulus Rom.9.24. benè enim fungitur officio suo de hoc tempore Oseas, & verbis, & factis repræsentantibus calamitates instantes, & quia verba *populus meus*, & *misericordiam consecuta* in fine temporum tantùm verificanda, *fratribus vestris* ex populo vestro Hebræo, *& sorori vestræ*; sìc enim sub Oolla, & Oolliba. Ezechiel.23. Iuda, & Israel nuncupantur. Non hìc de filijs Oseæ, quia satis inseruierunt ad mentem suam ex denominatione, neque ampliùs eis vtitur: Sed quid eis nuntiandum? futuros & populum meum, & misericordiam consecuturos, quandò? cùm congregabuntur filij Iuda, & filij Israel, vt in fine præcedentis capitis, & hìc nil de gentibus, proùt nèc cap. 1. quia etsi ibì de multitudine, idem dicitur ab Isaia, vt refert Paulus Rom.9. Neque Paulus Rom. 9. intelligit Oseam loqui de gentibus, sed exemplo Iudæorum, de quibus Oseas loquitur, & quibus Paulus in eadem materia, & facto Dei vnit gentes à seipso, & ex suo spiritu accommodat dictum Oseæ etiàm gentibus. Vel de Iudęis tantùm probat ex Osea, de quibus solis Oseas loquitur, præsumitur enim allegando illius dictũ loqui iuxtà terminos prophetæ, in quo se fundat; & propterea sequitur loqui de eisdem vsque ad finem capitis, & de Gentilibus loquitur adiectiuè, & per transennam, ibì dicens; sed etiàm ex gentibus. immò & quoad Iudæos conuersos tempore Christi, & Apostolorum, de quibus ibì, non de conuertendis in fine mundi vtitur eo dicto Oseæ, quo ipse vtitur pro conuertendis in fine per quandam accommodationem; & de gentilitate non poterat dici, non misericordiam consecutam, quæ magna ei parabatur, & manifestabatur futuro tempore Messiæ: & tãtò minùs de ea poterit dici in fine temporum; nàm tunc (plenitudine gentium intrante) saluus fiet populus Hebræus. De Gentili autèm nihil dictum eo modo; immò populus Gentilis in principio misericordiam consecutus est; & quia loquitur de populo, qui heri suus erat, & recesserat, & is solus Hebræus. Hìnc est, quod & Petrus 1.2. scribens Iudæis, non gentibus, vt ibì tenui cap. 1. vtitur eisdem verbis vers. 10. & differentia, quæ datur à Ribera in verbis prophetæ & Pauli, vana videtur; nàm idem est populus meus loquente Deo, vel populus Dei alio loquente, sicùt idem est dicere, *non populus*, dùm de populo Dei agitur, vel addere *meus*: vltrà quod verbum *Dei* refertur & ad primam particulam, idest *non populus Dei, nùnc autèm populus Dei*.

Nèc mirum Paulum assumere verba Oseę per accommodationem etiàm pro gentibus, si pro illis auctoritatem illam adducit, nàm & aliàs id fecit, & præsertìm adducens dicta Genes.2. Proptèr quod relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, de quo dixi latè 1. Cor. 2. Vel meliùs *Dicite fratribus vestris*, cùm Deus tot mala prænunciasset Israeli, illius misertus (hæc enim omnia ad illos in toto capite) vergit se ad suos, prophetas, iustos; nàm seruauit sibi septem millia, qui non curuauerunt genua antè Baal: intèr fratres Tobias, & alij, ideò *populus meus* vos, nèc non & ad tribum Iuda, quæ non dùm contaminata erat, *& soror vestra*, tu Iuda, quæ *misericordiam consecuta* es; sub nomine enim sororum Israel, & Iuda ponuntur. Ezech.16. & 23. & intimant illis, vt præmoneant fratres. Deindè reassumit primos ex decem Tribubus, & dicit, nè putetis me gratis irasci, & vlcisci. *Iudicate matrem vestram*, quæ vos genuit, Samariam, *iudicate* & cognoscetis; *quoniàm ipsa non vxor mea, & ego non vir eius* ob suam idòlolatriam, qua amatores alios admisit, idòla colendo, me derelicto, & sic non seruat fidem, neque versatur in spectãtibus ad vxorem. Vel dicit matrem, quam sororem nominauerat, quod in idem recidit, Samaria enim soror vnà cùm Ierusalem cõstituebant vnam Synagogam, quæ mater omnium erat, & illa in-

la infecta, mater tota infecta erat, ideò à parte totam nominat. Dicite ergò, vt *auferat fornicationes suas à facie sua*, à se, *&* *adulteria sua de medio vberum suorum*, & alibi subacta sunt vbera tua, & Ezech. 16.7. vbera tua intumuerunt; sub his carnalibus de idòlolatria, seù cultu idòlorum, & sacrificijs eis exhibitis, non quòd in facie, vel ad collum, vel ad vbera illa gestarent, quia de hoc nullibi in Scriptura, & sicùt exprobrabat Deus de sacrificijs, & altaribus vbiquè erectis, ità & de his expresè dixisset: potiùs intèr vbera flores, & odores ad alliciendos homines more meretricio, vel fœmineo. Fasciculus Mirrhæ dilectus meus mihi intèr vbera mea commorabitur in Cant. & ornamenta deferebant, vt comptiores apparerent, vt infrà. Et sic loquitur de tempore suo propheta, quia tempore Christi idòlolatria cessauerat. *Nè fortè* si detrectet, & non recedat à vijs suis malis; considera *fortè* Deum expectantem, & paratum mutare sententiam, si illæ recessissent; vide hìc Guadalup. *expoliem eam nudam* omnibus bonis, & gratijs, quas ei contuli, quandò eam mihi desponsaui: vide Ezechiel. cap. 16. & 23. *&* *statuam eam secundùm diem natiuitatis suæ*, sinè vllo ornamento, proùt erat in Aegypto, vt infrà clarè: at antè meam desponsationem educta ab illa seruitute à me per Moysen, tùnc desponsata; non de tempore Abraham, quia nequè ipse idòlolatra vnquàm, vt alibi pluriès dixi, & probaui, nequè tùnc coadunata, vel nata, nequè tùnc statum vllum poterat habere, quæ nondùm erat: *&* *ponam eam quasi solitudinem*, proùt ciuitas disiecta, & euersa, & inhabitabilis, *&* *statuam eam velut terram inuiam*, per quam nullus transeat, derelictam, *&* *interficiam eam siti*, quod euenit in desertis locis, vt in Exodo, etiàm carentibus aqua; hunc statum Babyloni, & alijs regionibus destruendis dat communitèr Scriptura. *Et filiorum eius non miserebor*, auferam & progeniem, quod est durum, *quoniàm filij fornicationum sunt* filij fornicarij, idòlolatræ; id refertur ad Israelitas, non ad filios Gomer, quia iàm detexit cùr filij ex fornicaria suscepti, & intulit ad puniendos, vndè de illis nullus alius sermo, *quia fornicata est mater eorum* incipiens in deserto. Exod. 32. & genuit, seù fecit suo exemplo consequentèr eos sibi similes fornicarios, *confusa est* etiàm *quæ concepit eos*, ex infaustis, quæ ei acciderunt contrarijs voto suo, vt infrà, *quia dixit: Vadam pòst amatores meos*, sequar eos, à quibus cibum, & vestimentum recipio: sìc dicebant, sacrificabimus Reginæ cœli, quia nunquàm nobis quicquam defuit. Ierem. 44. 16. 17. 18. eo magis, quia hìc agitur de fornicatione spirituali, seù idòlòlatria, & quia consumpta dicuntur in idòlorum cultu data ei à Domino: vndè hæc intelliguntur de idòlis, & si alibì de populis, seù alijs amatoribus, diceretur, *qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, &* *linum meum, oleum meum, &* *potum meum*, quæ omnia à Deo vero recipiebant. *Proptèr hoc ego sepiam viam tuam spinis, &* *sepiam eam maceria*, nè exire valeas ad amatores tuos (hæc Dei misericordia) *&* *semitas tuas non inueniet* priores malas, sic angustata: *Et sequetur* quidèm *amatores suos*, petens ab eis auxilium, *&* *non apprehendet eos*, quia auxilium non præstabunt. *Et quæret eos* in angustia posita, *&* *non inueniet*, quia nulla potentia idòlis, de his enìm, non de populis agit, vt dixi, eo magis, quia à populis non expectabat cibaria hæc, & propttereà ex opposito subdit, *&* *dicit: Vadam, &* *reuertar ad virum meum priorem*, Deum meum, factorem cœli, & terræ; *quia benè mihi erat tùnc magìs, quàm nùnc*, sic & Ierem. 3. 22. cùm seqq. & Filius prodigus. Luc. 15. 18. *Et hæc nesciuit* rem notissimam cuique, *quia ego dedi ei frumentum, &* *vinum, &* *oleum, &* *argentum multiplicaui ei, &* *aurum*, ego enìm omnium elargitor, *quæ fecerunt* sacrificauerunt *Baal*, idòlo, de quo & in alijs prophetis conqueritur Deus. Ezech. 16. 17. sua scillcèt ad idòla transferri. *Idcircò conuertar* retrorsùm ab ea, *&* *sumam frumentum meum in tempore suo*, quandò est tempus colligendi, non dabitur illi in cibum, *&* *liberabo lanam meam, &* *linum meum*, quibus induebatur, *quæ operiebant ignominiam eius*, cùm enim benè illi esset, non apparebat vitium idòlòlatriæ, quo merebatur priuari omnibus: Nihil hìc de populis, in quibus habebant fiduciam, de quibus fortè infrà: *Et nùnc reuelabo*

labo stultitiam eius peccatum seruientis idòlis, & cibum, & vestitum ab amatoribus recognoscentis; *in oculis amatorum eius*, ipsis videntibus, in quibus confidebant, *& vir non eruet eam de manu mea* puniente, nullus mihi resistet: *& cessare faciam omne gaudium eius*, dabo eam in mœrorem, *solemnitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius, & omnia festa, tempora eius*, in quibus lætari solebat in Domino, & in sacrificijs, non in choris, ludis, delicijs, quia de his distinctè egisset, proùt quandò dixit sublaturum vocem sponsi, & sponsæ, &c. Ierem. 25. 10. & alibì sæpè. & extrà solemnitates his vti poterant: Benè verum est, quòd non secundùm Dei voluntatem ea celebrabant; vndè Isaiæ 1. 11. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? Hæc non trahenda ad captiuitatem Babylonicam, quia hìc de Israelitis tantùm; immò Tribus Iuda assumitur, quæ illis hæc dicat, vt in principio capitis, & in captiuitate Israelitis hæc omnia defecerunt, eo magis, quia tùnc tempore huius prophetiç Ierusalem non erat idolòlatra, vt dictum. *Et corrumpam vineam eius, & ficum eius*, ità vt nihil recolligat ex eis sibi charis: hæc ad populum decem Tribuum, & cùm dicatur *ficum eius, vineam eius*, frustrà ingeritur diuinatio hæc fuisse nuptialia, *de quibus dixit: Mercedes hæ, meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei*, ab idòlis hæc recognoscentes, *& ponam eam in saltum*, in desertum, *& comedet eam bestia agri*, proùt solet in locis desertis, & vastatis, sic sæpiùs vtuntur hac phrasi Prophetæ, & Apocal. 18. Non hìc de Ierusalem, sed de regno decem Tribuum sub vinea, & de eadem loquitur, eamquè refert; ideoquè non potest applicari Israelitas ad regiones desertas transferendo, cùm dicat vineam in saltum positurum, & eam comesturas bestias agri, quæ vltima nullo modo ad alias regiones possunt applicari. *Et visitabo* in flagello supradicto, non de pœna æterna, præsertìm ex subiunctis, *lactabo*, &c. *supèr eam dies*, quos dicabat, & sacrificabat *Baalim, quibus accendebat incensum* idòlo, *& ornabatur inaure sua, & monili suo* comptiòr apparens, vt magis placeret, *& ibat pòst amatores suos*, illos sequens, nempè idola: *& mei* Dei sui, à quo omnia recipiebat, *obliuiscebatur, dicit Dominus*. *Proptèr hoc*, miserans illius, dùm conclusa est in peccato, *ecce* magnitudo misericordiæ, *ego lactabo eam* flagellis, & captiuitate, quæ sunt lac peccatori, tùnc enìm recipit intellectum, *& ducam eam in solitudinem* captiuitatis, vt dixerat; nondùm recedit à primis terminis, vt ibì ab amatoribus abstracta reuertatur ad cor, & cogitet de se, & fine suo; sìc Scoriam Iudæ euulsurum, & purgaturum dixit, & sempèr id præstat, & intendit, dùm peccatores exagitat, *& loquar ad cor eius* blandè, quod est in manu mea: Prou. 21. persuadens ei bona, & vtilia, quæ tùnc apprehendet sic vexata. *Et* tùnc *dabo eis vinitores*, stat in metaphora vineæ dispersæ, pro quibus intelligit rectores, duces, qui eam ex captiuitate educant, vt cap. 1. *eius ex eodem loco* ex eadem captiuitate, Zorobabelem, Neemiam, est enìm materia eadem primi capitis, in quo diximus Israelitas cùm Iudæis reuersuros in aliquo numero; nàm aliòqui quoad Israelitas petendus finis mundi, pratèr paucos, qui conuertuntur in dies. Vel *lactabo eam* existentem in captiuitate, qua iàm edocta erit, & excipiet intellectum blanditijs; *& ducam in solitudinem*, vt liberiùs, & tutiùs cùm ea agam, *loquar ad cor*, illud trahens suauitèr, cùm sit in manu mea; At hìc nihil de nuptialibus; & hæc non possunt intelligi pòst reditum à captiuitate, quia priùs voluit Deus scoriam purgare, quàm in captiuitate purgarūt antè reditum, vndè pro reditu posteà subdit. *Et vallem Achor*, turbatione in victoriam Hai mutata; sic calamitatibus præcedētibus in gaudium succedentibus, *ad aperiendam spem* bonorum futurorum prædictorum, proùt illa prima vallis in ingressu Terræ promissionis; Nō hìc proptèr vbertatem, quam ipsi, qui ibì fuerant coloni, non ignorabant, id antè ingressum primum aptabatur, nō tùnc; vltrà quod hìc agitur de spe danda, non regionis vbertate; nisi dicas ex ea spem induci. Isa. 65. 10. *& canet ibì iuxtà dies iuuentutis suæ, & iuxtà dies ascensionis suæ de terra Aegypti*, Deo gratias agens, proùt tùnc Pharaone submerso: Cantemus Domino, &c, & sìc intelligit suprà, vt dixi. *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me: Vir meus* es tu Domine:

ne: *& non vocabit me vltrà, Baali. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabor vltrà nominis eorum*, ità vt penitùs ex mente eius auferatur idòlum; pòst captiuitatem enim Babylonicam idolòlatria exulauit, vt latiùs dixi Ezech. 36. *Et percutiam* simùl *cùm eis fœdus in die illa*, vt sint tuti, *cùm bestia agri, & cùm volucre cœli, & cùm reptili terræ*, nè illis noceant, iàm enim dixerat bestias regionem possessuras; nàm quòad homines non defuerunt etiàm pòst captiuitatem difficultates, & bella, *& arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialitèr* eis pax erit, non quòd bellis non essent vexandi, sed non eo modo, quo anteà, seù respectiuè ad tempus præteritū, in quo captiuitates passi erāt, quasi non dabimini in captiuitatem. *Et sponsabo te mihi in sempiternum*, non ampliùs indignatione commouendus, ad longum tempus vsquè ad captiuitatem Romanam pòst Messiam orituram; & sic proptèr eos, non proptèr Deum æternitas desijt: *& sponsabo te mihi in iustitia*, vt promisi, *& iudicio* liberando à captiuitate vnà cùm Iuda, *& in misericordia, & in miserationibus*, quia hæc non tuo merito, sed pura misericordia mea promissa fient, euenient; *Et sponsabo te mihi in fide*, fidelitate, obseruantia sempiterna iuxtà illud: Fidelis Deus, & omnis homo mendax, Deus obseruans: Pluriès repetit de desponsatione, vt magìs ei credatur, quia populus supèr hoc desperabat; hinc illa querela in alijs prophetis de libello repudij, *Et scies quia ego Dominus* hæc operans. *Et erit in die illa* reditus à captiuitate Babylonica, *Exaudiam, dicit Dominus, Exaudiam cælos* quos ferreos Leuit. 26. reddiderat, nè darent pluuiam, hìnc dixerat conficiendos siti, quasi cœli soliti pluuias emittere per prosopopeiam, orabunt pro pluuia danda, *& illi exaudient terram* sitientem, & arentem, & pluuiam petentem, faciam quod cœlum, & terra desiderāt. *Et terra* madefacta *exaudiet triticum, & vinum, & oleum*, quæ dabit in abundantia: *& hæc exaudient Iezrabel*, populū Dei iàm dispersum, hæc desiderantē: *Et seminabo eam mihi in terra* promissionis, vt ibi multiplicetur, qui nùnc nō populus, de Iudæis enìm solis agitur; sìc & infrà c. 4. *& miserebor eius, quæ fuit absq. misericordia* Samariæ, seù Israel: *Et dicam nō populo meo* Israel: *Populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu*, & sic erimus vnanimes, & concordes.

CAPVT III.

ET *dixit Dominus ad me*, vt ex alia repræsentatione innotescant mala Israeli imminentia: de Israele enìm sequitur propheta: nèc possunt hęc trahi ad duas Tribus, quia infrà agit de idolòlatris, & duæ Tribus nondùm tales erāt tempore Prophetæ. Non obstat, erunt hæ decem Tribus *sinè rege, principe, sacrificio*, pòst hæc *reuertentur*, &c. quod quidèm verificatum in duabus Tribubus pòst captiuitatem Babylonicam, templo reædificato, & republica reintegrata, & datis rectoribus, non sìc in decem in perpetuam captiuitatem datis; nàm, sicutì dictū est in superioribus capitibus, hęc etiàm verificata in parte decem Tribuum, quæ redijt vnà cùm tribu Iuda à captiuitate Babylonica; vndè ob id nō excluditur intellectus, & sìc non conuenio cùm Sanctio: & cap. seq. idem thema sequitur Propheta contrà Israel, & ibì clarè Iuda excipitur. *Adhùc vade, & dilige mulierem dilectam amico*, viro suo, cui si non fuisset dilecta, dedisset ei libellum repudij. Deut. 24. Hìnc collige, quòd alterius erat, nō Gomer, quæ iàm vxor erat Prophetæ, præsertìm quia subdit *& adulteram*; nàm Prophetæ non fuisset dilecta Gomer, si adultera, nèc diceretur ei, *dilige*, si ipsi dilecta, proùt amico; Gomer fornicaria, hæc adultera, ideò de alia, quàm Gomer agitur, & de diuersa: Accedat, quia cùm Gomer esset sua, non erat necessaria emptio, vt infrà. *Sicùt diligit Dominus filios Israel*, more veri amici, iam non dicam vos seruos, sed amicos. Hic de Israel, non Iuda, & si diligit, ergò non dederat libellum repudij, si non ipse, neque amicus, seù vir adulteræ, qui assumi-

tur

tur cùm parabola. Nèc obstat Israel quandoquè capi pro Iuda; esto, sed alijs concurrentibus, quæ hìc absunt, *& ipsi respiciunt ad deos alienos*, amori meo non correspondentes, sed vtì adulteri me respuunt, *& diligunt vinaria vuarum* in idòlis, ex quibus nihil boni recipiunt, proùt illud: Me dereliquerũt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. *Et* obediẽs *fodi* emi, Domini enìm bonorum & fodiunt, & possident illa, *eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei. Et dixi ad eam: Dies multos expectabis me*, quia absuturus sum, *non fornicaberis* interim, *& non eris viro* adultero subiecta: *sed & ego expectabo te*, vt sìc permaneas. Non puto duxisse in vxorem: tùm quia dixit *fodi mihi*, tùm quia nõ cõgreditur cùm ea, sed cauet, nè cùm adultero se immisceat; tùm quia ad significationem non referebat, sufficiebat enim eam vxoratam, sed adulteram, & tamèn sìc adulteræ prouideri, vt hìc, & amari, proùt Deus diligebat, & prouidebat Israeli, & quia hæc (etsi adultera) tamèn viro chara erat; vt hìc dicitur *dilectam amico*, ideſt viro, & sìc tollitur repudium, & mors viri diuinatiua, quia soluta, & vidua diceretur, non adultera, ideò non potuit eam duxisse Propheta, nequè Dominum iussisse, vt alterius thoro deuictam acciperet: vndè in hoc non placet Sanctius secùs dicẽs, præsertìm quia præsupponit illam adhùc adulterã, sìc eam nuncupans, & sìc viro alligatam, *& amico dilectã*, verba enim intelliguntur iuxtà tempus, quo proferũtur, & cauetur, *& non eris viro*; vltrà quòd non iubetur ducere, sed diligere; At quandò de Gomer, clarè dictum in primo capite, vt duceret, si repudiata, vel vidua, dixisset, dilige repudiatam, vel viduam, non adulteram.

Prætereà constat cur faciat hoc, nè fornicetur, nèc sit cùm viro, vndè à claris non recedendum. *quia*, eccè cur hæc repræsentatio, proùt nos expectabimus, sìc *filij Israel* adulteri priuati his, quæ subdit, omnibus ad sacrificia aptis, & alijs, de quibus suprà in duobus capitibus, quia non erunt populus Dei. *dies multos sedebunt* mœsti in captiuitate *filij Israel* non Iuda, quia nondùm idolòlatræ; Vltrà quòd in Iuda sẽpèr altare, etiàm vbì destructum templum, vt alibì dictum. & ibi sacerdos, & sacrificium, & Ephod, & ideò 2. Paralip. 15. Dan. 3. 38. intelligitur non vt primo antè captiuitatem Babylonicam, sed quòd decem Tribubus accommodentur. Facit quia cap. 4. dicitur, nè sacerdotio fungaris mihi, *sinè rege, & sinè principe, & sinè sacrificio, & sinè altari, & sinè Ephod, & sinè Theraphim*, manifestationibus ex Hier. non idòlis, quia agitur de bonis, quibus deficiẽt, non malis, proùt idòla, & sicùt alia bona rex, princeps, sacrificium, & ità Theraphim, & non agitur de bonitate, vel malitia populi, sed de bonorum priuatione ob mala, seù idolòlatriam, de qua dixit; *& pòst hæc reuertentur filij Israel* à captiuitate, compuncti, *& quærent Dominum Deum suum*, quem colent, *& Dauid Regem suum*, Messiam pòst reditũ à captiuitate Bablonica, tùnc enìm erat factus locus prophetiæ Iacob. Genes. 49. non Zorobabelem, nequè alium, quoniàm neminem quæsierunt, *& pauebunt* adorantes, & confitentes, *ad Dominum, & ad bonum eius*, beneficia collata, nempè liberationis à captiuitate Babylonica, & alia, de quibus in prçcedentibus capitibus, & alibì sæpè; *in nouissimo dierum* illorum, liberationis adeptæ; Alij in fine mundi tempore Antichristi. At hoc clarum, si referas ad Israelem, nempè ad decem Tribus datas in perpetuam captiuitatem Assyrijs, & velis reliquias earum saluas, quia in fine mundi tantùm hoc verificabitur; At si sequamur quod semèl Propheta cœpit coniungere reuersionem à captiuitate Babylonica cùm tribu Iuda illorum, qui ex decem Tribubus cùm tribu Iuda se adiũxerunt, verificabitur in illo tempore reditus à Babylone, & aliquibus in dies conuersis, & id videtur conformius alijs supradictis per Prophetã, quibus hæc annectit ad maiorem explicationem suæ prophetiæ; Et facit, quia assignauit aliqua, quibus expectans detineatur, quæ non videntur ad finem mundi trahenda, sed ad tempus illud, & tùnc dices; *pòst hæc* finitis septuaginta annis captiuitatis Babylonicç in Iuda, *reuertentur filij Israel* cùm Iuda, ideſt aliqua pars eorum, *& quærent Dominum Deum suum* vnà cùm illa, *& Dauid regem suum*, vt suprà dixi, *& pauebunt* adorantes *ad Dominum, & ad bonum eius*,

Aaaa bene-

beneficia collata, quæ ab eo recognoscent Iere.33.& in quibus mirabuntur, prout aliàs dixit, & gētes admiraturas, *in nouissimo dierum*, in diebus illis liberationis secutæ; & si enim tēpora Messiæ dicūtur nouissima (aliud siquidèm nō expectatur) tamèn id nō opatur hìc, cùm dicatur *sedebunt dies multos*, quod non videtur ad finem mundi trahendum; eo magìs, quia de hoc prædictum.2.Para.15.2. transibunt autèm multi dies in Israel absquè Deo vero, & absquè Sacerdote, Doctore, & absquè lege, &c. nequè enìm puto illud respicere finem mundi. Intellexi de Messia in verbis, *& Dauid regem suum*, quia vnit eum cùm Deo, ideò non videtur posse importare nisi Messiam, qui sæpè pro Dauid nominatur, nō Zorobabelem, vel alios. *Quærent* autèm pòst captiuitatē Babylonicam, idèst expectabunt Messiam vēturum, qui eis promissus fuerat sceptro ablato à domo Dauid. Genes.49. proùt fuit in captiuitate illa, vt ibì tenui; & hunc puto verum intellectum, expectauerunt enim, sed non cognouerunt appulsum, & intèr eos stantem, quia excœcauit eos malitia eorum, quem si cognouissent; nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.

Sed cur quindecim argenteis, & hordeo sibi fodit? dixerat suprà se reassumpturum frumentum, lanam, linum, & quia dùm expectabat, non vult omninò eam deficere, prouidit ea quædam paruula, parùm argenti, & hordei ad mensuram, donèc reuertatur, vilius est autèm hordeum frumento. Apoc. 6. 6. vbi de minimo valore: sìc Filio prodigo de reliquijs porcorum prouisum, donèc reuerteretur; hoc ergò, vt reuertatur dicens, proùt ille tædio affectus: Quanti mercenarij in domo patris mei? &c. sìc suprà cap.2. dùm dicit reuertar ad virum priorem. Sed quomodò potest ducere adulteram, cùm non præsupponatur repudium primi viri? Respondeo, non duxit, sed prouidit, nè adulterium continuaret, at voluit diligere non repudiatam, vt respondeat parabola figurato, sicùt enìm hæc non repudiata, sìc Deus Synagogam adulteram non repudiauerat, ideò conuersuràm ad se recipere promisit, & interìm ei prouidit, nè adulterio insisteret.

CAPVT IV.

AVDITE prouocat ad attentionem *verbum Domini filij Israel*, decem Tribus, contìnuat adhùc cùm eis, & propterea procedunt dicta cap.3. illud de eisdem loqui, proùt 1.& 2. *quia iudicium* disceptatio, discussio *Domino cùm habitatoribus terræ* vestræ: *nō est enìm veritas*, iustitia non exercetur ab illius ministris. Vel non est obseruantia dictorum, seù promissorum, omnis homo mendax, decipiens; vndè Paulus docet, nè fratrem in negocio circumueniamus, *& non est misericordia*, compassio malorum proximi, seù subuentio proximi in necessitatibus, pluriès de his peccatis in prophetis, & de Sodoma idem habetur in Ezechiele, *non est scientia Dei*, Deus ignotus, & per consequens opera bona defecerunt, quæ ex Dei cognitione emanant, *in terra* vestra. Isa.5. Iere.9. *Maledictum* detractio, *& mendacium* ad decipiendum, *& homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt*, abundauerunt publicè, proùt aquæ solent, *& sanguis sāguinem tetigit* peccatum peccato additum, cortina cortinam traxit. Placet magis hic intellectus, quia iàm præcesserat de homicidio, & ex his subiunctis voluit indicare vniuersitatem peccatorum; sìc Ierem.9.3. de malo ad malum: *Proptèr hoc lugebit terra*, in solitudinem redigenda, *& infirmabitur* deficiet, *omnis qui habitat in ea, in* cùm *bestia agri, & in volucre cœli*, qui hominibus inseruiebant: *sed & pisces maris congregabuntur*, deficient: *Verumtamèn vnusquisque non iudicet*, non obiurget aliū, *& non arguatur vir* nullus reprehēdatur: *populus enìm tuus sicùt hi, qui contradicunt sacerdoti*, nàm nullus patitur reprehensiones, & quisque contradicit etiàm Sacerdoti, vndè vanè hæc agerentur: *Et corrues hodiè* tu popule citò ab Assyrijs captiuus factus, *& corruet etiàm propheta tecum*, qui falsò cōtrariū tibi persuadet, *nocte* tribulationū, *tacere feci matrem tuā* captiuā ductam, præteritū pro futuro: *Conticuit* cōticescet *populus meus* calamitatibus oppressus & iusto iudicio, *eo quòd nō habuerit sciētiam* Dei,

Dei, vt suprà: *quia tu* populе, vt suprà, & contradicens Sacerdoti *scientiam* mei Dei tui *repulisti, repellam te* iustè, *nè sacerdotio fungaris mihi*, in quo scientia requiritur: in captiuitate enim Sacerdotio non vtebantur. Hinc & ad Israelem verba cap. 3. applicari posse, dum dicitur: erunt sinè Rege, Sacerdote, & in reditu à captiuitate hi idolòlatræ à Sacerdotio eiecti. Ezech. 44. 10. *& oblita es* in terra Israel, *legis Dei tui*, qua me colere debueras, *obliuiscar filiorum tuorum* Sacerdotum *& ego*, quia & ipsi occidentur, & in captiuitatem dabuntur: *Secundùm multitudinem eorum sic peccauerunt mihi*, malè se gerentes in eorum ministerio, *gloriam eorum*, ex Sacerdotio sumptam *in ignominiam*, captiuitatis *commutabo*, quos feci gloriosos, deprimam captiuitate, cladibus: *Peccata populi mei comedent* ea fouendo ex lucro, quod capiunt: *&* tacendo, vel non reprehendendo, vel fouendo *ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum*, sic Isa. 3. *Et erit sicùt populus, sic sacerdos*, eadem pœna omnes percutiam; Non videtur posse dici de vita simili, quia dixisset est, non, erit, at erit benè ad pœnam, & de peccatis vtrorũque suprà, ideò hic de pœna, *& visitabo supèr eum* puniens *vias eius* opera eius, *& cogitationes eius reddam ei* in caput suum recidet, quod contrà me cogitauit populum decipiendo. *Et comedent, & non saturabuntur*, sed esurient in captiuitate ex pane arcto, & aqua breui datis, *fornicati sunt* cùm idòlis, *& non cessauerunt* adeò eis hærebant, *quoniàm Dominum dereliquerunt in non custodiendo* præcepta eius, a quibus auersabantur: *Fornicatio* non cùm idòlis nùnc, sed carnalis. 3. Reg. 11. Dan. 13. 56. quia reddit rationem fornicationis præcedẽtis cùm idòlis, & quia vinum, & ebrietatem carnalia iungit, vndè præsumitur idem de fornicatione, nè diuerso iure censeantur iuncta simùl, *& vinum, & ebrietas auferunt cor* animum, vt nihil cogitent sanum. *Populus meus* quem mihi separaueram, me Deum suum spernẽs, *in ligno suo* idòlò, sic dolauit lignum, &c. *interrogauit* consuluit, *& baculus eius annunciauit ei*, hic erat vnus ex modis diuinandi, *spiritus enim*, vel suus scilicèt impudicus, vel diabolicus *fornicationum decepit eos*, inducens ad hæc turpia, & puerilia, sic 3. Reg. vlt. quis decipiet Achab. *& fornicati sunt à Deo suo* recedentes. *Supèr capita montium sacrificabãt* in excelsis, vt plurimùm idòlis sacrificia adolebant, *& supèr colles accendebant thymiama* suffita idòlis: *subtùs quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat vmbra eius* ad hæc patranda, hinc luci: *ideò fornicabũtur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt*, accedentes ad lucos, & vmbras, in quibus prosternuntur quasi in latibulis, & hoc exemplo vestro, vt subdit: vide hic Guadalup. latè disserẽtem de permissione Dei ad malum. *Non visitabo* puniens, vt recedant, in perniciem, & ignominiam vestram, *supèr filias vestras cùm fuerint fornicatæ, & supèr sponsas vestras, cùm adulterauerint*, Albam vide cent. c. 54. qui non placet. *quoniàm* rationem ponit, *ipsi cùm meretricibus conuersabantur, & cùm effæminatis sacrificabant*, vndè meritò hæc a filiabus, & sponsis patientur, & recipien. *& populus non intelligens*, vt suprà *vapulabit*, in gladio, fame, captiuitate, calamitatibus. *Si fornicaris tu Israel*, idòla publicè retinens, à Ieroboam erecta, & eis sacrificans, *non delinquat saltèm Iuda*, quę habet templum, & ampliora beneficia, nèc habet regem cogentem, seù hortantem verbo; vel exemplo: *& nolite ingredi in Galgala*, vbi idòla adorabantur, *& nè ascenderitis in Bethauen*, vbi idòlum positum à Ieroboam: Meminit horum duorum locorũ, in quibus erat frequens conuentus, quia exempla multùm mouẽt: hinc Ieremias per Baruch multa scripsit contrà Idòla Babyloniorum, nè captiui illùc ducti mouerentur ad adorationem eorum, *nequè iuraueritis: Viuit Dominus*, dantes hunc honorem idòlis, qui meus est; nàm si de Domino vero intelligerent, nõ erat cur eis prohiberetur. Ex his apparet clarè duas Tribus nõ fuisse idolòlatria contaminatas, & ideò præcedentia capita de his duabus nihil asseuerare, vt tenui; & hoc solum fundamentum sufficeret ad eas saluandas ab hoc vitio de illo tẽpore; vult enim ex his has duas Tribus præseruari ab idolòlatria, quas iàm iàm labentes cernebat c. 5. *Quoniàm sicùt vacca lasciuiens*, & incrassata huc, illucquè discurrens *declinauit Israel* à me Deo suo, hæsitq. idòlis: *nùnc* in pœnam *pascet* ironicè *eos Dominus*

minus quasi agnum, ductum ad occisionem, ligatum, captiuum, *in latitudine*, in lata regione Assyriorum. *Particeps* est *idòlorum Ephraim* decem Tribus, *dimitte eum* ò Iuda, nè vitijs eius corrumparis, & dissiperis; Sic Moyses, separamini à tabernaculis impiorũ: non hic cùm Propheta, nè tereret tẽpus tentando decem Tribus auertere, sed cùm Iuda agit, vt dixi, & cùm Propheta iàm in præcedẽtibus capitibus egerat. *Separatum est conuiuium eorum*, cùm idòlis deditorum, sub illis conuiuunt, *fornicatione fornicati sunt*, nimiùm dediti sunt idolòlatriæ: *dilexerunt* cõplacuerunt sibi *afferre ignominiam*, ex adoratione idòlorum, quam exhibuerunt, nascentem, *protectores eius* principes, & sacerdotes primores populi, qui alios suo exemplo trahunt; ideò tu, qui colis Deum verum, & diuerso pabulo pasceris, recede ab eo, *Ligauit eum* Israel *spiritus* malus *in alis suis* intellectu, & volũtate tamquàm auem, nè euadere possit à sua idolòlatria, *& confundentur à sacrificijs suis* idolòlatricis, in occisione, & captiuitate positi, cognoscentes idòla nullam eis opem tulisse, quam vanè expectabant. Vide Albam cent. cap. 55.

CAPVT V.

AVDITE attentè *hoc sacerdotes*, sic à populo nuncupati, facti à Ieroboam. 3. Reg. 12. vel Leuitæ generis idolòlatræ, ad quos spectat principalitèr, *& attendite domus Israel*, decem Tribus, *& domus regis*, qui vestro exemplo, & persuasionibus alios trahitis ad Idòla, *auscultate, quia vobis iudicium* condemnatio pœna *est*, *quoniàm laqueus facti estis speculationi* populo, supèr quem speculatores constituti estis, *& rete expansum* ad capiendum populum, *supèr Thabor*, supèr monte illo excelso, in quo idòlis immolabant, & erãt in exemplum populo, quem sic rete expanso ad idòlòlatriam perducebant; Non ibi de auium captura: hic intellectus melior apparet ex sequentibus agentibus de victimis; Verbum *speculationi* non potest capi pro monte; quoniàm diceretur potiùs in speculatione, proùt subditur *supèr Thabor*. *Et victimas* mihi offerri solitas, & debitas *declinastis in profundũ*, quia abierunt in obliuionem, vel ad idòla cõuertistis, *& ego eruditor omnium eorum*, quæ mihi offerebantur, vt in Leuitico, quasi mihi eruditori insultastis. *Ego scio Ephraim* Tribum; de qua Ieroboam, *& Israel* totus, nempè decem Tribus; quasi scio eorum cõtumaciam, & indurationem, *non est absconditus à me*; quem nihil latere potest; hoc autèm est: *quia nùnc fornicatus est Ephraim*, *contaminatus est Israel* illum sequens. *Non dabunt cogitationes suas*, neque etiàm cogitabunt nedùm efficient, *vt reuertãtur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum* vtrarumque, carnalis, & spiritualis, *in medio eorum* infixus, eos retinens, nè conuertantur, *& Dominum non cognouerunt*, quem si cognoscerent, promptè reuerterentur; vndè Christus, hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, &c. vel firmauerunt à Deo recedere. *Et tùnc respondebit arrogantia Israel in facie eius*, punietur iuxtà arrogantiam eius; sic, cràs respondebit mihi iustitia mea, dixit Iacob: *& Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua*, quasi ab ea deiecti; eccè respõsio, *ruet etiàm Iuda cùm eis* eorum vestigia sequens, quia proùt illi Assyrijs, is dabitur in captiuitatem Chaldæis; eccè timor peccati Iudæ, quem præseruare volebat cap. 4. *in gregibus suis, & in armentis suis* sacrificantes, *vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient*: Hic de Israele reassumit, seù continuat, nàm in Iuda nondùm peccatum idolòlatriæ apparuerat. Nèc dicas, Israel nõ sacrificabat Deo, quia immò tùnc in tribulatione illa ibat sacrificaturus, vt & c. 8. sed id non ad Iudam, qui sempèr offerebat hæc; & ponit hoc præcipuum; & quia Iuda confidebat in templo, vt in prophetis, *ablatus est ab eis*, non exauditurus, quia iàm falx ad radicẽ arboris. *In Dominum præuaricati sunt, quia filios alienos*, ab effectu, à successibus, quia abalienati sunt à me eorum exemplo: filij alieni mentiti sunt mihi, *genuerunt*: *nùnc deuorabit eos*

men-

mensis, tempus breue, quod instat, vt tradantur hosti, *cùm partibus suis*, vt nihil remaneat, eccè quod de Israel tantùm. ideò ad festinationem denotandam subdit; *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama*, quasi instat prælium, præparamini; sìc Isai. 10. 30. & alibì sæpè & in Ieremia. *Vlulate in Bethauen* instat enim clades *pòst tergum tuum Beniamin*, quia pòst clades Israel, duæ tribus etiàm passæ, & in captiuitatē datæ: *Ephraim in desolatione erit in die correptionis* vindictæ: *in tribubus Israel ostendi* ostēdam *fidem* obseruantiam dictorum; fidelis enim Deus, adimplebo quod dico: *Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum* anhelantes ad regionem Israel, in captiuitatem euntis, sua dilatare volentes; sìc de vicinis Iuda Ieremias. At nunquàm alibì hoc imputatur Iudæ, sed exteris. Ierem. 49. 1. ideò dicas *assumentes terminum* eosdem mores, quos Israel, idolòlatriam, ideò subdit de eadem pœna, quę dilatationi terminorum non congruit, vide Palat. & Sanct. *supèr eos effundam quasi aquam iram meam* ad illum delendum. *Calumniam patiens est* passurus est *Ephraim* Assyrijs, *fractus iudicio*, sicùt solent desperantes, nèc habentes auxiliatores. *quoniàm cœpit* abire *pòst sordes* idolorum; *Et ego quasi tinea* ero cito consumens, & corrodens *Ephraim, & quasi putredo* tardiùs rodens *domui Iuda*, cum ad idola defecerit. *Et vidit Ephraim languorem suum* imminentem, *& Iuda vinculum suum* captiuitatem decretam, *& abijt Ephraim ad Assur* petens auxilium, *& Iuda misit ad regem vltorem* Regem Assyriorum, eumdem esse patet quia subdit, *& ipse non poterit sanare vos, nèc soluere poterit à vobis vinculum*, frustratorium ergò erit eius adiutorium expetere. *Quoniàm ego quasi leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda*, his enim animalibus nullum par: *ego, ego capiam, & vadam, tollam*, per me Assyrios, & Chaldæos mouentem, hæc fient, *& non est qui eruat*, quia quis potens contrà Dominum? *vadens reuertar ad locum meum* vos non curans, & derelinquens: *donèc deficiatis, & quæratis faciem meam* placare, ad me vexatione victi conuertamini, & sìc calamitates, quas inferam, seruient ad vestram conuersionem, & hoc sempèr Deus.

CAPVT VI.

IN tribulatione sua, quæ valdè affligentur à me destituti, suprà cap. præced. in fin. tribulatio verò fuit captiuitas decē Tribuum ab Assyrijs, & duarum à Chaldæis, *mane* celeritèr, diluculò, *consurgent ad me* inueniendum; sìc de Deo dicitur: mane consurgens, & alios inuitantes dicent, *venite, & reuertamur ad Dominū, quia ipse cœpit* suprà cap. præced. in fin ego capiam ad flagellandum, *& sanabit nos*, solus enim potest; Dominus mortificat, & viuificat. 1. Reg. 2. *percutiet, & curabit nos* more pij patris: *Viuificabit nos pòst duos dies* pœnitentiæ nostræ, quam expectat, vnius, quo disponimur, alterius, quo reuertimur. *in die tertia* transactis duobus, die sequenti *suscitabit nos* à tribulatione eruet; sìc in deserto, vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus. Exod. 16. Sed propiùs Exod. 19. 15. estote parati in diem tertium, iamquè aduenerat dies tertius; sìc Esth. 7. in die tertio salus facta Hebræis, & Iudith. 12. 10. quarto die sub Iudith salus Bethuliæ, & populo Hebræo; & Exod. 5. ibimus viam trium dierum, & his exemplis die tertia dictum hìc ad denotandam celeritatē adiutorij diuini. iuxtà illud, Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatē peccati mei: & sìc se declarant subdentes, *quasi diluculum præparatus est egressus eius*, nèc videntur aliquod intēdere. Neque ad litteram videtur posse intelligi de resurrectione mortuorū iuxtà Ezech. 37. & multos Patres.

Primò, quia hæc verba proferuntur à populo in tribulatione captiuitatis posito, ad libertatem anhelante, & nullo modo ad spiritualia respiciente, sed redeunte ad virum priorem, vt suprà cap. 2. 7.

Secundò, quia hæc sunt restricta ad Hebræos in tribulatione positos, resurrectio verò erit vniuersalis omnium hominum.

Tertiò, quia verba *pòst duos dies, & in die tertia* sic distincta, videntur aliquam distinctionem importare, seù aliquid expectare, puta conuersionem populi; quandò verò figuratur resurrectio Christi in Iona, dicitur simplicitèr; Sicùt Ionas fuit in ventre cœti tribus diebus, & tribus noctibus.

Quartò, verba *viuificabit nos pòst duos dies, & in die tertia suscitabit nos*, videntur referenda ad tribulationem, de qua præmissum; & si de resurrectione ageret, cur diceretur, *viuificabit pòst duos dies, & in die tertia suscitabit?* nàm sufficiebat dicere tertia die suscitabit.

Quintò, nihil de Christo, sed de tribulatis suscitandis, quomodò ergò hìc de Christi resurrectione? si dicis resurrectio eius nostram operatur, esto; At hìc tribulati non præsupponuntur mortui, sed viuentes, ideò dicitur *consurgent, venite, reuertamur*, &c. & liberandi vti viuentes, *& viuemus in conspectu eius*, quomodò ergò eis hæc applicabuntur?

Sextò, hæc consequuntur præcedens caput in fine, in quo protestatur Deus se ab eis absuturum, donèc deficiant, & quærant faciem suam, & nihil de Christo, ideò hæc interpretanda iuxtà illa, ad quæ referũtur.

Septimò, resurrectio vniuersalis erit in fine mundi, pòst quam iudicium, non aliud, at in fine huius cap. agitur de conuersione captiuitatis, nempè Babylonicæ, ideò hæc non possunt trahi ad illam.

Octauò, subdunt, *sciemus, sequemurquè vt cognoscamus Dominum*; hæc autèm non sunt verba resurgentium à mortuis, sed permanentium in hac vita, ideò superiora non possunt trahi ad resurrectionem. Per accomodationem verò omnia rectè ad resurrectionem. *Et viuemus in conspectu eius. sciemus*, scientia implebimur Dei, qua deficiebant suprà in cap. præced. *sequemurquè* factis, verè Dominum, non ampliùs retrorsùm reuertentes, *vt cognoscamus Dominum*, in quo vita est: *quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus, & serotinus terræ*, occurret nobis illũ quærentibus Dominus, oportunèque; sìc cùm Filio prodigo, & sìc pòst septuaginta annos duæ Tribus, & aliqui ex decem redierunt ad Terram promissionis, vt dictum in præcedentibus capitibus, in quibus sempèr præsupponenda captiuitas Babylonica duarum tribuum, de qua expresè non agitur, vt ad hæc deueniri possit. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* nùnc, interim dùm non estis adhùc parati, quid præstare vobis possum vltrà ea, quæ feci? quid enim possum facere vineæ meæ, quod non fecerim? vndè ad supplicia animum vertere cogor. *misericordia* enim *vestra* ergà proximum, *quasi nubes matutina*, obscùra, non apparens, citò euanescens orto sole, aùt vento, infra cap. 13. 3. *& quasi ros mane pertransiens*, citò vt vix videatur, quæ me à supplicio non auertit, de illorum enìm, non Dei misericordia agit, dicens *vestra*, & de eadem infrà *misericordiam volui*, & Dei misericordiæ non competit titulus huic datus, & hoc fuit vnũ ex peccatis Sodomitarũ, qui manum pauperi non porrigebant, quasi si misericordes essetis, moueretis me etiàm nùnc ad vestri subuentionem; sìc Daniel ad Nabuchodonosor, peccata tua eleemosynis redime, &c. *Proptèr hoc* videns crudelitatem vestram erga proximos, *dolaui* nixus sum tundere, & cædere, & ad rectum deducere vos, *in prophetis* per prophetas, quos misi, *occidi eos in verbis oris mei*, quasi ad mortem deduxi eos, seù deducendos prædixi, terrens in verbis oris mei per prophetas manifestis. Quod dicitur de prophetis occisis, est alterius inspectionis, non hìc de eorum morte, sed populi, ad quem annunciabant, *& iudicia tua*, contrà te lata, pœnæ inflictæ, *quasi lux egredientur*, manifesta, & clara erunt ex his, quæ per prophetas annunciaui, & quia vos non fuistis misericordes ergà proximos. Vel ex pœnis sibi illatis manifestabitur, iudicia tua, sacrificia, vel alia, quæ reputabas digna ad placãdam iram meam, fuisse vana, & nullius momenti, quod magìs placet, quia dicit *iudicia tua*, non DEI. *Quia misericordiam volui*; plùs desideraui, *& non sacrificium*, misericordia sublata, seù charitate, *& scientiam Dei*, reuerentiam,

tiam, timorem, obseruantiam mandatorum, 1. Ioan. 2. quam neglexistis idòlis hærendo, suprà cap. 4. *plusquàm holocausta*, quæ offerebatis, & hæc omnia vobis per prophetas significaui Isa. 1. & 58. Iere. 7. *ipsi autèm* non attendentes dicta per prophetas, *sicùt Adam* primus hominum, *transgressi sunt pactum*, mandata, legem meam, quæ in pactum deducta fuit in monte Sinai. Exod. 19. *ibì*, in his, quæ dixi, vel eo loco, vbì idòlis sacrificabant, non exprimit locum, quia vbiquè sordes patrabant, *præuaricati sunt in me*.

Galaad, incipit ab auctoribus idolòlatriæ, numeratquè præuaricatores, *ciuitas operantium*, fabricantium *idòlum*, *supplantata* fraude deiecta, *sanguine*, ob sanguinem fusum in ea, *Et quasi fauces virorum latronum*, quos imitaris, sitiens sempèr sanguinem, proùt illi rem aliorum, *particeps*, & adiutor *sacerdotum* idòlorum *in via interficientium pergentes de Sichem* ad Ierusalem, *quia scelus operati sunt* in prædictis. *In domo Israel vidi horrendum* horrori omnibus Iere. 18. 13. *ibi fornicationes Ephraim* tribus, ex qua Ieroboam idòla fabricans, & adoranda proferens, & iubens, vndè *contaminatus est Israel* totus exemplo illius, nimirum si calamitates ei imminent: *Sed & Iuda*, nè putes te euasuram liberam, & exemptam, dùm videbis Israel captiuum duci, nàm & tu captiua ducèris in Babylonem ob idolòlatriam, sed tamèn *pone messem tibi* metes, & benè tibi erit, *cùm conuertero captiuitatem populi mei*, reducens illum in terrā suam, tùnc enim miserebor tui, non totius Israel perpetuò captiui, & si aliquorum tecum redeuntium.

CAPVT VII.

CVM *sanare vellem Israel* ab idolòlatria contracta sub Ieroboam, & alijs Regibus Israel malis, & idolòlatris, per Prophetas, & præsertim per Eliam, qui occidit quadringentos quinquaginta prophetas Baal, & per ignem declarauit Dominum esse Deum verum 3. Reg. 18. à vers. 19. vsquè in fin. & per Iehu, qui omnes cultores Baal manifestos vno die occidit, ità vt nè vnus quidèm residuus fuerit, & tēplum, & statuam Baal deiecit 4. Reg. 11. Non potest intelligi de alijs, quia aliorum ministerio non est vsus Dominus; Non singularitèr de Ieroboā, quia non fuit translatū in eū regnum decē Tribuum ob peccata populi, qui adhùc nondùm erat idolòlatria contaminatus, sed Salomonis 3. Reg. 11. 11. & seqq. & vers. 31. cùm seqq. Prætereà nedùm Ieroboam auertit populum, sed illum induxit ad idolòlatriam, & sub eo cœpit erectis vitulis in Dan, & Bethsabee 3. Reg. 12. 27. cùm seqq. nèc miraculo, vel minis auerti potuit 3. Regum 13. 1. necessariò ergò hæc facta sub Elia, & alijs Prophetis, & Iehu. Et hanc opinionem sequitur Palatius, Castrus, Sanctius: quam tamèn intelligo strictè quòad sanitatem præstandam, non quòad malum exemplum, seù impulsum ad idolòlatriam, quia hæc cœperunt sub Ieroboam, & sub omnibus Regibus Israel continuarunt, donèc decem Tribus in captiuitatem datæ fuerunt Assyrijs. *Cùm sanare vellem Israel*, eccè beneficium Dei maximum *reuelata est iniquitas Ephraim*, sub Achab, & Iezabel, & eodem Iehu, & alijs Regibus, nempè idolòlatriæ vitulorum contractæ sub Ieroboam primo eorum Rege distincto, *& malitia Samariæ* secutæ suum primum Regem, & continuauit sub Iehu, qui idolòlatra euasit 4. Reg. 10. 29. & alijs, & fuit facilis, quia iàm imbiberat vitium à tempore Ieroboam, fortè enim timore correpti pòst occisionem colentium Baal publicè indictam timuerunt, sed priuatìm idolòlatriam exercebant, & retinebant, quæ reuelata est, *quia operati sunt mendacium* dantes se idololatriæ, quia sicùt mendacium, sic idòlum nihil ex Paulo. Non potest dici de filijs septuaginta Achab occisis, quia id à Domino eligente ad hoc Iehu. *&* me promittente ob eorum malitiam, *fur ingressus est* eos spoliare bonis intùs, vice sanitatis, quam intendebam

spo-

spolians latrunculus foris, vt & intùs, & foris patiantur; de his 4. Regum 1c. 32. non hic de Iehu, quia hæc non legitùr fecisse; vltrà quod hæc præmissa, vt conuerterentur. Et *nè fortè dicant in cordibus suis omnem malitiam eorum* antiquam, vel Patrum, *me recordatum* ad puniendum, non ad sanandum, *nùnc* cùm minùs deberent, *circumdederunt eos adinuentiones suæ* pronæ ad malum, seù idolòlatriam, à qua non possunt diuelli, *coràm facie mea factæ sunt*, nè æstiment eas me latere, cùm in conspectu meo apparuerint. *In malitia sua* cordis *lætificauerunt regem* Ieroboam primùm 3. Reg. 12. 28. vsquè in finem: deindè alios successores, sequentes idòla per eum erecta me abiecto: *& in mēdacijs suis* idòlis (eccè quomodò & suprà mendacium pro idòlo) *principes* alios, vel tempore Ieroboam, vel successores. Non hìc de lætitia data Iehu, & primatibus ob occisiones filiorum Achab, & fratrum Ochoziæ; sed de idolòlatria, & quòad omnes Reges. *Omnes adulterantes*, proùt adulteri insanientes in libidinem, sic hi in idòla, *quasi clibanus succensus à coquente*, adeò exarserunt in adoratione idolorum: *quieuit paululùm ciuitas à commistione fermenti* sub Elia, & Iehu, vt suprà pòst occisionem prophetarum, & colentium Baal; quia timor incussus ex illis facinoribus egregijs, *donèc* exemplo Achab, & Iezabel, & eiusdem Iehu ad idòla declinantium, *fermentaretur totum*, & sic omnes fierent idolòlatræ. Non hìc de Ieroboam dissimulante, vt ideò quieuerit ab idolòlatria ciuitas; id enim non constat, immò de iussu suo adorandi vitulos, & non eundi in Ierusalem 3. Regum 12. 28. nolite vltrà ascendere in Ierusalem, eccè dij tui Israel, qui te eduxerūt de terra Aegypti: hìnc dicebant *Dies regis nostri*; hi sunt festiui nobis. de quocumque Rege intellige à primo Ieroboam citrà, *cœperūt principes* sub Ieroboam *furere à vino*, bacchanalia exercentes corde à vino ablato, suprà cap. 4. 11. Sìc in adoratione vituli in deserto; cœpit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. *Extendit* populus *manum suam* cooperando, & imitando, *cùm illusoribus*, principibus illis idolòlatris, vel qui Ieroboam illudebant scientes veritatem; sed decipientes, proùt de Philosophis Paulus Rom. 1. *Quia applicuerunt quasi clibanus cor suum* ad idolòlatriam, *cùm insidiaretur eis* Ieroboam idolòlatra *tota nocte dormiuit coquens eos*, cogitās quomodò posset populum ad idolòlatriam trahere, *mane* surgens *ipse succensus quasi ignis flamma* ad persuadendum. & ostendendum improbitatem sui consilij, vt eos traheret. *Omnes calefacti sunt quasi clibanus*, persuasionibus eius, & voluntate, & præcepto victi, & cedentes, *& deuorauerunt iudices suos*, fortè sacerdotes, quos in suam sententiam traxerunt, ità calefacti: *omnes Reges eorum* deindè *ceciderunt* in idolòlatriam, in Israel enìm nullus rex bonus legitur, *non est qui clamet in eis ad me*, adeò infixi sunt in idolòlatria, vt nè quidèm ad me recurrant. *Ephraim in populis ipse commiscebatur*, proùt gentes, intèr quas ipsi commissi sunt, varijs idòlis eorum seruiendo; *Ephraim factus est subcinericius panis*, placenta accensa, *qui non reuersatur*, adeò enim est pertinax in idòlis colendis, vt ad me non reuertatur, sed sistit in primo ardore idòlorum, *Comederunt alieni robur eius*, omnem eius substantiam, sæpiùs enim per Assyrios cæsus, *& ipse nesciuit*, nō considerauit causam tot malorum: *sed & cani effusi sunt in eo*, immò vsquè ad senectutem malorum, nempè captiuitatis perpetuæ peruenit, *et ipse ignorauit*, perstitit in cœcitate. *& humiliabitur*, deprimetur *superbia Israel in facie eius: nèc reuersi sunt ad Dominū Deum suum, et non quæsierunt eum in omnibus his*, sed in sua malitia perstiterunt. *Et factus est Ephraim quasi columba seducta*, in suis idolòlatrijs, *non habens cor*, sensum, mentem ad cognoscendum quid agat, in quos laqueos cadat: *Aegyptum inuocabant* in auxilium, nàm *ad Assyrios abierunt* pro auxilijs, & non cognoscebant, nequè ab Aegyptijs succursum iri, nequè ab Assyrijs, immò Assyrijs in captiuitatem dandos, hìnc *Et cùm profecti fuerint* in Aegyptum pro auxilio, *expandam supèr eos rete meum* exercitum Assyriorum: *quasi volucrem cœli detraham eos* in captiuitatem, *cædam eos secundùm auditionem cœtus eorum*, iuxtà prophetias eis publicè annunciatas: vide 4. Regum 17.

sic

sic suprà cap.6. dolaui in prophetis. *Væ eis, quoniàm recesserunt à me*, hærentes idòlis, qui eos saluare nequeunt, *vastabuntur* gladio, fame, captiuitate, *quia præuaricati sunt in me* Deum eorum *et ego redemi eos*, quasi ingrati tot meis beneficijs, & præsertim redemptioni ab Aegypto, *& ipsi locuti sunt contrà me mendacia*, non recognoscentes à me libertatem, sed ab idòlis. Exod. 32. 3. Regum 12. 28. *Et non clamauerunt ad me in corde suo*, dùm calamitatibus premendi nunciarentur, *sed vlulabant in cubilibus suis: supèr triticum, & vinum meum ruminabant* more bestiarum idòlis seruientes, & ab eis auxilium petentes, *recesserunt à me*, me non cogitantes, qui eos poteram subleuare. *Et* nihilominùs sempèr *Ego erudiui eos* docens vias, quas sequi deberent, *et confortaui brachia eorum* fortitudine auxi: *& è* conuersò ipsi ingrati, *in me cogitauerũt malitiam*, me reijciendo, & idòlis hærendo, ipsisquè omnia mea beneficia attribuendo; quod hic *malitiam*, suprà *mendacium*. *Reuersi sunt* euaserunt tales, *vt essent absquè iugo*, lege, ratione; *facti sunt quasi arcus* dolosus, tensus contra me, pro quo tendere debuerant: *cadent in gladio principes eorum à furore linguæ suæ*, qua me subsannauerunt, despexerunt, & alios ad idòla seduxerunt, nùnc subdit. *Ista subsannatio eorũ in terra Aegypti* cœpit, non incipiunt his diebus, inueterata est malitia *eorum*, non Aegyptiorum, de quibus nihil; At quid facit cõuersatio cùm malis; traxerunt Hebræi hanc idolòlatriam ex Aegypto, à qua non potuerunt se explicare.

CAPVT VIII.

IN *gutture tuo* ò propheta *sit tuba* resonãs *quasi aquila* Assyrius hostis velox instat *supèr domum Domini*, populum Israel, qui domus Domini, seù de domo Domini dici potuit, donèc in captiuitatem datus fuit; sic & cap.9. 5. 15. Vel *supèr domum Domini*, ideſt templum, quia indè oracula habebantur, vt plurimum annunciãtia eis mala imminentia, & ad illud erat concursus etiàm Israelitarum. Nil hic de Nabuchodonosor, vel Iuda, cùm ad Israel verbum fiat. At nescio an dici possit *in gutture tuo sit tuba quasi aquila* rostro, vel alis perterrefaciens, vel in alto stans, vt ab omnibus audiaris: sic, Clama, nè cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Isai. 58. supèr montem excelsum ascende, qui euãgelizas Sion, &c. & alibi sæpè: sed præclarus locus comprehendens quæ dixi Ioel 21. canite tuba in Sion, vlulate in monte sancto meo, conturbẽtur omnes habitatores terræ, & Isa. 13. 6. 25. 30. Amos 1. 2. cur id? subdit *pro eos quod transgressi sunt fœdus meum, & legem meam* in Sinai, non de promissione facta per Sedeciam Nabuchodonosor; nàm illa alio tempore, & cùm Iuda, vndè hìc nullo modo aptatur, *præuaricati sunt*, eccè cur flagella subeunt: *Me inuocabunt* in tribulatione positi, & pro Deo suo me cognouisse, dicent: *Deus meus cognouimus te Israel* nos Israelitæ tui, sed respondet Deus, *Proiecit Israel bonum* Deum: amarum autèm est derelinquere Dominum Deum, hincquè *inimicus persequetur eum*, & deijciet me proiecto, & longè agente, vt suprà dixit. *Ipsi* reges, ad quos redit; de his enim suprà, *regnauerunt, & non ex me*, me non recognoscentes, non quòd Deus non dederit eis regnum, qui regnare facit hypocritam, & dat Reges pueros, & per quem Reges regnant, & ex contextu meliùs dignoscitur, & Sauli regnum dedit, & 3. Regum 11. Ieroboam, Et quamuis & populus illum vocauerit, id factum, vt electio Dei firmaretur; neq. ægrè tulit Deus, proùt se declarauit in Saule cùm Samuele. Nèc necesse est hæc ad populum referre, quia in tota prophetia tàm contrà populum, quàm contrà Reges agitur; hìnc etiàm nèc de idòlis dicitur fabricatis, quæ à Ieroboam, non à populo fabricata fuerũt, *principes extiterunt*, eccè quomodò idem prosequatur eodem modo, *& non cognoui*, nèc

nèc approbaui, quia mei nullam curam habuerunt, ad me non recurrerunt, mihi gratias non egerunt, principatum à me non cognouerunt; ratio est, quia *argentum suũ, & aurum suum*, à me receptum, *fecerunt sibi idòla*, quæ coluerunt, & à quibus beneficia mea recognouerunt, in eisquè fabricandis aurum, & argentum meum consumpserunt: sic & suprà in capitibus præcedentibus, *vt* tandèm *interirent* gladio, fame, captiuitate: *proiectus est vitulus tuus Samaria* in te fabricatus per Ieroboam, in promptu est, vt proijciatur per Assyrios te captiuantes, *iratus est furor meus in eos*, qui nolunt ad me conuerti, & quasi impatiens dicit. *vsquequò non poterunt emundari?* populi isti ab immunditijs idòlorũ? quasi hæc omnia facio ad eorum emendationem. *Quia ex Israel & ipse est*, vitulus nempè ille deijciendus, proùt alia idòla nationum, quasi ex Israel Deus, qui deberet alios idòla adorantes irridere *artifex* declarat non esse talem, *fecit illum & non est Deus*, qui ab artifice fieri non potuit; vide Baruch 6. *quoniàm in aranearum telas* inuolutus, nèc poterit se ab eis extricare, *erit vitulus Samariæ*, proùt de alijs idòlis dixerunt alij prophetæ, & Baruch 6. Ierem. 10. Isai. 44. Vel *in aranearum telas*, idest dissoluetur, proùt tela aranearum.

Quia ventum, opera vana. *seminabunt & turbinem* malum, dispersionem, captiuitatem sibi ipsis; nàm non potest mala arbor bonos fructus facere, *metent*, *culmus stans non est in eo*, proùt in spica plena, *germen* eius *non faciet farinam*, quicquam boni. *quod & si fecerit*, *alieni* Assyrij, *comedent eam*, quouis modo priuabuntur. *Deuoratus est Israel: nùnc factus est in nationibus*, ad quas idòla perquirens vadit, *quasi vas immundum* spurcitijs plenum, ab omnibus spretum, *Quia ipsi ascenderunt*, iuerunt *ad Assur*, *onager solitarius sibi*, vagus hùc, illucquè discurrens sinè Deo suo: *Ephraim munera dederunt amatoribus*, proùt adulteræ contrà solitum, cùm potiùs ipsi debuissent recipere munera. Ezech. 16. amatores hìc populi, quorum Deos colebant; *Sed & cùm mercede conduxerint nationes* ad eorum defensionem, putantes euadere ab Assyrijs, *nùnc* infrà paucos dies, *congregabo eos* ad occisionem, captiuitatem: *&* interìm *quiescent paulispèr ab onere regis*, *& principum* suorum, qui eos grauitèr vrgebãt, proùt sæpè Deus conqueritur. Alij à tributo quod recusarunt tradere 4. Regum 17. *Quia* causa cur sìc tradantur, *multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: factæ sunt ei aræ in delictum*, in pœnam, *scribam*, scripsi *ei multiplices leges meas*, vt illas obseruarent, *quæ velùt alienæ computatæ sunt* per inobseruantiam. *Hostias offerent*, *immolabunt carnes*, *& comedent*, quasi me placaturi in templo, & sic suprà capit. 5. ibi in gregibus suis, &c. *Et Dominus non suscepit eas: nùnc* breui tempore *recordabitur iniquitatis eorum*, *& visitabit peccata eorum* per flagella: *ipsi in Aegyptum* conuertentur ijsdẽ oneribus grauandi, quibus in Aegypto. *Et oblitus est Israel factoris sui* Dei, *& ædificauit delubra* idòlis, *& Iudas multiplicauit vrbes munitas*, existimans se euasurum, in illis confidens, non in me: *& mittam ignem in ciuitates eius*, *& deuorabit ædes illius*, proùt factum per Sennacherib, & Chaldæos: & cùm hìc de Iuda, eò magis credo in principio de illo non agi, vt tenui.

CAPVT IX.

NOLI *lætari Israel*, *noli exultare* in tuis sordibus idolòlatriæ, *sicùt populi* me ignorantes: *quia fornicatus es à Deo tuo*, tibi benefaciente, recedens, quem illi ignorantes non adorarunt, *dilexisti* pro eo cultu idòlorum *mercedem* tamquàm scortum, *supèr omnes areas tritici*, putans illas abundantèr triticum præbere operantibus idolis, quæ tamèn à me datore recognoscere debueras. At (mutat personam) non sìc eueniet, immò contrarium, nàm. *Area*, *& torcular non pascet eos*, *&*

vinum

vinum mentietur eis, sic permittente me, qui hæc do, & aufero ad mei libitum; vide cap. 2. Habac. 3. 17. mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum; sed & ob huiusmodi cultum idòlorum. vide Albam cent. cap. 56. *Non habitabunt in terra Domini*, sed captiui ducentur in Assyrios. *Reuersus est Ephraim in Aegyptum*, redijt ad mores Aegyptiacos, *& in Assyrijs pollutum comedit* captiuus comedet, Tob. 1. cùm omnes ederent de cibis Gentilium; ponit factum pro futuro certo. *Non libabunt Domino vinum*, in captiuitate positi, *& non placebunt ei*, ex his, quæ subdit: *sacrificia eorum quasi panis lugentium* pollutus, & ingratus Deo. *Omnes, qui comedent eum, contaminabūtur: quia panis eorum animæ*, vitæ, vel desiderio *ipsorum* inseruit, *non intrabit in domum Domini*, quia pollutus, nàm, vt suprà dixi in alijs capitibus, etiàm Israelitæ in templo sacrificabant; nèc poterant tàm diligētèr obseruari, quia aliqui ad templum pergerent, vel quin captiui, vt suprà, vide Albam cent. cap. 57. *Quid facietis in die solemni, in die festiuitatis Domini?* scilicèt in die vindictæ, & iræ in vos: nàm solemnitates veras non curabant, vt de illis posset intelligi. *Eccè enim profecti sunt à vastitate* terræ eorum, fugientes; *Aegyptus congregabit eos*, ad quā confugient ad necem, ideò subdit declarādo, *Memphis sepeliet eos*, ibì morientur, non hìc de Iuda, sed Israel, *desiderabile argentum eorum* absconditum ab eis, *vrtica ibì nascens, quasi in deserto, hæreditabit, lappa in tabernaculis* eorum similitèr nascētur, & hæreditabit. *Venerunt dies visitationis*, supplicij, pœnarum, *Venerunt dies retributionis*, pro tot sceleribus, *scitote* cognoscite nunc *Israel*, quem dicebatis *stultū prophetam, insanum, virum spiritualem*, quasi suo spiritu ductum, hæc vobis euentura prædicentem fuisse verum, non qualem putabatis, hæc autèm omnia *proptèr multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ*, qua ferebaris in adoratione idòlorum, vndè falsò tibi persuadebas exemptū iri à supplicijs, tibi per veros prophetas cōminatis. *Speculator* datus *Ephraim cùm Deo meo* agens vera, seù exterminium eius annunciauit. De bono hìc agi patet Genes. 4. ambulauitquè Enoch cùm Deo, & infrà capit. 11. in fin. Iudas autèm testis descendit cùm Deo, & cùm Sanctis fidelis; at *propheta* falsus *laqueus ruinæ factus est supèr omnes vias eius*, dùm promisit fausta ab idòlis ventura, *& insania in domo Dei eius*, idòli, nàm insani sunt idòlis seruientes, Sap. 14. 24. 28. repete *factus est* eis, ideò *Profundè* vehementèr, & contumacitèr *peccauerunt sicùt in diebus Gabaa* Iud. 19. & 20. quandò violata vxor Leuitæ, & mortua, & Beniamin noluit tradere reos, & obstitit vsquè ad internecionem contrà vndecim Tribus.

Verisimile est autèm referre facinus illud famosum, & horrendum, cùm dicat *in diebus Gabaa*, quàm indistinctè malos mores Gabaa, vel Saulis electionē ibì factam, quia non diceret quòad mores *in diebus*, sicùt quandò de moribus Sodomæ, & Gomorrhæ non fit, sed simplicitèr & minùs ad Saulis electionem, quia non in electione peccatum, cùm Dominus Saulem elegerit, sed in petitione Regis; Vltrà quod refert illud factum ob pœnam secutam, quam illis comminatur similem, quod nō fuit ob alios malos mores, vel proptèr Saulem, ideò subdit *recordabitur* Deus *iniquitatis eorum, & visitabit* puniens *peccata eorum*. At credo posse etiàm intelligi de idolòlatria, quæ cœpit in tribu Dan, vna ex decem, ablato à Michæa idòlo, quod perstitit vsquè ad diem captiuitatis suæ, proùt & infrà cap. 10. dicam; nàm verbum *sicùt* est similitudinarium, & cùm arguantur idolòlatræ, verisimile est de eadem specie, & peccato intelligere: & hoc puto melius, nàm totus Israel ibì non peccauit, immò vindicauit sanguinem innoxium, solùm Beniamitæ peccauerunt. *Quasi vuas in deserto* totius mundi viatori sitienti, & famelico aliud non habenti gratas *inueni*, & segregaui mihi in populum *Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius*, quæ gratiora esse solent, *vidi*, & dilexi, & amplexatus sum, *patres eorum* Abraham, Isaac, & Iacob, ad quos respicere debuerant Isa. 51. *ipsi autèm* filij descendentes, ingrati, & proterui, *intrauerūt ad Beelphegor*, ad idòla aliena adoranda, me derelicto; Meminit Beelphegor, quia primum idòlum gentium, quod adorauerūt de

de Aegypto educti Numer. 25. nàm vitulus fuit fabricatus ab Aaron, & in illius adoratione diù non perseuerauerunt, proùt huius; propterea illius non meminit, *& abalienati sunt* à me *in confusionem* ex adoratione illius idòli obscæni, & pœna illata, *& facti sunt abominabiles sicùt ea, quæ dilexerunt*, quasi transformantes se in ea, quæ dilexerunt. *Ephraim quasi auis* in cauea retenta, *auolauit* idolòlatriæ data, me derelicto, ità vt non sit reuersurus, proùt auis; & simùl auolauit *gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu*, quia in his omnibus actibus, & gradibus à me destitutus deficiet. In verbis *auolauit*, & sequentibus non puto agi de captiuitate, de qua subdit pluriès. *Quod et si enutrierint filios suos* à me dimissos *absquè liberis eos faciam in hominibus* intèr homines, & sìc progenies eorum deficiet; *sed & va eis, cùm recessero ab eis*, maiora supplicia sentient, præsertim ex captiuitate perpetua. *Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine* similis Tyro pulchræ, de qua Ezech. 27. me patrono. *Et Ephraim educet ad interfectorem filios suos*, vt suprà me recedente proptèr idolòlatriam. *Da eis Domine*, quod dixisti, *Quid dabis eis? Da eis vuluam sinè liberis*, sterilem, *& vbera arentia* à lacte, vt non possint liberos genitos alere. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia* idcircò *ibì exosos habui eos*, ibi enim cœpta idolòlatria, vbi beneficia multa, & locus insignis; de eodem loco capit. 4. 15. *proptèr malitiam adinuentionum eorum*, sìc Dauid, ibunt in adinuentionibus suis, & cap. 7. 2. de eisdem, *de domo mea*, Terra promissionis; hìnc benè dixi cap. 8. in princ. interpretatus domum Domini pro terra Israel, *eijciam eos: non addam, vt diligam eos* vltrà, quia in perpetuã captiuitatẽ dabuntur, at tamèn in fine saluæ reliquiæ, *omnes principes eorum recedentes*, fugientes à me, quasi abominantur. *Percussus est Ephraim* ab Assyrijs, & in captiuitatem ductus, *radix eorum exiccata est*, & inutilis reddita: *fructum nequaquàm facient*, proùt ficulnea maledicta à Christo; *Quod et si genuerint* filios, fructum fecerint, *interficiam amantissima vteri eorum*, non diù viuent, nàm quod & suprà bis dixit, *abijciet eos Deus meus*, tradenturquè inimicorum gladio: & captiuitati, *quia nõ audierunt eum* per Prophetas suos admonentem: *& erunt vagi in nationibus*, ad quas ducentur, ex his eorum inquietudinem, & captiuitatem perpetuam significat. prædicta hæc Deuter. 28. 64. in Cain exemplum Gen. 4. 14.

CAPVT X.

VITIS *frondosa Israel* luxurians, pulchra *fructus adæquatus est ei* abundantèr, sic cap. 9. assimilauit eum Tyro in pulchritudine; at ingratus *secundùm multitudinem fructus sui multiplicauit altaria* idòlis, Deo vero derelicto, quod explicat alijs verbis, *iuxtà vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris* idòlorum ex auro, & argento meo suprà cap. 2. 8. Ezech. 16. 17. *Diuisum est cor eorum* à me, idòlis hærentes *nùnc interibunt*, quia mihi cor, voluntas debetur, *ipse confringet simulachra eorum, depopulabitur aras eorum* Deus per Assyrios *Quia nùnc dicent*, dùm obsidebuntur, non captiui ducentur. *Non est rex nobis*, qui nos defendat, nèc alius: *non enìm timemus Dominum*, qui nos eripere posset ex his angustijs: *& rex quid faciet nobis?* quasi impotens, & sibi soli prospicere non valens, *Loquimini verba visionis inutilis*, vobis per prophetas falsos dictæ, & in ea confidite, *& ferietis fœdus* cùm Assyrijs, vt euadatis, quod tentarunt 4. Regum 17. sed in vanum, vt ibì; hæ per ironiam, vndè subdit, *& germinabit quasi amaritudo* amaræ herbæ, *iudicium*, supplicium, *supèr sulcos agri* benè culti idolòlatrijs, quibus vos dedistis, infrà cap. 12. 11. quasi etsi vos hæc putetis rectè componere, succedet contrarium.

Vaccas Bethauen à Ieroboam erectas *coluerunt* quasi deas, *habitatores Samariæ*.

ecc̀e

eccè Bethauē pro Bethel,clarè,ideò quæ ſuprà dixit Caſtr. & hic ſupèr his euaneſcūt, *quia luxit ſupèr eum*, vitulum, *populus eius* Samariæ, *& æditui eius*, cuſtodes, ſacerdotes luxerunt, qui *ſupèr eum exaltauerunt in gloria eius*, dùm ſtabat,& adorabatur, *quia migrauit ab eo*, ablatus ab Aſſyrijs, & proiectus, loquitur de futuris, ac factis: *Siquidèm & ipſe* vitulus *in Aſſur delatus eſt munus* à ducibus eius miſſum, *regi vltori* iniquitatum Iſrael; Non credendum pro aureo vitulo ſuppoſitum deauratum, & aureum miſſum munus, vel à Sacerdotibus, vel Rege, vel alijs, quia idòla nimium æſtimabantur, vt ex Micha, quandò ei ablata Iud. 17. & Laban Geneſ. 31. 31. hinc & hi lugent ablatum vitulum; At quomodò id, ſi adhùc tempore Oſeæ colebatur? hic verſic. 2. 8. & capit. 8. 6. ſed à victoribus ablatum, & loquitur de futuris vti de præteritis. *confuſio Ephram capiet*, tùnc,cùm hæc fient, *& confundetur Iſrael in voluntate ſua* praua, & peruerſa adorandi vitulum, & confidendi in eo. *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum*, idòlum,vitulum *quaſi ſpumam ſupèr faciem aquæ*, quæ citò diſpergitur, & cap. 8. 6. aſſimilauit illum telis araneæ; nil hìc de rege Iſrael, *Et diſperdentur* ſimùl *excelſa*, vbì ſacrificabant *idoli*, quod eſt *peccatum Iſrael* magnum. *Lappa, & tribulus aſcendet ſupèr aras eorum* in deſertum dabuntur; *& dicent montibus* confuſi, & auxilio deſtituti, & in ſumma deſperatione poſiti: *Operite nos*, sìc Apocal. 6. & Luc. 23. 39. ſimilia verba refert Dominus ad captiuitatem Romanam: *ex diebus Gabaa peccauit Iſrael*, cœpit peccare Iſrael in tribu Dan, quæ rapuit idòlum ex domo Michæ, & illud publicè adorauit, ibì ſteterunt contumaces, non recedentes à tanto ſcelere vſquè ad diem captiuitatis ſuæ. Iudic. 17. & 18. verſ. 30. & 31. & veriſimile eſt agi de peccato idolòlatriæ, poſtquàm de illo ſempèr egit, & agit: & sic tenui ſuprà capit. 9. *Non comprehendet eos in Gabaa prælium ſupèr filios iniquitatis*, bellum contrà hos exercendum non erit per contribules, proùt in Gabaa, in qua miſericordia vſæ ſunt vndecim Tribus Iud. c. fin. At meliùs iuxtà ſecundū intellectum, *non cōprehendet eos in Gabaa* ſola, *prælium ſupèr filios iniquitatis*, idolòlatras, ſed ſupèr omnes Samaritas, proùt ſubijcit.

Nèc obſtat, hìc Gabaa, non Dan mentionem fieri; quia fit mentio Gabaæ, tanquàm à notiori facto, ideò dicitur non in Gabaa, quomodò, ſi de facto illo ageret, dixiſſet, ſed *ex diebus Gabaa*, repræſentans tempus illud percutiens, & tangens tempus idolòlatriæ in Dan. sìc & ſuprà capite nono, *in diebus Gabaa*, vltrà quod meminit Gabaæ proptèr cladem illam, quæ deſtruxit vna tribum.

Præthereà, non peccauit Iſrael, vt hìc in facto Gabaæ, ſed benè fecit puniens ſceleſtos; neque ibì ſteterunt diù, vt hìc dicitur, at idolòlatriam continuarunt Danitæ vſquè ad diem captiuitatis ſuæ.

Non obſtat, non fuerunt in Dan idòla, ſed donèc fuit domus Dei in Silo, ità Iudic. 18. 31. nàm id dicit ad maiorem peccati maximi declarationem, vt non erubuerint idòla adorare, ſtante ibì arca, quiſque enìm poterat credere, quòd ſaltèm abſtinuiſſent tùnc temporis, at proceſſit vſquè ad diem captiuitatis ſuæ. Quòd tempore Samuelis ſublatum fuerit, eſt cōtrà textum, vel diuinatio.

Non obſtant antè fuerunt idòla in Iſrael, & totus Iſrael adorauit. Iudic. 8. 33. quia ab illis receſſerunt aliquandò, ideò non habentur in conſideratione, ſicùt neque idòla Aegypti, neque vitulus in deſerto, & idòla Madianitarum. At hoc in Dan conſideratur, quia perpetuum vſquè ad diem captiuitatis ſuæ; & ibì, vltrà alia, de facili poſitum à Ieroboam, quia aderant iàm ſemina idolòlatriæ iacta.

Non obſtat veriſimilitudo, quòd Dauid illud ſuſtuliſſet, nàm in claris non eſt opus coniecturis, cùm dicat textus, vſquè ad tempus captiuitatis ſuæ.

Quarè puto hunc intellectū recipiendum, quicquid dicat Sanctius. *Iuxtà deſiderium meum*, quod eſt eos penitùs extirpandi, & dandi omnes in perpetuam captiuitatē, *corripiam eos*, puniam eos, non alijs Tribubus iuxtà primum intellectum, ſed iuxtà ſecundum ſimplicitèr, vndè *congregabuntur ſupèr eos populi* extranei, immites, immiſericordes *cū corripiētur proptèr duas iniquitates ſuas*,

Bbbb pri-

primam, quia me dereliquerunt: secundam, quia hæserunt idòlis Ierem. 2. vel proptèr duos vitulos. Vel primam ob idòlum Michæ, secundam ob vitulos, quod est melius. *Ephraim vitula docta* assueta, *diligere trituram* idolòlatriam, *& ego transiui supèr pulchritudinem colli eius*, ad eam edomandam, & auertendam à consuetudine idolòlatriæ: at postquàm omnia in vanum, nùnc *ascendam supèr Ephraim* contumacem, parere nolētem, daboquè eam in captiuitatē: interim exēplo suo timore correptus *arabit Iudas*, & in Dei cultura stabit, *confringet sibi sulcos Iacob*, bonas, seù rectas vias assumet, hìc enim de lætis in oppositum ad Israel, non infestis; non bellis externorum, seù Israelis contrà Iudam. repetit in *Iacob* eandem tribum Iuda ad differentiam Israel. *Seminate vobis in* cùm *iustitia*, virtute omni, *& metite in ore* pro voto *misericordiæ*, abundantèr, quomo dò vos eam optatis: sìc dictum de Sodomis, & manum pauperi non porrigebant: nihil hìc de bellis Ephraim cùm Iuda. *innouate vobis nouale*, purgando vos à peccatis antiquis. *tempus autèm requirendi Dominum, cùm venerit* redierit ad nos, qui nùnc à nobis elongatus est proptèr scelera nostra: sìc infrà capit. 11. populus meus pendebit ad reditum meum, *qui docebit vos iustitiam*, quam sequamini, nùnc vobis ignotam: sic & cap. 14. quis sapiens, &c. tùnc enim scietis, quomodò sciunt qui faciunt Aug. Psal. 118. Non videtur posse intelligi de Christo ad litteram, quia hæ tribus datæ in perpetuam captiuitatem, in fine tantùm recipient illum, *Arastis impietatem* impiè egistis *iniquitatem* supplicium *messuistis* iuxtà semen malum, *comedistis frugem mendacij* inanem, *quia confisus es in vijs tuis* sequens idòla, & *in multitudine fortium tuorum* militum, quod non debueras, sed in me: ideò *Consurget tumultus in populo tuo* exercitus Assyriorum ad arma resonans: *& omnes munitiones tuæ vastabuntur*, corruent per Assyrios, *sicùt vastatus est Salmana à domo eius, qui iudicauit*, destruxit, & is Gedeon, *Baal in die prælij* contrà Madianitas, *matre supèr filios allisa*, in quo nèc pepercit matribus, etsi hoc non legatur Iud. 8. Nèc videtur referendum ad Salmana, qui Gedeonis fratres matris suæ filios occiderat, Iud. 8. 19. & hoc fortè intellexit S. Hieron. dùm adduxit dictum Samuelis. 1. Reg. 15. nàm sermo est de Gedeone; Nequè constat etiàm Salmanam matrem supèr filios allisisse, proùt hìc dicitur: & Samuel non dicit 1. Regum 15. 33. allisas matres supèr filios, sed filijs orbatas, quarè standum sìc actum à Gedeone, quia in Scriptura vna multæ adduntur historiæ alterius: vel hæc ad denotandam magnam stragem, quasi etiàm radice euulsa. *Sic fecit vobis Bethel*, vbì adorastis vitulum; eccè Bethel, qui suprà Bethauen, *à facie malitiæ nequitiarum vestrarum* proptèr multas iniquitates vestras.

CAPVT XI.

S*ICVT mane transiit*, nèc redit *pertransiit rex Israel* cùm regno numquàm reuersurus, ponit factum pro futuro, *Quia puer* derelictus, & paruulus *Israel*, dùm erat in Aegypto, *& dilexi eum* re benefeci: *& ex Aegypto vocaui filium meum*, reducens eum in Terram promissionis; sìc ad litteram; Typicè de Christo, vt tenui Matth. 2. *Vocauerunt eos Moyses, & Aaron*, iubente Domino, meliusquè concordat cū *vocaui: sic abierunt à facie eorum* à ductoribus suis, *Baalim immolabāt*, eccè sub Baalim omnia idòla, vel sub vna specie alia, *& simulachris sacrificabant*, sìc vitulo Exod. 31. Beelphegor Num. 24. *Et ego quasi nutricius Ephraim*, huius meminit, à quo magis offensus, at sub hoc omnes, *portabam eos in brachiis meis*, velùt infantes excusās eorum malitias, eisquè blandiens, *& nescierunt quòd curarem eos*, dùm ægrotos, declinantes ad idòla, & vitia puniebam, vt auerterentur. *In funiculis Adam*, in legibus hominum, blanditijs, *traham eos*, traxi *in vinculis charitatis* suauitèr; sìc nemo

venit

venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum: *& ero* fui *eis quasi exaltans iugũ super maxillas eorum*, vt fiat leuius, & refrigerentur, *& declinaui ad eum* porrigens cibos, *vt vesceretur*, in deserto enim pauit populum: nùnc *Non reuertetur in terram Aegypti*, ibi saluandus, confugit enim ad sua regẽ Aegypti, vt hic in Osea, sed frustrà 4. Regum 17. *Et* quia *Assur ipse rex eius*. Dominus eius erit, sub quo captiui degent: *quoniàm noluerunt conuerti* ad me; in eorum contumaciam. *Cœpit gladius* Assyriorum 4. Regum 15. *in ciuitatibus eius, & consumet electos eius, & comedet capita eorum*, nedùm populum: hincque deducitur magnitudo calamitatis. *Et populus meus pendebit ad reditum meum*, expectans liberari; hinc suprà cap. præced. in fin. *cùm venerit: iugum autèm imponetur eis simul*, & principibus, & populo ab Assyrijs, *quod non auferetur*, quia perpetua erit captiuitas vsq. ad finem mundi in circà. *Quomodò dabo te*, geram me tecum *Ephraim, protegam te Israel?* adhùc idòla colẽtem à tot calamitatibus imminẽtibus. *quomodò dabo te?* scire vis? dabo te *sicùt Adama, ponam te vt Seboim?* ciuitates subuersas cùm Sodoma, ità vt nullum tui remaneat vestigium. At dùm hæc profero, ea te charitate diligo, proptereà *Conuersum* mutatum *est in me cor meum*, voluntas mea, *pariter conturbata est pœnitudo mea*, pœnituit me, & dolore opprimor hæc tanta tibi inferri mala; loquitur more humano in persona Dei: sic Gen. 6. tactus dolore cordis intrinsecùs: vndè mutatus subdit: *Non faciam furorem iræ meæ; non conuertar, vt disperdam Ephraim: quoniàm Deus ego* bonus, nolens mortem peccatoris, non perdens, *& non homo*, dissipans quem odit, & conculcans ad internecionem: vel obseruans, & fidelis, non vt homo decipiens, inobseruans: *in medio tui Sanctus*, sanctificans, non destruens. Non dicas *in medio tui Sanctus* aliquis, qui me retineat, proùt cùm Abraham Genes. 18. Ierem. 5. quia omninò abstinuisset Deus à flagello, vt in dictis locis, nèc dedisset eos in perpetuam captiuitatem, quod videtur extremum supplicium, illud tantùm boni, illorum reseruatio vsquè ad finem; *& non ingrediar ciuitatem*, proùt victores solent ad eam accendendam, vel in ore gladij perdẽdam, proùt in Sodomis, id fortè, quia Salmanasar non destruxit, vel arsit ciuitates, proùt actum de Ierusalem sub Nabuchodonosor, *Pòst Dominum ambulabunt*, Hebræi sequentur Dominum venturum, quod erit in fine sæculi in reliquijs, & antè in aliquibus, ipse enim, vt ab omnibus audiatur, tùnc *quasi leo rugiet*, *quia ipse rugiet*; & reuelabit se Dominus per Apostolos, & successores, *& formidabunt filii maris* propè maria, vel in insulis, vel longè habitantes, adeò horribilis erit sonus. *Et auolabunt* Israelitæ, *quasi auis ex Aegypto*, vbi fugitiui erunt; *& quasi columba de terra Assyriorum*, vbi captiui ad Ecclesiã Catholicam, & hoc in fine mundi: *& collocabo eos in domibus suis*, vt tutò viuant, & protecti, & liberi, *dicit Dominus*. *Circumdedit me in negociatione Ephraim, & in dolo domus Israel*, videbantur enim me colere, sed ficta erat eorum actio, quia ad idòla declinabant; propterea non possum recedere à malis eis comminatis.

Vel hæc ad tempus reditus à captiuitate Babylonica cùm Iuda, aliqui enim Israelitæ cùm illa redierunt, quod & suprà sæpiùs dixit, & hoc fortè magis ad litteram, & bis suprà de venturo Domino sic interpretati sumus, & id verisimilius, quia tùnc non erit tempus, vt rugiat Dominus, & retinentes captiuos liberos dimittant, & rugitus fuit edictum Cyri. *Iudas autèm testis* testificans veritatem, & colens, *descendit cùm Deo, & cùm Sanctis* Sacerdotibus, sic cap. 4. sicùt qui cõtradicunt Sacerdoti in Israelitis *fidelis* obseruans, & stabilis, dùm Israel recessisset ab eo, & idòlis adhæsisset.

CAPVT XII.

EPHRAIM pascit ventũ, nutritur inanibus, quæ non proderunt, *& sequitur æstum* ventũ vrentem, dùm in idòlis, vel extraneis confidit, *tota die mẽdacium* fallaciæ, quæ non sortiuntur, *& vastitatem*, dùm contumax perseuerat in idòlis colendis, *multiplicat* sibi, *& fœdus cùm Assyrijs inijt* 4.Reg.15.19. nihil profuturũ, quia nõ obseruabitur, eccè vẽtosa Ephraim, *Et oleum in Aegyptum ferebat*, continuabat ferre vel munera, vt protegeretur ab eo, proùt tempore Oseæ rebellare volẽs ab Assyrijs 4.Reg.17. vel merces, proùt ad Tyrũ. Ezech. 27.17. Gen. 43. ex his malè gestis. *Iudiciũ ergò Dòmini* est *cũ Iuda* duabus Tribubus, proùt Nabuchodonosor dixit iudicia contrà Sedeciam, *& visitatio* flagellum *supèr Iacob* decem Tribubus, Iudã includit, quia beneficia communia commemorat, at pro pœna de Israel tantùm, *iuxtà vias eius, & iuxtà adinuẽtiones eius reddet ei* mala Dominus. *In vtero* antequam quicquam boni, aut mali egisset Iacob Rom 9. numerat beneficia collata populo: *supplantauit fratrem suum*, & præpositus est ei Malach. 1. Iacob dilexi, Esau autèm odio habui. *et in fortitudine suã directus est cũ Angelo*, ità vt præualuerit, & dictus fuerit fortis contrà Deum Gen.32.& Sap.1 c.10. *Et inualuit ad Angelum*, qui illũ superare non potuit, *et confortatus est* Angeli benedictione, vndè dixit, Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea; sed antequàm benedictione confortaretur, *fleuit*, quod in Genesi non habemus, *et rogauit eum*, timens ex visione Angeli mori. Sed quodnàm hoc beneficium? salus præstita Iacob eorum parenti, à quo descendebant, timenti fratrem Esau, quam Deus ex lucta cũ Angelo voluit à se recognosci, vultq. inferre, sìc & vobiscum facerem, si conuerteremini, *in Bethel inuenit eum*, ei sacrificans pòst securitatem ei datam Gen.35. & aliàs in eodẽ loco ei Deus apparuerat in somnis Gen.28. *& ibi locutus est nobiscum*, de nobis dùm Deus promittens Iacob posteritatem innumerabilem, eamquè ab eo fouendam Genes. 31. 11. *Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius* Genes. 46. 3. ego sum fortissimus Deus, &c. quem sempèr memoria tenuit, & adorauit, & nunquàm ab eo defecit, de Iacob solo hìc, non familia, ideò diuinare est, quod familiæ memoriale dederit, &c. vt per Sanct. Nequè probatur, quòd familia Iacob idolòlatria, vel quod in armillis, & alijs ornamentis idòli effigies esset, vt in eo loco animaduersum.

Et tu aliquandò *ad Deum* tuum *conuerteris*, conuertere relictis idòlis: *misericordiã* ergà proximum, *& iudicium*, iustitiam *custodi, & spera in Deo tuo sempèr*, vsq. in finẽ, nunquã deficiens, sempèr perseuerans, proùt Iacob pater tuus; At *Chanaan* mercator Ephraim peruersus, proùt populus Chanaã, quod enim hoc de Ephraim dicat, apparet ex subiectis, *& dixit Ephraim*, deficit in vtroque, in misericordia, & iudicio, offendens proximum in negociatione, & opprimens, *in manu eius statera dolosa*, eccè negociatio praua, *calũniam dilexit*, eccè oppressio contrà proximum, & sìc in omnibus iniquè agit. *Et dixit Ephraim* gloriabũdus, *Verũtamèn diues effectus sũ*, vndè hoc mihi nemo quærat, vndè habeas, quærit nemo, sed oportet habere, *inueni idòlum mihi*, in auro, argento, thesauris, quos possideo, qui me defendent, *omnes labores mei*, acquisita per me, *non inuenient*, non dabunt *mihi iniquitatem*, pœnam. *quam peccaui*, peccando merui, tutus ero. *Et ego Dominus Deus tuus de terra Aegypti*, in qua me tibi Deum te protegentem manifestaui, *adhùc sedere te faciam in tabernaculis, sicùt in diebus festiuitatis* iussæ in memoriã beneficij eductionis ab Aegypto, recedam à voluntate dandi te iterùm in seruitutem, si pœnitentiam agas; hìnc cognosce sempèr prophetam ad litterã agere de temporalibus, vt sæpiùs obseruaui in capitibus superioribus, hinc *Et locutus sum* volens tuam conuersionem *supèr*

ad *prophetas*, *& ego visionem multiplicaui*, sæpius hæc manifestaui prophetis, tibi dicēda,& constat ex historialibus sacræ Scripturæ,& Prophetijs, *& in manu prophetarū assimilatus sum*, à similitudine, quam meliùs apprehenderes, indicantes charitatē meam ergà te,& volūtatem promptam te saluandi. *Si Galaad idòlum* habebat,immò ibi operarij idòlorum suprà c.6. 31. & tamēn capta, & captiua facta ab Assyrijs 4. Reg. 15. ità vt idòla sua nihil ei iuuerint, *ergò frustrà erant*, & sunt, *in Galgal bobus immolantes*, separantesq. in eis, similia idòla non proderunt eis: *nàm et altaria eorum* destruentur, & *quasi acerui* lapidū erūt *supèr sulcos agri*, qui emundatur ab eis,& aratur, vndè nè cōfidatis in idòlis,sed conuertimini ad me;dubitatis fortè de potentia mea: at audite,*Fugit Iacob in regionē Syriæ*, fugiens irā Esau, redit ad beneficia collata patri eorū Iacob, *& seruiuit Israel* Iacob *in* proptèr *vxorem* Rachel,*& in* proptèr *vxorem* eamdem *seruauit* pacta; vel idem nempè seruitutē aliorum septem annorum; vult dicere, seruaui Iacob in Syriam euntem, stantem, redeuntem, & fuit is mihi gratus, memorq. beneficiorum meorū, vt suprà; *In propheta* Moyse *autèm eduxit* in prodigijs, in brachio extēto, *Dominus Israel de Aegypto, & in propheta seruatus est* immunis,& illæsus; At *ad iracundiā me prouocauit Ephraim*, sìc eductus ab amara seruitute Aegyptiaca,mihi ingratus,*in amaritudinibus suis* peccatis, quibus me affecit, & irritauit seruiens idòlis, & me derelinquens, *& sanguis eius supèr eum veniet*, ipse enim sua idolòlatria hæc mala, & pœnam sibi conciliauit; sìc de Ioab Dauid 3.Reg.2. *& opprobrium eius*,quod Domino facere molitus est adorando idòla,ità vt nomen Dei blasphemaretur intèr gentes *restituet ei* supèr eum peccantem,& causam dātem conuertet *Dominus suus*.

CAPVT XIII.

LOQVENTE *Ephraim* Ieroboam rege pro adoratione vitulorum, *horror*, tremor, *inuasit Israel*, nèc est ausus contradicere regi; & cùm hæc verba passiuè proferantur, non possunt intelligi de horrore aliorum populorū pro Israel, seù Ephraim, præsertim ex sequentibus, quæ manifestant effectum locutionis in Israel: *& deliquit in Baal*, in adoratione idòli, seù vitulorū,quos sub Baal idòlo antiquo cōprehendit,& quādò de alijs idòlis,se explicat,vt infrà,*et mortuus est* in peccato suo hoc maximo in anima,& corpore,obnoxius factus cædibus,captiuitati,calamitatibus. *Et nùnc addiderunt ad peccandū*, vitio huic assueti;& sic de vno in aliud peccatum itur de facili: *fecerūtquè sibi conflatile de argento suo*, quod si suū,scire debuerunt nō esse quid diuinum, vel homines non posse deos facere, *quasi similitudinē idòlorum factura artificum totum est*, ipse declarat quid illi cognoscere debuerāt, & si tale, nō ergò Deus: *his* ex argento idòla conflantibus *ipsi* artifices, vel sacerdotes *dicunt*. *Imolate*, sacrificate *homines* idòlis, sìc *vitulos* idòla *adorātes*. *Idcircò erūt* adorantes illa idòla,euanescentes citò,proùt ea, quæ subdit, *quasi nubes matutina & sicùt ros matutinus præteriens, sicùt puluis turbine raptus ex area,et sicùt fumus de fumario*. *Ego autèm* è cōuersò *Dominus Deus* te protegens *ex terra Aegypti*, è qua te eduxi mirabilitèr: *& Deum absq; me nescies*, tibi auxiliantē, & quia *saluator non est prætèr me*, solus enim mundi gubernator, & rector sū, & tui in specie Isa.45. *Ego cognoui te* in filiū, & alui, benefeci *in deserto, in terra solitudinis* ex miraculo in tanta rerum omnium sterilitate. *Iuxtà pascua sua* Dei *adimpleti sūt, & saturati sunt: &* sic verò incrassati, dilatati, *leuauerunt cor suum* in superbiam, *& obliti sunt mei*,qui illos tot beneficijs cumulauerā. *Et* nùnc imposterum, *ego ero eis quasi leæna, sicùt pardus in via Assyriorū*, quos ducam contrà illos.

Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum: & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos, ex prędictis docet quomodò illos crudelitèr sit perditurus; & nè doleas, nàm *Perditio*

tua, tibi est ob tuam idololatriam; vel *perditio tua* hæc, quam dixi, *ò Israel: tãtummodò in me* est, & sperãdum fuit, *auxilium tuum*; nàm *Vbi est rex tuus?* qui te saluet, defendat, & subleuet: *maximè nùnc saluet te in omnibus vrbibus tuis* destruendis per Assyrios, *& iudices tui* principes, *de quibus dixisti: Da mihi regem, & principes*, dùm diuisa regna Iuda, & Israel, de hoc enim vltimo statu puto agi: verisimile enim est, postquàm Roboam populo contradixit, ipsũ (nè destitutus remaneret) à Deo petijsse Regẽ, & principes, proùt exindè constituerunt Ieroboam à Deo designatum 3. Reg. 12. Alij referunt ad tempora Saul. *Dabo*, dedi *tibi regem in furore meo, & auferam* nùnc, quia ego creo, & depono; sic in Osea regnum Israel cessauit 4. Reg. 17. nèc videtur de Assyrio posse intelligi, quia subdit, *& auferam*, nempè à te regem, *in indignatione mea* prouocatus à me. *Colligata est*, conseruata est apud me; hìnc quandò punit, dicuntur peccata in memoriam Dei venire. *iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius* penès me, repetit idem; vel iuxtà eius reputationẽ peccata illius occulta sunt, suprà capit. 12. *Dolores parturientis venient ei*, dùm puniã, & tùnc manifestabuntur: *ipse filius* Ephraim *non sapiens*, sed seductus suprà c. 7. columba seducta, non considerans ventura supèr eũ: *nùnc enim* ob tot scelera, & contumaciam *non stabit*, non poterit ferre calamitates, *in contritione* pressura *filiorum* carorũ, oppressorum per Assyrios, sed doloribus auctus stridebit: at successiuis temporibus. *De manu mortis liberabo eos* per Christum, in quem credent in fine mundi, & sìc eos consolatur, *de morte redimam eos* transferendo ad vitã spiritualem, & incolumem resuscitando in fine, liberando à limbo, *ero mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne*, per mortem Christi, sunt verba eadem, quæ Paulus 1. Cor. 15. de omnibus hominibus intelligenda. at Domine *consolatio* hæc, quam promittis *abscondita est ab oculis meis*, non apparet secundũ præsentem statum, in quo omnes dilabimur, tanquàm aqua, & morimur; at respondet Dominus sic erit *quia ipse* Messias *intèr fratres diuidet*, communicabit eis hominibus suis fratribus hanc gratiam, cuius ipse primogenitus, docet quomodò, *adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentẽ*. sìc enim ossa arida flante vento reuixerunt Ezech. 37. *& siccabit venas eius, et desolabit fontem eius*, mortis scilicèt; quia non habebit in quem agat, *& ipse* Deus victor, superior, sìc Isa. 53. 12. & fortium diuidet spolia, nempè genus humanum captiuũ sub diabolo, quem debellabit. Vel de *manu*, potestate *mortis liberabo eos*, de morte redimã eos: per mortem filij mei, *ero* tùnc *mors tua*, te destruam *ò mors*, quæ in eum, qui vita est omnibus, agere voles: *morsus tuus ero inferne*, ad quod deferretur pòst mortem, ex quo in Limbo detentos, & in Purgatorio, vel tũc omnes, vel aliquos ad mei beneplacitum eruet; Hìnc captiuam duxit captiuitatem; & hoc modo Deus consolatur populum. Verũ propheta subdit, *consolatio* hæc *abscondita* longinqua *est ab oculis meis*, illam visurus non sum, erit in fine sæculi, quo omnis Israel saluus fiet, tùnc tantùm verificabitur in Israel; vel *abscondita*, quia non video, quomodò à morte liberandi sint, qui quotidiè moriuntur, sitq. hominibus statutum semèl mori. At Deus respondet, non erit tùnc sìc, quia ipse Messias *intèr fratres diuidet* hanc gratiam resurrectionis, si enìm Christus resurrexit, & nos resurgemus 1. Cor. 15. Isai. 53. 12. dispertiam ei plurimos, idest omnes, fratres enìm nos vocat, Ite, nunciate fratribus; ipse meus filius, & soror, & mater est. & Hebr. 2. 14. quia ergò pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similitèr participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest, diabolum, &c. & debuit per omnia fratribus similari, &c. *adducet vrentem ventũ Dominus de deserto*, quasi vehementem, cùm in deserto nõ habeat à quo detineatur, seù retardetur, *ascendentẽ, & siccabit venas eius, & desolabit fontem eius* mortis, ità vt remaneat absquè vlla potentia, seù spiritu. *ventum* verò dicit *vrentem*, quia proùt generatio fit ex calore solis: ità ad regenerationẽ, seù resurrectionem corporum demonstrandam, naturalibus vsus est signis. *Et* ipse victor *diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis* omnia instrumenta pretiosa ferientia ipsius mortis, nè vltrà possit agere; non erit

mors,

mors, nequè luctus, nequè dolor erit vltrà, quia omnia abierunt,& fient omnia noua. Apoc. 21. 22. & hoc tollendo peccatum 1. Cor. 15. 56. quod stimulus erat mortis Genes. 2. & 3. Hæc autèm omnia ad omnes homines, sed nùnc relata pro consolatione Israelis. Et ex prædictis colligitur S. Paulum dicentem 2. Cor. 15. absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? ex hoc loco Oseæ transtulisse iuxtà Septuaginta, tùm dicendo: ero mors tua ò mors (in his enìm verbis victoria designatur) tùm resurrectionem commemorans, quæ mortem superat; tùm direptionem omnium vasorum, seù instrumentorum eius prædicens, sic Luc. 11. 21. cùm fortis armatus custodit atriū suum, in pace sunt omnia, quæ possidet: si autèm fortior eo superuenerit, vicerit, vniuersa arma eius auferet, in quibus cōfidebat,& spolia eius distribuet.

CAPVT XIV.

PEreat, seù peribit *Samaria*, imprecatur, quia certa erit Dei sententia, *quoniàm ad amaritudinem* iram, *concitauit Deū suum. et in gladio pereant* omnes *paruuli eorū elidantur* ad petram, *& fœtæ*, quæ conceperunt *eius discindantur*, proùt contigit Racheli, & nuri Heli 1. Reg. 4. 19. sed propiùs 4. Regum 8. 12. 4. Regum 15. 16. Amos 1. 13. at aliquandò, *Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum*, te expectantem ad pœnitentiam, *quoniàm corruisti in* proptèr *iniquitate tua*, propterea ab ea discede. *Tollite vobiscum verba*, verè pœnitentium, proùt Daniel, Isaias, *& conuertimini ad Dominum*, reiectis idòlis: *& dicite ei: Omnem aufer iniquitatem*, quia tu solus potes, solus tu peccata remittis, & *accipe bonum*, quod (illa ablata) facturi sumus te duce, nam sinè te nihil possumus: *& reddemus vitulos labiorum nostrorum*, laudes tibi, sic & Dauid Psal. 50. *Assur non saluabit nos*, hoc experti sumus, ideò ad illū non cōfugiemus, vt solebamus, *supèr equum non ascendemus* in eo confidentes, quia fallax equus ad salutē, *nèc dicemus vltrà: dij nostri opera manuum nostrarum*, non adorabimus idòla, *quia eius, qui in te est misereberis pupilli* derelicti, & alijs non indigebimus te miserante, qui solus potes. *Sanabo*, respondet Dominus *contritiones*, vulnera, cicatrices *eorum*, ad me ex corde reuertentium, *diligam eos spontaneè*, vltrò, *quia auersus est furor meus ab eis*, non ampliùs eis irascar, cùm eos pœnituerit, hoc autèm perfectè in fine sæculi. Hæc & sequentia possunt intelligi tēpore reditus Iuda à captiuitate Babylonica; tūc enìm & multi Israelitæ redierūt, & eadē, quæ hìc dicūtur de Iuda redituro à captiuitate illa, & hæc sæpiùs in hoc propheta. *Ero quasi ros* irrigans, & refrigerans gratia mea, *Israel germinabit sicùt lilium*, in pulchritudine, *& erumpet radix eius, vt libani*, stabilietur, & radicabit proùt arbores libani. *Ibunt*, crescent *rami eius, & erit quasi oliua*, speciosa, & læta, *gloria eius*, pulchritudo eius, *et odor eius, vt libani* odoriferi in arboribus suis. *Conuertentur sedentes in vmbra eius*, sub eius protectione tuti, ac stabiles, *viuent tritico*, cibis delicatissimis, *& germinabunt quasi vinea* extendēt se, & crescent, *memoriale eius sicùt vinum libani*, memoria illius cuique grata, proùt vinum, quod germinat libanus. *Ephraim* conuersus dicet, *quid mihi vltrà idòla?* ad quid ad idòla confugere? *ego* Deus *exaudiam, & dirigam eum* ad me conuersum, *ego vt abietem virentem* illum præstabo, *ex me fructus tuus inuentus est*, sinè eo enim nihil possumus, omne donū desursū est, &c. *Quis sapiens erit, & intelliget ista?* magna *intelligens, & sciet hæc?* & operabitur iuxtà illa. & Paulus: vbi scriba? vbì doctor? vbì conquisitor? *quia rectæ viæ Domini* ad portum deducentes, *& iusti ambulabunt in eis*, quia hæc intelligent, & scient: *præuaricatores verò corruent in eis*, ex eis capient ruinæ suæ occasionem, & sic alijs erit salus, alijs damnatio. Luc. 2. 1. Petr. 2.

FINIS PROPHETIAE OSEAE.

IN

IN IOELEM.

CAPVT PRIMVM.

V*ERBVM Domini* propheta, *quod factum est ad Ioel filium Phatuel. Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ* promissionis, excitat omnes ad dicendorum auditum, & considerationem, *si factum est istud* quod narraturus sum *in diebus vestris* quoad senes, *aut in diebus patrũ vestrorum*, quoad alios, à quibus audieritis. *super hoc filijs vestris narrate, & filij vestri filijs suis, & filij eorum generationi alteræ*, sic dictum de Abraham narraturo. Genes. 19. & alibi sæpè in Scriptura. *Residuum* locutio est parabolica, denotans cladem per Chaldæos in duas Tribus, ad quas loquitur, inferendam pluribus vicibus 4. Reg. 24. & 25. & clarum est ex illatione, *gens enim ascendit*, &c. & de locustis est textus Apocal. 9. Nèc potest sustineri, quòd per plures Reges hæc facta sint, vt hic per alios, quia non omnes Iudæis infesti, vel duabus Tribubus; Neq. placet, quòd intelligatur de socijs Chaldæorum, quia considerantur omnes pro vno exercitu, non pro pluribus, pro vno Imperatore, seù Rege, non pluribus, & propheta loquitur de vna gente, quæ principalitèr consideranda, non illi iunctæ, *erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Expergiscimini ebrij*, qui nihil consideratis, *& flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniàm perijt de ore vestro*, citò priuabimini illo. *Gens enim* Chaldæorum *ascendit* ascensura *supèr terram meam* promissionis, *fortis & innumerabilis: Dentes eius vt dentes leonis: & molares eius vt catuli leonis*, sic locustas cum dentibus leonum descripsit Ioannes. Apoc. 9. 8. *Posuit vineam meam in desertum, & ficum meum decorticauit: nudans spoliauit eam, & proiecit: albi facti sunt rami eius*. Ex his clades magna inferenda, de qua & per locustas. Apoc. 9. est locutio metaphorica, significans populũ, principes, terram depopulandam. *Plange quasi virgo accincta sacco* signante mœstitiam *supèr virum pubertatis suæ* defunctum, solent enim hæ in luctus maiores defluere; sponsus eius Dominus. Ezech. 16. Oseæ 2. sic in morte Abner serui Dauid accincti saccis. 2. Reg. 3. Syri. 3. Reg. 20. Achab. 3. Reg. 21. *Perijt sacrificium, & libatio de domo Domini* nedùm quia materia deficiet, sed quia domus Domini ardebit per Nabuzardam. vndè *luxerunt sacerdotes ministri Domini* vidẽtes tantam desolationem. *Depopulata est regio* inhabitabilisquè reddita, *luxit humus* priuata suis bonis fructibus, vt subdit, *quoniàm deuastatum est triticum, cõfusum est vinum, elanguit oleum. Confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores supèr frumento, & hordeo, quia perijt messis agri*, hi omnes, qui ex fructibus

ctibus alebantur. *Vinea confusa est* ex acerbitate cladis. *& ficus elanguit: malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia* & sic *confusum est* ablatum *gaudium à filijs hominum. Accingite vos cilicijs, & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris* coràm Domino ad illum placandum: *Ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei: quoniàm interijt* cessauit *de domo Dei vestri sacrificium, & libatio*, quasi nullum malum maius poterit euenire, proùt de dijs suis Laban, & Michas. *Sanctificate ieiunium*, ieiunium sanctum prædicate, sic & 3.Reg.21.9.Isa.58. *vocate cœtum, congregate senes omnes habitatores terræ in domum Dei vestri: & clamate ad Dominum*, solet enim Deus ad maioris multitudinis clamorem, & preces moueri; vel sic omnes mundabuntur, & sic placabitur eorum Deus. Dixit Christus, vbi fuerunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibì sum in medio eorũ: *A a a, diei*, quale malum in die illa, *quia propè est dies Domini* vltionis scilicèt, *& quasi vastitas à potente veniet*, cui resisti nõ poterit. *Numquid non coràm oculis vestris alimenta perierunt de domo Dei nostri, lætitia, & exultatio?* quasi quid possum plùs dicere, si hæc cessabunt? *Computruerunt iumenta in stercore suo*, deficiente pabulo, vt infrà *demolita sunt horrea, dissipatæ sunt apothecæ*, ad nullum vsum seruitura: *quoniàm confusum est triticum. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti?* ciuitate obsessa.4.Reg. 25.nisi *quia non est pascua eis: sed & greges pecorum disperierunt. Ad te Domine clamabo*, nõ enim in alio sperare possum: *quia ignis comedit speciosa deserti*, sic redditi ex igne, *& flamma succendit omnia ligna regionis. Sed & bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te*, quærentes aquam, *quoniàm exiccati sunt fontes aquarum, & ignis deuorauit speciosa deserti.*

CAPVT II.

C*ANITE tuba in Sion*, vt omnes audiant cladem instantem, *vlulate in monte sancto meo* in templo, *conturbentur omnes habitatores terræ*, audientes hæc horrenda: sic & Oseæ 8.1.& Isa.13.9. *Quia venit dies Domini* vltionis, furoris, indignationis per Chaldæos exercendæ, *quia propè est dies tenebrarum, & caliginis, & nubis, & turbinis* totius mali, nullius lætitiæ: *quasi mane expansum supèr montes* omnia implẽs subitò, *populus multus, & fortis* Chaldæorum: *similis ei non fuit à principio* sæculorum in fortitudine, *& pòst eum non erit vsquè in annos generationis, & generationis* ad Romanos eorum victores, hæc non ad cladem, sed ad exercitum referẽda. *Antè faciem eius ignis vorans*, qui omnia vastabit: sic describitur Christus ad iudicium venturus; ignis antè eum præcedet, &c.

Cùm dicat *vorans*, non aptatur quod Chaldæi ignem antè se deferrent, locutio enìm est de igne agente, & vastante, vt etiàm loquitur de flamma exurente, & opportunè ex eo agitur hic de vastitate inferenda, sicùt importunè ageretur de insignibus Chaldæorum, quorum opportuna mentio fuisset, dùm de illius fortitudine, & excellentia mentionem fecit, & ad magnam cladem inferendam nil aptius dicere poterat, quàm antè, & pòst se omnia vret, & dissipabit, & hic scopus prophetæ, *& pòst eum exurens flamma* per eundem, & per Nabuzardam, *quasi hortus voluptatis coràm eo*, dùm peruenerit, *& pòst eum solitudo deserti*, sic enìm illam reddet, *neque est qui effugiat eum*, nullus euadet, pauci, & sic obsessa ciuitate nullus fugæ locus, immò fugientes capti. *Quasi aspectus equorum, aspectus eorum*, feroces, truces, sic & locustæ designantur. Apoc.9.7. *& quasi equites sic currẽt. Sicùt sonitus quadrigarum supèr capita mõtium exilient* cùm magna celeritate, *sicùt sonitus flammæ ignis deuorantis stipulam*, cùm magno strepitu, *velùt populus fortis præparatus ad prælium* terrorem incutiens; hinc *à facie eius* cùm apparuerit, *cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam* ollæ nigredinem ex fame Nahum. 2. Isai. 13. 6. Ierem. Thren. 4.8.

4.8.& 5.10. *Sic vt fortes current* velocitèr. *Quasi viri bellatores ascendent murum*, ciuitatem capturi: *viri in vijs suis gradientur* ordinatè procedent, *& non declinabunt à semitis suis* non dimittent ordinē iniunctum à ducibus: hinc *Vnusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt: sed & per fenestras cadent* ingressuri domos, *& non demolientur* non præcipitabunt. *Vrbem ingredientur, in muro current: domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur* tuti; Ierem.9.21. nihil eis obstabit, facient quicquid libuerit absquè læsione. *A facie eius* diei, eo apparente *contremuit terra* ex magno fragore, sìc & 1.Machab.9. *moti sunt cœli* tonantes, seù visi sunt moueri: *sol & luna obtenebrati sunt* ob mœrorem, tristibus sic videtur, *& stellæ retraxerunt splendorem suum*, non lucebunt, hæc hyperbolicè, vel quia afflictis sic videtur. Et multis in locis prophetarū hęc habentur. Isa. 13. *Et Dominus dabit vocem suam antè faciem exercitus sui* Chaldæorum more ducis ad aciem excitantis, sìc & Isa.7.18. *quia multa sunt nimìs castra eius, quia fortia, & facientia verbum eius*, vndè formidabilis erit tùm ratione numeri, tùm obedientiæ: *magnus enìm dies Domini, & terribilis valdè: & quis sustinebit eum?* quasi nemo poterit. *Nùnc ergò dicit Dominus*, hæc scientes. *Conuertimini ad me in toto corde vestro* verè, nō fictè *in ieiunio, & in fletu, & in planctu* ex quibus apparet de intimis. *Et scindite corda vestra* præ animi dolore, & angore, *& non vestimenta vestra*, proùt solebant Hebræi, & fecit Dauid in morte Saul, & Abner, quia hoc nihil proficit, *& conuertimini ad Dominum Deum vestrum*, nequè erit frustrà: *quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis* placabilis *supèr malitia* malo, quod dixit facere. Ionæ 3.10. *Quis scit si conuertatur, & ignoscat* ex parte Dei clarum. Ezech. 18. & pluriès per alios prophetas dixit, vt conuerterentur, & ipse auerteret iram suam: vndè credo prophetam loqui certò, proùt alij locuti sunt, sed ex parte nostra, vel quia magnā sunt peccata, vel operis nostri imperfectio, ideò dubitatiuè: sic Acto. 8 in Simone, proùt & infrà apparet, *& relinquat* ad nos reuersus *pòst se benedictionem* abundantiam *sacrificium, et libamen* necessaria ad sacrificia *Domino Deo vestro? Canite tuba in Sion*, vt omnes congregentur ad placandum Dominum. *sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam*, repetit idem, separate, congregate multitudinem credentium, nullus excludatur, vndè subdit, *coadunate senes, cōgregate paruulos*: sìc & Iudith 4. *et sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo*, non audiatur vox lætitiæ. *Intèr vestibulum, et altare plorabunt* ex corde *sacerdotes ministri Domini* pro muro intèr Deum, & populum se interponentes, *et dicent: Parce Domine, parce populo tuo* ad te recurrenti, *et nè des hereditatem tuam*, quam tibi elegisti, populum tuum, quem tibi separasti, *in opprobrium* contumeliam, *vt dominentur eis nationes* barbaræ, Deum non cognoscentes. *Quarè dicunt in populis: Vbi est Deus eorum?* nùnc hoc dicunt, quanto magìs dicent, si illis trademur? sìc 4.Reg.18.32. Num.14.13. Deuter.32.27. Psal.113.1.41.4. quod si hæc ex corde feceritis. *Zelatus est Dominus terram suam*, ad misericordiam malorum eius motus, *et pepercit populo suo*, hæc pòst captiuitatem Babylonicam, data libertate secuta sūt: dicit enìm infrà *reddam vobis annos, quos comedit locusta*, &c. *et nolite timere animalia*, &c. vndè præsupponenda antè captiuitas. *Et respondit* respondebit tùnc *Dominus, et dixit* dicet *populo suo: Eccè ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum, et replebimini eis: et non dabo vos vltrà* ad longum tempus *opprobrium in Gentibus. Et eum, qui ab Aquilone est, procùl faciam à vobis: et expellam eum in terram inuiam, et desertam: faciem eius contrà mare Orientale, et extremum eius ad mare nouissimum: et ascendet fœtor eius, et ascendet putredo eius*, ex cadaueribus, *quia superbè egit* faciendo vltrà quàm par erat in populum. Zach.1. 14. 15. Isa. 47. 6. Hæc verificata in successore Nabuchodonosor, Baltassare Rege Babylonis extincto, & à regno reiecto, vt hìnc facta libertas Hebræis à captiuitate.

Non possunt hæc intelligi de Sennacherib, quia hìc agitur de duabus Tribubus iàm captiuis Chaldæorum, vndè tempora non

con-

concedunt: Minùs de Holoferne, quia non patrauit hæc mala in Terra promissionis. Minùs de Nabuchodonosor, dùm Ierusalem cœpit, quia præsupponit illam iàm captam infrà, *& reddam vobis annos, quos comedit locusta*, &c. ideò non intrat opinio Sanctij. *Noli timere terra*, promissionis, immò *exulta, et lætare: quoniàm magnificauit Dominus, vt faceret*, magna tibi facturus Dominus, reducturus te à captiuitate. *Nolite timere animalia regionis: quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus, et vinea dederunt virtutem suam*, quia cap. 1. dixerat de horum gemitu, & sterilitate, nùnc ad exultationem prouocat, & de eorum fœcunditate dicit. *Et filij Sion* multo magìs ex maiori beneficio, *exultate, et lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ*, Messiam, de quo, & Isai. 30. & 55. Sed posset dici, proùt Os. 10. 12. cùm venerit qui docebit vos iustitiam; vide ibi scripta; præsertìm, quia sempèr & antè, & pòst de temporalibus, aùt vt infrà, *& erit pòst hæc*, intelligamus de Spiritu sancto, *et descendere faciet ad vos imbrem matutinum, et serotinum*, opportuno tempore, vt fructificet terra, Isa. 55. *sicùt in principio*, quandò introducti fuistis in Terram promissionis. *Et implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia vino, et oleo. Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca: fortitudo mea magna*, illa *quam misi in vos*, tùnc sic merentes sub illis Chaldæis, nùnc compensabo mala priora, & existentia. *Et comedetis vescentes, et saturabimini: et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: et non confundetur populus meus in sempiternum*, ad longum tempus vsquè ad Romanam cladem. *Et scietis quia in medio Israel ego sum*, protegens vos. *Et ego Dominus Deus vester, & non est ampliùs*, alius qui possit hæc præstare: *& non confundetur populus meus in æternum*, vsquè ad Romanos. *Et erit pòst hæc*, pòst reductionem vestram à captiuitate Babylonica, Messia in cœlum assumpto ad gloriam vestram, & filiorum vestrorum: in die enìm Pentecostes soli Iudæi perfusi Spiritu sancto: numerat enim beneficia eis concedenda promissa. *Effundam* largè *spiritum meum* sanctum, vt in die Pentecostes. Acto. 2. *supèr omnem carnem*, omnis conditionis homines, *& prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ*, vt in Actibus Apostolorum. *Senes vestri somnia somniabunt* Domino apparente, *& iuuenes vestri visiones videbunt*, hæc ad prophetiam, *sed & supèr seruos meos, & ancillas*, quia apud Deum non est acceptio personarum, idem Iudæus, Græcus, seruus, liber. Rom. 10. 11. Gal. 3. 26. 5. 1. 6. 15. 16. Coloss. 3. 10. Isa. 28. 16. Non sub ancillis, & seruis gentilitas, quia his nominibus non appellarentur, sed familiæ Iudæorum; etenìm de Iudæis agitur, & eorum beneficio, & de die illo Pentecostes, quo solis ipsis illapsus spiritus, non Gentilibus, vt tenui Act. 2. Vult dicere, non vt anteà in paucis prophetia, & signa, sed in multis, vtì cœptum die Pentecostes. At ex Dei misericordia beneficium ad gentiles extensum. Acto. 10. 15. 19. *in diebus illis effundam spiritum meum*, & pòst hæc nil aliud expectare debetis, non Messiã, qui iàm cursum suum tùnc perfectum tenebit; non aliam legem, quia nulla alia dabitur, sed extremum iudicium; hæc ad Iudæos adhùc noua expectantes dictum, ideò subdit de iudicio finali, vt tenui Acto. 2. non autèm quòd & hæc ad Christi tempora pertineant, quæ iunctìm, non diuisè ponuntur, & verba *& antequàm veniat dies Domini magnus, & horribilis*, tempori Christi non aptantur.

Prætereà, verbis his Ioelis vsus est Petrus ad tollendam abiectionem ebrietatis, non pro Christo, etsi Christum dicat misisse Spiritum sanctum: vndè argumentum, quòd alia pro Christo subdat, euanescit. Quod verò de prodigijs pro manifestatione Christi dicit, sunt separata à dictis Ioelis, à quibus ad illa non infert Petrus. *Et dabo prodigia in cœlo, & in terra sanguinem, & ignem, & vaporem fumi* Matth. 24. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus, & horribilis* iudicij: *& erit: omnis, qui inuocauerit nomen Domini saluus erit*, in eo solo salus, ad eum recurrendum: *quia in monte Sion, & in Ierusalem* Ecclesia Catholica, *erit saluatio, sicut dixit Dominus, & in residuis*

quos

quos Deus vocauerit, hæc omnia de reliquijs Hebræorum saluandis in fine, cùm plenitudo gentium intrauerit; propterea meminit montis Sion, & Ierusalem, sed restringit se ad vocatos, prout & alibi aduerti. Dominum autèm dixisse reliquias Israel saluãdas, in pluribus locis Scripturæ habetur.

Non possunt hæc intelligi de clade Romana, quia quomodò erit saluatio in Sion, & Ierusalem? & quomodò ibi inuocantes salui? quomodò residui, seù reliquiæ saluandæ, cùm id in fine?

Non hìc de gentibus, quia illæ antè intraturæ, nèc de illis vnquàm dictum reliquias esse, vel residuos: hinc stabilitur eò magis intellectus de iudicio vniuersali, ideòq. Petrus dicit de aduentu Domini manifesto, qualis tùnc erit, cùm primus fuerit occultus. Vel sìc dicas à vers. *& dabo*. pòst missionem Spiritus sancti comprehendi omne tẽpus vsquè ad iudicium, de quo *antequàm*, &c. intrà quod tempus omnia successiuè cõtigerunt, & euenient, & sìc nulla videtur inesse difficultas. Vide Alb. cent. c. 58. & 59.

CAPVT III.

QVIA eccè in diebus illis. Postquàm præcedenti capitulo docuit Ioel quomodò placandus Dominus, nè tot calamitates veniãt supèr Iuda, & Ierusalem, seù duas Tribus, Iuda, & Beniamin: explicat bona à Domino recipienda pòst captiuitatem Babylonicam, nempè abundantiam omnium daturum, procùl facturum Nabuchodonosor, compensaturum annos steriles, daturum Doctorem Iustitiæ; & pòst hæc, scilicèt missionem Messiæ, & illius ad cœlos Ascensionem missurum Spiritum sanctũ, nequè aliam legem futuram, sed iudicium, & in fine reliquias Israel saluandas. Nùnc c. 3. sequens idem thema, nempè beneficiorum in Iudæos effundendorum, & curæ, quam gerit pro suo populo, dicit, *quia eccè* quid magnũ *in diebus illis*, *& in tempore illo*, *cùm* scilicèt *conuertero captiuitatem Iuda*, *& Ierusalem*, cùm has duas tribus liberauero à captiuitate Babylonica per Cyrum, illasquè reduxero ad terram suam, sicùt illud, In conuertendo Dominus captiuitatem Sion; hoc primum pręmittendum, tùnc *congregabo omnes gentes*, non quidèm omnes totius mundi, sed infestas populo meo, *& deducam eas in vallem Iosaphat*, vel illi similem, aptam ad illas diripiendas, & occidendas, & puniẽdas, prout in ea per Iosue: nàm exercitus in valle positus est satis inferioris conditionis exercitu ex aduersò stante in montibus, & locis eminentibus, *& disceptabo cùm eis*, iudicium exercebo; sìc in pluribus locis Prophetarum, in quibus obseruatum: sic Nabuchodonosor cùm Sedecia Rege 4. Reg. 25. 6. *ibì supèr populo meo, & hæreditate mea Israel*, vndè cùm agat de tempore successuro pòst captiuitatem Babylonicam, cùm loquatur de beneficio soli populo Israel concedendo, cùm iudicium instituatur tantùm de iniurijs illatis populo illi, cùm pœnæ, & alia his infestis populis inferenda, & alia subiuncta, quæ suis locis considerabimus, non aptentur tempori iudicij, non puto hìc agi de illo tempore.

Sed dices, quo alio loco in iudicio vniuersali congregandi populi? Respondeo hìc assumi vallem Iosaphat pro loco apto internecioni, & pœnæ inferendæ, vt magìs intelligatur quod prædicitur, illa enìm fortè erat aptissima; at sub ea omnia loca ad idẽ apta, & concinna. Nequè abnuo ibì faciendum iudicium vltimum, sed stare potest & hoc, nempè locum illum aptum iudicatum assumi pro demonstratione, scilicèt, inferendam pœnam populis his infestis; etsi fortè melius iuxtà glos. Chald. & Lombard. lib. 4. dist. 48. Iosaphat, idèst iudicium Domini, quod est applicabile cuiuis loco. S. Hier. hìc.

Is intellectus videtur procedere de facili, quia (vt dixi) sequitur propheta agere de beneficijs inferendis populo, quæ in iudicio extremo non sunt considerabilia. Itèm, inuerisimile est agi de iudicio extremo in hoc tertio cap. cùm in secundo de illo egerit, & non principalitèr, sed vt ostẽderet magnum bene-

beneficium etiàm in fine conferendum populo illi; vt saluus sit in eius reliquijs tùnc extantibus; eò magis, quia exprimit agere de tempore conuersionis captiuitatis. Itèm, quia in eo iudicio aliæ disceptationes fient, nempè supèr tota vita, supèr verbo otioso, supèr operibus misericordiæ Matth. 25. non strictè de infestatione vnius populi Hebræi.

Itèm, quia non solùm gentes Iudæis infestæ, sed omnes homines coràm Iudice repræsentabuntur.

Conuenit intellectus prædictis ab alijs Prophetis, qui sempèr intimant Deum vindicaturum in populos infestos populo suo, in Isaia, Ieremia, Ezechiele, & ferè omnibus; Et si hìc vtitur verbo *congregabo*, fuit ad demonstrationem vindictæ certiùs futuræ: hinc prophetiæ Isaiæ, Ieremiæ, & aliorum prophetarum cōtrà omnes populos Iudææ propinquos, his enim plenæ sūt: & hæc est congregatio eorum ad pœnam, quæ profectò secuta est in quoscunque, vt ex lectione historiarum, & prophetiarum apparet: Occurrit nùnc Amos cap. 1. vbi omnes dicunt; ideoquè meliùs accipitur Iosaphat pro iudicio Domini. Vide Abulen. Matth. 25. q. 331. vbi videtur tenere incertum esse vbi fiendum iudicium. *Quos dispersèrunt in nationibus*, vendentes, vel eijcientes, vel captiuantes, *& terram meam diuiserunt* sibi ipsis, illis eiectis, *& supèr populum meum miserunt sortem*, quem eorum cuique tangere:, *& posuerunt puerum in prostribulo* tanquàm meretricem, *& puellam vendiderunt pro vino, vt biberent*, quasi paruo pretio. *Verùm quid mihi, & vobis Tyrus, & Sidon, & omnis terminus Palæsthinorum?* sic, Quid mihi, & vobis filij Saruiæ? quid mihi negotij vobiscum? quid mihi insultatis? inducit populum Hebræum loquentem, vel magis pro illo Deum *Numquid vltionem vos reddetis mihi?* quasi adeò exasperatis contrà me, vt tenteris vlcisci? *& si vlciscimini vos contrà me, citò velocitèr reddam vicissitudinem vobis supèr caput vestrum*, eccè quomodò non agitur de iudicio extremo, sed de populis infestis puniendis; hi enim infesti erant, & contrà eos prophetauerunt plures prophetæ *Argentum enim meum, & aurum tulistis, & desiderabilia mea, & pulcherrima intulistis in delubra vestra*, recitat mala, quæ passi sunt ab illis vicinis. *Et filios Iuda, & filios Ierusalem vendidistis filijs Græcorum, vt longè faceretis eos dè finibus suis*, de quibus ampliùs non cogitarent. *Eccè ego suscitabo eos*, non simplicitèr ad resurrectionem corporum, sed *de loco, in quo vendidistis eos*, hæc est conuersio captiuitatis. *Et conuertam retributionem vestram in caput vestrum*, sicùt malè egistis, recipietis, præsertim in vēditione filiorum, & filiarum, vt subdit; quod vel sic factum, vt dicit; vel facturum per Reges ministros Dei, missos ad eorum punitionem. *Et vendam filios vestros, & filias vestras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis, genti longinquæ, quia Dominus locutus est. Clamate*, prouocat gentes ad bellum, & infestationem contrà Iudæos, si velint vindictam pati, & experiri, *hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios; & ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat, quia fortis ego sum. Erumpite, & venite omnes gētes de circuitu*, eccè quomodò omnes gentes suprà in principio restringantur ad vicinas Iudeæ, *& congregamini*, eccè verbum *congregabo* declaratum, quia Deo permittente, & instigante congregandæ erant: *ibì occumbere faciet Dominus robustos tuos*, si ibi morituri, ergò non hìc de iudicio, antè quod omnes mortui, & ad vitam euocati comparebunt rationem reddituri. *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat*, quia ibì aptè ad occisionem staturæ; eccè vallem Iosaphat hìc non ad iudicium, sed ad cædem: *quia ibì sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu*, ergò non iudicium vniuersale, sed strictè ad vicinos Iudeæ; & iudicium ad occisionem, non ad pœnas æternas in iudicio finali dandas.

Mittite, vtitur his phrasibus denotantibus maturationem messis, & vindemiæ, ad denotandum instare tempus euersionis populorum infestorum Hebræis, *falces, quoniàm maturauit messis: venite & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum*, sic Genes. 15. non dùm completæ iniquitates Amorrhæorum. *Populi populi* multi *in*

valle concisionis, idèst Iosaphat. Vndè excluditur penitùs intellectus iudicij vniuersalis, quia vallis concisionis, & tùnc in iudicio nulla concisio, sed condemnatio; nulla cœdes, quia iàm omnes mortui, & resurgentes: *quia iuxtà est dies Domini in valle concisionis: Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum*, adeò erit horribilis dies illa concisionis populorum, sic solet Scriptura demonstrare mœrorem ex calamitate futura. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam*, prout solent Duces animantes milites ad aciem, ad hostes perterrēdos: sic & Amos 1. vbi non in iudicio. *Et mouebuntur cœli, & terra*, videbuntur moueri ex magno strepitu, & pauore, *& Dominus spes* erit, in quem omnem spem ponent *populi sui, & fortitudo* brachium, quo inimicos conterent *filiorum Israel* (eccè iterùm, quòd non de iudicio vniuersali) *& scietis, quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo*, ibi operans, & me manifestans: *& erit Ierusalem sancta*, nullam patietur à gentibus exterminationem, *& alieni non transibunt per eam ampliùs* ad eam contaminandam, donèc scilicèt vos in me manseritis, vsquè ad Romanos. *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum*, numerat beneficia inferenda, & docet statum gloriosum Ierusalem, populis illis domitis, & ejectis; è contrariò *Aegyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis: pro eo quòd iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua*, eccè quomodò sempèr se restringat ad peccatum infestantium populum Hebręum, vndè nihil ad iudicium, *& Iudæa in æternum habitabitur, & Ierusalem in generationem, & generationem* ad longum tempus vsquè ad Romanam captiuitatem. *Et mundabo sanguinem eorum* fusum à gentibus, *quem non mundaueram* eo modo, quo suprà dixit puniendo, & euertendo populos illos, *et Dominus commorabitur in Sion*, non discedet à vobis, si cùm eo ambulaueritis: At, occiso Messia, dati fuerunt in captiuitatem, ex qua non liberabuntur vsquè ad tēpora iudicio propinqua, & Deus ad Ecclesiam vice Synagogæ exaltandam abijt: hinc Christus, auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum eius. Ex his fit clarum, & Romam euertendam Apocal. 17. infestam populo Dei, vt alibi dixi. Non obstantibus suprà dictis contrà intellectū iudicij vniuersalis, multi tenent contrarium, & aptè differunt omnia ad illud pertinere, quos tu vide.

FINIS PROPHETIAE IOELIS.

IN

IN AMOS.

CAPVT PRIMVM.

VERBA *prophetia Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue*, & à Domino in prophetam assumptus, *quæ vidit supèr Israel in diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Ieroboam Ioas Regis Israel antè duos annos terræmotus*, de quo Zachariæ 14. assignat tempora ad maiorem prophetiæ stabilitatẽ, *& dixit, Dominus de Sion rugiet*, sìc & Ioel cap. 3. & propterea non puto posse hæc applicari soli Amos tanquàm pastori, *& de Ierusalem dabit vocem suã*, ibi enim erat templum, & ibi dabantur responsa, propterea horum meminit, etsi contrà Israel, non Iudam loquatur: *et luxerunt* lugebunt *speciosa pastorum*, voce illa tremefacti, loquitur de suis, quibuscum versabatur, *et exiccatus est vertex Carmeli*, ità vt deficerent pascua, vox enim Domini concutientis desertum; his denotare vult magnitudinem malorum. *Hæc dicit Dominus* intonans, & vociferans. *Supèr tribus* multis *sceleribus Damasci*, filui, toleraui, dissimulaui, is propheta incipit à ruina populorum. alij, quos iàm vidimus, primò à populo Dei, deindè ad alios procedunt, *et supèr quattuor non conuertam eum* patiar enim insordescere, illumquè puniam, non parcam: *eo quòd triturauerint in plaustris ferreis Galaad*, ob hanc crudelitatem, & impietatem, qua tamèn vsus Dauid in Ammonitas; dicit ergò seuniturum tàm tria, seù multa illa scelera, quàm quartum, prima excedens ad pœnam inferendam. *Et mittam ignem in domum Azael* Regis Syrorum, & Damasci, *et deuorabit domos Benadad* à Rege Benadad constructas. Pluriès in prophetis dicitur domos Ierusalem euertendas, vndè hic etiàm propriè de his puto dici, præsertìm quia Hazaeli successit filius Benadad dictus; & infrà in simili de muro, & ædibus Gazæ, & aliarum. *Et conteram vectem* fortitudinem *Damasci: et disperdam habitatorem de campo idòli* cui diligentèr, & vbiquè deseruiunt; *et tenentem sceptrum* Regem *de domo voluptatis*, in qua viuit hilaritèr more Regum, vel proptèr Damasci amœnitatem: *et transferetur populus Syriæ Cyrenen* captiuum. 4. Reg. 16. *dicit Dominus: Hæc dicit Dominus: supèr tribus sceleribus in Gaza, et supèr quattuor non conuertam eum: eo quòd transtulerint captiuitatem perfectam* integram, totum populum meum captiuum, *vt concluderent eã in Idumæa* captiuos vendendo, vt longiùs à patria abessent, & disperderentur, & malè tractarentur. *Et mittam ignem in murum Gazæ, et deuorabit ædes eius*, & sìc fiet deserta. *Et disperdam habitatorem de Azoto*, terra Philistijm, proùt Gaza, *tenentem sceptrum* Regem *de Ascalone: et conuertam manum meam*, vires, potẽtiam *supèr Accaron, et peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus* Ierem. 25. *Hæc dicit Dominus: Supèr tribus sceleribus Tyri*, de qua Ioel 3. *et supèr quattuor non conuertam eum: eo quòd concluserint captiuitatem perfectam in Idumæa*, proùt Philistijm, *et non sint recordati fœderis fratrum*, Dauid, & Salomonis, & Hiram, qui nuncu-

pabant se fratres. 3.Reg.5. *Et mittam ignem in murum Tyri, & deuorabit ædes eius*, sic factum per Nabuchodonosor, & deindè per Alexandrum. Prædixit & Ezechiel 26. 27. 29.& 36. Isa.23. Ierem.27.& 47. *Hæc dicit Dominus: supèr tribus sceleribus Edom* Idumeæ, *& supèr quattuor non conuertam eum; eo quòd persecutus sit in gladio fratrem suum* Israel; sicùt enim Iacob, à quo Israel, & Esau, à quo Edom fratres, sic posteri dicti. Num. 20. *Et violauerit misericordiam eius*, sic cóiuncti, *& tenuerit vltrà furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsquè in finē*, sic Num. 20. & Psal. 136. semper enim seruauit odium antiquum ab Esau contrà Iacob cœptum, etsi intermissum in occursu à Mesopotamia. *Mittam ignem in Theman, & deuorabit ædes Bosræ* per Nabuchodonosor. Prædixit & Ieremias cap.27. *Hæc dicit Dominus: supèr tribus sceleribus filiorū Ammon, & supèr quattuor non conuertam eum, eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad*, sic & in Osea de alijs cap. 10. 15. vbi dictum, *ad dilatandum terminum suum*; illis sublatis, pro quibus timebant. *Et succendam ignem in muro Rabba* eorum Metropoli, *& deuorabit ædes eius in vlulatu* clamore venientium, *in die belli, & in turbine, in die commotionis* eorum, dum debellabuntur, & capientur. *Et ibit Melchom* idòlum eorum *in captiuitatem, ipse, & principes* nedùm, sed & Sacerdotes Ierem.49. *eius simùl, dicit Dominus*, & sic habetur de alijs Idolis sæpè in Prophetis.

CAPVT II.

HAEC *dicit Dominus: Supèr tribus sceleribus Moab, & supèr quattuor non conuertam eum: eò quòd incenderit ossa Regis Idumeæ vsquè ad cinerem* fortè odio motus, eo quòd auxilium præstiterit Ioram Regi Israel: hinc tentauit Rex Moab irrumpere ad Regem Edom socium Ioram. 4.Reg. 3.26. hoc autèm Deo displicuit, quia nedùm populum, sed eius auxiliatores voluit esse illæsos: alibì hæc non habentur; Vel ob opus inhumanum, & barbarum. *Et mittam ignem* Nabuchodonosor *in Moab, et deuorabit ædes Charioth: & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ: & disperdam iudicem de medio eius, & omnes principes eius interficiam cùm eo, dicit Dominus*, hucusquè mala Moab inferenda. *Hæc dicit Dominus, supèr tribus sceleribus Iuda, & supèr quattuor non conuertam eum: eo quòd abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit*, quæ illi data sunt in monte Sinai, & obseruare promisit: de hoc nihil cùm alijs, quibus lex data non fuit, *deceperunt enim eos idòla sua*, quæ à Domino eos recedere fecerunt, illisquè adhærere, *pòst quæ abierunt Patres eorum*, nihilo ipsis meliores, quos ipsi in malo secuti sunt. *Et mittam ignem in Iuda, & deuorabit ædes Ierusalem*, quod factum per Nabuchodonosor. 4. Reg. vltim. *Hæc dicit Dominus: Supèr tribus sceleribus Israel, & supèr quattuor non conuertam eum, pro eo, quod vendiderit pro argento* muneribus *iustum* iustitiam fouentem in causa sua; sic & Isa. 1. *et pauperē pro calceamētis* re minima: *qui conterunt* conculcant *supèr puluerem terræ capita pauperum*, more tyrannorum, *& viam humilium declinant*, in superbiam conuertuntur. *Et filius, ac pater eius ierunt ad puellam* eamdem, incestum committentes, *vt* visa hac impietate à gentibus *violarent* blasphemaretur *nomen sanctum meum*. *Et supèr vestimentis pignorantis*, vi ablatis, quæ de suo pauperibus debitoribus restituere debuerant, *accubuerunt* epulantes *iuxtà omne altare* idòlorum, *& vinum* iniquè per eos *damnatorum bibebant in domo Dei sui*, idòli, *Dei* per irrisionem. *Ego autèm exterminaui Amorrhæum* populos occupantes Terram promissionis *à facie eorum* Israelitarum egressorum ex Aegypto: *cuius altitudo cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus*, quod & retulerunt exploratores primi missi à Moyse. *Et contriui fructum eius desupèr, & radices eius subtèr*, ità vt *penitùs eos deleuerim, & consumpserim*. *Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Aegypti*,

gypti, & duxi vos in deserto quadraginta annis, vt possederetis terram Amorrhæi, prosequitur narrare beneficia ei facta. *Et suscitaui de filijs vestris in prophetas*, at sub lege Euangelica latiùs, Ioel.2.Actor.2. *& de victibus vestris Nazaræos* ex mera mea gratia: *nunquid non ità est filij Israel dicit Dominus?* quasi mentior nè hæc dicens? *Et propinabitis Nazaræis vinum* contrà legem, *& prophetis mandabitis dicentes: nè prophetetis* contrà præceptum Domini: *ecce ego stridebo subtèr vos, sicùt stridet plaustrum onustum fæno*, & ad clamorem meum conteremini; sic suprà rugiet, quasi Leo. *Et peribit fuga à veloce*, nō dabitur locus fugæ. *Et fortis non obtinebit virtutem suam*, vt resistat mihi, *& robustus non saluabit animam suam*, vitam suam, quia non poterit stare contrà me, *et tenens arcum non stabit*, retrorsùm ibit. *Et velox pedibus suis non saluabitur; & ascensor equi non saluabit animam suam. Et robustus corde intèr fortes nudus fugiet in illa die*, proptèr timorem, & horrorem, *dicit Dominus.*

CAPVT III.

AVDITE verbum, quod locutus est Dominus supèr contrà *vos*, seù vos perdendos *filij Israel: supèr omnem cognationem, quam eduxi de terra Aegypti dicens: Tantummodò vos cognoui* elegi in populum peculiarem, & beneficijs cumulaui, quòad Gentiles ignorantiæ tèmpora despexit Deus. Acto.14.& 17. non tamèn sinè remedio eos reliquit, *ex omnibus cognationibus terræ*, puto loqui ad decem Tribus tantùm, licèt generalis sit sermo, quia in pœna ad illas se restringit; si enìm ad duodecim, communis esset & pœna; eò magis, quia nunquàm se explicat loqui de duabus: *idcircò visitabo* puniens *supèr vos omnes iniquitates vestras*, cùm tot beneficijs ingrati fueritis. *Numquid ambulabunt duo paritèr, nisi conuenerit eis?* non persuadeatis ergò vobis hæc me nō habere à Domino, quo cùm conueni, & à quo audiui. *Nunquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam?* silet etiàm, donèc capiat; sic nequè Deus daret vocem per me, nisi vobis instaret flagellum, captiuitas, cædes. *Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?* repetitio eiusdem. *Nunquid cadet auis in laqueum terræ absquè aucupe?* cauete igitùr à Dei aucupio. *Nunquid auferetur laqueus de terra, antequàm quid ceperit?* quasi non cessabit, donèc capiat vos. *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescat?* quasi id fieri non potest, præsertim si importuno, & insolito tempore. *Si erit malum* pœnæ, flagella *in ciuitate, quod Dominus non fecerit? quia non facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos prophetas*, propterea credite mihi dicenti ex Dei reuelatione, & quandò recipitis flagella, à Domino irato credatis euenire, proùt prædicitur vobis à prophetis: Et obserua dici reuelari prophetis mala populis inferēda, vt ipsi conuertantur; non alióqui mirum, si Nathan ignorauit Dauidem templum ædificaturum 2.Reg.7. Elisæus de filio Viduæ.4.Reg.4.24. & similia, illa enìm non erant flagella populorum, sed res particulares. *Leo rugiet, quis non timebit?* à voce eius. *Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* nàm væh mihi, si nō euāgelizauero, hei mihi, quia tacui, vide Albam cent. cap.60. *auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Aegypti*, vocat gentes ad iudicandum, & numerat scelera Samariæ, decem Tribuum: *& dicite. Congregamini supèr montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius*, ex idolòlatria, vt alibì dictum supèr verbo (insania) *& calumniam patiētes in penetralibus eius. Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes*, eodem vtitur Paulus, thesaurizantes sibi iram in die iræ, &c. *iniquitatem, & rapinas in ædibus suis*, vocantur hi populi vti informati, qui possint iudicare, ideò ad visionem excitantur, non vt hinc Israelitis fiat occasio maioris doloris. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: tribulabitur, & circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua,*

& diripientur ædes tuæ, eccè calamitas. *Hæc dicit Dominus: Quomodò si eruat pastor de ore leonis duo crura, aùt extremum auriculæ:* quod est quid minimum, & inutile: *sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli*, in qua quiescunt quasi tuti, *& in Damasci grabato*, à quo sperant auxilium, idèst pauci saluabuntur. *Audite, & contestamini in domo Iacob*, clarè annuntiate *dicit Dominus Deus exercituum: quia in die cùm visitare* punire *cœpero præuaricationes Israel, supèr eum visitabo, & supèr altaria Bethel*, vbi idòla: *& amputabuntur cornua altaris* sacrilegi. *& cadent in terram. Et percutiam domum hiemalem cùm domo æstiua: & peribunt domus eburneæ*, ad delicias constructæ: sic de Eglon Rege sedente in æstiuo cœnaculo Iud. 3.20. & Ierem. cap. 36. de rege Ioachim. *& dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.*

CAPVT IV.

AVDITE verbum hoc vaccæ pingues Optimates, diuites, non mulieres: tùm quia ad viros sempèr: tùm quia subdit, *quæ calumniam facitis*, &c. quod ad viros non ad mulieres àptatur: sed fœminino vtitur ad ostendendam in eis mollitiem fœmineam, *quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & cõfringitis pauperes*, illos opprimendo: hinc firmatur intellectus datus suprà cap. 2.6. vendiderunt pro argẽto iustum. *Quæ dicitis Dominis vestris*, vt solent serui vitiosi, & otium amantes: stat in metaphora vaccarũ. *Afferte, & bibemus*, nedùm ebrietatis eas notat, sed & otij, & mollitiei. *Iurauit Dominus Deus in sancto suo*, per sanctitatem suam, non habens maiorem, per quem iuret dicit Paulus Heb. 6. vndè nõ videtur posse dici iurasse per alia, *quia eccè dies* calamitatis *venient supèr vos, et leuabunt vos in contis* hastis, *& reliquias vestras in ollis feruentibus*, incendio opprimentur, qui superfuerint gladio, proùt reliquiæ vaccæ coquẽdæ. *Et supèr aperturas* murorũ ab hostibus factas, vt in Iericho, proùt Sedecias, & sui, *exibitis altera contrà alteram* vna pòst aliam captiua, *& proijciemini in Armon*, in regionem aridam *dicit Dominus. Venite ad Bethel, & impiè agite: ad Galgalam*, vbì idòla colebantur, de qua Oseas, *& multiplicate præuaricationem*, ironicè loquitur contrà addictos idolòlatriæ, quos videt non conuertẽdos: *& afferte mane victimas vestras* idòlis, quę mihi debentur *tribus diebus decimas vestras* idòlis vestris, sicùt iubebantur afferre ad templum Dei, præsumitur enim loqui propriè de decimis, & de cultu insigniori, frequentiori, & magìs debito, qui erat tribus temporibus anni, sicùt & expressit de iugi sacrificio, & quotidiano. Nèc possunt intelligi tres dies, pòst quos non poterat saluari hostia, quia loquitur de offerendis decimis tribus diebus, non vno, aùt altero. *Et sacrificate de fermentato laudem* idòlis vestris: *& vocate voluntarias oblationes, & annunciate* has non à me iussas, non sub lege cadentes, quæ obligat, sic enim magìs apparebit de mala vestra voluntate: sìc probauit populum Deus, & Moyses in fabricatione arcæ, & aliorum à Deo in deserto iussorum, *sic enim voluistis* præstare dijs vestris, *filij Israel, dicit Dominus Deus: Vndè & ego dedi vobis stuporem den[illegible]* ab esurie prouenientem *in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum*, declarat quid sit stupor, vt fame consumemini, *in omnibus locis vestris: & non estis reuersi ad me*, his enim afflictionibus vos ad me euocabam, *dicit Dominus. Ego quoquè prohibui à uobis imbrem, cùm adhùc tres menses superessent usquè ad messem*, vt arescerent segetes: *& plui supèr unam ciuitatem, & supèr alteram ciuitatem non plui: pars una* terræ promissionis, refertur enim ad ciuitates, de quibus proximè dixit, nõ ad partem ciuitatis vnius, sìc in Ramesses non erant prodigia, quæ in Aegypto, *compluta est; & pars, supèr quam non pluit, aruit. Et uenerunt duæ, & tres ciuitates ad unam ciuitatem*, eccè quomodò de ciuitatibus integris, nõ partitis agat, *ut biberent aquam, & non sunt satiatæ: & non redistis*

ad

ad me, proùt quærebam, *dicit Dominus*. *Percussi vos in vento vrente, & in aurugine multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum; olíueta vestra comedit eruca*, eccè aliud flagellum. *Misi in vos mortem in via Aegypti*, iuxtà Aegyptiacas plagas; non proùt in deserto, quia tùnc non erat via Aegypti, sed ab Aegypto. *Percussi in gladio iuuenes vestros vsquè ad captiuitatem equorum vestrorum*, vt 4. Regum 13. *& ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in aures vestras*, ex multa cæde, quæ tùnc contigit; *& non redistis ad me*, quos expectabam, *dicit Dominus*. *Subuerti*, ferè deleui *vos*, *sicùt subuertit Deus Sodomam, & Gomorrham, & facti estis quasi torris raptus ab incendio*, in quo parua substantia, & vis remanet; in simili de Iesu Zachar. 3. 2. *& non redistis ad me, dicit Dominus*. *Quapropter hæc faciam tibi Israel*, à prophetis meis prædicta: *postquàm autèm hæc fecero tibi*, vt te ad meliorem frugem conuertere nitar, *præparare in occursum Dei tui Israel* ad illum recipiendum, & colendum; *quia eccè* apparebit omnipotens, cui nihil obsistit, nequè tot calamitates vestræ obstabunt, quin vos in meliorem statum reformem. *formans montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium suum*, vt illum doceat, ideò suprà in Osea, & Ioele de doctore, *faciens matutinam nebulam*, creans lucem, & tenebras, *& gradiens supèr excelsa terræ*, quæ illi subijciuntur. *Dominus Deus exercituum* Angelorum: sìc Iacob: castra Dei sunt hæc. Elisæus illa ostendit puero: de his Apocal. 19. *nomen eius*, ità vt non sit vobis timendum hæc ipsum non effecturum. At hæc ob eorum cœcitatem in paucis vsquè ad hæc tempora verificantur, in fine verò reliquiæ saluandæ, vt alibì sæpè dictum.

CAPVT V.

AVDITE verbum istud, quod ego leuo supèr vos, nempè *planctum*, hoc autèm, vt magis illos moueat ad pœnitentiam, *domus Israel. Cecidit, et non adijciet, vt resurgat. Virgo Israel proiecta est in terram suam*, vbi passura, occidenda, captiuanda, non quòd innuat ibi, vbi magis pollet, *non est qui suscitet eam*, quia in perpetuam captiuitatem dabitur, à qua nullus eam eruet ob paucitatem remanentium, de qua subdit. *Quia hæc dicit Dominus: Vrbs, de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum; & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel*, vndè decima tantùm pars remanebit. *Quia hæc dicit Dominus domui Israel*, propositis malis imminentibus ob peccata, quæ nutriebant; docet quomodò euadant. *Quærite me* verum Dominum, *& viuetis*, liberi eritis à tot malis: *& nolite quærere Bethel*, idòla, vitulos ibi positos, *& in Galgalam nolite intrare*, adoraturi idòla ibi existentia, *& in Bersabee non transibitis*, vt & infrà cap. 8. in fin. 4. Reg. 23. 8. *quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis*, quasi alióqui, & vos immiscebimini in horum calamitatibus: tacet de Bersabee, quia fortè tùnc nihil passa est. *Quærite Dominum, & viuite*, certam, & celerem dantem vitam: *nè fortè*, si sequamini pristinos mores, *comburatur vt ignis domus Ioseph*, Ephraim, decem Tribus, *& deuorabit, & non erit qui extinguat Bethel* singularitèr, quia ibi erectum idòlum, *Qui conuertitis in absynthium* amaritudinem, hinc prouocatus Deus ad iram Oseæ 12. & 14. *iudicium*, ea, quæ rectè facere deberetis, *& iustitiam in terra relinquitis* prostratam, non curantes de illa, reperit quod dixerat de iudicio peruerso, *quærite facientem Arcturum, & Orionem* stellas, *& conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem*, Dominum diei, & noctis, *qui vocat ad nubes aquas maris, & effudit eas supèr faciem terræ* dulces, & fœcundas, *Dominus nomen est eius*, ipse solus Dominus, non est alius prætèr eum, *qui subridet* subsannat quasi nihil agés *vastitatem*, quam infert *supèr robustum*

bustum quemlibet, quia non est qui ei resistat, *& depopulationem supèr potentem affert. odio habuerunt corripientem in porta*, publicè in locis publicis: *& loquentem perfectè*, sancta, & recta *abominati sunt*, noluerunt corripi.

Idcircò pro eo, quod diripiebatis pauperem, & prædam electam pretiosam *tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis* ex spolijs pauperum, *& non habitabitis in in eis*, vel captiui facti. *Vineas plantabitis amantissimas* charissimas, *& non bibetis vinum earum. Quia cognoui multa scelera vestra, & fortia* me valdè irritantia *peccata vestra: hostes iusti* iustorum *accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta*, in loco iudicij; *Ideò prudẽs* propheta, vel alius *in tempore illo tacebit*, cognoscens frustrà se laborare, oleumquè, & operam perdere, *quia tempus malum est* internecioni, & calamitati vestræ assignatum, quod non estis euasuri. *Quærite bonum, & non malum, vt viuatis*, liberemini à cæde, & captiuitate: *& erit Dominus Deus exercituũ vobiscum, sicùt dixistis*, sicùt optastis, id dicebant in deserto, & erat hoc familiare. *Odite malum, & diligite bonum*, recede à malo, & fac bonum, *& constituite in porta iudicium* rectum, rectè iudicate, immutamini, recedite à vitijs prædictis: *si fortè misereatur Dominus Deus exercituum reliquijs Ioseph*, Ephraim, decem Tribuum; loquitur dubitatiuè ad rei difficultatem demonstrandam, & libertatem eorum. *Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator*, & rector, qui eo volente excitantur *in omnibus plateis planctus*, erit ob calamitates, acerbitatem. *Et in cunctis* plateis, *quæ foris sunt dicetur, væ, væ: & vocabunt agricolã ad luctum, & ad planctum eos, qui sciunt plangere*, proùt ad mortuos fiebat de more. *& in omnibus vineis* amantissimis, *erit planctus*, vbi solebat esse lætitia, *quia pertransibo in medio tui*, te puniẽs, vt in Aegypto Exod. 12. *Dicit Dominus. Væ desiderantibus*, expectantibus, nèc credentibus venturum *diem Domini* vltionis, proùt & Ierem. 17. Ioel. 2. & à peccatis non recedẽtibus: *ad quid eam vobis?* desideratis, quid enim vobis proderit, nisi ad malum? *dies Domini ista, & tenebræ* amaritudines. *& non lux*, non gaudium. *Quomodò si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus, et ingrediatur domum, & innitatur manu sua supèr parietem, & mordeat eum coluber*, ex his denotat vnam calamitatem, seù captiuitatem pòst aliam venturam, seù mala multiplicanda. *Numquid non tenebræ dies Domini, & non lux: & caligo, & non splendor in ea?* & nè putent Domini furorem auertendum ex eorum sacrificijs, dicit, *Odi, et proieci festiuitates vestras*, mihi exhibitas, *& non capiam odorem cœtuum vestrorum*, ità vt sit mihi suauis, gratus. *Quod si obtuleritis mihi holocaustomata, & munera vestra non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam*, quæ à corde puro non procedunt, sed duplici, cùm idòlis misto. *Aufer à me tumultum carminum tuorum*, quibus me laudare putas, *& cantica lyræ tuæ non audiam. &* nihilominùs, *reuelabitur quasi aqua* abundãtèr, clarè *iudicium*, flagellum, quo te tùnc puniam, *& iustitia* mea, iusta causa puniendi, *quasi torrens fortis*, dissipãs omnia obuiantia. *Numquid hostias, & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel?* quasi ex indulgentia, & benignitate mea factum: sìc & Ierem. 7. quia ibi non suppetebant victimæ, locus, tempus, vndè de hoc conquestus non sum. *Et* tamèn impiè *portastis tabernaculũ Moloc vestro*, fortè idòlo Ammonitarum 3. Regum 11. 5. 7. & 4. Regum 23. 10. 13. dantes ei deitatem, & prohibetur expressè in Leuit. 18. 21. & 20. 1. quod adorarunt, vt constat 4. Regum 23. 10. 13. Soph. 1. 5. Leuit. 18. 21. & 20. 3. 4. 5. 3. Reg. 11. 5. 7. 33. Ierem. 32. 35. Acto. 7. 43. de stellis verò, & Regina cœli plena est Scriptura: & sìc tabernaculum intelligitur per adorationem, quia non esset passus Moyses talem dilationem diutinam, cuius zelus apparet in vitulo in cinerem redacto, & cæde. Vtitur verò delatione tabernaculi, quia in deserto erat magnus cultus Dei veri per illud. At quia hæc adoratio idòlorum non legitur fuisse, nisi in vitulo Exod. 32. & Beelphegor Num. 25. Iosue 22. 17. & Moyses ipse id innuit Deut. 4. 19. & 19. & 31. dùm illos aduertit nè lunam, vel stellas adorent.

Et

Et in toto Deuteronomio, vbi recenset delicta populi, nihil vnquàm de hoc delicto. necessariò intelligenda hæc post ingressum in Terram promissionis, non in deserto, proùt & de stellis, reginâ cœli, & alijs, & sic omnia concordant, & nulla inest difficultas; & ita & Stephanus Acto. 7. & reijciendus intellectus de Assyrijs contrarijs illos portare idola sua, cū loquatur propheta de proprijs Israelitarum. *Et imaginē idolorum vestrorū, sydus Dei vestri* repræsentans in eo Deum vestrum, proùt Veneris, & similium, & alibi libastis reginæ cœli, *quæ fecistis vobis*, vndè sciebatis illos non esse Deos. *Et migrare vos faciam tràns Damascum* in Assyrios, & quamuis dicatur per Stephanum Acto. 7. tràns Babylonem, illud fuit posteà per annos sequentes, vt hìc per Hieron. & alios, maximè Riberam; vndè neque ibi de captiuitate Babylonica, quod malè in eo loco in additione dixeram, sed de hac Assyriaca agitur: vel intellexit per ea verba de longinqua translatione, *dicit Dominus Deus exercituum nomen eius*.

CAPVT VI.

VÆH *qui opulenti estis in Syon* Ierusalem, vel à parte insigniori de Terra promissionis, inferens ad decem Tribus, contrà quas subdit, & agit, *& qui confiditis in monte Samariæ* munito, quasi vanè: *optimates capita populorum*, principes, *ingredientes pompaticè domum Israel*, cui ius redditis, vt ad honorem vestrum alios prouocetis quasi spectabiles. *Transite in Chalane, & videte, & ite in Emath magnam: & descendite in Geth Palæsthinorū, & ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est*, quasi nō est, & tamèn me non recognoscitis datorem regionis, nèc gratias agitis. *Qui separati estis in diem malum*, ad victimam, ad pœnam, flagellum reseruati: *& appropinquatis solio iniquitatis*, in quo sedeatis Psal. 1. & compleatur, & fiat locus flagello Genes. 15. *qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege* selectum, *& vitulos de medio armēti* in tot delicijs positi, proùt Epulo Euangelicus, *qui canitis ad vocem psalterij*, instrumenti musici, *sicùt Dauid* ad Dei cultum, *putauerunt se habere* posse *vasa cantici* ad luxuriam, & sìc mali peruertunt, & confundunt sacra prophanis. *Bibentes vinum in phialis* vasis pretiosis, *& optimo vnguento delibuti*, odorem euaporantes. *& nihil patiebantur supèr contritione Ioseph*, afflictione decem Tribuum, proùt fratres Ioseph in cisternam depositi. *Quapropter nùnc migrabunt in capite transmigrātium* primi captiui ducentur: *& auferetur factio*, coniuratio *lasciuientium* in tot delicijs. *Iurauit Dominus Deus in anima sua* per seipsum Hebr. 6. *dicit Dominus Deus exercituum: detestor ego superbiam Iacob* decem Tribuū, *& domos eius*, pretiosas, suprà cap. 3. in fin. *odi, & tradam* in manus Assyriorum *ciuitatem*, ciuitates diripiendas, seù Samariam, *cùm habitatoribus suis*, qui & captiui ducentur. *Quòd si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur* hoc addit, quia cap. 5. 3. dixerat decimam partem superstitem futuram, *& tollet eum* mortuum *propinquus, & comburet eum, vt efferat ossa de domo*, quasi erit tanta cædes, vt non sit locus sepulturæ, *et dicet ei, qui adhùc est penès te?* efferendus mortuus? *& respondebit, finis est* nullus superest, *& dicet ei, tace, et nō recorderis nominis Domini*, nàm vanum esset ab eo opem implorare. *Quia* stabilitum est & firmum, *eccè Dominus mandabit, et percutiet domum maiorem* decem Tribuum *ruinis* perpetuis, *et domum minorem* duas Tribus *scissionibus*, quæ vniri possint; nā illæ perpetuò captiuæ, hæ ad annos septuaginta. Vel *domum maiorem* optimatum, principum, *et minorem* pauperum, & est intellectus conformis præcedentibus, *quod si reliqui fuerint decē viri in domo vna*, eò magis, quia contrà Israel, non Iudam agit. & hæc iuxtà Vulgatam; nàm iuxtà Septuaginta melior primus intellectus. *Numquid currere*

rere queunt in petris equi, *aùt arari potest in bubalis?* sic dicebant alij respondentes præmissis, sicutì non possunt hæc fieri, ità nèc fieri poterit, vt Assyrijs demur, cùm benè muniti simus, vt in princ. cap. At replicat propheta, sic erit, non est id impossibile apud Deum, *quoniàm conuertistis in amaritudinem iudicium, et fructum iustitiæ*, opera charitatis, & iustitiæ *in absynthium*, amaritudinem iram prouocantem, & sic Deum irritastis: *qui lætamini in nihilo*, in idòlis vanis, 1. Cor. 8. 4. *qui dicitis, numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* potentiam: sic Nabuchodonosor, *eccè enìm suscitabo supèr vos domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum* Gentes Assyriorum: *& conteret vos ab introitu Emath vsquè ad torrentem deserti* in tota terra vestra.

CAPVT VII.

HAEC ostendit mihi Dominus Deus, vobis annuncianda, *et eccè fictor*, Deus ipse *locustæ* exercitus Assyriorum; sub locusta sæpè in prophetis exercitus aduersarij, vt suprà vidimus, & in Apocal. *In principio germinantium serotini imbris*, quandò omnia germinant, quandò decem Tribus germinabant, *et eccè serotinus* Salmanasar omnia deuastans 4. Regum 17. 3. *pòst tonsionem regis* Teglathphalasar 4. Regum 15. *et factum est, cùm consummasset comedere* locusta Rex ille, *herbam terræ* in decem Tribubus, *dixi: Domine Deus propitius esto, obsecro his* reliquijs: *quis suscitabit Iacob* si tu illum penitùs destruis, *quia paruulus est?* non potest à seipso sibi prouidere multis iàm afflictus calamitatibus. *Misertus est Dominus supèr hoc* reliquijs scilicet: *Non erit*, vt penitùs destruantur, *dixit Dominus*, & sic recordatus Sennacherib ad preces prophetæ. *Hæc ostendit mihi Dominus Deus: et eccè* relapsis reliquijs earum decem Tribuum ad pristina peccata, vel illa continuantibus, *vocabat iudicium* condemnationem *ad ignem*, ad destructionem totalem *Dominus Deus: et adorauit abyssum multam* omnes thesauros, bona, res, ciuitates Israel, *et comedit simùl partem*, quæ reman serat captiuam ducendo, *et dixi: Domine Deus quiesce, obsecro*, nè tàm vltrò progrediaris. *quis suscitabit Iacob, quia paruulus est? Misertus est Dominus supèr hoc: sed istud non erit, dixit Dominus Deus*, nàm adhùc reliquiæ remanebunt. *Hæc ostendit mihi Dominus: et eccè Dominus stans supèr murum litum, et in manu eius trulla cæmentarii*, dùm Israel protegebat defendēs eum ab inimicis, proùt linitio, quæ trulla fit, murum defendit ab iniurijs temporum.

Et dixit Dominus ad me: quid tu vides Amos? et dixi, trullam cæmentarij. Et dixit Dominus, eccè ego ponam, deponam *trullam in medio populi mei Israel*, proùt artifex nolens ea vti ad liniendum: *non adiiciam vltrà superinducere eum*, non ampliùs liniam, dimittam. *Et demolientur excelsa idòli*, in quibus me offendunt, *et sanctificationes Israel* idòlis fabricatæ, *desolabuntur*, ut & infrà, quod factum per Sennacherib. *Et consurgam supèr domum Ieroboam*, filio Ioas regis, ità ut deficiat penitùs sceptrum in posteris Iehu, *ex gladio*. Non puto hic agi de Ieroboā filio Naboth primo rege Israel, quia iàm domus eius finierat, & de futuris est prophetia: tùm quia Amos non sub hoc, sed sub Ieroboam filio Ioas prophetauit. *Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Ieroboam regem Israel dicens: rebellauit*, coniurauit *contrà te Amos in medio domus Israel, non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius*, quibus ab eo mouetur, & te deseret. *Hæc enìm dicit Amos: in gladio morietur Ieroboam, et Israel captiuus migrabit de terra sua*, similis persecutio contrà Ieremiā, *et dixit Amasias ad Amos*, videns Regem in Amos non insurgere ex sua suggestione: *Qui vides* ò propheta *gradere, fuge in terram Iuda, et comede ibì panem*, ibì age vitam

vitam tuam; non quòd è prophetia lucraretur, quia nec tùnc ex ea quicquam recipiebat, *& prophetabis ibi* tutò, & audieris. *& in Bethel non adiicies vltrà, vt prophetes*, tentat eum eijcere, nè officiat suis emolumentis sacerdotalibus: *quia sanctificatio* locus, vbi idòlis offerebatur *regis est* à Rege constructa, *& domus regni est*, ideò reuerẽtia digna, intangibilis. *Respónditq. Amos, & dixit ad Amasiam: non sum propheta*, quo nomine me nuncupas, idest non profitebar prophetiam, *& non sum filius propheta*, neque à propheta descendo, *sed armentarius ego sum*, custos armentorũ, hæc professio mea, hæc ars, *vellicans sicomoros* pro cibo; vndè vanum est credere eum fuisse dominum armenti, sic respondet iuxtà humilitatem, in qua erat, non se extollens; at subdit cur prophetet. *Et tulit me Dominus, cùm sequerer gregem*, sic & Elisæum arantem, & Dauid de pòst fœtantes, Saulem pòst Asinas, & aratrum: *& dixit ad me: vade, propheta ad populum meum Israel*, ecce quomodò ego propheta. *Et nùnc audi verbum Domini*, non desistit ab officio suo metu Amasiæ; *tu dicis, non prophetabis supèr Israel, & non stillabis supèr domum idòli*, Israel decem Tribuum idola adorantium, *proptèr hoc* tuum peccatum, suadens me, nè prophetem, *hæc dicit Dominus: vxor tua in ciuitate fornicabitur*, sicùt tu alios ad fornicationem cùm idòlis prouocas: sic Michæas Sedeciæ; sic Elisæus militi non credenti abundantiam: *& filii tui, & filiæ tuæ in gladio cadent* per Assyrios, *& humus tua funiculo metietur*; alijs populis tradenda; ex funiculo enim intelligitur translatio dominij, *& tu in terra* Assyriorum *polluta* idòlorum cultu *morieris, & Israel captiuus migrabit de terra sua*, non reuersurus.

CAPVT VIII.

HAEC ostendit mihi Dominus Deus, alio spectaculo ostendit mala instantia; vt magis conuertantur, *et eccè vncinus pomorum* mihi ostensus ad poma in arbore colligenda. *Et dixit Dominus ad me: venit finis supèr populum meum Israel*, proùt finis pomorum vncino collectorum: *non adiiciam vltrà, vt pertranseam eum* illæsum, & intactum: sic in strage primogenitorum Aegyptiorum, sed puniam. *Et stridebunt* calamitate oppressi, & territi etiàm *cardines templi* idòlorum, sub quibus fortè Sacerdotes, & principes idòla fouentes. Non hæc de templo Salomonico; *in die illa* amara cædium, *dicit Dominus Deus, multi morientur* gladio, *in omni loco proiicietur silentium* ex magna cæde hominibus deficiẽtibus, & captiuitate. *Audite hoc qui conteritis* angustijs magnis *pauperem*, cuius ego protector, & cuius causam defendo, mea pro nùnc ommissa circà idolòlatriam versante, *& deficere facitis egenos terræ* contritione vestra *dicentes: quandò transibit mensis*, tempus, quo minus venditur, non quòd in neomenijs non venderetur, *& venundabimus merces* maiori pretio, *et sabbatum* transibit, scilicèt, quo non minùs vendebant; vt suprà de mense, sic hìc de hebdomada, *& aperiemus frumentum* absconditum ad vendendum, *vt imminuamus mẽsuram*, decipientes emptores, *& augeamus siclum* valorem, *& supponamus stateras dolosas*, in pondere etiam circumuenientes, *vt possideamus in argento* cõgregando *egenos*, qui illo carebunt, *& pauperes pro calceamentis* pro solo vestitu, & sic nobis seruient, *& quisquilias* purgamenta vice *frumenti vendamus? Iurauit Dominus*, per semetipsum Hebr. 6. *in* contrà *superbiam* gloriam *Iacob* qua moti alijs iniustè dominari volunt: *si oblitus fuero vsquè ad finem*, quasi non obliuiscar in æternum, *omnia opera eorum* nè puniam, sed maxima pœna vrgebo. *Numquid supèr isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius*, quasi immò turbabitur terra, & luctus vbiq. erit, *& ascendet quasi fluuius vniuersus* habitator in captiuitatem actus ab Assyrijs, *& eicietur* in diuersas partes Assyriorum, *& defluet* absorbebitur, *quasi riuus Aegypti?* is par-

paruus à mari, à vastitate regionis. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie*, hoc ad magnam tribulationem indicandam ex vsu Scripturæ, quæ contigit decem Tribubus, ad quas loquitur, & si de Bersabee fiat mentio, quia & de eadem Bersabee dictum ad easdem decem Tribus suprà capit. 5. 5. *et tenebrescere faciam terram* Israel *in die luminis*; cùm florere cœperit. *Et conuertam festiuitates vestras* idololatricas *in luctum*; *et omnia cantica vestra* phanatica *in planctum*, non erit locus lætitiæ: *et inducam supèr omne dorsum vestrum saccum, et supèr omne caput caluitium*, proùt solent mœrentes, & in maximo dolore constituti, sicùt Iob, & Dauid in Abner: *et ponam eam* terram, *quasi luctum vnigeniti*, cuius amissione solent matres magis dolere, *et nouissima eius quasi diem amarum*, denotat perseuerãtiam malorum, quia in captiuitatem perpetuam dandi erãt. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et mittam famem in terram, non famem panis, nequè sitim aquæ*, quæ sunt ordinaria obsessis, & captiuis, *sed audiendi verbum Domini*, à prophetis, vel alijs, quos tùnc desiderabunt, & nùnc respuunt: hæc ad decem Tribus, non ad duas. *Et commouebuntur à mari vsquè ad mare, et ab Aquilone vsquè ad Orientem*, omnem regionem peruagantes. *Circuibunt quærentes verbum Domini*, à propheta, *et non inuenient*, & hoc maximum flagellum. *In die illa* calamitatis *deficient virgines pulchræ, et adolescentes in siti*, tempore obsessionis, & his deficientibus proles imminuetur. *Qui iurant in delicto Samariæ* in vitulo, *et dicunt, viuit Deus tuus Dan*, tribuentes hoc idolo, quod soli Deo competit: *et viuit via Bersabee*, per quam ibant ad cultum idoli cap. 5. 5. & 4. Regum 23. 8. *et cadent* in captiuitatem dabuntur, *et non resurgent vltrà*, non redibunt ampliùs ad terram suam.

CAPVT IX.

HOC cap. 9. Amos videtur proferri contrà easdem decem Tribus, contrà quas ex professo prophetat; præsertim quia in hoc cap. vtitur eisdem phrasibus, quibus vsus est contrà easdem, scilicèt de cardine cap. 8. & stridebunt cardines templi. De auaritia etiàm: audite hoc, &c. cùm seqq. De nouissimo: & nouissima eius quasi diem amarum: De calamitate maxima, & nemine saluando; Si oblitus fuero cùm seqq. De plãctu; & lugebit omnis habitator eius, & ponam eam quasi luctum vnigeniti: & de riuo Aegypti, & defluet quasi riuus Aegypti: vndè est ferè repetitio dictorum in capite octauo, quod est contrà decem Tribus.

Prætereà est inuerisimile tot capita contrà decem Tribus protulisse, nèc vnquàm dixisse adeò clarè de illis per Messiam saluandis, proùt faceret in hoc cap. pro duabus Tribubus, si de illis ageretur iuxtà contrariam opinionem.

Prætereà præcedere debuisset quòad duas Tribus reductio à captiuitate Babylonica, cuius nulla mentio; at in his Tribubus nihil, quia in perpetua captiuitate dabuntur; & in fine tantùm salus, vndè meliùs omnia cõnectuntur, si ad decem Tribus applicentur.

Prætereà ad custodiendam differentiam, & diuersitatem, si contrà duas Tribus ageret, non diceret: filij Israel, numquid non Israel, etsi vterque populus intelligi possit; sed apposuisset verbum aliquod diuersificans: At quod clarè de decem Tribubus, non duabus agatur, patet ibi; etsi abierint in captiuitatem, &c. vbi agitur de non reuersuris à captiuitate, quod ad decem Tribus, non ad duas applicatur.

Accedit, quia dicta in fine capitis tangebant & decem Tribus; vndè quomodò illis ommissis, contrà quas agebat, applicat illa ad duas Tribus?

Insupèr Amos dicit capit. 7. se ex Iudæa missum ad Israel; quomodò ergò prophetat contrà Iudam? Prætereà infrà de Israele clarè, *numquid non*, &c. Solet Scriptura pòst

pòst calamitates præmissas suggerere aliqua læta ad exhilarandos animos, & spem nutriendos; hucusquè dixit tristia cõtrà decẽ Tribus, quomodò pro illis ommisit hæc læta? dices, hæc læta tangunt & ipsas. esto, sed explicatione indigebant, si pro duabus dicebantur.

His sic præmissis, non obstat prima ratio Riberæ; nàm primò potiùs intelligendum de eodem altari, de quo cap. 8. 3. præsertim quia agit de decem Tribubus, & de illo euertendo, proùt propheta cùm Ieroboam dixit, non de illo honorando. Vel si de altari templi Ierusalem, quod velis Deũ altaria idolòlatrica abominari, tamèn id nõ obstat; tùm quia templum illud commune erat omnibus Tribubus: tùm quia ex illo emanabant prædictiones, & responsa Dei, vt plurimùm contrà omnes, vndè non stringit argumentum, in illo apparuit Deus, ergò de Iuda, non de Israel dixit.

Nequè inferri potest, quia dicitur *percute cardinem, & moueantur superliminaria.* ideò de templi euersione agere, & consequentèr de duabus Tribubus euertendis; nàm hoc dicitur ad ostendendam magnam cladem decem Tribuum ex hoc motu templi, & altaris, non autèm quòd tùnc illa euertenda essent; sìc dicitur ad cladem grandem denotandam, iudicium Dei à Sãctuario, vel domo eius incipiendum; eò magìs quia non potest intelligi de captiuitate Babylonica, quæ antecedit Romanam; & tamèn secundùm ordinem de Babylone priùs prophetandum, quia quandò alij prophetæ de illa dicunt, sempèr reductionem pòst septuaginta annos, vel simplicitèr annectunt. At hæc læta pòst illam, finem mundi respiciunt.

Non obstat tertia, quia hìc nulla mentio idolòlatriæ, at nequè suprà capit. 8. vt ibi obseruatum ab eodem Ribera versic. 4. satis enim in tota prophetia de illa egit.

Non obstat quarta de contextu, quia nõ video quid cogat, vt potiùs de duabus, quàm decem Tribubus agatur.

Non obstat quinta, Amos diuersis temporibus prophetâsse, nàm hoc est diuinatiuum, sed esto, cùm dicta cap. 8. & hoc conueniant, potiùs ad decem, quàm ad duas etiàm trahendum.

Non obstat sexta, *Dominum stantem*, idest adiuuantem, nam hic non recipitur hæc interpretatio, sed vt ex statu appareat quid tentet: Et si ipse adiutoris munere fungeretur, non diceret alteri *percute*, sed percutiamus, vndè contrarium diuinatiuum.

Non obstat septima, *concutiam in omnibus Gentibus*, &c. quasi in toto mundo, nàm non est amplianda phrasis, sed restringenda ad eas gentes, ad quas decem Tribus captiuæ ducentur,

Non etiàm placet hìc agi contrà totum populum duodecim Tribuum, quod fuit in Romana; nàm obstant suprà considerata, nẽpè præcedere debuisse quòad decẽ hanc Assyriã, quòad duas Babylonicã captiuitatem, & illas numquàm reuersuras, has pòst septuaginta, vndè magna distinctione, & declaratione res indiguisset. pòst hæc vidi Recentiores omnes tenentes hanc opinionem. Sed ad litteram.

Vidi Dominum stantem supèr altare, & dixit mihi: *percute cardinem, & commoueantur superliminaria*, prædic percutiendum cardinem, & commouenda superliminaria, ad denotandam magnam stragem instantem contrà decem Tribus, & omnia euertenda. *Auaritia enìm in capite omniũ*, hæc ratio euersionis, quia hæc omnes cepit; *& nouissima eorum* auaritiæ studentium, qui supererit *in gladio interficiam, non erit fuga eis; fugient, & non saluabitur ex eis qui fugerit*, ex his, & sequentibus dicit neminem euasurum. *Si descenderint vsquè ad infernum, indè manus mea educet eos*, si descendero in infernum, ades. *Et si ascenderint vsquè in cælum*, ad quemuis locum supremum, *indè detraham eos*, sìc Petrus de dæmonibus. *& si absconditi fuerint in vertice Carmeli*, in cauernis, *indè scrutans auferam eos: & si celauerint se*, tentauerint se scelare *ab oculis meis in profundo maris, ibì mandabo serpenti, & mordebit eos*. sic Ionas à pisce absorptus; & Psal. 106. ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo, & factum in Aegyptijs, vt in

Dddd Can-

Cantico Moysi. *Et si abierint in captiuitatem coràm inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos*, non ergò hi reuersuri: hinc non de duabus, sed decem Tribubus agitur, *& ponam oculos meos supèr eos in malum, & non in bonum*, sìc sempèr supèr decem Tribubus; At non sìc supèr duabus in captiuitate Babylonica, quia tempore eorum captiuitatis Esther, Mardochæus, Ezechiel, Daniel, & alij ad bonum, quod in captiuis decem Tribuum non legitur. *Et Dominus Deus exercituum* est qui dixit, & faciet, is enim *qui tangit*, tetigerit, *terram* vestram, *& tabescet & lugebunt omnes habitantes in ea: & ascendet sicùt riuus omnis, & defluet sicùt fluuius Aegypti*, qui in mare intrans nomen perdit, vt suprà cap. 8. 8. *qui ædificat in cælo ascensionem suam*, sedē, thronum, qui in altis habitat, ideò potens, *& fasciculum suum*, scabellum pedum suorum, vel res sibi charas, & gratas: Non hìc de spiritualibus, quia alia corporalia, quibus spiritualia non censentur in medio immista, *supèr terram fundauit, qui vocat aquas maris, & effundit eas supèr faciem terræ*, dat pluuiā supèr terram; & hæc phrasis cap. 5. & pluriès in Scriptura, *Dominus nomen eius*. solus ipse, non alius dominans, *numquid non vt filii Aethiopū vos estis mihi filii Israel, ait Dominus?* quasi mei nullam memoriam habentes, proùt illi remoti: sìc solemus prouerbialitèr de obliuiscentibus dicere. Vel mihi contumaces, & sordidi in moribus, vt illi in cute? sic, numquid potest Aethiops mutare pellem? & nè credatis in æternum vos permansuros in terra hac optima, *numquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti: & Palæsthinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?* quos postea indè exturbaui, vel exturbabo, sic & vobis continget. Confidebant hi, quia semèl tot prodigijs in illam introducti fuerūt, numquàm indè exturbandos, proùt & confidebant in tēplo; & quia filij Abrahæ, ideò hanc confidentiam ab eis tollit. *Ecce*, vide Albam cent. cap. 61. *oculi Domini Dei supèr regnum peccans*, quod sustinere non valeo, *& conteram illud à facie terræ* delebo, vndè puritatem solam requiro, nèc attendo ea, in quibus vos confiditis. *Verumtamèn conterens non conteram domum Iacob*, seruabo ex ea reliquias, *dicit Dominus*. *Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus Gentibus*, ad quas transferentur decem Tribus, *domum Israel sicùt concutitur triticum in cribro, & non cadet lapillus* non concussus, stat in metaphora domus *supèr terram*, sic Capillus de capite vestro non peribit. *In gladio morientur omnes peccatores populi mei*, sub lapillo ergo de malis, *qui dicunt, non appropinquabit, et non veniet supèr nos malum* contumaces, increduli verbis meis, seu prophetarum. *In die illa*, nùnc ad læta procedit, tempore mihi beneplacito. Nō dicas *in die illa*, idest captiuitatis Romanæ, nàm præcedentia ad illam non respiciunt: tùnc enim Tribus illæ duæ non erant afflictæ, sed in bono statu, dùm Romani superuenerunt, saltèm non erant captiuæ, vt suprà præsupponitur, *suscitabo* pòst reditum à captiuitate Babylonica (cùm Iuda enim multi ex decem Tribubus redierunt) vel per Messiam ad tempus Euangelij Acto. 15. *tabernaculum Dauid* Ierusalem, & alia loca dissipata; Vel ipsius Messiæ, Ecclesiam Catholicam ex Iudæis, & gentibus, *quod cecidit* in populo Messiam occidente, & credere nolente: *Et reædificabo aperturas murorum eius, & ea, quæ corruerant instaurabo. Et reædificabo illud sicùt in diebus antiquis* tempore Patriarcharum, vel antè idololatriam in mundo, vel in Israel cœptam, quādò erat vnum ouile, vna fides in mundo, vel Israele, ideò subdit, *vt possideant reliquias Idumææ*, Non hìc de populo Hebræo corrupto, quem sub Idumæa vocet, & aliàs pro Idumæa intellexi, & hic Ribera; quia diuersus esse debet dominator à subdito, & si hoc esset, hinc colligeretur reliquias in fine saluandas; at intelligendum de Idumęa met; Vndè dic, *vt possideant* Iudæi reuersuri reliquias Idumææ; vel fideles, in quibus reædificabitur tabernaculum Dauid, Ecclesia, *reliquias Idumææ* remansuras ex cędibus iàm eis comminatis ab alijs Prophetis, vel *reliquias* crediturorum; nàm non omnes fideles, *& omnes nationes* vicinas: vel iuxtà aliū intellectum totius mūdi, *eo quòd inuocatum*

sit

sit nomen super vos, potens hæc omnia præstare, *dicit Dominus, faciens hæc. Ecce dies veniunt* erit tempus, *dicit Dominus: Et cōprehendet arator messorem, & calcator uuæ mittentem semen: & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt,* ex his corporalibus firmatur primus intellectus; at secundus ex his ad spiritualia pro fœlicitate, & propagatione Ecclesiæ, *& conuertam captiuitatem populi mei Israel,* carnalis, seù spiritualis, fidelis, Iudæos, & Gentiles comprehendentis à diabolo eum tenente, *& ædificabunt ciuitates desertas, & inhabitabunt,* hæc pro primo intellectu: pro secundo, quia in omnem terram exibit sonus Ecclesiæ. *Et plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos & comedent fructus eorum, & plantabo eos super humum suam, & non euellam eos vltrà,* ad longum tempus iuxtà primum intellectum, *de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus,* hæc omnia ad stabilitatem, & perpetuitatem Ecclesiæ denotandam, quam alius status, seù lex non subsequetur iuxtà secundum intellectum: Vide ad horum explicationem dicta per me. Acto. 15.

FINIS PROPHETIAE AMOS.

IN ABDIAM.

CAPVT PRIMVM.

VISIO prophetia *Abdiæ Hæc dicit Dominus Deus ad Edō* Idumæos, ad quos similia Ierem. 49. Ezech. 35. *Auditū audiuimus* nos Prophetæ *à Domino*, à quo prophetia 1. Petr. 1. *& legatum* nuncium excitantem animos; is Angelus bonus, proùt de malo contrà Achab. 3. Regum vlt. & Iob 1. & 2. malo, & bono Zach. 3. nàm quandò Deus mouet cor, id exprimitur, vt contrà Salomonem, 3. Reg. 11. 14. 23. & alibi sæpè, *ad gentes*, contrà te venturas *misit*, iàm perfecta tua venerit calamitas: *surgite, & consurgamus* hàc facta missione, sic dicunt gentes *aduersùs eum* Edom *in prælium*, *Ecce paruulum* abiectum, *dedi te*, feci te *in gentibus* intèr gentes alias. *contemptibilis tu es valdè*, at *superbia cordis tui*, qua te ipsum reputasti falsò *extulit te habitātem in scissuris petrarum*, quasi à nemine capiendus, & offendēdus *exaltantem solium tuum*, sedem tuam, qua quietè viuis; *Qui dicis in corde tuo* elato, *quis detrahet me in terram?* ex hac altitudine, & potentia; at *si exaltatus fueris, vt Aquila*, cuius volatus altior, *& si intèr sydera posueris nidum tuum*, *indè detraham te*, *dicit Dominus*, sic suprà in Amos, & Christus contrà Capharnaum Matth. 11. 23. *si fures introiissent ad te*, *si latrones per noctem*, *quomodò conticuisses?* quasi teipsum excitasses ad defensam, *nonnè furati essent sufficientia sibi?* quasi reliquissent aliquid: at milites Nabuchodonosor, *quomodò scrutati sunt Esau*, *inuestigauerunt abscondita eius?* quasi explicari non potest, nihil penitùs superfuit: hoc ad ostendēdam magnam cladem, & calamitatem; neq. hoc satis eis fuit; sed & *vsquè ad terminum emiserūt te* captiuum quò abduci debueras *omnes viri fœderis tui*, in quibus confidebas, fortè iidem Chaldæi, quibus auxilio fuerāt in euertenda Ierusalem, *illuserunt tibi: inualuerunt aduersùm te viri pacis tuæ*, familiares intimi. *qui comedunt tecum*, *ponent insidias subtèr te*, vndè Dauid: si inimicus meus maledixisset mihi, &c. *non est prudentia in eo*, Edom hoc non considerante ventura, & non cauente ab insidijs. *Numquid non in die illa, dicit Dominus*, *perdam sapientes de Idumæa, et prudentes de monte Esau?* ità vt eligant sibi peiora, sìc & Isa. 3. *& timebunt fortes tui à meridie*, qui tutiores videri poterant, ità *vt intereat vir de monte Esau*, in cuius altitudine spem locant, nullus remaneat, *proptèr interfectionem*, cui astitisti, vel patrasti, *& proptèr iniquitatem* quam exercuisti *in fratrem tuū Iacob*, quandò sub Sedecia Ierusalem destructa à Nabuchodonosor, & à Sēnacherib Samaria euersa, *operiet te confusio*, pudor; qui te franget, *& peribis in æternum* tempus longissimum; nàm iterùm fuit instaurata Ierem. 27. 7. *in die* illa vltionis meæ *cùm stares aduersùs eum* fratrem tuum in auxilium inimicorum eius, *quandò capiebāt alieni* victores Chaldæi *exercitum eius*, *& extranei ingrediebātur portas eius* munitas, *& supèr Ierusalem* mitte-

mittebant sortem, more victorum, quam iam ceperant, & suam fecerant. *Tu quoquè eras quasi vnus ex eis* assentiens, & faciens, seu auxilium præbens, *& impofterum non despicies* irrides *in die* malo, vltionis *fratris tui* Iacob, *in die peregrinationis* captiuitatis *eius, & non lætaberis super filios Iuda in die perditionis*, calamitatis *eorum*. *Et non magnificabis os tuum in die angustiæ*, et insultando, vel irridendo eum: *nequè ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorũ* vnà cùm eius inimicis factus ruinæ particeps. *Nequè despicies* eum, *& tu in malis eius in die vastitatis illius*. *Nequè stabis in exitibus* viarum, seù regionum, *vt interficias eos, qui fugerint* à Chaldæis, *et non excludes reliquos eius in die tribulationis*; ità vt saluari non possint, hæc ampliùs non patrabis: *quoniàm* memor esse debes, quod *iuxtà est dies* vltrix *Domini supèr omnes gentes* populo illi insultãtes per Nabuchodonosor Ierem. 25. & 27. *sicùt fecisti* illi, *fiet tibi*, recipies, quæ intulisti, mala, *retributionem tuam conuertet in caput tuum* in te Dominus iustus. *Quomodò enim bibistis* lætantes, vt solent victores, sic & Amos 6. *supèr mõtem sanctum meum* in Ierusalem, *bibent omnes Gentes* ijdem Chaldæi cùm socijs supèr te *iugitèr: & bibent, & absorbebunt* vsquè ad finem; *& erunt* Idumæi *quasi non sint* adeò deficient, & imminuentur: de hac phrasi Apocal. 17. Hic puto de ijsdem Idumæis, non Babylonijs agi, cùm contrà Babylonem prophetia non seruiat, sed contrà Idumæos; quandò verò hæc contrà Idumæos, dic per Nabuchodonosorem quinto anno ab eiecta Ierosolyma; per Hebræos verò pòst captiuitatem Babylonicam sub Machabæis, & Hircano: vel hoc per hyperbolem, quæ sufficit in aliquibus verificari. *Et in monte Syon*, quem vos despexistis, *erit saluatio*, quia Iudæi redibunt à captiuitate Babylonica, & tuti manebunt, *& erit sanctus*, ibi Deus, quia templum ædificabitur. *& possidebit domus Iacob eos, qui se possederant*, & super eum exultauerant. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma* consumens, & deuorans, *& domus Esau stipula*, quæ in cinerem redigetur: *& succendentur in eis, & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Esau* per hyperbolem; nàm non omnes deletæ, quin aliquis superfuerit, *quia Dominus locutus est*, vndè non potest non esse. *Et hæreditabunt hi* Iudæi, *qui ad Austrum sunt*, propinquiores, quibus erit commodiùs *montem Esau, & qui in campestribus* hæreditabunt *Philisthijm: & possidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ, & Beniamin*, vnà cùm Iuda, quia hæ duæ Tribus coniunctæ *possidebit Galaad*, hæc sub Machabæis, *& transmigratio exercitus huius filiorum Israel* à captiuitate Babylonica, *omnia loca Chananæorum vsquè ad Sareptam: & transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est*, in cunctis plagis longinquis, seù insulis, *possidebit ciuitates Austri. & ascendent saluatores* plures, & defensores in transmigratione à captiuitate; hi Zorobabel, Esdra, & alij. de similibus saluatoribus lib. Iudic. *in montem Syon iudicare*, & dominari *montem Esau: & erit Domino regnum* vnitum Terræ promissionis. Mysticè hæc de Ecclesia.

FINIS PROPHETIAE ABDIAE.

IN IONAM

CAPVT PRIMVM.

ET factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi, de quo 4. Reg. 14. 25. *dicens: surge, et vade in Niniuen ciuitatē grandem, et prædica in ea*, & cap. 3. prædica in ea prædicationem, quam ego loquar ad te, scilicèt ruinam instantem. At puto & pœnitentiam prædicasse, aliòqui quæ fuisset prædicatio, si solùm dixisset *adhùc, et quadraginta dies et Niniue subuertetur?* &c. dic ergò prædicationem, in qua & de pœnitentia ageret, proùt omnes Prophetæ fecerunt. Dictum etiàm fuit Isaiæ, clama, nè cesses, annuncia scelera, & tamèn & de pœnitentia; sic Io. Baptista; pœnitentiam agite; & Christus, & Apostoli, & Paulus: prædica verbum, insta oportunè, importunè, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina: immò si id non præstitisset Propheta, non esset executus mentem Dei, nolentis mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat, quod fit per pœnitentiam. At & Matth. 12. 41. videtur colligi Ionam prædicasse pœnitentiam, quia dicitur viros Niniuitas pœnitentiam egisse in prædicatione Ionæ; sic & Luc. 11. 32. immò, quod plus est, dicitur Luc. 11. 30. sicùt fuit Ionas signum Niniuitis, ex quibus verbis colligitur Ionam prædicasse miraculū, quo saluatus erat in pisce. Sic & ex assignatione termini quadraginta dierum videtur pœnitentiam prædicasse.

Nèc obstat dolor Ionæ supèr mutatione Domini à malitia ob pœnitentiam, quia si prædicasset eam, non videtur debuisse dolere, cùm ipsi remedium recepissent ab eodē; quia non erat dolor, ex eo quòd Deus pepercisset, sed ex eo quòd vana fuisset eius legatio, & irrita, quæ ad nihil seruisset, proùt ipse dicebat, dùm noluit recipere prima vice mandatum Domini, aliòquin Ionas in suo ministerio peccasset, quod non videtur dicendum: hìnc Deus volens monere ipsum Ionam operam non perdidisse, dicit, Non tibi magnum videtur, si misericordia motus peperci? si tuis verbis ipsi compuncti me ad misericordiam prouocarunt? Vel Ionas respiciebat quod erat principale, & quod futurum certò prædicebat, non incertū, quod erat pœnitentia Dei futura ex pœnitentia populi; ideò rogabat nè mitteretur cap. 4. Vel vt puto melius, confundebatur Ionas non ex pœnitentia Niniuitarum, sed quia ipse remanebat propheta falsus, hoc autèm obijciebatur & alijs Prophetis; hìnc manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi Isa. 28. per totum, Ezech. 12. per totū, & pluriès Deus protestabatur omnia esse euētura, hinc Dominus locutus est: Vndè Ezech. 20. in fin. dolens cùm Deo asserit eos dicere, numquid non per parabolam loquuntur isti? idem Iere. c. 17. Isa. c. 5. 19. *quia ascēdit malitia* peccata, quæ multiplicauerunt ad me clamantia: sic Gen. 11. & 18. *eius coràm me. Et surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini* regionem maritimam, quòcumque sors ferret, vitare Dominum volebat, nè secum loqueretur de eundo ad Niniuen, timens confusionem, si

quòd

quòd prædicaturus erat, non eueniret. *Et descendit in Ioppen*, portũ Iudææ indè soluturus, *et inuenit nauem euntem in Tharsis: & dedit naulum eius* pro se, *& descendit in eam, vt iret cùm eis in Tharsis à facie Domini. Dominus autèm* de quo Dauid, aùt quò à facie tua fugiam? *misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri* ob vim ventorum. *Et timuerunt nautæ, & clamauerunt viri* in naui stantes, *ad Deum suum*, idòla, *& miserunt vasa* vtensilia, *quæ erant in naui in mare, vt alleuiaretur ab eis*, fecerunt iactum, proùt Acto. 27 *& Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui*, tristitia, & timore absorptus, vt Discipuli in horto cùm Domino. *Et accessit ad eum gubernator*, omni remedio destitutus, *& dixit ei: Quid tu sopore deprimeris?* solus in tanto periculo, quod omnes vigilare facit. *Surge inuoca Deum tuum*, ad orationem eum promouet; Eccè quid operetur vexatio in nobis à Deo immissa. *si fortè* ad preces tuas respiciens immutetur, *& recogitet Deus de nobis, & non pereamus. Et dixit vir ad collegam suum* concordes: *Venite, & mittamus sortes*, hoc erat gentilium ex sortibus hæc indagare, seù diuinare; quod & seruatum in Ionatha mel gustante contrà iuramentum Saulis. 1. Reg. 14. *& sciamus quarè hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: & cecidit sors supèr Ionam*, ob quem eis esset hoc malum, sicùt supèr Achan, & Ionatham; Iona durum est tibi contrà stimulum calcitrare, proùt dictum Paulo. *Et dixerunt ad eum* volentes rem indagare: *Indica nobis cuius causa* à te oriente, qui deprehensus es à sorte, *malum istud sit nobis* tibi commune. *Quod est opus tuum? quæ terra tua? & quo vadis? vel ex quo populo es tu?* ex his putabant in rei cognitionem venire. *Et dixit ad eos. Hebræus ego sum*, An ab Heber, vel Abraham hæc denominatio? meliùs ab Abraham idèst transitore, seù transfluuiali, qui tùnc dictus Hebræus hoc descendere, eò magìs ob excellentiam viri, & quia Pater credentium. Non ab Heber, qui distat satis in genealogia, & cùm antè Abraham nullus Hebræus dictus, tùm quia Heber non fuit vir insignis, cuius nullum opus egregium narratur: tùm quia conuenit magìs transitori vocabulum illud, *& Dominum Deum cœli timeo* colo, *qui fecit mare, & aridam*, sub his omnia *Et timuerunt viri timore magno*, hæc & cur fugeret, vt infrà audientes, hæc enìm vnienda. *Et dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti?* à Deo tuo fugiens adeò potente. *(Cognouerunt enìm viri, quod à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis.) Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi* deprehenso per sortes tui causa malum hoc contingere, *& cessabit* vt cesset *mare à nobis? quia mare ibat, & intumescebat. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare.* Hinc charitas Prophetæ, nolentis alios proptèr se perire; perire autèm vult aliorum ministerio, non proprio. Vel ex quadam desperatione à peccati horrore oriente, quia peccator non potest se ipsum sustinere peccato morsus: sìc Petrus, exi à me Domine, quia homo peccator sum: hinc si posset dari, vt peccator in cœlum transferretur, peccato ipso deturbaretur, dicunt Patres. *Et cessabit mare à vobis: scio enìm, ego quoniàm proptèr me tempestas hæc grandis venit supèr vos*, nèc decet vos proptèr me pati. *Et* (nihilominùs volentes eum saluare) tentantes *remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam*, ad quam Ionam deponerent, *& non valebant: quia mare ibat, & intumescebat supèr eos. Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt*, volentes se coràm Deo, quem timebant, postquàm audierunt Ionam, seipsos præstare innocuos: *Quæsumus, Domine, nè pereamus in anima viri istius* proptèr vitam huius solius nos omnes, *& nè des supèr nos sanguinem innocentem*, si, proùt ipse dicit, mittamus eum in mare, quia de illis peccatis nihil nobis constat, nisi quod ipse profert, *quia tu Domine, sicùt voluisti, fecisti*, ex his enìm, quæ videmus, & nobis contingunt, credimus hanc tuam esse voluntatem. *Et tulerunt Ionam* volentem non contradicentem, *& miserunt in mare: & stetit mare à feruore suo* illicò, *& timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias*, quas in naui habebãt; nàm vasorum tantùm iacturam fecerant, *Domino, & vouerunt vota eidem pro liberatione* alibì persoluenda.

CAPVT

CAPVT II.

ET *præparauit*, sic Isaias,& Apostolus, quæ præparauit diligentibus se, benignus *Dominus piscem grãdem, vt deglutiret Ionam* ad saluandum eum,nè fluctibus necaretur. *Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus*, à quo deferebatur Niniuen versus, ad littora Niniue viciniora; ideò non permisit Deus, vt ad aridã per nautas deponeretur iuxtà Ioppen: hinc Ionas figura resurrectionis Christi. *Et orauit Ionas* proùt Pueri in camino ignis,& Daniel inclusus, *ad Dominũ Deum suum de ventre piscis* non ergò hìc de oratione anteriori. *Et dixit:*

Clamaui dùm tempestate agerer,dùm in mari immitterer *de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi* piscis, cuius ventrem similat inferno sepulchro obscuro, & vasto *clamaui* intrà cordis viscera,proùt Moyses, cui dictum, quid clamas? non clamanti vel vocalitèr, postquàm dicit,*& exaudiuit vocem meam*, sed melior primus intellectus.

Et proiecisti me in profundum in corde maris, in alto mari, ad quod cœtus magni descendunt, *& flumen circumdedit me: omnes gurgites tui,& fluctus tui supèr me transierunt*, vide Psal.68.

Et ego dixi in principio: *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum* tibi ob peccata mea exosus: *verumtamèn* ob tuam misericordiam, qua me saluare dignaris, *rursùs videbo templum sanctum tuum*,quo in terris mihi gratius videre non possum,ibiquè te laudabo,gratias agam: hæc eius fiducia.

Circumdederunt me aquæ vsquè ad animam quasi efflandam, *abyssus* aquarum *vallauit me, pelagus operuit caput meum*, submersus sum totus, aquæ suprà me inundauerunt.

Ad extrema montium rupium in mari existentium, *descendi: terræ vectes*, à quibus euadere non possum *concluserunt me in æternum*, nisi à te liberarer: vi enim humana ab illis nemo eruitur. Hæc omnia conueniunt etiàm existenti intrà piscem, quia & ille his premebatur, dùm piscis tangebatur ab illis: *& subleuabis de corruptione vitam meam*, & tu facies, nè corrumpar, non dabis sanctum tuũ videre corruptionẽ. *Domine Deus meus*.

Cùm angustiaretur in me anima mea virtus mea liquesceret,*Domini recordatus sum*, *vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum*,vt ibi me exaudias,vbi promisisti me exauditurum,vt per Salomonem.

Qui custodiunt vanitates frustrà idololatræ, *misericordiam tuam* qua tu illis subuenires,si ab illis recederent, & ad te recurrerent,*derelinquunt*,non hìc de illorum votis.

Ego autèm in voce laudis immolabo tibi, non vanitatibus, cùm primùm ad templum appulero,& sempèr in voce laudis: *quæcunquè voui* in tribulatione positus *reddam pro salute* mihi concessa *Domino*.

Et dixit iussit, sìc dixit illi, date manducare de filia Archisynagogi *Dominus pisci: & euomit Ionam in aridam* ad locum Niniue propinquiorem.

CAPVT III.

ET *factum est verbum Domini ad Ionam secundò,dicens: Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea prædicationẽ, quam ego loquor ad te*, hìc nùnc expressam, priùs non apparet, propterea supèr diebus, aùt mora non laborandum, vel locutus sum ad te, quam restrinxit ei iuxtà suam voluntatem; & quia dicitur *quem ego loquor ad te* suspicor Ionam intèr alia detrectasse ire in Niniuen proptèr terminum quadraginta dierum, timens ex hoc maius opprobrium, quàm si simplicitèr annuntiasset: nihil hìc de secutis exprobrat Deus,

Deus, sic nequè Christus Petro,& Thomæ. *Et surrexit Ionas* obediens nùnc pòst vexationem,& hiscere non audens, *& abijt in Niniuen iuxtà verbum Domini: & Niniue erat Ciuitas magna itinere trium dierum*, hoc dicit nedum ad populi magnitudinem ostendendam, sed quia tres dies præmittebantur ad quadraginta. *Et cœpit Ionas introire in Ciuitatem itinere diei vnius*, & intimare verbum Domini, & in principio adhùc non currebant dies præscripti, ideò dicit *cœpit*. *Et clamauit,& dixit: Adhùc quadraginta dies*, Si quadraginta dies,quomodò Septuaginta vertunt quadraginta tres? quia vt toti Ciuitati intimaretur hoc verbum, requirebantur tres dies, vt suprà; hi autèm requisiti ad publicationem,sunt vltrà quadraginta; nàm dies hi antè terminum currentes non computantur in termino assignato:ideò etsi essent quadragintatres,quadraginta tantùm dicebat Ionas, proùt habebat in mandatis. At Septuaginta volentes id declarare, addiderunt tres illos dies requisitos ad publicationem sententiæ Dei contrà Niniuen latæ, cognouerunt enìm illos tres dies non computandos in quadraginta, hìnc textus dicit *cœpit Ionas introire in Ciuitatem itinere vnius diei*, & hoc pro libris Septuaginta, qui habent quadraginta tres. Pro his verò,qui habent tres tantùm, dic illos agere de his tribus intimationi concessis, quibus trāsactis, terminus assignatus ad ruinam currere incipiat.*Et Niniue subuertetur*, sicquè prouocabat eos ad pœnitentiam. *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum*, quomodò crediderunt absquè prædicante? hinc ergò apparet nedùm prædicasse pœnitentiam, sed principalitèr fidem in Deum, cui sinè ea placere impossibile: magna mutatio, & commotio dexteræ Excelsi.*Et prædicauerunt*, quomodò id fecissent à Iona non instructi? *ieiunium,& vestiti sunt saccis à maiore vsquè ad minorem*. *Et peruenit verbum* hæc gesta *ad Regem Niniue: et surrexit de solio suo,et abiecit vestimentum suum à se, et indutus est sacco,et sedit in cinere. Et clamauit,et dixit in Niniue ex ore regis, et principum eius*, quibuscum communicauerat prudentèr, *dicens: Homines, et iumenta, et boues, et pecora non gustent quicquam: nèc pascantur, et aquam non bibant, et operiantur saccis homines,et iumenta*, sicùt hæc ad laudem Dei, sic ad eum placandum assumuntur, *et clament ad Dominum in fortitudine, et conuertatur vir à via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus* operibus *eorum*. Hæc omnia tendunt ad mœrorem,pœnitentiam,mœstitiam,vitæ mutationem: quomodò hæc absquè prædicatione vltrà verba *adhùc quadraginta dies*, &c. ? *Quis scit si conuertatur, et ignoscat Deus, et reuertatur à furore iræ suæ,et non peribimus?* sic & Ioel 2. 24. & sic facit Deus Ierem. 18. nemo enìm scit an odio, an amore sit dignus, quid oremus nescimus. Hæc verba à Iona prolata,& ab eis reassumpta,hinc prædicatio ad pœnitentiam clara: Nèc obstāt verba dubia,quia ignoramus,vt dixi, an iuxtà quod tenemur, pœniteamus, vel quæ sit Dei voluntas. *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala*, quod est desiderium Domini,non mortem peccatoris: *et misertus est Deus supèr malitiam* malum, pœnam, subuersionem *quam locutus fuerat* comminatiuè, *vt faceret eis* si non conuersi essent, *et non fecit* placatus eorum pœnitentia Ierem. 18. Ezech. 3.& 33.

Considera,quæso,ciuitatem magnam, in qua erant tot flagitia, idolòlatriæ, regem, cuius similes solent omnia ad pœnitentiam tendentia respuere, audita sola voce vnius ignoti viri contremuisse,talem pœnitentiam fecisse,immutatos esse, credidisse Deo vero; At Hebręos in Ierusalē non credidisse Christo ad eos misso, occidisse Prophetas ad eos missos, quod Christus,& Prophetæ, Stephanus,& alij eis exprobrauerūt. Sed Deus verbis Ionę spiritum infundebat,vt penetrarent corda Niniuitarum;nàm ego plantaui, Apollo rigauit,Deus autèm incrementum dedit: nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustrà vigilat,qui custodit eam, Dei est opus: mutatio dexteræ excelsi: horum exemplo vsus Dominus contrà Iudæos peruicaces.Matth. 12.& 16. Luc. 11.

CAPVT

CAPVT IV.

ET afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt, videns prophetiam ſuam irritam, cognoſcens ex pœnitentia populi Deũ placandũ, ipſumquè mendacem euaſurum iuxtà eius reputationem, *et orauit ad Dominum, & dixit: Obſecro Domine, numquid non hoc eſt verbum meum, cùm adhùc eſſem in terra mea?* quodnàm verbum, ſubdit, *proptèr hoc nè hùc offenderem præoccupaui, vt fugerem in Tharſis: ſcio enim, quia tu Deus clemens, & miſericors es, patiens, & multæ miſerationis, & ignoſcens ſupèr malitia*, hinc omni peccatori ſpes arripienda. *Et nùnc Domine tolle, quæſo, animam meam à me, quia melior eſt mihi mors, quàm vita*, volo viuere ſic contemptus; ſic Moyſes, Tobias, Elias; non ergò dolebat de Niniuitarum pœnitentia, ſed ſuæ prophetiæ falſitate iuxtà ſuam reputationem. *Et dixit Dominus: Putaſnè benè iraſceris tu?* quaſi neſcis quid dicas, non iraſcitur Deus in Ionam, quia non procedebant hæc ex malitia, ſed humanum quid patiebatur proptèr opprobrium, quod ſibi imminere putabat, & fortè hæc in primis motibus: ideò illum verbis, & facto ab hac opinione remouet. *Et egreſſus eſt Ionas de ciuitate* poſtquàm annunciauerat, & prædicauerat, *& ſedit contrà Orientem ciuitatis: & fecit ſibimet vmbraculum ibi, & ſedebat ſubtèr illud in vmbra, donèc videret quid accideret ciuitati*, hùc enim tendebat, nè falſus Propheta haberetur. *Et præparauit Dominus Deus hederam*, vt ex illa eum edoceret, *& aſcendit ſupèr caput Ionæ, vt eſſet vmbra ſupèr caput eius, & protegeret eum*, laborauerat enim ob æſtum: *& lætatus eſt Ionas ſupèr hedera lætitia magna*, miſcet Deus ſuis læta triſtibus. *Et parauit Deus vermen aſcenſu diluculi in craſtinum: & percuſſit hederam, & exaruit. Et cùm ortus fuiſſet ſol, præcepit Dominus vento calido, vrenti: & percuſſit ſol ſupèr caput Ionæ, & æſtuabat: & petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori, quàm viuere. Et dixit Dominus ad Ionam: Putaſnè benè iraſceris tu ſupèr hedera? Et dixit: Benè iraſcor ego vſquè ad mortem* morti proximus ob æſtum, quo affligor. *Et dixit Dominus: Tu doles ſupèr hederam, in qua non laboraſti, nequè feciſti, vt creſceret, quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte perijt*, ſic de fœno agri, quod colligitur, & cràs in clibanum mittitur. *Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ* numeroſæ *in qua ſunt pluſquàm centum viginti millia hominum; qui neſciunt quid ſit intèr dexteram, & ſiniſtram ſuam*, ſunt innocentes, paruuli *& iumenta multa?* quorum & cura mihi eſt. Ego ille, qui ob decem indulgentiam largiturus eram Sodomitis, ego, qui vno ſolo viro bono contentus ſum ad veniam impartiendam.

Ex his non colligitur Ionam non prædicaſſe pœnitentiam, nequè inuidiſſe horum pœnitentiæ, ſed vel doluiſſe ſe miſſum in vanum, iter gratìs arripuiſſe; vel hæc dixiſſe in primis motibus non peccans; vel cùm Deo familiaritèr loquens. Vel dolens de exitu rei quòad ſe reſpicientia, non Niniuitas, & ſic opprobrium ex falſitate præſumpta oriens; exiſtimandum enim ex præcedenti vexatione didiciſſe; omnes quoquè Prophetas dicimus ſanctos, & ſi hæc ſiniſtrè interprætaremur, non appareret de illius ſanctitate, vel iuſtitia. Vltrà quòd peccati argueretur à Deo, ſi peccaſſet, immò Deus ſecum clementiſſimè egit.

FINIS PROPHETIAE IONAE.

CAPVT

IN
MICHAEAM.
CAPVT PRIMVM.

VERBVM *Domini, quod factũ est ad Michaeam Morasthiten* de quo ere. 26. *in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda: quòd vidit supèr Samariam, & Ierusalem. Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo eius*, omnes existentes in terra promissionis: sic Moyses inuocat cœlum, & terram: *et sit Dominus Deus vobis in testem* contrà vos pro me dicturo quæcunque iussit mihi, *Dominus de templo sancto suo* è cœlo. *Quia eccè Dominus egredietur de loco suo* puniturus, exererquè potentiam suam, *& descendet* quasi propiùs visurus, ad nostram intelligentiam: sic Genes. 11. & 18. *& calcabit supèr excelsa terræ*, supèr potentes superbos. *Et consummentur montes subtùs eum* principes; *Et valles* populi *scindentur sicùt cera à facie ignis* liquefacta, *& sicùt aquæ decurrũt in præceps*, quarum nullæ reliquiæ. *In scelere Iacob omne istud, & in peccatis domus Israel* totius populi Hebræi, à peccatis enim mala hæc emanãt. *Quod scelus Iacob? nonnè Samaria?* in qua idola adorantur, *& quæ excelsa Iudæ? nonnè Ierusalem?* vbi similitèr idòlis immolatur, & sic mala exempla vndequàque emanant. *Et ponam Samariam* destructam, & euersam, hæc prima *quasi aceruum lapidum in agro, cùm plantatur vinea*, ità vt non sint apparitura ædificia: *& detraham in vallem lapides eius*, ex quibus constructa est, *& fundamenta eius reuelabo* apparere faciam, à fundamentis diruam. *Et omnia sculptilia eius concidentur* ab inimicis Assyrijs. *Et* (vide Albam cent. c. 62.) *omnes mercedes eius* lucra, opes quæsitæ occasione idòlorum, & illa adorantium *comburentur igne, & omnia idòla eius ponam in perditionem* penitùs destruam: *Quia de mercedibus meretricis* prostituentis se ad idòla, & me derelinquentis, *congregata sunt, & vsquè ad mercedem meretricis* populi Assyriorum similitèr idòlòlatræ, *reuertentur* nihil apud eos remanebit. *Supèr hoc plangam, & vlulabo* vestri misertus, & certus vobis hæc mala euentura: *vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum velùt draconum, & luctum quasi struthionum*, hæc ad planctum magnum, dolorem, & calamitatem populi totius insinuandam. *Quia desperata est plaga eius*, non est curatio, exercitus Assyriorum populabundus instat, *quia venit vsquè ad Iudam* demoliens eum, *tetigit portam populi mei vsquè ad Ierusalem*, in quam tamen non ingressus precibus Ezechiæ, antè destructa Samaria. *In Geth nolite annunciare*, sic & Dauid pòst mortem Saul, & Ionathæ, *lacrymis nè ploretis*, nè audiatur clamor vester, innotescat calamitas vestra, *in domo pulueris* ex ruinis vestris surrecturi *puluere vos conspergite* proùt mœrentes solent. *Et transite*, in captiuitatem

tatem ite, *vobis habitatio pulchra* Samaria, *confusa ignominia* quam passura es: *non est egressa* ad auxilium tuum, sibi timens Iuda, *quæ habitat in exitu: planctum domus vicina* duarum tribuum, *accipiet ex vobis* euersis, & in captiuitatem ductis, *quæ stetit sibimet* sibi consulens *quia confirmata est in bonum*, declinauit ad malum, non perstitit in bono, declarat magis, *quæ habitat in amaritudinibus* peccatis, quibus ad iram prouocat Deum: *quia descendit malum à Domino*, cui resisti non potest *in portam Ierusalem* in duas Tribus. *Tumultus quadrigæ stuporis*, & terroris Sennacherib *habitanti Lachis*, quæ est Ciuitas duarum tribuum *principium peccati* pœnæ peccatorum; vel peccati, quia prima ad idololatriam *est filiæ Sion* duarum Tribuum, *quia in te inuenta sunt scelera Israel* decem Tribuum, idololatriæ, & prout illæ, sic tu euerteris, & in captiuitatem duceris. *Propterea dabit emissarios* milites expeditos ex captiuis ab Assyrijs factis, *super hæreditatem Geth*, quæ est Palesthinorum ad illam destruendam, seu in hæreditatem quasi propriam acquirendam; quæ Geth est *domus mendacij in deceptionem regibus Israel*, qui decepti sũt ab illis, tracti ad adorationem idolorum. *Adhuc hæredem* Dominum te captiuantem *adducam tibi, quæ habitat in Maresa: vsque ad Odollam veniet gloria Israel* ironicè, qui sibi ignominiam comparauit idolis sacrificando. *Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum* ex dolore contrahẽdo ob calamitatem eorum, *dilata caluitium tuum sicut aquila* ad maiorem cladem arguẽdam, *quoniam captiui ducti sunt ex te* filij tui deliciarum.

CAPVT II.

VAE *qui cogitatis inutile* peccatum, quod nihil vobis proderit, *& operamini malũ in cubilibus vestris*, cogitãtes quæ facturi estis improbè, *in luce matutina faciunt illud* quasi primum opus, quod eis cordi est, *quoniam contrà Deum est manus eorum* opus eorum, ideò væ illis, *& concupierunt agros, & violentèr tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum eius, virum, & hæreditatem eius*, omnia mala cõtrà proximum. De similibus, & auaritia vidimus suprà in alijs Prophetis, & est exemplum iusti Naboth. *Idcircò hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam* populum, *malum* pœnam, cædes, captiuitates, *vndè non auferetis colla vestra*, adeò erit graue, *& non ambulabitis superbi* collo extento, *quoniam tempus pessimum est* pro vobis. *In die illa sumetur super vos parabola* prouerbialis, *& cantabitur canticum cùm suauitate dicentium* in vestrum opprobrium. *Depopulatione vastati sumus*, sumus reducti ad extrema mala: *pars populi mei commutata est* ex primis captiuitatibus: *quomodò recedet à me* Assyrius, vel malum, *cùm reuertatur, qui regiones nostras diuidat?* alijs, vel sibi in hæreditatem, & fiat noua captiuitas; & sic totus peribit populus, & sic euenit. *Propter hoc non erit tibi* vltrà *mittens funiculum sortis* ad agros tibi diuidendos *in cœtu Domini* in Terra promissionis. *Ne loquamini* dicit Deus, vel Propheta *loquentes* ne effundatis hæc verba. *Non stillabit* veniet, tanget *super istos, non comprehendet confusio* prædicta à Prophetis sic falsò præsumẽtes vos euasuros, id & apud alios Prophetas. *Dicit domus Iacob: Numquid abbreuiatus est* defecit *spiritus* misericordiæ, vel promissiones, vel beneficia, aut potentia ad eadem, & maiora cõferenda *Domini: aut tales sunt cogitationes eius?* vt velit nos perdere: respondet Dominus. *Nonne verba mea bona sunt cùm eo, qui rectè graditur?* quasi, cur sicut benefacio rectè gradienti, non existimatis malè gradienti mala euentura? *Et è contrariò populus meus in aduersarium consurrexit*, vt suprà, *& concupierunt*, &c. *desuper tunica pallium sustulistis* pauperibus, *& eos, qui transibant simplicitèr* sinè dolo *conuertistis in bellum* eos deprædantes more belli. *Mulieres populi mei eiecistis de domo deliciarum suarum* in quibus lætabantur:

tur: *à paruulis earum tulistis laudem meam in perpetuum*, quam mihi dedissent, si hæreditate parentum non essent fraudati. Non hic de idololatria, ad quam paruulos deduxissent, quia de hac nullibi in hoc capite. *Surgite, & ite* in captiuitatem, *quia non habetis hic requiem*, hic non requiescitis: *propter malitiam eius* qua vos eam infecistis male operantes, *corrumpetur putredine pessima*, pessumdabitur ab Assyrijs. *Vtinàm non essem vir habens spiritum* verum, *& mendacium loquerer* ad vtilitatem vestram, nè quæ dico vobis, euenirent. Loquitur more aliorum hominum, nolentium quicquam mali imprecari, vel contingere; sic Iere. 28. vide hic contrarium Ionæ, de quo suprà: sic Paulus optabat pro suis anathema fieri: & Moyses deleri de libro. Hic Propheta non dicit se velle esse mendacem, sed demonstrat non posse esse, quia hæc à Deo. *Stillabo* prophetabo *tibi in vinum, & in ebrietatem* supplicia grauia, quibus inebriari poteris de calice iræ indignationis Domini: *& erit super quem stillatur* prophetatur *populus iste* malus, nam *Congregatione congregabo Iacob totum te* ad perdendum Ioel. 3. *in vnum conducam reliquias Israel* à cæde superstites, *pariter ponam illum quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum* ad necem destinatum, *tumultuabuntur à multitudine hominum* captiuorum. *Ascendet enim pandens iter antè eos* Assyrios Deus, prout antè Cyrum, Isa. 45. *diuident* Assyrij victores, & possidebunt, *& transibunt portam* munitiones aduersantes eis, *& ingredientur per eam* in Terram promissionis, *& transibit rex eorum coràm eis* Dominus, & triumphans, *& Dominus in capite eorum* ductor, & protector, vt & in Cyro similitèr factum. Isa. 45.

CAPVT III.

ET *dixit: Audite principes Iacob, & duces domus Israel*, hæc ad duodecim Tribus, prout suprà cap. 1. 5. *Numquid non vestrum est scire iudicium*, quod decet, iustum est *qui odio habetis bonum, & diligitis malum*, quod est corruptio totius: *qui violentèr tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum* pauperum quos iudicatis. *Qui comederunt carnem populi mei* priuantes eos rebus omnibus, *& pellem eorum desuper excoriauerunt: & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio Ollæ*, omnia pauperum deuorantes, vide Ierem. 26. *Tunc* hi excoriantes, *clamabunt ad Dominũ, & non exaudiet eos: & abscondet faciẽ suam ab eis in tempore illo*, cùm fiet in eos vltio, *sicut nequitèr egerunt in adinuentionibus suis* vijs eorum malis. *Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordent dentibus suis* oblata à populo, nil aliud attẽdunt, *& prædicant pacem* futuram, non desolationem, nõ captiuitatem, vel alia, & iuxtà desiderium populi dicentis, annunciate nobis placentia: & Dauid, molliti sunt sermones eius super oleum, &c. *& si quis non dederit in ore eorum quippiam*, si vacuus comparuerit. *sanctificant* quasi certum prædicant, vt 3. Reg. 21 prædicate ieiunium, *super eum prælium* omnia tristia, quæ solent in prælio haberi. *Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione*, cœcitas, obscuritas vobis dabitur, omnia tristitia, & mœrore plena: *& occumbet sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies*, vt solet mœrentibus apparere. *Et confundentur qui vident visiones, & confundentur diuini* videntes cõtraria euenire eorum dictis, vel nõ euenire prædicta ab eis, vndè falsi apparebũt: *& operient omnes vultus suos* prout solent confusi, & pudore affecti, *quia non est responsum Dei* in eis, sed deceptio 3. Reg. vlt. *Verumtamèn ego* Michæas *repletus sum fortitudine* vi, potẽtia *spiritus Domini, iudicio* cognitione, *& virtute* efficacia, *vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatũ suum*, sic Isaię: clama, nè cesses, & annũcia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorũ. & Ier. 6. furore Domini plenus sum: obserua, vt dixi, ad duodecim Tribus loqui Prophetã.

Audite hoc principes domus Iacob, & iudices domus Israel, hinc etiàm quod ad duodecim Tribus loquatur, *qui abominamini* abhorretis, vel repellitis *iudiciũ* iustum, *& omnia recta peruertitis* susdequè, *qui ædificatis Sion in sanguinibus* pauperum, quos emulgitis, *& Ierusalem in iniquitate* iudiciorũ pecunijs ex eis inique gestis, & ex præcedentibus, maximè cap. 2. Hæc non ad ædificia publica, sed priuata trahenda, pro republica enim nõ sic rapuissent. *Principes eius in muneribus* proptèr munera *iudicabãt* ideò corrupti, *& sacerdotes eius in mercede* quæ non debebatur *docebant, & prophetæ eius* falsi *in pecunia* aliàs non diuinaturi *diuinabant: & supèr Dominum requiescebant, dicẽtes: Nunquid non Dominus in medio nostrum?* quasi quid ergo nobis timendum? nonne hìc templum eius? nequè credebant Ieremiæ dicenti, nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, templum Domini, templum Domini est. Ierem. 7. *non venient supèr nos mala,* ipse enim Deus nullo modo hoc passurus est. *Proptèr hoc, causa vestri* populum sìc decipientium *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruum lapidum erit, & mons templi in excelsa siluarum,* maximè excrescet.

De hoc Iere. 26. vbì sub Ezechia hæc dicta; sìc Christus, non relinquetur lapis supèr lapidem; erit ruina, & destructio maxima; hìc autèm de Babylonica, nõ Romana. & quamuis dicant Seniores. Ierem. 26. hæc non contigisse, intelligunt de eorum tempore, sed dilatum flagellum ob Ezechiam, & Dauid, vt 4. Reg. non sublatum; & præsumitur dictum de prima Babylonica, non secunda Romana, verba enim ad propinquiora potiùs, quã ad remotiora referuntur.

CAPVT IV.

ET *erit* nè putarent pòst ruinam Sion, & Ierusalem, de qua dixit suprà, fidelium congregationem defuturam, dicit *in nouissimo dierum* tẽpore Messiæ, de quo & Isai. 2. *erit mons domus Domini* Ecclesia Catholica (Synagoga prostrata) *præparatus* stabilitus ab æterno successurus Synagogæ *in vertice montium, & sublimis supèr colles* Synagogam superans: *& fluent ad eum populi* omnium nationum. Isai. 2. *Et properabunt gentes multæ* ex omnibus, *& dicent* se inuicèm inuitantes, & commouentes, prouìt Thomas, eamus & nos, & moriamur cùm illo, & hi, qui Messiam inuenerant. Io. 1. *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob* ad Ecclesiam Catholicam, ad Deum, quem sancti Patres coluerunt: *et docebit nos de vijs suis* rectis, *et ibimus in semitis eius* quas apprehendemus; hinc illud: erunt docibiles Dei, *quia de Sion egredietur lex* Euangelica per Messiam, quam audiuit à patre. Io. 1. *et verbum Domini de Ierusalem,* vbì cœpta prędicatio, attẽdit enim principium. *Et iudicabit* instituet, reget, diriget *intèr populos multos* qui illi subdentur, *et corripiet* arguet in potestate, & imperio *gentes fortes vsquè in longinquum* vsquè ad extremos fines terræ, ostendens quàm præualeat lex Euangelica quibusuis alijs, *et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones: non sumet gens aduersùs gentem gladium, et non discent vltrà belligerare. Et sedebit vir subtùs vitem suam, et subtùs ficum suam, et nõ erit qui deterreat* hæc ad pacem, quæ in lege Euangelica prędicitur; hæc enìm omnes ad pacem admonet, inclinat, trahit, & illam sequentes pacifici esse debent. *Quia os Domini exercituum locutum est,* ideò fiet, dixit, & facta sunt. *Quia omnes populi ambulabunt, vnusquisque in nomine Dei sui* infirmi & impotentes, tale enim idòlum, ideò securitate hac non gaudebunt. *Nos autèm ambulabimus in nomine Dei nostri* omnipotentis tuti, & securi *in æternum, et vltrà* ad longissima tempora. *In die illa* temporibus iàm dictis *dicit Dominus, congregabo claudicantem* plebem Israel miseram: *et eam, quam eieceram* intèr varias gentes captiuam *colligam* simùl, sìc & suprà cap. 1. *et quam afflixeram: Et ponam claudicantem in reliquias* assumam aliquos ex populo illo, non omnes: *et eam, quæ laborauerat* in multis afflictio-

ctionibus, & calamitatibus *in gentem robustam* Apostolorum,& electorum in principio nascentis Ecclesiæ, vt in Actibus Apostolorum *& regnabit Dominus supèr eos in monte Sion* Ecclesia Catholica, *ex hoc nùnc, & vsquè in æternum* sempèr. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion* nùnc obscura, & infirma ob calamitates præcedentes,*vsquè ad te veniet, & veniet potestas prima* Messias, *regnū filiæ Ierusalē* integrū in domo Iacob.Luc. 2. *Nùnc quarè mærore contraheris?* quia captiuanda, postquàm meliora tibi posteà futura prædixi ex Messia. *Numquid Rex non est tibi, aùt consiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor sicùt parturientem?* quo nullus dolor maior,quasi ob id non debes,quia magnus tibi futurus est Rex, & consiliarius Messias pòst captiuitatem; At *Dole & Satage filia Sion quasi parturiens: quia nùnc egredieris de ciuitate* captiua ducta *& habitabis in regione* lōginqua, *& venies vsquè ad Babylonem*, vbi per septuaginta annos captiua moraberis, & tandèm *ibi liberaberis* à Deo per Cyrum: *ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum* Chaldæorum. *Et nùnc congregatæ sunt supèr te gentes multæ* ad tui perniciem, & ad te captiuandam; docet instare cladem,& propterea intellige de Chaldæis, & alijs eis iunctis. Non hic de Sennacherib; nàm præsupponitur clades,& captiuitas quæ tùnc non fuit,*quæ dicunt: Lapidetur* Sion,*& aspiciat in Sion oculus noster* dominans. At *ipsi autèm non cognouerunt cogitationes Domini: & non intellexerunt consilium eius*, sed desiderio suo feruntur, *quia congregauit eos quasi fœnum areæ* ad trituram tuam, ideò. *Surge, & tritura filia Sion, quia cornu tuum* robur *ponam ferreum, & vngulas tuas ponam ferreas*, vt celeriùs, & melius tritures, & conteras illos tibi aduersantes, *& interficies Domino rapinas eorum* in sacrificium, *& fortitudinem eorum* opes, omnia pretiosa,omnem prædā *Domino vniuersæ terræ*,cui omnia debentur.

CAPVT V.

NVNC,hoc tempore,citò,sequitur idē thema Propheta, tristia priùs, & deindè læta subdens;ideò non potest intelligi de Babylone. vel alijs populis, *vastaberis filia latronis* latrocinijs dedita: de his suprà egit, & vastationem intellige per Chaldæos ex his, quæ subdit de Messia venturo, qui antè cladem Romanam venerat, *obsidionem posuerunt supèr nos* Chaldæi; nullo modo hìc de captiuitate Romana, nequè de Sennacherib,qui non obsedit Ierusalem.Isa. 37. 33. *in virga percutient maxillam iudicis Israel*, Regis Sedeciæ, in quem Nabuchodonosor iudicia exercuit,& eruit oculos in Reblatha; sed veniet tempus, quo tu floreas ex Messia venturo in Bethlehem nascituro.Matth.2.ideò dicit. *ET TV BETHLEHEM Ephrata*, seù in terra Iuda, vt subdit, & dicitur Matth. 2. ad differentiam alterius, quæ erat in terra Zabulon. Isa. 19. sic dicitur Ephrata.Genes. 35.& 48. *paruulus es* minima es quidèm *in millibus* locis multis, principibus *Iuda*; at magna eris, & sic concordat cùm Matth. cap. 2. quia *ex te mihi* (loquitur Deus pater more humano) *egredietur qui sit dominator in Israel*, dux, rex spiritualiter, vt Luc. 2. & vide Albam cent. c. 63. *egressus eius* ad Incarnationem; de eisdem enim agit, quasi egressus eius, de quibus dixi, *ab initio, à diebus æternitatis* ab æterno enìm prædestinatus filius Dei. Rom. 1. & Agnus occisus ab origine mundi: Vel *egressus eius*,generatio eius à me ab æterno, quæ tùnc in tempore erit per carnem, quod redditur clarum, quia non contentus dixisse *ab initio*, addit *à diebus æternitatis*. *Proptèr hoc*, redit ad tristia, *dabit eos vsquè ad tempus* Deo beneplacitum in captiuitatem Babylonicam,quod fuit annorū septuaginta; verbum enim *dabit* importat malum. Matth.20.28. Marc. 10.45. Io.3.16. & 10. 11.Gal.1.4. Tit.2.14. & conuenit cap.4. & principio huius *vastaberis*, &c. *in quo tempore parturiens* in doloribus captiuitatis tādèm *pariet* à captiuitate liberata, & gaudebit, *& reliquiæ fratrum eius* captiuorum

conuertentur ad filios Israel, qui remanserãt, redibunt ad Terram promissionis. Vel *vsquè ad tempus, in quo parturiẽs pariet* appropinquabit tempus partus Messiæ ex Maria Virgine, quia ob id cõseruata radix Iuda, ex qua ipse oriũdus. Et nihil refert, si intercessit multum temporis, ex dictis Gen. 49. vbì vide. At hæc verba ad gentilitatem parientem referri non possunt, tùnc enim non dixisset *parturiens pariet*, sed sterilis pariet. Isa. 54. Gal. 4. sìc de parturiente. Isa. 66. 7. antequàm parturiret peperit, &c. Et dicẽdo *parturiens pariet* non præsupponit eam sterilem, sed fœcundam. *Et reliquiæ* ex tanta multitudine pauci *fratrum eius* ex genere *conuertentur ad filios Israel* ad Patres antiquos fideles; Hi Apostoli, & alij primitiæ credentium prædestinati. Acto. 13. 48. sìc & Malach. 4. 6. Luc. 1. 17. *Et stabit* Dominus ad protectionem, *& pascet* reget *in fortitudine Domini in sublimitate nominis Domini Dei sui*, proùt suam decet maiestatem, cui nemo resistere potest, sic enìm successit pòst captiuitatem Babylonicam *& cõuertentur* à statu infimo ad optimum liberi, *quia nùnc* de illo tempore Deus eos liberans a captiuitate Babylonica, *magnificabitur vsquè ad terminos terræ*, apud omnes populos considerantes mirabilẽ euasionem populi sui; *Et erit iste* Deus *pax* omne bonum illis, cùm ad terram suam peruenerint, exemplificat, *cùm venerit Assyrius*, dicit de Assyrio, quia is malè tractauit Israelitas; At sub eo omnes populo aduersantes, *in terram nostram*, ad nos euertendos, & diripiendos, *& quandò calcauerit in domibus nostris*, quas subuertere nitetur, *&* vacat, vel tùnc in nomine Domini nostri freti *suscitabimus supèr eam septem* multos; (verbum enim *septem* pro multitudine capitur) *pastores* reges, principes ad illius destructionem; *& octo* multos primates *homines* principes (est repetitio) at inculcans, nàm *septem & octo* simùl maiorem denotant multitudinem; sicùt in illo; da illis partes septem, & octo. *Et pascent* vsquè ad consumptionem eorum: verbum enim *pascent* in malam partem ex subiecta materia capitur; & quia subdit *terram Assur in gladio* Assyrios, sub quibus omnes aduersantes, *et terram Nemrod* Babylonem *in lanceis ejus*, hæc sub Machabæis: *& liberabit ab Assur, cùm venerit in terram nostrã, et cùm calcauerit in finibus nostris*, quod fuit tempore Iudith, de quã & supra in alio Propheta dictum, & sìc etiàm præcedentia possent intelligi. Vel hìc tantùm, quia repetit eadem verba.

Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum quasi ros à Domino, & quasi stillæ supèr herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum, qui eam irrigent, sic pòst reditum à captiuitate, & tempore Esther. *Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum*, tutæ & dominantes, *quasi Leo in iumentis syluarum, & quasi catulus Leonis in gregibus pecorum, qui cùm transierit, & conculcauerit, & cæperit, non est qui eruat*, sìc & Gen. 49. in Iuda, & alibì sæpè hæc phrasis. *Exaltabitur manus tua supèr hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt*, qui tibi insidiati sunt, quod & milliès in Scriptura, & maximè in Prophetis habetur. Hæc pòst captiuitatem Babylonicam: vel qui tibi nocere voluerint, vt in Iudith, Esther, Machabæis. *Et erit in die illa* libertatis, & pacis; redit ad vastationem, de qua præmiserat, & in principio capitis dixerat, & explicat quid facturus ad eius destructionem, & exinanitionem vsquẽ ad vers. *& faciam, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas* in quibus cõfidebas. *Et perdam ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas, & auferam maleficia de manu tua*, quibus me ad iram prouocabas. *& diuinationes non erunt in te*, quibus credebas. *Et perire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui. Et non adorabis vltrà opera manuum tuarum*, quæ omnia impulerunt me ad tui destructionem. *Et euellam lucos tuos de medio tui*, in quibus idòlis sacrificabas, *& conteram ciuitates tuas*, in quibus adorabas idola, & pòst reditum à captiuitate idolòlatria exulauit: & hæc vidẽtur aptiora, quàm referre ea ad tempus libertatis, & pacis, cùm ad exinanitionem tendant. *Et faciam* deindè *in furore, & indignatione vltionem* pro te, vt dixi supra, *cùm venerit* Assyrius, &c. *in omnibus gentibus, quæ non audierunt* mihi non obediuerunt, vel non se conuerterunt.

CAPVT

CAPVT VI.

AVDITE *quæ Dominus loquitur* non ego, nè existimetis me ex capite meo loqui, hæc ad Iuda, & Ierusalem: *Surge* Propheta, *contēde iudicio aduersùm mōtes, & audiant colles vocem tuam* primates, & principes. Non aptatur inuocari in testes, vel iudices montes, & colles, proùt solemus de re clara dicturi, quia tùnc vocātur ad auditum; Audite cœli quæ loquor, non contrà eos fiunt verba; & licèt subdat, *audiant montes*, &c. intelligit de præcedentibus, non diuersis, *audiant montes iudicium* iustum *Domini, & fortia fundamenta terræ*, audiant scilicèt principales alios sustentantes: *quia iudicium Domini cùm populo suo*, quem punire vult, *& cùm Israel dijudicabitur* ad iudicium veniet, ostendens cùr puniat, & sìc prouocat eos ad dicendam contrà se sententiam; vel illum arguēdum, si sinè ratione puniat, vult enim vincere Deus, cùm iudicatur. Psalm. 50. sic Isai. 53. Hæc nùnc subdit, postquàm superiori capite dixit pœnas imminentes populo ab eo infligendas, ideò intellectus ad capite superiùs datus ex his confirmatur. *Popule meus quid feci tibi, aùt quid molestus fui tibi?* vt me derelinqueres, & idòlis hæreres, & cùm illis fornicareris *responde mihi* nùnc in iudicio hoc. *Quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruientium liberaui te: & misi antè faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam?* quasi, fortè quia te affeci hoc magno beneficio, id patrare debuisti? De Maria, quia sicùt Moyses, & Aaron viris, illa fœminis præerat.

Popule meus memento, quæso, quid cogitauerit Balach Rex Moab contrà te. Num. 22.23. & 24. *& quid responderit ei Balaam filius Beor de Setim* vbì morabatur populus. Num. 25.1. Iosu. 2.1. *vsquè ad Galgalam*, quæ erat trans Iordanem, quam dat pro fine, aùt termino, quæ videbatur in monte Phogor, vbi erat Balaam. Num. 24. 28. Deut. 34.1. Ios. 2. quò (transito Iordane) peruenturus erat populus: Cogitauerat nempè Rex Balach, nè ingredereris Terram promissionis, cuius principium Galgala; & respōdebat Balaam non posse maledicere populo me prohibente, etsi pluriès tentauerit. Non aptatur hic agi de consilio dato à Balaam, vt fornicaretur populus, quia nō illud beneficium Dei, de quo agitur, sed peccatum populi, quod Deus puniuit enormitèr, nequè illius hic vlla mentio, id autèm factum. Meminit eiusdem beneficij Deus per Iosue. Ios. 24. *vt cognosceres iustitias Domini*, misericordias, bonitatem, iudicia vera, fidelitatem meam. *Quid dignum offeram Domino?* Propheta inducit populum conuersum sic petentem iàm conuinctum ex beneficijs commemoratis, *curuabo genu Deo excelso?* eritnè id sufficiens? *Numquid offeram ei holocautomata, & vitulos anniculos?* qui solent esse grati. *Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aùt in multis millibus hircorum pinguium?* Respōdet Propheta petitioni negatiuè, non enim prædictis placatur Deus, sed corde contrito. Psal. 59. 49. Isa. 1. *numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo*, proùt Rex Moab. 4. Reg. 3. in fin. *fructum ventris mei pro peccato animæ meæ*, quasi nihil habeo mihi carius, & illud pro Deo spernam. Cogitat de primogenitis Aegyptiorum, & quid pro illis saluis Deus voluerit à suis, vel de Abraham Isaac immolaturo. *Indicabo tibi ò homo quid sit bonum*, cui hæreas, quod sequaris; sunt verba Prophetæ respondentis, *& quid Dominus* creator tuus *requirat à te*, quia cuique dat officium suum; sic Adæ posito in Paradiso, vt operaretur, & custodiret illum; *Vtiquè facere iudicium* iusta, iustitiam ergà proximum, suum cuique reddere, *& diligere misericordiam* ergà eundē, ità vt hilariter tribuas. 2. Cor. 9. *& solicitum* timentem, & humilem, & diligētia omni *ambulare* esse, placere, ità vt hoc omnibus rebus præferas, *cùm Deo tuo* idòlis abiectis, & Eccl. 12.13. Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo; Et Christus: si vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Vox Domini ad ciuitatem cla-*

mat, vrgens ad conuerſionem à vitijs, *& ſalus erit timentibus nomen tuum* ò Domine, eccè timor in ſolicitudine. *Audite tribus* Iſraeliticæ quod dico, & clamo, *& quis approbabit illud?* quod prædico, & vellem, quaſi nullus, quia video vos nimium immerſos in peccatis. *Adhùc* pòſt tot monita *ignis* ardēs, & permanens, *in domo impij theſauri iniquitatis*, quod abſconditum retinet *& menſura minor*, qua decipiat proximũ *iræ plena* prouocās Deum ad iram, theſaurizans ſibi irã. *Numquid iuſtificabo* iuſtam pronuntiabo, & placere mihi oſtendam *ſtateram impiam, & ſaccelli pondera doloſa?* ad decipiendum detentæ *in quibus diuites eius* ciuitatis contrà pauperes *repleti ſunt iniquitate* iniquis operibus, *et habitantes in ea* ciuitate *loquebantur mendacium* doloſum, proùt magis explicans dicit, *& lingua eorum fraudulenta in ore eorum.*

Et ego ergò cœpi peruertere te perditione ſupèr peccatis tuis infert ex prædictis, & iuſtificat geſta contrà eos, & proſequitur flagella, nàm *tu comedes, & non ſaturaberis* bonis ab hoſtibus ſpoliatus: *& humiliatio tua* abiectio, afflictio tua *in medio tui* à te prouenit, à te ortum habet; Vel tua exinanitio præſtò eſt. *Et apprehendes* aliquem ex tuis, tentabis eum eximere, *& non ſaluabis* eum, *& quos ſaluaueris* in humiliatione illa, obſidione *in gladium dabo* perire faciam gladio. *Tu ſeminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo: & muſtum, & non bibes vinum*, & sìc fame premeris. 4. Reg. 25. *Et cuſtodiſti præcepta Amri, & omne opus domus Achab*, idololatriam ſecuta es, proùt illi. 3. Reg. 16. 25. & 30. vbì hos feciſſe malum ſupèr omnes, qui fuerunt antè eos: *& ambulaſti in voluntatibus eorum*, in idololatria amplexanda, *vt darem te in perditionem* ruinam, *& habitantes in ea in ſibilum* hominum irriſionem: *& opprobrium* confuſionem *populi mei portabitis* cuiuſuis fueritis dignitatis, vt iuxtà opera veſtra recipiatis.

CAPVT VII.

VAE *mihi, quia factus ſum ſicùt qui colligit in autũno racemos Vindemiæ* quos diligētèr quæritat, & ſperat aliquos inuenire relictos à vindemiatoribus, at *non eſt botrus ad comedendum*, at nullum inuenio, *præcoquas ficus* antè alias matureſcētes *deſiderauit anima mea*, ſubde, nèc inueni; ſub his aliquos pios, qui poſſent ſe opponere pro muro Iſrael, nàm *Perijt ſanctus de terra* infert ex præmiſſis, *& rectus in hominibus non eſt*, sìc nõ eſt qui faciat bonum, non eſt vſquè ad vnum, sìc & Iere. 5. & Dauid: defecit ſanctus, *omnes in ſanguine inſidiantur*, contrà proximum inſurgũt, *vir fratrem ſuum ad mortem venatur*, magìs explicat, & declarat verbo, *venatur* exquiſitam diligentiam. *Malum manuum ſuarum dicunt bonum*, quod eſt peruerſæ mentis, & decipientis, *princeps* iniquè poſtulat, *& iudex in reddendo eſt* promptus: *& magnus locutus eſt deſiderium animæ ſuæ* inhiãtis ad bona ſubditi, ideò iudex timet ei non obedire; *& cõturbauerunt* hi omnes *eam* terram. *Qui optimus in eis eſt quaſi paliurus* offendens: *& qui rectus, quaſi ſpina de ſepe* pungens. *Dies ſpeculationis tuæ* tibi prædictæ à Prophetis, qui appellantur ſpeculatores, *viſitatio tua* ad flagellum *venit* inſtat: *nùnc erit vaſtitas eorum* conturbantium terram, & aliorum ò Ieruſalem. *Nolite credere amico* tùnc in illa tribulatione, quia quiſque ſibi proſpiciet, & alios decipiet: *& nolite confidere in duce*, quia non erit panis in domo ſua: *ab ea, quæ dormit in ſinu tuo* cui confidere poteras, & cùm qua vna caro es, *cuſtodi clauſtra oris tui* ignoret ſecreta tua, nè præripiat vtilia tibi, vide ſimilia Iſai. 3. exemplo eſt Samſon cùm Dalila. *Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduersùs matrem ſuam, nurus aduersùs ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius*, in illa die, & tempore: hæc Chriſtus ad tempus Euangelij tranſtulit. Matth. 10. *Ego autèm* nullam in hominibus etiàm coniunctis fiduciam habens, *ad Dominum*, in quo cõfido, aſpiciam, & ab eo expectabo auxiliũ, *expectabo Deum* Sal-

Saluatorem meum me saluātem, in quo ſolo ſalus, ſic & Iacob Gen.49. expectabo ſalutare tuum Domine: *audiet me Deus meus* ex ſua miſericordia, ſuccurret mihi ſeruo ſuo. Hæc ſunt verba prophetę exemplo ſuo excitantis alios recurrere ad Dominum.

Nè læteris inimica mea Babylō *ſupèr me, quia cecidi*, proſtrata ſum à Nabuchodonoſor, *conſurgam*, reædificabor dimiſſa à captiuitate per Cyrū, *cùm ſedero in tenebris*, tùnc, cùm videbor omninò derelicta,& mœrens,& eſſe abſq. vllo auxilio,& ſpe in captiuitate degens, *Dominus lux mea eſt*, lucē, liberationē in tenebris recipiam à Domino. *Iram*, pœnā *Domini portabo*, ferā nùnc vſq. ad tempus ei beneplacitum: *quoniàm peccaui ei*, non enim ſui cauſa, ſed mei, ſeù peccatorum meorū patior, *donèc* viſa mea pœnitentia *cauſam meā iudicet*, patrociniū meū ſuſcipiat,& inimicis vlciſcatur, *& faciat iudiciū meum*,& illud exequatur perdendo te Babylō,& tùnc *educet me in lucē* è tenebris, quibus premebar, *videbo iuſtitiam eius*, miſericordiam, fidelitatem, iuſta eius iudicia. *Et aſpiciet inimica mea* Babylon, *& operietur confuſione*, pudore. *quæ dicit ad me*, nūc vti derelicta, *vbi eſt Dominus Deus tuus?* te ſaluās,& eximens, quē tùnc cognoſcet mihi auxiliari,& mecū eſſe. *Oculi mei videbūt in eā* in eius vaſtitatem, quia nō antè dimiſſi è Babylone: *nùnc erit in conculcationē vt lutū platearum* vilis, & abiecta. *Dies* tùnc erunt (redit ad Ieruſalē) venient, *vt ædificentur maceriæ tuæ* ex ruinis primis: *in die illa lōgè fiet lex*, quam captiua ſuſtinebas, & laquei, quibus affligebaris.

In die illa libertatis nedùm de Babylone, ſed *et vſq. ad te veniet de Aſſur*, aliqui etiā Hebræi captiui Aſſyriorū, *et vſq. ad ciuitates munitas: & à ciuitatibus munitis vſquè ad flumen, et ad mare de mari, & ad montē de monte*, quaſi ex omni regione, multi enim ex his regreſſi cū captiuis Babylonicis, *erit in deſolationem* à Dario,& Cyro capta *proptèr habitatores ſuos* malos, cæſos, & captiuos, & ſic deficientes, *& proptèr fructū cogitationum eorum* operum, quibus hæc mala merebuntur. *Paſce populum tuum* ò Domine, verba Prophetæ, *in virga tua* paſtorali *gregem hæreditatis tuæ*, quam tibi ſegregaſti, *habitantes*, nùnc præſupponit eos captiuos in Babylone *ſolos in ſaltu* captiuitatis *in medio Carmeli*, paſce, ſcilicèt: reſpondet Deus, *paſcentur Baſan, et Galaad iuxtà dies antiquos* antè captiuitatem. *Secundùm diem egreſſionis tuæ de terra Aegypti*, in quibus tot prodigia facta, *oſtendam ei mirabilia* etiàm in liberatione Babylonica abſquè gladio. *Videbunt gentes* illæ, *& confundentur ſupèr omni fortitudine ſua*, in qua confidebant, quam vanam cognoſcent: *ponent manus ſupèr os* tacentes, neſcientes quid dicant ob ſtuporem, *aures eorum ſurdæ erunt* quaſi nullam habebunt actionem, vel ſpiritum, proùt de Regina Saba dicitur. *Lingent puluerem ſicùt ſerpentes* curuabuntur, ad terram ſe proſternent, vt ſolent victi victoribus obſequentes, *velùt reptilia terræ perturbabuntur in ædibus ſuis*, in quibus abſcondentur ex timore. *Dominum Deum noſtrum formidabunt*, quem cognoſcent talium mirabilium patratorem, *& timebunt te* à Deo protectum, *Quis Deus ſimilis tui* nullius, ſolus es, *qui aufers iniquitatem* per pœnitentiam, *& tranſis* parcens non puniens, vt in cæde primogenitorum in Aegypto *peccatum*, pœnas *reliquiarum hæreditatis tuæ* Iſrael, quæ remanſerùnt ex cæde,& captiuitate, *non immittet vltrà furorē ſuum* ad nos perdendos, *quoniā volens miſericordiam eſt*, nimis eſt miſericors. *Reuertetur* tandèm Deus ad vos, nos reſpiciēs, *& miſerebitur noſtri: deponet iniquitates noſtras*, quibus premimur,& quæ fuerunt cauſa tot malorum noſtrorum, *& proÿciet in profundum maris omnia peccata noſtra*, ità vt eorū ampliùs nulla memoria. Dabis Domine *veritatem*, fidelitatem, obſeruantiam promiſſorum *Iacob* populo Hebræo, *miſericordiam Abraham*, quæ veritas, ſeù fidelitas erit miſericordia Abrahæ primùm promiſſa, quia miſericordia ſola motus tu promiſiſti, & obligaſti volens *quæ iuraſti Patribus noſtris à diebus antiquis*, nēpè daturū poſteris eorum Terrā promiſſionis. Nullius antiqui meminit, niſi Abrahā; nā populi meminit, dū Iacob nominat, ideò non eſt quærendū, cur Iſaac,& aliorū non recordetur, cùm tantùm ſub gentilitate omnium fiat memoria.

Finis Prophetiæ Michææ.

IN

IN NAHVM.

CAPVT PRIMVM.

ONVS graue destructionis *Niniue* instans, nàm postquàm moniti à Iona resipuerunt, & pepercit eis Dominus, iterù ad peccata reuersi sunt, quod præuidens Tobias prædixit illius excidium. *Liber visionis* prophetiæ *Nahum Elcesæi* patria prophetæ. *Deus æmulator*, zelator, *& vlciscens Dominus* in præuaricatores, *Vlciscens Dominus; & habens furorem* iram, more humano loquitur, *vlciscens Dominus in hostes suos & irascens ipse inimicis suis Dominus patiens*, longanimis, expectans, *et magnus fortitudine*, cui resisti non potest, vndè patientia, & mora non procedit ab impotẽtia, sed à misericordia, *& mundans* flagello *non faciet*, non dimittet nocentem, proùt cõfaceret lempèr tacendo, *innocentem*, sed tãdèm puniet, & id aptè contrà Niniuitas ad vomitum reuersos, *Dominus in tempestate, & turbine via eius* enarrat quæ Deus possit facere, vt magis terreat, & ostendat posse de facili Niniuen subuertere; *& nebula puluis pedum eius*, quasi magnus exercitus eius, ex cuius gressu fit nebula. *Increpans mare & exiccans illud, & omnia flumina ad desertum deducens*, ad idẽ tendit, ostendendam scilicèt Dei potentiam, Psal. 105. Marc. 4 Exod. 14. 22. *Infirmatus est Basan & Carmelus: & flos Libani elanguit, montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt: et contremuit terra à facie eius. & orbis, & omnes habitantes in eo*, subuertit omnia ad sui libitum. *Antè faciem indignationis eius quis stabit?* quasi nemo potest ei resistere; sic Bethsamitæ 1. Reg. 6. 20. quis poterit stare in cõspectu Domini sancti huius? sic & in monte Sinai. *& quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est*, diffunditur, *vt ignis*, qui illicò serpit: *et petræ dissolutæ sunt ab eo*, omnia etiàm dura, ei cedunt. *Bonus Dominus*, postquàm tàm acerba protulit in Assyrios, mutat stylum, & læta adducit pro Hebræis, nè desperent in accessu Sennacherib. dicit ergò *bonus*; suauis *Dominus* erit vobis ò Hebræi, *& confortans in die tribulationis*, obsidionis Sennacherib, *& sciens*, protegens *sperantes in se*, ignorare verò dicitur quibus non auxiliatur, *& in diluuio prætereunte* exercitu Sennacherib, *consummationem faciet loci eius*, in quo consistet, seù hominum ibì cõtentorum, nempè exercitum suum perdendo. Non puto hìc agi de exercitu Chaldæorum, omnia enim contrà Niniuen, & hæc ad ostendẽdam protectionem Dei ergà Hebræos, & in præcedentibus, & in sequentibus, *& inimicos eius* Dei *persequentur tenebræ* afflictiones. *Quid cogitatis contrà Dominum?* non sperantes in eo, dubitantes de eius potentia, ò Hebræi nolite expauescere; *consummationem ipse* Deus *faciet* sua potẽtia per Angelum, *non consurget* à Sennacherib *duplex tribulatio* in vos, ità vt sicut Israel, sic Iudam perdat.

Quia sicùt spinæ se inuicèm complectũtur, & facilè exuruntur, *sic conuiuium eorum pariter potantium* destruetur: *consummentur quasi stipula ariditate plena* per Angelum, igne

igne enim extinctus exercitus Isa. 10. 12. 13. vndè in vos nihil efficiet, vanus erit omnis eius conatus. & nil mirum si hæc euentura, *ex te*, ex finibus tuis *exibit*, discedet *cogitans*, confusus exercitu amisso *contrà Dominum malitiam*, *mente pertractans præuaricationem* quærens se vindicare Tob. 1. 18 *Hæc dicit Dominus*, *si perfecti fuerint* milites eius, *& ità plures* omnes perfecti, *sic quoquè attondentur*, eradicabuntur, *& pertransibit* ipse Sennacherib à te citò confusus: *afflixi te* ò Iudæa, quia Sennacherib infestus fuit multis tuis locis, & regioni, *& non affligam te vltrà* per Assyrios, seù ad tempus, *& nùnc conteram virgam eius de dorso tuo*, qua te affligebat, *& vincula tua disrumpam*, quibus alligabaris ab eo. *Et præcipiet*, mandabit militiæ suæ Angelicæ (ò Sennacherib) *supèr te Dominus non seminabitur*, nulla fiet actio, vel bellum *ex nomine tuo ampliùs*, prædicit instantem eius mortem; nam quoàd filios, cùm vnus successerit, non potuit dici sinè semine periisse; & quandò successor vnus est, non quæritur an alios filios generaturus sit. Prætereà dicit *ex nomine tuo*, vndè intelligit de gerendis per eum, vel eo superstite, & iubente; & verbum *seminabitur* non restringerem ad semen agrorum in Rege insigni, sed ad quæuis negocia maiora; Confirmantur hæc ex dictis in fin. cap. 2. *de domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile*, in quibus confidebas, & quæ adorabas idolòlatra, sicùt eos exaltasti coràm Hebræis, & me contrà eos impotentē dixisti Isai 37. 27. & ibidèm *in domo Dei* tui, *ponam sepulchrū tuum* te quoquè interficiā, per filios tuos, *quia inhonoratus es*, non mereris veniam, aut honorem, seù respectum vllum. Nihil hic quòd insepultus dimittendus, ideò non est transeundum ad Sardanapalum, vt per Quiros, sed standum in Sennacherib interfecto in templo, quod non aptatur Sardanapalo: pròut nequè sequentia pacis, et lætitiæ pro Iuda, & conformia Sennacherib.

Eccè supèr montes, vt ab omnibus audiatur *pedes euangelizantis*, annunciantis *pacem* ex his, quæ contingent illi mala, quæ citò fient, nempè euersio exercitus Sennacherib, ex qua pax, & securitas orta, & quia hoc primum quod innotuit, de quo & præsumitur agi vti de instanti, graui, & formidabili periculo, non morte, quæ posteà secuta; & quamuis hæc acta in Iudæa, non tamèn circà Ierusalem: & proptereà nuncij requisiti, qui hæc deferrent ad Ierusalem, & alia loca distantia à cæde. Vel vtitur eo modo, quo solent boni nuncij deferri. *celebra Iuda festiuitates tuas* hilaritèr & cùm gaudio, & tutò, *& redde vota tua*, quæ in angustijs posita vouisti 2. Paral. 32. 22. *quia non adijciet vltrà*, *vt pertranseat in te Belial*, contradicens impius Assyrius iste, *vniuersus interijt*, vndè tuta esse debes ab eo.

CAPVT II.

ASCENDIT præstò est Nabuchodonosor, ò Niniue. Non potest intelligi hoc de Iuda, quia de illa iàm egit, & omnia protulit facta à Sennacherib, & quæ ipse recepit. Vltrà quòd principalitèr agit Propheta de ruina Niniue. *qui dispergat*, dissipet *coràm te*, contrà te, *qui custodiat obsidionem*, perseueret obsidendo donèc capiaris: *contemplare viam*, per quam ad te venientes, videbis & oppone te eis, si potes, *conforta lumbos* ad bellum, *robora virtutem valdè*, congrega vires tuas omnes, hęc ironicè, *quia reddidit*. vlciscetur *Dominus superbiam Iacob*, *sicùt superbiam Israel*, gloriam horum ab Assyrijs depressam, omnia gesta superbè contrà populum suum duodecim Tribuum per Sennacherib, & alios tuos Reges, te perdendo cùm tuo Rege; nèc refert distinguere tribus: Necessariò videntur hęc sic intelligēda, quia aliàs non rectè annecterentur, & quia dantur pro causa euersionis Niniue, causa enim fuit, *quia vastatores* Assyrij *dissipauerunt eos* Israelitas, *& propagines eorum* descendentes

filios,

filios, radicem *corruperunt*. *Clypeus fortium eius* Nabuchodonosor *ignitus* splendens ad terrendum, & cædendum, *viri exercitus in coccineis* rubeis vestibus ad sanguinem spargendum: sic Christus Apoc. 19 *igneæ* aureæ *habenæ currus in die præparationis eius*, ad bellum, *et agitatores* equorum *cõsopiti sunt*, immobiles sedent in equis, proùt vino ebrij, vt deiici non possint; hi ergò stabunt contrà te intrepidi; puto enim sequi sermonem de Chaldæis, non Assyrijs, proùt & de eisdem subdit, & inferiùs de infirmitate Assyriorum, & tremore. *In itineribus conturbati sunt* præ multitudine ordinem seruare non valentes: *quadrigæ collisæ sunt in plateis*, etiàm in locis latis, & amplis præ numero, *aspectus eorum quasi lampades* splendore terrentes, proùt in Gedeone, *quasi fulgura discurrentia* ex velocitate, & percussione. *Recordabitur* Nabuchodonosor, (sequitur enim de illo & meminit) *fortium* vt & suprà, *fortium suorum*, quos aget in vos, *ruent itineribus suis*, velocitèr venientes, *velocitèr ascendent muros eius* Niniue, *& præparabitur vmbraculum* ad tentoria, ad iniurias temporis, vel obsidentium repellẽdas, *portæ fluuiorum*, ad fluuios ducentes, *apertæ sunt*, & sic capta Ciuitas, *& templum* idòlorum, sic dixit suprà cap. 1. de domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile in Sẽnacherib. *ad solum dirutum*. *Et miles captiuus abductus est* quasi vilis, nulla defensione vsus; *& ancillæ eius*, mulieres Niniue, quos ab euentu captiuitatis denominat; de alijs ciuitatibus non potest intelligi ex sequentibus, *minabantur gementes*, *vt columbæ murmurantes in cordibus suis* vocem emittere timentes. *Et Niniue quasi piscina aquarum* erupta euacuata est, *aquæ eius* effusæ. *Ipsi verò fugerunt* putantes euadere: *state, state*, nè fugiatis dicebatur eis, *& non est qui reuertatur* ad hanc vocem præ timore. *Diripite argentum, diripite aurum* ò Chaldæi. *Et non est finis diuitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus*, optima erit præda, *dissipata est* iàm *& scissa, & dilacerata* Niniue: *& cor* habitantium *tabescens* liquefactum, *& dissolutio geniculorum*, præ timore, vt in Baltassare Dan. 5. & alibi notaui, *& defectio in cunctis renibus*, vbi fortitudo solet esse, *& facies omnium eorum sicùt nigredo ollæ* præ tribulatione, & angustia, vndè non est vobis timendum, *vbi* nùnc *est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonũ*, fortitudo, quæ erat in te Niniue munita, & in tuis regibus, *ad quam iuit leo* rex tuus, *vt ingrederetur* illùc *catulus leonis*, *& non est qui exterreat?* qui auderet illi nocere, aut mutire, *leo* rex Assyriorum *cœpit sufficientèr catulis suis* filijs de prẹda, *& necauit* abundantèr *leænis suis* vxoribus suis, reginis, *& impleuit præda speluncas suas*, *& cubile suum rapina*, expoliãs populos victos à se. *Eccè ego ad te* ò Niniue, *dicit Dominus exercituum*, *& succendam*, non poteris ampliùs rapere, non poteris villicare, *vsquè ad fumum quadrigas tuas*, *& leunculos tuos* filios, *comedet gladius*, *& exterminabo de terra prædam tuam*, *& non audietur vltrà vox nunciorum tuorum* petentium aliena in alijs regionibus.

CAPVT III.

VAE *ciuitas sanguinum* homicidiorum *vniuersa mendacij dilaceratione plena*, omnia dissipantis, & subuertentis, hoc enim opus mendacij: *non recedet à te rapina*, sempèr in ea insistes, numquàm à te aberit, adeò in ea immersa es. *Vox flagelli*, *& vox impetus rotæ*, *& equi frementis*, *& quadrigæ feruentis*, *& equitis ascendentis*, *& micantis gladij*, *& fulgurãtis hastæ*, *& multitudinis interfectæ*, *& grauis ruinæ*: *nèc est finis cadauerum*, depingit aduenientem, & aggredientem, ac cædentem exercitum Chaldẹorum, *et corruent* alij stantes *in corporibus suis* ob cadauerũ multitudinem. dicit *suis*, idest Niniuitis ciuibus, vndè non est ad Assyrios trahendum, *proptèr multitudinem fornicationum meretricis* idolòlatrẹ *speciosæ*, *& gratæ*, *& habentis*

bentis maleficia, quæ ideò vendidit gentes captas eius pulchritudine,& gratia *in fornicationibus suis* idòlolatrijs, *& familias in maleficijs suis: Eccè ego ad te, dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam*, ità vt cõfundaris coràm omnibus. *Et proijciam supèr te abominationes*, vt magis pudefias *contumeliis te afficiam*, iniurijs implebo, *& ponam te in exemplum* supplicij, & maledictionis, ità vt nomineris, & alij tuo exemplo à malo deterreantur. *Et erit* continget, *omnis, qui viderit te, resiliet à te* obstupescens, & horrens, & timens sibi ex te malum imminere. sìc Moyses dicebat, vt amouerentur à tabernaculo impiorum Chore, & Abiron, sicùt priùs grata eras, *& dicet: vastata est Niniue*, nempè magna, & præclara ciuitas illa, *quis commouebit supèr te caput?* condolens, & consolans, quasi nullus. *Nunquid melior* magìs munita, *es Alexandria populorum* à Nabuchodonosor euersa, vel euertenda, vt non credas hoc tibi euenturum ab eodem? *Quæ habitat in fluminibus?* ex situ captu difficilis, *aquæ in circuitu eius* ex munitione, *cuius diuitiæ mare*, à quo apportantur, *aquæ muri eius*, vt inexpugnabilis videatur, *Aetiopia fortitudo eius, & Aegyptus* cõterminę, & confœderatæ, *& nõ est finis* auxiliantium illi. *Aphrica, & Lybies fuerunt in auxilio tuo* ò Alexandria: *sed & ipsa in transmigrationẽ, ducta* ducetur, *et in captiuitatẽ: paruuli eius elisi sunt in capite omniũ viarũ*, nèc pepercerũt paruulis, sic & de Ierusalem per Ieremiã in Threnis, *et supèr inclytos eius miserunt sortem*, eos intèr se diuidentes, *et omnes optimates eius confixi sunt in compedibus* vincti, & captiui ducti. *Et tu ergò inebriaberis* eodem calice, *et eris despecta* abominabilis, *et tu quæres auxiliũ* frustrà *ab inimico. Omnes munitiones tuæ* casurę *sicùt ficus cùm grossis suis, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis*, idẽ Apocal. 6. *Eccè populus tuus mulieres in medio tui* imbecillis, & timorosus: *inimicis tuis adapertione pandentur portæ tuæ* ex ipsorum vi, & potentia *deuorabit ignis vectes tuos*, quibus eas claudebas. *Aquam proptèr obsidionem* futuram, & longam, *hauri tibi, extrue munitiones tuas* ad tui defensionem: *intra in luctum, et calca, subigens tene laterem*, fac lateres ad obturandas apertiones murorum. *Ibì comedet te ignis*, dùm putas te his tutam: *peribis gladio* Chaldęorum, *deuorabit te* Chaldęus, *vt bruchus* solet fruges *congregare vt bruchus: multiplicare vt locusta* exercitus para numerosissimos, & nihilominus non defenderis, vndè omia ironicè. *Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cœli*, vndè magnas congregasti diuitias, quę sicùt *bruchus expansus est* intrà te omnia implens, *et auolauit* citò ad Chaldęos, non hìc de militibus conductis fuga lapsis, nàm de illis subijcit, *Custodes tui quasi locustæ, & paruuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris: sol ortus est, & auolauerunt, & non est cognitus locus earum vbì fuerint*, sìc illi discedent à custodia, & fugient, & in manu hostium te derelinquent. *Dormitauerunt pastores tui, rex Assur*, negligentes in tua defensione: *sepelientur* cùm alijs cadaueribus *principes tui: latitauit populus tuus in montibus* dispersus, *& non est*, dux *qui congreget. Non est obscura contritio tua*, immò omnibus innotescet, vel non est parua, immò *pessima* magna *est plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam*, excidium tuũ *compresserunt manum supèr te* lętantes, & gaudentes: *quia supèr quem non transiit malitia tua semper?* qui enim sunt, quos non afflixeris, grauaueris?

FINIS PROPHETIÆ NAHVM.

IN HABACVC.

CAPVT PRIMVM.

ONVS calamitas, *quod vidit Habacuc Propheta*, supèr his, de quibus agit, qui nõ rustica, et illiberali, sed vehementi, & vrgenti oratione incipit. *Vsquequò Domine clamabo* pro populo meo, quasi semper id faciam, proût Samuel dicens, absit à me, &c. vt cessem orare pro vobis ad Dominum 1. Reg. 12. 25. *& non exaudies?* quousquè frustrà agam, quia ad me non flecteris? *vociferabor ad te vim patiens* dolore oppressus, *& non saluabis?* populum. sic Moyses, & Paulus Rom. 9. mouebantur pro eodem populo: verbum *saluabis*, innuit hîc non agi de potentioribus Hebræis. *Quarè ostendisti mihi*, quod dolorem meum auget *iniquitatem* pœnam populo inferendam, *& laborem* per illum sustinendum, *videre prædam in eum* fiendam per Chaldæos: hæc ad optimates Iudæorum non aptantur, *& iniustitiam*, nàm multa iniquè fiebant per exercitum Chaldæorum prætèr mentem Dei, eo tamèn permittente, hincquè & ipsi euersi *contrà me?* coràm me, in oculis meis, *& factum est*, seu fiet *iudicium* iniquum, *& contradictio potẽtior*, & peruersa Chaldæorum, & si illi impiè agant. *Proptèr hoc* ob potẽtiã maiorẽ iniquorũ *lacerata est lex* naturalis, obliterata, *& nõ peruenit vsquè ad finẽ* debitum, iustũ *iudicium* horũ potentiorũ: *quia impius* elatus *præualet aduersùs iustum, proptereà egredietur iudiciũ peruersũ*, nõ enim à mala arbore fructus bonus prodire potest; iusti malè tractantur, pro quibus tu Domine solicitus esse soles Gen. 18. sìc & Ierem. quarè via impiorum prosperatur, &c. Hæc omnia credo ad Chaldæos, vt dixi, non ad potentiores Hebræos referenda; aliòquin Propheta hìc contrà populum faceret, quod est clarè contrà eius scopum, qui est auertere Deum ab hoc supplicio. *Aspicite in gentibus* intèr gentes, nàm victoriam ignoratis, respondet Dominus, *& videte: admiramini, & obstupescite, quia opus factum est* fiet *in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur* tanta erit clades, & calamitas in populo mihi dilecto, vltrà quàm in gentibus successerit vnquàm, quasi velit dicere, non exaudiam te, quia iàm statutum flagellum populo: sed quodnàm est hoc? subdit Dominus contrà populum suum, quod accepit Paulus Act. 13. 41. ad sui accommodationem; & exemplum.

Quia eccè ego suscitabo Chaldæos Gentem amaram, crudelem, *& velocem* ad aggrediendum, *ambulantem supèr latitudinem terræ*, liberè discurrentem, *vt possideat tabernacula non sua* ad rapinam. *Horribilis, & terribilis est*, cui resisti non potest. *ex semetipsa* gente *iudicium*, pœna, *& onus eius* afflictio *egredietur*, faciet quod ei libuerit contrà populum; & sìc respondet prophetæ dicenti iustum iudicium nõ fieri, & propte-

reà

reà etiàm prædicta ibi per Chaldęos, non optimates Iudęorum; *Leuiores pardis equi eius, et velociores lupis vespertinis* insidiātibus,& inhiātibus prędę *et diffundētur equites eius* ob magnā multitudinem spatia ampla occupabūt, & prædabūtur; *Equites nāq. eius de longè venient* cōgregati ex alijs nationibus, *volabunt quasi aquila festinans ad comedendū*, ità vt vix quisquā euasurus, *omnes ad prædā venient, facies eorum ventus vrens* vastans omnia: *& congregabit quasi arenā* innumerabilem *captiuitatem* Iudæorū. *Et ipse de regibus* victis *triūphabit. et tirāni* principes *ridiculi eius erunt*, proùt de Adonibezec Iud. 1. sic in Reblatha contrà Sedeciā,& alios, & contrà Ioachim 4. Reg. 24. *ipse supèr omnem munitionē ridebit*, non curās illā quasi sibi, & viribus suis immunitam *et cōportabit aggerem, et capiet eā* Ierusalē, vt & in Ezechiele formante obsidionē Deo iubēte; sic & in Tyro. *Tūnc*, vide Albā cēt.c.64.) Credo Prophetā continuare sermonē suum contrà Ierusalē captam; sic *tūc* videns se captā *mutabitur*, defluet *spiritus*, actio, cogitatio, cor, vis, seù fastus, superbia eius ciuitatis Ierusalē in humilitatē, *& pertransibit*, in captiuitatē ibit, *& corruet*, deficiet penitùs antè hostes; *hæc est fortitudo*, actio procedens à fortitudine, robore, potētia *eius Dei sui*, vel Ierusalē, vel Nabuchodonosor confortantes Chaldæos ad hæc, quem ipsi spreuerunt idòlis hærentes; non sic de ruina Chaldęorū; & sæpè Deus facit se horū auctorē; sic eodē cap. in Prophetis,& suprà habetur. Et quomodò sic ex abstruso,& duobus verbis diceret de excidio Regis, vel populi Chaldęorū, cuius progressum maiorē infrà describit? Quomodò si in his verbis ruina coniūgeretur, conquereretur Propheta pro populo, qui audita clade Chaldęorū quiescere debuisset? immò infrà dolet Chaldæos præferri Hebræis, & Deum supèr eos respicere, & relatio debet fieri ad propinquiora, & propinquior Ierusalem.

Prętereà de excidio Chaldęorum infrà in alijs capitibus. Insupèr ruina Babyloniæ, & regni sui non fuit sub Nabuchodonosor, sed Baltassar pòst annos septuaginta. Hinc verbū *spiritus*, non potest intelligi de vento, de quo dixerat *ventus vrens*; neque ciuitatem captam ob puluerem immissum, quia de hoc nullibi habemus,& est diuinare; & de recognitione sagenæ suę, seù fortitudinis facta à Nabuchodonosor infrà in fine cap.

Ribera hìc tenet Nabuchodonosor dānatum, tu vide scripta in Isai.c.14. & Daniele, ibi omnia cōgessi,& respondi his, quæ dicūtur hìc per Riberā. *Nūquid*, interpellat Propheta Deū audita tanta clade populi, non Chaldęorum, aùt illorū regis) *non tu à principio* in Abrahā elegisti, segregasti nos *Domine Deus meus, sancte meus*, in quo omnis spes nostra, à quo sanctitatem recipimus *et nō moriemur?* nō deficiemus penitùs, quia promisisti vsq. in finem saluare nos. *Dñe in iudiciū*, in flagellū nostrum,& pœnā *posuisti eū* regem illū: *et fortē, vt corriperes*, punires nos, *fundasti*, stabilisti *eū Mundi sunt oculi tui nè videas malū*, non admittentes cœnū, seù immunditiā, *& respicere ad iniquitatem nō poteris*, vt in ea delecteris, vel eam approbes *quarè respicis supèr iniqua agētes* Chaldęos, quos in nos armas, *et taces deuorante impio iustiorem se?* reputabantur enìm fortè Chaldęi maiores peccatores, quàm Hebręi. *Et facies homines* nostros *quasi pisces maris*, permissos piscationi liberę occupantium *& quasi reptile non habens principē*, qui defendat,& subleuet: Hinc etiā prima verba nō de optimatibus populi, sed de Chaldęis. *totum in hamo subleuauit* rex ille, ità vt nihil ferè remanserit *traxit illud in sagena sua, et congregauit in rete suum*, quasi Dominus, *Supèr hoc lætabitur, & exultabit* victor, *proptereà immolabit sagenæ suæ. & sacrificabit reti suo*, ab illis recognoscens victorias, scilicèt à sua fortitudine. Non quia sagena vteretur pro idòlo, vel pisce; vtitur autèm hac phrasi, quia in sagena tutiùs, & plures capiuntur: sic & hac phrasi vtitur Propheta in persona Dei expiscaturi in sagena sua regem populo suo infestum. Vel de sagena, & rete suo immolabit, sacrificabit dijs suis, à quibus hęc recognoscit. iuxtà Albam in cent. capit. 65. *quia in ipsis incrassata est pars eius*, sors, hęreditas, gaza, *& cibus eius electus*, delicatus. *Proptèr hoc ergò*, videns omnia ad vota ei contingere, *expandit sagenam suam, & sempèr interficere gentes non parcet*, numquàm faciet

finem cædis, & rapinæ: hincquè Propheta vellet Deum auertere precibus suis ab excidio templi, & populi, non Deum incusare.

CAPVT II.

SVPER *custodiam meam stabo*, mihi assignatam à Domino, *& figam gradũ supèr munitionem* prædictam, *& contemplabor, vt videam quid dicatur mihi* à Domino, *&* deindè *quid respondeam ad arguentem me*, quærentes à me rationem euenturorum: sic enim ab alijs prophetis quærebant, vt in Ezechiele; nèc arguẽs hìc potest dici Dominus; tùm quia non apparet; tùm quia attendit à Domino dicenda. *Et respondit mihi Dominus, & dixit, scribe visũ, & explana eũ supèr tabulas* clarè distingue: *vt percurrat qui legerit eum* sinè difficultate. *Quia* (reddit rationem, cur sic velit) *adhùc visus procùl* est, multum tempus intercedet, *& apparebit in finem* mihi placitum, *& non mentietur*, quia ego Deus, qui professo, fidelis, & obseruans, *si moram fecerit* iuxtà tuam reputationem *expecta illum* patientèr, *quia veniens veniet, & non tardabit*, nàm nõ potest deficere quod ipse dispo-sui, non mutor, quid autèm hoc sit, subdit ad litteram: Nequè ad litteram hìc de Christi aduentu; Paulus verò Hebr. 10. 37. Rom. 1. Galat. 3. assumit hæc per accomodationem ad suum propositum, *eccè qui incredulus est* verbis meis, *non erit recta anima eius in semetipso*, decipietur, & non stabit, proùt non rectè gradiens, vel cogitans, vel titubabit, non quiescet. Intelligit de his, qui Nabuchodonosor non paruerint, illiq. seipsos non tradiderint, de qua re Iere. 17. 2. 27. 8 11. *Iustus autèm* credens verbis meis *in fide sua viuet* tutus euentura esse quæ ei prædicta sunt; & sic inuitat ad fidẽ narrandorum, vt exhilarentur, cùm captiui fuerint, & nulla mentio de Messia aliena expectanti quid sibi responderetur supèr captiuitate; Prætereà hìc agitur de gestis terrenis, non credendis, vt suprà cap. 1. & infrà c. 3. quæ non aptantur Messia: *et quomodò vinum potentem decipit*, quia illum inebriat, & demẽtat: sic erit vir superbus, implebitur alienis vsq. ad ebrietatem, *& non decorabitur* diù, citò turpitèr euanescet, *qui dilatauit quasi infernus animam suam* desiderium, affectũ ad aliena, *et ipse quasi mors* omnes absorbẽs: duo hæc, infernus, & mors nũquàm satiãtur, vt dicit sapiẽs Prou. 30. 16. ideò subdit, *et non adimpletur: et congregabit ad se omnes gentes, et coaceruabit ad se omnes populos*, eos sibi subijciendo. *Nũquid non omnes isti* gentes. & populi tandẽ *supèr eũ*, sub quo suos à Persis, & Medis victos *parabolã sument, et loquelam ænigmatum eius, & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua?* quasi hæc illis rectè contigerunt, *vsquequò & aggrauat contrà se densum lutum?* diuitiarum vilium, quæ erunt ei oneri maximo. *Nũquid non repentè consurgent qui mordeant: & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis*, quasi id profectò fiet à Persis, & Medis in Baltassarem, in quo hæc verificata: vide hìc Sanct. num. 60. *quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis*: sìc enim iustum Iud. 1. *proptèr sanguinem hominis* effusum, *& iniquitatem* euersionem *terræ, ciuitatis, & hominum habitantium in ea*, nempè Ierusalem, et Iudæa, quos iniquè, & crudelitèr tractasti Ierem. 51. 11. *Væ qui congregat auaritiam*, abundantiam opum, sìc & Paulus eã nominat, *malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali*, ex illis malè partis; sic & ædificatores turris Babel. At *cogitasti*, sìc agens *confusionem domui tuæ*, quæ diripietur: hinc non tempore suo, sed successorum ruina Babylonis, *concidisti populos multos*, dùm hæc paras, *& peccauit anima tua*, sic operãdo malè, prædando non tua, & Deũ irritasti. *Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod intèr iuncturas ædificiorum est* aliena hæc *respondebit*: sìc Christus, si isti tacuerint, lapides clamabunt quasi in re clara. *Væ qui ædificat ciuitatẽ in sanguinibus* proximorum effusis, vel substantijs alienis. *& præparat vrbem in iniquitate*: proùt tu fecisti aliena rapiendo. *Numquid non hæc sunt à Domino exercituum?* quasi non

mea

mea verba, sed Dei, ideò effectui demandabuntur; *laborabunt enim populi in multo igne* incensuro Babylonem *& gentes in vacuum*, quia non poterunt extinguere illum, *& deficient* in labore, non enim resistere poterũt Ier. 51. 58. *quia replebitur terra* Babylonis ab exercitibus *vt cognoscant gloriã Domini*, potentis eos debellare, & destruere, *quasi aquæ operientes mare*, cuius fundus non apparet. *Væ qui potũ dat* afflictionũ, & æ:ũnarũ *amico suo* sedenti, & benè speranti, vel sibi fœderato; non hic de Sedecia regis Nabuchodonosor rebelli, & ingrato, *mittens fel suum*, addens amaritudines, *& inebrians*, vt nudetur quasi alter Noe, *vt aspiciat nuditatẽ eius*, proùt Cham, sicùt tu Nabuchodonosor fecisti. *Repletus es ignominia pro gloria*, quam putasti acquirere in his improbè factis: *bibe tu quoque* de calice iræ Dei, *& consopire* præ ebrietate tribulationum; vide Ierem. 25. 26. Isai. 47. *circundabit te calix dexteræ Domini*, vt vndequàque affligaris, *& vomitus ignominiæ* cùm nudaberis omni imperio, maior erit, excedet *supèr gloriã tuam*, quam credidisti parare tibi: *Quia iniquitas* clades *libani*, quam exercuisti in templo Dei, & Ierusalem *operiet*, obruet te, supèr te redundabit, nè quicquam valeas: *& vastitas animalium* de hac ad denotãdam magnã stragẽ, *deterrebit* auertet *eos* populos, de quibus suprà à te, quasi te horrẽtes.

Hic propriè de animalibus, quorum maxima copia in Terra promissionis, & strages facta, quod & comminatum per Prophetas: Nõ de Leuitis, aut Sacerdotibus; tũ quia improprium sub animalibus hos cõprehẽdere: tũ quia de hominibus in eadẽ phrasi, in qua nobiliores in populo nõ cẽsentur exclusi, & ommissi, vt reponerẽtur sub animalibus vilibus; & si ruinæ Ierusalẽ meminit, quid inconuenit si & animalium, quæ & seruata in arca? Intellectus Gueuaræ supèr libano, & animalibus non potest procedere, quia non agitur de clade Regi, vel regno in Iudæa inferenda, sed Babylone. de *sanguinibus hominum* cæsorum proptèr fusum sanguinem, *& de iniquitate* proptèr excidium iniquum *terræ, & ciuitatis* Ierusalem, *& omnium habitantium in ea*, quorum & suprà meminit, à te patrarum, & sic proptèr tuam crudelitatem. *Quid prodest sculptile* ò Chaldæi, à quo non liberabimini, *quia sculpsit illud fictor suus*, ideò opus hominis ad nihil seruiens, *conflatile, & imaginem falsam?* fecit, hinc deceptio, *quia sperauit in figmento fictor eius, vt faceret simulachra muta*, in quibus nulla spes ponenda. *Væ qui dicit ligno, expergiscere* in mei auxilium, *surge lapidi tacenti* muto: sic Prophetæ Baal, & sic eis insultabat Elias. *Numquid ipse* lapis factori suo quid petat, vel faciat *docere poterit? eccè iste coopertus est auro, & argento*, sic enim idola cooperiebãtur: *& omnis spiritus non est in visceribus eius*, ideò quomodò loquetur docturus. *Dominus autẽ* verus, viuens, *in templo sancto suo*. in cœlo: *sileat* prosternatur, adoret, *à facie eius omnis terra* ipsi soli laus.

CAPVT III.

ORATIO *Habacuc prophetæ pro ignorantijs*, quibus obrutus expectauit doceri à Domino cap. 2. nùnc autèm edoctus Chaldęos Iudæis insidiantes delẽdos, & populũ liberandũ, canticũ promit in Dei laudẽ. Nõ puto *pro ignorãtijs*, idest peccatis, quia videbat vias impiorũ prosperari, pios ab impijs opprimi, quasi malè in hoc de Deo sensisset; nàm non credo in hoc peccasse prophetam, qui, si peccasset, reprẹhensus esset, sed hæc dixisse referens omnia ad Chaldæos Iudæis prælatos, ignorans cur hæc, & petens à Deo sibi reuelari, qua reuelatione habita, illicò prorumpit in canticum. Non etiàm placet *pro ignorantijs*, idest, nè peccatis populi impediretur liberatio à captiuitate, quia de hoc aliquid diceretur in cantico: & quia proptèr peccata Deus non remouetur à promissis. Rom. 9.

Domine audiui auditionem tuam, quæ iudicia tua in populũ, & Chaldæos explicasti, & captiuitatis reditum, *& timui* illorum

ſeueritate, expaui operis magnitudinem, & horrorem conſiderans: nil hic retractat Propheta, ſed refert tantùm.

Domine opus tuum magnum, de populi liberatione a captiuitate, & ruina regni Babylonici, *in medio annorum* intrà tempus à te præfixum, tibi beneplacitum, quod fuit ſeptuaginta annorum, *viuifica*, perfice, ad lucem adduc *illud*.

In medio annorum notum facies, ſcio te facturum, *cùm iratus fueris*, ob multiplicia peccata noſtra. poſtquam cæſus, & captiuus factus erit populus tuus à Chaldæis, tùnc tandèm *miſericordiæ recordaberis*, illum reducendo à captiuitate peccatis non obſtantibus Rom. 3. cæſis Chaldæis.

Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan, ſubuenturus populo ſuo captiuo, & Chaldæos deleturus; Non puto hìc agi de clade inferēda Hebræis per Chaldæos, immò omnia in cantico læta pro Hebræis, & non aſſumeret contrà eos facta pro illis in Aegypto, id enìm non ſolet Scriptura. Sìc & Pſal. 67. Deus cùm egredereris in cōſpectu populi tui, cū pertranſires in deſerto: et Deu. 33. 2. Dominus de Sinai venit, & de Sehir ortus eſt nobis, apparuit de mōte Pharan: sic & Iud. 5. 4. aſſumit quæ Deus geſſit pro populo ab Aegypto liberando, applicatquè liberationi futuræ à Babylone.

Operuit cœlos gloria eius, sìc in monte Sinai, Exod. 20. & 24. *& laudis eius* factorū eius egregiorum, & laudabilium, *plena eſt terra*, ea admirabantur tùnc populi habitātes in Terra promiſſionis, & conterebantur.

Splendor eius vt lux erit, ad terrendos, & debellandos Chaldæos, & nos liberandos, *cornua* potentia *in manibus eius* in eo.

Ibì abſcondita eſt, dùm opera hominum vtitur, & inuiſibilitèr agit, *fortitudo eius*, manus enim dicuntur organum organorum, *antè faciem eius ibit mors*, cædens inimicos Chaldæos.

Et egredietur diabolus omnia ſubuertens, dictus exterminator Exod. 12. exterminans Apoc. 9. 11. & de morte, & diabolo cap. 6. 8. *antè pedes eius*, vt Perſæ percurrant abſq. impedimento. *Stetit* vincens, *& menſus eſt terram* more victorum, vt in Ioſue. *Aſpexit* tantùm, *& diſſoluit gentes*, diſperſit populos *et contriti ſunt montes ſæculi*, ipſo apparente, illū non ſuſtinēte: nō placet mōtes verè contritos, ſed ex his oſtēdi eius potentiā.

Incuruati ſunt colles mundi conditi, *ab itineribus* intèr opera *æternitatis eius* ab initio creaturæ.

Pro iniquitate pœna, vaſtitate inferenda, *vidi tentoria Aethiopiæ* exercitum innumerabilem, nàm ſemèl in Iudæam deciès centena millia Aethiopum immiſſa ſub Aſa 2. Paralip. 14. 9. *turbabuntur*, & turbata ſunt, & cæſa ſicùt, & *pelles terræ Madian*, Madianitæ ſub Moyſe Num. 25. & Gedeone, sìc erit & de Chaldęis, qui parua manu ſubuertentur; pelles verò pro tabernaculis, quæ pellibus cooperiebantur, & quia pelles ſolæ apparebant, ſub illis omnia comprehendit. *Numquìd in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?* vt myriadas militum congregare opus tibi ſit, & multitudine exiccare, & deſtruere flumina, & maria, cùm hominibus eſt tibi agēdum de facili ſuperandis: Alij referunt prædicta omnia ad populū Hebræum puniendum, ideòq. propheta dicat, *nūquid*, &c. populus autèm Iſrael optabat potiùs à Deo ſuo puniri, de cuius miſericordia ſperabat, quàm ab inimicis, à quibus confundebatur; vndè Iud. 10. 15. dicūt: peccauimus, redde tu nobis quicquid tibi placet, tantùm nùnc libera nos, nā (vt inquit Dauid) 2. Reg. 24. 14. melius eſt, quòd incidam in manus Domini, multæ enim sūt miſericordiæ eius, quàm in manus hominum, referunt & hæc omnia ad victorias Chaldęorum contrà populum; ſed non placet.

Qui aſcēdis ſupèr equos tuos ſolos abſquè tot myriadibus militū, & sic magnificat Dei potentiam, *& quadrigæ tuæ ſaluatio*, ſalus, ſaluantes.

Suſcitans ſuſcitabis arcū tuū ad bellum paratū, ineuitabilē ad populum reducendū, & Chaldæos deprimēdos, & *iuramēta* promiſſiones Patribus à te factas pro Terra promiſſionis Geneſ. 15. & remigrationis populi Iudaici à captiuitate Babylonica, *tribubus* duabus Beniamin, & Iuda (de decē hic nihil, et ſi cū his duabus aliqui ex decē redierint, non computantur in tribus) *quæ locutus es* per Prophetas ad fauorem populi.

Flu-

Fluuios scindes terræ, vt Persæ, & Medi tutò pertranseat ad damna Chaldæorum, & populus tuus tutò remigret, tolles omnia impedimenta, proùt in liberatione ab Aegypto Isa. 43. & 50. *viderunt te, & doluerunt montes*, quos superari facies ab illis, *gurges aquarum transijt* euanuit, quia transuadari poterit.

Dedit abyssus vocem suã, & ipse tremens, *altitudo* aquarum *manus suas*, brachia sua *leuauit*.

Sol, & Luna tibi obedientes, sìc & Iud. 5. 20. de cœlo dimicatum est contrà eos, stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersùs Sisaram pugnauerunt, *steterunt* immobiles: simile Psal. 76. viderunt te aquæ Deus, & *in habitaculo suo*, expectantes iussionem tuam, donèc de inimicis tuis vlcisccreris, proùt tempore Iosue te obediente voci hominis, *in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ*, idest lucebũt in nocte, donèc perficias opus cùm inimicis, proùt sub Iosue.

In fremitu equorum tuorum *conculcabis terram in furore* iræ tuæ *obstupefacies*, tabescere facies *gentes*.

Egressus es, egredieris, repetit quod dixerat, *in salutem populi tui* Iudaici ad illum saluandum *in salutem cùm Christo tuo* Cyro rege captiuitatem soluturo Chaldæis debellatis Isa. 45.

Percussisti caput de domo impij Baltassaris, *denudasti* faciēs caluitium *fundamentis eius*, omnia, in quibus confidebat, vel omnem eius progeniem, *vsquè ad collum*, ità vt enecetur. simile Isa. 8. 7. & 30. 5.

Maledixisti sceptris eius, regnis malè quæsitis *capiti bellatorum eius* principibus *venientibus* venturis, *vt turbo ad dispergendum me*, intellige Ierusalem, templum.

Exultatio eorum erat, dùm nos vastarent, *sicùt eius, qui deuorat pauperem* misellum, *in abscondito*, nè appareat, & magis lædat, & quia hìc de clade à Chaldæis illata, tanto minùs puto præcedentia eadem percutere.

Via fecisti in mari fluminibus, vt suprà, *equis tuis* Medorum, & Persarum, etiàm *in luto aquarum multarum*, quia fuit diuisum flumen, non exiccatum, vt fundus in mari rubro, & Iordane sub Moyse, & Iosue.

Audiui hæc magna & horribilia, *& conturbatus est venter meus*, viscera mea præ horrore, & admiratione a voce *contremuerunt labia mea* præ timore: sìc & 1. Reg. 1. 13. & Daniel. cap. 7. & 10. Non possunt hi affectus ad lætitiam referri ex Gueuara, quia & in principio de mœrore: at id non curo his lætis auditis, immò etiàm.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subtèr me scateat, quod plus est, veniant supèr me omnia mala, *vt* dummodò tandèm *requiescam in die tribulationis* huius Chaldæorum, *vt ascendam ad populũ accinctum nostrum* liberum à captiuitate, & quasi armatum ad bellum, quod captiuis non dabatur: cladem verò Chaldæorum prosequitur dicens.

Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis.

Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum.

Abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus, deficient eis omnia. Hæc de Chaldæis, quia quòad Hebræos agit de eorum liberatione, & quia læta omnia illis, & ex abrupto de eis hæc non diceret. Vltrà quòd pòst ruinam Ierusalem dimissi, qui colerent arua 4. Reg. vlt.

Ego autèm præmonitus, vel sumens personam bonorum *in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu* Saluatore *meo*, à quo expecto salutem, & hunc solum attendo; sìc Dauid, Deus fortitudo mea, & factus est mihi in salutem.

Deus meus fortitudo mea est, in qua liberabor, *& ponet pedes meos quasi ceruorum*, vt citò, & velocitèr a captiuitate liberer, *& supèr excelsa mea* in Ierusalem, *deducet me victor* solus Deus, vel Cyrus Deo suadente, & operante, *in psalmis canentem*, lætantem, gratias ei agentem, vitulos labiorum offerentem in templo reædificato: & talem in populo vult esse spem, & spiritum.

FINIS PROPHETIAE HABACVC.

IN SOPHONIAM.

CAPVT PRIMVM.

VERBVM *Domini, quod factum eſt ad Sophoniam filium Chuſi filium Godoliæ, filii Amaſiæ filii Ezechiæ*, non Regis, quandò de rege, explicat, vt ſequitur, & ex alijs per alios, *in diebus Ioſiæ filii Amon regis Iuda. Congregans congregabo* ad cædem, & calamitatem, vt & Ioel 3. *omnia à facie terræ* Iuda, de qua agit, *dicit Dominus*, non ego, *congregans hominem & pecus, congregans volatilia cœli, & piſces maris* ad interitum, quia & animalia homini ſeruientia, homine ſublato, interitura, *& ruinæ impiorum erunt*, ob impios hæc euenient, *& diſperdam homines à facie terræ* Iuda, vt infra, *dicit Dominus. Et extendam manum meam* percutientem *ſupèr Iudam*, explicat clariùs, *& ſupèr omnes habitantes Ieruſalem, & diſperdam de loco hoc reliquias Baal*, cui ſacrificant, me contempto, hæ remanſerant in duabus Tribubus pòſt decem captiuas, *& nomina æditiuorum cùm ſacerdotibus* illius, vt ampliùs non nominentur: *& eos, qui adorant ſupèr tecta* excelſa *militiam cœli*, ſtellas, & orbes; eccè in Terra promiſſionis cœpta hæc idolòlatria, non in deſerto, ſeù via ab Aegypto; vide 4. Regum 23. Ierem. 19. & alibi hoc dixi. *Et adorant, & iurant Domino, & iurant in Melchom* idòlo Ammonitarum Iſai. 39. ſeruientes Deo, & Mammonæ; at arca, & Dagon non ſtant ſimùl. *Et qui auertuntur de pòſt tergum Domini*, illi non obedientes, illum non ſequentes, *& qui non quæſiuerunt Dominum* ex corde, *nèc inueſtigauerũt eum* diligentèr; maledictus enim homo, qui facit opus Domini negligentèr, pòſt captiuitatem verò Babylonicam idolòlatria abſuit à populo. *Silete à facie Domini Dei*, timete, reuerimini Dominum, ſi fortè iram eius placetis, dicit Propheta, *quia iuxtà eſt dies Domini* vltionis, cædis, captiuitatis per Chaldæos, *quia præparauit Dominus hoſtiam*, victimam, cædem magnam in populo Iudæorum, *ſanctificauit*, ſegregauit Ierem. 1. *vocatos ſuos* ad prælium, ad cædem, Chaldæos ſcilicèt. *& erit* continget, fiet *in die hoſtiæ Domini* mea, *viſitabo ſupèr principes, & ſupèr filios regis*, qui interfecti ſunt in Reblatha, *& ſupèr omnes, qui induti ſunt veſte peregrina*, in delicijs viuentes, diuites. qui ex alijs regionibus veſtes comportant, & induunt; non hìc de idolòlatris, de quibus ſuprà egit; *Et viſitabo ſupèr omnem, qui arrogantèr ingreditur ſupèr limen* templi, collo extento, ſuperbè, pompaticè, Amos 6. Non placet intellectus more idolòlatrarum non tangentes limen, qui hi vel ſupèr limen ingrediebantur illud tangentes, vel verbum *arrogantèr* hunc intellectum excludit, quod non aptatur illi, vltrà quod illud particulare in templo illo Dagon, *in die illa* vltionis, *qui complent domum Domini*

mini Dei sui iniquitate, *& dolo*, cùm deberent in ea orationi incumbere; eccè quomodò superiora de templo Dei, non idòli intelligenda.

Et erit in die illa, dicit Dominus, *vox clamoris à porta Piscium*, *& vlulatus à secunda*, in secundo muro posita, *& contritio magna à collibus*, montibus Sion, & Moria Chaldæis ingressis vrbem Iere. 39. *Vlulate habitatores Pilæ* loci concaui, scilicèt Ierusalem tundendæ à Chaldæis, quia *contriuit omnis populus Chanaan* Iuda sequens Chananæorum ritum Isai. 1. Dan. 13. Oseæ 12. præ magna contritione: non hic de mercatoribus, quia dicit *omnis populus*, qui non totus mercator; sub Chanaan intelligit peccata, & scelera, *disperierunt omnes* diuites, principales *inuoluti* pleni, vel amicti *argento*, in quo confidebant. *Et erit in tempore illo*, *scrutabor Ierusalem in lucernis*, diligentèr, proùt mulier quærens margaritam, ità vt nullus latitans euadat, *et visitabo supèr viros defixos*, absconsos etiàm *in fæcibus suis*, cœno, cloacis lutosis, sumpta metaphora à vino de vase in vas non transfuso, non hic de moribus, vel cogitationibus, proùt Ierem. 48. 12. quia ibi alia adiuncta id suadent, quæ hìc cessant, cùm locutio sit simplex, & scrutatio cùm lucernis illud respuat *qui dicunt in cordibus suis: Non faciat benè Dominus*, *& non faciet malè*, quodcumque fecerimus, & sic negant Dei prouidentiam, nequè Dei timorem habent, *& erit fortitudo* bona, substantia *eorum in direptionem*, *& domus eorum in desertum*, *& ædificabunt domos*, *& non habitabunt*, *& plantabunt vineas*, *& non bibent vinum earum*, quia omnes vel cæsi, vel captiui: sic & sub Noe factum, & propè iudicium fiet, vt aduertit Christus. *Iuxtà est dies Domini magnus*, *iuxtà est velox nimìs* instat. *Vox diei Domini amara* plena ærumnis, *tribulabitur ibì fortis* quisque, nullus euadet. *Dies iræ dies illa dies tribulationis*, *& angustiæ*, *dies calamitatis*, *& miseriæ*, *dies tenebrarum*, *& caliginis*, *dies nebulæ*, *et turbinis*, *dies tubæ*, *et clangoris*, ex his magnam instantem cladem, & amaritudinem declarat. *Supèr ciuitates munitas* Iuda, *et supèr angulos excelsos* loca fortia, sustinētia magnas moles; *Et tribulabo homines*, hìncque ex magna tribulatione: *et ambulabunt vt cæci* vagantes nullo eos ducente Isai. 3. *quia Domino peccauerunt*; eccè cur calamitas Thren. 4. 14 *et effundetur sanguis eorum sicùt humus*, cuius nulla ratio habetur, vilipenditur, *et corpora eorum sicùt stercora* iacebunt, vndè Dauid, Deus venerunt gentes, &c. *Sed et argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini* Isai. 13. hoc & suprà, *inuoluti argento*, in quo se fundant, *in igne zeli eius deuorabitur omnis terra* Iuda, de qua agit; actus autèm iræ *quia consummationem* finem, nō tamèn totalem, vt alibì dicitur. vide per me scripta Roman. 9. *cùm festinatione faciet cunctis habitantibus terram* Iuda.

CAPVT II.

C*ONVENITE*, *congregamini* dixerat mala instātia, nùnc quomodò euadere possint, ideò suadet, vt simùl coeant ad exorandū Deum; vbì enìm fuerint duo, aut tres congregati in nomine meo, ibì sum in medio eorum: sìc impia Iezabel malè contrà Naboth agens 3. Reg. 21. 9. *gens non amabilis*, amore indigna ex ingratitudine ergà Deum suum. *priusquàm pariat* Dei *iussio* sententia, decretum de vobis perdendis, *quasi puluerem transeuntem* citò *diem* prætèr spem apparentem captiuitatis, *antequàm veniat supèr vos ira furoris Domine*, *antequàm veniat supèr vos dies indignationis Domini*, explicat quod dixerat, & intendit dicere tùnc esse ineuitabilia irā, & indignationē Domini. *Quærite Dominū omnes mansueti terræ*, omnes iusti, *qui iudicium*, præcepta *eius estis operati*, custodistis, *quærite iustum*, *quærite mansuetum*, iustitiam, mansuetudinem. Vel vt Ierem. 5. *iustum*, qui se interponat. *si* conditionalitèr loqui-

loquitur ignorans decretum finale Domini, *si quomodò* sìc operando, *abscondamini in die furoris Domini* quæsituri in lucernis cap. 1. & ad furorem indicandum, subdit etiàm vires vicinas Palesthinorum primarias euertendas. *Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie* aperto marte *eijcient, & Accaron eradicabitur. Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum* etenim & vos subuertemini: *verbum Domini* in flagello visitantis *supèr vos Chanaan terra Philisthinorum,* hæc illa gens perdita, *& disperdam te,* ità *vt non sit inhabitator. Et erit funiculus maris,* propè illud erat sua regio, *requies pastorum, & caulæ pecorum,* ex his desertam regionem futuram. *Et erit* in posterum *funiculus* pars *eius, qui remansit de domo Iuda: ibì pascetur in domibus Ascalonis,* regionis Philisthinorum, *ad vesperam requiescent* pascua habebunt, *quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum* pòst ànnos septuaginta: prædicit hìc libertatem, & suprà extensionem dominij.

Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon: quæ exprobrauerunt populo meo in captiuitatem posito, & tanta mala passo, *& magnificati sunt supèr terminos eorum,* quos occupauerunt, vel occupare intendebant. Ezech. 35. Ierem. 49. *Propterea viuo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israel, quia Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha, siccitatis spinarum, & aceruì salis, & desertum,* prædicit horum euersionem, & combustionem, *vsquè in æternum* ad longum tempus, nàm iterum ædificatæ: *reliquiæ populi mei* rediturae à captiuitate *diripient eos, & residui gētis meæ possidebunt illos,* hìc etiàm dilatatio Iuda. *Hoc eis euenit pro superbia sua: quia blasphemauerunt, & magnificati sunt supèr populum Domini exercituum,* sempèr in Prophetis fit mentio euersionis populorum, qui infestauerunt Hebræos. *Horribilis Dominus supèr eos,* horrendum enìm incidere in manus Dei viuentis, *& attenuabit omnes Deos terræ* idòla: *& adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gentium* etiàm distantes, multi enim religionem Iudaicam ea occasione receperunt. Zach. 8. Esth. 8. *Sed & vos Aethiopes interfecti gladio meo eritis* non putetis vos euasuros, de his Ierem. 25. 19. *Et extendet manum suam supèr Aquilonem, & perdet Assur,* hìc de Assyriorum ruina, qui populo graues fuerunt: *& ponet speciosam* Niniuem, cui semèl pepercerat, de hac in Nahum, & Iona *in solitudinem, & in inuium, & quasi desertum. Et accubabunt in medio eius greges, omnes bestiæ Gentium: & Onocrotalus, & Ericius in liminibus eius morabuntur: vox cantantis in fenestra coruus in superliminari, quoniàm attenuabo robur eius,* docet quomodò deserta futura: sìc & de Babylone in Prophetis, & Apocal. 18. *Hæc est ciuitas gloriosa habitans in confidentia,* absquè timore, prout I. ais, *quæ dicebat in corde suo* superbiens: *Ego sum, & extrà me non est alia ampliùs* mihi similis, sìc Apocal. 17. de Babylone, & Isa. 47. *quomodò facta est in desertum cubile bestiæ? omnis, qui transit per eam, sibilabit, & mouebit manum suam,* irridens, & subsannans, multos enìm habebat inimicos. Nahum vlt.

CAPVT III.

VAE prouocatrix Dei ad irā ex ingratitudine pòst tot beneficia, seù alijs peccatis, *& redempta,* empta vti sponsa, proùt fecit Iacob, & Dauid, & Oseas; pretium fuit Terra promissionis, seù totiès liberata, *Ciuitas* Ierusalem *columba* olìm, fidem seruans, seù absquè fornicatione, nùnc sinè corde, seducta Oseæ 7. *Quia non audiuit vocem* Dei, seù Prophetarum suorum, *& non suscepit disciplinam,* ei illatam, seù præcepta, vt resipisceret, *in Domino non est confisa,* sed in Aegypto, & Assyrijs Os. 7. Isa. 31. & 57. vel in idòlis, vel in eius fortitudine, *ad Deum suum non appropinquauit,* non est secuta Deum suum, qui eam amplexatus esset, & defendisset. *Principes eius in* me-

medio eius in ea, *quasi Leones rugientes* ad prædam. Amos.3. *iudices eius lupi vespere*, sic enim solent lupi in nocte venari prædam. Habacuc 1. *non relinquebant in mane*, omnia deuorabant in nocte, clandestinè, in abscondito. Habac. 3. *Prophetæ eius vesani* stulti, *viri infideles* mendaces, deceptores. Ierem. 23. *Sacerdotes eius polluerunt sanctum*, templum *iniustè egerunt contrà legem* lucra quærentes: sic & tempore Christi. *Dominus*, vide Albam cap. 66. in cent. *iustus in medio eius non faciet iniquitatem* iniustitiam, quod & Abraham dixit Genes. 18. 25. sed illos iustè puniet: *mane mane* singulis diebus *iudicium suum*, vltionem, flagellum, *dabit in lucem, & non abscondetur*, sed apparere faciet, & Dauid in conspectu solis dixit se facturum: *nesciuit autèm iniquus confusionem* pudorem, etsi grauitèr in eum actum, vndè flagellum nihil operatum est. *Disperdidi Gentes, & dissipati sunt anguli* fortia loca *earum. Desertas feci vias eorum, dùm non est qui transeat. Desolatæ sunt ciuitates eorum, non remanente viro, neque vllo habitatore*, recitat mala, quæ intulit Gentibus *Dixi: Attamèn timebis me* his calamitatibus, & alienis exemplis edocta. *Suscipiens disciplinam* tibi illatam per calamitates, & aliorũ perditione: *& non peribit habitaculum eius* nõ destruetur Ierusalem *proptèr omnia, in quibus visitaui eam*, quia sufficiũt mala, quæ passa est ad eius stabilitatem. *Verumtamèn diluculò* summo mane *surgẽtes corruperunt omnes cogitationes suas*, consilia, sic ex malo arbore malus fructus. *Quaproptèr expecta me*, sustine me captiua vsquè ad annos septuaginta in Babylone, *dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum*, dùm pòst captiuitatem tuam Babylonicam in qua dormire videbor tibi non succurrens; tandèm resurgam te liberaturus, sic in psalmo cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. *Quia iudicium meum* stabile est, *vt congregem Gentes, & colligam regna* Chaldæorum ad necem, & ruinam per Medos, & Persas. *Et effundam supèr eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra. Quia tùnc reddam populis labium* sermonem *electum* religiosum: sic Isa. 1. 26. *vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno*, vno corde, vnanimes in fide tecum. Vide Albam cap. 67. in cent. *Vltrà flumina Aethiopiæ* vltrà Nilum, *indè supplices mei*, mihi credentes *filij dispersorum meorum* Iudæorum proselyti *deferent munus mihi*, me adorabunt in Deum recognoscentes, similia suprà cap. 2. *In die illa non confundèris supèr omnibus adinuentionibus tuis malis* peccatis *quibus præuaricata es in me* præsertim idololatriæ: *quia tùnc auferam in medio tui magniloquos superbiæ tuæ* exaltantes te, & superbiam tuam *& non adijcies exaltari* superbia *ampliùs in monte sancto meo*, templo. *Et derelinquam in medio tui populum pauperem, & egenum: & sperabunt in nomine Domini*, hi reuersi à captiuitate, qui quò pauperiores, eo humiliores. *Reliquiæ Israel* superstitum ex captiuitate Babylonica *non facient iniquitatem, nèc loquentur mendacium, nèc inuenietur in ore eorum lingua dolosa*, boni enim fuerunt reseruati à Deo, & reducti. *quoniàm ipsi pascentur* à Domino *& accubabunt* tuti, *& non erit qui exterreat* fiduciam suam habentes in Domino.

Lauda filia Sion: Iubila Israel: lætare, & exulta in omni corde filia Ierusalem; inuitat nùnc ad gaudium tribulatione perempta. *Abstulit Dominus iudicium tuum* supplicium, pœnam, *auertit inimicos tuos* Chaldæos, & alios, *Rex Israel Dominus in medio tui* intrà te, qui in captiuitate, & deiecto templo, ac Ierusalem arsa videbatur eam dereliquisse, *non timebis malum vltrà*, quia ipse te proteget. *In die illa dicetur Ierusalem* à cæteris. *Noli timere: Sion, non dissoluantur manus tuæ*, proùt contigit Baltassari. Daniel. 5. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit* proteget, *gaudebit supèr te in lætitia*, cùm te viderit sibi obsequentem. *silebit in dilectione sua*, sic solent amantes amoris dulcedine irretiti, quorum vox faucibus hæret, hincquè ostendit vehementiam amoris, *exultabit supèr te in laude*, is mos amantium, laudare rem amatam; vide Ezechiel. 20. *Nugas* nugatores in excellentia, homines futiles, nihili nausi, sic dicimus, nedùm scelestus est, sed ipsum scelus, *qui à lege recesserant, congregabo* ad necem,

hi

hi enim non redierunt, *quia ex te erant: vt non vltrà habeas supèr eis opprobrium* dedecus apud alias Gentes. *Eccè ego interficiam omnes* Chaldæos, *qui afflixerunt te in tempore illo* per Persas, & Medos. *Et saluabo claudicātem* Ierusalem despectā, abiectam: *& eam, quæ eiecta fuerat, congregabo: et ponam eos in laudem, & in nomen* exaltabo *in omni terra confusionis eorum*, vbi iàm confusi erant, & pudorati. *In tempore illo, quo adducam vos: & in tempore, quo congregabo vos* præmissa fient. *Dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cùm conuertero captiuitatem vestram*, in qua a Babylonijs tenemini, in libertatem, *coràm oculis vestris* in conspectu vestro, *dicit Dominus*.

FINIS PROPHETIAE SOPHONIAE.

IN

IN AGGAEVM.

CAPVT PRIMVM.

IN *anno secundo Darij* Histaspis *regis* Persarum: de hoc, quia nullus rex tùnc in Israel, nequè alius pòst captiuitatem Babylonicam vllus legitimus, *in mense sexto, in die vna*, prima mensis, *factum est verbum Domini in manu Aggai propheta*, per Aggæum, seù verbis, aùt opera Aggæi, *ad Zorobabel filium Salathiel*, de quo 1. Paralip. 3. *ducem Iuda*, non Regem, quia Rex Darius, *& ad Iesum, filium Iosedec, sacerdotem magnum*, duo hi primores in populo, *dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondùm venit tempus domus Domini ædificandæ*, ità enìm sibi persuadebat, ex quo impedita fuerat ædificatio sub Esdra regnante Artaxerse. *Et factum est verbum Domini in manu Aggæi propheta, dicens: Numquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis*, ornatis, speciosis, *& domus ista* templum, locus templi cœpti *deserta?* sit. *Et nùnc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra supèr vias vestras*, directas ad opes congregandas, diligentèr excutite quid vobis faustum aduenerit pòst reditum à captiuitate templi fabrica neglecta, probat experientia. *Seminastis multum, & intulistis parum*, non iuxtà semen, vndè non processit à me benedictio, quæ multiplicasset: *comedistis, & non estis satiati* præ inopia: *bibistis, & non estis inebriati* satiati: *cooperuistis vos, & non estis calefacti* præ paucitate tegumenti. *Et qui mercedes* lucra, pecunias, *congregauit, misit eas in sacculum pertusum* perforatum, vndè euanuerunt. *Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra supèr vias vestras*, replicat, vt maiorem adhibeant diligentiam: *ascendite in montem* Libani, *portate* indè *ligna*, (nihil de lapidibus, quia non deerant in tot ruinis) *& ædificate domum* templum: *& acceptabilis mihi erit* domus, *& glorificabor* in ea. Pro ijs, quæ hìc de Arca per Riberam, vide scripta per me in Machabæis, & Hebræor. 9. *dicit Dominus: Respexistis ad ampliùs* putantes multum colligere, *& eccè factum est minus*, minus collegistis: *& intulistis in domum*, quod recollegistis, *& exsuflaui illud* proieci: *quam ob causam* existimatis hoc euenisse, *dicit Dominus exercituum? quia domus mea* templum, *deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam* rerum vestrarum soliciti. *Proptèr hoc supèr vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum: & vocaui siccitatem supèr terram, & supèr montes, & supèr triticum, & supèr vinum, & supèr oleum, & quæcunque profert humus, & supèr homines, & supèr iumenta, & supèr omnem laborem manuum*, eccè vndè sterilitas. *Et audiuit Zorobabel filius Salathiel, & Iesus*

ſus filius Ioſedec ſacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi vocem Domini ſui, & verba Aggæi prophetæ, ſicùt miſit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus à facie Domini, Dominum. *Et dixit Aggæus nuncius Domini de nuncijs* mādatis *Domini, populo dicens: Ego vobiſcum ſum, dicit Dominus*, quaſi neminem timeatis. *Et ſuſcitauit*, quomodò habetur 2. cap. *Dominus ſpiritum Zorobabel filij Salathiel, ducis Iuda*, is enim ierat in Ieruſalem. 2. Eſd. 13. 6. *& ſpiritum Ieſu filij Ioſedec ſacerdotis magni, & ſpiritus reliquorum de omni populo: & egreſſi ſunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei ſui*, non obſtantibus contradictionibus intrepidi.

CAPVT II.

IN die vigeſima, & quarta menſis, in ſexto menſe, in anno ſecundo Darij Regis. In ſeptimo menſe, vigeſima & prima menſis factum eſt verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: Loquere ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedec ſacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens: Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam, conſtructam a Salomone *in gloria ſua prima?* quia hęc inferior in ſtructuris: ideò 1. Eſd. 3 in fin. plangebant qui illam viderant, *& quid vos videtis hanc nùnc? Numquid non ità eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?* quaſi illam deſpicitis, nec perficere curatis. *Et nùnc confortare Zorobabel, dicit Dominus: Et confortare Ieſu filij Ioſedec ſacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum*, nè timeatis hanc domum minùs glorioſam prima futuram; hoc enìm angebat eos, qui Salomonicam viderant, & retardabat omnes à celeri ædificio. Non hæc ad impedientes, ſed ad gloriam templi, quod ex ſubſecutis apparet, dùm dicit *meum eſt aurum*, &c. *& facite* opus, ædificate, (*quoniàm ego vobiſcum ſum*, protegens, *dicit Dominus exercituum*) *verbum* enìm hoc eſt, *quod pepigi*, in pactum deductum *vobiſcum, cùm egrederemini Terra Aegypti*, nempè *& ſpiritus meus erit in medio veſtrum*, ego ipſe ero ad vos protegendos, & manutenendos, vt in Exodo, *nolite timere* bono eſtote animo: Nō poteſt vniri *facite* cùm dictione *verbum*, nàm hoc non ad illos, ſed ad Deum ſpectabat. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhùc vnum modicum eſt*, quomodò modicum, ſi adhùc reſtabāt 500. & plus anni? ſic eſt antè Deum, vide cumulata per me. Geneſ. 49 *Et ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam: & mouebo omnes Gentes*, ſic Iſa 64. Vtinàm diſrumperes cœlos, & deſcenderes, à facie tua montes defluerent, ſicùt exuſtio ignis tabeſcerēt, aquæ arderent igne, &c. Hæc dicta ad denotandam rei excellentiam, & magnitudinem; ſic illa, Et ſi nō potero ſuperos, Acheronta mouebo. Vel anteponitur quod erat poſtponendum, quia verè hæc facta pòſt aduētum Meſſiæ; vndè ipſe: veni ignem mittere in terram, &c. veni enìm ſeparare nurum à ſocru, ideoquè omnes Gentes ſubiecerunt ſe Euangelio, & is motus magnus: propreteà non ſunt hęc intelligenda de prodigijs in Chriſti Paſſione, quia hæc referenda ad miſſionem, & aduentum, & illius efficaciam, & valorem, quæ conſecuta ſunt; Non de die iudicij, quia Aggęus loquitur de primo, non ſecundo aduentu, clarè referēs hæc ad templum reædificādum; hunc locum Aggæi aſſumpſit Paulus. Hebr. 12. ibì dixi. *Et veniet deſideratus* Meſſias *cunctis Gentibus*, ſic Geneſ. 49. 10. & ipſe erit expectatio Gentium. & 26. deſiderium collium æternorum. & Iſa 42. deſideratus verò & expectatus, quia deſiderabilis fuit. Vel quia Gentes illo indigebant, dicimur enìm deſiderare quod nobis profuturum erat, etſi illud ignoremus, vel à ſubſecutis, quia Gentes illum receperunt, non Iudæi; expectamus enim quem recipimus: vide ſcripta Gen. 49. *Et implebo domum iſtam gloria* glorioſam, magnificentiſſimam reddam, *dicit Dominus exercituum. Meum eſt*

argen-

argentum, meum eſt aurum id mihi facile cùm horum Dominus ſim,& ſicût nùnc Zorobabel, & Ieſu ſpiritus moui, ità poſſum alios diuites mouere operaturos quæ dico; nàm cor Regis in manu Dei, &c. Prou. 21. *dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquàm primæ* aliqui intelligunt propriè de ſtructura templi, quæ ſub Herode exceſſerit Salomonicam, & pro hac opinione faciunt verba præcedentia. *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima, & meum eſt aurum, & argentum*, & ſecundùm hanc opinionem non poteſt intelligi de Eccleſia, vel de nebula domum implente tempore Salomonis, cuius maior Chriſtus ingreſſus in templum hoc; & quia hæc illis aùt inuiſa, vel de illis nulla ratio habita, ſi de ſtructura, & materia agitur. Hìnc eſt, quòd dixit de auro, & argento materialibus, quæ cùm non interuenerint, cùm ædificatum eſt ſub his, ſed ſub Herode; ideò neceſſariò de templo Herodiano intelligendum, alioquìn verba hæc vacarent, & tamèn sìc dicendo inferre voluit argento, & auro cooperiendum eſſe, & hanc ſtructuram glorioſam deſiderabant Iudæi; quibus credendum eſt à Deo reſponſum fuiſſe iuxtà eorum deſiderium. At Recentiores reſpuunt hanc opinionem, & tenent communem gloriam maiorem templi huius ex Chriſto illud frequentante, cui opinioni fauet, quia pòſt mentionem Meſſiæ ſubdit de gloria domus; & reſpondet Ioſepho, in quo fundatur præcedens opinio: vndè difficultas ſtat in facto, an glorioſior ſtructura templi ſub Salomone, vel Herode, & quæ fides adhibenda Ioſepho; Hanc ſecundam opinionem tenet, & firmat multis Galatin. lib.4. vide ad prædicta à ver. adhùc modicum. Albam cap.68. in centur. *dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem*, vt operemini abſquè impedimento, & fiat quod dixi; non enìm hìc de pace tempore Meſſiæ: tùm quia de illo dixerat: tùm quia de templo eſt ſermo: tùm quia illam non reſtrinxiſſet ad locum vnum, ſed generalitèr de ea pronunciaſſet, vt in alijs locis de illa agentibus, *dicit Dominus exercituum*.

In vigeſima, & quarta noni menſis, in anno Darij Regis factum eſt verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga ſacerdotes legem, hìnc Sacerdotes ſcientes eſſe debere, vt alios doceant, *dicens: Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, aùt pulmentum, aùt vinum, aùt oleum, aùt omnem cibum: numquid ſanctificabitur? Reſpondentes autèm ſacerdotes, dixerunt: Non*, nàm Leuit. 6. 28. iubetur tantùm lauari veſtis, quæ ſanctitatem non retinet. *Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima*, idèſt homo in ſeipſo, *ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et reſponderunt ſacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur*. Numer. 19. 22. *Et reſpondit Aggæus, & dixit: Sìc populus iſte, & sìc gens iſta antè faciem meam, dicit Dominus, & sìc omne opus manuum ſuarum: & omnia, quæ obtulerunt ibì, contaminata erunt*, quia ipſi polluti ex eo quòd, vt dixit, domos (templo ommiſſo) ædificarunt, & ſupèr altare, quod ſolùm erexerant, ſacrificabant: sìc & Ierem. 11. *Et nùnc ponite corda veſtra* animaduertite *à die hac, & ſuprà, antequàm poneretur lapis in templo Domini. Cùm accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem, & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti. Percuſſi vos vento vrente, & aurugine, & grandine omnia opera manuum veſtrarum*, demonſtrat quomodò antè iacta fundamenta templi integra; nàm aliqua erant diminuta. 1. Eſd. 3. omnia ſterilia. *Et non fuit in vobis qui reuerteretur ad me*, paratus ad templi ædificationem, vt vobis benedicerem, *dicit Dominus. Ponite corda veſtra ex die iſta, & in futurum, à die vigeſima, & quarta noni menſis: à die, qua fundamenta iacta ſunt templi Domini, ponite ſupèr cor veſtrum. Numquid iàm ſemen in germine eſt. Et adhùc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit? Ex die iſta benedicam* nùnc multiplicabo fructus. *Et factum eſt verbum Domini ſecundò ad Aggæum in vigeſima, & quarta menſis, dicens: Loquere ad Zorobabel ducem*

cem Iuda, dicens: Ego mouebo cœlum paritèr, & terram. Et subuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni Gentium: & subuertam quadrigam, & ascensorem eius: & descendent equi, & ascensores eorum, vir in gladio fratris sui peribit, nullus erit tutus, erit maxima rerum mutatio, & reuolutio: & tamèn *In die illa, dicit Dominus exercituum assumam te,* & protegam *Zorobabel filij Salathiel serue meus, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum* annulum, cuius ea ratio habetur, vt digito teneatur, vt nullus tibi insultet; sic Eccles. 49. 13. *quia te elegi* in ducem populi, & ædificatorem domus meæ, *dicit Dominus exercituum.*

FINIS PROPHETIAE AGGAEI.

IN

IN
ZACHARIAM.
CAPVT PRIMVM.

IN *mense octauo, in anno secūdo Darij Regis* filij Histaspis, *factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ,* hic, de quo Christus Matthæ. 23. occisus à Iudæis pòst reditum à captiuitate Babylonica, vt tenui 4. Reg. 12. & hic alij, vide Fernand. visio. 29. sectio. 1. *filij Addo, prophetam,* diuersus hic Addo ab illo, de quo 2. Paralip. 9. 29 tempora enim illi non conueniunt, *dicens: Iratus est Dominus supèr* contrà *patres vestros iracundia* proptera Ierusalem deserta, ipsi captiui, hæc ratio eorum calamitatis. *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini ad me* per veram pœnitentiam ex libero vestro arbitrio, assentientes Dei præcedenti impulsui: vide hic Messanam, & Concilium Tridentinum, *ait Dominus exercituum: & conuertar ad vos* vos recipiam sub protectione mea, seù præsidium meum continuabo, *dicit Dominus exercituum: Nè sitis sicùt patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini de vijs vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: Et non audierunt, nequè attenderunt ad me, dicit Dominus,* & sic constat 2. Paralip. 36. 15. *patres vestri vbi sunt?* quasi ipsi non audientes perierunt, *& prophetæ* boni, illi; de quibus præcessit sermo coniunctus, & de quibus sempèr agit; & non video cur de his non intelligendum, *numquid in sempiternum viuent?* quasi deficient tibi & hi, à quibus non admoneberis. *Verumtamèn verba mea, & legitima mea, quæ mandaui seruis meis prophetis* supradictis, *numquid non comprehenderunt patres vestros,* immò illis euenerunt per eos prædicta, *& conuersi sunt* vexatione edocti, *& dixerunt: Sicùt cogitauit Dominus exercituum facere nobis secundùm vias nostras, & secundùm adinuentiones nostras fecit nobis,* cauete ergò, nè & à vobis hæc dicenda sint. *In die vigesima, & quarta vndecimi mensis Sabath, in anno secundo Darij, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo, prophetam,* quod explicuit ipsi, *dicens: Vidi per noctem* is vnus modus, quo Deus communicat Prophetis, *& eccè vir* Angelus Michael ex cōmuni, *ascendens supèr equum rufum* ad denotandam celeritatem exequendi negotium defensionis populi, si indiguisset, sed non fuit necesse, quia omnia erant parata, vt infrà, & gloriam sessoris, seù strages per eum factas, vel iuxtà necessitatem faciendas ad Apoc. 6. & 19. *et ipse stabat intèr myrteta,* arbores densas, *quæ erant in profundo,* amantia loca palustria: hinc denotatur Angelum more militis in insidijs expectantis ibi stetisse: *et pòst eum equi rufi, varij, et albi,* sessores Angeli per-

ambulatum missi, in ministerium dati, vide Pined. Iob. 22. vers. 2. hæc diuersitas in eis ad ostendendam Angelorum varietatem. Si hi Angeli, qui sequebantur, vel erant pro Michaele, & perambulabant, quomodò sub his populi infesti, vel Reges intelliguntur? potiùs sub his coloribus repræsentari posset ministerium eorum, vel opus contrà Gentes, ad quas missi, vt in Apocal. 6. & 19. *Et dixi: Quid sunt isti Domine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me,* ad me, erat enim visio: ideò non puto quòd substantia Angeli esset intrà Zachariam, quod nèc dicitur in alio Propheta. *Ego ostendam tibi quid sint hæc. Et respondit vir, qui stabat intèr myrteta, et dixit: Isti sunt, quos misit Dominus, vt perambulent terram,* non ad custodiendum eis datam, sed simplicitèr potiùs, quia perambulare non denotat custodiam præcedentem; quæ in sistendo consistit, & quia nō dicerentur sequaces Michaelis. *Et responderunt Angelo Domini, qui stabat intèr myrteta, et dixerunt* rationem dant suæ circuitionis Michaeli: *Perambulauimus terram, et eccè omnis terra habitatur, et requiescit,* pacifica omnia inuenimus; eccè pax de qua Aggæi 2. & hoc bonum nuncium pro Iudæis, ideo omnis terra restringitur ad regiones, à quibus poterant Iudæi timere, non simplicitèr ad totum orbem. *Et respondit Angelus Domini,* qui loquebatur cùm Zacharia, qui intelligens terram pacatam mouetur, *et dixit: Domine exercituum vsquequò tu non misereberis Ierusalem, et vrbium Iuda, quibus iratus es?* vt scilicèt ædificentur: non hìc de libertate iàm data. *Iste iàm septuagesimus annus est* præterijt, impletus a multo tempore, quo tu promisisti id facturum. Cùm hic agatur de annis sub Dario Histaspis, dic agi de septuagesimo anno à die incendij templi, de quo scopus est Zachariæ; nàm iàm populus redierat in terram promissionis sub Cyro, vide Ierem. 28. & ibi Castrum, & hìc Sanctium: eundem Sanctium Daniel. 9. num. 13. & 14. Fernand. visio. 29. sectio 1. *Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba consolatoria. Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum,* a quo accepi. *Zelatus sum Ierusalem, et Sion zelo magno,* compatiens tot earum calamitatibus. *Et ira magna irascor supèr Gentes opulentas,* quæ illas destruxerunt, & male tractarunt: *quia ego iratus sum parùm* in eas, *ipsi verò adiuuerunt in malum* sæuientes in eas, & nouas calamitates addentes, quas non iussi; sic & Isa. 10. & 47. & Agg. 2. in fin. *Propterea hæc dicit Dominus,* cuius iræ iàm satisfactum: *Reuertar ad Ierusalem in misericordijs* protegam eam: *et domus mea* templum *ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: et perpendiculum* pro ædificio *extēdetur supèr Ierusalem. Adhùc, clama dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Adhùc affluent* superabundabunt *ciuitates meæ bonis: et consolabitur adhùc Dominus Sion, et eliget adhùc Ierusalem* in suam. *Et leuaui oculos meos, et vidi: et eccè quattuor cornua,* populos potentes à quattuor orbis partibus, & præsertim Iudeæ circumuicinos. Nihil hìc de Græcis, vel Romanis, qui Iudæis adhùc nullum malum intulerant. *Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? Et dixit ad me: Hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam, Israel, & Ierusalem. Et ostendit mihi Dominus quattuor fabros* Angelos *Et dixi: Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt,* sic & 3. Reg. vlt. *Iudam per singulos viros* Reges, quantùm ipsi potuerunt, *& nemo eorum* Iudæorum *leuauit caput suum* potuit eis resistere, *& venerunt isti deterrere ea* nè noceant Iudæis, *vt deijciant cornua* potentiam *Gentium* infestarum, *quæ leuauerunt cornu supèr terram Iuda, vt dispergerent* ventilarent *eam,* & sic venerunt ad defensam Iudæorum hi fabri ad cornua obstantia sedanda; At primi deambulatores, & inspectores tantùm.

CAPVT II.

E*T leuaui oculos meos, & vidi: & eccè vir* Angelus, *& in manu eius funiculus mensorum* ad mensuras capiendas pro reædificanda Ierusalem; sìc & Ezech. 4. *Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me: Vt metiar Ierusalem, & videam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius* pro ędificio fiendo *Et eccè Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius. Et dixit ad eum: Curre, & loquere ad puerum istum*, Zachariam horum ignarum, & scire optantem supèr huiusmodi ædificio; sìc Ioan. 21. pueri nunquid pulmentarium habetis? *dicens: Absquè muro*. Hoc dicit ad denotandam multitudinem redeũtium à captiuitate, quasi non capiet habitatores. Isai. 45 19. *habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: et in gloria ero in medio eius*, ego illam defendam, tutam reddam & gloriosam, proùt & suprà c. 1. in fine per fabros, *murus ignis* ad denotandam custodiam tutam, proùt in Cherubim custodiente paradisum. Genes. 3. *O, ò, fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: Quoniàm in quattuor ventos cœli*, in quattuor partes, Chaldæi enim & Assyrij hùc, illùc dispersérunt Hebræos per omnia eorum regna, & aliqui in Aegyptum, & alias regiones abierant, *dispersi vos, ait Dominus. O Sion*, reliquiæ tàm Iuda, quàm Beniamin, quia harum duarum Tribuum erat ibi habitatio, quæ adhùc permanetis in Babylone, nàm iàm maior pars redierat, *fuge quæ habitas apud filiam Babylonis*, Babylonem, vel eius Ciuitates. *Quia hæc dicit Dominus exercituum*, adhùc loquitur Angelus, qui suprà inducitur: *Pòst gloriam* vestram reductionem à captiuitate, vel *gloriam* maiestatem, pulchritudinem tuam, de qua suprà, *et gloria ero in medio eius*, hinc dixit Soph. 3. 10. dabo vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, & alibi sæpè, *misit me ad Gentes* debellandas, & perdendas, est materia eadem in cap 1. *quæ spoliauerunt vos* immanitèr: *qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*, tanta erit protectio Dei erga vos. *Quia eccè ego leuo manum meam*, potentiam meam *supèr eos* contra eos, ad eorum perniciem, *et erunt prædæ his, qui seruiebant sibi* vobis, qui eorum fuistis captiui: sìc vbiquè in Prophetis, & Ierem. 25. 12. *Et cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me* Angelum suum ab euentu, quia omnia verificabuntur. Deuter. 18. *Lauda, et lætare filia Sion*, sìc & Soph. 3. 14. *quia eccè ego venio, et habitabo in medio tui*, ad te protegendam, & gloriosam reddendam, *ait Dominus. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa*, videntes mirabilia, quæ faciam: ex Gentibus enim multi iuerunt cùm captiuis redeuntibus in Terram promissionis, vt in Esdra, & de Hebræis aliarum Tribuum. Ierem. 29. 14. *Et erunt mihi in populum*, quia legem meam tecum amplectentur, *et habitabo in medio tui* te protegens, *ait Dominus: et scies* ò Zacharia, *quia Dominus exercituũ misit me* Angelum suum *ad te*. Deut. 18. informandum, & vera esse quæ nuntio. *Et possidebit Dominus Iudam partem suam*, hæreditatem suam *in terra sanctificata* promissionis, *& eliget adhùc Ierusalem* in suam. *Sileat* timeat *omnis caro*, homo, *à facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo*, Omnipotens ad protectionem Israel, cui non est qui resistat. De verbis *sileat*. Habac. cap. 2. & pluriès in alijs Prophetis; & de verbo *consurrexit* idem Sophon. 3. in die resurrectionis.

CAPVT III.

ET *ostendit mihi Dominus* in visione illa per noctem *Iesum sacerdotē magnum*, de quo, & Aggæus, *stantem coràm Angelo Domini*, Dominum repræsentāte, fortè orantem pro populo, & ciuitate Ierusalem. *Et Satan stabat à dextris eius* contrà omnem eius potentiam, seù ius agēs, & potiorem causam prætendens, vt Iob. 1. & 2. *vt aduersaretur ei*, contradiceret, nè reædificaretur templum, & Ierusalem, *Et dixit Dominus*, Angelus repræsentans Deū *ad Satan: increpet*, reprimat furorem tuum, sic Epist. Iudæ, imperet tibi, *Dominus in te Satan: & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem* in suam, ei reconciliatus est, quā tu nolles reædificari; hinc non puto de peccatis Sacerdotis agi: *numquid non iste torris est*, igne tribulationum exustus, *erutus de igne?* captiuitatis Babylonicæ, à quo modò redijt me volente, vt sit mihi Sacerdos, & ædificet mihi domum, *& Iesus indutus erat vestibus sordidis*, à captiuitate exportatis, nondùm Pontificias vestes assumpserat, *& stabat antè faciem Angeli*, iudicium ab eo expectans, *qui* Angelus, ideò verisimiliùs & suprà Angelum, non Deum loqui, *respondit, & ait ad eos, qui stabant coràm se*, Angelos minores, *dicens* ex ore Dei: *auferte vestimenta sordida*, relata ex captiuitate: sic paterfamilias afferte stolam, &c. Luc. 15. *Et dixit ad eum: eccè abstuli à te iniquitatem tuam*, sordes ex captiuitate contractas, hinc suprà *torris erutus de igne, & induite mutatorijs* pretiosis vestibus, candidis, *& dixit. ponite cidarim mundam supèr caput eius*, ornamentum sacerdotale, *& induerunt eum vestibus* sacerdotalibus, vt conformes essent cùm Cidari, *Et Angelus Domini stabat*, donèc omnia perficerent. *Et contestabatur*, protestabatur *Angelus Domini Iesum dicens: hæc dicit* Dominus exercituum: *Si in vijs meis ambulaueris, & custodiam meam*, præcepta mea *custodieris, tu quoquè iudicabis*, reges, pòst enim captiuitatem Babylonicam Sacerdotes gubernabant. Ioseph. 11. Antiq. cap. 4. dixi Genes. 49. *domum meam*, populum Israel, *& custodies atria mea*, diù fungeris sacerdotio tu, & filij tui; *& dabo tibi* ad tuam custodiā *ambulantes de his, qui nùnc assistunt* Angelis, & sic positi in dignitates plures habent Angelos custodes. *Audi Iesu* magna dicturus captat attentionem *Sacerdos magne tu, & amici tui, qui babitant coràm te, quia vini portendentes sunt*, desiderantes scire futura; sic futura & Danieli viro desideriorum multa reuelata. *ECCE ENIM EGO ADDVCAM SERVVM MEVM ORIENTEM*, Messiam, qui aliàs, sumpta metaphora ab herbis, germen dictus ex virga Iesse florens. *Quia eccè lapis*, idem Messias futurus lapis angularis, & primarius Ecclesiæ, vtrūque parietem vniens, *quem dedi*, ostendi, dixi me adducturum, *coràm Iesu* Sacerdote: *supèr lapidem vnum septèm oculi sunt*, septem spiritus, de quibus Apoc. 1. & 5. discurrentes per totum orbē, hincquè denotatur prouidentia, & custodia Christi ergà suam Ecclesiam: & ipse dixit, ego vobiscum sum omnibus diebus vsquè ad consummationem sæculi: Horum spirituum vnus Raphael Tob. 12. 15. alter fortè Gabriel, dicens, asto antè Deum Luc. 1. 19. alter Michael, vnus ex principibus primis Dan. 10. 13. & quòad Angelos, dicit Christus, videbitis Angelos ascendentes, & descendentes supèr filium hominis, illi famulantes: *eccè ego cælabo sculpturam eius*, vt ex impolito fiat lapis angularis, probatus, politus Isa. 28. patiar eum Cruci affigi proptèr scelus populi mei Isa. 53. *ait Dominus exercituum. Et* morte eius deletura chirographum, *auferam iniquitatem terræ illius*, totius orbis, *illius*, ei enim data potestas omnis in cœlo, & in terra, *in die vna*, quæ ab Adam cœpit, & sempèr incrementū sumpsit: hinc Agnus occisus ab origine mundi; vel qua die crucifixus. *In die illa, dicit Dominus exercituū, vocabit vir amicum suum subtèr vitem, & subtèr ficum*

erit

erit pax magna, & quies: hac phrasi ferè omnes Prophetæ vtuntur ad pacem denotandam, & dixi Genes. 49. in Iuda.

At cur nùnc de Messia? puto quia mundauerat Iesum filium Iosedec à sordibus voluisse ea occasione insinuare Deum esse mūdaturum totum mundum ab iniquitate per Messiam à se adducendum, qui est scopus omnium Prophetarum;& propterea de illius prouidentia ergà Ecclesiā,& morte secutura dixisse. Ex visionibus his cap. 1. 2. & 3. intendit Deus ostendere omnia sustulisse impedimenta contrà fabricam templi, & Ierusalem,& illius prosecutionē tutò obeundam.

CAPVT IV.

ET reuersus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitauit me quasi virum, qui suscitatur de somno suo, sic ei in visione videbatur, vndè substantia Angeli non erat in Zacharia: *& dixit ad me, quid tu vides?* prouocat ad interrogandum, *& dixi, vidi* video, *& ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius supèr caput ipsius, & septem infusoria lucernis, quæ erāt supèr caput eius*, quia hæc omnia in templo perfecto Salomonico esse solebāt, demonstratur perfectio templi futura, de qua agebatur, non enim fuit contentus Dominus ostendere templum perfectum, voluit & ornatum demōstrare ad maiorem certitudinem, *Et duæ oliuæ supèr* iuxtà *illud: vna à dextris lāpadis, & vna à sinistris eius*, hi duo Cherubim, quos ex arbore oliuarum factos posuit Salomon in templo vnum à dextris, alterū à sinistris 3. Reg. 6. 23. dicit enim in templo illo existentia non extranea, & benè Cherubim congruunt verba in fine, *qui assistunt dominatori vniuersæ terræ*, hi verò possent esse Michael, & Gabriel iuxtà Danielem stantes, & orantes pro populo; Gabriel Luc. 1. 23. dicit, asto antè Deum; Michael vnus de principibus primis ex Daniele: is intellectus eo magis procedit, quia & septem lucernas ponit pro septem Angelis dicens, *septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram*, vndè præsumendum & in oliuis de Angelis dici non discurrentibus, vt septem, sed astantibus. Confirmatur, quia infrà cap. 7. habentur similia verba, vt stent coràm Dominatore omnis terræ, & intelliguntur de Angelis, & cap. 3. de his, qui nùnc assistunt, similitèr de Angelis. Sic Apoc. 11. hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes, de Enoch, & Elia.

Non puto posse intelligi de Zerobabele, aut Iesu, proùt Alcasar Apoc. 11. versic. 4. quia quomodò dici potest ipsos assistere *Dominatori vniuersæ terræ?* & quia loquitur de stantibus in templo, & materialibus, proùt candelabrum, & sub vna structura verborum, vndè non sunt hæc diuerso iure censenda, sed omnia templaria iudicanda.

Neque de Elia, vel Enoch, quia ad quid de his mentio in hoc loco, & materia? de illis suo loco Apocal. 11. & potiùs de primis hæc capi possent, quia illis aliquo modo aptantur: & pratèr Eliam, & Enoch de nullo viuente, vel sancta anima in cœlo existente dictum assistere à dextris, vel sinistris DEI, nisi de Beatissima Virgine, proùt intelligimus illud; Astitit regina à dextris tuis, in sensu mystico, & de Angelis 3. Regum 22. 19. Iob 1. 6. 2. 1. Apoc. 1. & sæpè legitur de Elisæo dicente de Deo, antè cuius conspectū sto: Vigintiquattuor Senioribus stantibus antè thronum Apoc. 4. multis ambulantibus coràm Deo, vt de Noe, Enoch, & alijs: At de assistentibus à dextris, vel à sinistris non memini legisse, nisi Apocal. 11. ideò postquàm non exprimitur de quibus, proùt ibì, standum in regula, & intelligendum de assistentibus in cœlo, non de his, qui nèc pro sanctis habentur in Ecclesia.

Dubitauit autē supèr his Zacharias, quia non expressit figuras Angelorum loquens Angelus, proùt erant in templo, sed sub spicis, & oliuis. Dicuntur autèm Cherubim hic duæ oliuæ, & filij olei, quia deprecantur Deum, & eius iram leniunt, faciuntquè placabilem populo; olei enim est linire, vt dixi

dixi Apoc. 11. in Enoch, & Elia. Nihil de Arca agitur, quia non erat reportanda in templo, neque tunc manifestanda, vt alibi dixi.

Et respondi, & aio ad Angelum, qui loquebatur in me, dicens: quid sunt hæc Domine mi? & respondit Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me, numquid nescis quid sint hæc? Et dixi, Non, Domine mi: Et respondit, & ait ad me dicens. Hoc est verbum Domini ad Zorobabel dicens; Si hoc ad Zorobabel, quomodò Zorobabel, & Iesus sub oliuis? de hoc enim clarè, proùt & c. 3. vndè nō præsumitur de illo, vel Iesu sub figura dicere in eodē cap. Sed quid intendit? vult dicere, sicùt vidisti templū nedùm perfectum, sed etiàm ornatum candelabro, ità *non in exercitu, & in robore, sed in spiritu meo*, in virtute, fortitudine mea ædificabis, vndè repræsentantur omnia ad perfectionē templi. *dicit Dominus exercituum, Quis tu mons magne?* diabole, qui insultabat Zorobabeli; vel gens aduersaria à dæmone excitata, nè templum perficeretur: vel quia dicit *coràm:* sub monte intelligit difficultates in ædificando successuras, quod videtur tutius sicùt Mulieres;. quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? *coràm Zorobabel?* quasi non succedet hoc, immò in planum redigeris, consummaberis, vinceris, *& ipse educet* ad ædificium *lapidem primarium* totum ædificium perficientem, & extremum, *& exæquabit* parem faciet *gratiam gratiæ eius* formositatem formositati, venustatem venustati templi, faciet pulchrum, gratiosum ædificium totum; sempèr tendit ostendere templum fabricandum absquè vlla difficultate. *Et factum est verbum Domini ad me dicens: manus Zorobabel ædificauerunt domum istam. Et manus eius* non alterius, *perficient eam*, hæc ad maiorem, & celerem stabilitatem successuram repetita, quæ perfectionem domus confirmant, & scietis ab effectu dictorum, *quia Dominus exercituum misit me* Zachariam *ad vos* stabiliendos, & certos reddendos ædificij perficiendi. *Quis enim despexit dies paruos?* in expectando, quasi nullus, vult dicere, parùm expectabitis, & videbitis quod dico, *& lætabuntur* transmigrati (mutat personam) *& videbunt* oculis suis, nèc decipientur, *lapidem stanneum*, perpendiculum cæmentarij *in manus Zorobabel*, hoc ad denotandam celeritatem ædificij. *Septem isti oculi* supèr lapidem, cap. 3. vel lucernæ supèr candelabrum *sunt* Angeli *Domini, qui discurrunt in vniuersam terram*, vndè de eius potentia, & prouidentia, & fidelitate dubitare non debetis, quin sit adimpletutus quod promittit. *Et respondi, & dixi ad eum: quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius?* de his anxius est Propheta; *Et respondi secundò, & dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxtà duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro?* repetit dubitans, & anxius: *Et ait ad me, dicens: Numquid nescis quid sunt hæc? & dixi, Non, Domine mi. Et dixit, isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ*, Angeli, seù Cherubim Deo assistentes, rogantes Dominum pro populo, illumquè placantes, & mollientes, proùt oleum facit. Totus igitùr scopus capitis est ad ostendendam certitudinem, & celeritatem ædificij templi, & ornatum.

Non obstat non describi candelabra, vel alia, proùt olìm erant, quia parùm refert id volenti tantùm ostendere templum perficiendum esse, & ornandum; attenduntur enim principalia, non quædam accessoria. Prætereà nonnè subobscurè admodùm tradidit de Cherubim? voluit & alia aliquo modo obscurare.

CAPVT

CAPVT V.

ET *conuersus sum & leuaui oculos meos: & vidi, & eccè volumen*, liber inuolutus *volans*. *Et dixit ad me, quid tu vides? & dixi, ego video volumen volans*, quasi citò educendum, *longitudo eius viginti cubitorum*, peccatis plenum, quorum immensitas ex cubitis: *& dixit ad me, hæc est maledictio* pœna, iudicium, *quæ egreditur supèr faciem omnis terræ* Israeliticæ, de qua sermo est, *quia omnis fur*, *sicùt ibi*, in volumine *scriptum est*, *iudicabitur* punietur, *& omnis iurans* spreto Deo, primum in proximum, hoc in Deum, *& hoc similitèr iudicabitur. Educam illud* volumē, quod ad ipsos non peruenturum putant, *dicit Dominus exercituum & veniet* puniturum *ad domum furis*, *& ad domum iurantis in nomine meo mendacitèr*, *& commorabitur* stabit, dominium sumet, non transibit, *in medio domus eius*, *& consumet eam*, *& ligna eius*, *& lapides eius*, omnem substantiam, hæc peccata, & pœnam instantem prædicit propheta, vt corrigantur; Eccè peccata, quæ ab aliquibus negantur fuisse in eo populo à captiuitate reuerso, vltrà alia, quæ in Esdra habentur, & hinc potuerunt capere ansam occidendi Zachariam, & ex sequentibus. *Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me*, *& dixit ad me: leua oculos tuos*, *& vide quid est hoc*, *quod egreditur*, *& dixi quidnam est? & ait*, *hæc est amphora* mensura peccatorum Iudæorum, *egrediens*, *& dixit*: hæc mensura, amphora *est oculus eorum* mens, scopus illorum ad impietatem anhelantium, quam respiciunt in omnibus actionibus eorum, nèc aliud attendunt *in vniuersa terra* Israelitica; *& eccè talentum plumbi portabatur* ad amphoram cooperiendam, & stabiliendam. *Et eccè mulier vna sedens*, ad firmitatem & contumaciam in peccatis arguendam, iuxtà illud, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Psal. 1. *in medio amphoræ*, *& dixit: hæc est impietas*, peccatum maximum, prout dicimus, nedùm impius, sed ipsa impietas, quæ tùnc non erat impleta, sed pòst impletionē mensuræ, (de qua Christus Math. 23.) & in profundum descensum, subdit, *& proiecit eam in medio amphoræ*, ita vt tota esset intùs amphoram, quæ priùs sedebat in ea; quod tùnc fuit, quandò Christo mortem dederunt, *& misit massam plumbeam in os eius*, nè euaderent, sed supplicio subderentur perpetuæ captiuitatis Romanæ. *Et leuaui oculos meos*, *& vidi*, *& eccè duæ mulieres*, superbia Deum spernens: & confidētia non esse puniendos, proùt illi primi in terra Sannaar turrim ædificantes; seù obcœcatio, & obstinatio, quæ fuerunt in Iudæis singulares, *egredientes*, *& spiritus* ventus ad velocitatem denotandam, *in alis earum*, *& habebant alas quasi alas milui*, ad volatum pernicissimi, *& leuauerunt amphoram intèr terram*, *& cœlum*, illam asportaturæ in partes longinquas, *& dixi ad Angelum*, *qui loquebatur in me: quò istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me*, *vt ædificetur ei domus* perpetuæ captiuitatis, nam citò discessuri non ædificant domum, *in terra Sennaar*, dispersionis, sub qua totus mundus, in quo Hebræi captiui.

De Babylone expressum, nō ad denotandam duritiem captiuitatis Romanæ ab experientia vicina, sed dispersionem populi per totum orbem, proùt in Sennaar factum, dùm ædificaretur turris Babel. Aduerte nulla hìc mentio peccati idolòlatriæ, quia pòst reditum à Babylone ad eam non declinarunt. *& stabiliatur*, *& ponatur ibì supèr basem suam*, hinc & perpetuitas captiuitatis.

CAPVT VI.

ET *conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi, & eccè quattuor quadrigæ*, de his Habac. 3. & quadrigæ tuæ saluatio, & Isai. 37. & in Elisæo, & puero 4. Reg. 6. *egredientes de medio duorum montium*, quasi ab alto, *& montes, montes ærei*, ad denotandam eorum fortitudinem maiorem ex loco, vndè exibant. *In quadriga prima equi rufi: et in quadriga secunda equi nigri: & in quadriga tertia equi albi: & in quadriga quarta equi varij, & fortes*, isti omnes Angeli sic repræsentati, hi enim variè repræsentantur in Scriptura iuxtà actiones varias, seù ministeria Apoc. 4. in forma animalium, & Isai. 6. & Ezech. 1. & 10. & in ventis Dan. 7. 2. nèc miranda varietas equorum, quia & suprà cap. 1. vir ascendens supèr equum rufum, & pòst eum equi rufi, varij, & albi. & Apocal. 19. sequuntur verbum in equis albis: & alibi in Apocal. alio stemmate, Et capit. 6. apparet de simili equorum varietate in malis Angelis. ideò non video quomodò hæc visio trahi possit ad regna, vel similia, quæ omnia excluduntur ex verbis, *vt stent coràm Dominatore omnis terræ*, hæc enim ad Angelos spectant, vt dixi capite quarto in fin. non ad regna, vel similia; & quia descendunt ab alto, & quia cùm scopus sit certos reddere Iudæos ædificationem templi citò futuram, hæc ostenduntur ad declarandam potētiam Dei magnam, omnia impedimenta superaturam iuxtà præmissa in alijs capitulis, & prouidentiam suam, & dominium supèr omnem terram, ideò etiàm dicit *coràm dominatore omnis terræ*. hæc autèm quid ad regna, vel quid regna ad hæc?

Hic non agitur de fine vllius regni, nullũ regnum designatur, nulla datur successio, proùt in Daniele, immò regnum Chaldæorum euanuerat, quomodò ergò vidit illud egrediens? Et quomodò datur interuallum à regno Romanorum vsquè ad Christum, apponendo Gothos, cùm iàm regnũ Christi esset in flore? immò à Romanis citrà nullam credo in Scriptura haberi mentionem aliorum regnorum, nisi Christi, & si agitur de Christo, nõ hic vt superaturo omnia regna, proùt in Daniele, sed occasione Iesu Iosedec, & ædificationis spiritualis tẽpli ex mẽtione materialis spiritualis.

Præterea, cur ex vno colore vnum regnũ, ex alio aliud? omnia regna cætera destruentia ex sanguine rubea, seù rufa, ità verbum in Antichristum Apocal. 19. & cap. 6. in Angelo malo.

Præterea, cur vis ommissum regnũ Chaldæorum, quod designas in prima quadriga? cur non de illo etiàm dictum, quod in Hebræos executum fuerat? cur de secundo Medorum, & Persarum, qui iàm diuinam voluntatem executi fuerant in Chaldæos? idem enim erat vel iàm seruisse Deo, vel regnum extinctum quòad egressum: Cur in tertia quadriga albi equi, ideò parcentes? immò albi, quia triumphantes, vt Apocal. 19. & multotiès vincentes absquè armorum violentia.

Cur hi regna, cùm dicat Angelus ventos esse cœli per totum orbẽ discurrentes? quomodò recedimus à declaratione Angeli, & trahimus ad imperia terrena? quomodò regna stabũt *coràm Dominatore omnis terræ?*

Sed iterùm insisto, si vidit etiàm primam egredientem, vtiquè de extante loquitur, non de extincta, ideò non conuenit regnò Chaldæorum extincto. Dices, non refert factum ab illa; at ex hoc non potes dicere non extitisse; extabat enim, sed noluit vlteriùs progredi, quia non referebat.

Addo, quomodò imperium Romanorum sub quadriga quarta, postquàm ibì varij, quod Romano non conuenit, quicquid esset de fortibus; & quia vti diuersi distinguũtur? Prætereà in primo cap. ijdem dicuntur Angeli, quomodò hi diuersi?

Et respondi, & dixi ad Angelum: qui loquebatur in me. quid sunt hæc Dominè mi? & respondit Angelus, & ait ad me: isti sunt quattuor vẽti cœli, sic & de vento Ezech. 1. & in

& in Psal. qui facis Angelos tuos spiritus,& ministros tuos ignem vrentem; in vento autèm ad eorum velocitatem, & potentiam demonstrandam. *qui egrediuntur, vt stent coràm Dominatore omnis terræ*, expectantes iussa capessere. *In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis, & albi egressi sunt pòst eos, et varii egressi sunt ad terram Austri. Qui autèm erant robustissimi, exierunt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram; & dixit: ite, perambulate terram, & perambulauerunt terram*, describit ministerium singulorum, quod est discurrere supèr terram more venti, & idem dixit cap. 1. 11.

At cur equi rufi nō referantur egressi ad regionem vllam nō non video aliam rationem, nisi quia iussionem abeundi non receperūt: sìc & Michael insidens supèr equum rufum paratus stabat intèr myrteta, neque exijt, quia non fuit necesse referentibus Angelis discurrentibus omnia esse pacata capit. 1. & equus Michaelis rufus, proùt hic. *Et vocauit me, & locutus est ad me dicens: Eccè qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis*, fortè ob flagella ibì irrogata eorum impulsu iuxtà peccata habitantium; hìnc hi nigri. Hæc non possunt intelligi de clade illata Babylonijs per Persas, quia iàm secuta erat; prophetia verò est de futuris, aliòquin si de præteritis, & de Chaldæorum flore dixisset. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Sume à transmigratione*, transmigratis, *ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia: & venìens tu in die illa*, quandò hæc præstabis, *& intrabis domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone, Et sumes*, hoc declaratur verbum præcedens *sume, aurum, & argentum*, oblata, *& facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec Sacerdotis magni*, hoc ad reddendùm certum populum, templum esse citò ædificandum, in quo Sacerdos ministraturus ornatus, *& loqueris ad eum dicens: hæc ait Dominus exercituum dicens*, nedùm quæ dixi fient, sed maiora: nā *ECCE VIR ORIENS* germen *NOMEN EIVS*, nùnc à filio Iosedec transit ad Messiam, & à templo materiali, & Ierosolymitano ad Ecclesiam, is Messias, veniet tempus, instat: *& supèr eum* Iesum filium Iosedec, illum infinitè excedens, non tamèn in tempore suo, distulit enim vltrà 500. annos, vel dic (vt alij hìc præsertìm S. Hieronymus) *orietur* nascetur, *& ædificabit templum Domino* Ecclesiam Catholicam, templum à te ædificando diuersum, tuo excellentius, hoc enìm spirituale, *Et ipse extruet templum Domino* repetit ad maiorem firmitatem, *& ipse portabit gloriam*, quia erit Deus, & homo, coronam gloriosam, maiestatem ostendet, *& sedebit* rex, *et dominabitur supèr solio suo* patris Dauie, iuxtà Angelum Luc. 1. *& erit Sacerdos supèr solio suo* æternus secundùm ordinem Melchisedech, ideò *coronas* dixit vna pro regno, alia pro sacerdotio: filio autèm Iosedec vna tantùm aptabatur, quia solùm Sacerdos, non Rex, quia vices regis gerebat Zorobabel, etsi posteà conuenerint Sacerdoti soli, in quem & potestas quasi regia translata. Vel dic *coronas*, idest coronam in singulari; nàm quòad coronas de filio Iosedec tantùm agit, vndè nō puto hæc ad Messiam, etsi plures. *et consilium pacis erit intèr illos duos* Messiam, & Sacerdotem Hebræum, quia Messias non venit tollere legē, sed adimplere, Sacerdotium enìm Hebręum durauit vsquè ad mortem Christi, in qua fuit translatum: & verba hæc ponentia differentiam intèr duas personas, non possunt intelligi; quòd si hoc non placet, intellige de duobus populis Gētili, & Hebræo, quod & subdit, *Et qui procùl sunt venient*. &c. *et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ et Hem filio Sophoniæ memoriale in tēplo Domini*, iubet haberi rationem memoriæ horū offerentium, fortè binomiorum. Vel alij adduntur primò ommissi, quod fit sæpè in Scriptura. *Et qui procùl sunt* gentes, multi proselyti, *venient & ædificabunt in templo Domini. & scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos*, cum videritis quæ dixi impleta in oculis vestris de templo Ierosolymitano Deut. 18. *Erit autèm hoc*, quod dico de templo Ierosolymitano, *si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri*, hoc enìm sempèr intelligitur in promissionibus Dei.

CAPVT VI.

ET *conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi, & eccè quattuor quadrigæ*, de his Habac. 3. & quadrigæ tuæ saluatio, & Isai. 37. & in Elisæo, & puero 4. Reg. 6. *egredientes de medio duorum montium*, quasi ab alto, *& montes, montes ærei*, ad denotandam eorum fortitudinem maiorem ex loco, vndè exibant. *In quadriga prima equi rufi: et in quadriga secunda equi nigri: & in quadriga tertia equi albi: & in quadriga quarta equi varij, & fortes*, isti omnes Angeli sic repræsentati, hi enim variè repræsentantur in Scriptura iuxtà actiones varias, seù ministeria Apoc. 4. in forma animalium, & Isai. 6. & Ezech. 1. & 10. & in ventis Dan. 7. 2. nèc miranda varietas equorum, quia & suprà cap. 1. vir ascendens supèr equum rufum, & pòst eum equi rufi, varij, & albi. & Apocal. 19. sequuntur verbum in equis albis: & alibì in Apocal. alio stemmate, Et capit. 6. apparet de simili equorum varietate in malis Angelis. ideò non video quomodò hæc visio trahi possit ad regna, vel similia, quæ omnia excluduntur ex verbis, *vt stent coràm Dominatore omnis terræ*, hæc enim ad Angelos spectant, vt dixi capite quarto in fin. non ad regna, vel similia; & quia descendunt ab alto, & quia cùm scopus sit certos reddere Iudæos ædificationem templi citò futuram, hæc ostenduntur ad declarandam potētiam Dei magnam, omnia impedimenta superaturam iuxtà præmissa in alijs capitulis, & prouidentiam suam, & dominium supèr omnem terram, ideò etiàm dicit *coràm dominatore omnis terræ*. hæc autèm quid ad regna, vel quid regna ad hæc?

Hic non agitur de fine vllius regni, nullū regnum designatur, nulla datur successio, proùt in Daniele, immò regnum Chaldæorum euanuerat, quomodò ergò vidit illud egrediens? Et quomodò datur interuallum à regno Romanorum vsquè ad Christum, apponendo Gothos, cùm iàm regnū Christi esset in flore? immò à Romanis citrà nullam credo in Scriptura haberi mentionem aliorum regnorum, nisi Christi, & si agitur de Christo, nō hic vt superaturo omnia regna, proùt in Daniele, sed occasione Iesu Iosedec, & ædificationis spiritualis tēpli ex mētione materialis spiritualis.

Prætereà, cur ex vno colore vnum regnū, ex alio aliud? omnia regna cætera destruentia ex sanguine rubea, seù rufa, ità verbum in Antichristum Apocal. 19. & cap. 6. in Angelo malo.

Prætereà, cur vis ommissum regnū Chaldæorum, quod designas in prima quadriga? cur non de illo etiàm dictum, quod in Hebræos executum fuerat? cur de secundo Medorum, & Persarum, qui iàm diuinam voluntatem executi fuerant in Chaldæos? idem enìm erat vel iàm seruisse Deo, vel regnum extinctum quòad egressum: Cur in tertia quadriga albi equi, ideò parcentes? immò albi, quia triumphantes, vt Apocal. 19. & multotiès vincentes absquè armorum violentia.

Cur hi regna, cùm dicat Angelus ventos esse cœli per totum orbē discurrentes? quomodò recedimus à declaratione Angeli, & trahimus ad imperia terrena? quomodò regna stabūt *coràm Dominatore omnis terræ?*

Sed iterùm insisto, si vidit etiàm primam egredientem, vtiquè de extante loquitur, non de extincta, ideò non conuenit regnò Chaldæorum extincto. Dices, non refert factum ab illa; at ex hoc non potes dicere non extitisse; extabat enìm, sed noluit vlteriùs progredi, quia non referebat.

Addo, quomodò imperium Romanorum sub quadriga quarta, postquàm ibi varij, quod Romano non conuenit, quicquid esset de fortibus; & quia vti diuersi distinguūtur? Prætereà in primo cap. ijdem dicuntur Angeli, quomodò hi diuersi?

Et respondi, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me. quid sunt hæc Dominè mi? & respondit Angelus, & ait ad me: isti sunt quattuor vēti cœli, sic & de vento Ezech. 1.

&in

& in Psal. qui facis Angelos tuos spiritus,& ministros tuos ignem vrentem; in vento autèm ad eorum velocitatem, & potentiam demonstrandam, *qui egrediuntur, vt stent coràm Dominatore omnis terræ*, expectantes iussa capessere. *In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis, & albi egressi sunt pòst eos, et varii egressi sunt ad terram Austri. Qui autèm erant robustissimi, exierunt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram; & dixit: ite, perambulate terram, & perambulauerunt terram*, describit ministerium singulorum, quod est discurrere supèr terram more venti, & idem dixit cap. 1. 11.

At cur equi rufi nō referantur egressi ad regionem vllamènon video aliam rationem, nisi quia iussionem abeundi non receperūt: sìc & Michael insidens supèr equum rufum paratus stabat intèr myrteta, nequè exijt, quia non fuit necesse referentibus Angelis discurrentibus omnia esse pacata capit. 1. & equus Michaelis rufus, proùt hìc. *Et vocauit me, & locutus est ad me dicens: Eccè qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis*, fortè ob flagella ibì irrogata eorum impulsu iuxtà peccata habitantium;hinc hi nigri. Hæc non possunt intelligi de clade illata Babylonijs per Persas, quia iàm secuta erat; prophetia verò est de futuris, aliòquin si de præteritis, & de Chaldæorum flore dixisset. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Sume à transmigratione*, transmigratis, *ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia: & veniens tu in die illa*, quandò hæc præstabis, *& intrabis domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone, Et sumes*, hoc declaratur verbum præcedens *sume, aurum, & argentum*, oblata, *& facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec Sacerdotis magni*, hoc ad reddendùm certum populum, templum esse citò ædificandum, in quo Sacerdos ministraturus ornatus, *& loqueris ad eum dicens: hæc ait Dominus exercituum dicens*, nedùm quæ dixi fient,sed maiora: nā *ECCE VIR ORIENS* germen *NOMEN EIVS*, nùnc à filio Iosedec transit ad Messiam, & à templo materiali, & Ierosolymitàno ad Ecclesiam, is Messias, veniet tempus, instat: *& supèr eum* Iesum filium Iosedec, illum infinitè excedens, non tamèn in tempore suo, distulit enim vltrà 500. annōs, vel dic (vt alij hìc præsertìm S. Hieronymus) *orietur* nascetur, *& ædificabit templum Domino* Ecclesiam Catholicam, templum à te ædificando diuersum, tuo excellentius,hoc enim spirituale, *Et ipse extruet templum Domino* repetit ad maiorem firmitatem, *& ipse portabit gloriam*, quia erit Deus, & homo, coronam gloriosam, maiestatem ostendet, *& sedebit* rex,*et dominabitur supèr solio suo* patris Dauie, iuxtà Angelum Luc. 1. *& erit Sacerdos supèr solio suo* æternus secundùm ordinem Melchisedech, ideò *coronas* dixit vna pro regno, alia pro sacerdotio: filio autèm Iosedec vna tantùm aptabatur, quia solùm Sacerdos, non Rex, quia vices regis gerebat Zorobabel, etsi posteà conuenerint Sacerdoti soli, in quem & potestas quasi regia translata. Vel dic *coronas*, idest coronam in singulari; nàm quòad coronas de filio Iosedec tantùm agit, vndè nō puto hæc ad Messiam, etsi plures. *et consilium pacis erit intèr illos duos* Messiam, & Sacerdotem Hebræum, quia Messias non venit tollere legē, sed adimplere,Sacerdotium enim Hebręum durauit vsquè ad mortem Christi, in qua fuit translatum: & verba hæc ponentia differentiam intèr duas personas, non possunt intelligi; quòd si hoc non placet, intellige de duobus populis Gētili, & Hebræo, quod & subdit, *Et qui procùl sunt venient*. &c. *et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ et Hem filio Sophoniæ memoriale in tēplo Domini*, iubet haberi rationem memoriæ horū offerentium, fortè binomiorum. Vel alij adduntur primò ommissi, quod fit sæpè in Scriptura. *Et qui procùl sunt* gentes, multi proselyti, *venient & ædificabunt in templo Domini. & scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos*, cum videritis quæ dixi impleta in oculis vestris de templo Ierosolymitano Deut. 18. *Erit autèm hoc*, quod dico de templo Ierosolymitano, *si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri*, hoc enìm sempèr intelligitur in promissionibus Dei.

CAPVT VII.

ET factum est in anno quarto Darij regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni qui est Casleu. Et miserunt ad domum Dei, quã audierant ad perfectionem deduci *Sarasar, & Rogommelech, & viri, qui erant cùm eo,* Iudæi in Babylone existentes, fortè capita Synagogæ, si enim de circumuicinis fuissēt, non misissent legationem formalem, sed exquisiuissent simpliciter quid agendũ à quouis in Ierusalem stante, *ad deprecandam faciem Domini* Deum, sicùt solebant etiàm Reges mittere, *vt dicerent Sacerdotibus domus Domini exercituum, & prophetis loquẽtes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo* per ieiunium, nunc templo quasi perfecto, *sicùt iã feci multis annis?* in Babylone stans, quibus in amaritudinibus vixi ob destructionẽ templi, nùnc enim templo ferè extructo videbatur lætandum. *Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: loquere ad omnem populum terræ, & ad Sacerdotes, dicens,* voluit Deus hæc omnibus innotescere occasione huius legationis; vndè hìc argui non potest hos mittentes fuisse de populis vicinis. *Cùm ieiunaretis, & plangeretis in quinto, & septimo per hos septuaginta annos, numquid ieiunium ieiunastis mihi? & cùm comedistis, & bibistis, numquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis?* voluntati vestræ satisfacientes, non mundãtes vos ab iniquitatibus, sed in eis persistentes. *Numquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cùm adhùc Ierusalem habitaretur, et esset opulenta ipsa, et vrbes in circuitu eius, et ad Austrum, et in campestribus habitaretur,* hìnc quomodò suprà dixi Ierusalem habitandam absquè muro, illùc hoc confer. At, vult dicere Deus, ieiunia illa fuerunt, proùt antiqua, mista iniquitatibus, quæ ego odiui Isai. 58. aliòquin si pio, & puro animo ieiunassent (etsi ieiunium introductum fuisset ob templum destructum, vel Godoliam occisum, vel ærumnas alias) nihilominùs, si ad honorem Dei, & ad illum placandum fuisset, Deo placuisset, proùt subdit, & Isa. 58. propterea non placet intellectus his cõtrarius. *Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicẽs: hæc dicit Dominus exercituum, dicens:* sìc & Isai. 58. *Iudicium verum iudicate, et misericordias, et miserationes facite vnusquisque cùm fratre suo. Et viduam, et pupillam, et aduenam, et pauperem nolite calumniari: et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Et noluerunt attendere* Patres vestri, *et auerterunt scapulam recedentem;* terga verterunt, *et aures suas aggrauauerunt* cõtumacitèr, sic 1. Reg. 6.6. *nè audirent. Et cor suum posuerunt, vt adamantem,* indurauerunt *nè audirent legẽ, et verba quæ misit Dominus exercituum in Spiritu suo* sancto *per manum prophetarum priorum: et facta est indignatio magna à Domino exercituum,* contra eos, quos dedit gladio, & captiuitati Chaldæorum, *et factum est sicùt locutus est* comminans eos per Prophetas, *et non audierunt,* surdi facti, *sic clamabunt* nùnc, *et non exaudiam, dicit Dominus exercituum,* si vestigia antiquorũ sequantur. *Et dispersi eos per omnia regna* orbis *quæ nesciunt,* alij vertunt, in futurum dispergam, & tùnc pro præsentibus seruiũt, proùt sequentia. *Et Terra* promissionis *desolata est ab eis* recedentibus, *eo quod non esset transiens, et reuertens: et posuerunt terram desiderabilem* optimam *in desertum.*

CAPVT

CAPVT VIII.

ET *factum est verbum Domini exercituum, dicens: hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Siō zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam*, videns illam malè tractari ab hostibus, & sic intellexit cap. 1. 15. Vel dans eā in prædam, & captiuitatem hostibus, dè quibus hic nullum verbum, prout c. 1. *Hæc dicit Dominus exercituum: reuersus sum ad Sion* placatus, *et habitabo in medio Ierusalē* eam protecturus. *Et vocabitur Ierusalē ciuitas veritatis*, fidelitatis, à qua aberit fictio, & mēdacium, vt infrà, & Soph. 3. Isa. 6. *Et mōs* vbi templū *Domini exercituum, mōs sanctificatus* sanctus, segregatus. *Hæc dicit Dominus exercituū: adhùc habitabūt senes, et anus in plateis Ierusalē*, tuti, & festiui, cōmutata fortuna, le re. Thre. 2. & 5. *viri et baculus in manu eius præ multitudine dierū* etiam decrepiti *et platea ciuitatis implebuntur infantibus et puellis ludentibus in plateis eius*, hæc ad repletionē ciuitatis arguēdam, & mutationē status optimi. *Hæc dicit Dominus exercituum: si videbitur difficile in oculis reliquiarū populi huius*, ex captiuitate reductarū, *in diebus illis*, quibus apparitura; *numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituū*, quasi non, quia omnia mihi possibilia. *Hæc dicit Dominus exercituum: eccè ego saluabo populum meū de terra orientis, et de terra occasus solis*, de omnibus mundi partibus, in quibus dispersi; nàm quis dubitat etiàm in partes Oriētis multos dispersos? etsi nèc referret, quia hoc dici solet ad omnes mundi partes comprehendendas; similis phrasis Matth. 8. 11. *Et adducam eos, et habitabunt in medio Ierusalem*, docet quomodò id facturus sit, nempè congregando, & euocādo populū dispersum, *& erunt mihi in populū, & ego ero eis in Deū in veritate*, fidelitate, obseruantia, non in mendacio, aut fictione, ob quæ dispersi sunt: sic & suprà c. 7. *Et iustitia*, idest fidelitate, obseruantia promissorum, præsuppositis his priùs ex parte ipsarū, quia Deus sempèr fidelis, & obseruans. *Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os Prophetarū in die, qua fundata est*, fabricata, instaurata *domus Domini exercituum; vt templum ædificaretur*, ex lætis, quæ vobis promittuntur, *siquidèm antè dies illos*, de quibus præmisit, quo cessatum ab ædificio templi, & priuatis domibus extruendis opera impensa, *merces hominum non erat, nec merces iumentorum erat*, quia terra non producebat Agg. 2. *Neque introeunti, neque exeunti*, negociatori cuique *erat pax præ tribulatione: & dimisi omnes homines vnumquemquè contrà proximum suum*, in ea sterilitate. *Nunc autèm non iuxtà dies priores* malos, *ego faciam reliquijs populi huius*, iàm reassumpto templi ædificio; *dicit Dominus exercituum. Sed semen pacis* abundantiæ *erit, vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum: & cæli dabunt rorem suum: & possidere faciam reliquias populi huius vniuersa hæc* fiet conuersio rerum. *Et erit sicùt eratis, maledictio*, opprobrium *in Gentibus, domus Iuda, & domus Israel*, hæc hic, vel Synonima, vt multotiès: vel ad captiuitatem loquitur, quæ redierat, in qua, & aliqui Israelitæ, vt sæpiùs dictum; propterea littera stat, præsertim quia infrà *Iuda, & Ierusalem. Sic saluabo vos, & eritis benedictio*, benedicam, & multiplicabo vos: *Nolite timere: confortentur manus vestræ*: sic & suprà. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: sicùt cogitaui, vt affligerem vos, cùm ad iracundiam prouocassent Patres vestri me, dicit Dominus, & non sum misertus*, sed tradidi vos hostibus: *sic conuersus cogitaui in diebus istis, vt benefaciam domui Iuda, & Ierusalem. Nolite timere*. sic & Aggæ. 2. *hæc sunt ergò verba, quæ facietis: Loquimini veritatem vnusquisque cùm proximo suo*, declarat denuò quæ dixerat, & hic vide quomodò suprà veritas capienda. *Veritatē, et iudicium pacis*, vt nullus cōqueratur, *iudicate in*

portis vestris, vbì ius redditis; *et vnusquisque malum contrà amicum* proximum *suum nè cogitetis in cordibus vestris*, puritatē interiorem requirit: *et iuramentum mendax nè diligatis* contrà hoc suprà: *omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: hæc dicit Dominus exercituum*, respōdens quærentibus an ieiunādum. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, et ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in solēnitates præclaras*, nùnc sicùt antè in tribulationem, & angustiam: *veritatem tantùm, & pacem diligite*, de quibus suprà. *Hæc dicit Dominus exercituum: vsquequò veniant populi, et habitent in ciuitatibus multis*, fiantq. populosæ, prout suprà promisit se facturum conuocando vndequàq. Iudæos per regna dispersos, *& vadant habitatores, vnus ad alterum dicentes* vnanimes, & ex corde. *Eamus, & deprecemur faciē Domini, & quæramus Dominum exercituum* nostrum, à quo tot beneficia recepimus: *vadam etiàm ego tecum* respondebit alter. *Et venient populi multi, et gentes robustæ ad quærendū Dominū exercituum in Ierusalē, et deprecādum faciē Domini*, non solū ex Hebræis, sed etiā ex Gentilibus; multi enim cū captiuitate in Ierusalē perrexerunt, & ibant ad tēplum, vt Io. 12. & multi proselyti facti. *Hæc dicit Dominus exercituū: in diebus illis, in quibus apprehēdent decē* multi *homines ex omnibus linguis Gentiū, et apprehendent fimbriam viri Iudæi*, qui hac ornabatur, *dicentes: ibimus vobiscum* ad domum Dei in Ierusalem, vestræ religioni hærebimus, *audiuimus enim quoniàm Deus vobiscum est*: sic enim dicebant cùm descendentibus ex Aegypto, & Babylone, & aliùndè; vide cap. 6.

CAPVT IX.

O*NVS verbi Domini*. In hoc capit. Zacharias duo ponit læta pro populo Iudaico; Vnum destructionis Gentiū vicinarū, quæ fuerant eis infestæ: secūdum aduentus Messiæ; dicit ergò *Onus*, vastitas, desolatio, & sempèr hoc verbum *onus* in Prophetis omnibus importat malum, vndè ignoro quomodò hìc bonum iuxtà aliquos importare possit, eo magis, quia & mala specificat, *verbi Domini* sermonis Dei à Domino prædicti, quasi infallibilis *in terra* supèr, vel contrà terram *Hadrach, et Damasci requiei eius*, quod *onus*, seù vastitas est *requiei eius*, scilicèt Domini, quia dū rei puniuntur, dicitur requiescere spiritus eius, suprà cap. 6. 8. requiescere fecerunt spiritum meum; & Exod. 32. 29. consecrastis manus vestras hodiè Dominò, *quia Domini est oculus hominis*, visio prophetæ, hinc Prophetę videntes, quia oculi eorū aperiuntur à Deo, vt videant ventura populis annūcianda, vndè Num. 24. dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonū Dei, qui visionē Omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sìc aperiuntur oculi eius. *Et omniū tribuum Israel*, ex quibus Prophetæ emittebātur, nō ex alio populo, & ex his declaratur, cur dixerit *verbi Dñi* cū ipse loquatur; sic sup. c. 7. 12. verba, quæ misit Dominus exercituū in spiritu suo, per manū Prophetarū priorū. Et 2. Pet. 1. 21. Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti homines: hoc autē in hoc loco, & nunquā aliàs fecit Propheta dicturus magna, & excelsa, tū contrà Gētes, tū de Messia, vt sibi magis credatur ab Hebreis. At magis placet, *quia Dñi est oculus hominis et oīum tribuū Israel*, quæ ab illis lætæ sūt, ideò vindicta in eos iustè fertur: sic & suprà c. 2. qui enim tetigerit vos, tanget pupillā oculi mei. *Emath quoquè in* cùm *terminis eius, et Tyrus et Sidon*, idest his quoquè *onus* vastitas *assumpserunt quippè sibi sapientiam valdè*, ironicè dictū, quasi in insipientia adhùc permanent. vide Ezech. 18. & 27. & his regionibus iàm ex alijs Prophetis calamitas, & vastitas prædicta. *Et ædificauit Tyrus munitionem suam*, quasi superba, & in se confidens, neque ad Deum recurrens, *& coaceruauit argentum quasi humum, & aurum, vt lutum platearum*,

tearum, facta est ditissima, & opulentissima, quod & alibi dictum in Prophetis. *Eccè Dominus possidebit eam*, obtinebit, vincet, *et percutiet in mare*, vbi maior erat confidentia, sicùt & per Nabuchodonosor, & Alexandrum factum est, *fortitudinem eius*, *et hæc igni deuorabitur*, quod & alibi dictum in prophetis contrà Tyrum. *Videbit Ascalō, et timebit, et Gaza, et dolebit nimìs: et Accaron, quoniàm confusa est spes eius: et peribit rex de Gaza, et Ascalon non habitabitur. et sedebit separator* destructor, nàm separās, disgregans imminuere dicitur vires; ideò sępiùs petunt Psalmista, & Prophetæ hanc separationem; disperge illos in virtute tua, *in Azoto, et disperdam superbiam Philisthinorum*, eccè quomodò & alijs circumuicinis vastitatem prædicat. *Et auferam sanguinem eius de ore eius*, in tot stragibus de populo meo factis, pro quo pœnas dabunt, *et abominationes eius de medio dētium eius*, ex idololatria contractas, *et relinquetur etiā ipse Deo nostro*, qui ipsum debellabit, proùt alius supradictus, *et erit quasi dux in Iuda*, qui præsit, *et Accarō quasi Iebusæus* destruēdus, & annihilandus, proùt ille, qui si non sub Iosue, sub Dauid subiectus, & deletus, vel subijciendus 2. Regum 5. 6. *Et circumdabo domum meam*, templum, nè in ea aliquid fiat indignum, vel populum meum, *ex his, qui militant mihi euntes, et reuertentes* Angelis. *Et nō transibit supèr eos vltrà exactor* extraneus eos deuorans, vel extorquēs, pace fruentur Iudæi: & hic primus nuncius bonus. *Quia nùnc vidi in oculis meis* peccata harum ciuitatum, & quomodò populum meum malè tractauerunt, contrà quē ego parùm iratus erā, suprà cap. 1. 15. Deus dicitur tùnc videre, cùm prouidet, nō quod anteà non viderit: at nedùm quæ dixi, sed maiora efficiam, ideò

Exulta nùnc ad Messiam, quod est secundum gaudium pòst primum euenturum, *satìs filia Sion, iubila filia Ierusalem: eccè rex tuus* Messias *tibi veniet* visibilis, quia Patribus tuis promissus *iustus* iustificans Rom. 3. vel iustus iustè iudicans, *et saluator* saluans, in quo sòlo salus. Act. 4. *ipse pauper* egenus proptèr nos factus, cū esset diues, vt nos inopia sua ditaret, vel humilis, sic Beati pauperes spiritu, *et ascendens supèr asinam, et supèr pullum filium asinæ*, ergò supèr ambos, vt tenui Matth. 21. & nūc Propheta de illo ingrediente, quod aliàs non fecit. *Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Ierusalem, et dissipabitur arcus belli: et loquetur pacem gentibus*, erit pax ipso apparente, dixi Gen. 49. & alibì, de qua habetur Isai. 2. Oseæ 2. Mich. 4. & 5. Ierem. 31. & in mille locis, *et potestas eius à mari vsquè ad mare, et à fluminibus vsquè ad finem terræ*, sub his totus mundus. *Tu quoquè*, ò Messia, nedùm eris saluator, vt suprà, sed & (propheta per apostrophen) *in sanguine* morte tua, *testamenti tui*, pacti tui, quo promisisti nobis per illum salutem *emisisti*, emittens, liberabis *vinctos tuos* tibi credentes fideles, *de lacu*, de sinu Abrahæ, vbi degebant, *in quo non est aqua* tribulationum, nihil enim patiebantur; hinc Agnus occisus ab origine mundi, quia mors eius profuit omnibus ab Adā citrà: hinc captiuam duxit captiuitatē; & hinc dici posset non liberatos existentes in Purgatorio, quia ibi aqua tribulationū; at non loquitur taxatiuè: sicùt ergò liberati Iudæi à seruitute Babylonica, sic per te Messiam liberabuntur captiui in sinu Abrahæ existentes. Vel *tu quoque* ò Messia, cui gratiæ agendæ, *in sanguine testamenti tui*, pacti tui, *emisisti vinctos tuos* Israelitas captiuos, *de lacu, in quo non erat aqua*, idest de captiuitate Babylonica, sicùt & de seruitute Aegyptiaca: Iudæ epist. versic. 5. & sic non impropriatur verbum *emisisti*, & quid singulare in Limbo existentibus, vt pro illis solis dicatur *in sanguine testamenti?*

Prætereà pro illis, & omnibus quòad spiritualem salutem sufficientia erant illa *Saluator*, &c. & quia Agnus occisus ab origine mundi, vt dixi: & sicùt *vincti spei* non ad illos mortuos, sed viuentes, sic neq. hæc verba. At mysticè de illis potest intelligi rectè. Vel potiùs procederet intellectus quòad totum mundum redemptū, qui captiuus erat diaboli, quā existētes in Limbo; & sic docet quomodò saluaturus, & pacem inducturus.

Cōuertimini respicite *ad munitionē* arcem fortissimā Messiā, ò *vincti spei* sperantes in eū, pij, fideles, prędestinati expectantes liberari. Nō hi vincti in lacu, de quibus pręcessit

 sermo,

sermo,& quibus certa promittitur liberatio ab illo,& in illo sæculo nulla spes,sola charitas 1.Cor.13.sed illi reducti à captiuitate;& sic verba, *de lacu, in quo non erat aqua*, intelligimus absquè impropriatione de ergastulo, seù carcere seruitutis Babylonicæ, proùt de carcere simili Ierem.38.6.quę impropriando trahũtur ad Limbum. nàm *hodiè quoquè*, intèr viuos, *annuncians duplicia* magna *reddam tibi* speranti in me, & mihi credenti, quæ illa? hæc victorias Iudæorum contrà gẽtes sub Machabæis. *Quoniàm extendi mihi*, præparaui mihi *Iudam quasi arcum* fortem, emittentem sagittas, *impleui Ephraim*, aliquos reuersos ex decẽ Tribubus, vt & ipse sagittas eiaculetur vehementi impetu. *Et suscitabo filios tuos Sion supèr filios tuos Græcia*, quia Iudæi Græcos debellarunt sub Machabæis. *Et ponam te quasi gladium fortium*, cui nemo pręualeat. *Et Dominus Deus supèr vos videbitur, et exibit vt fulgur. iaculum eius, et Dominus Deus in tuba canet* ad congregandos,& animandos milites Iudæorum, & aduersarios timore incutiendos, hæc omnia sub Machabæis, *et vadet in turbine Austri*, cùm magna velocitate, & tempestate, proùt ventus ille. *Dominus exercituum proteget eos*, vt vincant, *et deuorabunt* gladijs, *et subiicient lapidibus fundæ* per eos eiaculatis hostes. *Et bibentes* sanguinem hostium,hinc magna strages, *inebriabuntur quasi à vino*, ex dulcedine operis, & victoriarum, *et replebuntur* sanguine, *vt phialæ, et quasi cornua altaris* solita sanguine ad summum repleri. *Et saluabit eos Dominus Deus, eorum in die illa, vt gregem populi sui*, sibi grati, & ab eo custoditi: *quia lapides sancti eleuabuntur supèr terram eius* promissionis in memoriam victoriarum Deo protegente habitarum. Vel *lapides sancti* homines sancti eleuabuntur ad gratiarum actionem. Vel *homines sancti* segregati mihi, sicùt illud: sanctificatis meis *eleuabuntur*, ad hæc perficienda, & concinne: ad hoc sequitur, *quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius* Dei protegentis, & custodientis gregem suum, non populi, *nisi frumentum electorum*, electum, seù fortium, fortes reddens, *et vinum germinans virgines?* floridas, & viuaces faciens. Hinc illorum fortitudo, agilitas, & victoria, & Ieremias in Threnis cap.1. facti sunt velùt arietes,non habentes pascua absquè fortitudine: corpus, & sanguis Christi, quo nihil melius, aut pulchrius, fortes nos reddens contrà omnes hostes,& custodiens in nobis munditiam virginalem.

CAPVT X.

PETITE *à Domino pluuiam in tempore serotino*, postremo,quo fructus perfectionem recipiunt: vult à nobis peti; sic Christus, petite, & accipietis,*et Dominus faciet niues, et pluuiam imbris copiosam dabit eis singulis*, petentibus *herbam in agro*, hæc & suprà in Zacharia promiserat ædificantibus, & Agg.2. *quia simulachra sunt inutile, et diuini viderunt mendacium. et somniatores locuti sunt frustrà, vanè consolabantur*, antè captiuitatem Babylonicam nihil conferentes; de illo enim tempore loquitur, non præsenti, & intendit non sic euenturum in his, quæ à Domino dicuntur. *Idcircò adducti sunt quasi grex in* captiuitatem illis credentes,& idòla adorãtes, *affligentur*, afflicti sunt,de reuersis enim puto agere,non de his, qui remanserunt, & præsertim quia à Persis,& Medis hi nõ affligebantur. *Quia non est* erat *eis pastor* prouidens,quo deficiẽte malè tractatur grex. *Supèr Pastores iratus est furor meus,et supèr hircos*, pastores hos fœtidos *visitabo* in flagellis, *quia visitauit*, visitabit parcens,& subuenire volens nùnc pòst captiuitatem: ex sequẽtibus apparet verbum *visitauit*, in bonam partem capiendum esse, *Dominus exercituũ gregem suum, domum Iuda*, ad distinctionẽ aliarum decem Tribuum apud Assyrios captiuarum, quæ non sunt reuersæ, *et posuit* ponet *eos quasi equum gloriæ suæ*, gloriosum, victorem, triumphantem *in bello* contrà hostes.

hoſtes. *Ex ipſo* Iuda *angulus*, ſtabilimētum, principes, *ex ipſo paxillus* ſubſtentaculum, *ex ipſo arcus prælij* armentarium armorum, *ex ipſo egredietur omnis exactor ſimùl*, tributa erigens à populis ſubactis. *Et erunt quaſi fortes conculcantes*, cadauera occiſorum, proùt *lutum viarum in prælio. Et bellabunt* vincentes, *quia Dominus cùm eis*, in cuius manu victoria, *Et confundentur aſcẽſores equorum* auerſariorum in equis confidentium.

Et confortabo domum Iuda, & domum Ioſeph beniamin, quæ ſimùl erat cùm Iuda, *ſaluabo* ab hoſtibus, *& conuertam eos ad me, quia miſerebor eorum*, sic Moyſes referente Paulo, miſerebor cuius miſereor: *& erunt ſicùt fuerunt, quandò non proieceram eos* à me in cædem, & captiuitatem dando. *Ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos* ad me cõuerſos, eccè correſpectiuitas.

Et erũt quaſi fortes Ephraim tribui enim huic fortitudo maxima, *& lætabitur cor eorum quaſi à vino* cor lætificante. *Et filij eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino*, ad poſteros etiàm trãſibit gaudium: *ſibilabo eis*, vt accedant, *& congregabo illos*, vt ciuitates habitentur, *quia redemi eos* à captiuitate in libertatem, *& multiplicabo eos ſicùt antè fuerant multiplicati* antè captiuitatem, *& ſeminabo eos in populis*, tanta erit eorum multitudo. *& de longè recordabuntur mei*, venientes ad templum meum debitis temporibus, etſi diſtẽt. *Et viuent cùm filiis ſuis* læti, *& reuertentur* ad terram ſuam. *Et reducam eos de terra Aegypti, & de Aſſyriis congregabo eos*, de his meminit, quibus ſeruierunt, & ſub his aliæ regiones comprehenſæ. *& ad terram Galaad, & Libani adducam eos* ad Terram promiſſionis, *& non inuenietur eis locus*, tãta erit multitudo, vt loca eos non capiant, ſicùt dixi ſuprà, & alibi Ieruſalem ſinè muro habitandam. *Et tranſibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, et confundẽtur omnia profunda fluminis*, obſtantia eis, ſicùt in exitu de Aegypto, ad illud enim tempus alludit, *& humiliabitur ſuperbia Aſſur*, qui illos captiuos tenet, *& ſceptrum Aegypti recedet* ab eis, quia liberabuntur à ſeruitutibus. *Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus*, in virtute Domini dirigentur. & hæc omnia ad ſpiritualia trahuntur; vide apud alios, & tùnc multa etiàm in fine temporum referenda, quia decem Tribus tùnc tantùm ſaluantur, niſi verificare velis in paucis iuxtà Apoſtolũ, quod hic non aptaretur.

CAPVT XI.

APERI Romanis venientibus, à quibus oppugnaberis *Libane* Ieruſalẽ *portas tuas, et comedat ignis cedros tuas*, tuos Principes Iſai. 2. vtitur figura arborum, quę igni datæ de facili conſummuntur, innuens ex ea & hos de facili conſummandos. *Vlula* ob inſtantem tibi calamitatem, *abies* nobilis, ciuis, *quia cecidit cedrus, quoniàm magnificè vaſtati ſunt*, vndè tu non ſtabis: *vlulate quercus Baſan*, fortes illius regionis, *quoniàm ſucciſus eſt ſaltus munitus* Ieruſalem primariè, vndè eò magis tu caſura es. *Vox vlulatus paſtorum* regum, rectorum, Principum intonat in auribus, *quia vaſtata eſt magnificẽtia eorum*, gloria corũ, delitiæ: *vox rugitus leonum*, principum populi crudelium, *quoniàm vaſtata eſt ſuperbia Iordanis* Terræ promiſſionis in qua gloriabantur, & ex qua lucra captabant; hinc vide quomodò Zacharias dixit infauſta populo, vt ex his poſſent contrà eum concitari; & sìc ſequitur vſquè ad finem prophetiæ. *Hæc dicit Dominus Deus meus paſce* ò Romane Princeps, cui dabuntur.

Non hic de Chriſto, de quo nihil præcedit, & qui non tulit virgam, *funiculũ*, non enim venit in Mundum ad illum iudicandum. Nõ de propheta, quia qualis ipſe, qui paſceret, & quod ſpatium datum? nèc ſolent Prophetæ in paſtores, ſed ſpeculatores aſſumi, ſed ex dicẽdis magis cõſtabit. Nõ principes Iſrael, quia de illis cõqueritur pecora

 occi-

occisionis, occisioni destinata, *quæ qui possederant* Iudæi antè te *occidebant;* hincquè cur pecora occisionis: sic & Iere. 23. Ezech. 34. *Et non dolebant* supèr occisione eorum non miserebantur; sìc illud, non miserebantur supèr contritione Ioseph, *& vendebant ea*, vt pretio ditarentur, *dicentes Benedictus Dominus*, gratias Deo, *diuites facti sumus*, quasi ex licito lucro: *& pastores eorum*, qui ad defensam à lupis tenebantur, *nō parcebant eis*, quod est satis deplorandum: *Et* quia sìc *ego non parcam vltrà supèr habitantes terram* Iudææ; sìc & Ier. 15. 2. & 43. 11. Apoc. 21. *dicit Dominus*, ideò verbū *pasce* in malam partem sumēdum, quasi si pastores proprij malè tractabant, quantò magis facies tu, & ego idem faciam, vt non sit tibi de me pauendum, vndè *Eccè ego tradā homines vnumquēque in manu proximi sui*, ità vt perpetua sit intèr eos discordia, proùt fuit tempore obsidionis Vespasiani, & Titi, *& in manu regis sui* dominantium tempore obsidionis. *Et concident*, vastabunt *Terram* promissionis ipsimet, quod factū, antèquàm Titus appuleret cū exercitu, *& non eruā de manu eorum* proximorum suorum, *& pascā pecus occisionis proptèr hoc*, vt detur in cædes, & captiuitatem, *pauperes gregis*, mihi obedientes: sic Christus compatiens, & flēs supèr Ierusalem.

Et assumpsi mihi (dicit Deus) hæc gesta nullo modo quadrāt prophetæ, *duas virgas* à principio, *vnam* primam *vocaui decorem*, qua benignè, & humanitèr gregem tractaui; dicebat enim me creatorem pascere creata, *& alteram* secundam *vocaui funiculum*, ad gregem proterendum, & puniendum, si à me dilaberetur. *Et paui gregem* populi Iudæorum his duabus virgis, *& succidi* morti dedi *tres pastores* multos trium ordinum, is enim numerus sępè pro multis, & ideò suprà dixit se iratum contrà pastores. Non hic de Moyse, Aaron, Maria, quia hi non possunt pro malis assumi, sed pro bonis, *in mēse vno*, fortè, & longo tēpore, vt dies pro anno aliquandò. *Et contracta est anima mea in eis* coangustata, vt solita nō vterer benignitate: *siquidē & anima eorū variauit in me*, quasi non ex me hæc contractio, sed ex eis à me discedentibus, ad alios confugientibus, *Et dixi; non pascam vos*, vltrà rebelles scilicèt & contumaces, *quod moritur, moriatur*, quasi nihil ad me; *& quod succiditur, succidatur* repetitio: *& reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui*, secum dimicent, destruantur. *Et tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus, & abscidi eam, vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cùm omnibus populis*, qui reuersi erant de Babylone, id quomodò ad prophetā? de gubernando eos benignè, suauitèr, *et in irritum deductū est* fœdus *in die illa*, qua virgā Decus abscidi, & sic reliqui eos, vt facerent secundùm desideria cordis eorū *& cognouerunt sìc pauperes gregis*, me obseruantes, *qui custodiebant mihi* colebāt me, *quia verbū* factum *Domini est* mei. *Et dixi*, ego Deus *ad eos: si bonum est in oculis vestris*, si placet vobis, eccè quomodò Deus liberum arbitrium conseruat, *afferte mercedem meam*, pro tot laboribus, & beneficijs vobis collatis: *& si non* placet, *quiescite*, nō cogo; *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos* tātùm. *Et dixit Dominus ad me*, hinc Deus pastor sempèr loquens, non propheta: *proÿce illud* mihi datū pro mercede *ad statuarium*, ad formanda lutea vasa, innuens mercedem tenuem, mancā non curandā, aut ęstimandam, & pondera verbum *proÿce*; quod clarius subdit, *decorum pretiū, quo appretiatus sū ab eis* ironicè, bella merces mihi data pro tot laboribus; *Et tuli triginta argēteos, et proieci illos in domum Domini ad statuarium* refutans mercedē incōgruam, Ex his arguitur ingratitudo populi, qui non respondit beneficijs Domini.

Hoc loco vsus est S. Matth. c. 27. in venditione Domini facta per Iudam, & pretio relato. sed ibì per Ieremiam, quia Ierem. 32. legitur ager emptus ab eo ex iussione Dei, qui & conseruari iussit libros in vase fictili, & solam denominationem sumpsit à Ieremia, quia Matthæus respicit principalitèr ad emptionem figuli, cuius in Ieremia aliquod habetur vestigium, & coniungi duos prophetas est in Scriptura frequens: & obseruaui Marc. 1. Merces ergò Iesu, seù pretiū fuit triginta argēteorū indecorū, & proiectū à Iuda in templū, ex quo emptus ager figuli in sepulturā peregrinorū; etsi enim nō om-

omnia correſpondeant, ſufficit aliqua pro maiori parte concurrere, iunctis Ieremia, & Zacharia ſimùl. *Et* viſa tali ingratitudine,& contumacia *præcidi virgã meam ſecundam, quæ appellabatur Funiculus,* vt nè correctioni quidèm eorum incumberem, quod eſt extremum malorum, *vt diſſoluerem germanitatem intèr Iudam, & Iſrael,* & me, vt ſuus ampliùs non eſſem, illorum curam ampliùs non gererem. *Et dixit Dominus ad me: Adhùc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti,* poſtquàm illorum curam abieci; nùnc ad Prophetam diriguntùr verba, vt appareat populo,& fiat repræſentatio, proùt in alijs Prophetis. *Quia eccè ego* ad flagellum, & pœnam illorum, *ſuſcitabo paſtorem in terra,* Antichriſtũ, quem ſequentur, & acceptabunt. Io.5. *qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id, quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet,* nedùm non faciet officium Paſtoris, ſed contrarium, vt Ezec.34. *O paſtor* non paſcens, immò, *& idòlum* vanitas, diſſipans, nòn ergò ipſe adorauit, ſed adorari voluit; sìc Hieronym.hìc. & Paulus Theſ.2. *derelinquens gregem,* at tandèm *gladius* Dei *ſupèr brachium eius* à quo contere-tur, *& ſupèr oculum dextrum eius* ſupèr omnia mala, quę excogitauit, ſeù aſtutiam eius: *brachium eius ariditate ſiccabitur,* proùt Ieroboam, quia interficiet eum Ieſus ſpiritu oris ſui,& Apocal.19. *& oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur,* quia cogitationes eius extollentur ſupèr omne, quod dicitur Deus,&c. 2.Theſ.2. vanæ erunt, & ſubuertentur. Quia agitur de vno ſolo, quod non applicatur vel Romanis, vel Phariſæis, aùt alijs pluribus: propterea placuit communis, vt agatur de Antichriſto, præſertim quia id reſpicere videtur tempora pòſt cladem Romanam, pòſt quàm non datur alius ſtultus paſtor, quàm Antichriſtus, & hæc clades, & captiuitas præſupponitur à principio capitis vſquè in finem,& quia locutio eſt de inſigni, & nullus inſignior Antichriſto; vndè alijs non videtur aptari, & maximè in flagello, quod Antichriſto congruit, & ad inferiores Prophetæ non reſpiciunt, nèc de illis mentionem habent, ſed ad inſignes. & quia ſermo eſt de vno finali, pòſt quem non alius expectandus, cùm non dicatur de alio ſtatu.

CAPVT XII.

ONVS ærumnæ,& calamitates, ſuperandæ tamèn vt infrà *verbi Domini ſupèr* cõtrà populum *Iſrael* qui redierat. *Dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo,* potens ille, qui facit hæc viſibilia, & inuiſibilia; hæc excelſa de Deo magna dicturus præmittit Propheta. *Eccè ego ponam Ieruſalem ſuperliminare crapulæ* expoſitam,& patentem, ſicùt *ſuperliminare* omnibus expoſitum,& patens eſt, ſed *crapulæ,* ad quam vel ex neceſſitate, vel dulcedine de facili fiunt conuentus, vt in eo offendant, *omnibus populis in circuitu: ſed & Iuda erit in obſidione contrà Ieruſalem,* vt in Machabæis. *Et erit: In die illa, ponam Ieruſalem lapidem oneris cunctis populis,* periculum facturis ſuarum virium in lapide rotando, quod ſolent homines libentèr, ibì ſubuertendi: *omnes, qui leuabunt eam, conciſione lacerabuntur,* quia lapis cadet ſupèr illos, & contererentur: sìc ſub lapide figuratè de ſe Chriſtus,& contigit ſub Machabæis, à quibus populi infeſti Iudæis exciſi. *Et colligentur aduersùs eam omnia regna terræ* vicina. *In die illa* qua colligentur regna contrà illam, *dicit Dominus, percutiam omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem eius in amentiam,* ità vt ignorent quid agant,& ſubuertantur: *& ſupèr domum Iuda* Iudæos ſe defendentes, *aperiam oculos meos* ad protegendum, *& omnem equum* potentem *populorum percutiam cæcitate,* ità vt ignorent quò tendant, proùt Syri ſub Eliſæo,& Sodomitæ. Geneſ.19. *Et dicent duces Iuda in corde ſuo,* orantes Deum. *Confortentur mihi habitatores Ieruſalem,* contrà quos tot inſurgunt, *in Domino exercituum Deo eorum,* eccè operatio orationis. *In die illa ponam*

nam duces Iuda sicùt caminum ignis in lignis, qui ardore suo, & spiritu igneo consument omnes aduersantes, *& sicùt faciẽ ignis in fœno: & deuorabunt ad dexteram, & ad sinistram*, vndequàque, *omnes populos in circuitu. Et habitabitur Ierusalem rursùs in loco suo in Ierusalem* sancta, templo repurgato, vt in Machabæis. *Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicùt in principio* in reditu ab Aegypto: *vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ierusalem*, principum, *contrà Iudam* populares. *In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa*, erit infirmus, *quasi Dauid* resurget fortior, & gloriosior: *& domus Dauid* Iudæ *quasi* de domo *Dei* erit, quæ verò Dei dicuntur, magna æstimantur *sicùt Angelus Domini in conspectu eorum*, vel terribiles inimicis, vel protectores populi. *Et erit in die illa: quæram conterere omnes Gentes, quæ veniũt contrà Ierusalem, & effundam* largitèr *supèr domum Dauid* Iudam, *& supèr habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum* quibus prosternantur, vt in Machabæis, præsertìm Iuda; hinc sinè Deo inspirante ad hæc peruenire non possumus: *& aspicient ad me, quem confixerunt*, insultarunt peccatis suis, verè pœnitentes, & agnoscẽtes beneficium maximum Dei; idem verbum infrà cap. 13. configet.

Sed quia Ioannes hoc loco vtitur, quandò latus Christi apertum fuit lancea, ideò de illo actu hæc intelligenda; & fortè de Iudæis incipit agere ibì *& effundam*, quasi nè dum faciam quæ dixi, sed & maiora, nàm *effundam*, &c. hæc ergò de pœnitentibus intelligenda, vt illi, qui reuertentes percutiebant pectora sua: vel alijs tùnc primitijs fidelium, quo tempore Apostoli cœperunt prædicationem. Congruit quia dicit *in die illa magnus erit planctus in Ierusalem*, non ergò in iudicio tantùm, quia hanc non nominaret; nàm per Ierusalem velle Ierosolymitanos intelligere, & alia verba impropriare, videtur absonum, eò magis explicando familias, quę plangent. Si verò dicas intelligi hæc de visione, quandò ad iudicium apparebit. Apocal. cap. 1. equidèm non video posse id negari ex illo, & hoc loco; at hæc intelligenda tùnc in damnatis, & in his, qui conuerti noluerunt; nàm Beati & benedicti neque dolebunt, neque lugebunt, sed lætabuntur, & iubilabunt, & hoc erit absquè vllo lucro plangentium, quia tùnc nulla salus, vel pœnitentia, & Matth. 24. & Apocal. 1. apparet quòd omnes Tribus terræ plangent. Quarè si de luctu aliquid operante dicendum esset, circà tempora iudicij, ad quod multa in iudicio dicta referũtur, hæc fienda à Iudæis conuersis, quorum reliquiæ in fine conuertendæ, & is erit fortè non incongruus sensus, *& plangent* ad *eum* me Deum, seù ipsos, vt Apoc. 1. 7. se *planctu quasi supèr vnigenitũ, & dolebunt supèr eum, vt doleri solet in morte primogeniti*, adeò erunt preces, & singultus ex corde in illis afflictionibus: sìc luctus factus apparente Angelo. Iud. 2. sequitur enim eandem materiam vsquè ad finem cap. 13. Vel quia pòst mortem Christi clades, & captiuitas Romana subijt, quæ dederunt causam Iudæis perpetui luctus, vndè Apocal. 11. 7. & qui eum pupugerunt, & plangent se supèr eum omnes Tribus terræ; & Matth. 24. 38. & plangent eum omnes Tribus terræ.

In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicùt planctus Adadremmon in campo Mageddon supèr Iosia. *Et planget terra: familiæ, & familiæ seorsùm: familiæ domus Dauid seorsùm, & mulieres eorum seorsùm: familiæ domus Nathan seorsùm, & mulieres eorum seorsùm: familiæ domus Leui seorsùm, & mulieres eorum seorsùm: familiæ Semei seorsùm, & mulieres eorum seorsùm. Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ seorsùm, & mulieres eorum seorsùm*, proùt fit in morte Iosiæ, & hæc omnia, vt ostendat magnum planctum ad Deum; ideò etiàm separatio virorum, & mulierum, vt nihil festiuum admitteretur. Vndè ad litteram onus fuit pro tribulationibus, & ęrumnis magnis, quibus tamèn Hebræi superiores fuerunt.

CAPVT

CAPVT XIII.

IN *die illa* in aduentu Messiæ, vel ipso in mundo existente, quia de his temporibus verba præcesserunt, *erit fons patēs* Messias omnibus, quia omnes vocantur; venite ad me omnes, qui laboratis, &c. sed præcipuè *domui Dauid* Tribui Iuda, *& habitantibus Ierusalem*, vbì Christus natus, & conuersatus multa, & maiora edidit miracula, cùm ibì esset maior, & melior numerus Iudæorum, ad quos missus, *in ablutionem peccatoris, & menstruatæ* in emundationem peccatorum omnium.

Non possunt hæc trahi ad tempora Iosiæ, neque per continuationem, quia in capite precedenti planctus pro Iosia assumptus fuit ad solum exemplum, neque ex verbis capit. huius futurum respicientibus pòst narrata cap. 12. quæ erant de Machabæis, antè quos per sæcula Iosias præcesserat, vndè de solo Christo videntur intelligenda. *Et erit in die illa*, Messiæ, seù successiua in prædicatione Apostolorum, *dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idòlorum de terra, et non memorabuntur vltrà: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra*, hæc enim omnia cessarunt Christo apparente, & Apostolis prædicantibus, & sufficit tùnc cœpisse cessare idolòlatriam. *Et erit, cùm prophetauerit quispiam* falsò *vltrà, dicent ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum: Non viues*, morte dignus es: *quia mendacium locutus es in nomine Domini* veri, non mētientis. *Et confringent* percutient *eum pater eius, & mater eius, genitores eius, cùm prophetauerit*, sic Deuter. 13. iubebatur. *Et erit: In die illa confundentur prophetæ* falsi, *vnusquisque ex visione sua cùm prophetauerit: nèc operientur pallio saccino, vt mentiantur*, timentes deludi, & occidi: *sed dicet: Non sum propheta, homo agricola ego sum*, vt effugiat plagas: in simili Isa. 3. 7. Amos cap. 7. *quoniàm Adam* primus homo agricultor *exemplum meum* est, quod sequor *ab adolescentia mea. Et dicetur ei* pseudoprophetæ, & præuaricanti, de quo sermo ad litteram, non Christo: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* in manibus tuis, & sic sermo fit cùm viuēte, at hæc interrogatio Christo non nisi pòst passionem, & mortem, & resurrectionem fieri potuisset. *Et dicet* respondebit: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*, à parentibus. *Framea* loquitur pater, mucro *suscitare supèr pastorem meum* Messiam à me missum, filium meum, *& supèr virum cohærentem mihi*, mihi æqualem, consubstantialem, quà Deus, vel voluntatem meam facientem, quà homo, *dicit Dominus exercituum: Percute pastorem* Messiam *& dispergentur oues*, fugient, scandalizabūtur; sic Christus intellexit. Matth. 26. Marc. 14. *& conuertam manum meam ad paruulos*, oues dispersas illas, non sinam eos in scandalo, & periculo permanere, sed congregabo, saluabo, fuga sibi consulent tempore obsidionis Romanæ. *Et erunt in omni terra* promissionis, *dicit Dominus: Partes duæ in ea dispergentur, & deficient*, sub gladio Romanorum, & captiuitate: *& tertia pars relinquetur in ea*, fidelis, & credens. *Et ducam tertiam partem* hāc fidelē *per ignem* tribulationum, *& vram eos sicùt vritur argentum: & probabo eos sicùt probatur aurum*, vt ad gloriam euehi possint. *Ipse* populus dimissus in illa tertia parte, *vocabit nomen meum* in me confidens, *& ego exaudiam eum* more pij patris. *Dicam: Populus meus es; & ipse dicet: Dominus Deus meus*, & sic fiet mutua conuersio.

CAPVT

CAPVT XIV.

ECCE *venient dies Domini,* ad vindictam, pœnam, flagella, quandò dispergendæ, & disperdendæ duæ partes illæ Hebræorum, de quibus in fine capitis præcedentis, ideò malè hæc ad Antiochum, vel ad tempora Machabæorum referuntur, & patebit ex dicendis, & textu, & *dies Domini* in primis verbis non diceretur, nisi iudicij, & captiuitatis Romanæ, vel similis, *& diuidentur spolia tua in medio tui,* in te ò Ierusalem adepta victoria per Romanos. *Et congregabo omnes Gentes ad Ierusalem in prælium,* exercitum Romanorum ex varijs Gentibus collectum, *& capietur ciuitas, & vastabuntur domus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem* iuxtà reputationem aliorum, vel quia magna pars, id maximè sub Romanis, *& reliquum populi non auferetur ex vrbe,* sed dimittetur. *Et egredietur Dominus* in auxilium Romanorum, *& præliabitur contrà Gentes illas* Hebræos, qui aliquandò Gentes dicuntur in Prophetis, & sic hìc de necessitate intelligendum, quia Romani congregabantur à Deo vtì ministri diuinæ iustitiæ contrà Hebræos; vndè inuerisimile est Deum contrà eos pugnasse in eodem actu; & infrà agitur de fuga Hebræorum, pro quibus si stetisset Deus, vtiquè quis contrà illos? Hinc hìc de Romanis, non Antiocho agi, verisimilius: & incongruum verba impropriare, & ad spiritualia deducere, cùm sint sub eadem structura temporalium, & quandò de Gentibus contrà Ecclesiam, infrà. Vel contrà idest antè, vel vt in Hebræo, & Septuaginta *in Gentibus illis,* tamquàm ministris, *sicùt præliatus est in die certaminis,* contrà Pharaonem in mari rubro pro Hebræis tùnc suis. *Et stabunt pedes eius in die illa supèr Montem oliuarum, qui est contrà Ierusalem ad Orientem,* hoc dicit, quia indè ciuitas erat magìs exposita ad offensam, & capturam, vel deb.lem erat redditurus, vt sequitur: fecit ergò Deus more periti expugnatoris Vrbium, & ab illa parte Christus fleuit suprà Ierusalem. *Et scindetur Mons oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem præruptograndi valdè, & separabitur medium montis ad Aquilonem, et medium eius ad Meridiem,* in accessu Domini conterentis montes, & omnia subuertentis, quasi nèc mons ipse illum sustinebit; seù (si fortè ex illa parte ciuitas tutior, & fortior) Deus montem dissipabit, nèc Romanis obstabit; sìc Isai. 64. Psal. 17. hoc magìs placet, quàm omnia impropriare per subtilitates; Vel ex terræmotu hæc facta, ad quæ congruunt sequentia. *Et fugietis* vos Iudæi *ad vallem montium eorum* præ timore saluandi, *quoniàm coniungetur* claudetur *vallis montium vsquè ad proximum* montem, vndè frustratoria erit fuga: *et fugietis sicùt fugistis à facie terræmotus in diebus Oziæ Regis Iuda,* de quo Amos 1. quo tempore reuulsus mōs, vt dicit Iosephus Antiq. lib. 9. cap. 11. & quia de hoc exemplo materiali, ideò & alia materialia.

Et veniet Dominus Deus meus, omnesquè sancti Angeli *cùm eo* repetit quod dixerat de Domino venturo, volens & Angelos addere, proùt Christus cùm Angelis describitur venturus contrà Antichristum. Apoc. 19. Non credo hic agi de iudicio, quia contextus non patitur, & in Scriptura sæpiùs fit repetitio, & additio ad præcedentia, vt alibì notaui. *Et erit in die illa: Non erit lux,* quæ vos ad fugiendum viam doceat, vel aliquid vos subleuans, seù lætificans, *sed frigus, et gelu,* quibus torpeatis; hìnc Matth. 24. non fiat fuga vestra hyeme, vult dicere, fuga non euadetis: vel ex his notatur maxima amentia obsessorum Ierusalem, vide Matth. 24. vbi conformia dicta à Christo. *Et erit dies vna, quæ nota est Domino,* quia veniet vt fur puniturus, sicùt dicitur de die iudicij; de die Antiochi non sìc diceretur, *non dies, nequè nox: et in tempore vesperi erit lux,* vult dicere, adeò erit horribilis, adeò crudelis calamitas à Romanis inferenda, vt dies illa nomen non mereatur; seù mutabit ritum,

quia

quia vesperi, quo solet deficere, tùnc lux erit, fortè vt perficiantur clades vestræ, proùt in Iosue Sol stetit. Hic non de Antiocho, quia tandèm Iudæi se ab illo exemerunt, sed de Romanis, à quibus nunquàm eximentur; & sequentia, quæ ad Ecclesiam, non fuerunt perfecta, nisi sequuta destructione Ierusalem per Romanos, ideò de Romanis aptiùs hæc intelliguntur. *Et erit in die illa: Exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum: in æstate, & hyeme erunt*, intendit ex his bonos, & Apostolicos viros, qui in Ierusalem erant antè ruinam exeuntes, posteà Euangelium prædicaturos. Vel sub typo Ierusalem ex Ecclesia manasse aquas prædicationis in omnem terram quouis tempore; sìc fons, de quo suprà cap. 13. indeficiens: & ex hoc consequenti textu posset dici de superioribus, *non erit lux*, sed *gelu & frigus* parua ratio habebitur Euangelicæ legis, cuius posteà maxima erit pòst ruinam.

Itèm colligitur in præcedentibus non agi de iudicio finali, quod hæc non consequuntur, sed præcedunt, eo magìs, cùm omnia benè congruant, & interpretationem veram admittant. *Et erit Dominus Rex supèr omnem terram*, vbiquè adorabitur; sìc & cap. 13. quia sonus Apostolicus in omnem terram exibit, & tùnc iàm se diffuderat per illos, Dauid Psal. 144. exaltabo te Deus meus Rex. *In die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum*, vnus cultus vniformis reiectis idòlis, quod & suprà cap. 13. sìc Paulus: vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.

Et reuertetur omnis terra vsquè ad desertum, de colle Remmon vsquè ad Austrum Ierusalem: & exaltabitur, & habitabitur in loco suo à porta Beniamin vsquè ad locum portæ prioris, & vsquè ad portam angulorum: & à turre Hananeel vsquè ad torcularia Regis. Et habitabunt in ea, ex his sub typo Ierusalem prædicit dilatationem Ecclesiæ; nàm de Ierusalem materiali nunquàm verificatum, vide Ierem. 31. Isai. 54. *& anathema non erit ampliùs* Ecclesia non deficiet vnquàm, sed perseuerabit æterna, portæ inferi non præualebunt aduersùs eam; *sed sedebit Ierusalem* Ecclesia *secura* ab omni persecutione, quia sempèr euadet, & crescet. *Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ pugnauerunt aduersùs Ierusalem*, Ecclesiam, nempè *Tabescet caro vniuscuiusque stantis supèr pedes suos*, proùt in Philistæis; quorū putrescebant prominentes extales, *& oculi eius contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescent in ore suo*, quę omnia in viuentibus horribilia. *In die illa erit tumultus* conturbatio *Domini magnus in eis: & apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus eius supèr manum proximi sui*, præ stupore, & admiratione, & dolore ignorantes quid faciant. *Sed & Iudas pugnabit aduersùs Ierusalem*, Iudæi contrà Ecclesiam pugnabunt, pugnauerunt autèm à principio grauitèr. *Et congregabuntur diuitiæ omnium Gentium in circuitu, aurum, & argentum, & vestes multæ satis* ad Ecclesiam oppugnandam. *Et sìc erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum, quæ fuerint in castris illis* omnia contrà Ecclesiam congregata dissipabuntur, *sicùt ruina hæc*, de qua suprà dixit. *Et omnes, qui reliqui fuerint de vniuersis Gentibus, quæ venerunt contrà Ierusalem, ascendent ab anno in annum, vt adorent Regem, Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum*, qui euaserint mortem, & Ecclesiam læserint, venient adoraturi, & celebraturi festum tabernaculorum, sub hoc omnia festa Ecclesiastica.

Et erit: Qui non ascenderit de familijs terræ ad Ierusalem Ecclesiam, *vt adoret Regem, Dominum exercituum, non erit supèr eos imber*, quia extrà Ecclesiam non est salus, sicùt extrà Arcam non fuit. *Quod & si familia Aegypti* Iudæi sub typo Aegypti quasi contumaces, & rebelles proùt illi, & habetur Apocal. 11. *non ascenderit, & non venerit: nèc supèr eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. Hoc erit peccatum* pœna *Aegypti* Iudæorum, *& hoc peccatum omnium Gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. In die illa erit, quod supèr frænum equi est*, ad

ad bellum aptum, vel omnia ornamenta, & pretiosa *sanctum Domino* consecratum Deo, afferretur ad Ecclesiam, *& erunt lebetes* homines olim spurcitijs dediti fœtentes, *in domo Domini, quasi phialæ coràm altari* mundi, nitentes, puri, odoriferi. *Et erit omnis lebes in Ierusalem, & in Iuda sanctificatus Domino exercituum*, omnia conferent, & conuertent ad honorem Dei, & suæ Ecclesiæ: *& venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis*: abundabunt omnia necessaria ad cultum Dei, & Ecclesiæ; hinc magna multitudo credentium. *Et nō erit mercator vltrà in domo Domini exercituum in die illo*, prout tempore Christi, quia templa abundabunt, & offeretur sacrificium mundum, quasi victimæ non erunt in vsu; ex his vide an ansam potuerint arripere Iudæi occidendi Zachariam.

FINIS PROPHETIAE ZACHARIAE.

IN MALACHIAM.

CAPVT PRIMVM.

ONVS, calamitas *verbi Domini ad Israel* annuntiatum à captiuitate reuersis ex duodecim Tribubus, *in manu Malachiæ*. *Dilexi vos* verè, & re ipsa, beneficijs maximis cumulando, *dicit Dominus, & dixistis*, obliti beneficiorum meorum: *In quo dilexisti nos?* respondet Dominus: *Nonnè frater erat Esau Iacob, dicit Dominus*, quasi ex hoc videbantur æqualitèr diligendi, & ornandi, immò quia Esau primogenitus, illi præferendus, & tamèn *dilexi Iacob*, quem prætuli in primogenitura, & reduxi à captiuitate Babylonica, & regio eius inhabitatur. *Esau autèm odio habui*, spreui, non ornaui, vel dans rationem, *Et* pro quia *posui* per Nabuchodonosor *montes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti*, sua omnia deserta, absquè habitatore relicta: Hìc de temporalibus, proùt & Genes. 25. 23. maior seruiet minori, loquens de populis; sed ad spiritualia deducit in argumétum, & mysticè Paulus Rom. 9. dicens: Cùm enim nondùm nati fuissent, aùt aliquid boni egissent, aùt mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei (Rebeccæ) quia maior seruiet minori, sicùt scriptum est, Iacob dilexi, Esau autèm odio habui; & ità tenui in eodem loco Pauli; Sed Paulus arguit à tempore, antequàm nati essent, quandò dictum Rebeccæ, maior seruiet minori, hic autèm agitur à tempore destructionis regionis. Vndè hic non aptatur Deum à principio beneficia non contulisse Esau, seù Idumæis, proùt Iacob, sed in Genes. 25. 23. *Quod si dixerit Idumæa*, regio illa Esau, *destructi sumus, sed reuertētes ædificabimus quæ destructa sunt*, sìc sibi persuadebant exemplo Iudæorum. *Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus*, sic enim censent homines, vt amici de Iob, *vsquè in æternum* ad longa tempora, & verificata est prophetia, quia à Machabęis iterùm destructi, & ab Hircano coacti ad ritus Iudaicos, vndè nulla eorum remāsit memoria. *Et oculi vestri videbunt*, quod prædicō, quasi res erit notissima: *& vos dicetis: Magnificetur Dominus supèr terminum Israel*, quem dilatauit, & sic fuit tempore Machabæorum, hincquè beneficia *Filius honorat*, honorare tenetur *patrem, & seruus Dominum suum* timere debet: *si ergò Pater ego sum, vbì est honor meus? & si Dominus ego sum* qui vos tot beneficijs cumulaui, *vbì est timor meus, dicit Dominus exercituum? Ad vos, ò sacerdotes, qui despicitis nomē meum*, descendit nùnc ad particularia, inhonoratis me, *& dixistis: In quo despeximus nomen*

Iiii *tuum?*

tuum? Offertis docet in quo despiciant *supèr altare meum panem pollutum* non obseruantes ritus, & cæremonias legales; quis panis pollutus, infrà, *& dicitis: In quo polluimus te? In eo quòd dicitis: Mensa Domini despecta est*, non est adeò facienda mensa Domini: vilis est, panis quilibet sufficiens est. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonnè malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonnè malum est?* vtrique, quia prohibitum. Leuit. 22. 21. *offer illud duci tuo*, tùnc neque pòst captiuitatem vllus Rex, dixi. Genes. 49. Zorobabel dux in Esdra: in Agg. 1. & vbiquè. *si placuerit ei*, quasi nòn placebit; & si homini non placiturum, quid mihi omnium Dominô? *aùt si susceperit faciem tuam*, si concesserit tibi petita, si te amicè tractauerit. Iob 42. proùt è contrà. 3. Reg. 2. 17. 20. 21 *dicit Dominus exercituum. Et nùnc deprecamini vultum Dei* irati ob hæc vestra mala. Psal. 20. & 33. *& misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) ò Sacerdotes*, ideò vobis incumbit pœnitentia & oratio *si quomodò suscipiat facies vestras*, docet ergò, vt orent ardentèr impetraturi, *dicit Dominus exercituum. Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* præmissa mala vos facitis, & tamèn de me conqueri non valetis, quia mercede vos conduxi, & eam persoluo, cur ergò ministerium vestrum rectè non peragitis? *non est mihi voluntas in vobis* non placetis mihi, *dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra:* sic & Isa. 1. ob pollutionem, at in futurum pòst vocationem Gentium, & cessationem legis Mosaicæ, tùnc, *Ab ortu enim solis vsquè ad occasum* in toto mundo, *magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur*, dic in futurum, *nomini meo oblatio munda*, corpus & sanguis filij mei, mundans offerentes: *quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. Et vos polluistis illud in eo, quòd dicitis: Mensa Domini contaminata est*, despecta est: *& quod superponitur, contemptibile est cùm igne, qui illud deuorat*, ignem etiàm miraculosè vobis datum, & cõseruatum. Machab. 1. irridentes. Vel quia omnia ab igne consumuntur, vndè nulla nobis vtilitas. *Et dixistis: Eccè de labore* offerimus à captiuitate reuersi, hæc lucrati sumus manibus nostris, *& exufflastis illud*, contemptibile, & ventosum offerentes, & si masculum lucrati sitis, *dicit Dominus exercituum, & intulistis* etiàm quod peiùs est *de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus*, contrà Eccles. 34. *numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus?* quasi non, hostia ergò duplicitèr mala, quia ex rapina, & quia claudi, & languidi. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino*, hinc exprobrat eis auaritiam, & detegit mendacium, dùm retinent bona, & mala offerũt ex maligno: ideò munera Cain non placuerunt. Genes. 4. *quia Rex magnus ego*, non dux simplex, vt suprà, mihi meliora debentur, *dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile*, timendum, venerandum etiàm *in Gentibus*, in toto orbe.

CAPVT II.

ET nùnc ad vos mandatum hoc, mihi à Domino vobis inferendum, *ò sacerdotes: Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere supèr cor* disponere vos, *vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: Mittam in vos egestatem* omnium, *& maledicam benedictionibus vestris* donis, datis, quibus nùnc ex me abundatis, *& maledicam illis: quoniàm non posuistis supèr cor* dare mihi gloriam: *Eccè ego proijciam vobis brachium* armum vobis ex sacrificio debitum, vos contemnens, *& dispergam supèr vultus vestrum stercus solemnitatum vestrarum* malè odorantium, quia vestræ; stercus ex ventriculo vobis debito exiens; *& asumet vos secum*, eritis contemptibiles;

prout

proùt ille, vel sempèr vos sociabit. *Et scietis quia misi ad vos mandatum istud* per Prophetam, *vt esset pactum meum cùm Leui*, cùm Sacerdotibus, *dicit Dominus exercituum. Pactum* enim *meum fuit cùm eo vitæ*, conseruandæ, & tuendæ, non mortis, non destructionis; proùt nùnc cogor minari, *& pacis* quietis; propterea feci eos à multis liberos.

Non credo agi de spiritualibus, sed temporalibus, quia tùnc spiritualia non promittebantur, & pax etiàm erat in manutentione Sacerdotis. Ecclesf.45. in Aaron Num.25. in Phinees: *& dedi ei timorem*, ex quo reuerentia, & gloria nomini meo, *& timuit me, & à facie nominis mei pauebat*, vt ritè omnia exequeretur, & experti sunt filij Aaron. Leuit. 10. *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius*, sempèr docuit legem ritè, absquè mendacio. *In pace, & in æquitate ambulauit mecum* in oculis meis, fecit quod iusseram, nequè me ad iracundiam prouocauit, *& multos auertit ab iniquitate*, quod Deo placet, & officium est Sacerdotis. Iaco. 1. & Paulus Gal. 5. vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite. *Labia enim sacerdotis custodient*, custodire vos, debent, *scientiam, & legem*, quid agere debeant *requirent* laici *ex ore eius: quia Angelus* nuncius referens quæ à Domino recepit, *Domini exercituum est. Vos autèm recessistis de via* mea vobis præscripta, per quam ambulare debueratis, *& scandalizastis plurimos in lege* ob eius inobseruantiam malo vestro exemplo, & explicationem peruersam: *irritum fecistis pactum Leui*, cùm eo initum, ad quod ego nùnc non teneor, liber sum vobis inobseruantibus, *dicit Dominus exercituum. Proptèr quod* iuxtà vestra demerita, *& ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicùt non seruastis vias meas* vobis notas, *& repete non* accepistis *faciem meam* me timentes, & colentes, proùt Leui, de quo suprà cap. 1. 10. de facie. *In lege* rectè administranda cæremoniali, seù iudiciali, sed personarum fuistis acceptores; At Propheta *numquid non pater vnus omnium nostrum?* Deus. Matth. 23. 9. Ephes. 4. 5. & 6. si de alio intelligeret, præmisisset de illo; Verùm de Deo sequitur, *numquid non Deus vnus creauit nos?* ipse enim solus creator, repetit idem: hinc iudicium ergà omnes debet esse vniforme. *Quarè ergò despicit vnusquisque nostrum fratrem suũ*, fratres enim sumus, sic cum Loth, Abraham, *violans pactum patrum nostrorum?* legem in pactum deductam in monte Sinai de non obseruanda facie potentis, & iudicio iusto ferendo. *Trangressus est Iuda* legem, pactum, *& abominatio facta est in Israel, & in Ierusalem* pòst libertatem a captiuitate Babylonica. Esd. 9. *quia contaminauit Iudas sanctificationem Domini* templum, *quam dilexit, &* quia *habuit filiam dei alieni*, colentem deum alienum contrà legem, ingredientem atria templi, cui vetabatur. *Disperdet* in exilium *Dominus virum, qui fecit hoc magistrum*, cuius exemplo, vel verbo alij moti, *& discipulum de tabernaculis Iacob* Terra promissionis, *&* tales *offerentes munus Domino exercituum* omnes absquè delectu, etiam si offerant mihi. *Et hoc rursùm fecistis, operiebatis lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu* vxorum derelictarum à vobis alijs suppositis, quæ cùm domi mutire non possent, in templo flebant, & mugiebant: & ex hoc damnatur eorum crudelitas, cùm non mouerentur ad misericordiam, *ità vt non respiciam vltrà ad sacrificium, nèc accipiam placabile quid de manu vestra*, ob hoc scelus. *Et dixisti: Quàm ob causam? quia Dominus testificatus est*, iussit, præcepit quod seruare debueratis, nempè de non dimittendo vxores, nisi ex causa fornicationis. Deuter. 24. Matth. 19. *intèr te, & vxorem pubertatis tuæ*, quæ tùnc tibi placuit, & qua fruitus es, dum pubes erat, & placuit oculis tuis, *quam tu despexisti*, dimittendo absquè legitima causa, & aliam alienigenam supposuisti. *Et hæc particeps tui*, vna caro tecum. Genes. 2 *Et hæc vxor fœderis tui* cui te obligasti pacto perpetuo secum manendi. *Nonnè vnus fecit* Deus, *& masculum residuum spiritus eius* Dei *est?* in fœmina? repetit quod dixerat suprà, *numquid non pater vnus omnium nostrum? Et quid vnus* Deus *quærit, nisi semen Dei?* purum, non mistum cùm idololatris alienigenis. 2. Esd. 9. Vult in tota hac phrasi dicere illos non posse repudiare sinè causa expres-

ſa. Deuter. 24. quia vna caro ſunt, quæ indiuiſibilis eſt.

Cuſtodite ergò ſpiritum veſtrum, animam veſtram à legis tranſgreſſione. Vel ſpiritum pro vxoribus, quia idem verbum infrà repetitur. Spiritus autèm eſt vnus vxoris & viri, quia vna caro. Geneſ. 2. & vnus ſpiritus ſuprà verſ. 15.

At non placet, quia vna quidèm caro ob coniunctionem carnalem, ſed non vnus ſpiritus dicuntur, & ſuprà ſpiritus vnus procedens à Deo, non coniugum, *& vxorem adoleſcentiæ tuæ*, quæ tùnc tibi placuit, memorat dies illos lætos, & placitos, *noli deſpicere. Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Iſrael* iuxtà Deut. 24. non igitur hic per ironiam, ſed iuxtà terminos legis nempè ob fornicationem: vide ſcripta Matth. 19. non enìm alia de cauſa licebat, & miror contrarium hìc dicere Quiros, & per eum adductos, cùm conſtet ex dicto Chriſti: *operiet autèm iniquitas veſtimentum eius*, ſi vltra cauſam in lege præſcriptam dimiſerint, grauitèr enim à Deo punietur, ità vt pœna inflicta in corpore ſupèr veſtimentum ſit apparitura, ſic dicitur: terræ craſſitudo erupta eſt ſupèr terram. Pſal. 140. & in Ioab 3. Reg. 2. 5 *dicit Dominus exercituum: cuſtodite ſpiritum veſtrum, & nolite deſpicere* vxores veſtras. *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris*, ſic & Iſa. 1. & 44. *& dixiſtis: In quo eum fecimus laborare? In eo quòd dicitis: Omnis, qui facit malum, bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent* antiqua hæc querimonia. Ierem. 12. Sopho. 1. Ezech. 9. hoc dixerunt videntes idolòlatras proſperare, & ipſos egere pòſt reditum à captiuitate; vide cap. ſeq. *aùt certè vbì eſt Deus iudicij?* quaſi aùt non curat hæc noſtra, aùt iniuſtus eſt.

CAPVT III.

ECCE *ego mitto Angelum meum* nuntium meum Ioannem Baptiſtam præcurſorem. Luc. 1. & 7. 27. Matth. 11. Marc. 1. Ioa. 1. agit de Meſſia conflaturo Sacerdotes, vt infrà; & ſic ſtat in prima propoſitione, & oſtendit non placere ſibi malos, ſed bonos mittere ad illos purgandos, quod ipſi non præſtant, vt deberent, *& præparabit viam antè faciem meam*, antè me, præibis enim antè faciem Domini parare vias eius. Marcus cap. 1. attribuit Patri, is filio, & in communibus Trinitati, licèt ex Ribera poſſet etiàm dici *antè faciem meam*, quia ex Patris voluntate omnia geſta, & volenti, ſilenti, ſeù aſſiſtenti fienda attribuuntur. Vel Chriſto nondùm incarnato: rectè Malachias *antè faciem meam;* at ipſo in mundo exiſtente, rectè Euangeliſtæ *antè faciem tuam*, benè autèm Malachias *meam*, quia dixerat Moyſes. Deuter. 18. Prophetam ſuſcitandum à Deo, loquuturum verba in nomine eius; propterea attribuit Patri quod Prophetæ illi, ſeù Meſſiæ attribuendum erat, dùm apparuiſſet, & regularitèr prophetia obſcura, & hanc declarauit Chriſtus, dicendo *tuam*, nè exiſtimaremus Patrem de ſe loquutum, ſed de Filio; & tùnc non poterat alitèr dici, quia etſi expreſſiſſet de filio, non percepiſſent, cùm Trinitatis myſterium paucis innoteſceret, & ſatis declarauit Propheta ſubdens. *Et ſtatìm veniet ad templum ſuum Dominator*, &c. inferens antè quem præiturus Angelus, ſeù Nuntius. Vel pater aſſumit perſonam filij dicens *meam*, & Chriſtus Patris dicendo *tuam* Pater meus operatur, & ego operor, dicit Chriſtus; filius vnà cùm Patre loquebatur dicens *meam*, incarnatus dicit *tuam*, quia vt homo loquitur. *Præparauit autèm* idem Ioannes Baptiſta, quandò miſſus fuit, baptizando, annuntiando regnum cœlorum, & pœnitentiam Ioan. 1. ideò Marcus hanc prophetiam ponit, cùm cœpit præcurrere, & viam præparare, & hac de cauſa præponit Iſaiam Malachiæ; Vel ex duobus locis Scripturæ iunctis non fit mentio niſi vnius, Marc. 1. Matth. 21. & 27. & dixi in Marco, *& ſtatìm veniet ad templum ſuum*, præ-

prædicans, miracula edens, se manifestans, *Dominator* magnus, Messias. Mich. 1. homo, & Deus. Zachar. 4. 14. idem verbum Isa. 6. *quē vos quæritis* ò Iudæi, expectatis Luc. 1. *& Angelus* missus, Messias, mittendus enim erat à Patre *testamenti* fœderis iuxtà promissa Patribus, *quem vos vultis*, desideratis, optatis.

Ecce veniet, citò adest, etsi pòst tot sæcula venerit, quia mille anni antè Dominum tanquàm dies hesterna, quæ præterijt: dixi Genes. 49. *dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem aduentus eius?* gloriosi, de quo Isa. 40. quæ bona indè generi humano prouentura, *& quis stabit ad videndum eum?* cùm in eo tanta lux, & maiestas apparitura sit; Hæc omnia ad denotandam maiestatem venturi; vndè Petrus: Domine quò ibimus, verba vitæ æternæ habes, Et missi à Pharisæis; nunquàm sic locutus est homo; & illi, nonnè cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in via? &c. *Ipse enim quasi ignis conflās* purgans homines, prout ignis metalla: & Ioannes, Matth. 3. cuius ventilabrum in manu eius, &c. hoc faciet verbo prædicationis suæ; *& quasi herba fullonum* emundans animas ab omnibus maculis, *& sedebit* magna diligentia, & studio *conflans, & emundans argentum*, sub hac metaphora homines, *& purgabit filios Leui*, Sacerdotes nouæ legis, eccè continuatio sermonis capitis præcedentis, *& colabit eos quasi aurum, & quasi argentum*, in quibus colandis sic vti pretiosis vtimur maiori cura, in aliam formam, *& erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia* ritè, & sanctè: *Et placebit Domino sacrificium Iuda, & Ierusalem*, populi Christiani, seù sacerdotum Christianorum, *sicùt dies sæculi, & sicùt anni antiqui*, sub Patriarchis fidelibus, Abel, Noe, Abraham, Iacob. *Et accedam ad vos in iudicio*, extremo, non de clade Romana, vt & in fine capitis, & cap. 4. flagello vos percussurus, & sic redit ad Sacerdotes illius temporis, conquerentes se de Dei iudicio cap. 2. in fin. *& ero testis velox*, vt citò puniamini, qui putatis latere, *maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nèc timuerunt me* illorum protectorem, vel secùs iubentem: sic & Apocal. 21. *dicit Dominus exercituum: Ego enim Dominus*, puniens malos, & remunerans bonos, etsi secùs vos cogitastis, vt cap. 2. in fin. *& non mutor*, ab hoc meo proposito: sic & Iacob. 1. etsi differam, pœnitentiam expectans, *& vos filij Iacob* mali, pœnis subdendi, prout 4. Reg. 14. 26. Numer. 17. 12. *non estis consumpti*, quia misericorditèr vobiscum egi à captiuitate reducendo, quod promiseram, nèc tamèn id cognoscitis, etsi meruissetis consumari ob peccata vestra; malitia verò vestra clara est, vt infrà: & Stephanus: Vos sempèr Spiritui sancto resistitis, quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? &c. *A diebus enim patrū vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. Reuertimini ad me* per pœnitentiam; eccè excitatio, sic & Zach. 1. etsi reuertemini ex libero vestro arbitrio, quod relinquo liberum, *& reuertar ad vos* amplexabor vos, ero vester, *dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In quo reuertemur?* quasi ignoramus in quo recesserimus à te. *Si affiget homo Deum*, est ne possibile hominem velle Deo displicentia operari, & sic eum laborare velle? suprà capite secundo, *quia vos configitis me?* affligitis me. *Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitijs*, quæ non dantur Sacerdotibus, & Leuitis. Nehe. 5. & 13 hinc est, quod *Et in pœnuria vos maledicti estis*, pœnuria laboratis, *& me vos cōfigitis*, molestiam infertis. *gens tota*, omnes de populo; sic Ioan. 11. vt non tota gens pereat. At *inferte omnem decimam in horreum* Leuitarum, *& sit cibus in domo mea*, nè mihi seruientes laborent fame, *& probate me*, experimini *supèr hoc, dicit Dominus: Si non aperuero vobis cataractas cœli* nubes aquas demittentes, non fenestras cœli, quasi aquæ supèr cœlos existentes ad nos defluant, quæ non defluunt, vt alibi dixi, *& non effudero* largitèr *vobis benedictionem vsquè ad abūdantiam*, mendax dicar, *& increpabo pro vobis deuorantem* locustam, & alia nocentia, *& nō corrumpet fructum terræ vestræ: nèc erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum: Et beatos* fœlices *vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos* tanquàm *terra desiderabilis*,

ad quam alij libentèr defluant, *dicit Dominus exercituum Inualuerunt supèr me*, multiplicata sunt *verba vestra*, quæ ægrefero, *dicit Dominus, & dixistis quid locuti sumus contrà te? dixistis: vanus est*, nihil recipit *qui seruit Deo*, mali recipiunt, vt cap. 2. in fin. *& quod emolumentum*, quasi nullum, *quia custodiuimus præcepta eius, et quia ambulauimus tristes*, pœnitentes, ieiunantes, affligentes nos, *coràm Domino exercituum*. *ergò* rectè *nùnc beatos dicimus arrogantes*, superbos, Deum contemnentes, *si quidèm ædificati sunt*, multiplicauerunt in prole, & diuitijs, *facientes impietatem. & tentauerunt*, peccatis eorum *Deum, & salui facti sunt*, pœnas non dederunt. *Tùnc locuti sunt timentes Dominum vnusquisque cùm proximo suo*, retrahentes eos ab hac temeritate, & docentes qualis Dei prouidentia. *Et attendit Dominus, & audiuit, & scriptus est liber monumenti*, memoriæ, nonnè hæc scripta sunt apud me? Deuter. 32. *coràm eo timentibus* ad fauorem colentium *Dominũ, & cogitantibus nomen eius*, gloriam eius. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum in die, qua ego facio* vindictã de hostibus meis in iudicio, vt suprà; & infrà cap. 4. *in peculium* dilecti, præcipui, non tangam eos, *& parcam eis*, peccãtibus, non est enìm homo, qui non peccet, non sinam eis quicquam nocere, *sicùt parcit vir filio suo seruienti sibi* obedienti. *& conuertimini* ad me à vijs vestris malis, *& videbitis quid sit intèr iustum, & impium, & intèr seruientem Deo, & non seruientem ei*, ex contrarijs enim fit recta cognitio. vide Ierem. 12.

CAPVT IV.

ECCE *enìm* dat rationem præcedentium, *dies* iudicij *venit*, ventura, *succensa quasi caminus*, quia vrendi sunt maledicti, & de illo intelligit; nàm ignis conflagraturus mundum iudicium præcedet, immò & renouatio, vt alibi dixi. *Et erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula*, ad ignem eos vriturum, *& inflammabit eos dies veniens* iudicij, *dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem, & germen*, quia æternus erit, nèc poterunt illum euadere, consummabit eos radicitùs, numquàm tamèn deficientes. *Et orietur vobis timentibus*, colẽtibus *nomen meum sol*, clara lux confortans intùs; sic Apoc. 21. & 22. (proùt illis ignis vrens) *iustitiæ* ex iustitiæ corona, quæ debetur vobis ob opera vestra bona: hæc merces, de qua Apostolus, *& sanitas in pennis eius*, in alis eius, quæ vos tutabunt, beatis enìm neque infirmitas, neque dolor Apoc. 21. & 22. *& egrediemini*, his lætitia cœlestis aperitur; de qua similibus phrasibus Apoc. 21. & 22. Isai. 35. 6. tùnc saliet sicùt ceruus claudus Ierem. 50. 11. vndè hæc ad gloriam, non ad occursum Christi in aera, ad 1. Thess. 4. vel resurrectionem, hæc enìm præsupponenda vti præcedentia, *et salietis sicùt vituli de armento* lætantes, & à vinculis liberi, *& calcabitis impios*, dominantes eis, iudicantes in nationibus Psalm. 149. & 109. *cùm fuerit* vti *cinis* abiectissimus, *sub planta pedum vestrorum, in die, qua ego facio* iudicium, vindictàm de illis, *dicit Dominus exercituum*, & sic ad tempus iudicij hæc referenda, quo omnes conuenient. *Mementote legis Moysi serui mei, quã mandaui in Horeb*, seù Sinai *ad omnem Israel præcepta, & iudicia*, vt sitis intèr iustos in iudicio. Loquitur ad tùnc extantes, qui ad illius obseruãtiam tenebantur, dùm non erat Euangelica, ideò de illa ad consequenda promissa bona. Sìc Christus respondet de libello repudij ex causa fornicationis Hebræis, stante lege Moysis, Euangelica nondùm promulgata, neque illa abrogata, vt dixi Matth. 19. *Eccè ego mittã vobis Eliã prophetam, antequàm veniet dies Domini magnus, & horribilis*, vnà cùm Enoch ad conuersionem Iudæorum, vt reliquiæ saluæ fiant, ità & Eccl. 48. Matth. 17. Apoc. 11. *Et conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum*, vt amplectantur fidem, quam Patres habuerunt in Messiam, illum-

illumquè recipiant; vide scripta Luc. 1.

Non placet Alcasar Apoc. 11. notat. 6. qui locum hunc intelligit de Ioanne; nàm primò de illo egit cap.3. nèc præsumitur repetitio: Præterea, tempore Ioannis non conueniunt sequentia, *nè fortè veniam*, &c. sed & textus similis Eccl. 48. & Matth. 17. vbì Christus dixit Eliam venturum. Præterea, in hoc capit. agitur de iudicio, quod tempus Ioanni non cōuenit, qui antè Christum venit; & Nonnè interrogatus Ioannes, an esset Elias, dixit, non sum? dùm verò illum dicit Eliam Christus, intelligit spiritu, officio, non persona, *nè fortè veniam* iudicaturus, *& percutiam terram*, homines incredulitate, & peccatis plenos, & ad me non conuersos *anathemate* vastitate, ad ignem æternum condemnem; dixit *fortè* saluans liberum arbitrium hominum: & refertur ad *percutiam*. Vel *& orietur nobis timentibus*, colentibus *nomen meum Sol iustitiæ* Christus, qui lux est, & glorificabit, illustrabit vos, gloria induet iuxtà vestra merita; vide Apocal. 21. 23. & 22. 5. ideò dicit *iustitiæ*; hinc Paulus: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi Dominus in die illa iustus iudex, non solùm autèm mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius. Et Iacob. 1. accipiet coronam vitę, quam repromisit Deus diligentibus se: Non hìc de iustificatione, sed de gloria, de præmio. *& sanitas in pennis eius*, poterant dicere iusti, quomodò stabimus cùm Sole? ardebimus, vremur, proùt rei, quis enim poterit habitare cùm igne devorante? Isai. 33. 14. & sponsa dicit, decolorauit me Sol: Ideò propheta transiens à figura Solis, sub qua de Christo dixerat, ad Christum figuratum, dicit: Sol non vret vos per dies, neq. Luna per noctem, *sanitas* saluatio vobis erit *in pēnis* protectione *eius* Christi, sicùt à pennis obumbrantur, teguntur, defenduntur à Sole aues, vel eorum filij, & hæc est pulchra metaphora, quia dùm vult Solem eis oriri, intendit eosdem à Sole irradiari, & perfundi; & sub dio, & aperto, & in alto positos pennæ tantùm auium ab ardore defendunt Psalm. 90. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis: Scuto, &c. & Angelus cùm Maria; virtus Altissimi obumbrabit tibi, vt possis tantùm filium sustinere; & petit Psalmista sub alis Dei protegi, in gloria enim non esurient, nequè sitient, & non percutiet eos æstus, & Sol, quia miserator eorū teget eos, & ad fontes aquarum potabit eos Isai. 49. 10. idem reperitur Apoc. 7. 16. sìc hedera defendit Ionam à Sole Ion. 4. Et Deut. 32. Deus aquilæ comparatur, sicùt aquila prouocans pullos suos ad volandum, extendit alas suas, &c. & Matth. 23. gallinæ, quæ alis suis filios defendit. Hinc nutat intellectus *in pennis*, idest in radijs Solis, radia enìm illius pēnæ: nàm absonum est velle protectionem à Sole dare radijs Solis, cùm illa sint, quæ vrunt, & ardent, & si dantur Soli pennæ, seruiunt ad denotandam velocitatem.

FINIS PROPHETIAE MALACHIAE.

IN

IN LIBROS MACHABAEORVM.

HOS Libros per concordiam interpretor, sequutus Recentiores, quia primi, & secundi libri mista materia.

E Capit. 2. lib. 2. vers. 20. vsquè ad finem habetur quid hi libri contineant, & quomodò Auctor breuiauerit historiam.

E lib. 1. cap. 1. à vers. 1. vsquè ad 11. *Et factum est* contigit *postquàm percussit Alexandrum Darium,* &c. iuxtà Daniel. 8. 15. Darius, cuius regni anno secundo reassumpta ædificatio templi 1. Esdr. 4. in fin. hæc historia à libris Esdræ distabit in tempore, vt infrà vers. 11. Versic. 4. *Et exaltatum est, et eleuatum cor eius*, sic suprà de Arphaxad, & Nabuchodonosor Iudith. 1. quæ & abiecti, proùt is. Versic. 6. *& pòsthæc* tot victorias, & subiectiones, *decidit in lectum*, eccè imbecillitas humana, *& cognouit quod moreretur*, qui pro Deo adorari voluit, *& mortuus est,* vers. 8. pòst regnum annorum duodecim. Versic. 7. *pueros suos nobiles*, seruos suos, ministros, *& diuisit illis regnum suum, cùm adhùc viueret*, nempè postquàm vidit se moriturum, quia non habuit filios, quibus regnum traderet; eccè cui congregauit ea: diuisit autèm per Perdiccam, cui annulum tradidit, ità Perrer. Dan. 8. & Serrarius hic, *& pueri regnum obtinuerunt*, versic. 9. 10. *& multa mala bella exorta in terra*, ex diuisione.

E cap. 3. lib. 2. à vers. 1. vsquè ad 7. *Igitùr cùm sancta ciuitas* Ierusalem, quia illa dicta sancta, *habitaretur in omni pace,* fortè hucusquè pax à Iudith, de qua Iudith 16. vide Lyran. capit. 1. in præmissis: at vndè pax? *leges etiam optimè custodirentur*, à legum enim custodia pax: pax multa diligentibus legẽ tuam. Psal. 118. *proptèr Oniæ Pontificis* gubernantis, quia tùnc nullus rex Iudæus *pietatem*, religionem, *& animos populi odio habentes mala*, moti exemplo Oniæ, eccè quantum faciat Maiorum exemplum: id apparuit in Sichem, Ieroboam, de quibus aliàs dictum. Vers. 3. *ità vt Seleucus*, &c. is tùnc dominabatur Iudæis, vt ex 2. Mach. 4. 7. sic de Cyro, & Artaxarse, seù Dario in libris Esdræ. Vers. 5. *ad Appollonium Tharseæ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ, & Phenicis*, eccè quomodò Reges dominabantur, vt & vers. 7. nèc erat omnimoda libertas populo Iudæo. Vers. 20. *Protendentes manum in cœlum,* sìc Paulus, leuantes puras manus, is modus orandi. Versic. 25. *Apparuit enìm eis*, &c. sìc Apoc. 19. de equis, & sessore, eccè manus Domini, qui ad extremum expectat, vt ab eo magìs omnia recognoscantur, & hæc ad exemplum pro veneratione templorum. Vers. 32. *obtulit pro salute viri hostiam salutarem*, eccè & pro Gentilibus offerebatur: vndè tenui non recepta ab eis oblata quatenùs ipsi in sacrificio, proùt Hebræi, interuenire voluerunt, non simplicitèr. Vers. 33. *Oniæ Sacerdoti gratias age*, &c. sìc & amicis Iob in gratiam Iob remissum, Iob vlt. & aliàs Deus ad preces seruorum suorum remisisse legimus,

quod

quod alibi obſeruaui. Verſic. 34. *Tu autèm à Deo flagellatus nuncia omnibus magnalia Dei, & poteſtatem*, sic Christus cùm aliquibus ſanatis; vult enim Deus gloriam ſuam, ob idquè miracula operatur: & sic prædicauit Heliodorus; vt infrà verſic. 36. 38. & *his dictis non comparuerunt*, Angeli enim non morantur, poſtquàm functi ſunt officio ſuo. sic in Gabriele, Raphaele, & alijs obſeruaui. Verſic. 35. *Heliodorus autèm* &c. eccè de hoſtia oblata à Gentile, at ſinè eius interuentu, vt dixi, & credo.

Sed an Heliodorus conuerſus? ex dictis hìc videtur: sic Chriſtus quos ſanabat in corpore, ſanabat in anima. At Ieroboam ſanatus in brachio contracto ad Prophetæ preces, non tamèn in anima, quia nunquàm conuerſus. Verſ. 37. *Eo quòd in loco ſit verè Dei quædam virtus*, hinc Iacob. O quàm terribilis eſt locus iſte, &c. *nàm ipſe*, &c.

E cap. 4. lib. 2. Malus is Simon, qui inſidias ſuas in Oniam reijciebat, & prudens Oniæ conſilium adeundi Regem.

E cap. 1. lib. 1. à verſ. 11. vſquè ad 17. è cap. 4. lib. 2. à verſic. 7. vſquè ad 21. Verſ. 11. cap. 1. lib. 1. *& exijt ex eis* pueris, & sìc ab illo tempore Alexãdri citra vſquè ad hoc nihil habetur. *radix peccatrix* mala, *Antiochus illuſtris filius Antiochi* Regis, *qui fuerat Romæ obſes*, à patre datus, *& regnauit is* Antiochus illuſtris *anno centeſimo trigeſimo ſeptimo regni Græcorum*, & hoc toto tempore iàm tranſmigratio facta è Babylone pedem figerat, & hoc tempore intermedio dixi ſucceſſiſſe hiſtoriam Iudith, quia non apparet de bellis. Verſic. 12. refertur aliquos, non omnes *ex filijs Iſrael*, ad idòla conuerſos, *dicentes à quo receſſimus à Gẽtibus*, fortè enim rebellauerant, vel receſſerant ab idòlis, *inuenerunt nos multa mala*: sic apud Prophetam de ſacrificio faciẽdo Reginæ cœli, *& venundati ſunt, vt facerent malum*, sic de Achab in libris Regũ.

E cap. 4. lib. 2. verſic. 7. & ſequentibus. Ambitio Iaſonis fratris Oniæ pro ſummo Sacerdotio, & promiſſa Regi, qui ei annuit, *& ſtatìm Iaſon transferre cœpit contribules ad ritum Gentilem*, & quæ geſta mala per eum, Sacerdotes, & idolòlatriam.

E cap. 1. lib. 1. à verſic. 17. vſquè 21. è cap. 4. lib. 2. à verſic. 21. vſquè 50. è cap. 5. lib. 2. à princ. ad verſic. 11. Verſic. 17. Antiochi victoria contrà Ptolomæum Regem Aegypti, cuius regnum tentabat ſubijcere; hinc cap. 4. lib. 2. verſic. 21 miſit illùc Appollonium *& cùm cognouiſſet* (fortè ab Appollonio) *alienum ſe à negocijs regni eſſectũ*, quia fortè res ad vota non ſuccedebat, *venit Ieroſolymam proprijs vtilitatibus conſulens*, alia verò de Menelao, morte Oniæ, Andronici, Lyſimachi, Menelao liberato, alijs trucidatis.

Ad verſ. 23. cap. 4. *Menelaum ſupradicti Simonis*, de quo egerat *fratrem*, intellige verè; vndè hi Menelaus, & Lyſimacus cùm ſint de tribu Beniamin, vſurpatum ſacerdotium apparet. Verſic. 35. 37. & 49. etiàm impij ægreferunt mala, & mortes iniuſtas bonorum. etſi aliquandò ſecùs; eccè quomodò moritur iuſtus, & nemo eſt, qui recogitet, tolluntur iuſti, &c. Verſic. 38. *in eodẽ loco*, eccè mos etiàm quòad locum agendi in reos, qui nùnc ſeruatur.

Cap 5. lib. 2. verſ. 1. Antiochi ſecũda profectio in Aegyptum. Anhelabat ad regnum illud, & illo potitus cogitur imperio Conſulis Romani Populi illud dimittere. Verſic. 2. de monſtris in cœlo viſis. Verſic. 5. falſo rumore orto Antiochum vita exceſſiſſe. Iaſon Oniæ frater debacchatur in ſuos. Sed quomodò pœna, qua alios affecerat, eum comprehendit? sic & Iud. 1.

E cap. 5. lib. 2. à verſic. 11. vſquè ad 28. & cap. 6. & 7. lib. 2.

Cap. 1. lib. 1. verſ. 21. uſq. ad fin. *& cõuertit Antiochus*, iratus *poſtquã percuſſit Aegyptũ*, ſed à Conſule cõpulſus dimittere in centeſimo, & quadrageſimo anno, *& aſcendit in Iſrael* regnum ſuum proprium, *& aſcendit Ieroſolymam*, in multitudine graui, magna, & proſequitur quæ mala ibi fecerit; Non abſtulit Arcam, quia non aderat, ſepulta à Ieremia in captiuitate. Et quod pòſt duos annos verſi. 30. miſit ad tributa recipienda. Eccè quomodò non erat tota libertas in Iſrael: & proſequitur quæ mala tùnc facta (eccè idolòlatria repullularat pòſt trãſmigrationem è Babylone in aliquibus) & Deus permittit mala, vt cap. 5. Verſi. 43. & ſeqq. de religionis immutatione, sic Sichimitæ

mitæ persuadente Rege. Versi. 51. Similia Iuliani Apostatæ in Christianis. Versi. 57. de idolo desolationis, non tamen hæc dicta à Daniele, de qua in Euangelijs latè dixi. Versi. 59. de libris legis combustis, prout tempore Hæreticorum nostrorum.

E cap. 5. lib. 2. ver. 27. de Iuda Machabæo decimo Sacerdote. Versi 11. cap. 6. proptèr sabbati obseruantiam nolentes è spelunca exire vruntur. Versi. 12. pulchra sententia, Deum illicò punire gesta mala piorum. sic illicò punit numerationem populi in Dauid, adulterium, & homicidium eiusdem. S. Paulus Hebr. 12. quos diligit Deus, castigat, & flagellat reum filium quem recipit. Peccat Achaz, illicò percutitur populus; Zacharias illicò mutus fit. S. Paulus dat Corinthium, Satanæ, vt saluus sit spiritus. Machabæi martyres: infrà multa ad hunc propositum. Tobiæ dictum, quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. idcò S. Iacobus: omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis. sic 1. Petr. 4. 17. tempus est nùnc, vt incipiat iudicium à domo Dei. Leu. 10. Sanctificabor in his, qui appropinquāt mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Abul. 4. Reg. 15. q. 10. & Ierem. 25. 29. eccè in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes, & immunes eritis? Versi. 18. de Eleazaro martyre, in cuius martyrio considera *voluntariè præibat ad supplicium proptèr vita auctorem;* hic punctus, pro eo omnia patienda. *non enim ætate nostra dignum est fingere*, poterat sic euadere, & noluit proptèr exemplum malum, & alia. *manum Omnipotentis nèc viuus, nèc defunctus effugiam*, motiuum ad omnia proptèr Deum patienda. *Adolescentibus exemplum fortè relinquam*, dicit *fortè* nihil sibi arrogans, sed in humilitate firmus. *Domine qui habes*, &c. conuersio ad Deum, pro quo patiebatur.

Cap. 7. lib. 2. Martyriū septèm fratrū cùm matre proptèr legem Dei, & pondera resurrectionem ad vitam, quam profitentur, vers. 9. 14. 23. Versi. 26. *promisit se suasuram filio suo*, dic quòd non recederet à patrijs legibus iuxtà eius intentionem, nè mendacium in eam inuramus. Versi. 28. ex nihilo fecit illa Deus Genes. 1. 1. considera quomodò in Antiochum prophetauerunt ferè omnes fratres, & præsertim vltimus iunior. & sic quomodò spiritu Dei agebantur filij Dei.

Caput 2. lib. 1. Incipiunt bella Machabæorum, quorum primus Mathathias, qui recusauit publicè obedire Regi cùm suis vsquè ad versi. 23. & seqq. & rebellatio eiusdem, & fuga cùm alijs ad montes. Versi. 32. de mille occisis in die sabbatorum, qui noluerunt se defendere. hoc erat tùnc receptū apud Iudæos pios, & rudes nullo modo posse violari sabbatum; sicùt non posse non obseruari quodlibet iuramentum, & votum, vt dixi alibi, maximè in Iephte, & Saule; non ergò imputandum hoc horum ignorātiæ tantùm. & versic. 41. statuitur defensio etiàm in sabbato. Versic. 42. de gestis per Mathathiam contrà iniquos ex Israel. Vers. 48. *non dederunt cornu peccatori*, non permiserunt peccatorem euadere, vel se erigere, potentiam assumere. Versi. 49. uerba ultima Mathathiæ ad filios, & testamentum, & mors vsquè ad finem, ostendit quomodò seruantes legem à Deo custoditi.

Cap. 3. lib. 1. è cap 8. lib. 2. à princ. usq. ad uersi. 8. De gloria, & gestis Iudæ Machabæi. littera clara. Vers. 10. Appollonius dux Antiochi occiditur à Iuda. Versi. 13. Seron cùm exercitu dissipatur. Versi. 19. idē apud Deum in paucis, uel in multis, quod & Ionathas, & alij priùs. Versi. 27. de Antiochi consilio, & gestis in Iudæos, ad quos Lysiā, & Persas, ad quos ipse.

E cap. 3. lib. 1, à uersi. 38. usquè ad finē.

E cap. 4. lib. 1. à princ. usquè ad uer. 28.

E capit. 8. lib. 2. à uersi. 8. usquè ad 37. Præparatio ad tertium bellum cùm ducibus Epiphanij, seù Antiochi illustris. Versi. 48. cap. 1. lib. 1. *Expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes*, &c. proùt Ezechias extendens coràm Deo litteras receptas à ducibus Sennacherib, ad Deum magis commouendum in hostes. Versi. 60. *Sicùt fuerit voluntas in cælo, sic fiat*, omnia in Deo remittit, in illum sperat. A uersi 1. cap. 4. lib. 1. congressus Iuda cùm Gorgia, & uictoria, & spolia usquè ad finem. Versic. 11. *Et scient omnes Gentes, quia est qui redimat, & li-*

& liberet Israel, sic & Elisæus ad Regem Israel in accessu Naaman leprosi. Versi. 24. canticum, & gratiarum actio pro victoria, sic Moyses, Debbora, Iudith, & Alij.

E cap. 8. lib. 2. versi. 8. vsquè ad fin. Victoria contrà Nicanorem missum à Philippo, & alia gesta Iudæ. Versi. 23. de Esdra, alius is ab Esdra scriptore librorum.

E cap. 4. lib. 1. à versi. 38. vsquè ad finē, Cap. 10. lib. 2. à princ. vsquè ad vers. 10. Iudas victor contrà Lysiam. Versic. 35. *aùt viuere, aùt mori fortitèr*, sic dixit Chusai ad Absalom de Dauid, & viris eius. Versic. 36. de mundatione templi, & Sanctorum, & dedicatione. Versic. 46. *quòadusquè veniret propheta*, tùnc enìm non aderat: & quòd intelligat de tali, non de Messia, apparet ex subiectis verbis. *donèc responderet de eis*, quod dicitur 1. Machab. 14. 42. vel vt hic intelligatur, quia & ibì timentes malè agere, ea cautela vtuntur: vel si ibi de Messia, alia concurrunt, quæ non hìc. Versi. 59. festum dedicationis, hunc esse secundùm aliquos, de quo Ioan. 10. 12.

E cap. 10. lib. 2. versi. 3. *de ignitis lapidibus igne concepto*, non ergò è cœlo, proùt tempore Moysis, Salomonis, & Esdræ ex crassa aqua; ille bellis succedentibus extinctus erat; sed an is nouè accensus durauerit vsquè ad captiuitatem præsentem, quis nouit?

E cap. 5. lib. 1. Debellationes gentium, quæ circà eos erant, & infestabant Israel, proùt tempore Esdræ, & Nehemiæ. Ver. 40. *si transierit*, &c. nō est hoc omen, vel simile, sed indicium audaciæ, vel trepidinis. Omen fuit Ionathæ, & Gedeonis. Versi. 57. *faciamus & ipsi nobis nomen*, ex fastu, & superbia mouentur; sic Absalon, & Saul erexerunt sibi fornices triumphales, seù sepulchra ad nomen excitandum.

E cap. 6. lib. 1. & cap. 9. lib. 2. Mors Antiochi infœlix, ex mœrore contracto ex successu malo in Perside, & rebus malè gestis in Syria per suos: sic Aman proptèr vnum Mardochæum, Achab proptèr vineam Naboth. At vbi mortuus? & quidèm ex his duobus locis videtur percussus; & in montibus passus, sed tandèm Babylone defunctus, & sic cōcordari possunt hæc duo loca. At illud 2. Machab. 1. non videtur admittere concordiam, nisi dicamus ibi de morte militū, & eius exercitus agi, non Antiochi, & certè danda est ei vita, donèc perueniret Babylonem, vel montes, vt hic, cùm enim ibi res malè successissent cap. 9. lib. 2. rediit Babylonem versùs, nèc mirum, si ibi non distinguit clarè Scriptura; nàm multotiès id non curat, satisque ducit alibi expressisse, quæ ad declarationem sufficiunt loci obscuri, vndè cùm hic expresserit vbi mortuus Antiochus, standum expressis. Versi. 12. & cap. 9. lib. 2. 11. *nùnc verò reminiscor*, &c. sic quilibet peccator non aduertens peccat, pòst peccatum sæpè, sæpiùs pòst vexationem in se reuertitur, & recognoscit malum, ad quod nō aduerterat.

Cap. 9. lib. 2. versi. 5. *Sed qui vniuersa conspicit Dominus*, sic 2. Paralip. 16. 9. *vt enim finiuit hunc ipsum sermonem*, &c. sic in Herodem Act. 11. Versi. *& quidèm satis iustè, &c.* proùt & Iud. 1. Versi. 9. *ità vt de corpore impij vermes scaturirent*, sic Iudith. 16. 21. dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, &c. *odore etiàm illius, & fœtore exercitus grauaretur*; sic de Luthero improbo, mors peccatorum pessima, sic de Dathan, Chore, & Abiron: dixit Moyses, Si cōsueta hominū morte, &c. Versi. 12. *Iustum est subditum esse Deo, & mortalē non paria Deo sentire*, mihi curuabitur omne genu. Versi. 13. *Orabat autèm hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*, quia nō ex corde loquebatur: sic & Saul dicens, peccaui, sed non ex corde, non proptèr Dominum: aliàs misericordia superexaltat iudicium; hinc vt liberaretur à doloribus, & infirmitate multa vouit. Versi. 16. *Et pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis præstaturum*, sicùt Seleucus pòst Alexandrum, hinc & Gētiles offerre, & sacrificare eo modo, quo aliàs dixi. Versi. 19. Epistola ad Hebræos. Volunt aliqui (vt hic per Recentiores) de hoc Antiocho intelligi prophetiam Danielis cap. 8. At ibi, si dabitur, videbimus.

E cap. 6. lib. 1. versi. 17. è cap. 10. lib. 2. versi. 10. in fin. De gestis tempore Antiochi Eupatoris, filij Antiochi nobilis, & victorijs Machabæi, Angelis quinque adiuuantibus ver-

versic. 29. sic contrà Heliodorum. & de his Apoc. 19.

E cap. 11. lib. 2. Lysiæ aduentus cũ exercitu magno, fuga, confœderatio. Versi. 3. *Templum verò in pecunia quæstum*, &c. sic nunc Turca destructo sepulchro. *& per singulos annos venale sacerdotium*, quod factũ tempore Romanorum. Versi. *vt bonum Angelum mitteret*, experti erant in præcedentibus bellis quinque apparuisse, nouerant concessum in eductione populi de Aegypto: impetrarunt quod petierant vers. 8.

E cap. 12. lib. 2. Ioppitarum, & Iamnitarum aggressio, Arabum debellatio, & confœderatio. Captio Casphin, Timothæi exercitus trucidatio, aliorum victoria, & mors multorum ex suis retinentibus *donaria idolorum*, quod non licet Deuter. 7. 25. Versi. 42. hortatur suos Iudas exemplo defunctorum, vt sint sinè peccato: intelligant milites, quomodò victores esse possint. *atquè ità ad preces conuersi rogauerunt, vt id, quod factum erat delictum, obliuioni traderetur*, timebant enim offendi ex delicto illorum, proùt in Achaz factum, ibi dixi. Versic. 43. *& facta collatione* per totũ exercitum (prudens, & charitate plenũ facinus) *duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis* (pro pœna, quã pro peccatis contraxerant, temporali in purgatorio imposita tollenda) *mortuorum sacrificium*, & si in illis sacrificijs remissio pœnarum, quid in sacrificio nostro augustissimo? *benè, & religiosè de resurrectione cogitans*. & sic de immortalitate animarum, pro quibus solicitus erat, *nisi enim*, probat hoc ex facto, *eos, qui ceciderant* in bello illo *resurrecturos speraret, superfluum videretur* esset, *& vanum orare pro mortuis, et quia considerabat, quòd hi, qui cùm pietate dormitionem acceperant*, mortui erant, somnus est bonis; sic Stephanus obdormiuit in Domino. Lazarus noster dormit, existimauit enim eos pœnituisse de donarijs idolorum *optimam haberent repositam gratiã*, essent in statu, quo adiutorium ex precibus viuorum recipere possent. *Sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis* in purgatorio existẽtibus, *exorare, vt à peccatis* pœnis pro peccatis iam remissis debitis *soluantur* liberentur. Locus clarus contrà negantes purgatorium. sic Petrus Acto. 2. 24. de Christo. quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxtà quod impossibile erat teneri illum, cùm esset ab illis liber: ideò ibi de numquàm apprehenso ab illis; hic de existentibus in eis.

E cap. 6. lib. 1. à versi. 18. vsquè in finem.

E cap. 13. lib. 2. à versic. 1. vsquè ad 27. Bellum intèr Antiochum Eupatorem, & Iudam, & pax malè seruata. Versi. 41. facinus egregium Eleazar Saura, *vt liberaret populum suum*, & sic pietate motus, & quamuis subdat, *& acquireret sibi nomen æternum*, hoc non est de illicitis, præsertim, si vt hìc, secundariò ambiatur. Versic. 55. Deus inijcit scrupulum Philippi à Perside, & Media reuersi, vt dimittant obsidionem, & hoc modo Deus succurrit Israeli, proùt Dauidi, dùm non posset euadere à Saule.

Cap. 13. 3. lib. 2. Menelai mors infœlix. Versi. 8. sicùt fecit, ità recepit, sic Iud. 1.

E cap. 14. lib. 2. à princ. vsquè ad versi. 12. De gestis tempore Demetrij regis filij Seleucis, qui fuit frater Antiochi Epiphanis, is Romam, vbi erat obses, veniens Antiochum Eupatorem, & Lysiam comprehensos occidi iussit, & de gestis per Bacchidem, & Alcimum.

E cap. 7. lib. 1. à vers. 26. vsquè 39. & è cap. 14. lib. 2. à versi. 12. vsquè ad 47. Nicanoris à Demetrio missi cùm populo, & Iuda gesta. Vers. 37. cap 4. lib. 2. Razię factum, eius continentia, quæ illis diebus singularis erat; Sed an saluus? non potest aliud dici, nisi, si instinctu Dei fecit, saluum esse, proùt de Samsone habemus: & is præsumendus ex antè acta vita, & ex inuocatione Domini in vltimo spiritu. vers. 46. ratio verò ex ver. 42. nõ viget, quia & Saul se occidit, vel occidi permisit, & voluit, nè deueniret in manus incircumcisorum, & is malè.

E cap. 7. lib. 2. à versi. 39. vsquè in finẽ. & è cap. vlt. lib. 2. à princ. vsquè ad versic. 38. Debellatio exercitus, & mors Nicanoris. Versi. 46. *& ventilabunt eos cornibus*, potentia. sic dicebat Sedecias: ventilabis his Syriam 3. Reg. vlt.

E cap. vlt. lib. 2. Somnium indicans victoriam; sic Deus præmonet suos: vide de somnio Mardochæi, & ibi Sanctos in Limbo

tùnc

tùnc, nùnc in cœlo pro nobis orantes. Verſ. 16. *Accipe ſanctum gladium*, his nùnc vtimur ad Reges. Verſic. 18. *primus pro ſanctitate erat* timor templi: sìc Heli ſolicitus pro Arca potiùs, quàm pro filijs, & eius Nurus. Verſ. 23. *mitte Angelum tuum bonum*, sìc & ſuprà in alijs periculis, & miſſus eſt, verſi. 27. *præſentia Dei magnificè delectati.*

E cap. 8. lib. 1. De amicitia cùm Romanis per Iudam contracta, quã aliqui hìc malè, & quaſi ex diffidentia de Deo, & Vgo Cardin. Ierem. 27. At non puto, quia de fiducia ipſius in Deum omnia plena, illius virtutes claræ, & contrahere amicitiam non eſt de genere malorum, immò illi expediebat, vt hìc in princ. cap. & verſ. 12. 18. & ſtant ſimùl fiducia in Deum, & prouiſio humana ad idem tendens. Prætereà, Patriarchæ, Dauid, & alij cùm extraneis Regibus, cùm Chananæis amicitiam cõtraxerunt, & connubia, nèc damnantur, & ſi mors horum ſecúta, non imputanda huic facinori, ſed communi omnium ſorti. Sed æſtimo parata omnia ad Euangelium: De geſtis Romanorum à princ. cap. vſquè ad verſi. 17. Verſic. 18. *Auferens ab eis iugum Græcorum*, eccè pòſt captiuitatem Babylonicam ſeruitus, & ſubiectio: hinc Romani aſſerunt ſcripſiſſe Demetrio. verſ. 31. 32.

E cap. 9. lib. 1. De Bacchide, & Alcimo miſſis à Domino, & morte Iudæ; ſubrogatio Ionathæ, mortis Ioannis vindicta. Verſi. 21. *quomodò cecidit potens*: sìc Dauid in morte Saul, & Ionathæ. Vidi quendam dicentem Iudam defeciſſe, quia non accurrit ad Dominũ: is Turſell. in Epit. lib. 3. & Sanct. Iſai. 41. 51. ſed non placet, quia etſi Scriptura non dicat, tamèn ex eius conſuetudine præſumitur factum. Verſic. 27. *quia non eſt viſus Propheta in Iſrael*, sìc ſuprà. Verſic. 54. Vindicta Dei in Alcimum deſtruentem templum; quod notandum contrà ſimilia tentantes. Verſic. 70. *reddere ei captiuitatem*, ideſt captiuos, *de Iuda*, verſ. 72.

E cap. 10. lib. 1. De Alexandro Antiochi filio *Nobilis cognominatus*, & Demetrio rege agentibus cùm Ionatha, & prælatio Alexandri, & mors Demetrij. Verſic. 29. *& pretia ſalis indulgeo*, obſerua quod & illis diebus ſupèr ſale imponebantur collectæ. Verſic. *Et Ieruſalem ſit ſancta*, exempta, ſegregata, quod declarat *& libera*. Verſic. 38. *Et non obediant alij poteſtati, niſi ſummi Sacerdotis*, eccè quomodò Sacerdotes ſummi gubernabãt, nèc tamẽ erat totalis libertas, quod addes dictis Gen. 49. in Iuda. Verſic. 43. *& qui confugerint in templum*, eccè immunitas templi, & nùnc Eccleſiarum. Non vidi in ſacra Scriptura alium locum, niſi quæ de Adonia, & Ioab in libris Regum. Verſ. 52. cùm ſeqq. Alexander recipit Cleopatram à Ptolomæo Rege Aegypti: nuptiæ Ptolemaide celebrantur; interuenit Ionathas, cui magni honores decreti. Verſ. 67. Demetrius Demetrij filius inſurgit. At Appollonius ab eo miſſus à Ionatha victus. Verſ. 84. templum Dagon combuſtũ, in eo ſtabat Arca tẽpore Saul, & Samuelis.

E cap. 11. lib. 1. Ptolomæus Rex Aegypti dolo capit regnum Siriæ, quod erat Alexandri generi ſui, & conſtituit Demetrium Regem, cui filiam ſuam Cleopatram vxorẽ Alexandri tradit, & ſuperat Alexandrum, cuius caput à Zabdiele Arabe eidem mittitur, proùt caput Pompei ad Cæſarem: & die tertia moritur Ptolomęus. Verſ. 19. Demetrius regnat, recipit Ionatham, immunem facit Iudæam ſolutis tercentis talentis: nèc obſeruat: eccè quomodò ſempèr ſubiacerunt. Verſic. 39. Triphon Antiochum Alexandri filium ad regnum Syriæ promouet, qui Ionathæ multa indulget. Verſic. 71. Ionathæ oranti ſuccurſum. diſcant milites, & Principes orare.

E cap. 12. lib. 1. Ionathas renouat amicitiam cùm Romanis, & Spartiatis, & alijs. Verſic. 9. *habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris*, quaſi certi de origine veſtra ex his: At obſerua ſancti libri in ſolatio. Verſic. 11. Memoria in orationibus: sìc Paulus in omnibus ferè epiſtolis. Verſic. 21. *& quod ſunt de genere Abraham*, non ergò ex Nachor fratre. Verſic. 24. De geſtis Ionathæ, & Simonis contrà principes Demetrij. Verſic. 36. *& nequè emant, nequè vendant*, ideſt, nullum habeant negocium, ſeù commercium, vt infrà cap. 13. 49. Verſi. 39. Inſidiæ Triphonis aduersùs Ionatham nimiùm credulum ad exemplũ bellantium, vt non fidant.

E cap. 13. lib. 1. Simonis præparatio aduersùs Triphonem callidum, qui occidit Ionatham, & filios in dolo, & abijt, occidit Antiochum, & regnauit pro eo. Versic. 5. *Non mihi cõtingat parcere animæ meæ*, vt nolim exponere vitam meam, illam saluam facere. Versi. 27. de sepulchro ad memoriam æternam, An id benè, vel malè, Recentiores hìc. Saul, & Absalon ædificarunt fornicem, & monumẽta. Ver. 36. Demetrij litteræ ad Simonem, & Iudæos. Vers. 41. *Anno centesimo septuagesimo ablatum est iugum Gẽtium ab Israel*, quod nota.

E cap. 14. lib. 1. Demetrius capitur ab Arsace Rege Persidis, & Mediæ. Versic. 4. pax sub Simone. Vers. 7. *Congregauit captiuitatem multam*, idest captiuos multos redemit; vel priùs populum, qui priùs passus erat captiuitatem. Vers. 8. *Vnusquisque colebat terram suam cùm pace:* sic sedit vnusquisque sub vite, & ficu sua. Vers. 12. hæc ad pacem denotandam. Vers. 17. renouatio fœderum cùm Romanis, & Spartiatis. Ver. 26. Romani *statuerunt* Simoni *libertatem*. Vers. 38. *Demetrius statuit illi summum sacerdotium*, hinc non videtur totalis libertas, sed adhùc sub rege subiectio. Versic. 41. *donèc surgat propheta fidelis*, qui de eis respondeat, timebant enim errare: sìc & suprà bis capit. 4. sìc & 2. Esdr. 8. 65. donèc staret sacerdos doctus, & eruditus. Alij, donèc Messias veniat, de quo Deuteron. 18. At non placet, quia id non facit ad propositum præcedentium, & ad rem, de qua agitur. sic & Sanct. Ezech. 21. 75. Prætereà non agebatur ampliùs de verificatione prophetiæ Iacob, quia iàm factus erat locus in captiuitate Babylonica, in qua cessauit sceptrum in Tribu Iuda, vt tenui Gen. 49. Neque Messias capturus erat regnum temporale, sed spirituale; fuit enìm falsa opinio de temporali Hebræorum, quæ non potest tribui Scripturæ sacræ.

E cap. 15. lib. 1. Antiochus Demetrij filius molestus Simoni, & populo cùm exercitu mittit Cendebæum infestare eos.

E capit. 16 lib. 1. Iudas, & Ioannes filij Simonis Cendebæum debellabant. Vers. 6. *Et transfretauit primus, & viderunt eum viri, & transierunt pòst eum*, sic pòst Abimelech, & Gedeonem duces alij: Discant duces officium præsidi. Vers. 11. cùm seqq. dolus Ptolomæi Abobi, & mors Simonis, & filiorum: sed volenti occupare regnum, occursum per Ioannem filium Simonis superstitem. Vers. 14. *Perambulans ciuitates, & solicitudinem ferens*, sic & Samuel.

E cap. 1. & 2. lib. 2. Litteræ à Ierosolymis ad Iudæos Aegyptios. Vers. 2 *meminerit testamenti sui*, &c. pacti. hic de Messia. Vers. 3. *& det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti*, eccè quomodò stat volũtas Dei, & nostra, & quomodò à Deo mouemur: sìc sequitur *adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis*. Vers. 7. *regnante Demetrio*, eccè quomodò adhùc dominabantur eis Reges. Vers. 13. *dux ipse* intellige, *Antiochum* de quo illicò subdit vers. 14. & 18. Nanneæ Veneris. Vers. 15. dotis nomine nubebant Reges Deabus, & recipiebant dotes pro connubio. Vers. 16. apertoquè occulto aditu templi, proùt Daniel. vlt. & sìc ibì mortuus Antiochus clarè ex littera. Vers. 18. de igne dato tempore sacrificij Nehemiæ. Cap. 2. 4. de Arca, tabernaculo, altare incensi per Ieremiam tempore captiuitatis in montem exportatis. Vers. 7. *ignotus erat locus, donèc congreget Deus congregationem populi, & propitius fuit*, Quia autem hoc nondùm factum, & nullo tempore congregatio erit, nisi in vltimis diebus, cũ saluus fiet omnis Israel, ideò tùnc temporis hæc manifestãda, & sìc Ieremias agit de illis diebus extremis, cùm plenitudo Gentium intrauerit.

Hæc eo magìs procedunt, quia nulla mentio in Esdra transportationis Arcæ, nulla apparitionis maiestatis Domini, nulla nubis, de quibus hìc, & tamèn verisimilitèr de his facta esset mentio, cùm sint valdè memorabilia, & fiat mentio ignis, vt hìc cap. 1. & aliorum minùs memorabilium, & ipse singula per se facta specificet.

Prætereà, Iudæi à transmigratione venientes non indigebant persuaderi, vel moueri ab arca ad Dei cultum, in quem erant inclinati, & assueti, & vexatio tribuerat intellectum; at in fine mundi indigebunt, cùm in conuersione acceptandus Messias, & noua lex, quæ sempèr aspernati sunt. Vide ad prædicta

dicta Abulens. 2. Paralipom. 5. quæst. 28. Christoph. Castr. Ierem. 3. versic. 20.

Quæ dicuntur Ierem. 3. 16. Arca, &c. possunt verificari pòst transmigrationem è Babylone vsquè ad tempora extrema. At quia Nabuzardan eduxit de vestibulo carceris Ieremiam. Ierem. 39. 14. non videtur potuisse à Ieremia fieri quæ hìc dicuntur, cùm iàm omnia pretiosa è templo essent ablata, vt hìc per Lyra. nisi dicamus ex diuina protectione hæc omnia salua; At dicendum vasa omnia pretiosa transportata fuisse à Nabuchodonosor tempore Ioachim. 4. Reg. 24. 13. 2. Paralip. 30. 10. & antè tempore patris eius Ioachim. 2. Paralip. 36. 7. At tempore vltimæ captiuitatis mense quarto. Ierem. 52. 6. 39. 2. quandò capta ciuitas, & Sedecias, nihil fuit ablatum de templo, sed mense quinto venit Nabuzardan, & succendit domum Domini, & tùnc omnia abstulerunt ærea, & aurea. 4. Reg. 25. à vers. 4. vsquè ad 18. Ierem. 52. 12. 17. cùm seqq. & nihil habetur de hic nominatis, arca, &c. Quæ autèm dicuntur. 2. Paralip. 36. 17. sunt distinguenda, vt suprà, vt tùnc ablata fuerint vasa reliqua, quandò Nabuzardan redijt, & incendit domum, &c. in tempore ergò intermedio donèc redijt Nabuzardan potuit Ieremias saluare arcam, & alia hìc descripta. Sed opponis Ieremiam non fuisse eductum de carcere, nisi in reditu Nabuzardan. Ierem. 39 & 40. Ioseph. Antiq. lib. 15. cap. 11. char. 219. num. 20. Respondeo, etsi non videtur posse dici tutò, tamèn ex textu videtur verisimilius, maximè cap. 4. 4. At Ieremias eductus fuit verisimilitèr antè incendium templi, & tùnc vel à se, vel assentiente Nabuzardan illi admodum benigno ex ore Regis. Ierem. 39. 12. & 40. 4. hæc omnia facere potuit Deo adiuuante. & sic etiàm existimandum factum esse de igne abscondito. 2. Machab. 1. 19. & 2. 1.

Et non est credendum ablata hæc antè hanc vltimam cladem, quia facta esset mentio, & obiectum Ieremiæ persuadenti deditionem, qua de causa carceri fuit mancipatus, & quia ex ordine litteræ facta sunt hæc eodem tempore, quo ignis absconditus, & ità dicendum, & tenendum, vt saluetur hæc Scriptura. Hanc opinionem tenet Ribera Aggæi 1. numero 14. cùm sequentibus. Versic. 19. *nàm cùm in Persidem* Babyloniæ *captiui ducerentur* sub Nabuchodonosor, &c. *ignem*, &c. hoc ex ore Ieremiæ infrà cap. 2. 1. Versic. 20. *cùm autèm prateriissent anni multi* captiuitatis ad Septuaginta, *& placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis*, cuius cor Deus eleuauerat. Aduerte dicitur de Nehemia tanquàm principaliori, vel cuius magis diuturnum fuit imperium ex captiuitate missorum, durauit enim per annos duodecim in primo aduentu, & deindè in secundo vsquequò vixit fortè. 2. Esd. 1. 5. 14. & cap. 13. 6. vndè verbum *Sacerdos*. hìc vers. 21. intelligitur pro Principe, quia Nehemias, qui reædificauit Ierusalem, non fuit Sacerdos, vel sub illo vult intelligere officia per Sacerdotes fieri solita. Vel de Nehemia, quia is hæc descripsit in commentarijs, de quibus cap. 2. 13. & verè non apparet de eius aduentu in Ierusalem tempore dedicationis templi, iàm perfecti sub Zorobabel duce. 1. Esd. 6. 15. cùm seqq. nàm perfectum fuit anno sexto Darij, vt ibi, & Nehemias non accessit ad Ierusalem, nisi anno vigesimo Regis Artaxersis. 2. Esd. 2. 1. & 5. 14. Et quòd antè non fuisset in Ierusalem pòst captiuitatem, constat ex eius verbis. 2. Esd. 1. & 2. sìc Iudas in epist. de Iosue educente populum, & perducente, quia ipse introduxit illum in Terram promissionis, etsi Moyses fuerit eductor, secundùm verum intellectum.

Hìnc verba *fecit ei templum* infrà vers. 34. intelligentur vel exornauit templum, vel factum stabiliuit, nàm iàm factum erat, & non apparet de alio templo facto, & non essent passi Hebræi aliud fieri, cùm vnus tantùm locus eis attributus esset pro templo vno; at de ornatu facilis interpretatio, quia subditur, *& cùm probasset, Sacerdotibus donauit multa bona*, &c.

Cap. 2. lib. 2. vers. 2. *& dedit illis legem*, &c. apparet in Baruch. Vers. 4. *comitari secum*, idèst deferri ab alijs comitàtibus eum. non dicas Angelis, nè miracula adstruantur, & quia non diceretur de eis *comitari secum*. Vel intelligendum de Nehemia, qui fuit cùm Zorobabel. 1. Esd. 2. 2. qui fortè erat Sacerdos, proùt is, de quo hìc, & sic ces-

Kkkk 2 sabunt

ſabunt amaritudines omnes. Vel ſi intelligendum de Nehemia Principe à Rege miſſo, dicendum etiam id factum non in primis diebus, quo ædificatum templum, & altare, ſed moralitèr, & tempore, quo Nehemias iuit Ieruſalem, & verbum *Sacerdos* ſeruit pro Principe; & hoc tamèn eſt ſatis durum.

Cap.vlt.lib.2.à verſ.38.vſque ad finem. Concluſit ſermonem, & meminit poſſeſſam ciuitatem ab Hebræis à tempore Nicanoris occiſi, & excuſat ſe de orationis tenuitate: sìc Paulus de ſimplicitate ſui ſermonis.

FINIS LIBRI MACHABAEORVM.

LAVS DEO, ET VIRGINI,

Subijciuntur omnia Sanctæ Matri Eccleſiæ.

INDEX

INDEX
Eorum, quæ in his Libris breuitèr explicandis incidentèr occurrerunt.

A

INDEX.

INDEX.

Amos

I N D E X.

Anna

Aquæ

BABY-

INDEX.

B

CADA-

INDEX.

C

Cha-

Cura

D

In du-

E

Esau

F

G

H

Hebræi

Hircus

INDEX.

G

H

Hebræi

Hircus

I

Iacob

Infer-

Isaac

L.

Legem

M

Mali-

Mes-

Mos

N

Naui-

O

PAL-

INDEX.

P

Porta-

Q

R

Reges

I N D E X.

S

Sera-

Spiri-

T

Terra

I N D E X.

V

Viri

Z

FINIS AD DEI HONOREM,
& Gloriam.

Errata nonnulla, quæ præli, vel ſcribentium vitio irrepſerunt, sìc corrige.

Pag.5. col.1. verſ.46. vtriuſque: Corrige vtriſque. Pag.10. col.1. verſ.43. poteſt: potes. Pag.11.col.1.verſ.24.fundamento: firmamento. Ibid.verſ.25.firmamento: fundamento. Pag.20. col.1. verſ.32. pius: plus. Pag.26.col.1. verſ 43. hærere: hærentem. Pag.37. col.1. verſ. 13. Cham: dele. Pag.53. col.1. verſ.1. vſu: eſu. Pag.202. col.1. verſ.9. quæ: quas. Pag.123. col.2. verſ.16. Rachel: Lia. Pag.247. col.1. verſ.vlt. occiſurum: occiſurus. Pag.290. col.1. verſ.1. minor: maior. Pag.303. col.2. verſ.36. vlla: illa Pag.373. cap.8. col.2 verſ.8. iuſſio: iuſſo. Pag.380. cap.21. col.2. verſ.18. aptum: raptum. Pag.396. cap.9. col.2. verſ.12. noluit: voluit. Pag.410. col.2. verſ.vlt. obſurduit: obſorduit. Pag.455. cap.4. col.2. verſ.17. vtriuſque: vtriſque. Pag.461. cap.12. col.2. verſ.21. neceſſe: nec ne. Pag.465.cap.21. col.1. verſ.9. reſpuit: reſipuit. Pag.494. col.2. verſ.36. inſtinctu: Inſtituto. Pag.522. cap.13. col.2. verſ.8. reddebantur: releuabuntur. Pag.532. cap.18. col.2. verſ.6. diſſipandum: diſſipandam. Pag.551. cap.30. col.1. verſ.8. noluerunt: voluerunt. Pag.601. col.2. verſ.10. ſtatuto: ſtatuo. Pag.607. col.2.in fin. contextum: contextus. Ibidem videtur: videntur. Pag 638. col.2. verſ.5. cuſtodientes: cuſtodiente. Pag.643. col.1. verſ.18. initium: initum. Pag.645. col.1. verſ.20 premebuntur: premebantur. Pag.657. cap.20. col.2. verſ.9. in: me. Pag.729. col.1. verſ.45. Rubro: Rubo. Pag.782. col.1. verſ.29. timentur: timeatur; Pag.802. col 1. verſ.6. illorum: illud. Pag.830. cap.3. col.1. verſ.6. optatur: aptatur. Pag.841. col.2. verſ.12. vna: vnam. Pag 858. col.2. verſ.33. Dominus: Domini. Pag.881. col.1. verſ.26. capite: caput. Pag.936. col.2. verſ.31. cap.4. : cap.14.

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vv Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vvv Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn.

Omnes ſunt Terniones, præter a, quæ eſt Duernio, & Nnnn, quæ eſt Quaternio.

ROMÆ, Ex Typographia Guilelmi Facciotti. Anno Iubilæi. M.DC.XXV.

SVPERIORVM PERMISSV.